










56ᵃ

DD. NN.

IMPERATORUM,

CÆSARUM AUGUSTORUM, REGUM ET PRINCIPUM

ELECTORUM,

S. IMPERII ROMANO-THEUTONICI

RECESSUS, CONSTITUTIONES, ORDINATIONES ET RESCRIPTA, IN PUBLICIS COMITIIS PROMULGATA, AUT ALIAS EDITA,

A CAROLO MAGNO, PRIMO

E GERMANIS IMPERATORE, adusque D. N. IMP. CÆSAREM RUDOLPHUM II. P.F. AUG. P.P.

IN QVIBUS QVIDQVID DE JURISDICTIONE IMPERII ET ECCLESIÆ, POTESTATE IMPERATORIS ET PAPÆ AUCTORITATE ET LIBERtate Regum, Principum, & caeterorum Imperii Occidentalis Ordinum per Theutoniam, quæ & Magna Francia dicta, id est, per Germaniam, Galliam, Italiam, Angliam, Hungariam, Poloniam, Bohemiam, Daniam, &c. de juribus civilibus & feudalibus, Pace religiosa & profana, aliisque rebus omnibus ad Ecclesiam & Politiam spectantibus, ab Anno salutis Christianæ DCCXCIV. usque ad Annum MDLXXIV. constitutum est, & in priori Tomo non habetur, fere comprehenditur.


TOMUS SECUNDUS.

Hisce turbulentis rebus & præsentibus controversiis decidendis apprimè commodus; collectus ac digestus

à

MELCHIORE GOLDASTO HAIMINSFELDIO.

Cum Indice locupletissimo juxta ordinem materiarum concinnato.



FRANCOFURTI AD MOENUM,
EX OFFICINA ZUNNERIANA,
Sumptibus JOHANNIS ADAMI JUNGII,
Typis Johannis Baueri, A. O. R. 1713.



SERENISSIMO PRINCIPI, DN. CHRISTIANO II. DUCI SAXONIÆ, S. ROM. IMPERII ARCHI-MARESCALCO, ELECTORI, ET VICARIO INTER-REGIO, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ, BURGGRAVIO MAGDEBURGI, PRINCIPI HENNEBERGÆ, &c.

Domino meo Clementiſſimo.



Uguſtum & excellens Imperii nomen ita comparatum eſt, PRINCEPS ELECTOR, ut id neque ſibi quisquam in ſe uſurpet, & vix ac ne vix quidem fieri animadvertamus, ſingulos ſingulis rectè riteque imperitare. Quamobrem cùm homo ab ὁμῶς dictus, ut quibusdam placet, animal ſit ſociale; imperium quoque multitudinem unum in cœtum congregatam, quæ ſocietas appellatur, duce naturâ poſtulare videtur. Id enim naturæ ingenium eſt, ut ſolitarium nihil amet, ſemperque ad aliquid tamquam adminiculum, quod eſt in ſocietate civili τὸ ἀγαθὸν κοινὸν ſive bonum mutuum, annitatur. Itaque illud demùm Imperium juſtum ac legitimum cenſeri debet, quod in ſocietate, communis commodi ergo initâ & coalitâ, conſtitutum eſt; tantum à tyrannide differens, quantum violentia abeſt à voluntate, & res privata à publica: quum naturæ nihil magis adverſarium ſit, quàm vis & coactio, civitatique nihil diſconvenientius, quàm unius privatum commodum atque utilitas. Omnis enim ſocietas boni cujusdam publici vinculo ceu Sacramento quodam adſtricta continetur; pro cujus conditione ipſum etiam Imperium naturæ magis minusvé conſentaneum eſt, proinde ut bono publico magis minusvé inſervit atque conducit. Quod ſi qua ſocietas hoc vinculo eſt ſoluta, jam non humana & naturalis; ſed Leonina, de qua in fabulis eſt, exiſtimari debet. Boni autem publici non eſt uniusmodi genus; & primam atque ſummam ſocietatem ſicri nexu bonorum animi, alteram corporis viribus conſtringi, Sapientes tradidêre. Et animorum quidem κοινωνίαν, ſi qua fides placitis, commune ſtudium parit, conglutinat par ſcientia, ſervat atque tuetur una eademque religio: quæ non ineleganter à Philoſophis nuncupata eſt quaſi anima quædam ſocietatis civilis, & legis naturalis præſidium. Etenim tantam religionis communio atque conſenſio, & periculi ejus participatio, vim habet, ut ferè unimoda ſit, quod bonum in Republ. ſuapte naturâ adminiculo non eget ad homines conjungendos copulandosque. Nec hominem natum quemquam puto in rebus humanis adeò hoſpitem, & inſolentem vulgaria accipiendi, qui non & exemplis doctus didicerit, & reipſa intelligat, ejus virtute nationes diverſas longiſſimeque diſſitas, in unum contrahi. Non longum loquar, nec peregrinarum gentium exempla, tamquam Moſcovitarum, Georgianorum, Æthiopum, Chinenſium, multis repetam; videmus Romanum Pontificem innumeræ Chriſtianorum per Europam, Aſiam, Africam & Americam multitudini, quia religionis vinculo inter ſe nexi variatique ſunt, ſuprema cum poteſtate præeſſe ac moderari. Vidimus & Hiſpaniarum Regem jure ligarum, ſocietatum & fœderum defendendæ religionis ictorum, latiſſimè liberrimeque in Galliis & Italia dominatum uſurpare. Proximam ab hac ſocietate animali (liceat ita docendi cauſa appellare) vim habet corporum conſociatio, cujus ope quondam Romani rerum Domini Gentilibus, Judæis & Chriſtianis; Cæſares Chriſtiani Orthodoxis, Arrianis, Ethnicis & Hebræis; Imperatores Germani in Orientali Imperio, Græcis, Latinis, Judæis & Saracenis, pariter imperabant: hodie Sultanus Turcorum & Perſarum Sophius Mahumetanis, Chriſtianis & Judæis: noſter Cæſar

(quemadmodum Reges quoque Franciæ, Poloniæ, Hungariæ,) Pontificiis simul, Protestantibus & Judæis, earundem legum vinculo strictis & copulatis, quasi quadam habena non infeliciter moderantur. Quorum subditi, tametsi ob Religionis dissidia animis sint divisi, corporibus tamen & domiciliis sub eorum Imperiis conjuncti & sociati vivunt. Sanè veris Christianis venire hoc Inco in mentem potest, non modò ut conjunctionem atque concordiam Catholicæ Religionis in Imperio Romano spectent, sed etiam ut audeant optare; verumtamen quia πολίτευμα nostrum, quod Sanctorum in toto terrarum orbe dispersorum societate & communione constat, spirituale est, & ad illud divinum animorum concilium cœtumque, cujus ab se collecti & sanctificati, Rex est Christus Jesus, pertinet, non rectè quis dixerit unam visibilem & dominatricem Ecclesiam per seipsam optabilem, sed quia jucunditatis vel plurimum afferat Electis, qui publico in cœtu tripudiare Deumque laudare gestiunt, quò se jam in hujus vitæ curriculo cœlestis illius gloriæ gustatione ac promulside conficiant. At verò in hac turba & colluvie dum conversamur, cujusque Christianorum est, ut in testimonio conscientiæ placere sese studeat Deo & bonis potiùs, quàm plurimis; in vita autem civili ac moribus Principis legumque audire dictis, & minimè multos lædere. Illud ut bonus Christianus, hoc ut bonus civis, facere ac præstare ab ipso Rege Regum & Primariis ejus Apostolis Petro atque Paulo præcipitur. Igitur ex ejusce modi societate corporali (ut ita dicam) cùm Imperium Germanicum hodie conflatum sit atque constet, juvat apud te, PRINCEPS ELECTOR, hujus Imperii è primis Columnam & in tempore Vicarium, quæ mihi, statum ejus sæpe mecum reputanti, in hac societate eiim meliùs constituendâ tum gubernandâ rectiùs, notata sunt, non protrita in vulgus, nec Celsitudini tuæ, (quomodo mihi persuadeo) ingrata futura, quàm paucissimis potero breviter commemorare, & unà simul causas quamobrem hunc Tomum Serenitati Tuæ addicere destinarim, explicare.

Ego in Republica, quæ diversis Religionibus distracta, conjunctis corporibus est concreta, recordatus multum & diu cogitans, reperi tandem & præcipuè considerandá esse naturæ in singulis civibus bona observavi. Quæ natura adeò plena, fœcunda & exuberans est, ut numquam deficiat, neque operam suam desiderari in rebus ad bene beateque vivendum necessariis atque opportunis patiatur. Ea namque ipsa est, quæ civilem vitam, quod in se fuit, temperavit, & certis statisque officiis ita descripsit, ut Ordines Reipubl. vel ipsius solo ductu atque magisterio rectè institui & ordinari queant. Ecce enim hos ingenio valido, corpore finxit infirmo, quorum Religione, sapientia & consilio Respubl. uteretur, & è queis Sacerdotes, Philosophi, Doctores & Senatores legerentur. Alios magna & robusta vi corporis animoque ingenti ac audace produxit, ut armis seque Remque publicam tuerentur, & militarem ordinem constituerent. Nonnullos duris firmisque lateribus & lacertis instruxit, qui agrum colerent, & aliis agrestium fungerentur muneribus. Partem ad cursum veloces atque agiles expedivit, ut perferrent nuntios, & pedestrem efficerent exercitum; à quibus brevigeruli, pedites & præcipuè velites oriuntur. Quosdam majori corporis pondere & graviores generavit, qui equites rem gereret, undeque equestris Ordo crearetur. Porrò manu industrios, opifices finxit: lingua promptos, Oratores atque Concionatores fieri voluit. Eos penes quos plurimùm jus bonumque non tàm legibus quàm natura valet, quis non intelligit, Prætores atque Judices ut ordinarentur, sancivisse? Animo pariter & corpore infirmos genuit, quos ad humilia serviliaque munia & ministeria Reipubl. destinavit: quod genus sunt servi, lictores, vespillones, cadaveratores, & consimiles hominum quisquiliæ. Denique, licet admodùm paucos, tum animi tum corporis dotibus præclarisque virtutibus egregiè ornavit, qui domi militiæque summo cum Imperio Reipublicæ præessent: ex quibusque summus civium gradus, Magistratuum scilicet, Principum, Regum atque Imperatorum exsisteret. Igitur ubi quisque officio, cui assignatus à natura est, fungitur tum demùm optimè constituta Respublica habetur: contra ea, in extremo sita est, cùm cives aut eas artes discunt, ad quas non sunt nati, aut aliena opera & vocationi suæ adversa faciunt. Hinc enim monstra gigni necessum est: tamquam si Scholastici & Monachi arma & Aulas, sartores & calceolarii ecclesiastica, ecclesiastici politica, sacerdotes sæcularia, & spiritualia milites tractent negotia. In qua confusione & inconditо rerum statu fieri non posse experientiâ docti didicimus, ut diuturna persistat Respublica, quin labefactari in dies magis magisque, & ad postremum corruere ac pessumdari necessariò cogatur. Rem auctorem in mundo scio, & dare, si usus fiet, possum. Sed tam gravi somno genus humanum premitur, ut ne maximis, quidem vulneribus excitari queat; & frustrà ego sim, qui cum latuis depugnare studeam, postquam veternus occupavit

civita-

civitatem: quo mirum in modum sibi blandiuntur, qui ad instar ursi pinguescere eam credunt, cùm interim ruentis Reipubl. casus haut magis, quàm transeuntis ætatis annos, vel media in labe sentiant. Si quis tamen vigilantibus sensus, quibus jura novimus scripta esse, illis natura audienda erit, non auscultanda. Neque ego Utopicum statum confingo, nec ideam Platonicam ratione & intelligentia complector, aut Rempublicam atomon ex corporum concursione fortuita in inani vago Epicureo imaginor; sed formis rerum efficientium & rebus ipsis, quas Natura illa, optima & gravissima conformandi auctor atque magistra, demonstravit, utendum censeo. Hoc autem fieri non posse arbitror sine æquabili juris atque legum temperamento, quod est inventum, quo tenuiores cum Principibus se æquari putent. Id verò ejusmodi adhibeatur oportet, ut nec laxet nimis, nec arctum esse Legislatur patiatur. Est quidem ita: Lex naturæ custos est, quòd sit ratio summa insita in natura, quæ recta suadeat prohibeatque contraria: proindeque si velimus, ut lætus atque faustus sit status communis, & quisque suum, cui destinatus est, faciat officium, & ut mala cùm naturæ tùm morum caveantur, legum ope atque auxilio indigemus: sed custos, inquam, non magis rigida & dura, quàm bona, æqua & rationabilis. Ut enim arcus nimis intenti chorda tandem rumpitur, ita lex Reipubl. si nimiùm strictè exigatur, societatem humanam crudeliter denique dissipat, profligas atque perdit. Id quò commodiùs cognoscatur, & res fiat ad Imperii nostri statum manifestior ac dilucidior, de legibus, quam differitatem habeant, paulò accuratiùs explicandum est.

Bifariam autem quatuor leges æqualiter distributæ sunt, nam duæ divinæ; quarum prima est præscriptum naturæ tectæ atque integræ, vocaturque à prudentibus jus primævum & lex naturalis: altera illa est, quam Deus post transgressionem legis primæ suos amicos & familiares docuit. Prima illa lex æterna est, atque regula & ratio nobis ac mundo innata, estque ars ipsius Dei: altera quodam pacto æterna habetur, quodam est positiva & tempori servit, veluti lex Mosaica. Humanæ itidem similiter duæ sunt; quarum prior ex fonte naturæ profluens, cunctis gentibus communis est, æternaque existit, & jus gentium appellatur: altera data est, ob necessitudinem rerum præsentium, estque varia & mutationi obnoxia, diciturque civilis sive politica. Hæc quando mixta est, quatenus divina & naturæ conveniens habetur, æterna esse constat; quà sancita est boni vel mali instantis gratia, quemadmodum orta est, ita abolitionem mortalitatemq; consequitur. Cujus generis mixtæ plurimæ sunt Constitutiones Imperiales; quæ ubi de summa Trinitate & fide Catholica purè & secundùm scripta Prophetarum atque Apostolorum præcipiunt, immutabiles ac perpetuæ existimantur: quando verò boni an mali publici promovendi aut averruncandi causa ordinatæ sunt, emendari aut mutari pro re nata possunt ac debent. Qua autem conditione id fiat, multum referre puto. Non enim ubique, nec omni tempore, nec pro cujusque libitu; sed quo quæque modo lata constitutio est, eodem, cùm tempus postulat aut res, ut rursum tollatur, par & justum est. Quapropter jus atque potestas abrogandæ legis, nemini permissa est, præterquàm ei, à quo rogata & sancita fuit: Exempli gratia, à populo universo, ut olim ab Atheniensi & Romano, hodie ab Helvetio atque Rhæto: aut omnibus Ordinibus, ut in Comitiis Imperialibus fieri amat: aut à summo Principe, qui Dei & hominum consensu legis constituendæ auctoritatem accepit, ut in quibusdam causis à nostro Imperatore. Hoc pacto Edicta in Lutherum ejusque fautores in quibus Comitiis promulgata fuerunt, in iisdem rursus publico de Pace Religionis decreto sublata sunt & antiquata. Et hoc ipsum Pacis decretum, utcumque à turbulentis & seditiosis hominibus controvertatur, quum communibus omnium Ordinum votis in calatis Comitiis factum sit; eodem omninò consensu, nec seciùs, rescindi posse juri consentaneum & æquum est. Et hæc quidem vera vincuntur de illis legibus, quarum adhuc vigor aliquis & auctoritas prætenditur: verumtamen complures tacito quodam omnium consensu, sine ulla vel obrogatione, vel derogatione, aut abrogatione, paulatim desuefiunt & obsolescunt, aut mutato Reipublicæ statu pariter mutantur & evanescunt.

Quæ cùm ita se habeant, & quasi τεκμήρια quædam sint legum aut inusu desuetarum, aut consensu abrogatarum, aut commendatione bonitatis suæ lucum etiam & dignitatem obtinentium; placet ad institutum nostrum propiùs accedere, & quid de his constitutionibus, quarum collectionem novo quodam more instituimus, sentiendum ac sperandum sit, ceu digito demonstrare. Eas trifariam partiri licet, in æternas, mutabiles, & mixtas. Æternæ sunt Caroli M. Constitutiones, *de summa Trinitate & fide Catholica, de non adorandis imaginibus, de hæresi Feliciana, de disciplina Ecclesiastica*: Caroli Calvi, Ottonis Magni, Ottonis III. Henrici IV. Friderici Barbarussæ, Friderici II. Conradi V. sive Curradini, Ludovici Bavari, Wenceslai & Maximiliani I. *de juribus & excellentia Imperii, de distinctione potestatis politi-*

politicæ & ecclesiasticæ, de majoritate deniq; & *superioritate Imperatorum*: Lotharii II. Regis & Ludovici Bavari decreta *de causis matrimonialibus*: Friderici II. Constitutiones *de Hæreticis*: Maximiliani I. *de Blasphemis*: Caroli V. *de Anabaptistis*: Protestantium Ordinum *Confessio Augustana*, (quæ tametsi non sit Comitialis constitutio, quia tamen constitutionibus firmata, & in eam pax publica sancita est, libenter in hunc numerum venire passi sumus.) Caroli M. Ludovici Pii, Lotharii I. Caroli Crassi, Arnulphi, Ottonis M. Ottonis III. Henrici IV. Friderici Barbarussæ, Friderici II. Henrici VII. Ludovici Bavari, Sigismundi, Friderici III. Maximiliani I. Caroli V. Ferdinandi & Maximiliani II. edicta & rescripta *de Concilii indictione, auctoritate & libertate*: Caroli V. & Ferdinandi rescripta *de reformatione Ecclesiæ*: Ferdinandi & Maximiliani II. *de communione Eucharistiæ sub utraque specie, de conjugio sacerdotum*: hæ, inquam, constitutiones sempiternæ & immutabiles habentur, quòd cum verbo Dei æterno, quod omnis mutationis expers, & solum fallere aut falli nescit, concorditer congruant. Mutabiles rursum tripertitæ sunt, nam aut Cærimoniales sunt, aut morales, aut civiles. Cærimoniales cum loco & tempore, emendari, mutari, tolli, pro sapienti moderatione Principum virorum, solent: cujusmodi sunt Cærimoniæ Ecclesiasticæ, Academicæ, & quæ in augurationibus Imperatoris, Regum, Principum, ac Magistratuum adhiberi aut consuetudine jubentur, aut decretis mandantur. Quo pacto cærimoniæ Ecclesiasticæ à plerisque Protestantium partim emendatæ sunt, partim abolitæ: Constitutiones etiam quoque Caroli M. Friderici Barbarussæ, Friderici II. & Caroli IV. de inauguratione Regia & Imperatoria, magnam partem in usu esse desierunt, adeò quidem ut novam omninò reformationem postulare videantur. Morales sunt, quæ Græcis dicuntur Ethicæ, & de jure privato ferè præcipiunt, deque vitiis cùm publicè tùm privatim grassantibus feruntur: quò referri debent, quæ de *acquirendo rerum dominio*, de *contractibus & obligationibus* sancitæ; item quæ contra *ebrietatem, luxum vestium, usuras, monopolia*, & alia vitia à Maximiliano I. in Recessu Augustano cIↃ IↃ. & Coloniensi cIↃ IↃ XII. à Carolo V. in *Reformatione politiæ* & alibi, decretæ atque ordinatæ leguntur. Civiles sunt Politicæ, & de rebus civilibus ac publicis tantum constitutæ fuerunt, ut sunt: *De jure electionis in Imperio, de pactis electi Imperatoris, de regalibus Imperii, de pace publica, de judicio Imperiali, de ordinatione Cameræ, de provocationibus & appellationibus, de electione & investitura Ecclesiasticorum, de prærogativa Principum, de jure successionis, de jurisdictione Statuum Imperii, de privilegiis & immunitatibus, de tributis & decimis, de moneta, de telonis, de mensuris & ponderibus, de causis criminalibus*, & id genus rebus aliis, quæ pro locorum atque temporum mutabili ratione, ut homines sunt, mutari & ipsæ consueverunt. Tertium genus constitutionum diximus esse mixtum: quæ partim æternæ existimantur, quatenus de rebus divinis præcipiunt; partim mutabiles, quum de rebus moralibus & civilibus constituunt: ex qua nota pleræque olim Synodales fuerunt decisiones, cùm adhuc Imperatores Conciliis præessent, & nostris moribus nonnulli Recessus Imperiales habentur. Igitur Constitutiones & Decreta aut desuetudine abolentur, ut Caroli M. Constitutio, *de Sede Regia & Judicio Imperiali*, Caroli Crassi *de expeditione Romana*, &c. aut contrariâ lege abrogantur, ut Pipini & Caroli M. privilegia *de rebus Ecclesiæ Romanæ datis* per Ottonem M. & Caroli Calvi per Ottonem III. Constitutiones *de defensione Romanæ Ecclesiæ* per Electores ac Principes Protestantes: Caroli V. Edicta & Recessus Augustanus adversus Protestantes, per ipsum Imperatorem & Ferdinandum Cæsarem: vel vi & tyrannide tolluntur, ut Caroli M. Lotharii I. Ottonis M. Henrici IV. Friderici I. Friderici II. Henrici VII. Ludovici Bavari, Maximiliani I. *de electione & fidelitate Pontificum Romanorum Imperio debita* per ipsosmet Pontifices; Constitutiones Imperii *de investituris Ecclesiasticorum*, per nefariam eorundem Pontificum tyrannidem; Caroli M. Arnulphi, Ottonis M. Ottonis III. Henrici II. Henrici IV. Friderici I. Henrici VI. Ottonis IV. Friderici II. Conradi V. Henrici VII. Ludovici Bavari *de fidelitate & obedientia Romanæ urbis*, per violentam eorundem usurpationem: Friderici I. Henrici VI. Friderici II. Ludovici IV. Maximiliani I. Caroli V. edicta de rebus in Hungaria, Dania, Suetia, Polonia, Livonia & Borussia ordinaris, ipsorum Regum atque Ducum ab Imperio defectione: aut mutato translatoque Reipublicæ statu cassantur, ut Ludovici Pii constitutiones *de Hispanis colonis*, Henrici VI. Friderici II. Conradi IV. Henrici VII. de rebus in regnis Arelatensi, Italico, Siculo, Apulo sive Neapolitano, Sardico, Corsico, &c. statutis: vel denique tandem religionis reformatione; ut in Germania Friderici II. Caroli IV. & Sigismundi constitutiones *de immunitatibus & Privilegiis clericorum*, Henrici V. *de investituris Ecclesiasticorum*, Principum *Concordata cum Romano Pontifice*, & aliæ quædam, tametsi à Pontificiis sanctè colantur etiamnum & observentur, apud Protestantes tamen eviluerunt.

Nec

Nec mirum hoc aut confusum Ordinibus minùs cautis videri debet, homines in eadem societate constitutos, diversis tamen legibus regi. Quos ego secum velim reputare, si non, qui diversis regionibus cum Imperio præest, diversis quoque legibus eas coercere teneatur? Ad idem, haut secus, exempli qui divisis imperat religionibus, diversis eas & convenientibus statutis temperare debet, aut sanè pares easdemque leges commutare per pacem publicam & æquationem personarum utriusque Religionis in dignitatibus & functionibus publicis. Hæc enim res cum primis magna videtur, ad Imperium stabiliendum & tranquillandum, societatemque à turbis publicis & inquietis motibus custodiendum; si alter ad alterius exemplum pacatis provinciis, mores suos componere, mutuisque simul assuescere legibus atque institutis condiscerent. Illæ siquidem leges optimæ censendæ sunt, & Imperii juvandi argumentum certissimum præbent, quæ nec à moribus atque studiis populi, nec à communi omnium salute abhorrent atque remotæ sunt: quæve rectè atque ordine agentibus præmia magis decernunt, (quod duabus maximè in rebus, distributione scilicet dignitatum atque officiorum publicorum, & concessâ æquabili conscientiarum in permissis Religionibus libertate, versatur, quemadmodum in regno Galliæ ab Henrico IV. prudenti & considerato Principe sapientissimè incredibilique totius Regni commodo constitutum est) quàm malè facientibus pœnas minentur. Est enim hæc ratio divinitus tradita, & ab Jova OPT. MAX. omnis sapientiæ, prudentiæ & justitiæ fonte, in Reipubl. Judaicæ institutione, tamquam ad conservandum regni statum singularis atque unica, per Moysen præcepta: & in cœlesti quoque Regno ab Jesu Christo, Rege Regum & Domino Dominantium, *in quo* (ut Apostolus ait) *omnis sapientiæ thesauri sunt absconditi*, & qui est, *virtus & sapientia* (ut ab Esaia vate appellatur) ***Dei Patris, admirabilis consiliarius, Deus fortis, Pater futuri seculi, Princeps pacis,*** per Evangelistas & Apostolos præscripta, & à Spiritu Sancto, *Spiritu sapientiæ & intellectus, Spiritu consilii & fortitudinis, Spiritu scientiæ & pietatis* ut ab eodem vate didicimus, obsignata. *Quæcunque* autem in sacris literis *scripta sunt, ea nobis ad doctrinam & instructionem scripta esse*, Apostolus docet. Nec causam mihi dicent, quam ob causam diversarum legum ista, quam dico, æquissima temperatio, quæ ad conservandam civilem societatem & pacem publicam pertinet, non debeat esse in Imperio nostro quàm commendatissima, quum ea in sacra Scriptura non tantum præscripta, sed & mandata sit, & à sanctis insuper Patribus Ecclesiæ primitivæ comprobata. Eâ re motus in id unicè incubui, ut in hac mea Collectione utriusque partis præceptiones conceptissimis verbis præsentarem; nec sciens volensque fefelli, nec verò etiam reliqui, ut haberet, quod in me desiderare jure meritoque alterutra posset; nisi forte hoc ipsum, quòd tàm bona fide cum ambabus egerim. Aliquis unus Orbilius aut Priscianus Magister, qui subitò tanquam ἀπὸ τῆς μηχανῆς ex imo subsellio exortus illotis manibus audet Sacra Imperii Romani tractare, literulas aliquas aut syllabulas, quas carpat, desubitato meo subleget sermoni; fidem ipsam & verimoniam, nisi calumniosè, accusare poterit nemo. Quod utinam pari eademque sinceritate Consiliarii atque Judices interpretationem harum constitutionum & justitiam exercerent, tum demùm earum communio ad muniendam Imperii nostri Rempubl. plurimum valeret, satisque momenti ac roboris & jam haberet, & quotidie magis magisque acceptura esset. Nunc quum & ratio jaceat, & negligatur æquitas, solumque jus status, quod vocant, in considerationem veniat, sanè sapere Imperium & valere nullo modo potest. Est enim ratio legum civilis, quæ in officio populum universum continet, & unicuique jus suum ea lance tribuit ut destrictâ potestate sua nihil remittat. Æquum autem & bonum ad æternæ justitiæ exemplar sese conformat, mentemque scripto opponens τὴν διάνοιαν magis legum quàm τὸ ῥητὸν amplectitur magisq; ad sententiam earum quàm verba spectat atque nititur, quum nec *scire leges hoc sit, verba earum tenere, sed vim ac potestatem*, ut eleganter Celsus ait ***in l. 17. D. de Legib.*** eumq; secutus Ulpianus ***in l. 6. §. 1. D. de V. S.*** Eaque est summa ratio & sapientia boni Magistratus, commoda civium defendere, non divellere, atque omnes æquitate eadem continere. Ratio autem civilis, quæ Lex dicitur, summum imperium constituit: quod cùm summi juris sit, summam quoque injuriam inferre perveteri prudentum verbo monemur. Clementia ergo atque æquitate, quæ est justitiæ maximè propria, temperandum est, nec ex callido versutoq; jure res judicari oportet. Hoc autem interpretandi & temperandi jus in sapienti moderatione Principum, & Assessorum Cameræ Imperialis & Judicii Aulici situm est, qui nomine Imperatoris publicæ salutis causa convictis condemnatisque Imperii statibus, sociis, civibus, nonnumquam supplicii gratiam faciant, & acceptam injuriam, sine gentis aut Religionis invidia, Reipublicæ atque patriæ condonent, sicuti Romanos legimus, Horatium parricidam ob merita sua in Rempubl. & maxima & recentia capitis absolvisse; & subjectis quandoque

Regibus, Principibus, Civitatibus humaniter elementerque indulsisse. Et de civibus quidem puto regulam juris communis natam illam, quæ ex Modestino refertur in l. ad bestias, 31. D. de pœnis, *damnatos, si ejus meriti sint, ut dignè populo Romano exhiberi possint, à Præside, consulto Imperatore, absolvi debere*: de civibus, inquam, excellentibus ac benemeritis; sed quæ boni publici causa multò esse in ipsis Statibus verior intelligatur. Quam æquitatis plenissimam moderationem ne S. Rom. Imperii fidelium querelæ in temperamento pacis publicæ (quæ nostris moribus duplex esse cœpit, Prophana & Religiosa) desiderare meritò possint, cura, ut in annuis suis Conventibus provideant, Serenissimis Reverendissimisque Electoribus, tamquam (ut habent Legis verba) *solidis Imperii basibus & columnis immobilibus*, ab Imperatore sacratissimo demandata, atque adeò ab ipsamet lege delata est: neque hoc tantum, verùm etiam ut operam dent, si προσωποληψία eorum mentes obsedisse, quorum hæc res est in manu, publicis vocibus accusetur, ut eorum conatibus communi consilio obviam eatur. Nonne enim hæc Cæsaris est voluntas in l. 12. Aur. Bullæ? cujus hæc verba: *pro bono & salute communi*, exfertim illos tangunt, redarguunt & criminantur, qui contra utilitatem publicam & ordinatum Reipubl. statum aliquid moliri, adumbratam excusationem de lege prætendentes, conantur. Cujusmodi præsumptores, quia non bonum publicum, sed jus conservandi status, quod Itali appellant, *la ragione dello stato*, propositum habere videntur, jure atque meritò in Imperialibus passim Constitutionibus, tamquam injusti usurpatores, damnari solent. Quin & Philosophi docent, hoc jus esse à Tyrannis inventum, ad æqui bonique instar, quibus pro ratione soleat esse voluntas, & hoc in virtute positum, ut nihil pensi habeant, dum modò captam semel potestatem porrò firment ac muniant, quocunque more ac modo leges, quibus ipsi causa Imperii se solutos arbitrantur, explanent & quò volunt, animusque dictat, pro libidine trahant ac traducant: quippe queis lex summa sit, propriæ dominationis commodum. At Aristidas simulant, & Dionysia vivunt, qui æquitatem prætendunt, ut jus fervent status: inter quæ duo tantum interest, quantum inter publicum & privatum esse potest. Illud enim ad rem publicam, quam unam respicit ac considerat, refertur; hoc à publicis rationibus totum aversum est, commodisque solùm propriis, quibus avidè inhiat, intentum est. Quamobrem leges in hanc finem latas cur non Tyrannicas appellemus, occidit causa: leges, dicam, insidiarum laqueis implicitas, quæ & paucis quibusdam consulunt, & quatenus moribus publicis æstimantur accommodatæ, tantisper feruntur, dum earum conditoribus visum fuerit, qui hoc unum quærunt, ut præstare ac florere possint: neque cogitant, frequentem legum & constitutionum mutationem, ruinam esse Reipublicæ. Quæ Respubl. cùm ex tribus hominum generibus constet, quorum quidam boni, virtutis honore; alii minùs boni, studio divitiarum; plures mali, formidine pœnæ, peccare timent; legum quoque custodiam in tribus præcipuè consistere Philosophi voluerunt. Principium in justa honoris distributione constituitur, quæ tum demùm rectè atque ordine fieri autumatur, si summa cum gloria ei, qui legum dicto est audiens nullo religionis respectu, honos meritus adscribatur. Hinc res atque utilitates, quas referret multò maximas cumulari in legum observantes, non omittendæ sunt, & bene præclareque meritis tradendæ: sed suæ cuique utilitati, quod sine alterius injuria fiat, serviendum est. Hæc enim est ipsarum legum voluntas: ad quarum postremò dignitatem ab injuriis vindicandam timor pœnæ, quam sequi oportet earum transgressores & prævaricatores, jungendus est tantò plenius & effusiùs, quanto ipsa delicta acriùs severiusque à Legumlatoribus corripiuntur, districtè minantibus, numquam se gratiam facturos. Sed hæc pœna judicio arbitrioque Principum virorum, quanta quoque modo videbitur, feretur. Et hi quidem tres custodes sunt, quos Philosophi posuere. Præter quos, qui ratione præpostera legibus atque constitutionibus dare alios gliscit, prorsus infrunitè mihi facere videtur: & qui verò aliquem ex his tribus omittendum censet, is omninò rudis est omnisque imperandi artis expers atque ignarus, aut non dubiè Tyrannum agit, qui Reipublicæ studeat incubare.

Quod malum, ne faucibus Germaniæ nostræ aliquando imminere possit, in certissimam libertatis avitæ pestem, & juris à majoribus parti exitium, S. Rom. Imperii Electores consiliis atque opibus suis caveri, eâ, quam minus dudum diximus, lege tenentur. In quorum ordine quoniam summum studium atque cura est officii tui, PRINCEPS ELECTOR, cujus Vicariam in Sacro Imperio potestatem Saxonica regna & Septemtrionales populi latissimè agnoscunt, idque unum in votis habent, ut tacita desideria sua comiter excipias, nun parum tua dignitas valere debet atque potest cùm apud ipsum Cæsarem, cum cæteros Collegas tuos, ad sanctionum Imperialium, earum cum primis, quæ pacem publicam attinent, auctoritatem conservandam. *Nam* tametsi, ut verissimè à Paulo J C. scriptum

est,

est, *salutem Reipubl. tueri, nulli magis creditur convenire, nec alium sufficere ei rei, quam Cæsarem*, tamen constat nostris moribus Cæsarem cum Electorum Collegio divisum quodammodo Imperium habere. Et quidem Palatini (ut de cognitione ejus ac judicio, quod in ipsum habet Imperatorem, nihil nunc commemorem) atque Saxonis eò major superiorque potestas est, quò dignius, excellentius magnificentiusque cæteris officium fortiti sunt. Quemadmodum enim Cæsari & in eum à populo jus Imperatorium lege Regia, quam fingunt, concessum atque translatum est, ita vobis & in vos perpetuum jus Vicatium ab universis Imperii Statibus eadem lege datum & collatum: ut rectiùs atque ordine, (meo quidem animo) INTERREGES HEREDITARII appellemini. Quorum potestas, licet vacante demùm regno pleniùs sese & absolutiùs exserat, tamen in ipso etiam regno virium quasi quasdam scintillas vobis in ejus provisione leges reliquerunt. Quæ causa fuit, quamobrem hanc secundam Collectionem Imperialium, Regiarum & Electoralium constitutionum, de rebus Imperii sancitarum, ad Serenitatem Tuam, PRINCEPS ELECTOR, mittere, & in templo justitiæ tuæ suspendere decreverim, ut super iis unà pariter cum Serenissimo Collega tuo in commune consulas, & ubi consulueritis, de iisdem juxta sanctissimam muneris vestri à legibus delati gratiam cum Sacra Cæsarea Majestate agatis, eamque ope consilio juvetis, ut auctoritate Imperatoria eas, quæ nonnihil ab usu recessisse videntur, commoda interpretatione restituat; quæ obrepserunt atque furtivæ sunt, cujusmodi nonnullas in hac Collectione esse à Pontificibus Romanis confictas manifestariò oppressimus, tollat; quæ publicis decretis abrogatæ, nullas esse jubeat; quæ verò gratæ in vulgus & in usum bonumque publicum necessariæ sunt, quæve ut vim atque vigorem obtineant, res communis postulat, nova sanctione corroboret, confirmet, in universoque Imperio exerceri procuret. Hæ vestrorum amborum partes sunt, quæ nisi procedant, stare in vigiliis debent, quandoquidem Vicariorum officium sublimem celsissimamque oculorum veluti speculam desiderat: partes nimirum vobis ab universis Ordinibus datæ atque concessæ, ut super querelis populorum & incommodis publicis, quæ ad vos faciliùs quàm ad ipsum Cæsarem penetrare solent, Majestatem ejus de sententia & voluntate Aureæ Bullæ, aliarumque S. Rom. Imperii Ordinationum, certiorem faciatis, & enixè admoneatis, ut malis calamitatibusque ingruentibus cavere, &, cognitis querelis, Imperialis potestatis suæ plenitudinem interponere velit. Quo pacto ex legum præscripto Majestati ejus esse præstò tenemini, operamque dare, ne quid Respublica detrimenti capiat. Qua de re cùm alibi à me plenâ (quod dici solet) manu dissertetur, plura hoc loco commemorare supersedeo. Illud non æquè censeo prætereundum in tanta muneris vestri dignatione salutis nostræ pacisque publicæ spem ac fiduciam, post Deum & Imperatorem, longè nos maximam habere, persuasissimosque esse, vos ut officio, ita animo fore conjunctos, &, quam veri collegii virtutem esse sapientissimus Romanorum voluit, idem velle atque idem nolle. Equidem Serenitatem Tuam facturam confido, ut sicuti priorem Collectionem fuisse gratam adversus Serenissimum Collegam tuum, Deo & Serenitati ejus gratias habui, eadem gratia & placiditate secundum istum Tomum accipiat. Quem in sacrario tuo nunc depositum Serenitati tuæ dico atque consecro, ut quantum debet paci publicæ, quantum concordiæ Ecclesiasticæ, quantum caritati Christianæ, tantum patrocinio tuo opus istud commendatum esse velit, quò adversarii intelligant, nihil tibi Reipubl. studio potius, nihil pace communi antiquius, nihil denique majus esse emolumento patriæ. Quam tuam sanctissimam voluntatem ut Deus Optimus Maximus ad nominis sui gloriam, Ecclesiæ utilitatem, & commodum Imperii Romani, in te perficiat, Serenissimique nominis tui annos atque Fratres æternare velit, id eum votis meis veneror precorque,

SERENISS. CELSITUD. T.

Devotus

MELCHIOR HAIMINSFELDIUS GOLDASTUS.

CATA-

CATALOGUS
CONSTITUTIONUM HOC II. TOMO
CONTENTARUM.

37. *Ejus-*

Cæsa-

CARO-

CONSTANTINI III. BRITANNI, IMPERATORIS AVGVSTI, CONSTITVTIO

DE COMITIIS IMPERIALIBVS ANNVATIM IN VRBE *Arelatensi celebrandis.*

Anno Christi 411.

CONSTANTINVS IMP. AVG. VIRO INL. AGRICOLÆ GALLIARVM PRÆFECTO.

SALVBERRIMA magnificentiæ tuæ suggestione, inter reliquas Reipub. vtilitates euidenter instructi, obseruanda Prouincialibus nostris, id est, per septem prouincias, mansura in æuum auctoritate decreuimus, quod sperari plane ab ipsis Prouincialibus debuisset. Nam cum propter priuatas ac publicas necessitates, de singulis ciuitatibus, non solum de prouinciis singulis, vel honoratos confluere, vel mitti Legatos, aut possessorum vtilitas, aut publicarum ratio exigat functionum: maxime opportunum & conducibile iudicamus, vt seruata posthac quotannis singulis consuetudine, in constituto tempore in Metropolitana, id est, in Arelatensi vrbe, incipiant septem prouinciæ habere Concilium, in quo plane tam singulis quam in commune consulimus. Primum vt optimorum conuentu sub Illustri præsentia Præfecturæ (si id tamen ratio publicæ dispositionis obtulerit) saluberrima de singulis rebus possent esse consilia: tamen quicquid tractatum fuerit & discussum ratiociniis constitutum, nec latere potiores prouincias poterit, & parem necesse est inter absentes æquitatis formam iustitiæque seruari. Hoc plane præter necessitates publicas, etiam humanæ conuersationi non parum credimus commoditatis accedere, quod in Constantina vrbe iubemus annis singulis esse Concilium. Tanta est enim loci opportunitas, tanta est copia commerciorum, tanta illic frequentia commeantium, vt quicquid usquam nascitur, illic commodius distrahatur. Neque enim vlla prouincia ita peculiari fructus sui fœlicitate lætatur, vt non, nisi hæc propria Arelatensis soli, credatur esse fœcunditas. Quicquid enim diues Oriens, quicquid odoratus Arabs, quicquid delicatus Assyrius, quicquid Aphrica fertilis, quicquid speciosa Hispania, quicquid fertilis Gallia potest habere præclarum, ita illic exuberat, quasi ibi nascantur omnia, quæ vbique constant esse magnifica. Iam vero decursus Rhodani, & Toroni recursus, necesse est vt vicinum faciant, ac pene conterminum, vel quod iste præterfluit, vel ille quod circuit. Cum ergo huic seruiat ciuitati, quicquid habet terra præcipuum, ad hanc vel naui vel vehiculo, terra, mari, flumine deferatur, quicquid singulis nascitur. Quemadmodum non multum sibi Galliæ nostræ præstitum credant, cum in eadem ciuitate præcipiamus esse Conuentum, in quo, diuino quodam munere, commoditatum & commerciorum opportunitas tanta præstatur. Siquidem hoc rationabili plane probatoque consilio iam & vir inlustris *Præfectus* * Patronius obseruari debere præceperit, quod interpolatum vel incuria temporum, vel desidia Tyrannorum separari solita prudentiæ nostræ auctoritate decreuimus. Agricola parens charissime atque amantissime, vnde illustris magnificentia tua & hanc præceptionem nostram, & priorem sedis suæ dispositionem sequuta, id per septem prouincias in perpetuo faciet costodiri, vt ab Idibus Augustis, quibuscunque mediis diebus in Idus Septembris, in Arelatensi vrbe, nouerint honorati vel possessores iudices singularum prouinciarum, annis singulis Concilium esse seruandum, ita vt de Nouempopulana & secunda Aquitanica, quæ prouinciæ longius constitutæ sunt, si eorum occupatio certa retinuerit, sciant Legatos iuxta consuetudinem esse mittendos. Qua prouisione plurimum & Prouincialibus nostris gratiæ nos intelligimus vtilitatisque præstare, & Arelatensis vrbis, cuius fidei, secundum testimonia atque suffragia parentis patriciique nostri, multa debemus, non parum adiicere nos constat ornatus. Sciat autem magnificentia tua, quaternis auri libris iudicem esse mulctandum, ternis honoratos vel Curiales, qui ad constitutum locum intra definitum tempus venire distulerint.

Iuxta formam huius Pragmaticæ sanctionis annuus iste conuentus à Carolo M. Moguntiam translatus est: inde à Friderico I. Imp. Francofurdiam, & Missas Bartholomæi vocata. Nundinæ ergo propter Conuentum imperialem institutæ: quæ postea, intermisso Conuentu, illæ durauerunt usque ad electionem schismaticam Caroli IV. qui quod Francofordiani Gunthero Imp. adhærerent Nundinas Moguntiam reuocauit, quibus Guntherus Fridbergenses Nundinas Paschales substituit. Sed Carolus in Imperio confirmatus vtrasque & Moguntinas autumnales & Fridbergenses vernales postea Francofordiæ restituit & confirmauit. Porro de hac Constit. vide Sauaronem Comment. in Sidon. lib. 1. epist. 11. & Ph. Bertium Pithanωn diatrib. 1. c. 3.

* fort. Petronius.

FARAMVNDI PRIMI
FRANCORVM REGIS
LEGES SALICAE,

AnnoChristi 424.

* qui locus hodie Saltsburg, ad Salam fluuiũ in Franconia olim Salehem in pago Salico.

In Comitiis quondam * Salizensibos per Francos & eorum Proceres decretæ: & per Regem postea cum eisdem Francis & toto cœtu Populi confirmatæ & sancitæ, Anno Domini CCCCXXIV.

TIT. I.
De Maniere.

1. SI quis ad mallum legibus dominicis mannitus fuerit, & non venerit: si eum sunnis non detinuerit, DC. denariis, qui faciunt solidos XV. culp. iud.

2. Ille vero qui alium mannit, si non venerit, & eum sunnis non detinuerit, ei quem mannivit, similiter DC. den. qui faciunt sol. XV. componat.

3. Ille autem qui alium mannit, cum testibus ad domum illius ambulet, & sic eum manniat, aut vxorem illius, vel cuicunq; de familia illius denunciet, vt ei faciat notum, quomodo sit ab illo mannitus.

4. Nam si in iussione regis fuerit occupatus, manniri non potest.

5. Si vero infra pagum in sua tatione fuerit, potest manniri, sicut superius dictum est.

II. De furtis porcorum.

1. Si quis porcellum lactantem furauerit de hranne prima aut de mediana, & inde fuerit conuictus, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. capitali & dilatura.

2. Si vero in tertia hranne furauerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis porcellum de sude furauerit, quæ clauem habet, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si quis porcellum in campo inter porcos ipso porcario custodiente furauerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. exc. cap. & dil.

5. Si quis porcellum furauerit, qui sine matre viuere potest, XL. den. qui faciunt solidum I. culp. iud. exc. cap. & dil.

6. Si quis scrouam subbatit in furto, hoc est, porcellos à matre subtrahit, CCLXXX. den. qui faciunt sol. VII. culp. iud. exc. cap. & dilat.

7. Si quis scrouam cum porcellis furauerit, DCC. den. qui faciunt sol. XVII.S. culp. iud. exc. cap. & dilat.

8. Si quis porcellum anniculum furauerit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

9. Si quis porcum bimum furauerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. excepto cap. & dil.

10. Si quis tertussum porcellum furauerit vsque ad anniculatum CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

11. Si quis vero porcum post anniculatum furauerit, DC. den. qui fac. sol. XV. culp. iud. exc. c. & dil.

12. Si quis verrum furauerit, DCC. den. qui faciunt sol. XVII.S. culp. iud. exc. cap. & dil.

13. Si quis scrouam ducariam furauerit, DCC. den. qui fac. sol. XVII.S. culp. iud. exc. cap. & dil.

14. Si quis maialem sacriuum, qui dicitur votiuus, furauerit, & hoc cum testibus ille, qui eum perdidit, potuerit adprobare, quod sacriuus fuisset, DCC. den. qui fac. sol. XVII.S. culp. iud. exc. cap. & dil.

15. Si quis maialem non sacriuum furauerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. exc. cap. & dil.

16. Si quis tres porcos vel amplius vsque ad sex capita furauerit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

17. Si quis de grege XV. porcos furauerit, & reliqui ibi remanserint, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

18. Si quis XXV. porcos furauerit, & de grege illo amplius non fuerit, IID. den. qui faciunt sol. LXII.S. culp. iud. exc. cap. & dil.

19. Si autem aliqui ex iisdem porcis supra XXV. porcos remanserint, & non fuerint furati, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

28. Si vero L. porcos furauerit, & aliqui remanserint, IID. den. qui faciunt sol. LXII.S. culp. iud. exc. cap. & dil.

III. De furtis animalium.

1. Si quis vitulum lactantem furauerit, CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

2. Si quis anniculum animal, aut bimam vitulam furatus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis vaccam cum vitulo furauerit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si quis vaccam sine vitulo furauerit, ICC. den qui faciunt sol. XXX. culp. iud. exc. cap. & dil.

5. Si quis vaccam domitam furauerit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

6. Si quis bouem furauerit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

7. Si quis taurum gregem regentem furauerit, qui de tribus villis communes vaccas tenuerit, hoc est, trespellius, IDCCC. den. qui faciunt sol. XLV. culp. iud. excepto cap. & dil.

8. Si quis taurum furauerit, qui vnum gregem regit, & iunctus nunquam fuit, ICCCC. den. qui faciunt sol. XXXV. culp. iud. exc. cap. & dil.

9. Si

9. Si quis bimum taurum furauerit, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

10. Si quis taurum regis furauerit, IIIDC. den. qui faciunt sol. xc. culp. iud. exc. cap. & dil.

11. Si quis XII. animalia furauerit; vt nec vnum quidem animal ex eis remanserit, IID. den. qui faciunt sol. lxII. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

12. Si autem XII. furauerit, & insuper aliqua remanserint, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dilatura. Et vsque ad xxv. vno iudicio terminantur.

13. Si quis xxv. animalia furauerit, & insuper aliqua remanserint, IID. den. qui faciunt sol. lxII. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

IV. De furtis ouium.

1. Si quis agnum lactantem furauerit, VII. den. culpabilis iudicetur, excepto cap. & dil.

2. Si quis anniculum vel bimum berbicem furauerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si vero II. aut III. furauerit, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil. qui numerus usque ad xl. beruices obseruetur.

4. Si vero L. berbices aut lx. vel amplius furauerit; IID. den. qui faciunt sol. lxII. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

V. De furtis caprarum.

1. Si quis capritum siue capram, aut duas capras vel tres furatus fuerit cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iudicetur, excepto cap. & dil.

2. Si vero supra tres capras furauerit, DC. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis buccum furauerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

VI. De furtis canum.

1. Si quis canem Seusium furauerit, aut occiderit, qui magister sit, IDCCC. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iudicetur, excepto cap. & dil.

2. Si quis vero Seusium reliquum, aut Veltrem porcarium, siue Veltrem leporarium, qui & Argutarius dicitur, furatus fuerit vel occiderit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis vero canem custodem domus siue curtis, qui in die ligari solet, ne damnum faciat; post solis occasum solutum furatus fuerit vel occiderit, DC. den. qui fac. sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si quis vero canem pastoralem furatus fuerit, vel occiderit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

VII. De furtis auium.

1. Si quis acceptorem de arbore furauerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culpabilis iudicetur, exc. cap. & dil.

2. Si quis acceptorem de pertica furauerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis acceptorem intra clauem repositum, furauerit, IDCCC. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si quis sparuarium furauerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

5. Si quis anserem domesticum aut anetam furauerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

6. Si quis gallum aut gallinam furauerit, vel cygnum aut gruam domesticam, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

7. Si quis turturem de reti alterius aut quamlibet auiculam de quolibet laqueo vel decipula furatus fuerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

VIII. De furtis arborum.

1. Si quis pomarium siue quamlibet arborem domesticam extra clausuram exciderit, aut furatus fuerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culpabilis iud. exc. cap. & dil.

2. Si quis vero pomarium aut quamlibet arborem domesticam infra clausuram exciderit, aut furatus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Hanc quoque legem & de viribus furatis obseruari iussimus.

4. Si quis in silua alterius matriamen furatus fuerit, aut incenderit, vel concapulauerit; aut ligna alterius furauerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

IX. De furtis apium.

1. Si quis vnum vas apium deintro claue aut sub tecto furauerit, IDCCC. den. qui faciunt sol. xlv. culpabilis iud. exc. cap. & dil.

2. Si quis vnum vas cum apibus, vbi amplius non fuerit, furauerit, IDCCC. denar. qui faciunt sol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis vnum vas cum apibus inter alia vasa sub tecto aut sub claue furauerit, caussam superius comprehensam conuenit obseruari.

4. Si quis vero vnum vas cum apibus foris tectu, vbi amplius non fuerit, furauerit, caussam superius comprehensam componat.

5. Si quis ex plurimis vsq; ad sex vasa foris tecto furauerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

6. Si vero septem aut amplius furauerit, & adhuc aliqua remanserint, IDCCC. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

7. Si autem ſeptem aut amplius furauerit, ita vt nulla remaneant, ıdccc. den, qui faciunt ſol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

X. De damno in meſſe vel in qualibet clauſura.

1. Si quis animal, aut caballum, vel quodlibet pecus in meſſe ſua inuenerit, penitus eum lædere non debet.

2. Quod ſi fecerit, & confeſſus fuerit, capitale in locum reſtituat, ipſum vero debile quod percuſſit, ad ſe recipiat.

3. Si vero confeſſus non fuerit, & inde fuerit conuictus, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si quis animal aut caballum aut iumentum in furto punxerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

5. Si quis in meſſe ſua, pecora aliena inuenerit, quæ paſtorem non habeant, & ea incluſerit, & nulli penitus innoteſcat, & aliqua ex ipſis pecoribus perierint, ıcccc. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

6. Si quis animal vel quodlibet pecus per ſuam negligentiam nocuerit, & hoc domino eius confeſſus fuerit, capitale in locum reſtituat, & illud debile ad ſe recolligat.

7. Si vero negauerit, ſed tamen conuictus fuerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. c. & dil.

8. Si alicuius porci aut quælibet pecora paſtore cuſtodiente in meſſem alienam cucurrerint, & ille negando fuerit conuictus, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

9. Si qua pecora propter damnum meſſis alienæ incluſa fuerint, aut mingentur, qui ea executere vel expellere præſumpſerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

10. Si alicuius pecora propter damnum incluſa fuerint, damnum æſtimatum reddat, & inſuper, x. den. perſoluat.

11. Si quis propter inimicitiam aut propter ſuperbiam ſepem alienam aperuerit, aut in meſſem, aut in pratum, vel in vineam ſiue in quemlibet laborem quælibet pecora miſerit, & teſtibus fuerit conuictus, ei cuius labor eſt, æſtimationem reddat, & inſuper, ıcc. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iud.

XI. De ſeruis vel mancipiis furatis.

1. Si quis ſeruum aut ancillam alterius furauerit, ıcccc. den. qui faciunt ſol. xxxv. culpabilis iud. exc. cap. & dil.

2. Si ſeruus aut ancilla cum ipſo ingenuo de rebus domini ſui aliquid portauerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. exc. cap. & dilat. atque cauſam, quam ſuperius diximus, culpabilis iudicetur.

3. Si quis ſeruum alienum occiderit aut vendiderit, vel ingenuum dimiſerit, ıcccc. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si quis homo ingenuus alienum ſeruum in texaga ſecum duxerit, aut aliquid cum eo negociauerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

5. Si quis ſeruum aut ancillam valentem ſol. xv. aut xxv. furauerit, aut vendiderit, ſeu porcarium, aut fabrum, ſiue vinitorem, vel molinarium, aut carpentarium, ſiue venatorem, aut quemcunque artificem, ııdccc. den. qui faciunt ſol. lxx. culp. iud. exc. cap. & dil.

6. Si quis puerum aut puellam de miniſterio dominorum furauerit, ı. den. qui faciunt ſol. xxv. in capitale reſtituat, & inſuper mille cccc. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud.

XII. De furtis ingenuorum vel infracturis.

1. Si quis ingenuus foris caſa quod valet duos den. furauerit, dc. den. qui faciunt ſol. xv. culpabilis iud. exc. cap. & dil.

2. Si vero foris caſa quod valet xl. den. furauerit, ıcccc. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis ingenuus caſam effregerit, & quod valet duos den. furauerit, ıcc. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si vero v. aut ſupra v. den. furauerit, ıcccc. den. qui faciunt ſol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

5. Si quis ingenuus clauem effregerit aut adulterauerit, & ſic domum ingreſſus fuerit, & inde aliquid per furtum tulerit, ıdccc. den. qui faciunt ſol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

6. Si vero nihil tulerit, ſed fugiens euaſerit, propter effracturam tantum, ıcc. den. qui faciunt ſol. xxx. culpabilis iud.

XIII. De furtis ſeruorum.

1. Si quis ſeruus foris caſa quod valet duos den. furauerit, & inde conuictus fuerit, aut flagellis, cxx. ictus accipiat, aut pro dorſo ſuo, cxx. den. qui faciunt ſol. III. culp. iud.

2. Si vero furauerit quod valet xl. den. aut caſtretur, aut ccxl. den. qui faciunt ſol. vı. reddat. Dominus autem ſerui, qui furtum fecerit, capitale in locum reſtituat.

XIV. De ingenuis hominibus, qui ingenuas mulieres rapiunt.

1. Si tres homines ingenuam puellam de caſa aut de ſcreona rapuerint, vnuſquiſque eorum ıcc. den. qui faciunt ſol. xxx. culp. iudicetur.

2. Illi vero alii qui ſuper tres fuerint, vnuſquiſque eorum cc. den. qui faciunt ſol. v. culpab. iudicetur.

3. Qui

3. Qui cum sagittis fuerint, vnusquisque eorum, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.

4. Raptor vero IID. den. qui faciunt sol. lxII S. culp. iud.

5. Si vero puella quæ trahitur, in verbo regis fuerit, propter fredum, IID. den. qui faciunt lxII S. cogatur persoluere.

6. Si vero puer regis vel litus ingenuam fœminam traxerit, de vita componat.

7. Si vero ingenua fœmina quenque de illis sua voluntate secuta fuerit, ingenuitatem suam perdat.

8. Si quis sponsam alienam tulerit, & sibi in coniugium copulauerit, IID. den. qui faciunt sol. lxII S. culp. iud.

9. Sponso autem eius, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

10. Si quis puellam, quæ druchte ducitur ad maritum, in via adsalierit, & cum ipsa violenter mœchatus fuerit, VIII. den. qui faciunt sol. cc. culp. iud.

11. Si quis ingenuus ancillam alienam in coniugium acceperit, ipse cum ea in seruitium implicetur.

12. Si quis uxorem alienam viuo marito tulerit, VIII. den. qui faciunt sol. cc. culp. iud.

13. Si quis cum ingenua puella per virtutem mœchatus fuerit, IID. den. qui faciunt sol. lxII S. culp. iud.

14. Si quis cum ingenua puella desponsata ea consentiente in occulto mœchatus fuerit, IVCCC. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud.

15. Si quis lidam alienam in coniugium sociauerit, ICC. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iud.

16. Si quis sororis, aut fratris filiam, aut certe alterius gradus consobrinam, aut fratris vxorem, aut auunculi, sceleratis nuptiis sibi iunxerit, huic pœnæ subiaceat, vt à tali consortio separetur. Atque etiam si filios habuerint, non habeantur legitimi hæredes, sed infamia sint notati.

XV. De eo qui hominem ingenuum expoliauerit.

1. Si quis hominem ingenuum in superuentu expoliauerit, IID. den. qui faciunt sol. lxII S. culpabilis iudicetur.

2. Si Romanus homo Francum expoliauerit, IID. denar. qui faciunt sol. lxII S. culp. iud.

3. Si vero Francus Romanum expoliauerit, ICC. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iud.

4. Si quis hominem præceptum regis habentem contra ordinationem regis adsalire, vel viæ lacinam ei facere præsumpserit, VIII. den. qui faciunt sol. cc. culp. iud.

5. Si quis hominem ingenuum dormientem furtu expoliauerit, IV. den. qui faciunt sol. c. culp. iud. except. capitali & dilatura.

XVI. De eo qui villam alienam adsalierit.

1. Si quis villam alienam adsalierit, ipse & omnes qui conuicti fuerint, quod in eius contubernio fuissent, IID. den. qui faciunt sol. lxII S. vnusquisque ipsorum culp. iud.

2. Si quis villam alienam adsalierit, & ibidem ostia fregerit, canes occiderit, vel homines plagauerit, aut in carro aliquid inde abduxerit, VIII. den. qui faciunt sol. cc. culp. iud. & quicquid inde abstulerit, in locum restituat.

3. Et quanticunque in eius contubernio fuisse conuicti fuerint, vnusquisque illorum, IID. den. qui faciunt sol. lxII S. culp. iud.

XVII. De eo qui mortuum hominem expoliauerit.

1. Si quis hominem mortuum antequam in terram mittatur furtu expoliauerit, IIII. den. qui faciunt sol. c. culp. iud.

2. Si quis hominem mortuum effoderit, & expoliauerit, VIII. den. qui faciunt sol. cc culp. iud. Et postea parentes defuncti iudicem rogare debent, vt inter homines non habitet auctor sceleris, & qui ei hospitium dederit, antequam parentibus satisfaciat, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

3. Si quis mortuum hominem aut in nosso, aut in petta, quæ vasa ex vsu sarcophagi dicuntur, super alium miserit, IIU. den. qui faciunt sol. lxII S. culp. iud.

4. Si quis aristatonem super hominem mortuum capulauerit, de vnoquoque DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

XVIII. De incendiis.

1. Si quis casam quamlibet intus hominibus dormientibus incenderit, ei cuius casa fuit, IID. den. qui faciunt solidos, lxII S. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dilatura. Et quanticunque intus fuerint, & euaserint, mallare eum debent, & vnicuique illorum, IID den. qui faciunt sol. lxII S. componat, & quicquid ibi perdiderint, in locum restituat. Et si aliquis intus arserit, ille qui incendium misit, parentibus defuncti VIII. den. qui faciunt sol. cc. culp. iud.

2. Si quis spicarium aut macholum cum annona incenderit, IID. den. qui faciunt sol. lxII S. culp. iud. excepto capitali & dilatura.

3. Si quis sudem cum porcis, scuriam cum animalibus, vel fenile incenderit, IID. denar. qui faciunt sol. lxII S. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dilatura.

4. Si quis concisam vel sæpem alterius capulauerit, vel incenderit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

XIX. De vulneribus.

1. Si quis voluerit alterum occidere, & colpus ei fallierit, vel cum sagitta toxicata eum percutere voluerit, & ei ictus fallierit, IID. denar. qui faciunt sol. lxII S. culpabilis iudicetur.

2. Si quis hominem in capite ita plagauerit, vt sangois ad terram cadat, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

3. Si quis hominem in capite ita plagauerit, vt inde tria ossa exeant ICC. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iod.

4. Si quis hominem in capite ita plagauerit, vt cerebrum appareat, & tria ossa desuper cerebrum exierint, IDCCC. den. qui faciunt sol xlv. culp. iud.

5. Si vero intra costas vulnus intrauerit & vsque ad intrania peruenerit, ICC. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iud.

6. Si vero plaga ipsa semper currit, & ad sanitatem non peruenerit, IID. den. qui faciunt sol. lxII S. culp. iud. excepta medicatura, quæ est ccclx. den. qui faciunt sol. IX.

7. Si quis ingenuus ingenuum fuste percusserit, & tamen sanguis non exierit vsque ad tres culpos, pro vnoquoque ictu cxx. den. qui faciunt sol. III. soluat.

8. Si vero sanguis exierit, ita componat, veluti eum de ferramento vulnerasset, id est, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

9. Si quis alterum clausa manu, id est, pugno percusserit, ccclx. den. qui faciunt sol. IX. culp. iud. videlicet vt pro vnoquoque ictu, III. sol. reddat.

10. Si quis alterum in via adsalierit, & expoliare tentauerit, & ille fuga euaserit, ICC. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iud.

11. Si vero ceperit eum & expoliauerit, IID. qui faciunt sol. lxII S. culp. iod. exc. cap. & dil.

XX. De eo qui hominem innocentem & absentem ad regem accusauerit.

1. Si quis hominem innocentem & absentem de culpis minoribus ad regem accusauerit, IID. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iudicetur.

2. Si vero tale crimen imputauerit, vnde mori debuisset, si verum fuisset, ille qui eum accusauerit, VIII. den. qui faciunt sol. cc. culp. iud.

XXI. De maleficiis.

1. Si quis alteri herbas dederit bibere, & mortuus fuerit, VIII. den. qui faciunt sol. cc. culp. iud.

2. Si vero biberit, & mortuus non fuerit, IID. den. qui faciunt sol. lxII S. ille qui dedit pro aliquo maleficio, culp. iud.

3. Si quis alteri aliquod maleficium superiactatus fuerit, siue cum ligaturis in quolibet loco miserit, IID. den. qui faciunt sol. lxII S. colp. iud.

4. Si quis mulieri herbas dederit, vt infantes habere non possit, IID. qui faciunt solidos lxII S. culp. iud.

XXII. De eo qui mulieri ingenua manum strinxerit.

1. Si quis homo ingenuus fœminæ ingenuæ manum aut digitum strinxerit, DC. den. qui faciont sol. xv. culp. iud.

2. Si vero brachium strinxerit, ICC. den. qui faciunt sol. xxx culp. iud.

3. Si autem super cubitum manum miserit, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. iud.

4. Si ergo mamillam strinxerit, IDCCC. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud.

XXIII. De eo qui nauem sine permissu domini mouerit aut furauerit.

1. Si quis sine permissu nauem alienam mouere præsumpserit, & cum ea flumen transierit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.

2. Si vero ipsam nauem furauerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis nauem vel ascum de intro clauem furauerit, ICCCC den. qui faciunt sol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si quis ascum de intro clauem repositum, & in suspenso pro studio positum furauerit, IDCCC. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

XXIV. De furtis in molino commissis.

1. Si quis ingenuus in molino alieno annonam furauerit, ei cuius molinus est, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. ei vero cuius annona est similiter, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dilat.

2. Si quis ferramentum de molino alieno furauerit, IDCCC. den. qui faciont sol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

3. Si quis selusam de farinario alieno ruperit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

XXV. De caballo sine permissu domini sui ascenso.

1. Si quis caballum sine permissu domini sui ascenderit, & eum caballicauerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. Et pro eo quia descenderit, similiter aliis, DC. denar. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

XXVI. De

XXVI. De his qui pueros vel puellas occiderint, vel totonderint.

1. Si quis puerum infra duodecim annos siue crinitum, siue incrinitum occiderit, XXVIII. den. qui faciunt sol. DC. culp. iud.

2. Si quis puerum crinitum sine voluntate parentum totonderit, IDCCC. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud.

3. Si vero puellam totonderit, IID. den. qui faciunt sol. lxii. s. culp. iud.

4. Si quis fœminam grauidam occiderit, XXVIII. den. qui faciunt sol. DCC. culpabilis iudicetur.

5. Si quis infantem in ventre matris suæ, aut natum antequam nomen habeat, infra VIIII. noctes occiderit, IIII. denar. qui faciunt sol. c. culp. iud.

6. Si quis puellam ingenuam infra annos, antequam infantes possit habere, occiderit, VIII. den. qui faciunt sol. cc. culp. iud.

7. Si quis fœminam ingenuam postquam infantes cepit habere, occiderit, XXIIII. den. qui faciunt sol. DC. culp. iud.

8. Si quis fœminam postquam infantes habere non potuerit, occiderit, VIII. den. qui faciunt sol. cc. culp. iud.

9. Si quis puer infra duodecim annos aliquam culpam commiserit, fredus ei non requiratur.

XXVII. De adulteriis ancillarum.

1. Si quis ingenuus cum aliena ancilla mœchatus fuerit, DC. denar. qui faciunt sol. xv. culpabilis iudicetur.

2. Si quis vero cum regis ancilla mœchatus fuerit, Icc. den. qui faciunt sol. xxx. culpabilis iud.

3. Si quis Francus alienam ancillam sibi publice iunxerit, ipse cum ea in seruitio permaneat.

4. Si seruus cum ancilla aliena mœchatus fuerit, & de ipso crimine mortua fuerit, seruus ipse aut castretur, aut ccxl. den. qui faciunt sol. vi. culp. iud. dominus vero serui capitale in locum restituat.

5. Si autem ancilla propter hoc mortua non fuerit, seruus ipse aut cxx. ictus accipiat, aut cxx. den. qui faciunt sol. iii. domino ancillæ cogatur persoluere.

6. Si quis seruus ancillam alienam sine voluntate domini sui sibi in coniugium copulauerit, cxx. den. qui faciunt sol. iii. culp. iud. aut cxx. ictus accipiat.

XXVIII. De libertis dimissis.

1. Si quis lidum alienum, qui cum domino suo in hoste fuerit, sine consilio domini sui ante regem per denarium ingenuum dimiserit, IIII. den. qui faciunt sol. c. culp. iud. res vero ipsius lidi legitimo domino restituantur.

2. Si quis seruum alienum ante regem per denarium ingenuum dimiserit, Icccc. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. iud. & capitale in locum restituat, & res serui ipsius proprius dominus recipiat.

XXIX. De furtis diuersis.

1. Si quis tintinnum de porcina aliena furauerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

2. Si vero de pecoribus tintinnum furauerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.

3. Si quis skellam de caballis furauerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

4. Si quis pedicam de caballis furauerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.

5. Si caballi ipsi perierint, capitale in locum restituat.

6. Si quis messem alienam per furtum metere, aut ressare præsumpserit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

7. Si quis hortum alienum ad furtum faciendum ingressus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

8. Si quis impotos de miliario, aut de pyrario tulerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.

9. Si vero in horto fuerint, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

10. Si quis miliarium aut pyrarium decorticauerit, cxx den. qui faciunt sol. III. culp. iud.

11. Si vero in horto fuerint, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

12. Si quis cultellum alienum furauerit, DC. den. qui faciunt sol xv. culp. iud.

13. Si quis in napinam, in fabariam, in pisariam, in lenticulariam, vel in his similia ad furtum faciendum ingressus fuerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.

14. Si quis in campo alieno linum furauerit, & hoc in caballo aut in carro duxerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

15. Si vero tantum tulerit, quantum in dorso suo portare potuerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. ext. cap. & dil.

16. Si quis in agro alieno arborem insertam exciderit, Icc. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iud.

17. Si quis campum alienum arauerit & seminauerit, IDCCC. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud.

18. Si vero tantum arauerit, & non seminauerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

19. Si quis aratrum in campum alienum intrare perbibuerit, vel arantem foras iactauerit vel testauerit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

20. Si quis pratum alienum secauerit, laborem suum perdat, & insuper DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

21. Et si inde fœnum ad domum suam in carro duxerit, & discargauerit, ɪᴅccc. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

22. Si vero tantum tulerit, quantum in dorso suo portare potuerit, cxx. den. qui faciuot sol. ɪɪɪ. culp. iud. exc. cap. & dilat.

23. Si quis vineam alienam per furtum vindemiauerit, ᴅc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

24. Et si inde vinum in carro ad domum suam adduxerit, & discargauerit, ɪᴅccc. den. qui faciunt sol. xl. culp. iud. exe. cap. & dil.

25. De messibus autem similiter conuenit obseruare.

26. Si quis clausuram alienam ruperit, ᴅc. den, qui faciunt sol. xv. culp. iud.

27. Si quis in sylua materiamen alienum aut incenderit aut capulauerit, ᴅc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

28. Si quis materiamen de vna parte dolatum furauerit cxx. den. qui faciunt sol. ɪɪɪ. culp. iud.

29. Si quis arborem post annum quam fuerit signata, capulare præsumpserit, nullam exinde habeat culpam.

30. Si infra annum quis eam capulauerit, cxx. den. qui faciunt sol. ɪɪɪ. culp. iud.

31. Si quis rete ad anguillas capiendas de flumine furauerit, ᴅccc, den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud.

32. Si quis statuam aut tremaclum vel vertuolum de flumine furauerit, ᴅc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

33. Si quis screonam, quæ clauem habet, effregerit, & aliquid furauerit, ɪᴅccc. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud.

34. Et si inde nihil tulerit, pro sola effractura ᴅc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

35. Si vero screonam, quæ sine claue est, effregerit, ᴅc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iod.

36. Si quis cum seruo alieno sine consensu domini sui aliquid negociauerit, ᴅc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

37. Si quis mulieri brachile furauerit, cxx. den. qui faciunt sol. ɪɪɪ. culp. iud.

38. Si quis casam alienam sine permissu possessoris traxerit, ɪcc. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iud.

XXX. De locationibus.

1. Si quis furtim aliquem locauerit, vt hominem interficiat, & pretium propter hoc dederit, ɪɪᴅ. den. qui faciunt sol. lxɪɪ S. culp. iud.

2. Similiter & ille qui pretium accepit, vt hominem occideret, ɪɪᴅ. den. qui faciont sol. lxɪɪ. S. culp. iud.

3. Si vero per tertium locatio ipsa fuerit transmissa, ɪɪᴅ den. qui faciunt sol. lxɪɪ. S. culp. iud. Sic dans, accipiens, portans, vnusquisque illorum culp. iud.

XXXI. De debilitatibus.

1. Si quis alteri manum aut pedem truncauerit, vel oculum effoderit, aut auriculam vel nasum amputauerit, ɪɪɪɪ. den. qui faciunt sol. c. culp. iud.

2. Si vero manus ipsa ibidem mancata pependerit, ɪᴅccc. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud.

3. Si manus ipsa perexcussa fuerit, ɪɪᴅ. den. qui faciunt sol. lxɪɪ. S. culp. iud.

4. Si quis pollicem de manu vel pede excusserit, ɪᴅccc. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud.

5. Si vero ipse pollex mancatus pependerit, ɪcc. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iud.

6. Si secundum digitum, quo sagittatur, excusserit, ɪcccc. den. qui faciunt sol. xxxv. culpabilis iudicetur.

7. Si quis tres sequentes digitos pariter vno ictu excusserit, ɪᴅccc. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud.

8. Si quis medium digitum excusserit, ᴅc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

9. Si quis quartum digitum excusserit, ᴅc. den. qui faciunt sol xv. culp. iud.

10. Si minimum excusserit, pariter ᴅc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

11. Si quis pedem alterius capulauerit, & ibi mancatus remanserit, ɪᴅccc. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud.

12. Si vero pes ipse perexcussus fuerit, ɪɪᴅ. den. qui faciunt sol. lxɪɪ. S. culp. iud.

13. Si quis alteri oculum euellerit, ɪɪᴅ. den. qui faciunt sol. lxɪɪ. S. culp. iud.

14. Si nasum excusserit, ɪᴅccc. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud.

15. Si auriculam excusserit, ᴅc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iod.

16. Si quis linguam alterius amputauerit, vt loqui non possit, ɪɪɪɪ. den. qui faciunt sol. c. culp. iud.

17. Si dentem excusserit, ᴅc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

18. Si quis ingenuus ingenuum castrauerit, aut virilia truncauerit, vt mancus fiat, ɪɪɪɪ. den. qui faciunt sol. c. culp. iud.

19. Si vero ad integrum tulerit, vɪɪɪ. den. qui faciunt sol. cc. culp. iud.

XXXII. De

XXXII. *De conuiciis.*

1. Si quis alterum cenitum clamaverit, dc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.
2. Si quis alterum concagatum clamaverit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.
3. Si quis alterum vulpiculam clamaverit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.
4. Si quis alterum leporem clamaverit, ccxl. den. qui faciunt sol. VI. culp. iud.
5. Si quæ mulier ingenua aut vir mulierem meretricem clamaverit, & non poterit adprobare, sol. xlv. culp. iud.
6. Si quis alteri imputaverit, quod scutum suum proiecisset in hoste, vel fugiendo præ timore, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.
7. Si quis alterum delatorem clamaverit, & non potuerit comprobare, dc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.
8. Si quis alterum falsatorem clamaverit, & non potuerit comprobare, dc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

XXXIII. *De via lacina.*

1. Si quis Baroni viam suam obstauerit, aut eum impinxerit, dc. qui faciunt sol. xv. culpabilis iudicetur.
2. Si quis mulieri ingenuæ viam suam obstauerit, vel eam impinxerit, Idccc. den. qui faciunt sol. xlv. culp iud.
3. Si quis viam quæ ad farinarium ducit, clauserit, dc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

XXXIV. *De eo qui hominem ingenuum sine causa ligauerit.*

1. Si quis hominem ingenuum sine causa ligauerit, Icc. denar. qui faciunt sol. xxx. culpabilis iudicetur.
2. Si vero eum ligatum in aliquam partem duxerit, Idcc. den. qui faciunt solidos xlv. culpabilis iudicetur.
3. Si Romanus Francum ligauerit sine causa, Icc. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iud.
4. Si autem Francus Romanum ligauerit sine causa, dc. den. qui faciunt sol. xv. culp iud.
5. Si quis hominem noxium ligatum per vim tulent grafioni, vitam suam redimat.

XXXV. *De Venationibus.*

1. Si quis de diversis venationibus aliquid aut furaverit aut celaverit, Idcc. den qui faciunt sol. xlv. culp. iud. quam legem tam de venationibus quam & de piscationibus convenit observare.
2. Si quis cervum domesticum, signum habentem aut occiderit aut furaverit, qui ad venationem faciendam mansuetus factus est, & cum testibus comprobare dominus eius potuerit, quod eum in venatione habuisset, & cum ipso duas aut III. feras occidisset, Idccc. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud.
3. Si quis cervum domesticum, qui in venatione adhuc non fuit, aut occiderit aut furaverit, Icccc. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. iud.
4. Si quis cervum, quem alterius canes moverunt aut lassauerunt, occiderit & celaverit, dc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.
5. Si quis aprum lassum, quem alieni canes moverunt, occiderit, vel furaverit, dc. den. qui faciunt sol. xv culp. iud.

XXXVI. *De sepibus.*

1. Si quis tres virgas, cum quibus sepes superligata est, vel retortas, quibus sepes continetur, capulaverit, aut tres cambortas excruicauerit, dc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.
2. Si quis per alienam messem postquam germina produxerit, herpicem traxerit, aut cum carro sine via transient, cxx. den. qui faciunt sol. III. culpabilis iudicetur.
3. Si quis per messem alienam postquam in culmum erigitur, sine via cum carro transierit, dc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.
4. Si quis per malum ingenium in curtem alterius, vel in casam, vel vbicunque miserit aliquid, quod furatum est, nesciente domino cuius possessio est, & ibidem inventum fuerit, ille qui per malum ingenium hoc miserit, IId. den. qui faciunt sol. lxII. s. culp. iud.

XXXVII. *De homicidiis seruorum vel ancillarum.*

1. Si quis servus servum aut ancillam sibi consimilem occiderit, homicidam illum domini inter se dividant.
2. Si quis ingenuus servum alienum adsalierit, & expoliaverit, & convictus fuerit, quod ei plus quam xl. denar valeant, tulisset, Icc. den. qui faciunt sol. xxx. culpabil. iudicetur.
3. Si vero minus quam xl. den. valent, tulerit, dc. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.
4. Si quis servum alienum flagellavarit, & in xl. noctibus operare non potuerit, xl. denar. qui faciunt sol. I. & trianti vno quod est tertia pars solidi, culpabilis iudicetur.
5. Si quis homo ingenuus lidum alienum expoliaverit, Icccc. den. qui faciunt sol. xxxv. culpabilis iudicetur.

6. Si

6. Si quis servum alienum mortuum per furtum expoliaverit, & spolia ipsa plusquam xl. denar. valeant. 1cccc. den. qui faciunt. sol. xxxv. culp. iud.

7. Si autem spolia minus quam xl. den. valeant. DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

8. Si servus ingenuum hominem occiderit, ipse homicida pro medietate compositionis hominis occisi parentibus tradatur, aliam medietatem dominus servi se noverit soluturum, aut si legem intellexerit, potuerit se obmallare ut leudem non solvat.

XXXVIII. De quadrupedibus si hominem occiderint.

1. Si quis homo à qualibet pecude domestica fuerit occisus, & hoc parentes illius testibus potuerint comprobare, quod dominus pecudis antea legem non adimpleverit, medietatem compositionis dominus ipsius quadrupedis cogatur exolvere: ipsum vero quadrupedem, qui est auctor criminis, pro medietate compositionis restituat requirenti, eo videlicet modo si dominus quadrupedis non intellexerit secundum legem se defendere.

XXXIX. De vestigio minando.

1. Si quis bovem aut caballum vel quodlibet animal sibi furatum perdiderit, & eum per vestigium sequendo fuerit consecutus infra tres noctes, & ille qui eum ducit, se comparasse aut cambiasse dixerit, vel proclamaverit, ille qui per vestigium sequitur res suas, debet per tertiam manum adhramire. Si vero iam tribus noctibus exactis, qui res suas quæsierit, & invenerit, ille apud quem inveniuntur, si eas emisse aut cambiasse se dixerit, liceat ei adhramire. Quod si ille qui per vestigium sequitur, quod se agnoscere dicit illo alio reclamante per tertiam manum adhramire noluerit, nec solem secundum legem culcaverit, sed ei violenter quod se agnoscere dicit, tulisse convincitur, 1cc. den. qui faciunt. sol. xxx. culp. iud.

XL. De caballis furatis.

1. Si quis caballum, qui carrucam trahit, furaverit, 1DCCC. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

2. Si quis Vvaranionem homini Franco furaverit, 1DCCC. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud. exc. capitali & dil.

3. Si quis caballum spadatum furaverit, 1cccc. den. qui faciunt sol. xxxv. culp. iud. exc. cap. & dil.

4. Si quis Vvaranionem regis furaverit, IIIDC. den. qui faciunt sol. xc. culp. iud. exc. cap. & dil.

5. Si quis admissarium cum grege, hoc est, cum VII. aut XII. equabus furaverit, IID. qui faciunt sol. lxII. S. culp. iud. exc. cap. & dil.

6. Si autem de grege minus fuerit usque ad VI. capita, & pretium & causam superius intimatam convenit observare.

7. Si quis puledrum anniculum vel bimum furaverit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud. exc. cap. & dil.

8. Si vero sequentem poledrum furaverit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud. exc. cap. & dil.

9. Si quis iumenta aliena tribatterit, & evaserint, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iud.

10. Si autem mortua inde fuerint, 1cc. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iud.

11. Si quis prægnantem equam furaverit 1DCC. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud.

12. Si quis iumentum aut caballum furaverit 1cccc. den. qui faciunt sol. xlv. culp. iud. exc. cap. & dil.

13. Si quis admissarium alienum sine consensu domini sui spadaverit, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. iudicetur, & per unum quodque iumentum, quæ illæ continere consueverat, triaen componat, quod est tertia pars solidi, id est XII. denarii, & tertia pars unius denarii.

14. Si quis per superbiam aut inimiciam, caballos aut iumenta aliena tribatterit, vel debilitaverit, 1cc. den. qui faciunt sol. xxx. culp. iud.

15. Si quis caballum alienum sine consensu domini sui excurtaverit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.

16. Si quis caballum alienum excorticaverit, cxx. den. qui faciunt sol. III. culp. iud.

XLI. De his qui aliena mancipia sollicitauerint.

1. Si quis mancipium alienum sollicitaverit, & convictus fuerit, DC. den. qui faciunt sol. v. culp. iud.

2. Si quis servum alienum plagiaverit, id est, per circumventionem de servitio domini sui abstraxerit, & trans mare sive in quamlibet regionē ipsum duxerit, & ibidem à domino suo inventus fuerit, & ipsum à quo in patria plagiatus est, in mallo publico nominaverit, & tres ibidem testes dominus habere debet, & iterum cum servus ipse citra mare vel de qualibet regione fuerit revocatus, in altero mallo debet nominare, qui eum plagiaverit, & ibidem similiter tres testes debent adesse. Ad tertium vero mallum similiter fieri debet, ut novem testes iurent quod servum ipsum æqualiter semper super plagiatorem dicere audissent. Sic postea qui eum plagiaverit, 1cccc. den. qui faciunt sol. xxxv. culpabilis iudicetur, excepto capitali & dil. ea tamen ratione ut nomina hominum & villarum æqualiter per totos tres mallos debeat nominare.

3. Si

3. Si quis hominem ingenuum plagiauerit, vel vendiderit, & postea in patriam reuersus fuerit, IIII. den. qui faciunt sol. c. culp. iud.

4. Si quis hominem ingenuum vendiderit, & postea in patriam ad propria reuersus non fuerit, VIII, den. qui faciunt sol. cc. culp. iud.

XLII. De seruo qui de furto fuerit interpellatus.

1. Si cuius seruus de furto fuerit interpellatus, si talis causa est vnde ingenuus DC. den. qui faciunt sol. xv. componere debeat, seruus super scamnum tensus cxx. ictus accipiat.

2. Si vero antequam torqueatur, fuerit confessus, & domino eius ita placuerit, cxx. den. qui faciunt sol. III. pro dorso suo reddat, & capitale dominus serui in locum restituat.

3. Si autem talis culpa fuerit, de qua ingenuus, ICCCC. den. qui faciunt sol. xxxv. componere debeat, similiter seruus cxx. ictus accipiat tensus.

4. Et si in ipso supplicio fuerit confessus, aut castretur, aut ccxl, den. qui faciunt sol. VI. soluat, dominus vero serui capitale in locum restituat requirenti.

5. Et si seruus confessus non fuerit, & ille qui eum torquet, adhuc ipsum seruum torquere voluerit, etiam nolenti domino serui pignus donare debet, & ipsum seruum ad maiora supplicia retinere. Et si postea seruus ad maiora supplicia traditus confessus non fuerit, qui eum torquebat, ipsum habeat, Dominus vero serui de quo iam pignus acceperat, pretium pro ipso seruo suo suscipiat.

6. Si vero supra dominum seruus confessus fuerit, nunquam credatur.

7. Si vero maiori crimine seruus inculpatus fuerit, de quo ingenuus ıDCCC. den. qui faciunt sol. xlv. posset culpabilis iudicari, & inter supplicia confessus fuerit, capitali sententia feriatur.

8. Si autem seruus de quolibet crimine inculpatus fuerit, & dominus serui ipsius præsens adfuerit, ab eo qui repetit, admoneatur, vt seruum suum ad iusta supplicia dare non differat, & qui repetit, virgas paratas habere debet, quæ in similitudinem minimi digiti grossitudinem habeant, & scamnum paratum habere debet, vbi seruum ipsum tendere possit.

9. Quod si dominus serui supplicia distulerit, & seruus præsens fuerit, continuo ipse qui repetit, domino serui solem collocet, & ad septem noctes placitum concedat, ut seruum id supplicia tradat.

10. Si infra septem noctes seruum ad supplicia distulerit tradere, solem ei iterato, is qui repetit, collocet, & sic iterum ad alias septem noctes placitum tribuat, id est, vt XIV. noctes à prima admonitione compleantur.

11. Quod si impletis XIV. noctibus seruum noluerit ad supplicia dare, omnem causam & compositionem dominus in se excipiat, hoc est, vt si talis causa fuerit, de qua ingenuus DC. den. qui faciunt sol. xv. componere debeat, tantum ipse dominus serui reddat.

12. Si vero maior culpa fuerit de qua ingenuus IDCCC. den. qui faciunt sol. xlv. componere debeat, & dominus seruum non præsentauerit, ipsum numerum solidorum reddat & capitale in locum restituat.

13. Quod si adhuc maior culpa fuerit, quæ seruo requiritur, dominus serui non vt seruus, sed vt ingenuus totam legem super se soluturus accipiat.

14. Si autem seruus absens fuerit, dominum serui, is qui repetit, secretius admonere debet, vt seruum suum infra septem noctes præsentem faciat, quod si non fecerit, tunc repetens solem illi cum testibus collocet, & si infra alias septem noctes ipsum seruum non præsentauerit, iterum repetens cum testibus solem ei collocet, & tertia vice adhuc septem noctes placitum illi concedat, id est, vt totus numerus ad viginti & vnam noctem perueniat. Quod si post tria placita seruum noluerit ligatum ad supplicia dare, & per singula placita solem ei collocauerit, tunc dominus serui omnem repetitionem, sicut superius diximus, non vt seruus, sed quasi ingenuus hoc commisisset, talem compositionem repetenti restituat.

15. Si vero ancilla in tali crimine inculpatur, de quo seruus castrari debuerat, ccxl. den. qui faciunt sol. VI. si conuenit, dominus reddat, aut ccxl. ictus accipiat flagellorum.

XLIII. De homicidiis ingenuorum.

1. Si quis ingenuus Francum aut hominem barbarum occiderit, qui lege Salica viuit, VIII. den. qui faciunt sol. cc. culp. iud.

2. Si vero eum in puteum aut sub aquam miserit, XXIIII. denar. qui faciunt sol. DC. culp. iud.

3. Si autem de ramis, vel de hallis, aut de qualibet re eum cooperuerit aut incenderit, XXIIII. denar. qui faciunt solid. DC. culp. iud.

4. Si quis eum occiderit qui in truste dominica est, XXIIII. denar. qui faciunt sol DC. culp. iud.

5. Si vero in puteum aut sub aquam miserit, aut de hallis vel de ramis eum cooperuerit aut incenderit, LXII. denar. qui faciunt sol. IDCCC. culp. iud.

6. Si quis Romanum hominem conuiuam regis occiderit, XII. den. qui faciunt sol. ccc. culp. iudicetur.

7. Si Romanus homo possessor, id est, qui res in pago vbi commanet, proprias possidet, occisus fuerit, is qui eum occidisse conuincitur, IIII. den. qui faciunt sol. c. culp. iud.

8. Si quis Romanum tributarium occiderit, IDCCC, denar. qui faciunt sol. xlv, culp. iud.

9. Si

9. Si quis hominem iouenerit in quadriuio ſine manibus & ſine pedibus, quem inimici ſui detruncatum dimiſerint, & eum vita priuauerit ſeu perceciderit, IIII. den. qui faciunt ſol. c. culp. iud.

10. Si quis hominem ingenuum in puteum aut in pelagus, aut in quodlibet præcipitium, vbi periculum mortis eſſe poſſit, impinxerit, & ille qui proiectus eſt quodlibet modo ab eodem periculo viuus euaſerit, ille qui eum impinxerit, IIII. denar. qui faciunt ſol. c. culp. iud.

11. Si autem qui præcipitatus eſt mortuus fuerit, tota leude ſua componatur. Atque ita vnaquæque perſona quæ maiori minoriue compoſitione componi debuerat, ſi de præcipitio periculum mortis euaſerit, medietate leudis ſuæ componatur, qua componi debuerat ſi mortuus fuiſſet; nam & ſi mortuus fuerit, vnusquisque ſecundum modum leudis ſuæ componat.

12. Si quis hominem ingenuum cuilibet ſocio ſuo de quolibet crimine accuſauerit, & per eius commotionem ſiue mendacium, ille qui accuſatus eſt, occiſus fuerit, ſi ei adptobatum fuerit, medietate leudis eius componat, ille vero qui eum occidit, ſecundum legem pleniter eum componat.

XLIIII. De homicidiis à contubernio factis.

1. Si quis collecto contubernio hominem ingenuum in domo ſua adſalierit, & ibidem tum occiderit, XXIIII. den. qui faciunt ſol. DC. culp. iud.

2. Si vero in truſte dominica, ille qui occiſus eſt, fuerat, LXXII. denar. qui faciunt ſol. IDCCC. culp. iud.

3. Quod ſi corpus occiſi hominis tres plagas vel amplius habuerit, tres qui inculpantur, & quod in eo contubernio fuiſſent conuincuntur, legem ſuperius comprehenſam ſingulatim cogantur exoluere. Alii vero tres de eodem contubernio, IIIDC. den. qui faciunt ſol. XC. vnusquisque illorum culp. iud. Et tres adhuc in tertio loco de eodem contubernio, IDCCC. den. qui faciunt ſol. XLV. ſinguli eorum cogantur exoluere.

4. Si vero Romanus vel lidus in tali contubernio occiſus fuerit, huius compoſitionis medietas ſoluatur.

XLV. De homicidiis in conuiuio factis.

1. Si in coouiuio vbi quatuor aut quinque fuerint homines, vnus ex ipſis interfectus fuerit, illi qui remanent aut unum conuictum reddant, aut omnes mortis illius compoſitionem coniectent, quæ lex vſque ad ſeptem qui fuerint in conuiuio illo conuenit obſeruari.

2. Si vero in illo conuiuio plus quam ſeptem fuerint, non omnes teneantur obnoxii, ſed quibus fuerit imputatum illi ſecundum legem componant.

3. Si quis foris caſa ſiue iter agens ſeu in agro poſitus à contubernio fuerit occiſus, & tres vel amplius habuerit plagas, tres de eodem contubernio, qui conuicti fuerint ſingillatim mortis illius compoſitionem componant, & tres alii de ipſo contubernio ICC. denar. qui faciunt ſol. XXX. vnusquisque illorum culpab. iud. Et tres adhuc alii de ipſo contubernio, DC. den. qui faciunt ſol. XV. ſinguli eorum culp. iud.

XLVI. De reippis.

1. Si quis homo moriens viduam dimiſerit, & eam quis in coniugium voluerit accipere, antequam eam accipiant Tunginus aut Centenarius mallum indicent, & in ipſo mallo ſcutum habere debent, & tres homines cauſas tres demandare, & tunc ille qui viduam accipere vult, cum tribus teſtibus qui adptobare debent, tres ſolidos æque penſantes & denarium habere debet, & hoc factu ſi eis conuenit, viduam accipiat.

2. Si vero iſta non fecerit, & ſic eam acceperit, illi cui reippus debetur, SID. den. qui faciunt ſol. LXII. S. culp. iud.

3. Si autem quæ ſuperius diximus omnia ſecundum legem impleuerit, & tres ſol. & denarium ille cui reippus debetur acceperit, tunc eam legitime accipiat.

4. Hoc diſcernendum videtur, cui reippus debeatur.

5. Si nepus fuerit ſorotis filius ſenior, ille reippum accipiat.

6. Si vero nepus non fuerit, neptis filius ſeniot ille accipiat.

7. Quod ſi neptis filius non fuerit, conſobrinæ filius qui ex materno genere venit, ipſe accipiat.

8. Si autem nec conſobrinæ filius fuerit, tunc auunculus frater matris reippum accipiat.

9. Si vero auunculus non fuerit, tunc frater illius, qui ipſam mulierem ante habuerat, ſi in hæreditatem defuncti fratris, id eſt, mariti mulieris illius venturus non eſt, ipſe reippum accipiat.

10. Quod ſi nec ipſe fuerit, tunc qui proximior fuerit poſt ſuperius nominatos, qui ſingillatim ſecundum parentillam dicti ſunt vſque ad ſextum genuculum, ſi in hæreditatem illius mariti defuncti non accedat, ipſe reippum accipiat.

11. Si autem nullus niſi poſt ſextum genuculum proximus fuerit, in fiſcum ipſe reippus vel cauſa quæ inde orta fuerit, colligatur.

XLVII. De eo qui villam alienam occupauerit, vel ſi duodecim menſibus eam tenuerit.

1. Si quis ſuper alterum in villam migrare voluerit, & aliqui de his qui in villa conſiſtunt eum ſuſcipere voluerint, & vel vnus ex ipſis extiterit, qui contradicat, migrandi licentiam ibidem non habeat.

2. Si vero contra interdictum unius vel duorum in ipsa villa consedere præsumpserit, tunc interdictor testari debet illi cum testibus, ut infra decem noctes inde exeat, & si noluerit, iterum ad ipsum cum testibus veniat, & testetur illi, ut infra alias decem noctes secedat. Quod si noluerit, iterum tertio placito, ut infra decem noctes exeat, denunciet. Si vero xxx. noctes impletæ fuerint, & nec tunc voluerit exire, statim illum manniat ad mallum, & testes suos qui ad ipsa placita fuerunt secum præstos habeat. Si autem ipse cui testatum est venire noluerit, & cum aliqua sunnis non detinuerit, & secundum legem suptadictam testatus fuerit, tunc ipse qui ei testatus est super fortuna sua ponat, & grafionem roget, ut accedat ad locum, & ipsam inde expellat, & si ibi aliquid elabotavit, quia legem noluit audire amittat, & insuper Icc. den. qui faciunt sol. xxx. culp. jud.

3. Si vero quis alium in villam alienam migrare rogaverit, antequam conventum fuerit, IDCCC. den. qui faciunt sol. xlv. culp. jud.

4. Si autem quis migraverit in villam alienam, & ei aliquid infra xII. menses secundum legem contestatum non fuerit, securus ibidem consistat sicut & alii vicini.

XLVIII. De afatomia.

1. Hoc convenit observare ut tunginus vel centenarius mallum indicent, & scutum in ipso mallo habeat, & tres homines causastres demandare debent in ipso mallo, & requiratur postea homo qui ai non pertinet, & sic festucam in laisum jactet, & ipsi in cujus laisum festucam jactaverit, dicat verbum de fortuna sua quantum ei voluerit dare, postea ipse in cujus laisum festucā jactaverit, in casa ipsius manere & hospites tres suscipere, & de facultate sua, quantum ei datur, in potestate sua habere debet, & postea ipse cui creditum est, ista omnia cum testibus collectis agere debet. Postea aut ante regem, aut in mallo legitimo illi cui fortunam suam deputavit, ei reddere debet, & accipiat postea festucam in mallo ipso ante duodecim menses ipse quem hæredem deputavit in laisum suū jactet, & nec minus, nec majus, nisi quaotum ei creditum est. Et si contra hoc aliquid dicere voluent, debent tres testes jurati dicere quod ibi fuissent in mallo ubi tunginus vel centenarius indixerunt, & quod vidissent hominem illum, qui fortunam suam dedit in laisum illius quem jam elegerat. Festucam jactare & nominare illum debent, qui fortunam suam in laisum electi jactavit, necnon & illum in cujus laisum festucam jactavit, & hæredem appellavit, similiter nominent, & alteri tres testes jurati debent dicere quod in casa illius hominia qui fortunam suam donavit, ille in cujus laisum festucam jactavit, ibidem mansisset, & hospites tres vel amplius collegisset, & pavisset, & ei ibidem gratias egissent, & in beudo suo pultes manducassent, & testes collegissent, ista omnia alii tres testes jurati dicere debent, quoniam in mallo legitimo vel ante regem ille qui accepit in laisum suum fortunam in mallo publico, hoc est, aote theada vel tunginum fortunam illam quem hæredem appellavit publice coram omnibus festucam in laisum ipsius jactasset, & hæc omnia oovem testes debent adfirmate.

XLIX. De filtortis, hoc est, qualiter homo furatas rès intertiare debet.

1. Si quis qui lege Salica vivit servum aut ancillam, caballum vel bovem seu jumentum, seu quamlibet tem suam sub alterius potestate agnoverit, mittat eam in tertiam manum, & ille apud quem agnoscitur debet adbtamire, & si intra Ligerim aut Carbonariam ambo manent, & qui agnoscit & apud quem agnoscitur, in noctes quadraginta placitum faciant, & in ipso placito quanticunque fuerint qui rem intertiatam vendiderint aut cambiaverint, aut fortasse in solutionem dederint, omnes intra placitum istum commoneantur, ut unusquisque cum negociatoribus suis alter alterum admooeat. Si quis vero commooitus fuetit, & aliqua sunnis eum non detinuerit, & ad placitum venire distulent, tunc ille qoi cum eo negociavit habeat tres testes, quod enunciasset ut ad placitum venire debuisset, & alios tres similiter habeat, quod cum eo publice negociasset: hoc si fecerit, exivit se de latrocinio, ille autem qui admonitus oon venerit super quem testes juraverint, erit latro illius qui res suas agnoscit, & ei secundum legem ipsas componat, & insuper precium illi reddat qui cum eo negociavit, ista omnia ubi suus hamallus est, super quem res primitus agnita fuerit aut intertiata, fieri debeot. Quod si trans Ligerim aut Carbonariam manet ille apod quem res agnoscitur, in noctibus lxxx. lex ista custodiatur.

L. De falso testimonio.

1. Si quis falsum testimoniom præbuerit, DC. denar. qui fac. solidos xv. culpabilis judicetur.

2. Quod si aliquis alicui imputaverit quod se periurasset, & non potuerit adfirmare, DC. den. qui faciunt sol. xv. culp. jud.

3. Si alicui fuerit imputatum quod se periurasset, & hoc qui imputaverit adfirmate potuerit, tres de ipsis coniuratoribus periuri unusquisque illorum, DC. den, qui faciuot sol. xv. culp. jud.

4. Alii vero qui super ipsos tres fuerint quinis solidis culp. jud.

5. Ipse vero cui imputatum fuerit, exceptis causa vel capitali & dilatura DC. denar. qui faciunt sol. xv. culp. jud.

LI. *De testibus adhibendis.*

1. Si quis testes necessarios habuerit, & fortasse ipsi ad placitum venire uolnerint, ille qui eos necessarios habet, mannire illos debet cum testibus ad placitum, ut ea quæ sciunt jurantes dicant.

2. Si vero noluerint venire, & eos sunnis non detinuerit, unusquisque illorum DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

3. Si vero præsentes fuerint ad testimonium vocati, & noluerint jurando dicere ea quæ sciunt & forbanniti fuerint, DC. den. qui faciunt sol. XV. unusquisque illorum culp. jud.

LII. *De eo qui fidem factam alteri reddere noluerit.*

1. Si quis ingenuus aut lidus alteri fidem fecerit, tunc ille cui fides facta est, XL. noctes aut quomodo placitum fecit, quando fidem ei fecit ad domum illius cum testibus ambulare debet, vel cum illis qui precium adpreciare debent, & si noluerit fidem factam solvere DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

2. Si vero adhuc supradictum debitum solvere noluerit, debet eum sic admallare, Rogo te judex ut hominem illum denominatum gasachionem meum, qui mihi fidem fecit, de debito tali denominato secundum legem Salicam mihi inde enm adstringas. Tune judex dicere debet, Ego gasachium tuum illum in hoc mallo quod lex Salica habet. Tunc ille cui fides facta est, debet testificari fidejussori, ut nulli alteri nec solvat, nec pignus donet solutionis, antequam ei impleat unde fidem fecit. Et sic festinanter ad domum illius, qui ei fidem fecit, cum testibus accedat, & roget eum solvere debitum suum. Quod si noluerit, solem ei collocet. Et si ei solem culcaverit, tres solidos super debitum addat, & sic usque ad tres vices per tres mannitas facere debet. Ista igitur omnia facta si adhuc noluerit debita compoonere usque ad novem solidos debitum ascendat, id est, nt per singulas admonitiones, vel solem culcatum, terni solidi adcrescant. Si vero nec fidem factam in placito legitimo solvere noluerit, tunc ille cui fides facta est, ambulet ad grafionem loci illius in cujus pago manet, accipietque festucam, & dicat verbum istud. Tu grafio, rogo te quia ille homo denominatus qui mihi fidem fecit, quem legitime habeo adjactivum vel admallatum secundum legem Salicam, & ego super me, & super fortunam meam pono, quod securus mitto in fortunam illius manum, & dicat de quanta causa ei fidem fecerat. Tunc grafio congreget secum septem ragimburgios idoneos, & cum ipsis ad casam illius fidejussoris veniat, & roget eum si præsens est, Per voluntatem tuam solve homini isti, de quo ei fidem fecisti, & hoc quod debes secundum precium legitime preciatum satisfacere stude. Quod si tunc adimplere noluerit præsens, aut si absens fuerit, statim rachimburgii precium adpreciatum, quantum debitum quod debet valuerit, de fortuna illius tollant, & si fredus antea de ipsa causa non fuerat datus, duas partes ille cujus causa est ad se revocet, & grafio tertiam partem obtineat.

3. Si autem grafio ibi invitatus non venerit, & funnis eum aliqua non detinuerit, aut certa ratio dominica, & si distulerit ut ibi non ambulet, neque mittat ut cum justitia exigatur debitum, aut se redimat, aut de vita componat.

LIII. *De eo qui grafionem ad res alienas tollendas injuste invitaverit.*

1. Si quis grafionem ad res alienas injuste tollendas invitaverit antequam gasachium suum secundum legem habeat admallatum, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. jud.

2. Si vero grafio invitatus contra legem supra debitum justum aliquid amplius tulerit, aut se redimat, aut de vita componat.

LIV. *De re præstata.*

1. Si quis alteri de rebus suis aliquid præstiterit, & ei reddere noluerit, sic eum debet mallare. Cum testibus ad domum illius cui res præstavit accedat, & sic contestetur ei, Quia res meas noluisti reddere, quas tibi præstiti, in hoc eas tene nocte proxima quod lex Salica continet, & sic ei solem collocet. Si nec tune voluerit reddere, adhuc super VII. noctes similiter contestetur sicut antea fecit, ut nocte proxima secundum quod lex Salica continet res suas tenere debeat. Quod si nec tune voluerit reddere, iterum post septem alias noctes ad eum similiter cum testibus veniat & roget, ut debitum suum reddat. Ergo si tunc noluerit reddere, nec fidem facere reddendi, supra debitum quod ei præstitutum est, & super illos novem solidos, qui per tres admonitiones accreverunt, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

LV. *De manu de aneo redimenda.*

1. Si quis ad æneum mallatus fuerit, & forsitan convenerit, ut ille qui admallatus est, manum suam redimat & juratores donet, si talis causa est, de qua legitime si convictus fuisset DC. den, qui faciunt sol. XV. componere debeat, tunc CXX. den. qui faciunt sol. III. manum suam redimat.

2. Si vero plus ad manum suam redimendam dederit, fredus grafioni solvatur, tanquam si de ipsa causa convictus fuisset.

3. Si vero talis causa fuerit, de qua si convictus fuisset, MCCCC. denar. qui faciunt sol. XXXV.

debuisset

debuisset solvere, & convenit ut manum suam redimat & juratores donet, VIIII. sol. manum suam redimat.

4. Quod si amplius dederit, fredus grafioni solvatur tanquam si de ipsa causa convictus fuisset.

5. Quod si major culpa fuerit de qua LXII S. sol. solvere si convictus fuisset, deberet, & convenit ut manum suam redimat, cum sol. XV. manum suam redimat.

6. Et si amplius dederit, fredus grafioni solvatur tanquam si de ipsa causa convictus fuisset, ista redemptio usque ad leudem sic permaneat.

7. Si autem leudem alter alteri imputaverit, & eum ad aneum habet mallatum, & convenit ut manum suam redimat, & juratores donet, cum solid. XXX. manum suam redimat.

8. Et si amplius dederit fredum grafioni persolvat, tanquam si de ipsa causa convictus extitisset.

LVI. De eo qui grafionem occiderit.

1. Si quis grafionem occiderit, XXIV. den. qui faciunt sol. DC. culp. jud.

2. Si quis sagibaronem qui puer regis fuerat, occiderit, XII. den. qui faciunt sol. CCC. culp. jud.

3. Si quis sagibaronem qui ingenuus est, & se sagibaronem posuit, occiderit, XXIV. denar. qui faciunt sol. DC. culp. jud.

4. Sagibarones in singulis mallobergiis, id est, plebs quæ ad unum mallum convenire solet, plus quam tres esse non debent, etsi causa aliqua ante illos secundum legem fuerit definita, ante grafionem removere eam non licet.

LVII. De corporibus expoliatis.

1. Si quis corpus hominis mortui antequam in terram mittatur per furtum expoliaverit, IIM. denar. qui faciunt sol. LXII. S. culp. jud.

2. Si quis tumulum super hominem mortuum expoliaverit vel dissipaverit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp jud.

3. Si quis aristatonem, hoc est, staplum super mortuum missum capulaverit, aut mandualem quod est structura, sive selave, qui est ponticulus, sicut more antiquorum faciendum fuit; qui hoc destruxerit, aut mortuum exinde expoliaverit, de unaquaque de istis DC. den, qui faciunt sol. XV. culp. judicetur.

4. Si quis hominem mortuum super alium in nauso vel in petra miserit, MCCCC. den, qui faciunt sol. XXXV. culp. jud.

5. Si quis corpus jam sepultum effoderit aut expoliaverit, wargus sit, hoc est expulsus de eodem pago, usque dum cum parentibus defuncti convenerit, ut & ipsi parentes rogati sint pro eo, ut liceat ei infra patriam esse, & quicunque antea panem, aut hospitalitatem ei dederit, etiam si uxor ejus hoc fecerit, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

6. Auctor vero sceleris hujus si ipse hoc fecit & comprobatus fuerit, vel alium ad istud faciendum locaverit, VII. den. qui faciunt sol. CC. culp. jud.

7. Si quis domum in modum basilicæ factam super hominem mortuum expoliaverit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud. excep. cap. & dil.

CLODOVEI REGIS FRANCORVM AVGVSTI, CONSVLIS ROMANI AC PATRITII

DECRETIONES.

Anno Christi 490.

Faramundi Legibus Salicis addendæ, in Comitiis Aquisgranensibus Anno Imperii sui V. cum universo cœtu populi promulgatæ & postea in Theodonisvillanis Comitiis confirmatæ & pro Lege haberi jussæ.

LVIII. De incendio vel expoliatione Ecclesiæ sive homicidiis clericorum.

SI quis Ecclesiam sanctificatam, vel ubi reliquiæ sanctorum reconditæ sunt, incenderit; vel de infra ipsa ecclesia aliquam expoliationem de altari, aut de infra illam ecclesiam aliquid tulerit, VIII. den. qui faciunt sol. CC. culp. jud. exc. cap. & dil. Ex.

2. Si quis diaconem interfecerit, XII. den. qui faciunt sol. CCC. culp. jud.

3. Si quis presbyterum interfecerit, XXIIII. den. qui faciant sol. DC. culp. jud.

4. Si quis episcopum interfecerit, DCCCC. sol. culp. jud.

LIX. De eo qui ad mallum venire contempserit.

1. Si quis ad mallum venire contempserit, & quod ei à ragimburgiis judicatum fuerit implere distulerit, si nec de compositione, nec de illa lege fidem facere voluerit, tunc ad regis præsentiam ipsum mannire debet, & ibidem XII. testes esse debent, qui per singula placita jurando dicant, quod ibidem fuissent ubi rachimburgii ei judicassent, & ille decretum judicium contempsisset, iterum alii tres jurare debent quod ibidem fuissent, post illam diem in qua ei ragimburgii judicaverunt, ut aut per æneum, aut per compositionem se educeret, hoc est de illa die in XL. noctes, in mallo iterum solem culcaverit, & nullatenus legem implere voluerit, tunc eum debet mannire ante regis præsentiam in XIIII. noctes & tria testimonia jurando dicant quod eum mannisset. Quod si nec tunc venerit, & ista omnia novem testimonia conjurando quæ superius diximus, vera esse dixerint, similiter ei iterum solem culcet, & illos tres testes ibidem habeat ubi culcaverit solem, & ista omnia compleverit, qui eum admallat, & ille qui admallatur ad nullum placitum venire, nec per legem se educere voluerit, tunc rex ad quem mannitus est extra sermonem suum eum esse dejudicet, & ita ille culpabilis, & omnes res suæ erunt in fisco, aut cui fiscus dare voluerit, & quicunque ei panem dederit, aut in hospitium collegerit, etiam si uxor ejus propria sit, DC. den, qui faciunt sol. XV. culp. jud. donec omnia quæ ei legibus imputantur, secundum legem componat.

LX. De rachimburgiis qui secundum legem non judicant.

1. Si quidem rachimburgii in mallo residentes, cum causa discussa fuerit inter duos causatores admoniti ab eo qui causam requirit ut legem Salicam dicant, & si legem dicere noluerint, tunc ab eo qui causam requirit sint iterum admoniti usque in tertia vice: quod si dicere noluerint, tunc dicat ille qui causam requirit, Ego vos tangano, usque dum vos inter me & contra causatorem meum legem judicetis. Et si tunc dicendi se legem distulerint, sole culcato septem de illis unusquisque CXX. den. qui faciunt sol. III. culp. jud.

2. Et si adhuc tunc rachimburgii despexerint nec legem dicere voluerint, neque de tribus solidis compositionem facere, tunc unusquisque illorum septem, culcato sole DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

3. Similiter si comprobati fuerint legem non judicasse septem ex eis unusquisque, DC. den. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

4. Si autem rachimburgii legem judicant, & cui judicatum fuerit, hoc sustinere noluerit, & dicit contra legem judicasse sibi, & hoc comprobare non potuerit, contra unumquenque de septem rachimburgiis, DC. denar. qui faciunt sol. XV. culp. jud.

LXI. De chrene chruda.

1. Si quis hominem occiderit & in tota facultate sua non habuerit, unde totam legem implere valeat, XII. juratores donet, quod nec super terram nec subtus terram amplius de facultate non habeat, nisi quod donatum habet, postea intrare debet in casam suam, & de quatuor angulis de terra illa in pugno suo colligat, & stare in durbilo, hoc est in liminari, & intus captare & cum sinistra manu de illa terra, ultra suas scapulas jactare, super quem proximiorem parentem habet, quod si jam pater aut mater vel frater solverint, tunc super sororem matris aut super suos filios debet illam terram jactare, id est, super tres de generatione matris qui proximiores sunt, & postea in camisa discinctus, & discalciatus cum palo in manu supra sedem salire debet, ut pro medietate quantum de compositione diger est, aut quantum lex indicat illi tres solvant. Idem illi alii qui de paterna generatione veniunt, facere debent. Si vero aliquis ex illis pauperior fuerit, & non habet unde ad integrum debitum solvat, quicunque de illis amplius habet, iterum super illum chrene chruda, ille qui pauperior est jactet, & ille totam legem componat. Quod si nec ipse habuerit ut totam legem persolvat, tunc illum qui homicidium fecit, ille qui eum in fide sua habet per quatuor mallos præsentem faciat. Et si eum nullus suorum per compositionem voluerit redimere, de vita componat.

LXII. De alode.

1. Si quis homo mortuus fuerit, & filios non dimiserit, si pater aut mater superfuerint, ipsi in hæreditatem succedant.

2. Si pater aut mater non superfuerint, & fratres vel sorores reliquerit, ipsi hæreditatem obtineant.

3. Quod si nec isti fuerint, sorores patris in hæreditatem ejus succedant.

4. Si vero sorores patris non extiterint, sorores matris ejus hæreditatem sibi vendicent.

5. Si autem nulli horum fuerint, quicunque proximiores fuerint de paterna generatione, ipsi in hæreditatem succedant.

6. DE TERRA VERO SALICA NVLLA PORTIO HÆREDITATIS MVLIERI VENIAT: SED AD VIRILEM SEXVM TOTA TERRÆ HÆREDITAS PERVENIAT.

LXIII. De eo qui se de parentilla tollere vult.

1. Si quis de parentilla tollere se voluerit, in mallo ante tunginom aut centenarium ambulet, & ibi quatoor fustes alninos super caput suum frangat, & illas quatuot partes, in mallo jactare debet, & ibi dicere, ut & de juramento, & de hæreditate, & de tota illorum se ratione tollat.

2. Et si postea aliquis de parentibus suis aut moritur, aut occiditut, nihil ad eum de ejus hæreditate, vel de compositiooe pertineat.

3. Si autem ille occiditur, aut moritut, compositio aut hæreditas ejus non ad hæredes ejus, sed ad fiscum pertineat, aut cui fiscus dare voluerit,

LXIV. De charocna.

1. Si quis alteri de manu aliquid per vim tulerit aut rapuerit, rem pro capitali restituat, & insuper ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culpabilis jud.

2. Si quis homini aliquid, quod ei in tertia manu missum fuerat, pet vim tulisse convincatur, ICC. denar. qui faciunt solidos XXX. colp. jud.

LXV. De compositione homicidii.

1. Si alicujos pater occisus fuerit, medietatem compositionis filii colligant, & aliam medietatem parentes qui proximiores foerint tam de paterna, quam de materna generatione dividant.

2. Quod si de una parte vel paterna vel materna nullus proximus fuerit, portio illa ad fiscum perveniat, vel cui fiscus concesserit.

LXVI. De homine in hoste occiso.

1. Si quis hominem in hoste occiderit, triplici compositione componat, sicut in patria componere debuit, excepto si ex truste regali non fuerit ille homo.

2. Nam ex truste regali fuerit, eandem compositionem quam infra patriam facere debuit, culpabilis judicetur: hoc sunt denarii lXII. qui faciunt solidos IDCCC.

LXVII. De eo qui alterum hereburgium clamaverie.

1. Si quis alterum hereburgium clamaverit, hoc est, strioportiom, aut, qui æneum portare dicitur ubi striæ concinnont, & convincere noo potuerit, IID. den. qui faciunt sol lXII. S. culp. jud.

2. Si quis mulierem ingenuam striam clamaverit, aut meretricem, & conviocere non potuerit, aut meretricem & convincere non potuerit, VIID. den, qui faciunt sol. clxxxvII. culp. jod.

3. Si stria hominem comederit, & convicta fuerit, VIII. den. qui faciunt sol. cc. colp. jud.

LXVIII. De caballo excorticato.

1. Si quis caballum alienum sine consensu possessoris decorticaverit, & interrogatus, fuerit confessus, caballum ipsum in capite restituat.

2. Si vero negaverit & convictus fuerit, DC. den. qoi faciunt sol. XV. exc. cap. & dil. culp. jud,

LXIX. De eo qui hominem de bargo vel de furca dimiserit,

1. Si quis hominem de bargo vel de futca sine voluotate judicis demiserit, IDCCC. den. qui faciunt sol. xlv. culp. jud.

2. Si quis hominem sine consensu judicis de ramo, ubi incrocatur, deponere præsumpserit, ICC. den. qui faciunt sol. XXX. culp. jud.

3. Si quis caput hominis quod inimicus suus in palo miserit, sine permissu judicis, aut illius qui eum ibi posuit, tollere præsumpserit, DC. deo. qui faciunt sol. XV. culp. jod.

4. Si quis vivum hominem de furca dimiserit, IIII. den. qui faciunt sol. c. cap. culp. jud.

LXX. De eo qui filiam alienam quæsierit & se retraxerit.

1. Si quis filiam alienam ad conjugium qoæsierit, præsentibus suis & puellæ parentibus, & postea se retraxerit, & eam accipere noluerit, IID. qui faciunt sol. lXII. S. culpabilis judicetur.

LXXI. De terra condemnata.

1. Si quis terram alienam condemnaverit, & ei fuerit adprobatum, IID. den. qui faciunt sol. lXII. S. culpabilis judicetut.

THEODORICI GOTHI REGIS ROMANORUM

Imperare cœpit A. C. 497.

EDICTUM.

QUERELÆ ad nos plurimæ pervenerunt, intra provincias nonnullos legum præcepta calcare. Et quamvis nullus injuste factum possit sub legum auctoritate defendere. Nos tamen cogitantes generalitatis quietem, & ante oculos habentes illa, quæ possunt sæpe contingere, pro hujusmodi casibus terminandis præsentia jussimus edicta pendere: ut salva juris publici reverentia, & legibus omnibus cunctorum devotione servandis, quæ Barbari Romanique sequi debeant, super expressis articulis, edictis præsentibus evidenter cognoscant.

I. Iudex si pecuniam accepit ut male judicet.

Priore itaque loco statuimus, ut si judex acceperit pecuniam, quatenus adversum caput innocens contra leges & juris publici cauta judicaret, capite puniatur.

II. Iudex si contra statum aut fortunas cujuslibet ut sententiam proferret pecuniam acceperit.

Iudex si pecuniam contra statum aut fortunas cujuslibet ut sententiam proferret, acceperit, & ex hac re sub justa fuerit examinatione convictus, in quadruplum quod venalitatis studio accepit, exsolvat, illi profuturum contra quem redemptus docebitur tulisse sententiam.

III. Iudex si immerito à provincialibus aliquid acceperit.

Iudex quod immerito provincialibus rapuerit, amissa dignitate qua male usus est, in quadruplum reddat his duntaxat quibus immerito constat ablatum: & si defunctus fuerit, ab ejus heredibus hæc pœna poscatur.

IV. Si officium cujuslibet judicis ultra jussionem acceperit.

Officium cujuslibet judicii quod quid ultra quam justum est exegerit, in quadruplum sub fusturia pœna cogatur exsolvere iis quibus inlicite monstrabuntur ablata.

V. Si sententia non præsentibus dicatur.

Sententia non præsentibus partibus dicta nullius momenti sit, nisi adversus eum prolata docetur, qui tertio conventus & edictis solemniter inclamatus adesse contempserit.

VI. Ut ad officium & sollicitudinem judicis pertineat, quomodo in executionem mittantur judicia.

Ad officium sollicitudinemque judicis pertinet, ut ea scripto lata definiant, quæ apud se aguntur, sententia: & in executionem mitti jubeant, quod fuerit judicatum.

VII. Iudex ut discussis allegationibus vel documentis utriusque partis, verum judicet.

Iudex discussis utriusque partis suggestionibus atque documentis, id solum judicare debet, quod juri & legibus viderit convenire.

VIII. Sine judicis auctoritate nullum ingenuorum debere teneri.

Sine competentis judicis præcepto nullus ingenuorum sustineat detentionis injuriam, aut ad judicium deducatur, vel in privata habeatur cujuslibet præsumptione custodia.

IX. De his qui aliquid adversum hoc præsumpserint.

Si quis autem aliquid eorum admiserit, ad violentiæ pœnam, quæ capitalis est, se non dubitet esse rapiendum.

X. Cujuslibet rei possessorem per judicis auctoritatem debere conveniri, & expectari cognitionis eventum.

Qualemcumque cujuslibet rei possessorem conveniri judiciaria auctoritate decernimus, & exspectari semper justæ cognitionis eventus. Quod si quis qualemcumque possessorem possessione dejecerit, amissionem, pro tanta præsumptione, vel bonæ litis, incurrat, reformata scilicet possessione quam occupaverit, fructus quoque duplos pro tanta temeritate persolvat. Quod si illam possessionem occupaverit, quæ eidem minime debebatur, hanc pœnam habeat, ut & rem cum fructibus in eo statu Domino reddat invasam, & æstimationem rei pervasæ subire cogatur fisci viribus profuturam. Cujus decreti justi atque legitimi omnes per provincias judices & urbe venerabili constitutos, vel eorum officia, jubemus esse custodes: ita ut si aliquid extiterit, quo se putent exigendæ mulctæ superius comprehensæ pares esse non posse, relationem ad scrinia nostra transmittant, ut à nobis, si ratio poposcerit, districtius vindicetur.

XI. Si

XI. Si possessor pulsatus legibus non reddiderit rem petitam.

Quod si possessor pulsatus legibus, non reddiderit rem petitam, & sub cognitionis eventu adversus eum legibus fuerit lata sententia, à die qua per auctoritatem conventus est & dedit responsum, expensas litis vel sumptus victus exsolvat. Hoc remedio fiet, ut in mala causa nullum litigare delectet.

XII. De his qui per XXX. annos quamlibet rem jugiter possederint.

Qui per triginta annos quamlibet rem jugiter possidere fuerit adprobatus, neque publico, neque privato nomine patiatur aliquam penitus quæstionem. Tali autem possessori etiam auctorum, proauctorumque suorum tempora secundum leges proficere debere censemus: illud adjicientes, ut si † ultra triginta † annorum mortalis fuerit nec finita, superveniens conclusio XXX. annorum, tandem sine aliqua dubitatione consumat, quia cuivis satis credimus abundeque sufficere, intra XXX. annos & actiones suas rite componere, & eas publico judicio vel privata definitione peragere: ita ut circa pupillarem ætatem privilegia antiquis vel novellis legibus concessa serventur, vel circa eos qui ex quo competere poterant post vicesimum & quintum annum, intra tricesimum, suas legis proposuerint actiones. Cui casui quinquennii beneficium novella lege probamus adjectum. † intra † annos.

XIII. De his qui alterum quolibet crimine pulsaverint.

Qui alterum quolibet crimine putaverit accusandum, non prius audiatur, nec de exhibitione aliquid jubeatur, nisi se præmissæ inscriptionis vinculis obligarit, & istud caverit apud competentem judicem se eam pœnam subiturum, si non probaverit quod intendit, quam possit reus convictus secundum leges excipere: & usque ad eventum judicii, tam reus quam accusator æquali custodiæ forte teneantur, nisi forte aut minora sint crimina, in quibus fidejussor præberi debeat, aut reus adeo nobilis vel splendidi honoris sit, ut suæ committi debeat dignitati. Accusatores alterius quatenus audiendi.

XIV. Ut sub alterius nomine nullus accuset.

Sub alterius nomine nullus accuset, quia improbum judicamus, ut quis alienæ utilitatis vel voluntatis quasi sub specie accusationis executor existat.

XV. De percussore ad se veniente.

Qui percussorem ad se venientem ferro repulerit, non habeatur homicida, quia defensor propriæ salutis videtur in nullo peccasse.

XVI. De eo qui ad possessionem alienam violentus vadit.

Qui ad possessionem alienam violentus advenerit cum multitudine congregata, si aut ipse aut aliquis ex eodem numero, casu, dum repellitur violentia, occisus fuerit, is qui per necessitatem hoc fecit, à metu pœnæ liber habeatur.

XVII. De raptore ingenuæ mulieris aut virginis.

Raptorem ingenuæ mulieris aut virginis, cum suis complicibus vel ministris, rebus probatis juxta leges jubemus extingui, & si consenserit rapta raptori, pariter occidatur.

XVIII. De parente raptæ aut curatore ejus.

Si parentes raptæ, aut curator ejus; quæ minore ætate rapta est, exsequi & vindicare talis facti culpam forte neglexerint, pactum, quod non licet, de hoc crimine faciendo, pœnam patiantur exilii.

XIX. De servo qui querelam de raptu viderit dissimulari.

Servus vero si querelam de raptu dissimulari à dominis, & pactione crimen senserit definiri, atque indiciis prodiderit, libertate donetur.

XX. De rapta, intra quæ tempora concludatur.

Raptum intra quinquennium liceat omnibus accusare, post quinquennium vero nullus de hoc crimine faciat quæstionem, etiam si intra suprascriptum tempus egisse aliquid de legibus doceatur: maxime cum & filii de hoc matrimonio suscepti, exacto quinquennio legitimorum & jure & privilegio muniantur.

XXI. Si quis ancillam alienam aut originariam congregata multitudine rapiat.

Si quis ancillam alienam aut originariam violenter cum multitudine congregata rapuerit, si ingenuus est, raptoris pœna feriatur, quia violentiæ crimen admittit: si servus est aut colonus, & sua hoc tantum voluntate commisit, simili ratione puniatur.

XXII. De conductore conscio aut conhibente.

Si vero conscio conductore, aut jubente, aut conhibente, vel non prohibente hoc fecerit, etiam condu-

condoctor ipse tanquam facti reus simili pœna satiatur. Si autem Domino sciente vel jubente hoc fecit, eandem possessionem, de qua raptor egressus est, fisco profuturam dominus incunctanter amittat.

XXIII. De his qui intestati mortui fuerint.

Si quis intestatus mortuus fuerit, is ad ejus successionem veniat, qui inter agnatos atque cognatos gradu vel titulo proximus invenitur, salvo jure filiorum ac nepotum.

XXIV. Quando debet fiscus agere.

Fiscus tunc agat, quando nec parentum, nec filiorum, nec nepotum, nec agnatorum, nec cognatorum, nec uxoris & mariti quæ succedat, extare comperitur persona secundum legum veterum constituta: ita ut fiscus quotiens locum successionis invenerit, vel aliqua sibi competentia repetit, actionem, remota titulorum vel officii præsumptione, proponat: quia tunc fiscus unamquamque rem merito potest & sine oppressionis alienæ injuria vindicare, dum intercedente sententia pro ipso fuerit judicatum. Nobis enim, sicut & principes voluerunt, jus cum privatis volumus esse commune.

XXV. Vnumquemque possessorem apud judicem fisci nomine pulsandum.

Vnumquemque possessorem fisci nomine apud competentem judicem statuimus debere pulsari.

XXVI. De intestatis clericis & religiosis personis.

Clericos religiosasque personas intestatas deficientes, quotiens defuerit qui jure succedat, locum Ecclesiæ suæ secundum leges facere debere præcipimus.

XXVII. Curialis si sine successore intestatus defecerit.

Curialis si sine successore, quem leges vocant, intestatus defecerit, excluso fisco curiæ suæ locum faciat.

XXVIII. De data testandi licentia.

Faciendorum testamentorum omnibus quos testari leges permittunt, damus late licentiam: ita ut septem aut quinque testes ingenui ac puberes, in conspectu testatoris, uno tempore, eodem rogante subscribant.

XXIX. Si testator aut litteras ignoret aut non possit subscribere.

Quod si testator aut literas ignorando, aut per necessitatem vicinæ mortis propriam subscriptionem non potuerit commodare, tunc octavus testis pro testatore adhibeatur hujusmodi, de cujus fide dubitari omnino non possit: scituris testibus & scriptore præcipue testamenti, quod si quid falsitatis extiterit, sub cognitione decursa se supplicium evadere non posse, quod circa falsarios legum dictat auctoritas.

XXX. De falsariis.

Sciat autem scriptus heres, vel legatarius, aut libertus, quod si eis conhibentibus aut scientibus tale aliquid temptatum fuerit, se non solum emolumento ipso, vel fructu ejus scripturæ esse privandos, verum etiam falsi pœnam declinare non posse. In hoc reatu erit quisquis operam aut studium faciendis adhibuerit talibus testamentis: cum voluntates velimus esse liberas mortuorum, & nihil ibi sibi aliena debeat præsuasio vindicare.

XXXI. Vt voluntatem suam facere volenti nullus contradicat.

Ne quis voluntatem suam facere volenti aut testes quolibet nomine deterreat, aut contradictor existat, cum, si quid actionis fuerit, eam legibus adversum hæredem possit exercere.

XXXII. De his qui ab intestato possunt succedere.

Barbaris, quos certum est reip. militare, quomodo voluerint & potuerint, faciendi damus licentiam testamenti, sive domi, sive in castris fuerint constituti.

XXXIII. De Barbaris qui voluerint jure testari.

Is qui ab intestato defuncti sperat hæreditatem, si volentem testatorem prohibeat facere testamentum, tanquam ab indigno ejus hæreditas auferatur.

XXXIV. De subreptione Romani aut Barbari.

Nemo aut Romanus aut Barbarus rem petat alienam, quam si per subreptionem impetraverit, non valebit, & eam se non dubitet cum fructibus redditurum: salvo eo quod super hac parte superiora nostra edicta jus sanciunt.

XXXV.

XXXV. De delatoribus.

Is qui quasi sub specie utilitatis publicæ, ut sic necessarie faciat, delator existat, quem tamen nos exsecrari omnino profitemur, quamvis vel vera dicens legibus prohibeatur audiri, tamen si ea quæ ad aures publicas detulerit, inter acta constitutus non potuerit adprobare, flammis debet absumi.

XXXVI. Si quis ad nuptias non legitimas aspiraverit.

Si quis ad nuptias non legitimas aspiraverit, legum censuram penitus non evadat: qui nec justum matrimonium, nec filios sciat se habere legitimos.

XXXVII. Intra annum mortis mariti si mulier nupserit.

Intra annum mortis mariti nulla ad secundas nuptias migret: sed nec furtim se misceat illi cujus post annum erit uxor futura, quia leges videtur circumscribere voluisse: Idcirco utramque personam stupri ream esse præcipimus. Quam querelam damus tantum filiis & propinquis; ut quod in talibus causis legibus competit, exequantur.

XXXVIII. De adultero & adultera.

Adulteri vel adulteræ intra judicia convicti interitum non evadant: ministris ejusdem criminis aut conscüs pariter puniendis. Adulterorum pœna mors.

XXXIX. Qui ut adulterium fieret domum præstiterit.

Qui ut adulterium fieret, domum vel casam præbuit: quive mulieri, ut adulterio consentiret, suasit, capite puniatur.

XL. Qui falsum nesciens allegaverit.

Qui falsum nesciens allegavit, ad falsi pœnam minime teneatur.

XLI. Qui falsum fecerit, aut usus fuerit.

Qui falsum fecerit, vel sciens falso usus fuerit, aut alterum facere suaserit aut coegerit, capitali pœna feriatur.

XLII. Qui varium vel falsum testimonium dixerit.

Qui † vanum vel falsum testimonium dixerint aut * utriusque parti prodiderint, in exilium dirigantur. † varium. * utrique.

XLIII. Nullum debere ad potentem Romanum aut Barbarum suas actiones transferre.

Nullus ad potentem Romanum aut Barbarum proprias quolibet titulo transferat actiones. Quod si fecerit, jacturam litis jurgator incurrat & is qui susceperit, medietatem pretii rei æstimatæ fisco cogatur inferre. Qua pœna teneri præcipimus etiam eos, qui rem in lite positam in hujusmodi crediderit transferendam esse personam, quoniam volumus ut remota persona potentioris, æqua jurgantes sorte confligant. Litigantibus vero post causæ terminum, largiendi quod vicerint, cui voluerint personæ, concedimus potestatem.

XLIV. Nullum Romanum aut suffragatorem in alieno stare negotio.

Nullus se potens Romanus aut Barbarus tanquam defensor aut suffragator negotio misceat.

XLV. Nullum debere alienæ rei nec suæ titulos ponere.

Nullus alienæ rei vel suæ titulos prorsus adfigat: cum soli fisco hoc privilegium his quæ possidet jure vel corpore videatur esse concessum.

XLVI. Si quis in ea re, quam possidet conventus, ut adversario suo.

Is qui in ea re quam possidet, judicis præceptione conventus, titulum potentis nomine adfixum adversario suo crediderit opponendum, ejus possessionis aut casæ, quam sub hac fraude vindicare temptaverit, amissione privetur: nec repetendæ actionis, & si ei competere possit, habeat facultatem.

XLVII. Si quis possessa ab aliis prædia titulis occupaverit.

Ille vero qui possessa ab aliis prædia titulis occupaverit, capite puniatur.

XLVIII. Libertos originarios aut servos contra patronos suos eorumque liberos non audiri.

Libertos originarios vel servos, dominos aut patronos suos, eorumque liberos deferentes in quolibet negotio prohibemus audiri, quia hujusmodi personæ neque in civilibus, neque in criminalibus causis contra patronos aut dominos eorumque liberos, etiamsi pro his dicant, vocem possunt habere legitimam, quos in hujusmodi facto deprehensos, in ipso actionis exordio gladiis oportet extingui.

XLIX. Hoc etiam de familiaribus observandum.

Hoc etiam de familiaribus servari debere censemus, qui cujuslibet familiaritati vel domui inhærentes, delatores aut accusatores emerserint: excepto tamen crimine majestatis.

Occul-

L. De occultis secretisque delationibus.

Occultis secretisque delationibus nihil credi debet: sed eum qui aliquid defert, ad judicium venire convenit, ut si quod detulit, non potuerit adprobare, capitali subjaceat ultioni.

LI. De donationibus celebrandis mancipiorum.

Donationes sub hac solemnitate præcipimus celebrari, quod si cujuslibet pretii res mobilis fortasse donetur, vel certe mancipium, sola traditione largientis sit perfecta donatio, quæ tamen scripturæ fide possit ostendi, cui testium subscriptio adjecta monstretur.

LII. Si quis prædium rusticum aut urbanum donaverit.

Si vero prædium rusticum aut urbanum quisquam libero arbitrio conferre voluerit, scriptura munificentiæ etiam testium subscriptionibus roborata, gestis municipalibus allegetur, ita ut confectioni gestorum præsentes adhibeantur tres Curiales, aut Magistratus, aut pro magistratu Defensor civitatis cum tribus Curialibus, aut Duumviri, vel Quinquenalis: qui si defuerint, in alia civitate quæ hæc habuerit, allegationis firmitas impleatur, aut apud judicem ejusdem provinciæ, quod donatum fuerit, allegetur.

LIII. De traditione facienda.

De traditione vero quam semper in locis secundum leges fieri necesse est, si Magistratus, Defensor, Duumviri, aut Quinquennalis forte defuerint, ad conficienda introductionum gesta, tres sufficiant Curiales, dummodo vicinis scientibus impleatur corporalis introductionis effectus.

LIV. Matrimonia passim non debere dissipari, ut quibuslibet criminibus probatis à conjunctione recedant.

Passim matrimonia dissipari non patimur, Ideo uxor à marito, aut maritus ab uxore nisi probatis causis quas leges comprehendunt, omisso repudio, à jugali vinculo non recedant. Causæ autem istæ debent esse devortii. Si maritus aut homicida, aut maleficus, aut sepulchrorum violator ab uxore in examine fuerit adprobatus. Maritus quoque his criminibus convictam merito dimittat uxorem, si adulteram, vel maleficam, vel etiam quam vulgus adpellat aggagula, in judicio potuerit adprobare. Quibus edoctis, maritus & dotem lucretur, & sponsalitiam recipiat vel sibi habeat largitatem, & utrius utriusque proprietatem secundum leges filiis eum jubemus servare communibus. Pari etiam modo, si mulier maritum superioribus criminibus involutum in judicatione convicerit, & dotem recipiat, & sponsalitiam lucro habeat largitatem: cujus tamen sponsalitiæ tantum donationis proprietatem liberis communibus etiam ipsa conservet, & nubendi vero, vel non nubendi licentiam pro constitutis veteribus sortiatur.

LV. Omnes appellationes judicem debere suscipere.

Omnes appellationes suscipiant ii provinciarum judices à quibus provocari potest: quando optimæ conscientiæ conveniat etiam superfluam appellationem sine dubitatione suscipere, dum de appellationis merito sacer possit perpensis legibus cognitor judicare. Quod si judex suam absentiam procuravit ne appellatorios libellos accipiat, in locis celeberrimis, qui appellare voluerit, libellum de absentia judicis de sua appellatione habere debere censemus. Iudex autem qui aut suscipere appellationem contempserit, aut certe in custodiam dederit, aut verberaverit aut aliquo dispendio læserit appellantem: decem librarum auri amissione feriatur, quas fisci compendiis cura sacri cognitoris præcipimus aggregari, officiumque quoque cujus interest mulctæ legitimæ subjacebit.

LVI. De abactore animalium diversorum.

Abactores animalium vel gregum gladio puniri.

Abactor animalium vel gregum atque pecorum alienorum, sive ea de stabulis, sive de pascuis abegerit, gladio puniatur, & in quadruplum amittentis damnu de ejus substantia consulatur. Quod si servus aut originarius fuerit, dominus pro his conventus legibus, si maluerit, aut, ut supra diximus, satisfaciat, aut impetitos ad pœnam mortis. judici publico tradere non moretur.

LVII. Abactor si usque ad unum equum, duas equas, totidemque boves decem capras & quinque porcos &c.

Abactor si usque ad unum equum, duas equas, totidemque boves, & usque ad decem capras & quinque porcos, tulisse tam de stabulis quam de pascuis fuerit adprobatus, sive per surreptionem sive ea violenter abduxerit, severissime puniatur, quidquid vero intra suprascriptum numerum animalium vel † porcorum à quocumque sublatum fuerit, tanquam furtum sub quadrupli pœna soluatur.

† pecorum.

LVIII. Qui bovem, equum vel aliud pecus errans invenerit.

Qui bovem, vel equum errantem, vel aliud pecus abduxerit, furti magis reus tenendus est: & in quadruplum animalia vel pecora sublata restituat, nisi ea ab eo die quo invenerit, septem diebus

conti-

continois in publicis celeberrimisque locis aut ante Prætorium judicis proposuerit: hoc enim facto nullius pœnæ damna sustineat.

LIX. *Qui ingenuam virginem per vim corruperit.*

Qui ingenuam virginem per vim corruperit, si idoneo patrimooio gratulatur, & est genere oobilis, & eandem accipere cogatur uxorem, ita ut ei sponsalitiæ titulo largitatis quintam partem patrimonii sui noverit conferendam: qood si jam habens uxorem ista commiserit, tertiam partem patrimonii sui illi quam per vim corrupetit, sub idonea & solemni scriptura dare cogatur: ut illa quæ per eum jacturam pudoris incurrit, honestum possit invenire conjugium. Si autem nullo patrimonio aut nobilitate fulcitur, oppressor & violator pudoris ingenui, supplicio adficiatur extremo.

LX. *Si quis viduæ violenter stuprum intulerit.*

Si quis viduæ stuprum violenter intulerit, cujuslibet loci corruptor sit, adulterii pœna depereat.

LXI. *Si matrona vidua cujuslibet libidine carrumpatur.*

Si quis vero etiam si cum volente & adquiescente vidua hoc crimen admiserit, flammis ultricibus exuratur: illa quoque adulterii pœna damnaoda, quæ non erubuit servili subjacere libidini.

LXII. *Si matrana vidua volens corrumpatur à servo.*

Si matrona vidua alicujus libidine voleos corrupta sit, stuprum admittitur: nisi forte vilis vulgarisque sit mulier, cum his enim viduis adquiescentibus si quis concubuerit, quas artis operam aut ministerii laborem publice exercere constiterit, hoc crimine nec ipse, oec illæ teneantur obnoxii.

LXIII. *Si servus alienus aut originarius ingenuam virginem per vim corruperit.*

Si servus alienus aut originarius iogenuam virgioem per vim corruperit, aut stuprum viduæ per vim intulerit, convento domino, rebus discussis atque patefactis, capite feriatur.

LXIV. *Si quis ancillam alienam aut originarius aut servus miscuerit.*

Ancillam alienam virginem vel originariam, cujuslibet ætatis, quisquis ingenuus, nulli tamen quolibet modo obnoxius civitati, corruperit, si domious voluerit, aut corruptor ipse rogaverit, & apud gesta professus fuerit, mansorus in domini mulieris potestate, ejus quam vitiavit cootubernium oon relioquat, nec eadem mortua discedendi habeat facultatem. Quod si dominus ancillæ non consenserit aut ille profiteri noluerit, tunc aut hujus meriti duo mancipia domino tradat ejus juri protutura, si ejus substantia patiatur: aut, si hoc implere non potuerit, cæsus districtissime fustibus, vicinæ civitatis collegio deputetur, quod judex ejusdem loci periculi sui memor implere & custodire debebit.

LXV. *Quoties se ancilla ingenuus, originarius aut servus miscuerit.*

Quoties se ancillæ ingenous aut originarius aut servus forte miscuerit, necesse est ut omnis matrem sequatur agnatio, id est, filii omnes ad dominum ancillæ pertineant.

LXVI. *Quatiens se originaria servus alienus aut ingenuus sociaverit.*

Quoties vero se originariæ servus alienus ingenuusve miscuerit, nihilominus omnes filii matrem sequantur.

LXVII. *Si originarius alienus se originaria junxerit.*

Si vero originarius alienus se originariæ, fortasse conjunxerit, duas filiorum partes originarii dominus, & tertiam sobolis originariæ dominus consequatur.

LXVIII. *Si originaria de ingenuo solo exierit.*

Originaria * ex eo de ingenuo solo discesserit intra vicennii spatia repetatur: † quæ si originaria * si
exemptis viginti annis domino sub hac præscriptione perierit, † sunt ejus agnatio intra viginti annos † quod si simul.
suscepta domino mulieris, servato novellæ legis tenore, noo pereat.

LXIX. *Si quis curialem, collegiatum aut servum per xxx. annos possederit.*

Quisquis curialem, aut collegiatum, aut servum, per triginta anoos possederit, qui nullam patriam † suam conlationem jubisse monstretur, eos prædiorum dominis jubemus adquiri, quia in nullo tricennalis legis saluberrimom constitutum sob qualibet patimor occasiooe turbari: quam sive adversum privatum, sive adversum fiscum, suam, quemadmodum leges præcipiunt, obtinere convenit firmitatem. Et qoia frequenter scimus tales calumnias in perniciem dominorum, cohibentibus rusticis aot curialibus excitari, quo † consolatiooem præstitisse dicantur, hoc eateous valebit, si sciente possessionis domino & non reluctante, aut certe procuratore conductoreque ejus, cum dominus in transmarinis fuerit regionibus constitutus, consolationem præstitam, fuerit adprobatum.

† patria subconl. fiat usse.
† consolationem.

LXX. Si

LXX. Si servus ad quamlibet Ecclesiam confugiat.

Si servus cujuslibet nationis ad quamlibet Ecclesiam confugerit, statim domino veniam promittente reddatur: nec enim ultra unum diem ibidem residere præcipimus. Qui si exire noluerit, vir religiosus archidiaconus ejusdem Ecclesiæ, vel presbyter atque clerici, eundem ad dominum suum exire compellant, & domino indulgentiam præstanti sine dilatione contradant. Quod si hoc suprascriptæ religiosæ personæ facere fortè noluerint, aliud mancipium ejusdem meriti domino dare cogantur, ita ut etiam illud mancipium, quod in Ecclesiæ latebris commoratur, si extra Ecclesiam potuerit comprehendi, à domino protinus vindicetur.

LXXI. Si quis in causa publici debiti ad Ecclesiam quamlibet convolaverit.

Si quis in causa publici debiti ad Ecclesiam quamlibet convolaverit, archidiaconus eum compellat egredi ad edenda legibus ratiocinia sua: aut si hoc facere noluerit, ejus substantiam, quam ad Ecclesiam detulit, sine mora contradat: quod nisi fecerit, quanti interest utilitatis publicæ archidiaconus cogatur exsolvere.

LXXII. De allegatione testamentorum.

Testamenta, sicut leges præcipiunt, allegentur, hoc modo fides voluntatis alienæ titubare non poterit.

LXXIII. De auctoritatibus exsequendis.

Auctoritates quorumlibet judicum, vel præcepta cujuslibet sedis ac potestatis sola publica servata civilitate exequantur officia: & conventum sufficiat promittere, se ad judicium esse venturum, nihil ultra præsumat apparitor. Et illius sedis apparitor executiones suscipiat, unde præcepta manaverint. Quod si alterius miles, alterius judicis auctoritatem exsequi forte temptaverit, amissionem cinguli fustibus cæsus incurrat: litigator autem negotium incunctanter amittat.

LXXIV. De improba litigatore.

Si petitor improbe litem cujuscunque rei alteri fortè commoverit, & fuerit sub justa examinatione convictus, ex die plantati solemniter jurgii, sumptus & litis expensas, quas se pulsatus immerito sustinuisse docuerit, à petitore, recipiat, sub æstimatione scilicet judicis, aut bonorum virorum ex delegatione noscentium: quorum justitiæ & deliberationis erit, quales sumptus litis & expensas eum qui importune alterum ad publicum deduxerit examen redhibere conveniat.

LXXV. De armatis hominibus expugnandis, si ad rem venerint violenti.

Qui etiam armatis hominibus, ferro, fuste, lapide, de possessione quemquam, domo, villa expulerit, expugnaverit, obsederit, clauserit, aut si forte propter hanc rem quos homines suos præstiterit, locaverit, conduxerit, turbam, seditiones, incendium fecerit, ad violentiæ pœnam, quæ est superius adscripta, teneatur. Si quis autem fu[illegible]ri mortuum, quasi debitorem suum adserens, prohibuerit, honestiores, bonorum suorum partem tertiam perdant, & in quinquennale exilium dirigantur: humiliores, cæsi fustibus perpetui exilii damna sustineant.

LXXVI. De reddendo momenta rerum invasarum.

Illi res occupata per violentiam intra annum momenti jure salva proprietatis causa reddetur, qui eandem rem quam alterius præsumptione perdidit, nec violenter, nec abscondite, nec precario possidet.

LXXVII. Si servi de irrogata violentia convicti fuerint.

Si servi de irrogata violentia convicti fuerint, aut certe confessi, & hoc domini præcepto factum sub justa & diligenti cognitione constiterit, domino ad violentiæ pœnam retento, pervasa reddantur, servis nihilominus extremo supplicio puniendis, si violentiam eos sua temeritate commisisse claruerit.

LXXVIII. De ingenuo plagiato.

Qui ingenuum plagiando, id est, sollicitando, in alia loca translatum aut vendiderit, aut donaverit, vel suo certe servitio vindicandum crediderit, occidatur.

LXXIX. Si quis ingenuum in conditione tenuerit.

Qui ingenuum in servitutem tenet, nec conditioni potest obnoxium comprobare, & calumniæ, & injuriarum reus teneatur adstrictus.

LXXX. Qui mancipium alienum sollicitaverit.

Qui mancipium alienum sollicitaverit, tres alios ejusdem meriti & ipsum domino cum peculio suo reddat, quod si quis à quolibet bona fide suscipitur, quo se dicat ingenuum, suscipientis hæc debet

debet esse cautela, ut eum ducat ad gesta, & se profiteatur ingenuum, quo facto, dum à Domino servus aut originarius postulatus fuerit & probatus, solus sine retinentis incommoditate reddatur.

LXXXI. Si quis nesciens à plagiatore mancipia comparaverit.

Si quis nesciens à plagiatore mancipia comparaverit, reatu plagii non potest obligari.

LXXXII. Si quis ingenuus distrahatur.

Si ingenuus distrahatur, nullum præjudicium sui status incurrit, nisi forte tacendo de ingenuitate sua emptoris ignorantiam major ætate circumvenerit. Nam de plagio adversum venditorem pro defensione vel injuria sua agere non potuit: nisi pretium quod pro eo datum fuerit cum suo voluerit venditore partiri. Tunc enim præludium conditionis incurret, quod sibi ipse dissimulando & consentiendo pepererit.

LXXXIII. Quisquis servum alienum aut colonum sciens fugitivum susceperit.

Quisquis servum sive colonum alienum sciens fugitivum susceperit, aut occultaverit, ipsum domino cum mercedibus & peculio ejus, & ejusdem meriti alterum reddat. Quod si secundo aut tertio eundem fugitivum idem apud quem fuerat, suscipiendum esse crediderit, præter ipsum cum mercedibus, tres alios domino ejus tradat, mancipium tamen ipsum, ne forte propter capiendum lucrum callide & dolose à domino ad domum ejus qui susceperat, immissum fuerit, oportet in examinatione torqueri: ut si per interrogatiooem in quæstiohem positi constiterit à domino suo ad domum alterius fraudulenter immissum, fisci protinus compendiis adplicetur.

LXXXIV. Qui ingenuum celaverit, vendiderit, vel sciens comparaverit.

Qui ingenuum celaverint, vendiderint, vel scientes comparaverint, humiliores fustibus cæsi in perpetuum dirigantur exilium, honestiores confiscata tertia parte bonorum suorum, pœnam patiantur nihilominus quinquennalis exilii.

LXXXV. Si servos sollicitatos vel ab altero furto ablatos susceperit.

Servos sollicitatos ab altero, vel furto ablatos, si scientes alii susceperunt, non tantum de his susceptis conveniri, & eos reddere debent, sed etiam ad pœnalem actionem furti detinendi sunt.

LXXXVI. Qui servum alienum invito Domino apud se detinuerit.

Qui servum alienum invito domino apud se tenuerit, furti est actione pulsandus.

LXXXVII. In fuga positum servum.

In fuga positus servus nec vendi, nec donari potest.

LXXXVIII. Si abactor, sollicitator aut fur, antequam conveniatur, mortuus fuerit.

Si abactor, sollicitator ac fur, antequam per auctoritatem judicis convincatur; mortuus fuerit, hæredes ejus pro delicto auctoris sui in nullo teneantur obnoxii, nisi ob earum tantum rerum repetitionem, quas ad eos pervenisse constiterit. De abactoribus pecudum.

LXXXIX. Si qui sibi ad terrorem militiam confinxerunt.

Si quis sibi, ut aliquem terreat, militiam confinxerit vel adsumpserit; quam non habet potestatem, viliores fustibus cæsi perpetuæ relegationis mala sustineant, honestiores exilii patiantur incommoda.

XC. Si quis testamentum, codicillum, tabulas, rationes, gesta, libellos, cautiones, epistolas in fraudem alterius mutaverit.

Qui testamentum, codicillum, tabulas, rationes, gesta, libellos, cautiones, epistolas in fraudem alterius, quocunque loco, deleverint, mutaverint, subjecerint, subrepserint, iocenderint, raserint, aut æs, argentum, vel ferrum inauratum scientes pro auro dederint, vel vendiderint, vel supposuerint, quique pro argento stannum subjecerint, vel exteriorem circulum solidi præsciderint, quive ut id fieret, jusserint, operamve dederint, pœnam sustineant falso crimini constitutam.

XCI. Qui testibus pecuniam dederit ut falsum dicant.

Qui testibus pecuniam dederit, ut falsum testimonium dicaot, vel certe quod sciunt taceant; aut non exprimant veritatem, vel judici præmium dederint, ut sententiam contra justitiam dicat, vel non judicet, humiliores capite puniantur, honestiores bonorum suorum amissione multentur.

XCII. Si sponsa persuasa ab sponso ad ejus domum non tradita venerit.

Si sponsa persuasa ab sponso ad ejus domum non tradita venerit; sponsus raptoris crimine non teneatur.

XCIII. Invitus pater familiam ſuam nulli dare in matrimonium cogitur.

Invitus pater familiam ſuam in matrimonium nulli dare compellatur.

XCIV. Parentes, qui cogente neceſſitate filios ſuos vendiderint.

Parentes qui cogente neceſſitate filios ſuos alimentorum gratia vendiderint, ingenuitati eorum non præjudicant, homo enim liber pretio nullo æſtimatur.

XCV. Nec pro pignore filios à parentibus dari.

Nec pro pignore filii à parentibus alicui dari poſſunt: & ſi ſciens creditor ingenuos pro pignore à parentibus ſuſceperit, in exilium dirigetur. Operas enim tantum parentes filiorum, quos in poteſtate habuerint, locare poſſunt.

XCVI. Qui in libertate degent, ſi ad ſervitutem vocantur.

Qui in libertate degens ad ſervitutem vocatur, rei partes ſuſtinet: ideo petitori ejus vel illi qui ſe dominum dicet, incumbet ſervum ſuum docere. Si vero ex poſſeſſione ſervitutis in libertatem reclamet, defenſori ejus neceſſe eſt liberum comprobare.

XCVII. Qui domum aut villam, aut caſam incenderit.

Qui caſam, domum, aut villam alienam inimicitiarum cauſa incenderit: ſi ſervus, colonus, ancilla, originarius fuerit, incendio concremetur: ſi ingenuus hoc fecerit, reſtituat quicquid diſpendii acciderit per illud, quod commovit incendium, ædificiumque renovet, & æſtimationem inſuper conſumptarum rerum pro pœne talis facti cogatur exſolvere: aut ſi hoc ſuſtinere pro tenuitate nequiverit, fuſtibus cæſus perpetui exilii relegatione plectatur.

XCVIII. Incendium quod incaute ſervus aut colonus in agro ſuo poſuerit.

Ex eo vero incendio quod incaute ſervus aut colonus in domini ſui agro ſupponit, ſi vicini ſorte arbores frugiferas, aut ſilvas, vinea, vel ſegetem læſerit, ſive aliud quodlibet diſpendium adtulerit, aut, æſtimatione habita, dominis ejus, per quem vicino damnum continget, farciat atque compenſet: aut ipſum qui ignem ſuppoſuit, ſi hoc magis elegerit, pro facti culpa tradat judici puniendum.

XCIX. Qui hominem ſine audientia occiderit, aut occidi ſuaſerit.

Qui hominem ſine audientia & ſine poteſtate vel juriſdictione judicis competentis immerito juſſerit vel ſuaſerit occidi, tanquam reus homicidii occidatur.

C. Servum alienum in alterius caput torqueri non poſſe.

Servus alienus in alterius caput torqueri non poteſt, niſi delator, aut accuſator cujus intereſt probare quod intendit, precium ejus quantum dominus taxaverit, inferre paratus ſit.

CI. Qui ſervum ideo comparavit, ne adverſum ſe torqueretur.

Qui ſervum ideo comparavit ne adverſum ſe torqueretur, reſtituto pretio reſoluta venditione, adverſum eum qui fraudulenter emerat, debet ſubjici quæſtioni.

CII. Si ſervus ad hoc fuerit manumiſſus ne torqueretur.

Si ſervus ad hoc fuerit manumiſſus ne torqueatur, quæſtio de eo nihilominus haberi poteſt.

CIII. Vbi aliquod facinus committitur ibi debere deferri.

Vbi quod facinus commiſſum dicitur, ibi deferendum & vindicandum eſt, hi enim qui accuſantur, de provincia ad aliam provinciam transferri non debent, nec per longum iter eripiantur, aut fugiant: nec intereſt ſi ingenui, vel liberti, vel ſervi ſint, qui aliquid criminoſum commiſiſſe dicantur.

CIV. De effoſſis terminis aut arboribus terminalibus.

Qui effodiunt terminos, vel exarant limites, finem ſcilicet deſignantes, aut arbores terminales evertunt, ſi ſervi ſunt aut coloni, & ſine conſcientia vel juſſu domini fecerint, puniantur. Si vero hoc imperante domino factum eſſe conſtiterit, idem dominus tertiam partem bonorum ſuorum perdat fiſci viribus profuturam: ſervo ipſo aut colono nihilominus capite puniendo.

CV. Qui limites inter duos fundos debeant obſervari.

Eos terminos obſervandos, quos duorum fundorum dominus inter utrumque prædium, omni

cum ex his unum alienaret, servari debere constituit; non eos, qui singulos fundos antiquâ institutione separabant.

CVI. De negotio sacramentis finito.

Quoties aliquod negotium consensu litigantium, aut sententia judicis sacramentis fuerit diffinitum, retractari non potest: nec de perjurio agere cuiquam vel movere permittitur quæstionem.

CVII. De auctore seditionis.

Qui auctor seditionis vel in populo, vel in exercitu fuerit, incendio concremetur.

CVIII. De his qui pagano ritu sacrificaverint.

Si quis pagano ritu sacrificare fuerit deprehensus, arioli etiam atque umbrarii, si reperti fuerint, sub justa æstimatione convicti capite puniantur, malarum artium conscii, id est, malefici, nudati rebus omnibus quas habere possunt, honesti, perpetuo damnentur exilio, humiliores, capite puniendi sunt.

CIX. Si servus aut colonus Domino nesciente violenter aliqua rapuerit.

Si servus aut colonus domino nesciente violenter aliqua rapiat; dominus ejus intra annum in quadruplum, post annum in simplum convenietur: aut pro noxa certe, si hoc magis elegerit, ipsum servum vel colonum noverit ad pœnam judici contradendum: ita, ut quod ad eum ex ipsa servi violentia pervenisse constiterit, reddat: aut si conventus eum fugisse dixerit, executionem ejus conquerenti dedisse sufficiat.

CX. Qui sepulchrum destruxerit.

Qui sepulchrum destruxerit, occidatur.

CXI. Si quis intra urbem Romam cadavera sepelierit.

Qui intra urbem Romam cadavera sepelierit, quartam partem patrimonii sui fisco sociare cogatur: si nihil habuerit, cæsus fustibus civitate pellatur.

CXII. De bonis damnatorum ex quolibet crimine.

Damnatorum ex quibuslibet criminibus bona filiis primum ac parentibus vel propinquis usque ad tertium gradum proficiant, quod si eos non habuerint, fisco omnia solventur.

CXIII. Si curialis damnatus filios reliquerit.

Si curialis damnatus filios reliquerit, totum quod dimisit ipsi capiant: si non habuerit filios, ad curiam ejus perveniant facultates: excepta causa majestatis, in qua omnium damnatorum bona nec ad filios, si habeant, sed ad solum fiscum, secundum legum cauta necesse est pervenire.

CXIV. Si damnatum clerici aut alii eruerint.

Si addictos damnatosque judiciis clerici vel quilibet alii violenter eruerint, ipsi ad pœnam vel ad dispendia teneantur, quæ sententia in convictos prolata statuisse monstrabitur: Et si conniventia judicis vel conludio hoc claruerit perpetratum, quinque auri libras idem judex cogatur exsolvere.

CXV. Qui pecuniam publicam aut fiscalem furatus fuerit.

Qui pecuniam fisco vel publicis rationibus competentem furandi studio tulerit, eam reddat in quadruplum.

CXVI. Si quis à fure aliqua ad servandum susceperit.

Qui sciens ex rapinis aliqua à raptore, id est, fure, servanda susceperit, eadem qua raptor pœna teneatur.

CXVII. Servus si furtum fecerit, vel damnum cuilibet dederit.

Servus si furtum fecerit, vel damnum cuilibet dederit, nisi ejus dominus hoc pro sui qualitate reddere vel sarcire paratus sit, noxæ eum dare cogitur, quod & de animalibus faciet, si alicui damna generaverint.

CXVIII. Si propter furtum servi Dominus conventus fuerit.

Si propter furtum servi dominus conventus, furem ipsum magis tradere, quam defendere eum in judicio voluerit, illa etiam quæ ad eum ex ipso furto pervenisse constiterit, pariter debebit exsolvere.

CXIX. Si quid de taberna, nave aut stabula perierit.

Si quid de taberna vel stabulo perierit, ab his qui locis talibus præsunt, vel qui in his negotiantur,

tiantur, repetendum est, ita ut præstent sacramenta de conscientia sua suorumque: & si hoc fecerint, nihil cogantur exsolvere, aut certe quantum petitor juraverit se in eo loco perdidisse, restituant.

CXX. Si servus furtum fecerit, & manumissus fuerit.

Si servus furtum fecerit, & manumissus à domino fuerit, vel venditus alteri, vel donatus, caussam de furto tam ipse manumissus dicat, vel ille qui eum emittit, aut cui donatus est: noxa enim semper caput sequitur. Et non solum is qui furtum facit, sed etiam is cujus opera vel consilio furtum factum fuerit, furti actione tenebitur.

CXXI. Si procuratori, aut actori, vel colono, conductori, aut servo alicujus, invito aut nesciente domino mutuam pecuniam quis dederit.

Si procuratori vel conductori sive colono vel servo alicujus, invito vel nesciente domino, mutuam pecuniam quis dederit, nec ipsi domino, nec rei ejus aliquod præjudicium comparetur: sed ex peculio servi vel coloni, considerata vel servata prius indemnitate domini, consulatur petitionibus creditoris.

CXXII. Si quis cautionem suam potenti dederit erigendam.

Amittant repetitionem debiti creditores, qui cautiones debitorum suorum potentibus tradiderint, & per eos magis exactionem mutuæ pecuniæ voluerint procurare.

CXXIII. Creditor si debitori suo res sibi non obligatas violenter rapiat.

Capiendorum pro suo arbitrio pignorum unicuique licentiam denegamus: ita ut, si probabile fuerit, hoc agendi judicis præstet auctoritas.

CXXIV. De pignoribus capiendis.

Ablatorum per vim restitutio. Creditor si debitori suo res sibi non obligatas violenter rapiat, intra annum criminis admissi conventus, sub pœna quadrupli præsumpta restituat: post annum vero in simplum debebit exsolvere, quod etiam de fructibus violenter ablatis servari debere legum ratio persuadet.

CXXV. Si quis de Ecclesiis, id est, locis religiosis homines traxerit.

Si quis de Ecclesiis, id est, locis religiosis, homines traxerit, vel aliquid violenter crediderit auferendum, capite puniatur.

CXXVI. Vt nullus curialium, sive tabulariorum, vel susceptorum intra Ecclesiam residens emittat pictatia.

Nullus post hæc curialium sive tabulariorum aut susceptorum in Ecclesia residens pictatia delegationis emittat: sed si quem fisco debitorem novit, exponat eum extra Ecclesiam constitutus, aut certe deleget facturus cum eo, qui se debitorem negaverit, publicæ rationem, quod si invitum quis, cum sibi delegatur, & se non debere clamaverit, violenter crediderit exigendum, in quadruplum extorta restituat.

CXXVII. Vt invitus nullus delegetur.

Delegari nemo debet invitus: sed si is qui à creditore subdelegatur, consensum delegationi præbens debere se fateatur, & redditurum spondeat, quod promisit, cogatur exsolvere.

CXXVIII. Si filius in potestate patris positus, servus, aut colonus si à patre vel domino in aliqua culpa non defendatur.

Filius in potestate patris positus, vel servus, aut colonus, si à patre vel domino in qualibet culpa non defendantur de ipso delicto vel crimine, tradendi sunt judici competenti: nisi fortè filiusfamilias ipse defendere pro delicto, quo impetetur, in judicio se voluerit.

CXXIX. Qui per mendacium vel surreptionem aliquid impetraverit.

Qui per mendacium vel surreptionem aliquid impetraverit, nec ipsi prosit, nec alterum lædat.

CXXX. Si quid promissum est, ut fur comprehenderetur.

Quod promissum fuisse constiterit ut fur comprehendatur, merito debetur, & oportet exsolvi.

CXXXI. Qui de debito in judicio convicti aut condemnati fuerint.

Qui de debito in judicio convicti vel condemnati fuerint, intra duos menses à die latæ sententiæ solutionem procurare debent: quod si non fecerint, per auctoritatem judicis, ad ejus petitio-

petitionem qui vincet, capi eorum pignora debent & distrahi: ut quod sententia juste lata constituit, possit impleri.

CXXXII. Qui possessor ad judicium veniet.

Qui possessor ad judicium venit, non est cogendus dicere unde tenet, nec onus ei debet probationis imponi, quia hoc magis petitoris officium est, ut rem quam repetit, doceat ad se pertinere.

CXXXIII. Mulier etiam si per cautionem alienum debitum se reddituram spondeat.

Mulier, etiamsi per cautionem alienum debitum se redditurum spondeat, non tenetur.

CXXXIV. Qui ultra legitimam centesimam à debitore suo speraverit.

Amittat sortem debiti creditor, qui ultra centesimam legitimam crediderit à debitore poscendum.

CXXXV. Si fidejussor pignora debitoris pro quo fidem fecit, liberaverit.

Fidejussor qui redimendo pignora ejus debitoris pro quo fidem dixerat, à creditore liberavit, oblata sibi debita pecunia restituere pignora debitori compellatur.

CXXXVI. Si quis quamlibet rem suam nesciens à possessore conduxerit.

Si quisquam rem suam nesciens à possessore conduxerit, nihil sibi præiudicat: sed de proprietate ipsius agere poterit.

CXXXVII. Si quis in area aliena ædificium fecerit.

Si quis nesciens alienam aream esse, ædificium in ea construxerit, sumptus quos fecit, recipit: sed amittit quam in solo alieno fecerat mansionem. Ædificium in aliena area.

CXXXVIII. Si una res à duobus fuerit comparata.

Si una res à duobus diversis temporibus comparetur, ille potior erit, & dominium ejus magis acquiret, cui traditam fuisse claruerit,

CXXXIX. Cujus forum auctor venditionis sequatur.

Auctor venditionis etiamsi privilegium habeat sui judicis, tamen defensurus venditionem suam forum sequatur emptoris.

CXL. Qui de re comparata pertulerit quæstionem.

Qui de re comparata pertulerit quæstionem, ipse petitori respondere compellitur, nec ad auctorem suum proponentem repellit: quem necesse est ad hoc tantum ipse commoueat, ut factum suum in † inditione defendat. †judicatione pro judicio.

CXLI. Quicunque servum fugitivum vendiderit ignoranti.

Quicunque fugere solitum vendiderit ignoranti, si emptorem quoque fugerit, & precium venditor reddat, & damna sarciat quæ per eundem contigerint fugitivum.

CXLII. Liceat unicuique Domino mancipia sua etiam originaria ad alia loca transferre, vel quod voluerit facere.

Liceat unicuique domino ex prædiis quæ corporaliter & legitimo jure possidet, rustica utriusque sexus mancipia, etiamsi originaria sint, ad juris sui loca transferre, vel urbanis ministeriis adplicare, ita ut & illis prædiis adquirantur ad quæ voluntate domini migrata fuisse constiterit, & inter urbanos famulos merito censeantur: nec de ejusmodi factis atque ordinationibus velut sub oppositione originis, quæstio ulla nascatur. Alienare etiam supradictæ conditionis homines liceat dominis absque terræ aliqua portione, sub scripturæ adtestatione vel cedere, vendere cui libuerit, vel donare.

CXLIII. De servandis privilegiis Iudæorum.

Circa Iudæos privilegia legibus delata serventur: quos inter se jurgantes & sui viventes legibus, eos judices habere necesse est, quos habent observantiæ præceptores.

CXLIV. De emittendis securitatibus fiscalium titulorum.

Quicunque susceptores fuerint fiscalium titulorum, in emittendis possessorum securitatibus nomine singularum possessionum, professionem earum evidenter designent: acceptam quoque pro earum functione exponant pecuniæ quantitatem. Quod si aliquis professionem locorum, nomina summamque perceptæ pecuniæ in securitatibus à se factis comprehendere forte noluerit, & hujus

culpæ reus in iudicio fuerit adprobatus quadruplam eius pecuniæ, quam possessor se dedisse probauerit, eidem cogatur exsoluere. Quod etiam circa discussorem similiter conuenit custodire, si de quibus titulis, quas summas à præsumptoribus vel reliquatoribus exegerint, in securitatibus omittendis signare nõluerint.

CXLV. Si quis Barbarorum tertio conuentus, iudicio adesse contempserit.

Si quis Barbarorum tertio competentis iudicis auctoritate conuentus, & edictis solemniter inclamatus, ad iudicem, cuios præceptione conuentus est, venire oeglexerit, merito sub discussione causæ sententiam excipiet contumaciæ, adeo ut iudicetur, de quo conuentus est, perdidisse oegotium, dummodo tertio quemlibet capillatorum fuisse conuentum, aut cautionis ab eodem emissæ fides ostendat, aut ingenuorum vel honestorum testium dicta confirment, quibus manifeste clareat, auctoritate pulsatum, contempsisse dare responsum, nec voluisse ad iudicium conuenire.

CXLVI. De frugibus sublatis.

De frugibus ab aliquo ex fundo cuiuslibet sublatis, tam colonus quam dominus, quia vtriusque interest, agere potest.

CXLVII. De venditionibus bona fide celebratis.

Placita bona fide & definita venditio à venditore rescindi non potest: sed pretium, quod ab emptore debetur, repetendum est.

CXLVIII. De seruis aut colonis de hoste reuersis.

Serui aut colooi ab hostibus capti & reuersi domino restituantur, si non sunt ante ab altero, vendentibus hostibus, in commercio comparati.

CXLIX. De mensura & ponderatione publica.

Si quis exactorum vel susceptorum maiorem mensuram vel maius pondus adhibuerit, dum fiscales traduntur species, quam publicæ ordinationis moderatio antiquitus prouisa constituit, ad iudicem continuo cum ipsis mensuris & ponderibus deducatur: vt si fuerit de eorum iniquitate conuictus, inde quadruplum pro vtilitate illius quem grauauit, male susceptarum specierum damna sustineat. Quod etiam circa negociator[illegible] obseruari debere censemus in commerciis, si iniusta pondera vel mensuras adhibuisse fuerint adprobati.

CL. Vt nullus alieno rustico aut boui imperet.

† inuito Domino.

Nulli liceat † inuitus rustico alieno operas aut obsequium imperare, nec eius mancipio aut boue vti, nisi hoc forte idem rusticus, aut conductor ipsius, vel dominus sua voluntate præstiterit. Qui contra fecerit, det pro ynius rustici vel vnius bouis diurna opera quam præsumpsit, auri solidum vnum.

CLI. De messe læsa, aut arbore deiecta.

Sive seges aliena, sive quælibet arbor cuiusque dolo deiecta fuerit, aut aliquid damni prouenerit in quadruplum eius nomine, qui hoc fecerit, addicatur,

CLII. Si alienus seruus ab alio occidatur.

Si alienus seruus ab aliquo, vel rusticus occidatur, in potestate habet dominus eius aut criminaliter de obnoxii sui morte agere, & homicidam capitaliter accusare, aut de damno certe amissi mancipii ciuiliter actionem proponere, ita vt pro vno seruo occiso duos tales recipiat.

CLIII. Vxorem pro marito non debere conueniri.

Vxor pro marito non debet conueniri: res eius aut sponsalis munificentia pro mariti obnoxietate poscatur, legum prudentia & moderatione servata.

CLIV. De die Dominico & diebus sancta Pascha.

Die Solis, qui Dominicus nuncupatur, sed & diebus Paschalibus oullum præcipimus conveniri, qui contra fecerit, sacrilegii reus habeatur.

Actiones intermissæ diebus Dominicis.

Hæc quantum occupationes nostræ admittere, vel quæ nobis ad præsens occurrere potuerunt, à victis tam Barbaris quam Romanis sumus profutura complexi: quæ omnium Barbarorum sive Romanorum debet servare devotio. Quæ comprehendere nos vel edicti brevitas, vel curæ publicæ non siverunt, quoties oborta fuerint custodito legum tramite terminentur. Nec cuiuslibet dignitatis, aut substantiæ, aut potentiæ, aut cinguli vel honoris persona, contra hæc, quæ salubriter statuta sunt, quolibet modo credat esse veniendum, quæ ex novellis legibus ac veteris iuris sanctimonia pro aliqua parte collegimus: scituris cognitoribus vniversis ac iura dictantibus, quod si in aliquo hæc edicta fuerint violata se proscriptionis deportationisque pœna merito esse feriendos.

Quod

Quod si forsitan persona potentior, aut eius procurator, vel vicedominus ipsius, aut certe conductor seu Barbari, seu Romani, in aliquo genere causæ præsentia non permiserint edicta seruari, & iudex, cuius intererit, obsistere, aut vindicare, aut obuiare non potuerit, in nostram illico, si sibi consulit, instructa ex omnibus relatione, dirigat, deposita totius formidinis suspicione, notitiam. Hac enim sola ratione à culpa esse poterit absolutus. Quia quod pro omnium prouincialium securitate prouisum est, vniuersitatis debet seruare deuotio.

THEODORICI GOTHI REGIS ROMANORUM CONSTITUTIONES.

I. De executione militia.

Theodor. Rex Floriano v. s.

IN immensum trahi non decet finita litigia. Quæ enim dabitur discordantibus pax, si nec legitimis sententiis acquiescitur? Vnus enim inter procellas humanas portus instructus est, quem si homines feruida voluntate prætereunt, in vndosis iurgiis semper errabunt. Et ideo spectabilitati tuæ præsentibus affamur oraculis, quatenus si ita res se habet, vt à præsentibus supplicatur, & in Comitis Annæ iudicio Macenis fundi controuersia statutis legitimis est decisa, nec aliqua probatur appellatione suspensa, quæ sunt decreta, seruentur. Quia sicut nolumus oppressas negare iudicium, ita irrationabilibus querelis non præbemus assensum. Cogi enim debet vt sit quietus, qui suo vitio renuit esse pacificus. Nam & medendi peritus inuitum frequenter saluat ægrotum: dum voluntas recta in grauibus passionibus non est: sed potius illud appetitur, quod à salutis iudice grauare posse sentitur.

II. De restituendis bonis pupillo.

Theodoricus Rex Felici v. c.

VEnantii tutoris Plutiani aditione cognouimus in ea te qua non decuerat actione versatum: vt eum quem sumptu proprio iuuare debueras, dispendio proprietatis affligeres. Affinitatem quippe tuam solatia debuerant impensa testari. Quale ergo videtur sanguine coniunctis, quod criminosum probaretur extraneis? Atque ideo præsenti iussione censemus, vt quicquid † Neotherio fratre Plutiani malæ fidei possessore prodiga voluntate lasciuo, te non tam comparasse, quam surripuisse cognoscis, † incomparanda militi nostro sine aliqua dilatione restituas: ne nos huiusmodi factum cogas legibus vindicare, qui nunc videmur omnia mansuetudine temperasse. Perire enim pupillo non patimur, quæ parentibus sub nostra laude dederamus. Grauissimum est enim per calumniam subtrahi, quod collatum est munificentia principali. Reliqua vero, † quæ te pro iugalis tuæ asseris portione contempto iustitiæ tramite diuisisse, si tamen appellanda diuisio est, quam sub vnius celebratam constat arbitrio, ad nostrum Comitatum festines occurrere, vt inter vos, quæ iustitiæ conueniunt, ordinemus. Iniquum est enim, vt de vna substantia, quibus competit æqua successio, alii abundanter affluant, alii paupertatis incommodis ingemiscant.

† Neotherio prodiga.

† incorporanda.

† asseris.

III. Super eodem.

Theod. Rex Amabili executori.

COrdi nobis est, cunctos in commune protegere, sed eos maxime, quos sibi nouimus defuisse. Sic enim æquitatis libra seruabitur, si auxilium largiamur imparibus, & metum nostri pro paruulis, insolentibus opponamus. Fortuna minor principem quærit, quia in vituperationem nostram corruunt, quibus se publica vota subducunt. Venantii itaque tutoris Plutiani lachrymabili suggestione comperimus, Neotherium fratrem suum, affectum germanitatis oblitum bona paruuli hostili furore lacerasse. Quod nos pro rerum suarum acerbitate commouit: ne largitas nostra, quam velut titulum volumus stare pietatis, vsurpata præsumptionibus videatur illicitis. Et quia dubium non est, in repetitione minoris maxime submoueri dispendia tarditatis, ideoque deuotio tua nostra iussione firmata, si nihil est, quod rationabiliter à pulsato possit opponi, postulatas res prædicto tutori facias sine dilatione restitui. Aut si quid est, quod pro suis partibus intentio retentatoris obiiciat, legali positione præcedente, ad nostrum venire deproperet Comitatum: vt allegationibus cognitis, pro consuetudine nostræ iudicemus æquitatis.

IV. De Episcopa iudicatione.

Theod. Rex Eustorgio viro venerabili Mediolanensi Episcopo.

TVta est conditio subiectorum, vbi vivitur sub æquitate regnantium: nec dubio decet rumore trahi, à quo debent non mutanda constitui. Fidem siquidem rerum à ratione colligimus: quæ nunquam desiderantibus absconditur, si suis vestigiis perquiratur. Atque ideo quod beatitudini vestræ gratissimum esse confidimus, præsenti tenore declaramus, Augustanæ ciuitatis Episcopum, proditionis patriæ falsis criminationibus accusatum. Qui à nobis honori pristino restitutus, ius habeat episcopatus omne quod habuit. Nihil enim in tali honore temeraria cogitatione præsumendum est: vbi si proposito creditur, etiam tacitus ab excessibus excusatur. Manifesta proinde crimina in talibus vix capiunt fidem. Quicquid autem ex invidia dicitur, veritas non putatur. Volumus enim impugnatores eius legitima pœna percellere: sed quoniam & ipsi clericatus nomine fungebantur, ad sanctitatis vestræ iudicium cuncta transmittimus ordinanda, cuius est & æquitatem moribus talibus imponere, quam novimus traditionem Ecclesiasticam custodire.

V. De iusto pondere obseruando, & pœna eius qui illud diminuit.

Theod. Rex Bœtio v. i. atque Patritio.

LIcet vniversis populis generalis sit impendenda iustitia, quæ sic nominis sui obtinet dignitatem, si æquabili moderatione per potiores currat & humiles: confidentius tamen illam expetunt, qui à palatii militia non recedunt. Ociosa enim gravitate præstatur aliquid munificentiæ principali, consuetudo autem quodam debito redditur fideliter obsequenti. Domestici patres equitum & peditum, qui nostræ aulæ videntur iugiter excubare (quod ex magnis fieri doloribus solet) vt adunati nobis supplicatione conquesti sunt, ab illo † Arcano præfectorum, pro emolumentis solemnibus, nec integri ponderis Solidos percipere, & in numero gravia se dispendia sustinere. Quapropter prudentia vestra lectionibus erudita dogmaticis, scelestam falsitatem à consortio veritatis eiiciat: nec cui sit appetibile, aliquid de illa integritate subducere. Hæc enim quæ appellatur Arithmetica, inter ambigua Mundi certissima ratione consistit, quam cum cœlestibus æqualiter novimus, evidens ordo, pulchra dispositio, cognitio simplex, immobilis scientia: quæ & superna continet, & terrena custodit. Quid est enim, quod aut mensuram non habeat, aut pondus excedat? Omnia complectitur, cuncta moderatur, & vniversa hinc pulchritudinem capiunt, quia sub modio ipsius esse noscuntur. Iuvat inspicere, quemadmodum denarius numerus, more Cœli, & in seipsum revolvitur, & nunquam deficiens invenitur: crescit nova conditione, per se redeundo, addita sibi semper ipsa calculatio: vt cum denarius non videatur excedi, ex modicis prævalet maiora complecti. Hoc sæpe repetitum inflexis manualibus digitis, & erectis, redditur semper extensum, & quanto ad principium suum supputatio redditur, tanto amplius indubitanter augetur. Quantitate numerabili, arena maris, guttæ pluviarum, stellæ lucidæ concluduntur. Auctori quippe suo omnis creatura sub numero est: & quicquid ad existentiam pervenit, à tali non potest conditione dimoveri. Et quoniam delectat nos secretiora huius disciplinæ cum scientibus loqui, pecuniæ ipsæ quamvis vsu celeberrimo vtiles esse videantur, animadvertendum est, quanta tamen à veteribus ratione collectæ sunt. Sex millia denariorum Solidum esse voluerunt: scilicet vt radiantis metalli formata rotunditas ætatem Mundi, quasi Sol aureus, convenienter includeret. Senarium vero, quem non immerito perfectum docta Antiquitas definivit, vnciæ, qui mensuræ primus gradus est, appellatione signavit: quam duodecies similitudine mensium computatam, in libræ plenitudine ad anni curricula collegerunt. O inventa prudentium, ô provisa Maiorum! exquisita res est, quæ & vsui humano necessaria distingueret, & tot arcana naturæ signaliter contineret. Merito ergo dicitur libra, quæ tanta rerum est consideratione trutinata. Talia igitur secreta violare, sic certissima velle confundere, nonne veritatis ipsius videtur esse crudelis, ac fœda laceratio? Exerceantur negociatores in mercibus: emantur late, quæ vendantur angustius, constet populis pondus, ac mensura probabilis: quia cuncta turbantur, si integritas cum fraudibus misceatur. Mutilari certe non debet, quod laborantibus datur: sed à quo fidelis actus exigitur, compensatio imminuta præstetur. Da certe solidum, & aufer inde si prævales: Trade libram, & aliquid inde, si potes, imminue. Cuncta ista nominibus ipsis constat esse provisum, aut integra tribuis, aut non ipsa quæ dicuntur exolvis. Non potestis omnino, non potestis, nomina integritatum dare, & scelestas imminutiones efficere. Providete itaque, vt & arbiter arcæ habeat iustas consuetudines suas, & quod benemeritis impendimus, incorrupto munere consequantur.

† Aithano

VI. De restituendis bonis à militibus ablatis.

Theod. Rex Seruato duci Retiarum.

DEcet te honorem, quem geris nomine, moribus exhibere: vt per provinciam, cui præsides, nullam fieri violentiam patiaris: sed totum cogatur ad iustum, vnde nostrum floret imperium. Quapropter Maniatii supplicatione commoti, præsentibus te affamur oraculis: vt si re vera mancipia eius Breones irrationabiliter cognoveris abstulisse, qui militaribus officiis assueti, civilitatem premere dicuntur armati, & ob hoc iustitiæ parere despiciunt, quoniam ad bella Martia semper intendunt, dum nescio quo pacto assidue dimicantibus difficile est morum custodire mensuram: quapropter

pter omni protervia remota, quæ de præsumptione potest virtutis assumi, postulata facies sine intermissione restitui, oe per dilationis incommoda, eorum videatur supplex odisse victoriam.

VII. De potestate Regis.

Theodoricus Rex Eugenio V. I. Magistro officiorum.

QVanquam potestati nostræ, Deo faveote, subjaceat omne, quod volumus, voluntatem tamen nostram de ratione metimur, ut illud magis æstimemur elegisse, quod cunctos dignum est approbare.

VIII. De tributo tertiarum.

Theod. Rex Fausto præposito.

LIbenter omnibus modis præbemus assensum, quoties vox est justa poscentium: quia nec decet esse difficile beneficium, quod largitate non patitur detrimentum. Et ideo præcelsa magnificentia tua, quod à Chathaliensibus inferebatur genus Tertiarum, faciat annis singulis io tributaria summa persolvi: nec post super hae parte patiantur supplices aliquam quæstionem. Quid enim interest, quo nomine possessor inferat, dummodo sine imminutione quod debetur exolvat? Ita & illis suspectum Tertiarum nomen auferimus, & à nostra mansuetudine importunitates competentium submovemus.

IX. De bonis absentium tuendis.

Theod. Rex Festo v. i. atque patritio.

GRatum nobis est, quoties de magnitudinis tuæ meritis æstimatio talis procedit, ut & infirmorum auxilium, & absentium credaris esse tuitio. Nam ideo & Senator prior esse meruisti, ut te sequentibus pro justitiæ contemplatione præstares. Vnde fit, ut bona nobis de te crescat opinio, gloriosæ actioni; exemplo. Nulli enim propria res à discedente committitur, nisi de cujus bene conscientia judicatur. Idcirco præsenti jussione decernimus, ut domus patritii Angelli ad Africam discedentis, qui regnum peteus alterius, nostris est utilitatibus servitutus, salvis legibus tua tuitione valletur: ne violentos cujusquam impetus subtracta domini defensione patiatur. Perviæ sunt enim semper injuriis facultates absentium, & quodammodo videtur occasio homines in delictum trahere, quæ oon potest animum pervadentis de resultatione terrere. Ideoque celsitudo vestra, quam votum pium est habere vicinam gentis, erigat bumiles, eripiat opprimendos: &, quod potestatibus rarum est, proficiat cunctis, qui universis celsior inveniris.

X. Quod restituantur ablata, si præscriptio temporis definiti non obviat.

Theodericus Rex Domitiano & Williæ.

OPortet vos colere & observare justitiam qui æquitatem populo dicere suscepistis: quando non licet delinquere, qui alios creditur sub æquitatis regula continere: ne fiat exemplum pravum, qui electus ad laudabile cognoscitur institutum. Et ideo ad interrogationem vestram curavimus præbere responsum: ne per dubitationem possitis † errare, nisi quod absit) velitis excedere. Si Romani prædium (ex qun Deo propicio, † fonti fluenta transmisimus, ubi primum Italiæ nos suscepit imperium) sine delegatoris cujusquam petitione, præsumptor barbarus occupavit, eum priori domino † submota dilatione restituat. Quod si ante designatum tempus rem videtur ingressus, * adversus quam præscriptio probatur obviare triennii, petitionem jubemus quiescere pulsatoris. Illa enim reduci in medium volumus, quæ nostris temporibus præsumpta damnamus. Quia locus calumniandi non relinquitur, cum longi temporis obscuritas præteritur. De percussore tantummodo non etiam peremptore fratris, quamquam omnium communi lege damnetur, solumque sit parricidium, † quod totius tragœdiam reatus † exuperet: tamen humanitas nostra, quæ sibi † & in sceleratis locum pietatis inquirit, præseno auctoritate † definit, ut hujusmodi portenta provinciæ finibus abigantur. Nam quibus fuit exosa societas parentum, civium non merentur habere consortium: ne puri corporis jucunda serenitas, nebulosis maculis polluatur.

† orare
† nisi abs
† fonti
† semota
* quoniam præc.
† videtur
Præscriptio triginta annorum.
Fratris percussor relegatur.
† qui
† exuperet
† definivit
Parentum societas.

XI. De tributis solvendis, & quod debetur à majoribus, non solvatur à minoribus.

Theod. Rex Saturnino & Verbusio vv. ss.

FIsci volumus legale custodiri compendium: qoia nostra clementia rebus propriis videtur esse contenta. Et sicut nullum gravare cupimus, ita debita nobis perdere non debemus. Indigentiam juste fugimus, quæ suadet excessus: dum perniciosa res est, in imperante tenuitas. Modus ubique laudandus est. Nam cur aut vituperabilis negligentia in propriis defluat, aut aliena cupiditas turpis abradat? Et ideo vobis præseno jussione præcipimus, ut Adrianæ civitatis curialium insinuatione suscepta, quicunque Gothorum Fiscum detrectat implere, eum ad æquitatem redhibitionis arctetis. Ne tenuis de proprio cogatur exolvere, quod constat idoneos indebite detinere. Hac scilicet ratione servata, ut si quis contumaciæ vitio maluerit nostra jussa tardare, cum mulcta reddat, quæ debuit etiam non compulsus offerre: quatenus protervo spiritu indecenter erecta, impunita justis sæculis non relinquatur audacia.

XII. In

XII. De causa Principum Imperii discordantium judicanda.

Theodoricus Rex Cœliano & Agapito vv. ii.

DEcet quippe regalis apicis curam, generalitatis custodire concordiam: quoniam ad laudem regnantis trahitur, si ab omnibus pax ametur. Quid est enim, quod nos melius prædicet, quam quietus populus, concors senatus, totaque Respub. motum nostrorum honestate vestita? Hinc est, quod præsenti jussione † decrevimus, ut patritii atque magnifici viri, Festus atque Symmachus, contra illustrem & patritium Paulinum in judicio vestro, quas se habere dicunt, exerant actiones. Quibus pro legum ratione susceptis, & si juris ordo patitur definitis, tunc patritius Paulinus, quicquid adversum supra memoratos magnificos viros se habere causatur, pari sorte depromat. Nec tardari volumus in ejus quoque parte † sententiam, dum velimus omnia inter eos esse decisa, nihilque aliud relinqui, nisi quod debetur affectui. Videte ergo tanti judicii arbitros vos electos: videte expectationem nostram, æquabilem flagitare justitiam, † relaturi gratiæ uberrimum fructum, si præsens disceptatio, quos dignos credidit, non impares probet esse. Debet enim de talibus viris esse cura præcipua, qui dare possunt minoribus evidenter exempla. Nam qui inter pares summos viros litem negligit * abolendam, hoc imitari reliquos sine dubitatione permittit.

† decernimus.

† Sententiam dari volumus.

† relaturam

* Ver. absolvendam.

XIII. De conservatione ædificiorum.

Theod. Rex Sabiniano v.s.

NIl prodest initia rei solidare, si valebit præsumprio ordinata destruere. Illa sunt enim robusta, illa diuturna, quæ prudentia incipit, & cura custodit. Atque ideo non minor in conservandis rebus, quam in inveniendis adhibenda cautela est. Quia de initiis prædicatio debetur invento: de custoditis autem acquiritur laudata perfectio. Dudum siquidem propter Romanæ mœnia civitatis, ubi studium nobis semper impendere, infatigabilis ambitus erit, portum Lucini deputatis redditibus reparari jossio nostra constituit: ut viginti quinque millia tegularum annua illatione præstentur; simul etiam portubus junctis, qui ad illa loca aotiquitus pertinebant, & nunc diversorum usurpatione suggeruntur iuvasi. Cuncta ergo ad statutam præstatiooem facies sine dilatione revocari. Quia licet nostra jussa pro sua reverentia in nullo violanda sint, ea tamen custodiri volumus, maxime, quæ Vrbis faciem videntur ornare. Quis enim dubitet, fabricarum miracula hac provisione servata? & pendenti saxo formatas cameras tegularum tegmine custoditas? Vt antiqui principes nobis merito debeant suas laudes, quorum fabricis dedimus longissimam juventutem: ut pristina novitate reluceant, quæ jam fuerant vetustosa senectute fuscata.

XIV. De immunitate ecclesiæ.

Theod. Rex Fausto præposito.

NEfas est, apud eos fidem beneficii prioris imminui, quibus alia convenit à nostra sæpius largitate præstari. Sed sicut quæ semel annuimus, rescindi in perpetuum non merentur: sic qui largitatem nostram moderatis precibus impetrarunt, uostrorum terminos præstitorum immodica non debent præsumptione transcendere. Vnde quia religiosi studii reverentia commonemur, ut qoæ dudum Ecclesiæ viri venerabilis Versilæ antistitis præstitimus, valere in perpetuum censeamus: nunc quoqoe illustrem magnificentiam tuam duximus admooendam, quatenus super indictorum onera titulorum, præfata Ecclesia in ea summa non sentiat, quæ usque à magnifici viri Cassiodori patritii, pura nobis fide & integritate comperti, temporibus est soluta. Ea vero, quæ à tempore beneficii ad Ecclesiam vestram ab aliquibus est translata possessio, commune cum universis possessoribus onus solutionis agnoscat: & illius subjaceat functioni, cujus nacta est jura dominii. Alioqui grata nobis augmenta ejus esse non possunt, qui fisci damno proficiunt. Sufficiat possessori compendium pensionis. Tributa sunt † purpuræ, non lacernæ. Luctum cum invidia periculum est. Quanto melius, omnia moderata gerere, quæ oullus audeat accusare?

† Principis, non militiæ.

XV. Quod saxa in agris jacentia deputentur in ædificium civitatis.

Theoder. Rex universis Gothis & Romanis.

DIgna constructio civitatis in qua se commendet cura regalis: quia laus est temporum reparatio urbium vetustarum. In quibus & ornatus pacis acquiritur, & bellorum necessitas præcavetur. Ideoque præsenti jussione profutura sancimus: ut si quis cujuslibet generis saxa, in agris suis jacentia muris habuerit profutura, libens animo sine aliqua dilatione concedat. Qui tunc verios magis possidebit, cum hoc civitatis suæ utilitati indulserit. Quid enim gratius, quam videre crescere publicum decus, ubi omnium utilitas in generalitate concluditur? Et licet præstentur vilia, ad auctores suos magna sunt commoditate reddItura. Datur enim plerumqoe, quod majori utilitate recipitur. Et frequenter homo lucra sua complectitur, cum necessario pro temporis qualitate largitur.

XVI. De equis cursoribus publicis.

Theod. Rex universis Lucristanis super fontium constitutis.

NOn dubium est ad utilitatem Reipub. cursus custodiam pertinere: per quem nostris ordinationibus celerrimus præstatur effectus. Et ideo, velut necessariæ rei major adhibenda cautela est: ut

qui

qui ad continuos cursus constituti sunt, turpi macie non tabescant; ne jejuna tenuitas laboribus præventa succumbat: & incipiat iter fieri morosum quod ad celeritatem constat esse inventum. Quapropter devotio vestra, præsenti jussione commonita, terrarum spatia, quæ veredis antea licuerant mutationibus suis, à possessore vendicata restituat. Vt nec illis parvo spatio inducantur damna; & istis recuperata sufficiant.

XVII. De servo homicidii reo.

Theod. Rex Senatui urbis Romæ.

ANimum nostrum, Patres Conscripti, Reip. curis calentem, & diversarum gentium consilia perscrutantem, pulsavit sæpius querela populorum, orta quidem ex causis levibus, sed graves eructavit excessus. Deplorat enim pro Spectaculorum voluptate, ad discriminis se ultima pervenisse: ut legum ratione calcata, desperate persequeretur innoxios servilis furor armatus: & quod illis humanitas nostra lætitiæ causa præstitit, in tristitiam audacia plectenda convertit. Quod nos clementiæ nostræ solita provisione comprimimus: ne paulatim sinendo, graviorem vindicare cogamur offensam. Benigni quippe principis est, non tam delicta velle punire, quam tollere: ne aut acriter vindicando æstimetur nimius, aut leviter agendo putetur improvidus. Atque ideo præsenti definitione sancimus: ut si cujuspiam senatoris famulus, in ingenui cæde fuerit fortasse versatus, eum tradat legibus impetitum: ut facti qualitate discussa, proferatur jure valitura sententia. Si vero tanti facinoris reum fide mala dominus judiciis præsentare distulerit, noverit se decem librarum auri dispendio vulnerandum, & nostræ ingratitudinis, quod multo gravius est, pericula subiturum. Sed ut honestatem omnium par libra componeret, & civilitatis gratia redoctis moribus conveniret, ad populum quoque præcepta nostra direximus; quæ vobis referari libenter amplectimur: ut alterutra jussione pensata, sarciatur civibus scissa concordia. Proinde nullum à Spectaculorum gaudio removemus; sed seditionis semina radicitus amputamus. Intersit igitur inter splendorem vestrum, moresque mediocres, refugite tales familiares, qui sint injuriarum ministri: qui honori vestro nitantur adscribere, quod delinquunt: & dum levitates suas asserere cupiunt, vestram reverentiam implicare contendunt. Vos enim quos semper gravitas decet; nolite truculenter insequi inania verba populorum. Si quid est forte quod pœnam mereatur admissum; in Præfecti urbis notitiam deferatur: ut culpa legibus, non per præsumptam coerceatur injuriam. Quid enim discrepat à peccante; qui se per excessum nititur vindicare? Impœnitenda est ultio, quæ de legibus venit: & excellenter videtur de pulsato triumphasse, qui victor pronunciatur à judice. Inter ipsos quoque adversarios, ut scitis, non erunt prius armata certamina: sed pugnis se quamlibet fervida lacessebat intentio. Vnde & pugna nomen accepit. Postea Belus ferreum gladium primus produxit: à quo & bellum placuit nominari. Consilium atrox, crudele præsidium, ferina certatio. Nam etsi datum illi est prius inermem facilè vincere, tamen crimini applicandum est, quod inde posteritas potuit interire. Non permittatis ergò à famulis vestris fieri in civibus, quod adhuc debet in hostibus accusari.

XVIII. De seditionum auctoribus puniendis.

Theod. Rex Pop. Romano.

SPectacula voluptatum, lætitiam volumus esse populorum: nec erigere debet motus iratum, quod ad remissionem animi constat inventum. Ideo enim tot expensarum onus subimus, ut conventus vester non sit seditionis strepitus, sed pacis ornatus. Mores peregrinos abjicite. Romana sit vox plebis, quam delectet audiri. Convitia nec gaudium pariunt, nec de lætitia procreantur. Hoc fuit certe, quod culpabatis in exteros. Nolite modo vitia turbulenta contrahere; quæ videtis alios abjecisse. Atque ideo edictali programmate definimus, ut si atroces injurias in quempiam Senatorum vox injusta præsumpserit, noverit se à præfecto Vrbis legibus audiendum, ut pro facti qualitate discussa accipiat promulgatam jure sententiam. Verum ut omne semen discordiæ funditus amputetur, præfinitis locis pantomimos artes suas exercere præcipimus: quod vos poterit instruere ad præfectum Vrbis data præceptio. Tantum est, ut animis compositis peragatis lætitiam civitatis. Nihil est enim, quod studiosius vos servare cupimus, quam virorum veterum disciplinam: ut quod ab antiquis laudabile semper habuistis, sub nobis potius augeatis. Soletis enim aera ipsa mellifluis implere clamoribus, & uno sono dicere, quod ipsas quoque belluas delectet audire: profertis voces organo dulciores: & ita sub quadam harmonia cytharæ concavum theatrum per vos resonat, ut tonos possit quilibet credere, quam clamores. Nunquid inter ista rixæ decent, aut inflammata contentio? Abjicite furores læti, iram gaudentes excludite. Taliter enim animi aliorum temperari possunt, cum vestri fautores suaviter audiuntur. (Moderatio in spectaculis præcipitur.)

XIX. Sapit

XIX. *Super eodem.*

Theod. Rex Agapito viro illustri præf. urb.

† post
† venenosa
† partium
† diffinimus
† elegerint
† vetitum

EXimiæ urbis præsulem, pacis convenit esse custodem. Nam à quo melius moderatio debet sperari, quam cui potuit Roma committi? Illa enim mater omnium dignitatum viros sibi gaudet præsidere virtutum. Et ideo honori tuo debes animos exæquare: ut quod nostris adeptus es beneficiis, tuis meritis invenisse, credaris. Circunspicere te decet, nequa in Spectaculis seditionum causa nascatur: quia tuum præconium est, populus quietus. Sit insultandi consuetudo modetata: ut nec libertati pereat honesta licentia, nec desit moribus disciplina. Quocirca sicut nostris oraculis & amplissimum ordinem docuimus, & plebem decrevimus admoneri, hoc tuam quoque magnitudinem observare censemus. Vt si à quoquam irrogata fuerit iojuria senatori, confestim loquax temeritas legum severitate plectatur. Si vero senator, civilitatis immemor, quenquam ingenuum nefaria fecerit cæde vexari, protinus relatione transmissa perennitatis nostræ mulctam perculsus excipiat. Memlnerint enim cuncti, sic Spectaculorum studia partesque dividere, ut in patria debeant esse concordes: nec ad hoc voluptatum sibi exhiberi certamina, ut exinde hostilis ira fervescat. Verum, ne † posthac ulla possit iterum † furiosa contentio provenite, Helladius de medio, volnptatem populis præstaturus, introeat: habiturus æqualitatem menstrui cum cæteris † Prasini pantomimis. Illud etiam, quod crebras inter eos seditiooes exagitat, præsenti jussione † definimus, ut amatores Helladii, quem de medio saltare præcepimus, sine utriusque partis studio, spectandi eis ubi † delegerint, libera sit facultas. Si vero eorum lubrica voluntas in unius caloris servorem migraverit, studia sua populus tam in Circo, quam Theatro habeat pro parte quam diligit: ut is qui præsumpserit † vetita, ipse judicetur quæsisse discordiam.

XX. *De frumento non exportando.*

Theod. Rex Fausto præposito.

COpia frumentorum provinciæ debet primum prodesse, cui nascitur: quia justius est, ut incolis propria fœcunditas serviat, quam peregrinis commerciis studiosæ cupiditatis exhauriat. Alienis siquidem partibus debet impendi, quod superest: & tunc de exteris cogitandum, cum se ratio propriæ necessitatis expleverit. Atque ideo illustris magnificentia tua per loca singula, qui cutam videntur habere litorum, faciat commoneri, ut non ante quispiam peregrinas naves frumentis oneret, ad aliena litora transituras, quam expensæ publicæ ad optatam possint copiam pervenire.

XXI. *De remuneratione patrum in filios facienda.*

Theod. Rex Theoriolo v. s.

Commendat filios mortui officialis.
† commoneremur,
† Hic

VTilitas personarum bonarum debet successione renovari: ne defectu servientium patiatur aliquod res suspensa dispendium. Et ideo locum te jubemus quondam Benedicti in Pedonensi civitate ex nostra auctoritate suscipere t ut omnia vigilanti ordinatione procurans, nostræ gratiæ merearis augmenta. Debes enim advertere, quam vicissitudinem reddere studeamus vivis, qui mortuorum fidem non possumus oblivisci. Illud etiam pietatis nostræ consuetudine † commonemur, ut quoniam devotorum nobis memoria probata non defecit, antefati Benedicti quondam filios, qui syncera nobis cognoscitur devotione patuisse, civili facias tuitione vallari quatenus defensionis præsentis commodo sublevati, & † securitatem sibi gaudeant paterna servitia contulisse. Prosit ergo generi, quod potuit unius devotione præstari. Quia majora nos decet tribuere, quam videamur à servientibus accepisse. Hæc æqualitas æquitas non est: sed pars nostra justissime pensat, cum reddendo plus fuerit onerata.

De pœna uxoricidæ remittenda, & restituendis ei ablatis ob adulteram interfectam.

Theodoricus Rex Crispiano.

QVanvis homicidii facinus primus detestetur auditus, & cruentam manum oculi refugiant judicantium: quia proclivior ad misericordiam via bonis mentibus semper patet: tamen justitiæ consideratione liberandum est, qua cuique fiat injuria, nefarium scelus, quod nova infelicitate fortunæ commissum est: tunc fiat detestatio cunctorum, si se servet innoxium. Quis enim ferat hominem ad leges trahere, qui matrimonii nisus est jura violare? Feris insitum est, copulam suam extrema concertatione defendere. Dum omnibus est animantibus inimicum, quod naturali lege damnatur. Videmus tauros, fœminas suas cornuali concertatione defendere: arietes pro suis ovibus capitaliter insævire;

insæuire: equos adiunctas sibi fœminas colaphis ac morsibus vendicare. Ita pro copulatis sibi animas ponunt, qui verecundia non mouentur. Homo autem quemadmodum patiatur adulterium inultum relinquere, quod ad æternum suum dedecus cognoscitur commisisse? Et ideo si oblatæ petitionis minime veritate fraudaris, & genialis thori maculam deprehensi adulteri sanguine diluisti, nec sub prætextu cruentæ mentis, sed causa pudoris intendis: ab exilio quod tibi constat inflictum, te præcipimus alienum. Quoniam pro amore pudicitiæ porrigere ferrum maritis, non est leges calcare, sed condere. Ita tamen, vt si legitimus extiterit accusator, de facti tui qualitate te noueris audiendum: vt si innoxios peremisti, crimen publica districtione recenseatur. Si male initos complexus adulterorum morte diuisisti, æstimetur potius vindicta, quam culpa. Si quis autem tibi calumniantium damna generauit, & Agnello, vt asseris, fideiussori tuo à vicario vel eius officio extortam constiterit fuisse pecuniam, nostra iussione conuentus, secundum leges ablata restituat. Nolumus enim ea in cuiusquam prædam cadere, quos nostra visa est sententia liberare. Pari modo contra inciuilium impetus Candacis tibi tuitionem sub æquali defensione præstamus: vt nec legibus te subtrahat, nec iterum contra iura publica laborare permittat.

XXII. *De bonis pupillo à tutore restituendis.*

Theodoricus Rex Baioni v. s.

NOn est beneficium, quod præstatur inuitis: nec cuiquam videtur vtile, quod aduersa voluntate conceditur. Vnde spectabilitas tua Hilarii adolescentis nepotis tui cognoscat, nos querelis grauibus expetitos: quod res patris eius, non meliorandi causa, sed deteriorandi voto detineas. Quapropter quicquid ex iure memorato te retentare cognoscis, sine aliqua dilatione restitue: vt res parentum propria voluntate disponat. Quia & nobis congrua videtur esse persona, qui assumpta domini libertate proficiat. Pullos suos audaces Aquilæ tam diu procurato cibo nutriunt, donec paulatim à molli pluma recedentes, adulta ætate pennescant: quibus vt constiterit firmus volatus, nouellos vngues in prædam teneram consuescunt: nec indigent alieno labore viuere, quos potest captio propria satiare. Sic iuuenes nostri, qui ad exercitum probantur idonei, indignum est vt ad vitam suam disponendam dicantur infirmi: & putentur domum suam non regere, qui creduntur bella posse tractare. Gothis ætatem legitimam virtus facit. Et qui valet hostem confodere, ab omni se iam debet vitio vindicare.

XXIII. *De scholasticis ab Academia non dimittendis ante absolutum studiorum cursum.*

Theod. Rex Festo viro illustri patritio.

RAtionabiles petitiones supplicum libenter amplectimur, qui etiam non rogati iusta cogitamus. Quid enim est dignius, quod die noctuque assidua deliberatione voluamus, nisi vt Rempublicam nostram sicut arma protegunt, æquitas quoque inuiolata custodiat? Spectabilis itaque Filagrius in Syracusana ciuitate consistens, palatii nostri longa obseruatione dilatus, reuerti se ad lares proprios supplicauit: qui studiorum causa fratris filios ad Romanam exhibuit ciuitatem. Quos illustris magnificentia tua, ex nostra continens iussione, in supradicta Vrbe constituat, nec illis liceat ante discedere, nisi hoc secunda decernamus iterum iussione. Ita enim & illis ingeon prouectus acquiritur, & nostræ vtilitatis ratio custoditur. Non ergo sibi impositum putet, quod debuit esse votiuum. Nulli fit ingrata Roma, quæ dici non potest aliena. Illa eloquentiæ fœcunda mater, illa virtutum omnium latissimum templum. Sentiatur plane, quod clarum est. Non enim sine gratia creditur, cui habitatio tanta præstatur, quibus mora potest esse proficua: dum interdum expedit patriam negligere, vt sapientiam quis possit acquirere. Vlysses Ithacus nisi hoc fecisset, in laboribus propriis fortitan latuisset. Cuius sapientiam hinc maxime Homeri nobile carmen asseruit, qui multas ciuitates & populos circuiuit. Dum illi prudentiores semper habiti, qui multorum hominum conuersationibus probantur eruditi. Natura siquidem humana sicut duris laboribus instruitur, ita per otia torpentia fatuatur.

XXIV. *De militibus ad bellum exercendis.*

Theodoricus Rex Assio v. i. Comiti.

ORdinatio nostra non debet per moram impediri: ne quod salubriter constat esse dispositum, per tarditatis vitium incurrat obstaculum. Et ideo ante distribuenda sunt arma, quam possit flagitare necessitas: vt cum ea tempus exegerit, paratiores ad imperata sufficiant. Ars enim bellandi, si non præluditur, cum necessaria fuerit, non habetur. Proinde illustris sublimitas tua Salonitanis militibus, vt cuique se expediendi facultas obtulerit, pro nostra iussione arma necessaria procurabit: quia fida Reipub. salus est defensor armatus. Discat miles in otio, quod proficere possit in bello. Animos subito ad arma non erigunt, nisi qui se ad ipsa idoneos, præmissa exercitatione, confidunt. Gestiunt vituli certamina, quæ impleant ætate robusta. Catuli in nouellis venationibus ludunt. Focos ipsos comprehendere virgultis teneris inchoamus: cæterum si robora primis scintillis adhibeas, igniculum opprimis, quem fouere contendis. Sic animi hominum, nisi prius leniter fuerint imbuti, ad hoc quod tendis, idonei nequeunt reperiri. Primordia cuncta pauida sunt: & aliter timiditas non tollitur, nisi cum rebus necessariis nouitas abrogatur.

XXV. De officio Præfecti Vrbis.

Theodoricus Rex Senatui vrbis Romæ.

CAritatem vestram præcipuam nos habere, ex ipsa cura potestis agnoscere: pro quibus ita videmur esse soliciti, vt nihil admonitionis patiamur omitti. Cautela siquidem prodit affectum: & quæ studiosius diligimus, maiori gratia custodimus. Hinc est, quod viro illustri Artemidoro, diu nostris obsequiis erudito, Præfecturæ Vrbanæ dedimus fasces regendos. Vt quia quorundam illicitis seditionibus ciuilitas turbabatur, haberent innoxii purissimum testem, & errantes iustissimum paterentur vltorem. Quod nos, qui delectamur insontibus, in cunctorum notitiam duximus perferendum, ne quis inopinata districtione solide præsumat excedere. Quo circa talia nos præfato viro delegasse noscetitis, vt si quispiam inciuilis exiterit, districtionem illico nostræ iussionis incurrat. Et quanquam Præfecturæ vrbanæ hanc potestatem dederint leges, nos tamen specialiter delegauimus: vt confidentius fieret, quod duplex permisisset auctoritas. Audebit ergo seditiosos, & à disciplina publica deuiantes, nostra auctoritate percellere. Quiescat concertantium feruor animorum. Bona pacis, quæ Deo propitio, nostro labore meruistis, cur seditionibus fœdantur illicitis? Nunquam maiori damno periclitati sunt mores, quam cum grauitas Romana culpatur. Reparet itaque honesta ciuitas moderationem suam. Pudor est degenerasse à prioribus: eo præsertim tempore, cum talem Principem cognoscitis vos habere, qui præmia benemeritis, vltionem tribuat inquietis.

XXVI. De ruinis Vrbis ex lapidum ruderibus restaurandis.

Theod. Rex Suræ v. i. Comiti.

SIne vsu iacere non debet, quod potest ad decorem crescere ciuitatis: quia non est sapientiæ, profutura contemnere. Et ideo illustris magnificentia tua marmorum quadratos, qui passim diruti negliguntur, quibus hoc opus videtur iniunctum, in fabricam murorum faciat deputari. Vt redeat in decorem publicum prisca constructio, & ornent aliquid saxa iacentia post ruinas: ita tamen, vt metalla ipsa de locis publicis corruisse, apud te manifesta ratione doceatur. Quia sicut nolumus ornatum Vrbis cuiusquam præsumptione temeraria violari, ita priuatis compendiis calumniam detestamur inferri.

XXVII. De damno ab exercitu dato resarciendo.

Theod. Rex Seuero viro venerabili episcopo.

QVis melius ad æquitatis iura deligitur, quam qui sacerdotio decoratur? qui amore iustitiæ personaliter nesciat iudicare, & diligens cunctos in commune, locum non relinquat inuidiæ. Proinde aptam considerantes vestris meritis actionem, significamus nos per Montanarium sanctitati vestræ mille quingentos solidos destinasse, quos prouincialibus, prout quemque præsenti anno, exercitu nostro transeunte, dispendium pertulisse cognoueris, habita læsionis æstimatione distribuas. Vt nullus à nostra munificentia reddatur alienus, quem sua damna grauauerunt. Nolumus enim sub confusione largiri, quod decet sub ratione distribui. Ne quod necessario nos transmisisse constat afflictis, superfluo tribuatur illæsis.

XXVIII. De rescindendo contractu inito cum muliere rapta.

Theod. Rex Specioso viro deuoto comitiaco.

PRopositum regale est, grauatis per iniuriam subuenire: vt coertio praui, iustitiam faciat plus amari. Nec dissimulari potest, salua communione qua viuitur, vt sollicitatores publicos habeat genialis thori reuerenda societas, & illud humani generis procreabile sacramentum, scelerata temeritate profanetur. Agapitæ igitur spectabilis fœminæ supplicatione commoti (quæ ab vniuersis temtatum asserit suum secretum, vt etiam promitterent de nece mariti, à quo iuste potius mererentur extingui) præsenti iussione decreuimus, vt à tempore, quo iugalem copulam animo vitiata dereliquit, omni contractu, qui leuitatis errore firmus esse non potest, legum ratione cassato, quicquid à retentatoribus constiterit possideri, sine vlla facias dilatione restitui. Ne scelerati ad illusionem iustitiæ fraudum suarum valeant compendia vendicare. Nimis enim absurdum est, vt quos pœna meruit consumere, etiam lucrum sibi valeant vendicare.

XXIX. Super eodem.

Theod. Rex Prouino v. i. patritio.

INter cætera Humani generis pondera coniugalis affectus curam sibi præcipuam vendicauit. Non immerito, quia in honore esse meretur, vnde reparatio posteritatis acquiritur. Omne facinus auctores solos insequitur. Horror matris transit ad filios: & nouo infelicitatis euentu, fit dedecus proprium, scelus alienum. Ideo enim iura vel diuina vel publica nexum coniugii tanta cautela præcipiunt custodiri, vt crimen sit magnum conscientiæ, alienos affectus in reuerentiam non habere. Basilius siquidem vir spectabilis datis precibus intimauit, Agapitam coniugem suam de propriis penatibus à quibusdam, vitio sollicitationis, abductam, dum sexus ille fœmineus ad mutabilitatis vitia patet. Quod etiam oblata nobis supra memoratæ coniugis suæ petitione firmauit. Adiiciens, eam cum in sacrosanctæ ecclesiæ septa refugisset, ignorante marito, magnitudini tuæ casam Arecinatinam ratione proposita contulisse. Vnde nunc respiciens deplorat ingestam sibimet grauissimam nuditatem, fa-

ctum

ctum suum ipsa condemnans. Quippe vt pauper diuiti, casto lubrica, prudenti viro donaret insipiens. Nunc abiicite lucra, quæ honestam non videntur commendare personam. Quia illud vos potius decet acquirere, quod & famam vestram possit augere. Hinc etiam prius præcepta dederamus: & nunc iterata iussione, repetimus, vt suprascriptam rem sine aliqua dubitatione reddatis. Alienatio enim rerum solidum desiderat habere iudicium. Et certe in his versata rebus, firmum docetur perdidisse consilium. Quid enim facere potuit probum, quæ nullis culpis extantibus reliquit maritum?

XXX. De larda non exportanda.

Theod. Rex Comiti Siliquatariorum & portus curas agenti.

SI desideriis nostris commercia peregrina famulantur: si prolato auro acquiritur externa deuotio, quanto magis suis bonis abundare debet Italia, cum nulla in parendo probetur sentire detrimenta? Et ideo speciem laridi nullatenus iubemus ad peregrina transmitti, sed in vsus nostros propria diuinitate seruetur. Ne quod in nostris partibus conficitur, noxia negligentia deesse videatur. Cauete itaque, ne culpis quamuis parua præbeatur occasio: scientes periculum grauissimum fore, si studeatis vel leuiter inlussa committere. In qualitate est, non in quantitate peccatum: siquidem mensuram non quærit iniuria. Imperium, si in paruo contemnitur, in omni parte violatur.

XXXI. De fideiussore principalis liberando.

Theodoricus Rex Fruinail Saioni.

COmmouemur quidem pietatis studio querela supplicum: sed ea maxime, quæ versatur in dispendiis innocentum: vt quibus non fuerint in exigendo compendia, grauem subeant in reddendo iacturam. Quod nostri temporis manifestum est, non decere iustitiam, vt alterius despectus alterum grauet, & reatus sit innoxiis de contemptibus alienis. Vlpianus siquidem flebili petitione suggessit, administrationis suæ tempore debitorem publicum in quadringentis solidis, Venantio postulanti, fideiussionis se vinculo tradidisse. Quo sponsionem suam præsumptione truculentium rusticorum despiciente, complere supplicem memoratus solidorum numerus onerauit. Ideoque prædictum Venantium, quem frequenter multorum scelerum pulsat inuidia, notum solummodo querelis assiduis, in præsenti negotio decernimus conueniri: vt legaliter conuictus, ea quæ promisisse suggeritur, sine aliqua mora tergiuersationis adimpleat. Quia melius semper legum pondere pressa curatur audacia: & dum metus talibus imponitur, peccandi licentia non præbetur.

XXXII. De filio, qui in parentes proprias manus iniecit violentas, puniendo.

Theod. Rex Symmacho patritio.

QVis possit accusare iam reliqua, si pietatis nomina probantur esse crudelia? Negligitur leuis reatus, cum tragœdia criminis magna tonuerit, nec aliquis nititur, quod paruum est, vindicare, si delicta summa respiciantur euadere. Inimicum trucem ratio ipsa professionis ostendit: iratum plerumque potens inuenit collegam: inobedientem vero filium declinare pœnas, non permittit humanitas. Vbi est illa naturæ vis, quæ amplexu copulæ destinatur ad posteros? Ferarum catuli sequuntur parentes: à cespite suo virgulta non discrepant: propago vitis propriæ seruit origini, & discrepat homo à suo fusus initio! Quid dicamus illa beneficia, quæ vel extraneam possunt obligare personam? Nutriuntur à paruulis, ipsis laboratur, ipsis diuitiæ conquiruntur: & cum sibi vnusquisque credat abundare quod possidet, cum à patribus adhuc quæritur, pro altera potius ætate peccatur. Proh dolor, non mærebimus eorum affectum, pro quibus subire non recusamus exitium? Maria ipsa, sæuis tempestatibus excitata, genitoris cura non refugit: vt peregrinis mercibus acquirat, quod propriæ soboli derelinquat. Aues ipsæ, quarum vita semper in escis est, naturam suam extranea sorde non maculant. Ciconia, redeuntis anni iugiter nuntiatrix, eiiciens tristitiam hyemis, lætitiam verni temporis introducens, magnum pietatis tradit exemplum, nam cum parentes eorum pennas senio coquente laxauerint, nec ad proprios cibos quærendos idonei potuerint inueniri, plumis suis genitorum membra frigida refouentes, escis corpora lassa reficiunt: & donec in pristinum vigorem alis grandæua redient, pia vicissitudine iuuenes reddunt, quod à parentibus paruuli susceperunt. Et ideo non immerito longa vita seruantur, qui pietatis officia non relinquunt. Perdicibus etiam mos est, oua perdita per alterius matris damna sarcire: vt adoptione alienæ sobolis incommoda suæ reparent orbitatis, sed mox, vt nati fiduciam habere cœperint ambulandi, ad campos exeunt cum nutrice: qui vt fuerint materna voce commoniti ouorum suorum potius genetricem petunt, quamuis ab aliis, furtiuis fœtibus, educentur. Quid ergo homines facere debebunt, quando & hanc pietatem auibus inesse cognoscunt? Romulum itaque, qui facti sui acerbitate pollutus, nomen fœdat Romanum, ad vestrum facite venire iudicium: & si eum patri suo Martino manus iniecisse constiterit, protinus legitimam sententiat vltionem. Quia ideo elegimus mores vestros, quia crudelibus parcere non potestis. Quando genus pietatis est, in illos distringere, qui contra naturæ ordinem sceleratis se docentur actionibus miscuisse.

XXXIII. Immunitas Presbytero concessa in contributione cæteros non grauet.

Theod. Rex Honoratis possessoribus, defensoribus & curialibus Tridentinæ ciuitatis.

MVnificentiam nostram nulli volumus extare damnosam: ne quod alteri tribuitur, alterius dispendiis applicetur. Et iden præsenti auctoritate cognoscite, pro sorte, quam Butiliano presbytero nostra largitate contulimus, nullam debere soluere fiscalis calculi functionem: sed in ea præstatione, quanti se Solidi comprehendunt, de Tertiarum illationibus vobis noueritis esse releuandos. Nec inferri à quoquam volumos, quod alteri nostra humanitate remisimus: ne, quod dictu nefas est, benemeriti munus innocentis contingat esse dispendium.

XXXIV. Ecclesiæ & Episcopo nullum ius esse in Curiales ciuitatum.

Theod. Rex Gudilæ Episcopo.

PRiscarum legum reuerenda dictat auctoritas, vt nascendo Curialis nullo modo possit ab originis suæ muniis discrepare, nec in aliud Reipublicæ officium trahi, qui tali præuentus fuerit sorte nascendi. Quod si eos vel ad honores transire iura vetuerunt, quàm videtur esse contrarium, Curialem Reipubl. amissa turpiter libertate seruire? & vsque ad conditionem peruenisse postremam, quem vocauit Antiquitas Minorem Senatum? Nouerit itaque reuerentia uestra, Sarsenates municipes collegas suos asseruisse, Ecclesiam vestram irrationabiliter sibi velle defendere. Vnde prouidentia vestra, pro integritatis suæ proposito examinata veritate discutiat, quæ veniunt in querelam: & si desideria petitorum veritate subsistunt, pro implendis muniis eos ad Curiam suam remeare permittat. Si vero clero vestro creditis in eis aliquid rationabiliter suffragari, ad nostrum Comitatum instructam personam modis omnibus destinate, quæ aduersariorum debeat intentionibus obuiare. Quod si de negotii qualitate dubitatis, conuenit sacerdotalibus institutis, vt ante controuersiam iustitiam magis ipse cognoscas, quàm de iudicio victus abscedas. Talem siquidem non oportet publice superari, quem amatorem æquitatis conuenit inueniri.

XXXV. Seruorum, qui dominos occiderunt, pœna.

Theod. Rex vniuersis Gothis & Romanis, & his qui portubus vel clusuris præsunt.

CVncta quidem iure detestamur scelera, & omne, quod iniquum est, clemens execratur auditus: sed ea maxime, quæ humani sanguinis effusione, polluta, nostram contra se incitauere censuram. Quis enim ferat, in domesticis præsidiis locum fuisse periculis? & ibi inuentum dulcis vitæ exitum, vnde nasci debuerat defensionis auxilium? Et ideo præsenti iussione mandamus, vt in famulos, qui Stephanum dominum suum plectibili scelere trucidantes, inhumatam quoque reuerentiam eius funeris abiecerunt, legum districtione resecetis. Quatenus qui exemplis prouocantur pessimis, pœnis arceantur aspectis. Proh dolor, pietas in auibus inuenitur, quæ ab humana conditione deseritur. Vultur ipse, cui vita est cadauer alienum, tantæ magnitudinis corpos nec exiguis alitibus probatur infestus, sed magis accipitrem, vitam plumigerum auium persequentem, alis cædit, ore dilaniat, totoque suo pondere pericliantibus nititur subuenire. Et homines parcere nequeunt, cuius se genus esse cognoscunt: Ille non vult extinguere, quos poterat vesci: serui maluerunt occidere, qui eos superstes consueuerat enutrire. Fiat ergo pastus pii vulturis, qui necem potuit crudeliter desiderare pastoris. Tali potius sepulchro recipiatur, qui dominum reddidit insepultum.

XXXVI. De emphyteusi à negligentibus reuocanda.

Theodoricus Rex Ioanni Apparitori.

GRaue nimium est, vt fructu laboris sui fraudetur industrius: & cui adhibetur pro sedulitate conferri præmium, dispendium patiatur iniustum: in ea præsertim re, quæ ad nostram respicit largitatem: cui nihil debet licere negligentiæ, ne videamur minus profutura sanxisse. Dudum siquidem Spei & Domitio, spectabilibus viris, loca in Spoletino territorio, cœnosis fluentibus inutiliter occupata, largitas nostra concesserat, vbi aquarum vasta profunditas terrenam gratiam in nullos vsus profuturam absorbuerat. Iacebat tellus naufraga, palustri tempore confusa, & sub vtroque iactata dispendio: nec aquarum puros liquores meruerat, & decus terrenæ soliditatis amiserat. Hoc nos, quibus cordi est, in melius cuncta mutare, supra memoratis tali conditione non concessimus, vt si eorum opera vel labore turpis desiccaretur illuuies, ipsis liberata rura proficerent. Sed quantum actorum Spei loquitur ingesta petitio, Domitii viri spectabilis vitio, dum immemor iussionis tenaciter parcit expensis, ad initium reuocatus est labor operantium, cum iam in Solis faciem paulatim mollicies siccata durescceret, cælatamque longa voracitate tellurem Sol insuetus afflaret. Quod nos nequaquam negligi posse patiemur, vt bene accepta inuida destruantur ignauia. Proinde deuotio tua præfatum Domitium moderata executione conueniat, vt acceptæ rei sedulus operator immineat, aut si hoc sibi sumptuosum esse crediderit, propriam cedat supplicantibus portionem. Oportet enim, vt si opera postulata nequit efficere, consortem beneficii, gloriam nostri temporis, permittat implere.

XXXVII. De licentia Scholaſticis danda eundi ad ſepeliendum patrem.

Theod. Rex Feſto v. i. Patritio.

AEquum eſt, vt commodet ſe regalis pietas Fati vulnere ſauciatis: quia erigi plus merentur, quos ſortis ſuæ aduerſa preſſerunt. Atque ideo magnificentiæ tuæ præſenti auctoritate declaramus, vt † Hecditii filios, quod in Vrbe primitus reſidere cenſuimus, ad patriam cum genitoris ſui funere, votiuo quidem reditu, ſed acerbo caſu, remeare iubeatis. Ne eorum deſideriis abnegatis, vulnus geminetur afflictis: & quod nefas dictu eſt, qui dolorum nubila, noſtra ſemper ſerenitate, detergimus, nunc miſeris pias lacrymas denegare videamur. Inſanabilis quippe fletus eſt, qui humandis non finitur corporibus intereſſe: dum ſemper ſe reum iudicat, qui cineribus iuſta non præſtat. Priamus quanto pretio ſepeliendum Hectorem redemit? rogauit furentem, ſupplicauit armato, vitamque ſuam exponere maluit, vt cadaueri debita non negaret. Et quoniam in his perſonis mutua ſunt officia pietatis, iniquum eſt, filium genitori gratuito non impendere, quod patrem magnis talentis conſtitit effeciſſe.

†Codicil.

XXXVIII. De oneribus publicis non imponendis iam publico ſeruitio occupatis.

Theod. Rex Ampelio, Diſpoſitio & Theodulo v. v. v. s. s. s.

DEcet noſtri temporis diſciplinam, vt qui publicis vtilitatibus ſeruiunt, ſuperfluis oneribus non grauentur. Nec dignum eſt, vt cuiusquam lædat inuidia, noſtris moribus ordinata. Quapropter † figulinis regia vobis auctoritate conceſſis, operam * nauanter impendite. Nec vereamini ad † alias vos actiones poſſe † traduci, à quibus iniuncta præſentia vix credimus explicari. Ceſſauit ergo * contra vos improborum nefanda præſumptio, & obſcuris dolis effectum noſtra tollit auctoritas. Incaſſum enim odit, cui ſe principalis clementia obiecerit.

Figulinarum conceſſio. † figulis vſus. * ouantes, al. ornanter. † alias actiones † traducel cures

XXXIX. Quod maiores non grauentur vltra debitum in præſtatione debitorum.

Theod. Rex Senatui vrbis Romæ.

COnſtat, Senatum populis viuendi regulam præſtitiſſe. Nam quod ornat nomen Romanum, à vobis legitur inſtitutum. Ad hoc Patres in illo principio nominati, vt quaſi filiorum per vos poſſit vita componi. Vos enim deuotionem prouinciis, vos priuatis iura decreuiſtis, & ad omnes iuſtitiæ partes ſubditos parere libenter docuiſtis. Et ideo non decet inde ſignum reſultationis exire, vnde exemplum potuit moderationis effulgere. Quod noſtra clementia, cui cordi eſt, rerum omnium tenere menſuram, in veſtram notitiam credidit perferendum. Ne magis ignorantia nutriatur exceſſus, ſub quorum conſcientia error non poteſt eſſe perpetuus. Igitur prouincialium iudicum relatione, ad magnificum virum Præfectum prætorii directa, comperimus, ſic primæ transmiſſionis tempus exemptum, vt nihil aut parum à Senatoriis domibus conſtet illatum. Allegantes, per hanc difficultatem tenues deprimi, quos magis decuerat ſubleuari. Fiet enim, vt exactorum nimietas, dum a potentibus contemnitur, in tenues conuerſa graſſetur, & ille potius ſoluat aliena, qui eſt deuotus ad propria: præterea multa acerbiora iungentes, quod pro ſua quiſque voluntate aliquid exigentibus dignetur obiicere. Quæ tamen omnia detrimenta Curialibus dicuntur infligi: vt qui in vſus publicos fuerant noſtra prouiſione reparati, contumacibus diſtrahantur iniuriis. Atque ideo P. C. qui parem nobiſcum Reipubl. debetis annisum, ſic æquabiliter ordinate, vt quicquid vnaquæque domus Senatoria profitetur, deſtinatis procuratoribus per prouincias trina illatione perſoluat. Aut certe, quod in locum beneficii ſolebatis expetere, arcæ Vicarianæ ſedis, ſi id diligitis, vniuerſa complere: ne neceſſe ſit curiali per multiplicem & inefficacem conuentionis laborem in exiguis veſtris illationibus ſua potius damna ſuſcipere, eueniatque deteſtabilis caſus: vt qui functionem propriam vix poterat ſuſtinere deuotus, alienis oneribus prematur infirmus. Quod nos, ſalua ciuilitate, diſſimulare non poſſumus, vt ſine acerbitate belli rebus ſuis exuantur oppreſſi, & illi magis pereant, qui Reipubl. parere feſtinant. Hoc etiam nos edictali programmate in cunctorum noueritis prouincialium notitiam pertuliſſe, vt libere prorumpat in publicum, qui ſe alienæ functionis pondere nouit oppreſſum, relaturi à nobis iuſtitiæ fructum, qui feſſis nouimus dare præſidium.

XL. Super eodem.

Edictum Theoderici Regis.

QVamuis ſit querela vox doloris, nec ſe contineant immuniti, & læſus animus vociferatione paſcatur: tamen liberior ſermo promitur, ſi noſtra auctoritate laxatur. Deteſtamur enim, miſeros premi: commouemur & non querentium malis: velociusque ad nos peruenit, quod diſſimulatio patientis abſcondit. Merito, quando cunctorum nos reſpiciunt auido ore læſiones. Dum illud pietati noſtræ perire credimus, quod per mediocrium damna ſentimus. Nuper itaque prouincialium iudicum relatione comperimus, domos quaſdam præpotentium ſuas non implere per ordinem functiones. Hinc fieri, vt dum illationis quantitas procurari queritur à tenuibus, ſumma potior exigatur. Superbia deinde conductorum canonicos Solidos non ordine traditos, ſed ſub iniquo pondere imminentibus fuiſſe proiectos, nec vniuerſam ſiliquam, quam reddere conſueuerant, ſolemniter in-

tulisse. Proinde factum est, vt Curiales quibus nos volumus esse prospectum, imminentium sollicitudine coacti, grauia damna sentirent, &, si dici fas est, cum alienis debitis sub truculentis compulsionibus vrgerentur, possessionum quoque suarum amissione priuati sunt. Quod scelus vt debeat amputari, ad reuerendissimum quoque Senatum præcepta transmisimus, & nunc edictali programmate definimus, vt quisquis Possessorum siue Curialium grauatum se senserit in aliena calculi functione, ad nostræ serenitatis audientiam venire deproperet, scitutus, nobis priores excessus omninn displicuisse, cum viderit profutura succedere. Patuit ergo vobis arbitrium iusti principis, quamuis multis semper declaretur iudiciis. Nunc autem sub silentio patientiam doloris abducite, aut sub iustitia iter vocis aperite. Iam in vobis erit huius summa consilii, quibus adiacet eligere, quod vobis prospiciris expedire.

XLI. Quod Apulia & Calabriæ negotiatores publici non grauentur.

Theod. Rex Fausto præposito.

NVllius compendiis delectamur iniustis: nec ad animum nostræ pietatis perueniunt, quæ probitatis gratia deseruntur. Respub. siquidem iure semper æquitatis augetur: & cum temperantia diligitur, velociter profutura succedunt. Atque ideo illustrem magnificentiam tuam, Negociatorum Apuliæ siue Calabriæ supplicatione permoti, duximus instruendam, vt frumenta quæ per supradictos negociatores publico comparantur, non iterum ab eisdem interpretii nomine Solidorum quantitas exigatur. Nam si coemptam speciem expensis publicis necessariam non habetis, ab officio vestro suscepta moderatio fideliter distrahatur, euentum rei ratio fiscalis habitura est, quæ iniuste videtur imposuisse quod respuit. Nimis enim iniquum est, vt ille patiatur dispendium, qui imperium fecit alienum: pari conditione censentes de saxtario quoque, quem negociator eius prouinciæ videtur inferre: ne quis audeat damnata semper pretia proternus exigere: & vt validius retundamus excessus, pœnam xxx. librarum auri sedis nostræ præfectis imponimus, si quis contra hæc saluberrima constituta ausu temerario venire tentauerit. Officium verò decem librarum auri dispendio se nouerit esse feriendum, si inhibitas præsumpserit exequi iussiones. In illa quoque parte fessis clementia nostra se porrigit, vt si pensionem huius tituli Siliquario præstat, monopolium quoque negociator exerceat. Si vero Siliquarius hunc titulum negociatoribus indicat abrogandum, nullam ab eis exigat pensionem. Quia satis absurdum est, vt affligatur damnis, qui commoda non habet actionis. In autariis denique priscus ordo seruetur, & ad eos tantum functio ipsa respiciat, quos huic titulo seruire voluit antiquitatis auctoritas. Quapropter beneficia nostra erga negociatores, qui nostris titulis necessarii comprobantur, omnibus modis facite custodiri: ne genus hominum, quod viuit lucris, ad necem possit peruenire dispendiis.

XLII. De danda Iudæis licentia reficiendi Synagogam.

Theod. Rex Vniuersis Iudæis Genuæ consistentibus.

SIcut exorati iustum cupimus præbere consensum, ita per nostra beneficia fraudes fieri legibus non amamus: in ea parte præcipue, in qua diuinæ reuerentiæ credimus interesse. Ne ergo insultare videantur elati, diuinitatis gratia destituti. Quapropter tegumen tantum vetustis parietibus superimponere Synagogæ vestræ, præsenti vos auctoritate censemus, petitionibus vestris eatenus licentiam commodantes, quatenus constituta diualia permiserunt. Nec aliquid ornatus fas sit adiicere, vel in ampliandis ædibus euagari. Noueritis vos seueritatem minime diffugere veteris sanctionis, si rebus non abstineatis illicitis. In ipsis vero parietibus cooperiendis, vel reficiendis tantum licentiam damus, si vobis triecennalis non potest obesse præscriptio. Quid appetitis, quæ refugere deberetis? Damus siquidem permissum, sed errantium votum laudabiliter improbamus. Religionem imperare non possumus: quia nemo cogitur, vt credat inuitus.

XLIII. De tuitione prædiorum & hominum Ecclesiæ.

Theod. Rex Adilæ v. s. Comiti.

QVamuis nullos velimus grauamen aliquod sustinere, quos videtur pietas nostra protegere (quia regnantis est gloria, subiectorum ociosa tranquillitas) tamen specialiter Ecclesias ab omni iniuria reddi cupimus alienas: quibus dum æquabilia præstantur, misericordia diuinitati acquiritur. Et ideo beatissimi viri Eustorgii Episcopi sanctæ Mediolanensis Ecclesiæ petitione permoti, præsentibus te affatibus admonemus, vt prædiis vel hominibus illius Ecclesiæ intra Siciliam constitutis tuitionem studeas salua ciuilitate præstare. Nec à quoquam, cuiuslibet nationis homine, contra fas patiaris opprimi, quos decet diuinitatis intuitu subleuari. Ita tamen, vt causis publicis & priuatis, quæ contra eos rationabiliter proponuntur, respondere non differant. Quia sicut nolumus, eos ab aliquo prægrauari, ita exemptos à tramite iustitiæ non patimur inueniri.

XLIV. Vt eximatur ab illatione tributorum, qui deputabitur seruitio pauperum.

Theod. Rex Fausto præposito.

NOn præiudicat iuri publico personalis exceptio: quia beneficialem esse principem licet, nec intra regulas constituti potest munificentia regalis arctari. Ita leuis coerceatur grauissimis institutis impatiens, ambitio iure frenetur. Clementia non habet legem, nec debet sub angustis terminis benigna

gna ſequi, quem decet ſine fine laudari. Defenſores itaque ſacroſanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ pro expenſis pauperum, quæ ſub lucri exaggeratione funduntur, vnum ſibi ex negociatoribus vrbis ſuæ deſiderant oportere præſtati: qui pro empton ſ functus officio, exceptis negociationis oneribus debeat implere, quod ſuſcipit. Hæc enim nos & Rauennati Eccleſiæ commemorant, motos rationabili allegatione, tribuiſſe: quod pietatis exemplum, ad ſuum quoque commodum ſupplicant transferendum. Ideo illuſtris & præcelſa magnificentia tua (ſalua in aliis negociationibus commoditate publica, quæ ab vniuerſo corpore conſueuit inſerri) vnum eis, quem ſibi viri fuerint eligere, deputabit, qui ita commercium negociationis exerceat, quatenus nec Monopolii, nec Siliquatici, nec Aurariæ aliquid penſionis impendat, vel quodlibet grauamen ex permiſſa nundinatione ſuſtineat. Cur enim illud tardemus annuere, vnde nulla pnſſumus damna ſentire?

XLV. De pecunia fabricis publicis deſtinata non ſubuertenda.

Theod. Rex Arthemidoro præfecto vrbis.

GAndemus, in te noſtra floruiſſe iudicia: lætamur, dignum præſulem te Romanis arcibus extitiſſe, qui generoſis animis amicum ftaudibus nnn paſſus es velare ſecretum, ne vos aut delicta complices facerent, aut ſecuritas ad maiora potius incitaret. Atque ideo vniuerſa pecunia, quæ fuerat ſabricis deputata Romanis, & nunc magnitudinis tuæ diſcuſſione conſtiut, † abiutatam, cum nec reddita ſuo tempore nec docetur expenſa, ſine aliqua dilatione reſumatur: & vobis ordinantibus iterum Romanis mœnibus applicetur. Nefas eſt enim, vt in alios vſus tranſeant, quæ ſibi ſubtracta non immerito Roma ſuſpirat. Deberemus itaque cælatores deputatæ pecuniæ in non modica pœna percellere, qui in tali cauſa noſtram munificentiam fraudauerunt. Sed affuit moderatrix, ſemper quæ nobis eſt iuncta, clementia: ne indecore facta plectamus grauiter incitante inſtitia. Sufficiat nobis, cupiditatem non impleſſe, quod voluit. Nec maior poteſt prouenire vindicta, quando velut propria videtur perdere, qui ſe ſuppreſſa turpiter vendicaverat poſſidere.

XLVI. De furto inquirendo.

Theod. Rex Tancilæ V. S.

ACerbum nimis eſt, noſtris temporibus antiquorum facta decreſcere, qui ornatum vrbium quotidie deſideramus augere. Quocirca præſentibus te iuſſionibus admonemus, vt de Comenſi ciuitate æneam ſtatuam, quæ periiſſe ſuggeritur, omni animoſitate perquiras. Spondens etiam centum aureos, ſi quis hæc ſacrilega prodere ſuria maluerit. Quatenus promiſſio noſtræ ſerenitatis trepidos ad ſpem confeſſionis inuitet, quæ etiam ad te deſtinata edicta proloquantur. Sed cum hæc tamen iuſſa promulgaueris, ſi adhuc facinus ſecreto velauerint, poſt diem venerabilem locorum artifices facias congregari, à quibus ſub terrore perquire, quo miniſtro fuerit perpetratum. Ab imperius enim harum rerum ſtatuæ facilis euerſio non fuiſſet, niſi eam tentaſſet monere loco magiſtra præſumptio.

XLVII. De mercede danda illis, qui reuelarunt furtum & pœna infligenda furibus.

Edictum Theodorici Regis.

QVannis ad proditionem ſceleris relaxata nimis pœna ſufficiat, nec parum ſit munus audaciæ, ſupplicii declinaſſe terrorem: addimus tamen præmium, quod habere innocentia ſolet. Non quia commiſſa placuerunt, ſed delectat nos munificos eſſe in amore vindictæ. Quapropter præſentis edicti vnus quiſq; auctoritate cognoſcat, centum ſe aureos largitate noſtra promereri, ſi prodat, qui ſtatuam de Comenſi ciuitate rapuerit, & de ſuo facto, quod maxime nocens requirit, indulgentiam ſe nouerit habiturum. Damus in æneo compendio aureum munus: & metalla, quæ inuenire poſſumus pretioſiora, largimur. Illud potius hac liberalitate redimentes, ne tranſeat in vſum, quod conſtat eſſe prohibitum. Quis ergo tanta ſtultitiæ cæcitate damnetur, vt dubitet erumpere, quando & ſecuritatem reperit, & præmium confeſſionis acquirit? Si quis autem diſſimulandum forte crediderit, eumque aliquo veritatis indicio ſerenitas noſtra detexerit, vltimo ſe nouerit diſcrimine rapiendum. Indignum eſt enim, vt qui reſpuunt indulgentiam noſtram, detectis poſtea ſuffragetur humanitas.

XLVIII. Quod ciuibus ſuper operis exhibitione, conſuetudo alia nullatenus deputetur.

Theod. Rex Fauſto præpoſito.

PRonentum regni noſtri benignitas debet æmulari: vt tantum humanitas relaxet dona, quantum Reſpublica ſuſcepit augmenta. Non enim aliter laudatum modum poſſumus cuſtodire, niſi ad conſiderationem rerum noſtrum debeamus excitare propoſitum. Inter tot enim quotidie, Deo propitiante, ſucceſſus, tenacitatis eſſet vitium anguſta largitate contentum. Atq; ideo illuſtris magnificentia tua præſenti auctoritate cognoſcat, Spoletinis ciuibus ad exhibitionem Thermarum ſupra conſuetudinem aliam millenam eſſe deputandam. Cupimus enim libenter impendere, quæ ad ſalubritatem ciuium nouimus pertinere. Quia laudes ſunt noſtrorum temporum, celebrata gaudia populorum.

XLIX. Quod negociatores depopulatione vaſtati, vſque ad tempus non teneantur ad præſtationem tributorum & debitorum ſolutionem.

Theod. Rex Fauſto præpoſito.

OPes nostras cupimus thesauro pietatis augeri, execrantes commoda, quæ nobis vexatorum fuerint calamitatibus acquisita. Molesta est illatio nostræ clementiæ, quæ defletur. Quia quicquid sub lætitia penditur, accipienris laudibus applicatur. Vrbis itaque Sipontinæ negociatores hostium se asserunt depopulatione vastatos. Et quia egentium leuamina nostras potius diuitias æstimamus, illustris magnificentia tua, per hoc juge biennium nuncuparos, nulla faciat coemptione vexari. Sed quoniam lapsos nihil releuasse proficit, si onus aliud solutionis accedit: qui memoratis negociatoribus noscuntur mutuasse pecuniam: celsitudo tua faciat admoneri, ne in hoc biennii spatio quicquam de credita summa æstiment postulandum. Quatenus sub induciis supradictis, & datam possint reparare pecuniam, & aliquatenus debiturum valeat respirare substantia. Quid enim proficit creditorem se vrgere, quando in cassum nititur † nudatos * exigere? quibus magis prospicimus, si ad mutuata sustinendo peruenire faciamus.

† nudos.
* leg. exsugere.

L. *De reparatione thermarum salubrium.*

Theod. Rex Aloisio architecto.

SI audita veterum miracula ad laudem nostræ clementiæ volumus continere (quoniam augmenta regalis gloriæ sunt, cum sub nobis nulla decrescunt) quo studio conuenit reparari, quod & nostris oculis frequenter constat offerri? Delectat enim salutiferi Aponi meminisse potentiam: vt intelligas quo desiderio cupimus reficere, quod de memoria nostra nescit exire. Cæruleum fontem vidimus, in formam dolii concauis hiantibus æstuantem, & fornaces anhelantium aquarum circunducto tentilario, Naturæ probabili dispositione, coronatas: quæ licet, more calidæ, nebulosos vapores exhalent, hanc tamen iucundam perspicuitatem aspectibus humanis aperiunt: vt quiuis hominum illam gratiam desideret contingere, etiam cum non ignoret ardere. Ore plenissimo, in sphæræ similitudine, supra terminos suos aquarum dorsa turgescunt: vnde latex tanta quiete defluit, tanta quasi stabilitate decurrit, vt eum non putes crescere, nisi quia inde aliquid rauco murmure sentis exire. Veniunt aquæ per algentes meatus tali feruore succensæ, vt post recurua spatia, quæ arte facta sunt longiora, in calores sint maxime reditutæ. O magistri mirandum semper ingenium, vt naturæ furentis ardores ita ad vtilitatem humani corporis temperaret, vt quod in origine dare poterat mortem, doctissime moderatum, & delectationem tribueret & salutem. Iuuat videre secretum, latices vapores igneos exhalantes, amicum vndis indesinenter ardorem, & calorem venire decursu riui, vnde vsualiter solebat exungui. Merito dicunt Philosophi, Elementa sibi mutuis complexionibus illigari, & mirabili coniungi fœderatione, quæ inter se contraria intelliguntur varietate pugnare. Ecce madentem substantiam vapores producere constar ignitos, quæ mox ad thermarum ædificia decora peruenerunt, illisâ cautibus vnda descendens, & aera sua qualitate succendit, & tactu fit habilis, cum recepta fuerit in lauacris: vnde non tantum deliriosa voluptas acquiritur, quantum blanda medicina confertur. Scilicet, sine tormento cura, sine horrore remedia, sanitas impunita, balnea contra diuersos dolores corporis attributa. Quæ ideo Aponum, Græca lingua, beneficialis nominauit Antiquitas, vt causam tanti remedii æger cognosceret, cum de tali nomine dubium non haberet. Sed inter alia loci ipsius bona, illud quoque stupendum esse didicimus, quod vna fluentorum natura diuersis ministeriis videatur accommoda. Nam protinus saxo suscipiente collisa inhalat primæ cellulæ sudatoriam qualitatem: deinde in solium mitigata descendens, minaci ardore deposito, suaui temperatione mollescit: mox in vicinum producta, cum aliqua dilatione torpuerit, multo blandius intepescit: postremo ipso quoque tepore derelicto, in piscinam Neronianam frigida tantum efficitur, quantum prius ferbuisse sentitur: non immerito auctoris sui participans nomen collega est cum viriditate gemmarum, vt ipsa quoq; vitrei elementi colore perspicua quasdam tremens vndas quieta commoueat. Sed vt ipsum quoque lauacrum mundius redderetur, stupenda quadam continentiæ disciplina in vndam, qua viri recreantur, si mulier descendat, incenditur: propterea quod ipsis altera exhibitio decora collata est: scilicet, ne ardentium aquarum fœcundissimum locum non crederent habuisse, vnde plurima largiretur, si vterque sexus vno munere communiter vteretur. Hæc perennitas aquarum intelligendi præstat indicium, per igneas terræ venas occultis meatibus, influens de intus in auras erumpere ex cocti fontis irriguam puritatem. Nam si Naturæ fuisset illud incendium, sine interitu substantiæ non fuisset amissum. Sed aquæ materia sensibilis, sicut peregrinum contraxit ignem, sic iterum natiuum facile recepit algorem. Præstat & aliud adiutorii genus vis illa medicabilis: nam iuxta caput fontis scintillosi, quendam sibi meatum prouida Natura formauit. Hinc desuper sella composita, quæ humanis necessitatibus in absidis speciem perforatur, ægros suscepit interno humore defluentes: vbi dum sessi nimio languore consederint, vaporis illius delectatione recreati, & lassa viscera reficiunt, & humores noxia infusione laxatos, vitali ariditate constringunt: vt quasi aliquo desideratabili cibo refecti, valentiores queant protinus inveniri. Sic medicabili substantiæ venit à sulphure, quod calet à salsedine, quæ desiccat. Talia posteris non tradere, hoc est graviter in longa ætate peccare. Quapropter antiqua illic ædificiorum soliditas innouetur: vt siue in thermis, siue in cuniculis fuerit aliquid reparandum, te debeat imminente reconstrui. Virgulta quoque noxia importunitate nascentia, euulsis cespitibus auferantur: ne radicum quidam capilli paulatim turgentes, fabricarum visceribus insetantur, & more vipereo prolem sibi fœcunditate contraria nutriat, vnde se compago casura disrumpat. Palatium quoque, longa senectute quassatum, reparatione assidua corrobora. Spatium, quod inter ædem publicam, & caput igniti fontis interiacet, syluestri asperitate depurga. Rideat florenti gramine facies decora campestris, quæ etiam ardentis aquæ fertilitate lætatur: mitoque modo

modo dum proxime salem generet sterilem, nutriat pariter & virores. Sed non his tantum beneficiis Antenorea terra fœcunda est, Infert & alia, quæ multo grandius obstupescas. Cordailla (vt ita dixerim) montium, in vicem secretarii, negocia contentiosa distinguunt. Nam si quis forte pecus furatum pilis natiuis solito more spoliare præsumpserit, vndis ardentibus frequenter immersum, necesse est, vt antea decoquat, quàm emundare præualeat. O vere secretarium, iure reuerendum! quando in his aquis non solum sensum, sed etiam verum constat esse iudicium: & quod humana nequit altercatione dissolui, fontium datum est æquitate definiri. Loquitur illic tacita Natura, dum indicat, & sententiam quodammodo dicit, quæ perfidiam negantis excludit. Sed quis ista consêruare negligat, quamuis plurima tenacitate sordescat? Siquidem ornat regnum, quod fuerit singulariter toto orbe nominatum. Et ideo pecunia, quæ tibi nata est, si opus non poterit implere susceptum, quantum adhuc expendendum esse credideris, missis nobis breuibus, indicabis. Quia non grauamur expendere, vt tanta videamur ruris amœna costodire.

L I. Episcopus Ecclesiæ debitum soluat.

Theod. Rex Ianuario viro venerabili episcopo * Salonitano. * Salernitano.

OMnes quidem iustitiam colere & obseruare præcipimus, sed eos maxime, qui diuinis honoribus eriguntur: vt supernæ gratiæ fiant proximi, dum à terrena fuerint cupiditate longinqui. Ioannes itaque flebili nos allegatione pulsauit, sanctitatem vestram à se sexaginta orcas olei, ad implenda luminaria, suscepisse: quarum pretium sibi postulat oportere restitui. Bonum quidem votum, si tamen non ibi aliquid misceatur aduersum. Nam licet vbique deceat iustitiam custodiri, in illis rebus maxime necessaria est, quæ diuinis obtutibus offeruntur. Ne putemus ignorare Deum, vnde accipiat, si fraudatis oblationibus acquiescat. Et ideo, si veram querimoniam cognoscitis supplicantis, consideratione iustitiæ, quam sancta lege prædicatis, facite quæ iuste debentur, sine tarditate restitui. Quatenus nullus ingemiscat, illata sibi per vos fuisse dispendia, quos decet potius præstare iuuamina. Quapropter studete, vt qui non soletis pro magnis rebus excedere, nunc videamini, quod absit, in paruitate peccare.

L II. De præstatione contribulationis publicæ.

Theod. Rex Venantio v.s. correctori Lucaniæ & Brutiorum.

IVstitiæ ratio persuadet, ab vnoquoque postulari, quod ei constat iniungi: & pecunias poblicas instanter quærere, ne debitorem neglectus debeat ingrauare. Nam si remissio in admonitionibus veniat, cunctos necesse est vt contemptus inuoluat. Et quodammodo nascitur de pietate crudelitas, si quem negligis admonere, postea cogans exigere. Vtilis est ergo cura prædicere, quando & occasio subtrahitur delictis, & locus non datur illicitis. Quapropter illustris viri Comitis Sacrarum largitionum suggestione comperimus, pridem tibi, secundum morem veterem, exactionem Binorum & Ternorum fuisse delegatam. Vnde te præsentibus commonemus affatibus, vt secundum Canonicariæ fidem tempora debeas constituta complere. Ne quicquid dispendii assis publicus sustinuerit, de proprio exoluere tu cogaris, à quo nec tantæ iussioni est habita reuerentia, nec fides suæ promissionis impleta.

L III. De lapidibus exhibendis in ædificia publica.

Theod Rex Possessoribus, defensoribus & curialibus † Æstunis consistentibus. † Aestiuis; al. Estanis,

PRopositi quidem nostri est, noua constroere, sed amplius vetusta seruare. Quia non minorem laudem de inuentis, quàm de rebus possumus acquirere custoditis. Proinde moderna sine priorum imminutione desiderantus erigere. Quicquid enim per alienum venit incommodum, nostræ iustitiæ non probatur acceptum. In municipio itaque vestro sine vsu iacere comperimus columnas, & lapides vetustatis inuidia demolitos. Et quia indecore iacentia seruare nil proficit, ad ornatum debent surgere rediuiuom, antequam dolorem monstrare ex memoria præcedentium sæculorum. Atque ideo præsenti auctoritate decernimus, vt si vera fides est suggerentium, nec aliquid publico nunc ornatui probatur accommodum, supramemoratas platonias vel columnas ad Rauennatem ciuitatem contrahat modis omnibus deuehendas: vt collapsis metallis obliterata facies reddatur iterum de arte pulcherrima: & quæ situ fuerant obscora, antiqui nitoris possint recipere qualitatem.

L IV. De Raptu.

Theod. Rex Aurigeni viro venerabili.

QVamuis iudicio vestro credamus omnia facinora displicere, maxime à vobis confidimus execrandum, quod matrimonii genialis impugnat affectum. Quibus enim animis à continentibus accipitur, quod etiam laicorum detestatione damnatur? Iulianus itaque nobis lachrymabili aditione conquestus est, vxorem suam vel res à vestris hominibus iniusta vsurpatione peruasas. Vnde si veram petitionem supplicantis agnoscitis, nec se rationabiliter [illegible]falsatus absoluit, in * auctorem facti sine tarditate aliqua resecate. Malum enim cum perseuerat, augetur & remediabile bonum est in † peccatum, accelerata correctio. * actorem; † peccatis. * Theobaldo, Thurigeni venerabili Episcopo, al. Thedano.

L V. De procedendo in contumaciam citati.

Theod. Rex * Theodahado v. s.

Iniuria

INiuria quidem nostra est, læsa iustitia: quia violationes earum rerum merito ad nos trahimus, quas amamus. Vnde illud maxime inultum esse non patimur, quod in contemptum nostræ iussionis constat admissum. Quæ enim præsumptio plectenda non audeat, si sacræ iussionis reuerenda contemnat? Ideoque illum, quem dudum ad viri illustris Sonæ iudicium decreuimus conuenire, qui se inueterata calliditate subtraxit, examini vestro committimus audiendum: vt finem detis iurgio, plectibili machinatione dilato. Præstate itaque audientiæ curam, vt iustitiæ vobis crescat opinio. Quando pro remedio causantium committuntur vobis ambigua iurgiorum.

LVI. De officio Vicarii Præfectorum Galliæ.

Theod. Rex Gemello v. s.

FIrmum est iudicium, cuius tenetur exemplum: nec locus ambiguitati relinquitur, vbi experimenta probabilia suffragantur. Explorauimus efficaciam tuam per diuersos industriæ gradus. Sed non imparem meruisti gratiam, variis actionibus æqualiter approbatus. Hinc est, quod præsenti tempore in Gallias, nobis Deo auxiliante subiectas, Vicarium te Præfectorum nostra mittit auctoritas. Vnde perpende, qualia de te videamur habere indicia, quando ad illos populos mitteris corrigendos, quos nostris laudibus specialiter credimus acquisitos. Cara est principi gloria: & necesse est de illis amplius esse solicitum, vnde sibi triumphorum venisse sentit augmentum. Age igitur mandata, si cupis in te proficere nostra iudicia: turbulenta non ames, auara declina: vt talem te iudicem Prouincia fessa suscipiat, qualem Romanum principem transmisisse cognoscat. Desiderat vos egregios coacta cladibus suis. Effice, vt victam fuisse delectet. Nihil tale sentiat, quale patiebatur, cum Romam quæreret. Abscedat omnis de calamitate tristitia. Serenetur tandem nubilus vultus, nunc illam gaudere conuenit, cum ad sua vota peruenerit.

LVII. Super eodem.

Theod. Rex vniuersis prouincialibus Galliarum.

LIbenter parendum est Romanæ consuetudini, cui estis post longa tempora restituti, quia gratus ibi regressus est, vbi profectum vestros constat habuisse Maiores. Atque ideo in antiquam libertatem Deo præstante reuocati, vestimini moribus togatis: exuite barbariem: abiicite mentium crudelitatem: quia sub æquitate nostri temporis non vos decet viuere moribus alienis. Proinde de necessitatibus vestris innata nobis mansuetudine cogitantes, quod feliciter dictum sit, spectabilem virum Gemellum, Vicarium Præfectorum, fide nobis & industria comprobatum, ad componendam Prouinciam credidimus dirigendum: sperantes, in nullo eum posse delinquere, qui nobis peccantes grauiter intelligit displicere. Quapropter ordinationibus eius ex nostris iussionibus obedite: quia eum credimus vobis profutura decernere. Respicite paulatim iuridicos mores. Non sit nouitas molesta, quæ proba est. Quid enim potest esse felicius, quam homines de solis legibus confidere, & casus reliquos non timere? Iura publica certissima sunt humanæ vitæ solatia, infirmorum auxilia, potentum frena. Amate, vnde & securitas venit, & conscientia proficit. Gentilitas enim viuit ad libitum: vbi magis reperit mortem propriam, qui potest habere quod placeat. Vos iam securi ostentate diuitias parentum. Bona, longo situ recondita, prodantur in lucem. Quia tantum quis nobilior erit, quantum & moribus probis, & lucnlenta facultate reluxent. Ideo enim vobis Præfecturæ Vicarium direximus, vt cum tanta dignitate & ciuilem videamur regulam destinasse. Fruamini quod tantum audiebatis. Intelligite homines non tam corpore vi, quam ratione præferri: & illos merito crescere, qui possunt aliis iusta præstare.

LVIII. De restituendis bonis postliminio reuerso.

Theod. Rex Gemello v. s.

MErentur bona, qui nostram visi sunt elegisse clementiam: vt eos veraciter iudicasse, per augmenta propria possimus ostendere. Quod si talibus publica decet prospici largitate, quanto magis eos sua dignum est possidere, quod commune munus probatur esse iustitiæ? Spectabilis itaque Magnus, hostium conuersatione damnata, quod natus est reminiscens, ad Romanum repatriauit imperium: cuius absentia contigisse dicitur, vt eius potuisset perire substantia. Atque ideo præsenti iussione sancimus, quatenus tam in agris, quam mancipiis vrbanis, aut rusticis, vel quicquid sibi competens quolibet modo nunc amissum poterit probare, sine aliqua tarditate recuperet, retinens ex nostra auctoritate dominii ius omne quod habuit: nec quæstionem eum de rebus sibi antiqua possessione competentibus volumus sufficere, cui propositi nostri est etiam noua præstare.

LIX. De restituendis spoliato bonis, & pœna peruasorum.

Theod. Rex Grimodæ Saioni & Ferrocincto apparitori.

INter gloriosas Reipubl. curas, quas perpeti cogitatione, Deo auxiliante, reuoluimus, cordi nostro est leuamen humilium: vt contra potentiam superborum nostræ pietatis erigamus obstaculum, nec liceat quicquam apud nos audaciæ, cuius est propositi, superba calcare. Castorii igitur flebili calamitate permoti, quem exitialis hactenus diuersorum pressit inuidia, occasionem præbuit salutaribus institutis: vt plus valeret nostræ pietatis auxilium, quam iniqua calliditas improborum. Atque ideo

præsen-

præsenti auctoritate decemimus, vt si perfectus vir magnificus Faustus ea, quæ Castorius possidebat vel titulis ingrauauit, vel priuata, vsurpatione detinuit, mox ei prædium, cum alio eiusdem meriti, vobis imminentibus à pervasore reddatur, vt crudelibus damnis afflicto pietatis nostræ remedio consulamus. Si quis autem in hac præsumptione medius inuenitur, vt ad ea, quæ iussa sunt, idoneus nequeat inueniri, ad nos reducite vinculis illigatum: vt pœna possit satisfieri, cuius facinoris facultas non sufficit vltioni. Tali igitur confusione iam iniquæ mentis impetus conquiescat: ne non tam Castorium, quam nostrum votum persecutus esse videatur. Quod si posthac qualibet occasione sæpe memoratum Castorium notus ille artifex nocere tentauerit, quinquaginta librarum auri mulcta protinus feriatur. Sitque maior cruciatibus pœna, respicere illæsum, quem videre desiderauit afflictum. En factum, quod cunctas protinus temperet ac corrigat potestates, Prætorii Præfectus bacchari non est in humilis læsione permissus: & cui à nobis assurgitur, officiendi potestas miseris abrogatur. Hinc omnes intelligant, quo amore delectamur æquitatis: vt & potentiam nostrorum iudicum velimus imminuere, quatenus bona conscientia possimus augere.

Qui non habet in ære, &c.

LIX. De officio Præfecti Prouinciæ.

Theod. Rex † Colosseo v. i. Comiti.

† Colosso.

IVuat, probatis ordinanda mandare: si quidem & de talibus iudicium gaudet eligentis, & eorum secura substantia est, quæ committitur approbatis. Nam vt optamus esse, quod placeat, ita curamus, vt qui placuerit, enitescat. Proinde prosperis initiatus auspiciis ad Sirmiensem Pannoniam, quondam sedem Gothorum, proficiscere, illustris cinguli dignitate præcinctus: commissamque tibi prouinciam armis protege, iure compone: vt antiquos defensores recipere læta possit, quæ se nostris parentibus feliciter paruisse cognoscit. Nosti qua te nobis conuersationis syncentate commendes. Sola tibi placendi via est, si quæ gerimus imiteris. Aequitati faue: innocentiam animi virtute defende. Vt inter nationum consuetudinem peruersam, Gothorum possis demonstrare iustitiam: qui sic semper fuerunt in laudis medio constituti, vt & Romanorum prudentiam caperent, & virtutem gentium possiderent. Remoue consuetudines abominanter inolitas, verbis ibi potius non armis causa tractetur, non sit conuitium negotium perdere, cum propriæ abiurator alieni furtum, non animam reddat. Ne plus intentio ciuilis rapiat, quam bella consumant. Scuta in hostes erigant, non in parentes. Et ne quem forte ad mortem videatur præcipitare paupertas, redde pro talibus gloriosum plane damnum: Lecturus à nobis gratiæ vberrimum fructum, si ciuile ibi potueris plantare propositum: & nostris vere iudiciis dignum, si dispendium iudex subeat, vt vitam periturus acquirat. Quapropter consuetudo nostra feris mentibus inferatur, donec truculentus animus velle viuere consuescat.

LX. Super eodem.

Theod. Rex vniuersis * Barbaris & Romanis per Pannoniam constitutis.

* Gothis.

INstitutum suum prouidentia nostra non deserit, cum subiectis semper intenta, profutura disponit, vt ad maiorem deuotionem concitentur, qui sui curam nos habuisse cognoscunt. Hinc est, quod Colosseo viro illustri, nomine viribusque potenti, gubernationem vestram, defensionemque commisimus: vt quia suæ hactenus multa dedit experimenta virtutis, augeatur potius in futurum. Atque ideo patientiam vestram sæpius approbatam, nunc quoque eodem præsente monstrate. Quatenus in his, quæ pro regni nostri vtilitate rationabiliter agenda præceperit, deuotione probabili compleantur. Quia fidem constantia probat: & ille integritatem propriæ asserit mentis, qui iugibus persistit obsequiis. Illud præterea vos credimus admonendos, vt non in vos, sed in hostem sæuire cupiatis. Res parua non vos ducat ad extrema discrimina. Acquiescite iustitiæ, qua mundus lætatur. Cur ad monomachiam recurritis, qui venalem iudicem non habetis? Deponite ferrum, qui non habetis inimicum. Pessime contra parentes erigitis brachium, pro quibus constat gloriose moriendum. Quid opus est homini lingua, si causam manus agat armata? aut vnde pax esse creditur, si sub ciuilitate pugnetur? Imitamini certe Gothos nostros, qui foris prælia, intus norunt exercere modestiam. Sic vos volumus viuere, quemadmodum parentes nostros, præstante Domino, cernitis floruisse.

Iure, non vi decernendum.

LXI. De Siliquatico & ferrariis.

Theod. Rex Simeoni v. i. Comiti.

AMamus, publicis actionibus personas inserere motum probitate conspicuas: vt per obsequia fidelium nobis crescat vtilitatis augmentum. Proinde syncentatem animi tui, per præclara documenta noscentes, Siliquatici titulum, quam fide dominicatus iure dederamus discussione indictionis primæ, secundæ, vel tertiæ, per prouinciam † Dalmatiam, ordinatio tibi nostra committit. Vt quolibet damnum fraudis vestigio publicum te fuerit explorante repertum, proculdubio nostris ærariis inferatur. Quia non tantum lucra quærimus, quantum mores subiectorum deprehendere festinamus. Præterea ferrarias prædictæ Dalmatiæ cuniculo te veritatis iubemus inquirere, vbi rigorem ferri parturit terrena mollicies, & igne decoquitur, vt in duritiem transferatur. Hinc, auxiliante Deo, defensio patriæ venit: hinc agrorum vtilitas procuratur, & in vsus humanæ vitæ multiplici commoditate porrigitur. Auro ipsi imperat, & seruire cogit locupletes pauperibus constanter armatis. Conuenit

† Dalmaticam.

uenit itaque, hanc speciem diligenti indagatione rimari, per quam & nobis lucra generantor, & hostibus procurantur exitia. Esto ergo de antesata discussione solicitus, & in publicis vtilitatibus temperatus: vt nostrum rationabile compendium crescendi tibi possit procurare augmentum.

LXII. De officio Proconsulis.

Theod. Rex Ioanni v. s. consulari Campaniæ.

PRopositum est pietatis regiæ, locum iniustis odiis amputare: & potestatis armatæ supercilium cohibere reuerentia iussionum. Infesta est siquidem humilibus superioris offensa, cum ad laudem trahitur, si vindicta de mediocribus acquiratur. Proinde diu & varia persecutione iactatus, ad pietatis nostræ remedia haud irrite conuolasti, asserens eminentissimam præfecturam tibimet esse terrori, ne priuata in te odia sociarentur per publicam disciplinam. Sed nos qui donatas dignitates iustitiæ parere cupimus, non dolori, contra illicitas præsumptiones nostra te tuitione vallamus. Vt regiæ maiestatis obiectu feruentium furor animorum in suis cautibus elidatur: & de se magis sumat pœnas proteruia, dum cohibetur innoxia. Tam diu enim iudex dicitur, quam diu & iustus putatur, quia nomen quod ab æquitate sumitur, per superbiam non tenetur. Restat nunc, vt assumptum impleas Consularitatis officium, & te vtilitatibus publicis, quas egisse tuos constiterit decessores, sedulus ac deuotus impendas, quantumque à nobis protegeris, tantum modestiæ parere festines. Nam si gaudio perfrueris, qood à læsione tua præfectos Prætoru remotos esse cognoscis, qui sub illo esse monstratis, quid te male agentem passurum esse cognoscis?

LXIII. De cloacis reparandis.

Theod. Rex Argolico v. i. præfecto vrbis.

ROmanæ ciuitatis cura nostris sensibus semper inuigilat. Quid est enim dignios quod tractare debeamus, quam ejus reparationem erigere, quàm ornatum constat nostræ Reipub. continere? Proinde illustris sublimitas tua spectabilem virum Ioannem nos direxisse cognoscat, propter splendidas Romanæ ciuitaos cloacas. Quæ tantum visentibus conferunt stuporem, vt aliarum ciuitatum possint miracula superare. Videas illic fluuios, quasi montibus concauis clausos, per ingentia ligna decurrere. Videas structis nauibus per aquas rapidas non minima solicitudine nauigari, ne præcipitato torrenti marina possint naufragia sustinere. Hinc Roma singularis, quanta in te sit potest colligi magnitudo. Quæ enim vrbium audeat tuis culminibus contendere, quando nec ima tua possunt similitudinem reperire? Et ideo supradicto Ioanni officii nostri solaria vos præbere censemus. Quoniam ordinationes nostras publicas volumus implere personas, priuatas manus amouentes, quæ audacius nerguntur illicitis.

LXIV. De deriuatoribus aquarum publicarum ad priuatum vsum.

Theod. Rex Senatui vrbis Romæ.

QVamuis vniuersæ Reipub. nostræ infatigabilem curam desideremus impendere, & Deo fauente, ad statum pristinum studeamus cuncta reuocare: tamen Romanæ ciuitatis solicitiora nos augmenta constringunt. Vbi quicquid decoris impenditur, generalibus gaudiis exhibetur. Peruenit
*leg. praua itaque ad nostram conscientiam, suggestione multorum, quæ * parua non potest dissimulare commissa, plura in præiudicio vrbis Romanæ detestabiles præsumptores assumere: vt cui nos summum desideramus adhibere studium, dolum patiatur iniustum. Quapropter ordinationes nostras ad vestram facimus notitiam peruenire, quibus amplius credimus ciuitatis nostræ dispendia displicere. Dicitur ergo, commodi cura priuati, aquam formatum, quam summo deceret studio communiri, ad aquæ molas exercendas, vel hortos irrigandos fuisse deriuatam. Turpe hoc & miserabile in illa vrbe fieri, quod per agros vix deceret assumi. Et quia non possumus admissi qualitatem vltra iura corrigere (ne dum fabricis prodesse volumus, legum culmina destruamus) si huius nefandissimæ rei dominis
*leg. præscriptione Tricennii * præsumptione munitur, accepto pretio competenti suum veodat errorem. Vt quod læsionem publicis præstat fabricis, non præsumatur vlterius: ne quod nunc sub largitate corrigimus, postea seuerissime vindicemus. Si vero tale aliquid moderna præsumptione tentatum est, sine dubitatione tollatur. Vnius enim desiderio prauo generalis debet vtilitas anteferri, cui vel in causis iustis raro poterit obuiari. Mancipia vero, formarum seruitio principum prouisione deputata, in priuatorum cognouimus transisse dominium.
*Aeris. * Aes præterea, non minimum pondus, & quod facillimum direptioni est mollissimum plumbum, de ornatu mœnium referuntur esse sublata, quæ auctores suos sæculis consecrarunt. Aes enim, † Ionos Thessaliæ rex, plumbum Midas regnator Phrygiæ, reperenunt.
† Hionatos Sallie. Et quam miserum est, vt vnde famam prouidentiæ alii susceperunt, nos opinionem negligentiæ incurrisse videamur. Templa etiam & loca publica, quæ petentibus multis ad reparationem contulimus, subuersioni potius fuisse mancipata. Et quoniam malarum rerum emendatio nos delectat, ne concessa videatur ex taciturnitate licentia, Ioannem virum spectabilem electum nostra iustitia ad hæc quæ supra memorauimus, dixerimus inquirenda: vt cuncta suo ordine discussa, nobis relationis obsequio lucidentur. Quatenus quid de singulis rebus, aut de præsumptoribus earum fieri oporteat, more nostræ iustitiæ censeamus. Adhibete nunc studia, præstate solatia: vt inquisitionem, quam debueratis petere, grata videamini mente complere.

De in-

LXV. De indulgentia tributorum.

Theodericus Rex Gemello V. S.

COnstat apud nos fidelium non perire servitia, sed in tristibus impensa recipere, in meliore fortuna. Arelatensibus itaque, qui nostris partibus perdurantem gloriosæ obsidionis penuriam pertulerunt, per indictionem quartam fiscalia tributa nostra relaxat humanitas: ita, ut futuro tempore ad solitam redeant functionem. Quatenus & nos benemeritis vicissitudinem reddidisse videamur, & ab illis, cum res poposcerit, solita devotio non negetur. Satientur in libertate, qui pro nobis in angustiis esurire maluerunt. Sint læti, qui tristitiam fideliter pertulerunt. Non decet statim de tributis esse solicitum, qui pro nostra fidelitate casum vix potuit declinare postremum. A quietis ista non obsessis inquirimus. Quid enim à domino agri exigas, quem eum non coluisse cognoscas? Pretiosum vectigal jam nobis dederunt suæ fidei. Injustum est, ut viles pecunias exigamus ab illis, qui gloriosas conscientias obtulerunt.

LXVI. De officio Comitis & Defensoris civitatis.

Theod. Rex Massiliensibus.

PRopositi nostri est, probatas fortitudine & moderatione personas ad ordinationem vestram destitionem dirigere: ut & provincialium ratio sublevetur, & utilitas publica bonis præsidentibus augeatur. Proinde Comitem * † Maradum, nobis æquitate compertum, ad Massiliensem civitatem credidimus dirigendum: ut quicquid ad securitatem vestram vel † utilitatem pertinet, Deo juvante, perficiat, memorque gratiæ nostræ curam possit habere justitiæ: minoribus solatium ferat: insolentibus severitatem suæ districtionis objiciat: nullum denique opprimi iniqua præsumptione patiatur, sed omnes cogat ad justum, unde semper floret imperium. Quapropter designato viro in † his, quæ vobis pro publica utilitate præceperit, libentibus animis obedite: ut fides vestra, quæ jam prioribus monstratur exemplis, subsequentibus quoque declaretur judiciis. Quia † gratius est obsequium, quod devotione perpeti custoditur. Nos autem reddere cogitamus locum vicissitudini, qui impensa servitia non possumus oblivisci.

* Marabaudum.
† Maragdum
† civitatem pertinet.
† iis.
† gratum.

LXVII. De Ecclesiasticis alienæ rei detentoribus.

Theodericus Rex Petro Episcopo.

SI in alienis causis beatitudinem vestram convenit adhiberi, ut per vos jurgantium strepitus conquiescat: quanto magis ad vos remitti debet, quod vos spectat actores? Atque ideo sanctitas vestra à Germano nos aditos flebili allegatione cognoscat, qui se filium legitimum asserit quondam Thomatis, dicens partem facultatis patris sui à vobis detineri, sibimet legibus competentem. Quæ petitio, si veritate fulcitur, & genitoris ejus substantiam probans sibi jure competere, supplicanti, considerata justitia, quam monetis, sine observationis longæ dispendio, debita tribuantur. Quoniam causarum vestrarum qualitas vobis debet judicibus terminari, à quo est spectanda magis quam imponenda justitia. Quod si hanc causam sub æquitate vestrum minime defini arbitrium, noveritis supplicis querelam ad nostram audientiam perducendam. Vos enim docetis, voces pauperum non debere negligi, quas potest justitia comitari.

Judicium de sacerdotibus nemo nisi sacerdos sustinet.

LXVIII. De violentia exercitus compescenda.

Theod. Rex Wandil.

QVanuis pietatis nostræ constet esse votum, ut ubique civilia, ubique moderata peragantur, maxime tamen bene agere optamus in regionibus Gallicanis, ubi & recens vastatio non portat injuriam, & ipsa initia bene plantare debent nostri nominis famam. Principis siquidem opinionem longe lateque disseminat subjectorum custodita securitas, & ubi exercitus dirigitur, non gravandi, sed defendendi causa potius æstimetur. Atque ideo præsenti auctoritate delegamus, ut in Avinione, quam regis, nullam fieri violentiam patiaris. Vivat noster exercitus civiliter cum Rom. Prosit eis destinata defensio. Nec aliquid illos à nostris sinatis pati, quos ab hostili nitimur oppressione liberari.

LXIX. Quod consuetudo antiqua servetur, nec subtrahatur à modernis, quod prisco tempore indultum est.

Theod. Rex * Felici V. I. Comiti;

* al Præposito Mediolan Theod. Rex.

AEquitatis ratio persuadet; ut exercentibus lætitiam publicam consuetudinem servemus antiquam, præsertim à Consule venientem, cujus constat esse propositi, ut debeat ex liberalitate laudari: ne videatur aliud dignitas promittere, & aliud Senatorem velle complere. Quocirca sub opinione munifici, parcum non decet inveniri: quia inumbrat famam publicam in Consule tenacitatis

obscu-

obscuritas. Quapropter illustris magnitudo tua à Mediolanensibus aurigis nos aditos esse cognoscat, illa sibi vestris temporibus suisse subtracta, quæ mos priscus indulserat, cum præstante tempore munificentia sit pro lege. Proinde si nullo mendacio asserta vitiantur, sublimitatem vestram sequi convenit vetustatem, quæ suo quodam privilegio, velut debita, quæ donantur, exposcit. Nec licet negari, quod te cognoscis sub antiquitate largiri.

LXX. De indulgentia tributorum.

Theodericus Rex universis Provincialibus in Gallia constitutis.

QVanvis sensum nostræ pietatis turba multiplex cogitationis intraret, & diversas regni partes consueta sedulitate respiceret, festine tamen remedia vestræ utilitatis inspeximus. Quoniam apud conscientiam nostram læsionis genus est, profutura tardare. Nec possumus æstimare jucundum, quod ingrata fuerit dilatione suspensum. Nam excrescentibus morbis læsio debacchari permittitur, cum medicina differtur. Vobis itaque hostili ferocitate vastatis pro qualitate læsionis per indictionem quartam relaxatam agnoscite tributariam functionem (quia non gratulamur exigere, quod tristis noscitur solutor offerre) ita tamen, ut de illis, quæ constat intacta, exercituales juventur expensæ. Quia illos in totum devotio non debet deserere, quos pro se laborare cognoscit. Invalidus est siquidem jejunus defensor: nec animus ministrat audaciam, cum virtus * corporis fuerit destituta.

* v. corporeo fuerit robore.

LXXI. Vt fugitivi dominis restituantur.

Theod. Rex * † Vnigis Spatario.

* Vignitis spactario. † vitisgis Spartario.

DElectamur jure Romano vivere, quos armis cupimus vendicare: nec minor nobis cura est rerum moralium, quam potest esse bellorum. Quid enim proficit, Barbaros removisse confusos, nisi vivatur ex legibus? Quapropter cum, Deo propitio, Gallias exercitus noster intraverit, si qua mancipia servitium declinantia, ad alios se, quam quibus debebantur competere, contulerunt, prioribus dominis jubemus sine aliqua dubietate restitui. Quia confundi non debent jura, imperante justitia. Nec potest abjecto favere servitio libertatis defensor. Aliorum forte Regum prælia captarum civitatum aut prædas appetunt, aut ruinas: nobis propositum est, Deo juvante, sic vincere, ut subjecti se doleant, nostrum dominium tardius acquisisse.

LXXII. De subsidio afflictorum.

Theod. Rex universis possessoribus Arelatensibus.

QVanvis primum sit, læsos incolas refovere, & in hominibus magis signum pietatis ostendere: tamen utrunque humanitas nostra conjungit: ut & largitatis remedio civibus consulamus, & ad cultum reducere antiqua mœnia festinemus. Sic enim fiet, ut fortuna urbis, quæ in civibus erigitur, fabricarum quoque decore monstretur. Pro reparatione itaque murorum Arelatensium, vel turrium vetustarum, certam pecuniæ direximus quantitatem. Victualia quoque quæ vestras relevare videantur expensas, fecimus præparari: ut nobis destinentur, cum tempus navigationis arriserit. Relevate nunc animos, & de nostra provisione recreati, futuræ copiæ spem tenentes, divino favore, habetote fiduciam. Quia non minus est, quod nostris verbis, quam quod horreis continetur.

LXXIII. De indultis Romana Ecclesia.

Theodericus Rex * Arigerno V. I. Comiti.

* Fausto præposito Theod. 1. al. Boetio patritio Achaiæ.

IUstitiæ nostræ convenit, ut de indultis beneficiis calumnias fieri non sinamus, & quicquid prava interpretatione tegitur, fugata mendacii nube revelemus. Defensores itaque sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ conquesti sunt: beatæ recordationis quondam Simplicium domum in sacratissima Vrbe positam ab Eufrasio acolyto instrumentis factis solemniter comparasse. Quam per annorum longa curricula Ecclesiam Romanam quieto jure suggerunt possedisse, & in usus alienos transtulisse securitate dominii. Nunc autem existere Samareæ superstitionis populum improba fronte duratum. Qui Synagogam ibidem fuisse, iniquis conatibus mentiatur: cum ad humanos usus habitacula longe aliter formata doceantur, quam potest esse memorata constructio. Quapropter magnitudo tua, conscientiæ suæ probata justitia, causam diligenti examinatione discutiat. Et si vera cognoverit, quæ veniunt in querelam, considerata æquitate definiat. Nam si humanis actibus sunt calumniæ summovendæ, quanto magis credimus emendanda, quæ contumeliam divinitatis tangere judicamus.

LXXIV. De

LXXIV. De pœna in exilium temporale commutanda.

Theod. Rex Adeodato

MAteria est gloriæ principalis, delinquentis reatus: quia nisi culparum occasiones emergerent, locum pietatis non haberet. Quid enim salubris ordinatio gerat, si morum probitas cuncta componat? Arida siccitas madentis pluviæ beneficium exoptat. Salutiferis medentium manibus nisi infirma valetudo non indiget. Sic dum imbecillitati succumbitur, convenienter remedia tribuuntur. Quapropter casibus asperis præstandum est sub justitiæ laude moderamen: ut nec vindictam sinamus superare peccata, nec culpam insultare patiamur legibus impunitam. Datis itaque precibus allegasti, viri spectabilis Venantii, Lucaniæ & Brutiorum præsulis, odiorum te acerbitate compressum, custodiæ longo situ latentem, in confessionem raptus adultæ puellæ Valerianæ fuisse compulsum: ut gratius tibi fuerit, spem citæ mortis expetere, quam tormentorum crudelia sustinere. Inter supremas enim anhelantis angustias votum est potius perire, quam vivere. Quia detestabilis sensus pœnarum excludit dulcissimæ salutis affectum. Illud etiam, quod minime justitia pateretur, adjiciens, defensorum tibi patrocinia sæpius postulanti fuisse subtracta, cum adversarii florentes ingenio etiam innocentem te possent legum laqueis obligare. Quæ supplicatio cum efficaciter animum nostræ pietatis intraret, paulatimque ad misericordiæ jura deflecteret, occurrit Brutiorum præsulis missa relatio, quæ privatam allegationem tragœdiæ suæ voce compressit, negando credi contra fidem publicam fallaciter supplicanti. Ideoque asperitatem pœnæ nostra lenitate mollimus: statuentes, ut ex die prolati oraculi, sex mensium patiaris exilium. Ita ut nulli post constituta nostra sub qualibet interpretatione tibi liceat objicere crimen infamiæ. Quando fas est principi, maculosas notas vitiatæ opinionis abstergere. Sed hoc exacto tempore patriæ rebusque omnibus deformato, jus tibi sit liberum omne quod primitus. Quia nulla te ingemiscere probri adustione censemus, quem temporali volumus exilio detineri. Pœnam trium librarum auri nihilominus comminantes, si quis aut obviando, aut aliter intelligendo, præsens nostrum violare tentaverit constitutum. Sed quoniam hæc statuta ad innocentes volumus usque protendi, ne sua cuique minime videatur ignorantia profuisse, præsenti auctoritate eos à formidine liberamus, quos utpote nescientes, in eadem causa quolibet loco vel tempore interfuisse constiterit. Similis enim videtur absentis, qui conscientiam criminosi non habet.

LXXV. De Homicidii inconsulti pœna.

Theod. Rex Fausto præposito.

IN partem pietatis recidit mitigata districtio: & sub beneficio præstat, qui pœnam debitam moderatione considerata palpaverit. Jovinum Curialem, quem Corrector Lucaniæ Brutiorumque humani nobis suggerit sanguinis effusione pollutum, ob hoc quod mutuæ contentionis ardoribus excitatus, rixam verborum usque ad nefarium collegæ deduxit interitum: sed conscius facti sui intra Ecclesiæ septa refugiens, declinare se credidit præscriptam legibus ultionem, Vulcaniæ insulæ perpetua relegatione damnamus. Ut & sancto templo reverentiam habuisse videamur, nec vindictam criminosus evadat in totum, qui innocenti non credidit esse parcendum. Careat proinde patrio foro, cum exitiabili victurus incendio: ubi viscera terræ non deficiunt, cum tot sæculis jugiter consumantur. Flamma siquidem ista terrena, quæ alicujus corporis imminutione nutritur, si non absumit, extinguitur: ardet continue inter undas medias montis quantitas indefecta. Nec imminuit, quod resolui posse sentitur. Scilicet quia naturæ inextricabilis potentia tantum crementi cautibus reponit, quantum illi vorax ignis ademerit. Nam quemadmodum saxa incolumia permanerent, si semper ignis adunata decoqueret? Potentia siquidem divina sic de contrariis rebus miraculum facit esse perpetuum: ut palam consumpta occultissimis instauret augmentis, quæ vult temporibus stare diuturnis. Verum cum & alii montes motibus vaporatis exæstuent, nullus simili appellatione censetur æstimandus: quia gravius succenditur, qui Vulcani nomine nuncupatur. Mittatur ergo reus capitis in locum prædictum vivus. Careat quo utimur mundo, de quo alterum crudeli fugavit exitio: quando superstes recipit, quod eventu mortis inflixit. Salamandræ secuturus exemplum, quæ plerunque degit in ignibus; tanto enim naturali frigore constringitur, ut flammis ardentibus temperetur: Subtile ac parvum animal, lumbricis associum, flavo colore vestitum. Vitam præstat soli, qui mortalia cuncta consumit. Memorant autem ævi pristini servatores, hanc insulam ante aliquot annos, undarum rupto terrore, ignitus erupisse, cum Hannibal apud Prusiam Bithyniæ regem veneno secum ipse pugnavit, ne tantus dux ad Romanorum ludibria perveniret: plus inde mirabile, ut mons tanta flammarum congregatione succensus, marinis fluctibus haberetur absconditus, & ardor ibi indesinenter viveret, quem tanta unda videbatur obruere.

LXXVI. De agrimensore finium regendorum.

Theod. Rex Consulari viro illustri.

SIcut invidiosa nimis interpellantium suggestione comperimus, inter Leontium atque Pascasium spectabiles viros, finalis orta contentio est: ita ut terminos casarum suarum non legibus, sed viribus crederant vindicandos. Unde miramur tanta animositate fuisse litigatum, quod aut terminis testibus, aut jugis montium, aut fluminum ripis, aut arcaturis constructis, aliisque signis evidentibus constat esse definitam. Quid isti facerent, si in Ægyptiacis partibus possiderent? ubi Nili fluminis superveniente diluvio, indicia finium vastissimus gurges abradit, & indiscreta terræ facies redditur, ubi omnia limus tegere comprobatur. Quapropter nec tunc ad arma concurrere debuissent, si excitata lis nulla satisfactione superata discederet. Hoc enim per geometricas formas, & grammaticam disciplinam ita diligenter agnoscitur, quemadmodum literis omnis sermo conclusus est. Geometriam quippe, ut est hominum genus nimis acutissimum atque solicitum, Chaldæi primum invenisse memorantur. Qui ratione ipsius disciplinæ generaliter colligentes, & in astronomicis rebus, & in musicis, & in mechanicis, & in architecticis, & in medicinam, ad & artem logisticam, vel quicquid potest formis generalibus contineri, aptam esse duxerunt. Ut sine ea nihil horum possit ad agnitionem verissimam pervenire. Hanc post Ægyptii, non dissimiliter animi fervore calentes, propter augmenta Nilotica, quæ singulis annis votiva inundatione patiuntur, ad dimensionem terræ & recuperandas formas finium transtulerunt: ut fieret arte distinctum, quod litigiosæ confusioni videbatur obnoxium. Quapropter agrimensorem peritissimum, cui ab arte nomen est, vestra nihilominus adhibeat magnitudo: ut jam omnia, quæ manifesta ratione distincta sunt, per evidentia debeat documenta monstrare. Nam si hoc egit illa disciplina mirabilis, ut indeterminatos agros ratione certa distingueret, quanto magis iste monstrare debet omnia, quæ jam probantur suis finibus terminata? Augusti siquidem temporibus Orbis Romanus agris divisus, censuque descriptus est, ut possessio sua nulli haberetur incerta, quam pro tributorum susceperat quantitate soluenda. Hoc auctor Hyrummetricus redegit ad dogma conscriptum: quatenus studiosus legendo possit agnoscere, quod deberet oculis absolute monstrare. Videant artis hujus periti, quid de ipsis publica sentit auctoritas. Nam disciplinæ illæ, toto orbe celebratæ, non habent hunc honorem. Arithmetica, dicas, auditoriis vacat. Geometria, cum tantum de cœlestibus disputat, tantum studiosis exponitur. Astronomia & Musica discuntur ad scientiam solam. Agrimensori vero finium lis orta committitur, ut contentionum protervitas abscindatur. Iudex est utique artis suæ, forum ipsius agri deserti sunt: fanaticum credis, quem tortuosis semitis ambulare conspexeris. Indicia siquidem rerum inter sylvas asperas & dumeta perquirit, non ambulat jure communi: via illi est sua lectio: ostendit, quod dicit: probat, quod didicit: gressibus suis concertantium jura discernit: & more vastissimi fluminis, aliis spatia tollit, aliis rura concedit. Quapropter auctoritate nostra suffulti talem eligite, post quem partes erubescant impudenti fronte litigare. Quatenus possessorum jura confusa esse non debeant, quibus est necessarium rebus propriis adhibere culturam.

LXXVII. De aquilegio aquarum indagandarum.

Theodericus Rex Aproniano viro illustri Comiti Privatarum.

MAgnitudinis vestræ relatione comperimus, Aquilegium Romam venisse de partibus Africanis: ubi ars ipsa pro locorum siccitate magno studio semper excolitur, qui aridis locis aquas possit dare vernatiles, ut beneficio suo habitari faciat loca, nimia sterilitate siccata. Hoc nobis fuisse gratum cognosce: quatenus industria illa majorum libris exposita, nostris temporibus venerit approbanda. Signis quippe virentium herbarum ac proceritate arborum vicinitatem colligit decenter undarum. Terris enim, quibus dulcis humor non longè subest, obertas quorundam germinum semper arridet, ut est joncus aquatilis, canna levis, rubus validus, salix lenta, populus virens, & reliqua arborum genera, quæ tamen ultra naturam suam felici proceritate luxuriant. Sunt & alia hujus artis indicia, cum nocte adveniente lana sicca in terram ponitur jam provisam, & rudi caocabo tecta relinquitur: tunc si quæ proximitas arriserit, mane humida reperitur. Sole autem declarato intuentur etiam magistri loca soliciti, & ubi supra terram minutissimarum volitare spissitudinem conspexerint omnino muscarum, tunc promittunt læti facile quod quæritur inveniri. Addunt etiam, in columnæ speciem conspici quendam tenuissimum fumum, qui quanta fuerit altitudine porrectus ad summum, tanto in imum latices latere cognoscunt. Ut hoc sit mirabile, quod per hæc altaque signa diversa mensura definita prædicetur, quanta profunditate quæsita monstretur. Prædicuntur etiam sapores aquarum, ut nec aspera dispendioso labore debeat quæri, nec dulcis necessariaque† in honore contemni. Hanc scientiam sequentibus pulchre tradiderunt apud Græcos ille, apud Latinos Marcellus. Qui non solum de subterraneis fluentis, sed de ipso quoque ore fontium solicite tractaverunt. Dicunt enim aquas, quæ ad Orientem Austrum-

† inhonora Marcellus scripsit de aquis & fluminibus

Austrumque protumpunt, dulces atque perspicuas esse, & pro sua levitate saluberrimas inveniri: in Septentrionem vero atque Occidentem quæcunque manant, probari quidem nimis frigidas, sed crassitudine suæ gravitatis incommodas. Atque ideo, si viderit memorato illi sapientia vestra & codicum lectione & usu rerum, quæ sunt prædicta, constare: competentibus annonis de publico deputatis, peregrinationem ejus inopiamque relevabis, accepturus mercedes, cui artis suæ dona præstiteris. Nam quamvis Romana civitas aquis abundet irriguis, sitque fontibus gaudens, & formarum inundatione ditissima: reperiuntur tamen plurima suburbana, quæ hanc videantur desiderare peritiam. Et merito continetur, qui vel pro parte necessarius esse cognoscitur. Huic tamen mechanicus omnino jungendus est: ut undas quas iste reperit, ille levet, & arte subire faciat, quod ascendere non prævalet per naturam. Habeatur ergo & iste inter reliquarum artium magistros. Ne quid desiderabile putetur fuisse, quod sub moenibus non potuerit Romana civitas continere.

LXXVIII. De ritu adoptionis.

Theodericus Rex Regi Herulorum.

PEr arma fieri posse filium, grande inter gentes constat esse præconium. Quia non est dignus adoptari, nisi qui fortissimus meretur agnosci. In sobole frequenter fallimur. Ignavi autem esse nesciunt, quos judicia pepererunt. Hi enim gratiam nou de natura, sed de solis meritis habent. Quando vinculo animi obligantur extranei, & tanta in hoc actu vis est, ut prius se velint mori quam aliquid asperum patribus videantur infligi. Et ideo more gentium, & conditione virili, filium te præsenti munere procreamus: ut competenter per arma nascaris, qui bellicosus esse dignosceris. Damus quidem tibi equos, enses, clypeos, & reliqua instrumenta bellorum: sed quæ sunt omnimodis fortiora, largimur tibi nostra judicia. Summus enim inter gentes esse crederis, qui Theoderici sententia comprobaris. Sume itaque arma, mihi tibique profutura. Ille à te devotionem petit, qui te magis defensare disponit: probat tuum animum, & opus non habebit obsequium. Adoptat te talis, de cujus gente tu potius formideris. Nota sunt enim Herulis Gothorum, Deo juvante, solatia. Nos arma tibi dedimus: gentes autem olim virtutum pignora præstiterunt. Salutantes proinde gratia competenti, reliqua per illum & illum Legatos nostros patrio sermone mandamus, qui vobis literas nostras evidenter exponant, & ad confirmandam gratiam quæ sunt dicenda subiungant.

LXXIX. De naufragium passis.

Theod. Rex Senario V.I. Comiti Privatarum.

PRopositum nostræ pietatis est, io juste periclitantium sublevare fortunas. Quia quod aliena vi constat impositum, trahere non posumus ad delictum. Iniquum est enim, ut hominis vitio deputetur, quod ejus voluntate non regitur, & illud imputetur periclitanti, unde raro datur evadere. Atque ideo sublimitas tua prosequutores frumentorum, qui de Sicilia fuerant ad Gallias destinati, lacrymabili nos aditione pulsasse cognoscat, dum susceptum onus promovissent in pelagus adversis flatibus fuisse susceptum: ubi satiscente compage trabium, omnia vis undarum absorbuit: nec quicquam miseris de aquarum nimietate nisi solas lacrymas restitisse. Unde illustris sublimitas tua, præsenti auctoritate commonita, modiationem tritici, quam sub hac sorte perisse probaverint, supradictis prosecutoribus sine aliqua faciat cunctatione reputari. Crudelitatis enim genus est, ultra naufragium velle desævire: & illos ad dispendia cogere, quibus inopem vitam probantur immania pericula cessisse.

LXXX. De minorum causis ad comitatum evocandis.

Theod. Rex Osuni V.I. Comiti.

INnocentiæ professio est, nostram elegisse præsentiam: ubi nec violentiæ locus datur, nec avaritiæ vitia formidantur. Maurentius atque Paula, patris auxilio nudati, multorum se injuriis testantur exponi: quorum adolescentia pervia videtur incommodis, cum facile possit surripi vel juvenibus destitutis. Et ideo nostrum merentur præsidium, à quibus se calliditas non abstinet improborum. Proinde sublimitas vestra, tenore præsentis jussionis agnoscens, supra memoratos adultos, si quis jurgantium pulsare maluerit, ad nostrum Comitatum noverit dirigendos: ubi & innocentia perfugium & calumniatores jus possunt invenire districtum.

LXXXI. De pignerationibus seu reprasaliis.

Theodoricus Rex Ioanni V.S. Consuli Campaniæ.

FOedum est, inter jura publica privatis odiis licentiam dare, nec ad arbitrium proprium judicandus est inconsultus fervor animorum. Iniquum quippe nimis est, quod delectat iratum. [Furentes justa non sentiunt: quia dum commoti animo in vindictam sæviunt, rerum temperantiam non requirunt.] Hinc est, quod legum reperta est sacra reverentia: ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulsu.

pulſu. Quid enim à bellica confuſione pax tranquilla diſtabit, ſi per vim litigia terminentur? Provincialium igitur Campaniæ atque Samnii ſuggeſtione comperimus, nonnullos neglecta temporum diſciplina, ad pignorandi ſe ſtudia tranſtuliſſe, & quaſi edicto miſſo, per vulgus licentiam creviſſe vitiorum. His multo acerbiora jungentes, alienis debitis ad ſolutionem alios trahi, ſolamque cauſam probabilem videri, ſi aliqua debitor potuit in civitate conjungi. O iniquum perſuaſionis errorem! Dividuntur cauſæ germanis: filius obligationibus paternis, ſi non ſit hæres, exuitur: uxor maritalibus debitis, niſi per ſucceſſionis vincula, non tenetur, & audacia ad ſolutionem trahit extraneos, cum abſolvant jura conjunctos. Hoc hactenus fieri noſtri ignorantia fortaſſe pertulerit. Nunc neceſſe eſt remedium de legibus habeat, quod noſtram potuit intrare notitiam. Proinde edictalis programmatis tenore comperto, ſpectabilitas veſtra ad cunctorum faciat notitiam pervenire: ut quisquis quod repetere debuiſſet, pignorandi ſtudio fortaſſis invaſerit, voce juris amittat: nec liceat cuiquam ſua ſponte niſi obligatum forſitan, pignus auferre. Si vero alterum pro altero, quod nefas dictu eſt, pignorare maluerit, in duplum cui vim fecit, direpta reſtituat: quia ſcelera damna plus cohibent, & ſola detrimenta cogitant, qui pudoris fecere jacturam. Quem vero ab hac redimitione fœdum patrociniom tenuitatis excuſat, pro amiſſi qualitate facinoris in eum fuſtuario ſupplicio vindicetur. Non enim patimur impunitum, quod nolumus eſſe permiſſum.

LXXXII. De juridictione non trahenda.

Theod. Rex Senario V. I. Comiti Privatarum.

SPes eſt certa remedii, vota ſupplicum ad prudentis remiſiſſe judicium: ut per ordinationis beneficium confuſionis abrogetur incertum. Proinde magnitudo tua, cujus ordinationi videtur ſubjacere provincia, inter poſſeſſores Volienſes atque Curiales cauſam diligenti examinatione diſcutiat, quatenus inter eos ſopiatur querela, à vobis patefacta juſtitia. Non enim decet poſt audientiam veſtram negotium trahi, à quo poſt alios judices debuiſſet audiri.

LXXXIII. De bonis matris ad ſecundas nuptias convolantis.

Theod. Rex Marabado V. I. Comiti & Gemello v. s.

PRopoſiti noſtri eſt, ut provincias nobis, Deo auxiliante, ſubjectas, ſicut armis defendimos, ita legicus ordinemus: quia ſemper auget principes obſervata juſtitia. Et quantum probabili inſtitutione vivitur, tantum ſummis adhuc provectibus aggregatur. Archotonia itaque illuſtris fœmina, flebiliter ingemiſcens nepotis ſui calamitatem tali conqueſtione deploravit (dum ſemper aviæ cura tenerior eſt ſuorum) aſſerens Ætheriam nurum ſuam, mariti poſtpoſita dilectione, cuidam ſe Liberio jugali fœdere ſociaſſe: & cum ornatior cupit novis thalamis apparere, ſtnduerit prioris viri facultates evertere, allegans ditatam filiorum ſpoliis, quibus magis decuit congregari. Ideoque nos, qui deſideria ſupplicantum conſuevimus remittere ad ſtatuta divalium ſanctionum: ut nec inſinuationem ſupplicum renuamus, nec adverſarii negotium credula facilitate damnemus, ſublimitatis veſtræ judicio hanc cauſam legibus committimus audiendam: ut omni incivilitate ſummota, mediis ſacroſanctis Evangeliis cum tribus Honoratis, quos partium conſenſus elegerit, qui legum poſſint habere notitiam, quicquid priſci juris forma conſtituit, inter eos conſiderata diſciplina noſtri temporis proferatis. Quia non decet per vim eos aliquid agere, qui ad noſtra meruerunt regimina pervenire.

LXXXIV. De præſtatione contributionis.

Theod. Rex Geſilæ Saioni.

MAgni peccati genus eſt, alienis debitis alterum prægravare: ut quod poteſt exigi, non mereatur audiri. Sua quique damna reſpiciant, & is ſolvat tributum, qui poſſeſſionis noſcitur habere compendium. Atque ideo præſenti tibi auctoritate delegamus, ut Gothi per Picenum ſive Thuſcias utraſque reſidentes, te imminente cogantur exolvere debitas functiones. In ipſis enim initiis comprimendus exceſſus eſt, ne fœda imitatio, quaſi turpis ſcabies, paulatim reliquos comprehendat. Si quis ergo juſſa noſtra agreſti ſpiritu reſupinatus abjecerit, caſas ejus appoſitis titulis fiſci noſtri juribus vindicabis: ut qui juſte noluit parva ſolvere, rationabiliter videatur maxima perdidiſſe. Qui enim debent ad fiſcum celerius eſſe devoti, niſi qui capiunt commoda donativi? Quando amplius de noſtra humanitate recipiunt, quam ſtipendii jure præſtetur. Nam ſi liberalitatis noſtræ cauſa tractetur, nos potius voluntaria tributa ſolvimus, qui fortunas omnium ſublevamus.

LXXXV. De Rectoribus provinciarum devictarum.

Theodericus Rex Senatui urbis Romæ.

UTilitatis publicæ cauſa, quam noſter animus ſemper ſpectat virum illuſtrem Comitem Arigernũ, civem pene veſtrum, dudũ ad Gallias æſtimavimus dirigendũ: ut ejus maturitate conſilii titubantiũ

potuiſ-

potuissent corda firmari. Novitatem quippe solicitam prudentes convenit habere rectores: ut quemadmodum fuerit vitæ formatus ordo, sic currat instituta devotio. His rebus ad nostra vota compositis, & gloriam civilitatis retulit, & quod inter vos didicit diligenter ostendens bellorum insignia reportavit, quem desideratum sicut putamus coetui vestro reddidimus, ut qui vobis longa ætate placuit, nunc gratior fiat, cum eum adjecta bona commendant. Quapropter disciplinæ se præfati viri Romanus ordo restituat, ut quod quietis amore præcipitur, devotis animis impleatur. Quatenus & excessibus tollatur licentia, & quod optamus maxime, locum nequeat invenire vindicta. Si qua etiam per ejus absentiam culpa provenerit, inter vos justitiæ consideratione corrigite: sicut nobilitati vestræ convenit agere, cui semper probitas placet. Quoniam nos specialiter injunxisse cognoscite, ut error, qui ab actoribus suis minime fuerit emendatus, legum districtione resecetur. Pareatur ergo P.C. viro multis temporibus jam probato, cujus necesse est prædicanda sequi, qui se hactenus sub vestra omnium laude tractavit, & in lauta frequentia † nullius reperit adversa judicia. † nullum

LXXXVI. De ablatis Ecclesiæ possessionibus restituendis.

Theod. Rex Ibæ v. s. Duci.

DEfinitam rem ab antiquo Rege, quam tamen constat rationabiliter esse decretam, nulla volumus ambiguitate † titubare. Quia decet firmum esse, quod commendatur probabili jussione. Cur enim priora quassemus, ubi nihil est, quod corrigere debeamus? Atque ideo præsenti tibi auctoritate præcipimus, ut possessiones Narbonensis Ecclesiæ, secundum præcelsæ recordationis Alarici præcepta, à quibuslibet pervasoribus occupatæ teneantur, æquitatis facias contemplatione restitui. Quoniam versari nolumus in Ecclesiæ dispendio præsumptiones illicitas, dum nostra deceat tempora, sedare confusa. Esto contra talia omnino solicitus: ut qui es bello clarus, civilitate quoque reddaris eximius; Sic & arma tua, Deo juvante, corroboras, si justitiam mediocribus servare contendas. Improbus enim potuisse resistere, non prævales excusare: quando omnes tibi libenter cedunt, quem gloriosum in bellorum certamine cognoverunt. Ignavus forte audacibus jubere nil possit: nemo plus præsumentibus imperat, quam quem sua facta commendant. † Forte turbari

LXXXVII. De thesauro à Sacerdote invento in sepulchro.

Theod. Rex Annæ v. s. Comiti.

COnsuetudo est nostræ clementiæ, probatæ nobis fidei agenda committere: ut cum judices delegamus prædictos tractatu maturo locum prava nequeat invenire surreptio. Dudum siquidem ad nos multorum suggestione pervenit, Laurentium presbyterum effossis cineribus funestas divitias inter hominum cadavera perscrutatum: concussionemque mortuis intulisse, quem oportet viventibus quietam prædicare. Non abstinuisse perhibetur tam crudeli contagio piis dicatas consecrationibus manus, aurum execrabili quæsisse fertur affectu, quem suam decuisset egentibus dare substantiam, vel sub æquitate collectam. Quod te diligenti examinatione præcipimus indagare. Vt si veritati dicta perspexeris convenire, hominis ambitum eo tantum fine concludas, ne possit supprimere, quod eum non licuit invenire. Scelus enim, quod nos pro sacerdotali honore relinquimus impunitum, majori pondere credimus vindicandum,

LXXXVIII. De Indulgentia siliquatici præstationis.

Theod. Rex Gemello v. s.

DEcet principalem providentiam fessa refovere: ut asperitatem casuum mitiget lenitas jussionum. Non enim sentitur incommodum, si quod per adversitatem constat oppressum, concessa prosperitas ostenderit sublevatum. Siliquatici nanque præstationem, quam rebus omnibus nundinandis provida definivit Antiquitas, in frumentis, vino & oleo, dari præsenti tempore non jubemus: ut hæc remissio solutionis copiam possit præstare provinciis, & respirent aliquatenus fessi præfectis salubritate decreti. Quis enim ad vendendum non incitetur largius, cui solita dispendia subtrahuntur? Portus nostros navis venientes non pavescat. Vt certum nautis possit esse refugium, si manus non incurrerint exigentium, quos frequenter plus affligunt damna, quam solent nudare naufragia. Sit hoc forsitan sub quiete tolerandum: nunc autem, dum provincialibus præstare cupimus, mercium dominis interim consulamus.

LXXXIX. De Ecclesiæ donatis non invadendis.

Theod. Rex Geberich v. s.

SI desideramus locum beneficiis invenire, ut titulos possimus nostræ pietatis erigere: quanto magis aliena beneficia intacta volumus defendi, qui propria copimus sponte largiri? Maxime quando & illud conscientiæ nostræ reponitur, quod de fisco sub antiqua solemnitate præstatur. Proinde viri venerabilis Episcopi Constantii supplicatione comperimus; sacrosanctæ Ecclesiæ ipsius unum jugum, veterum Principum pietate collatum, & nunc quorundam usurpatione violenta retineri.

neri. Sed quia nos uti nullum volumus fraudibus suis, præsertim cum in dispendio pauperum detestabili mente versetur, præsenti auctoritate decernimus, ut ea quæ retro Principum constiterint humanitate deputata, supra memorata Ecclesia sine aliqua imminutione percipiat, manente pœna etiam pervasori, qui & veterum dona, & Ecclesiæ probatur violasse compendia.

XC. *De magis & veneficis.*

Theod. Rex Argolico v. i. præf. urb.

INtolerabilis excessus est, qui supernæ majestatis affectat injuriam, & oblitus pietatis crudelia sectatur erroris. Quem enim speravit veniæ locum, qui reverendum contempsit auctorem? Abscedat ritus de medio jam profanus. Conticescat pœnale murmur animarum. Versari non licet in magicis artibus temporibus Christianis. Magnitudinis itaque tuæ relatione comperimus, Basilium atque Prætextatum, artis sinistræ jam diu contagione pollutos, in accusationem tui examinis personarum intentione deductos. Super qua re nostram te asseris spectare sententiam: ut confidentius fiat, quod pietatis nostræ mandat auctoritas. Sed nos, quæ nescimus à legibus discrepare, quorum cordi est in omnibus moderatam tenere justitiam, præsenti auctoritate decernimus, ut quinque Senatoribus, id est, magnificis, & patritiis viris, Symmacho, Decio, Volusiano, atque Cæliano, nec non illustri viro Maximiano, hanc causam legitima examinatione pensetis. Et per omnia juris ordine custodito, si crimen, quod intenditur, fuerit comprobatum, ipsarum quoque legum districtione plectatur: ut rei, abditi atque secreti, per hoc vindictæ genus à culpis talibus arceantur, quos ad leges trahere non potest incerta notitia. De qua re illustri viro Comiti Arigerno præcepta direximus: ut omnium violenta defensione summota, si se occulunt, ad judicium protrahat imperitos, & vobiscum in hac causa residens, nec opprimi faciat innoxios, nec leges sinat evadere criminosos.

XCI. *Super eodem.*

Theod. Rex Arigerno v. i. Comiti.

QVanvis oporteat commissam tibi disciplinam Romanæ civitatis in omnibus custodiri, tamen in eis maxime studiosior esse debes, quæ nostra tibi auctoritate delegata cognoscis: ut circa te augeat gratiam custodita justitia, & angmenta sumas nostri judicii, qui nobis hactenus de integritate placuisti. Præfectus igitur urbis sua nobis relatione declaravit, Basilium atque Prætextatum magicis artibus involutos, impeti accusatione multorum: quos elapsos intimat mentis alienatione custodum. Eos te præcipimus ubicunque repertos ad judicium Quinquevirale ducere, quod in præsenti negotio nostra delegavit auctoritas: ubi te residere censemus: ut violenta omnium defensione summota, hanc causam discuti facias legibus, & finiri. Et si rei criminis cujus impetuntur, fuerint approbati, sententiam subeant, quam juris definita sanxerunt. Si vero innocentia eorum detestabili pulsatur invidia, opprimi eos nulla ratione patiaris. Quia in omnibus causis, consideratione divina illud fieri volumus, quod opinionem nostræ pietatis accumulet.

XCII. *De pecunia extorta, ac vulnere.*

Theodoricus Rex Teruthar Saioni.

DEtestabilis est quidem omnis injuria, & quicquid contra leges admittitur, justa execratione damnatur: sed malorum omnium probatur extremum, inde detrimenta suscipere, unde credebantur auxilia provenire. Exaggerat enim culpam in contrarium versa crudelitas, & majus reatui pondus est, inopina deceptio. Vir spectabilis itaque Petrus admiranda nobis forte conquestus est, Saionis Amaræ tuitionem, quam ei contra violentos indulsimus, in se potius fuisse grassatam: ita ut ictum gladii in se demerium, * aliquos post vim retardaret objectio: subjecta est vulneri manus, quæ ut in totum truncata non caderet, januarum percussa robora præstiterunt: ubi lassato impetu corusca ferri acies corporis extrema perstrinxit. O exectabilem casum! impugnavit hominem auxilium suum, ut solatii prosperitate subtracta crevit ex defensione necessitas. His multo acerbiora subjungens, ut quasi læsio veniret ad pretium, ita scelus proprium enormi exactione taxatum est. Atque ideo juste in illos pietatis nostræ ira consurgit, qui benigna jussa in truculenta ministeria mutaverunt. Nam quæ erunt refugia supplicantibus, si & nostra beneficia vulnerabunt? Proinde præsenti jussione censemus, ut quicquid suprascriptus Amara commodi nomine de causis memorati supplicantis accepit, quasi oppugnator ingratus à te constrictus, in duplo ei cogatur exsolvere. Quia sub pœna restitui dignum est, quod improbata temeritate constat extortum. De plaga vero, quam educto gladio temerarius præsumptor inflixit ad judicium Comitis Dudæ sæpe dictus Saio te † compellente veniat audiendus: ut secundum edictorum seriem, quæ male commissa claruerint, sine aliqua dilatione componat. Tuitionem vero postulanti contra * civiles impetus ex nostra jussione salva civilitate præstabis, non exemplo accusati, sed consideratione decenter electi.

* aliquantus post eum.

† compellente.

* inciviles.

XCIII. De

XCIII. De vulnerato à defensore.

Theod. Rex Dudæ v. s. Comiti.

COnſcientiam probamus, cui judicanda committimus. Quia dignus est inter alios ſequenda decernere, qui ſibi modum viſus eſt legitimæ converſationis imponere. Petrus itaque vir ſpectabilis Amaram Saionem noſtrum, qui contrario omine pro ejus tuitione directus eſt, educto gladio ſe aſſerit vulneraſſe, defenſoremque feciſſe, quod vix inimicus potuiſſet audere. Hoc te & legitima volumus diſceptatione cognoſcere, & probabili ſententia terminare: quatenus nullus tentare auſus ſit quod nobis diſplicere cognoſcit.

XCIV. De executione mandatorum.

Theod. Rex Argolico v. i. præfecto urbis.

SI loci veſtri cogitaretur auctoritas, ſi reverentiæ cura Romanæ, ultro debueratis expetere, in quibus arguimini. Quid enim præſenti tempore potuiſtis culmini urbano tam proprium, quam Senatus crementa cogitare? quando famæ præſulis proficit, quod Ordo ſacer acquirit. Sed quantum viri clariſſimi Armentarii teſtator miſſa ſuggeſtio, in contrarium fœdo ambitu de mora quæritis commoda, cujus vos optare debuiſſe conſtat augmenta. Quid enim amplius eſſe poſſit incongruum quam noſtris juſſionibus expeditis ſupplicantium vota ſuſpendere? & poſt ſacræ præceptionis affatum, ſi dici fas eſt, adhuc regium ſuſpendiſſe judicium? Sed nos, quibus cordi eſt poſt primam culpam non ſtatim deſiderare vindictam, ad monitionem potius juſſa convertimus: ne ſit noſtra diſtrictio nimia, quam lenis patientia non præcedat. Ideoque præſenti auctoritate decernimus, ut juſſionibus noſtris nulla dilationis calliditas afferatur: quia non habet veniæ locum, qui delinquit admonitus.

XCV. De aquæ ductu.

Theod. Rex Æmiliano viro venerabili epiſcopo.

AD finem debet perducere, quæ prudentum intentio viſa eſt ſuſcepiſſe. Quia ſicut perfectam laudem pariunt, ita & vituperationem generant, quæ in mediis conatibus ægra deſeruntur. Defectus enim rerum aut conſilium titubare, aut vires arguit defuiſſe. Quapropter ſanctitas veſtra à tali oblocutione refugiens, quæ in aquæ ductu reficiendo probabili cura ex noſtra auctoritate ſuſcepit, celeriter ad effectum faciat pervenire. Nam quid aptius, quam ut ſitienti plebi provideat aquas ſanctiſſimus ille ſacerdos? & humana providentia ſatiet, quos etiam miraculis paſcere debuiſſet? Imitaris enim antiquiſſimum Moſen, qui Iſraelitico populo longa ariditate ſiccato, de ſaxi ſterilitate copioſos latices eduxit, & ad implendum miraculum, inde ſecit currere humidos liquores, ubi erat ſicca durities. Tu autem ſi fontes irriguos ſaxorum conſtitutione deducis, hoc labore tuo præſtas populis, quod ille miraculis.

XCVI. De rebus depoſitis, quæ ad fiſcum pertinent.

Theod. Rex Dudæ Saioni.

CVm in omnibus cauſis velimus juſtitiam cuſtodiri (quia regni decus eſt æquitatis affectus) in eis maxime, quæ fiſci noſtri nomine proponuntur, ne quemquam deteſtabilis calumnia in invidiam regnantis affligat. Patimur enim ſuperari ſalva æquitate per leges, ut inter arma ſemper poſſimus eſſe victores. Nam quem licenter ſubjectus ſuperat, non debellat adverſus. Marini itaque relatione comperimus, res Ruphæ apud Ioannem quondam ſub emiſſione chirographi fuiſſe depoſitas. Et quia nobis competere manifeſtum eſt, quod ad proſcriptum poterat pertinere, ideo præſenti auctoritate præcipimus, ut uxorem ſupradicti Ioannis filiumque ejus Ianuarium moderata executione convenias. Qui ſi intentata injuſte ſe retinere cognoſcunt, æquitatis conſideratione reſtituant: minusve, competenti ſponſione præmiſſa, ad conſularem Campaniæ veniant legibus audiendi. Vt coram partibus poſitis, te imminente, quod forma continet ſanctionum Divalium, cenſeatur. Ita tamen, ut nullo præjudicio, nulla injuria, nullo damno, innocentia prægravetur: ne alienæ accuſationis invidiam, tuam facere videaris offenſam.

XCVII. De privilegiis Iudæorum.

Theod. Rex univerſis Iudæis Genuæ conſtitutis.

CVſtodia legum, civilitatis indicium, & reverentia priorum principum, noſtræ quoque teſtatur devotionis exemplum. Quid enim melius, quam plebem ſub præcepto degere velle juſtitiæ? ut conventus multorum diſciplinabilium ſit adunatio voluntatum. Hæc enim populos ab agreſti vita in humanæ converſationis regulam congregavit. Hæc ratio à feritate diviſit: ne arbitrio caſuali vagarentur, quos regi conſilia divina voluerunt. Oblata itaque ſupplicatione depoſcitis, privilegia vobis

debere

debere servari, quæ Judaicis institutis legum provida decrevit Antiquitas: quod nos libenter annuimus, qui jura veterum ad nostram cupimus reverentiam custodiri. Atque ideo præsenti auctoritate censemus, ut quæcunque legum statuta monuerunt, circa vos illibata serventur: quatenus quod ad civilitatis usum constat esse repertum, perpeti devotione teneatur.

XCVIII. *De thesauris in sepulchro repertis.*

Theod. Rex Dudæ Saioni.

PRudentiæ mos est, in humanos usus terris abolita talenta revocare, commerciumque viventium non dicere mortuorum: quia & nobis infossa pereunt, & illis in nulla parte profutura locantur. Metallorum quippe ambitus solatia sunt hominum. Nam divitis auri vena similis est reliquæ terræ, si jaceat: usu, crescit ad pretium: quando & apud vivos sepulta sunt, quæ tenacium manibus includuntur. Atque ideo moderata jussione decernimus, ut ad illum locum, in quo latere plurima suggeruntur, sub publica testificatione convenias: & si aurum, ut dicitur, vel argentum fuerit tua indagatione detectum, compendio publico fideliter vindicabis: ita tamen, ut abstineatis manus à cineribus mortuorum. Quia nolumus lucra quæri, quæ per funesta possunt scelera reperiri. Ædificia tegant cineres, columnæ vel marmora ornent sepulchra, talenta non teneant, qui vivendi commercia reliquerunt. Aurum enim sepulchris juste detrahitur, ubi dominus non habetur: immo culpæ genus est, inutiliter abditis relinquere mortuorum, unde se vita potest sustentare viventium. Non est enim cupiditas eripere, quæ nullus se dominus ingemiscat amisisse. Primi enim dicuntur aurum Eacus, argentum Indus rex Scythiæ reperisse, & humano usui summa laude tradidisse. Quod nos in contrarium negligere non debemus. Ne sicut latentia cum laude sunt prodita, ita inventa cum vituperatione videantur esse neglecta.

XCIX. *De minore in integrum restituto.*

Theod. Rex Actoribus Albini.

COnsulto provida decrevit Antiquitas, minores contractus liberos non habere: ut & insidiantium laquei frustrarentur, & lapsis ætas lubrica subveniret. Obrueretur quippe innocentia, si relaxaretur audacia, essetque cunctis fallendi studium, si fraus subreptitium lucraretur effectum. Et ideo priscæ consuetudinis supplicatione porrecta suggeritis, patronum vestrum in annis minoribus constitutum, in facultatibus suis potius aggregasse dispendia, dum ignara pueritia contraria gerit, quæ profutura putaverit: & nunc ad tempus ætatis agere, quo lapsis possimus per ignorantiam subvenire, allegantes, ut quod jura tribuerunt, nostra quoque beneficia largiantur. Atque ideo, si petitio vestra à veritate non deviat, & intra annorum spatia deget, quibus hoc beneficium leges sacratissimæ præstiterunt, nihilque est, quod jure contra referatur, patronum vestrum solemniter causa cognita, in integrum restitui nostra quoque permittit auctoritas. Ita tamen, ut omnia secundum justitiam legesque peragantur. Quia sic supplicantibus consulere volumus, ut eorum adversarios per justitiam non gravemus.

C. *De indulgentia tributorum.*

Theod. Rex Fausto præposito.

PRovidentissimi principis est, graviter imminutis relinquere tributariam functionem: ut redivivis studiis ad implenda solemnia recreentur, qui pressi damnorum acerbitate defecerant. Nam si fesso minime relevetur onus, necessitate cogitur jacere prostratus. Melius est enim præsentia damna contemnere, quam exiguo quæstu perpetua commoda non habere. Atque ideo illustris magnificentia tua provincialibus Alpium Cottiarum assem publicum per tertiam indictionem nos relaxasse cognoscit: quos transiens noster exercitus more fluminis, dum irrigat, oppressit. Nam licet pro generali securitate frumenti adunatione proruperit, prætenens tamen istorum culta vastavit. Radit enim semper fluvius alveum suum, & licet molliter egrediens vicina fœcundet, illud tamen reddit sterile, quo collectus influxerit. Vnde necesse fuit, civica vastatione devictis porrigere dexteram salutarem, nec ingrati dicant se perisse solos pro defensione cunctorum: misceantur potius lætitiæ, qui viam Italiæ defensoribus præstiterunt. Tributa enim non debent tristes exigi, per quos tributarios feliciter acquisivi. Dicat pro illis noster animus, quod Regi non potest imputare subjectus. Emimus nostro dispendio prosperitatem Gothorum: nos necessaria præbuimus, ut hostis vinceretur illæsus.

CI. *De appellatione illegitima non attendenda.*

Theod. Rex Theodagundæ illustri fœminæ.

DEcet prudentiæ nostræ curam, subjectorum negociis adhibere custodiam: quia nobis ordinantibus illa fieri debent, quæ regiam possunt demonstrare præsentiam. Sic enim credimus, quia memor

memor natalium tuorum à te abjicias omne viciosum: ut illa sola diligere possis, quæ & nos amare cognoscis. Proavorum forsitan oblivisceremur exempla, si longi generis minus facta recolantur: similes autem filii patrum præconia mox sequuntur. Renatus itaque flebili nobis aditione conquestus est, nobis delegantibus cognitores, judicatum se contra Inquilinam nomine, post longa temporis intervalla meruisse, & excubiis damnisque confecto vestram tandem perspexisse justitiam, nec tamen litigatoris improbam cessare calumniam: dum redivivis litibus tenuitatem insequitur supplicantis, ut non tam vincendi votum, quàm adversarii videatur quæsisse detrimentum. Quapropter si nobis jubentibus judicata cognoscitis, nec constat adversarium provocasse legaliter finitum jure negotium in sua facias firmitate manere. Ne longa quæstio litigantium non tam augeat patrimonia, quam evertat: & quod sit ambitu lucri, causa videatur esse dispendii.

CII. Quod tributa secundum pristinam consuetudinem, & non aliter persolvantur.

Theod. Rex Fausto præposito.

CUm omnes Reipublicæ nostræ partes æquabiliter desideremus augeri, crementa tamen fiscalium tributorum justissimo sunt pensanda judicio: quia servientium imminutio est hujus illationis accessio, quantumque pars illa proficit, tantum se hæc à firmitate subducit. Sed à nobis, qui fisci utilitatem stabili volumus diuturnitate consistere, excludenda est dispendiosa semper enormitas. Ne augmento suo tumens summa deficiat incipiatque magis deesse, quia immaniter visa est accrevisse. Proinde illustris magnitudo tua Gravasianos atque Pontonates nobis supplicasse cognoscat, à Januario sed & Probo discussoribus, iniquis se oneribus ingravatos: cum sterilitas jejuna locorum nulla sibi augmenta fieri patiatur. Repugnante siquidem natura, quælibet cedit industria, nec prodest studium laboris impendere, quem ubertas loci non cognoscitur adjuvare. Ibi potest census addi, ubi cultura profecerit. Inde & varia tributa, quia non est agrorum una fœcunditas. Atque ideo consuetudinem eis pristinam censemus esse revocandam: ut sicut Odovacris tempore tributa soluerant, ita & nunc ab eis publicis utilitatibus serviatur: & si quid amplius probatur adjectum, consideratione defectarum virium submovemus. Nolumus enim tale aliquid indici, quod sit necesse removeri.

CIII. Quod restituantur possessiones spoliatis.

Theod. Rex Theobaldo viro illustri.

INter cæteras, quibus humanum genus solicitatur, illecebras, præcipue vitanda est alienarum rerum turpis ambitio: quia in immensum jactata rapitur, si justitiæ ponderibus non prematur. Avaritiam siquidem radicem esse omnium malorum, & lectio divina testatur: quæ tali sorte punita est, ut cum multa rapiat, semper egeat. Quam propter vicinitatem generis nostri sic in animis vestris coalescere nolumus, ut illi nec initia concedamus. Quid enim faciunt sordes animorum in splendore natalium? Illud te potius decet eligere, quod nos possit ornare. † Hamalis sanguinis virum non decet vulgare de- [† Aman.]
siderium: quia genus suum conspici esse purpuratum. Corrigamus itaque te per incitamenta præconii, in quo adhuc non debemus esse districti. Domitius itaque vir spectabilis data nobis supplicatione conquestus est, possessiones juris sui, id est, illam atque illam, ab hominibus vestris neglectia legibus fuisse pervasas, dum civiliter oportuerit recipi, si jure videatur exposci. Sed quia de vobis non patimur diutius obscura jactari, qui generis claritate fulgetis, præsenti autoritate censemus, ut imminente Guda Sajone nostro, si momenti tempora suffragantur, occupata super cum omnibus, quæ direpta sunt, supplicandi faciatis sine aliqua dilatione restitui. Et si quid partibus vestris de legibus credidis posse com- [Interdictum]
petere, instructam personam ad nostrum Comitatum destinare vos convenit, ut intentionibus partium [unde vi.]
sub æquitate discussis, feratur sententia, quam juris dictat auctoritas. Generosos quippe viros omnia convenit sub moderata civilitate peragere: quia tantum potentibus læsionis crescit invidia, quantum præmii posse creditur, qui fortuna inferior comprobatur.

CIV. De lite ad comitatum remittenda.

Theod. Rex Actoribus Probini.

DIstrictius aliqua jubere compellimur amore justitiæ, dum circa minores fortunas clementiora sunt nostri pectoris instituta. Trahit enim ad misericordiam, qui potuit subdi: & hoc habet beneficium mediocritatis suæ, ut probatione salva interim moveat ad dolorem: quia credulitas sublevat humiles, premit invidia potiores. Datis itaque precibus allegatis, Basilium virum spectabilem, nostra dudum præcepta meruisse, ut possessio Arcinarina, quam patronus vester à conjuge ejus Agapita juris fuerat solemnitate mercatus, postposita dilatione cum documentis omnibus prædicto conjugi redderetur, dum à suis penetralibus solicitatam lacrymabili quæstione quereretur uxorem: addentes more nostræ justitiæ postea fuisse præceptum, ut si patroni vestri de causæ qualitate præsumerent, ad nostrum Comitatum socios destinarent: ut quæ ratione convenire poterant, velut à justitiæ fontibus emanarent. Quapropter si nullo mendatio vitiantur asserta, per officium nostræ sedis Basilium decernimus admoneri, ut si nihil est, quod pro suis partibus possit opponere, quo minus in hac causa pulsetur, vestris intentionibus responsurus occurrat, seu ad Comitatum venire:

seu in

seu in competenti foro jurgare maluerit: quia nullis necessitatem longinquitatis imponimus, nisi qui suis hoc commodis expedire cognoscunt. In locum siquidem beneficii nostram præsentiam damus: & ideo non decet invitis imponi, quod meretur optari.

CV. De restituendo sententiam passo.

Theod. Rex Joanni Archiatro.

PRopositum regale est, pressis labe fortunæ, pietatis remedio subvenire, & acerbos casus injuriæ meliore sorte mutare. Data siquidem supplicatione conquereris, virum spectabilem Vivianum legum artificio, quo callet, elatum, personam tuam objectis criminationibus insequuntum, & eousque perventum, ut indefensus contra juris ordinem Vicarii urbis Romæ sententia damnaveris. Nunc autem religiosæ mentis affectu, odia mundana damnalle, auctorique suo tuum displicuisse periculum. Et ideo si nullis impugnationibus enervantur asserta, læsionem non patimur miseris inhærere, quam suis constiterit machinatoribus displicere. Quapropter in abolitum missa sententia, quæ à Vicario urbis Romæ super hac parte noscitur promulgata, patriæ de rebusque omnibus nostra reddit auctoritas. Nec ullo tempore calumniam super hac parte formides. Sed ne cujusquam forsitan plectenda temeritas in te impetus reparare possit audacia, Patricii Albini, salvis legibus, tuitio te deputata communiet. quia nihil fieri volumus incivile, cujus quotidianus labor est, pro generali quiete tractare.

CVI. De restituendis bonis pupillorum.

Theod. Rex Argolico v. p.

BEne principalis elementia suscipit, quos pietas paterna destituit: quia sub parente publico genitoris minime sentiri debet amissio. Ad nos siquidem jure recurrit infantia destituta, quibus universorum hominum proficiunt incrementa. Clarissimorum igitur adultorum, Marciani atque Maximi nos querela pulsavit, eum paschalibus diebus paterni luctus essent vulnere sauciati, & in ipso lætitiæ tempore soli cogerentur tristitiam sustinere, utilitatem suam pio neglexisse contemptu, cum vel firmæ ætati inter lacrimas ista cogitare, genus videretur insaniæ. Cessat enim lucri ambitus, cum vocatur ad planctus, nec mens qualibet aliud capit, cum eam qualitas pietatis impleverit. Hac crudeli surreptione captata, turrem Circi atque locum Amphitheatri illustris recordationis patris eorum detestabili ambitu à vestris suggerunt fascibus expetitum. Quorum insidiatorem non humanitatis ullus revocavit affectus, non similis terruit casus: grauauit insaniam, cui non subvenire, merito pudoris æstimatur esse jactura. Sed nos qui regulas Veterum, qui servamus momenta pietatis, salubri ordinatione censemus: ut si quondam patricius atque magnificus vir Volusianus pater supplicum commemorata loca communi jure possedit, filiis perire non debeant. Præsertim cum germen senatorum novis cupiamus beneficiis enutrire, non inter ipsa initia spem adultæ ætatis aliqua læsione comprimere. Atque ideo illustris magnificentia tua, si quid tale factum esse meminit, illico noverit corrigendum: ne venerandum examen Senatorii ordinis iniqua præsumptione temeretur.

CVII. De incendiariis.

Theod. Rex Senatui urbis Romæ.

URbis Romanæ celebris opinio suo conservanda est nihilominus instituto: nec vitia peregrina capit, quæ semper se de morum probitate jactavit. Levitates quippe seditionum, & ambire propriæ civitatis incendium, non est velle Romanum. Ideoque in actoribus facti legum est servanda districtio: ne detestabilis aspectus incendii ad imitationem nefandam vulgi pectora comprehendat. Viri illustris itaque Comitis Arigerni suggestione comperimus, Judæorum querela se fuisse pulsatum, quod in dominorum cæde proruperit servilis audacia: in quibus cum fuisset pro districtione publica resecatum, statim plebis inflammata contentio Synagogam temerario duxerunt incendio concremandam, culpas hominum fabricarum excidio vindicantes: dum si quis Judæorum probaretur excedere, ipse debuisset injuriæ subiacere: nunc autem justum fuit ad seditionum fœda concurri, aut ad fabricarum incendia festinari. Sed nos, quibus, Deo propitiante, cordi est perperam commissa dirigere, ut cunctis possit placatis moribus convenire, præsenti auctoritate decernimus, ut causam supra memoratã legitima discussione noscatis, & in * auctoribus paucis, quos potueritis hujus incendii reperire, habita districtione resecetis: quia nolumus aliquid detestabile fieri, unde Romana gravitas debeat accusari; illud pari ratione censentes, ut si aliquid sibi contra Judæos rationabiliter quispiam crediderit suffragari, ad vestrum judicium veniat audiendus: ut quem reatus involuerit, censura condemnet. Hoc enim nobis vehementer displicuisse cognosce, ut intentiones vanissimæ populorum usque ad eversiones pervenerint fabricarum, ubi totum pulchre volumus esse compositum.

* auctores paucos. * hujus reos incendii potueritis reperire.

CVIII. De restituenda domo ablata ab hominibus Ecclesiæ.

Theodericus Rex Antonio viro venerabili Polensi Episcopo.

INvidiosa est contra eum querela, cui sunt reverentiæ iura servanda: quia nescio quid admissum grave creditur, vbi contra tales silentium non tenetur. Stephanus siquidem flebili aditione conquestus est, causam sui iuris ante decessorem prædecessoremque nostrum longa ætate possessam, ante hos fere novem menses ab hominibus Ecclesiæ, cui præsidetis, despecto civilitatis ordine fuisse pervasam. Quod si ita factum esse cognoscitis, eam iustitiæ consideratione momenti iure restituite supplicanti. Decet enim à vobis corrigi, quod à vestris familiaribus non debuisset admitti. Veruntamen si partibus vestris in tam momentanea vel principali iustitiam adesse cognoscitis, tractato prius diligenter inspectoque negotio (quia sacerdotem non decet protendere improbam litem) instructam legibus ad Comitatum nostrum destinate personam: vbi qualitas negotii agnosci debeat & finiri. Quapropter sanctitatis vestræ animus non gravetur, nec se fallacibus verbis doleat accusatum: multo maior est opinio purgata, quam si delinentibus querelis non fuerit impetita.

CIX. De Arbitris.

Theod. Rex Mirabaudo V. I.

COnvenit pietatem nostram petitiones supplicum salubri ordinatione disponere: quia subiectorum animi relevantur, quoties mœrentium querela componitur. Vir spectabilis itaque Liberius dolenda nobis aditione suggessit, coniugem suam in vestro iudicio contra iuris ordinem prægravatam. Quod si ita est, remotis præiudiciis, apud arbitros, quos partium consensus elegerit, te imminente, causa legibus audiatur. Quod si illic finis negotii nequiverit inveniri, per instructas personas, si tamen ipsæ venire non eligunt, nostro Comitatui concurrendi licentiam partibus non negamus: vbi nec redemptio sit forte suspecta, nec invidiosa possit nocere calumnia.

CX. De equis cursualibus publicis.

Theod. Rex Ghodiscalco Saioni.

ASsidua solicitudine refovenda sunt, quæ continuis exercitiis subiacere noscuntur. Quemadmodum enim subiecti veredorum necessario sufficiant labori, si permittatur excedi? Incitamentum siquidem improbæ præsumptionis est, neglecta custodia. Legatorum itaque nostrorum suggestione comperimus, Cursuales equos frequenti vsurpatione fatigari: & quos nos necessitatibus publicis cupimus custodiri, in vsum cognovimus privatæ voluntatis assumi. Atque ideo in vrbe Romana ordinatione Præfecti prætorio & Magistri officiorum, quousque vtilitas publica suaserit, te residere censemus: vt nullum Gothorum vel Romanorum exinde egredi patiaris, nisi quos prædictarum dignitatum Vices agentes forte dimiserint. Et quod nobis frequenter vsurpatum esse suggeritur, si quis invitis his, quibus hæc cura mandata est, veredos præsumere fortassis assumpserit, cuiuslibet nationis fuerit vel honoris, per vnum equum centum solidos mulctæ nomine cogatur inferre. Non quod tanti est vnius æstimanda iumenti læsio, sed quia grandi damno reprimenda est importuna præsumptio. Nullum præterea Saionum discursus facere patiaris: sed ad causam, quam directus fuerit, vno tantum itinere permittatur accedere, vel redire. Quibus in superiorem mulctam cadat interdicta frequentia parhipporum. Quinetiam onera centum librarum nullus excedat. Expeditos enim properare mittendanos volumus, non migrare censemus. Inertiam suam prodit, quisquis secum multa portaverit, nec cogitat de celeritate, qui delicata se maluerit conversatione tractare. Grues denique, pelagus transituræ, parvos lapillos vncis pedibus amplectuntur: vt nec eorum levitas nimio vento rapiatur, nec nativa celeritas iniquis ponderibus ingravetur. Hoc imitari nequeunt, qui se ad publicas necessitates electos esse cognoscunt? Et ideo quinquaginta solidorum mulctam iam non veredarius, sed catabulensis incurrat, quisquis vltra centum libras parhippum crediderit onerandum. His autem, qui suprascriptarum dignitatum vicibus in Vrbe præsunt te observare præcipimus: quatenus excessus, qui ab illis detectus fuerit, executione tua supradicta condemnatione puniatur. Si quos autem intemperans culpa perculerit, collectam quantitatem per Vices agentes mancipibus mutationum volumus applicari: vt cursualis tractus inde habeat remedium, vnde hactenus sumpsit incommodum. Mundanis siquidem rebus frequenter nascitur de adversitate prosperitas, & homines cum lædere cupiunt, beneficia frequenter impertiunt. Sed omnia sic efficaciter ac diligenter implebis, vt provocati bonis actibus devotioni tuæ maiora committere debeamus.

CXI. De officio Rectoris prouinciæ.

Theod. Rex Vniuersis prouincialibus & capillatis defensoribus & curialibus in Suauia consistentibus.

DIstrictio semper subtrahi non decet regiæ iussionis: vt & audaces metus comprimat, & laceratos spes futura refoueat. Plerunque enim denuntiata comminatio plus efficit, quam pœna componit. Et ideo, Deo auspice, Fridiladum locis vestris præesse censuimus, qui abactores animalium legitima seueritate coerceat, homicidia resecet, furta condemnet, quietosque vos à sceleratis ausibus reddat, quos nunc præsumptio iniqua dilacerat. Viuite bonis moribus instituti, nullum natio, nullum promeritus honor excuset. Necesse est, vindictæ subiaceat, qui prauis moribus obsecundat.

CXII. De indulgentia tributorum.

Theod. Rex Fausto præposito.

CAmpani, Vesuuii montis hostilitate vastati, elementiæ nostræ supplices lachrymas profuderunt: vt agrorum fructibus enudari, subleuentur onere tributariæ functionis. Quod fieri debere nostra merito pietas acquiescit. Sed quia nobis dubia est vniuscuiusque indiscussa calamitat, magnitudinem vestram ad Nolanum siue Neapolitanum territorium probatæ fidei virum præcipimus destinare: vbi necessitas ipsa domestica quadam læsione grassatur: vt agris ibidem diligenter iospectis, in quantum possessoris laborauit vtilitas, subleuetur: quatenus mensurata conferatur quantitas beneficii, dum modus integer cognoscitur læsioois. Laborat enim boc vno malo terris deflorata prouincia: quæ ne perfecta beatitudine frueretur, buius timoris frequenter acerbitate concutitur. Sed non in totum durus est euentus ille terribilis: præmittit signa grauia, vt tolerabilius sustineantur aduersa. Tantis enim molibus natura rixante montis illius hiatus immurmurat, vt excitatus quidam spiritus grandisono fremitu vicina terrificet. Fuscantur enim aera loci illius exhalatione teterrima, & per totam pene Italiam cognoscitur, quando illa indignatio commouetur. Volat per mare magnum cinis decoctus, & terrenis nubibus excitatis, transmarinas quoque prouincias puluereis guttis compluit. Et quid Campania pati possit agooscitur, quando malum eius in Orbis alia parte sentitur. Videas illic quasi quosdam fluuios ire puluereos, & arenam sterilem impetu feruente velut liquida fluenta decurrere. Stupeas subito, vsque ad arborum cacumina dorsa intumuisse camporum, & luctuoso subito calore vastata, quæ lætissima fuerant viriditate depicta. Vomit fornax illa perpetua puniceas quidem, sed fertiles arenas. Quæ licet diuturna fuerint adustione siccatæ, in varios fœtus suscepta germina mox producunt, & magna quadam celeritate reparant, quæ paulo ante vastauerat. Quæ est ista singularis exceptio? vnum montem sic infremere, vt tot mundi partes probetur aeris permutatione terrere, & sic suam substantiam vbique dispergere, vt non videatur damna sentire: longe lateque pulueres rorat: vicinis autem quasdam moles eructat, & tot sæculis mons habetur, qui erogationibus tantis expenditur. Quis credat, tam ingentes glebas vsque in plana deductas, de tam profundis hiatibus ebullisse? & spiritu quodam efflante montis ore consputas, quasi leues paleas fuisse proiectas? Alibi cacumina magna terrarum localiter videntur ardere, huius incendia pene mundo datum est posse cognoscere. Quemadmodum ergo non credamus incolis, quod testimonio potest vniuersitatis agnosci? Quapropter, vt dictum est: talem eligat vestra prudentia, qui & remedia læsis conferat, & locum surreptionibus non relinquat.

CXIII. De equis cursualibus necessitati Republicæ destinatis.

Theod. Rex Mannilæ Saioni.

LAudabile est, in illa parte geminare custodiam, quam constat Reipub. necessitatibus exquisitam. Per hanc enim & legarionum vtilitas, & ordinationum nostrarum celeritas explicatur. Hæc & aulicis potestatibus per varias iussiones ministrat effectum. Hæc crebris illationibus nostrum ditat ærarium: vt pene quicquid in Repub. geritur, Cursuali ministerio compleatur. Decet proinde semper esse paratum, quod vtilitatibus publicis probatur accommodum: ne quod ad celeritatem repertum est, incongruam potius festinantibus inferat tarditatem. Atque ideo Præfecti Prætorio & Magistri Officiorū, vbi publica vtilitate delegerint, ordinatione locatus, excedentium improbam præsumptionem tali te præcipimus districtione resecare: vt siue Gothus sit, aut Romanus, qui sine nostra, vel eorum, quorum interest, euectione veredum præsumit attingere, per vnum equum centum statim Solidos á te cogatur exoluere: & de illis quoque pari seueritate censemus, qui supra euectionum numerum Cursuales equos vsurpare præsumunt. Pathippis quinetiam non vltra quam centum libras iubemus imponi Nimis enim absurdum est, vt à quo celeritas exigitur, magnis ponderibus opprimatur. Nauis ipsa onere grauata pigrescit. Carinæ, quæ labores non sentiunt, repletæ grauius mouentur. Qui quadrupes facere possit, qui pressus nimietate succumbit? Si quis autem à modulo definito amplius fuerit habere repertus, duarum vnciarum auri damno feriatur. Quam summam protinus exactam, sicut iam anterioribus edictis constitutum est, per officium Magisteriæ dignitatis cursui proficere debere censemus. Iustum est enim, vt cogatur illa vendere, vnde publicum equum male noscitur onerasse: sit nuditatib. expeditus, qui voluntate noluit esse celerrimus. Præterea commonemus, vt Præpositorum cōmoda non præsumas, nec quicquid

eos

eos potestatis habere, reuerenda sanxit Antiquitas, aliqua vsurpatione deneges. Nos enim per te geminare volumus custodiam non antiquæ consuetudinis remouere cautelam.

CXIV. *De bonis contumacis viri confiscandis.*

Theod. Rex Stabulario comiciaco.

SVscipienda precatio est, quæ publicis vtilitatibus non repugnat: & amplectenda desideria priuatorum, quæ sic remedium quærunt, vt nobis non videantur generare dispendium. Viri itaque clarissimi Ioannis querela comperimus, Thomatem domus nostræ certa prædia suscepisse, id est, illud atque illud, & nunc decem millia Solidorum reliquatorem nostris vtilitatibus exstitisse, & per diuersas ludificationes non implere debitam quantitatem: quod apud nos quoque procerum oostrorum suggestione perclaruit. Ideoque causam tali credimus remedio muniendam, vt vniuersam substantiam supradicti Thomatis sub hac conditione fixis titulis iuri publico debeas applicare, quatenus si intra Cal. Septembrium diem, quod rationabiliter exponitur, à Thomate minime fuerit exolutum, prædicta substantia Ioanni viro clarissimo contradatur, qui eius debitum luere nostro promisit ærario. Quod si obligationem suam prædictus Thomas soluere intra præfinitum tempus fortasse potuerit, vniuersa ei quæ sublata sunt, illibata reddantur: ita vt nec fiscus noster sustinere videatur incommoda, & nos cognoscamur subiectis solitam præstitisse iustitiam. Possemus enim adhuc vltra differre, si quid prodesset negligentissimum sustinere, quem per tam longum temporis spatium semper inuenimus imparatum.

CXV. *Super eodem.*

Theod. Rex Ioanni V.C. Arcario.

DEcet eorum vota in tantum reddere, qui malunt vtilitates publicas continere: nec patimur de damno proprio esse solicitos, qui nos à dispendiis fecere securos. Tua igitur suggestione comperimus, per illam indictionem patrimonii nostri prædia in Apulia prouincia constituta, id est, illud atque illud, honesto viro Thomati libellario titulo commisisse. Sed eum male administrando suscepta, vsque ad decem millia Solidorum de Indictionibus illa atque illa reliquatorem publicis rationibus extitisse. Qui à proceribus nostris frequenter admonitus, debita reddere detestabili calliditate neglexit. Et ne tibi aliqui in posterum quæstio nasceretur, publicis vtilitatibus debitam quanotatem, sub hac ratione satisfacere te velle testaris, si tibi prædia supradicti debitoris loco pignoris contradantur. Hinc est, quod desiderium tuum, iusta ratione conceptum, præsenti iussione firmamus. Primum vt nullam ex hac te nomine publico metuas quæstionem: deinde sub hac conditione tibi vniuersam substantiam, quam vel nunc tenet, vel primo tempore possidebat cum nostris rationibus obnoxius esse iam ceperat, Thomatis debitoris addicimus, quam pridem nostro nomine fixis titulis fecimus vendicari. Hoc tantum humanitatis intuitu relaxantes, vt vsque ad Cal. Septembrium spatium habeat reddendi debitam quantitatem, nimirum, cum ad supradictam diem tu pecuniam viro illustri Comiti Patrimonii nostri, quæ debetur, intuleris, facultas eius vniuersa, sicut diximus, tuis compendiis applicetur. Quod triste non credimus esse perdenti: quando nec ex toto videtur amittere, quod te generum suum cognoscit acquirere. Nam quod poteras adipisci iure successionis, conditione à te possidetur emptoris.

CXVI. *De executione mandatorum.*

Theod. Rex Anastasio consulari.

COnuenit, sublimitatem tuam nostris iussionibus obedientiæ tribuere sedulam firmitatem: quatenus ad effectum trahatur, quod salubri ordinatione disponitur. Moderatè siquidem nouit iniuncta sibi complere prudentia, & sine ingratitudinis næuo delegata explicabili procurare consilio. Atque ideo ad Fauentinam ciuitatem ciuilem executionem te præcipimus destinare: vt sine cuiusquam concussione vel damno quadrati ad Rauennatem vrbem ex nostra iussione deuehantur. Quatenus & nostro desiderio gratulemur impleto, & querolis vociferandi amputetur occasio.

CXVII. *Quod omnes in commune subeant onus con[illegible]endi muros ciuitatis.*

Theod. Rex possessoribus Feltrinis.

NEcessitas publica multorum debet deuotione compleri: quia non decet paucos suscipere, quod constat plurimis expedire: ne regia iussa repetacta lentescant, dum res volis delegatur infirmis. In Tridentina igitur regione, ciuitatem construi nostra præcepit auctoritas. Sed quia territorii paruitas magnitudinem operis sustinere non potest, hoc solicitudo nostra prospexit, vt acceptis mercedibus competentibus pedaturam murorum omnes in commune subeatis, qui vicinitate iungimini. Quatenus accommodato solatio securius impleatur, quod paucis inexplicabile fortasse cognoscitur. Hac conditione scilicet definita, vt nullus ab his oneribus excusetur, vnde nec diuina domus excipitur.

CXVII. De prouisione certa exercitui facienda.

Theod. Rex Verano Saioni.

CVm Deo iuuante, pro defensione generali felicissimus producatur exercitus, prouidendum est, ne aut ipsi penuria inconsulta fatigentur, aut (quod dici nefas est) vastationem nostræ videantur prouinciæ sustinere. Primus enim prosperitatis gradus est, suis non esse damnosum: vt pro quorum compendio laboramus, eorum non videamur afflixisse fortunas. Et ideo deuotioni tuæ præsenti auctoritate delegamos, vt multitudinem Gepidarum, quam fecimus ad Gallias custodiæ causa properare, per Venetiam atque Liguriam sub omni facias moderatione transire. Quibus ne aliqua excedendi præberetur occasio, per vnamquamque hebdomadam sumptus eis tres Solidos largitas nostra direxit. Vt illis eum prouincialibus nostris non rapiendi votum, sed commercii sit facultas. Illud plane pro cunctorum quiete laborantibus indulgentia nostra concedit, vt si aut eorum carpenta itinere longiore quassantur, aut animalia attrita languescunt, te custode atque mediante cum possessoribus sine aliqua oppressione mutentur. Vt qui daturi sunt corpore aut qualitate meliora, quanuis paruis sanis animalibus acquiescant. Quia incerta est vita eorum, qui nimia fatigatione lassantur. Ita fit, vt nec illis desit subuentio necessaria, & nullum se læsum tali permutatione cognoscat.

CXVIII. Super eodem.

Theod. Rex Gepidis ad Gallias destinatis.

FVerat quidem dispositionis nostræ, vt vobis iter agentibus annonas iuberemus expendi: sed ne species ipsæ aut corruptæ aut difficile præberentur, in auro vobis tres Solidos per hebdomadam eligimus destinare: vt & mansiones vobis, pront herbarum copia suppetit, possitis eligere, & quod vobis est aptum magis, emere debeatis. Nam & possessorem hæc res occurrere facit, si vos necessaria comparare cognoscit. Mouete feliciter. Ite moderati. Tale sit iter vestrum, quale decet esse, qui laborant pro salute cunctorum.

CXIX. De restituenda possessione inuasa, & lite ad comitatum remittenda.

Theod. Rex Theobaldo viro illustri.

SI iustitiam colere vniuersos & amare præcipimus, quanto magis eos, qui nostra proximitate gloriantur? quos omnia decet sub laude gerere, vt regiæ possint fulgorem consanguinitatis ostendere. Hæc est enim indubitata nobilitas, quæ morib. probatur ornata. Quia pulchrum est commodum famæ, fœda neglexisse lucra pecuniæ. Argolici itaque viri illustris, & Amandiani viri clarissimi hæredes, supplici nobis aditione conquesti sunt, Palentianam massam, quam eis pro compensatione largitas nostra transfuderat, vt casæ Arbitanæ amissionem hac commoditate solarentur, ab hominibus vestris, nullis causis extantibus, indecenter inuasam: & inde crevisse culpandæ surreptionis vitium, vnde dari debuit gloriosæ moderationis exemplum. Quapropter si nullo mendacio asserta vitiantur, magnitudo vestra, quæ sunt ablata, restituat; & si quid vobis creditis posse competere, ad Comitatum nostrum instructam iure personam modis omnibus destinate: vt ciuiliter plantata causatio finem de legibus sortiatur. Ibi enim quicquid geritur, inuidiæ tuæ potius applicatur: & maiora detrimenta famæ suscipis, dum talia non vitare contendis: hic autem configit causæ iuribus suis, & sine derogatione qualibet mediocris addicitur, quando iustitia teste superatur.

CXX. De annona exercitus.

Theod. Rex Eutropio & Acretio.

STudium vestrum Reip. grata mente debetis impendere, quia nos agnouistis benemeritis multa præstare. Nam pietatis intuitu vicissitudinem pollicemur, cum tamen pro vobis omnia iubeamus. Atque ideo præsenti iussione vos credidimus admonendos, vt annonas constitutas, exercitui præbere debeatis: quatenus nec illi negligantur aducrso voto, nec prouinciales perniciosa debeat grauare direptio. Commodius enim sub expensarum lege tenetur exercitus, quam si cuncta fuerit vastare permissus. Ignorat modum seruare præsumptio, nec potest sub modo redigi, cui licentia fuerit visa concedi. Quapropter consequatur exercitus alimoniam deputatam, ne qua pars prædictam possit sustinere molestiam.

CXXI. De tributorum æquatione.

Theod. Rex Seueriano V. I.

IVstitiæ ratio persuadet, excedentes reprimere: vt ad cunctos possit quietis suauitas peruenire. Nam quemadmodum æquabilitas agitur, si vires mediocrium consurgere non sinantur? Prouincialium itaque nostrorum sæpius querela comperimus, possessores idoneos Snauiæ non solum causarum suarum tributariam functionem in tenuem relisisse fortunam, verum etiam scelerato commercio aliquid exinde suis si possint applicare compendiis: vt functio publica commoditas sit priuata.

Hoc

Hoc quidem per plurimos desiderauimus corrigi, sed hactenus in tuam laudem videtur potuisse differri: quatenus fides haberetur acceptior. Quando post multos neglectus studium vestrum efficacissime comprobatis. Atque ideo prudentia, qua notus es, vniuersum possessorem considerata iustitia te iubemus inspicere, & æquabilitatem tributi hac ratione moderari, vt quæ sub aliis facta est omnium redemptione cassata, pro possessionum atque hominum qualitate assis publicus imponatur. Sic enim & iustitia perficitur, & vires nostrorum prouincialium subleuantur. Eos autem, quos sine iussione nostra censum imposuisse constiterit, & pro libitu suo quorundam onera in alios proiecerunt, legum seueritas insequatur: vt omnia illis detrimenta sarciant, quibus incompetenter damna fecerunt. Illud quoque præcipimus inquirendum, ut inter Defensores, Curiales & Possessores illatorum ratio vestigetur: & quicquid ab octaua Indictione nuper exempta, super tributarium solidum se possessor probauerit intulisse, nec nostro ærario constat illatum, aut in expensis necessariis, quæ in prouincia factæ sunt, iusta ratione non claruerit erogatum, iniqua præsumptio modis omnibus corrigatur. Hanc quoque partem non æstimes negligendam, vt si hoc, quod tabularius à cubiculo nostro suscepit, rationabiliter non docetur expensum, ab iniusto detentore reddatur. Quid enim tam absurdum, nisi vt liberalitas nostra, quam vniuersis proficere volumus, nunc à paucis furtiuo compendio opprimatur? Iudices quoque prouinciæ vel Curiales atque Defensores tam de cursu, quam de aliis rebus, illicita dicuntur possessoribus irrogare dispendia. Quod te perquirere, & sub ratione legum emendare censemus. Antiqui Barbari, qui Romanis mulieribus elegerint nuptiali fœdere sociari, quolibet titulo prædia quæsiuerint, fiscum possessi cespitis persoluere, ac super indictitiis oneribus parere cogantur. Iudex vero Romanus propter expensas prouincialium, quæ grauare pauperes suggeruntur, per annum in vnumquodque municipium semel accedat: cui non amplius, quam triduanæ præbeantur annonæ: sicut legum cauta tribuerunt. Maiores enim nostri discursus Iudicum non oneri, sed compendio prouincialibus esse voluerunt. Domestici Comitis Gothorum, necnon & Vicedomini aliqua dicuntur prouincialibus continuatis terroribus abstulisse. Quibus iustitia vestra in examinationem deductis, quicquid super hac parte inique gestum esse cognouerit, amotis dilationibus, legaliter ordinabit. His ergo ac talibus, quæ ad vtilitatem publicam vel prouinciales pertinent, sub omni ratione discussis, ea te per omnia volumus agere, quæ nostræ mansuetudini non debeant displicere. Illud sane prouidentia nostra respexit, vt omnibus à te solicita atque æquabili indagatione compertis, polyptici iubeantur adscribi. Quatenus & testimonia fidei vestræ clareant, & nulla post † hac, quæ abrogari volumus, semina fraudis iterentur. † hæc.

CXXII. Super eodem.

Theod. Rex vniuersis possessoribus in Suauia constitutis.

Licet cunctis laborantibus Comitatus noster concedat, Deo auxiliante, iustitiam: & hinc remedia subiectis ad reliquas regni partes, quasi à viuo fonte descendant: tamen frequenti aditione permoti, ingeniosa pietate reperimus, & æquitatem vobis concedere, & fatigationem longi itineris abrogare. Quia dulciora sunt beneficia, quæ nullis difficultatibus obtinentur. Misimus itaque illustrem & magnificum Seuerinum nostris institutionibus eruditum, vt hoc apud vos gereret, quod nobis semper placuisse cognouit. Vidit enim quam honorabilis apud nos iustus habeatur, quemadmodum bonis actibus clementia nostræ serenitatis arrideat. Exercet profecto, quod nos gratanter æstimat accipere: nec potest amari rapacitas, continenti principi nulla redemptione placitura. Præsumenter ergo conueniat ad eum læsorum tumultus: speret remedium qualibet pressus iniuria. Difficultatem vobis querelæ subtrahimus, dum in ipsis cunabulis scelera commissa resecantur: sine aliqua formidine, alieni tributi sarcina grauatus exclamet accepturus remedium, quod de legibus habet. Sic enim confidimus: quia per eos, quos instituta nostra componunt, innocentibus detrimenta non veniant. Qualia vero pro quiete vestra, vel æqualitate tributorum disponenda censuimus, oracula nostra, quæ dedimus ad supradictum virum illustrem Seuerinum, vulgata declarabunt: vt vnusquisque vnde supplicare debeat, euidenter agnoscat.

CXXIII. De Annona exercitus.

Theod. Rex Abundantio Præposito.

Tatanem Saionem nostrum cum sagittariis ad illustrem virum Comitem Iulianum æstimauimus esse dirigendum: vt maius sumeret robur duplicatus exercitus. Ostentent iuuenes nostri bellis, quod in gymnasio didicere virtutis. Schola martia mittat examina, pugnaturus Ludo, qui se exercere consueuit in ocio. Atque ideo illustrem magnitudinem tuam, eis annonas & nauigia secundum consuetudinem præbere censemus, quatenus iuuante Deo quo directi sunt debeant peruenire. Vestræ enim consuetudini damus nostrarum efficaciam iussionum. Qua nullatenus destitui posse creditur, quod Deo iuuante, tuis ordinationibus inchoatur.

CXXIV. *De caducis fisco applicandis.*

Theod. Rex Epiphanio V. S. consulari prouinciæ Dalmatiæ.

IOanna Andreæ, quondam iugali suo successisse legis munere perhibetur: quæ intestata nullis existentibus proximis luce dicitur esse priuata. Cuius substantia a diuersis, nullo legitimo iure suffultis, vsurpatione voluntaria suggeritur possideri. Et quia caduca bona fisco nostro competere, legum cauta decreuerunt, ideo te præsentibus oraculis admonemus, vt huius rei veritate discussa, si re vera, vt ad nos perlatum est, nullus ei aut testamento heres extitit, aut proximitatis iure successit, fisci nostri eam facias compendiis aggregari. Quando innocentiæ nostræ professio est, iusta compendia non negligere, apud quem calumnia nunquam locum potuit inuenire. Rogari enim in talibus causis, non fraudari principem decet. Quia negligentiæ vitium est, præsumptiones relinquere, quas iura præcipiunt amputare. Si quid autem contra repereris, quietos dominos habere patiaris. Quia magis illa nostra sunt patrimonia, quæ à subiectis legitime possidentur.

CXXV. *De donatiuo Principis annuo.*

Theodericus Rex Guduim Saioni.

COnsuetudine liberalitatis regiæ commonemur, vt Gothis nostris debeamus solemnia dona largiri. Et ideo deuotio tua Millenarios prouinciæ Picent & Sannii sine aliqua dilatione commoneat, vt eos, qui annis singulis nostræ mansuetudinis præmia consequuntur, pro accipiendo donatiuo ad Comitatum faciat incunctanter occurrere. Quatenus qui bene nobis meriti fuerint, maiore munificentia gratulentur. Inculpabiliter enim necesse est viuat, qui suam præsentiam nouit principibus offerendam. Bonos enim laus, malos querela comitatur. Decet etiam nos sub hac occasione singulorum facta perquirere: vt nulli possit perire, quod facit in acie. Nam si semper consuetudinarias res expedirec exercitus, virtutem non potest amare neglectus. Trepidus discat ad iudicem venire, qui se non meminit audacter aliquid egisse. Vt melius possit hostibus violentus insurgere, qui nostræ maluit imputationis vulnera declinare.

CXXVI. *De statu hominis liberi in controuersiam adducto.*

Theod. Rex Neudi V. I.

MOuit nos quidem Oceri fusa precatio, sed magis miserabiliorem reddidit virum luminis sui ademptus ornatus: quia necesse est, vt amplius permoueat visa quam audita calamitas. Is enim perpetua nocte superstes ad remedia nostra mutuati luminis beneficiu festinauit: vt quem videre non poterat, saltem clementiæ suauitate sentiret. Clamat enim sibi Gudila vel Oppane incognitam suo generi conditionem seruitutis imponi: cum pridem sub libertate nostros fuerit secutus exercitus. Mirati sumus talem in famulatum trahi, qui à vero domino debuisset expelli. Nouus ambitus, talem quærere, quem possis horrere: seruumque dicere, cui debeas diuina consideratione seruire. Adiiciens enim huiusmodi calumnias Pithiæ Comitis celebratæ opinionis vin sibi exaoinatinnem summotam. Nunc autem infirmitatis suæ mole compressum, manu vindicare non posse, quæ patrona fonibus probatur assistere. Sed nos, quorum est proprium inter pares ac dispares æquabilem iustitiam custodire, præsenti iussione decernimus, vt si in iudicio supra memorati quondam Pithiæ se probauit ingenuum, calumniantes protinus amoueas. Nec audeant vlterius necessitatibus alienis illudere, quos semel conuictos decuerat sua vota damnare.

CXXVII. *De liberis hominibus non grauandis per onera seruilia.*

Theod. Rex Gudui viro sublimi.

QVos duces eligimus, eis simul & æquitatis momenta iure delegamus. Quia non tantum armis, quantum iudiciis nos effici cupimus clariores. Costala igitur atque Daila cum, Deo propitio, Gothorum nostrorum libertate lætentur, onera sibi seruilia à vobis causantur iniungi: quæ nec ipsos deceat perpeti, nec cuiquam irrationabiliter fas sit imponi. Quod si ita gestum esse cognoscis, sine aliqua dilatione facias amoueri. Ne ad nos exinde vlterius querela reuocetur, & incipiat grauis esse animo nostro in ducem reuoluta causatio, quem magis oportet talia peragere, quæ nos delectet audire.

CXXVIII. *De siliquatici exactione.*

Theod. Rex Decorato viro deuoto.

THomas vir clarissimus inter Apuliam Calabriamque prouincias de Siliquatici titulo Indictionum octauæ, nonæ, vndecimæ, primæ, secundæ, & quintæ decimæ, quas ad conductionem suam pertinuisse commemorat, nonnullos maximam pecuniæ quantitatem redhibere cooqueritur. Et quia vtilitatem publicam diuturna non conuenit ludificatione differri, ideo deuotio tua præsentia decreta suscipiens, Marcum presbyterum, Andream & Simeonium, vel reliquos, quos breuis subter annexus eloquitur, seruata in omnibus ciuilitate conueniat, Vt si eos non per calumniam, sed manifestos reuera fisco coo-

fitent

ftiterit esse debitores, summaque rationabiliter postulatur, sine aliqua imminutione persoluant. Prouidendum est enim, ne spiritus contumacium personarum publicis rationibus aliquod videatur afferre dispendium. Qui vero minus intentata cognoscunt, ad judicium competens te imminente conueniant: vt quod æquitati congruit, vtrarum que partium allegatione recognita, saluis legibus impleatur.

CXXIX. *De maritali iurisdictione, & notione de vxore delinquente.*

Theod. Rex Blandillæ.

ADiit nos innumeris vicibus Patzenis repetita conquestio: qui cum esset in expeditione felicissima constitutus, à Procula conjuge tua vxorem suam asseruit trina fuisse cæde laceratam: ita vt solo beneficio desperationis euaderet, cum non plagis fessa, sed iam crederetur extincta. Hanc nos, si tamen vera est, in fœmina quam maxime mirantes audaciam, transire non patimur impunitam. Atque ideo decretis te præsentibus admonemus, vt si factum euidenter agnoscis, delatam querimoniam pudori tuo consulens maritali districtione redarguas: quatenus ex eadem causa ad nos querela iusta non redeat, & legibus noueris resecari posse, quod te opor uerat domestica districtione corrigere. Quod si mendacium magis petitoris accusans causam dicere fortasse volueris, summoto dilationis obstaculo, ad Comitatum nostrum cum supradicta conjuge tua incun ctanter occurre, exceptura aut de iniqua præsumptione vindictam, aut de mulietis improbitate victoriam.

CXXX. *De raptu, & pœna adulterii.*

Theod. Rex Vvilitancho Duci.

GRauis est Patzenis clementiæ nostræ sensibus intimata conquestio: qui se in expeditione Gallica constituto, in eum Blandillam prosiluisse restatur excessum, vt vxorem eius Reginam proprio sociandam duceret esse coniugio: in injuriam nostrorum temporum, adulterium simulata matrimonii lege commissum fuit. Hæc nos, si vera sunt, transire nequaquam patimur impunita. Nam quando affectus tutos quis habeat, si tunc sceleri subiacebit, cum pro omnium salute pugnauerit? Respicite impudicæ gementium turturum castissimum genus: quod si à copula sua fuerit casu intercedente diuisum, perpetua se abstinentiæ lege constringit: gratiam conjunctionis non repetit, quam reliquit: fidem seruat, dum laudem pudoris ignoret: & moribus studere deprehenditur, quod nulla viduitatis conuersatione gloriatur. Mulierum se, proh dolor, vota continere nequeunt, quibus castitatem ratio persuadet, † pæna legis imponit, terror maritalis extorquet. Perierunt profecto mores, si nec illis comparari possunt, quæ ratione carentia temperantur. Et ideo sublimitas tua imperitos ad suum faciat examen occurrere, & rerum veritate discussa, sicut iura nostra præcipiunt, in adulteros maritorum fauore resecetur. Quia defensorem Reipub. redire noluerunt, qui scelerata præsumptione cuntuincti sunt. Confundi sine dubio desiderauerunt omnia, qui tentauerunt legibus inimica. Sed melius est, paucorum damno malorum corrigatur intentio. Quia omne matrimonium, quod absit, incertum relinquitur, si in tanta reuerentia sine aliquo errore peccetur.

† pœnam leges imponunt.

CXXXI. *De contumace compellendo.*

Theod. Rex Abundantio * præposito.

* Præf. pr.

FRontosum, sui nominis testem, frequenti nobis insinuatione suggestum est, pecuniæ publicæ decoxisse non minimam quantitatem, quem à diuersis iudicibus fecimus iusta examinatione perquiri: ne forsitan, vt assolet, eum non veritas, sed infirmaret inuidia. Ille omnia confessus, reddere se posse constituit, si ei largæ præberentur induciæ, quibus frequenter emensis, immemor promissionis suæ, ad constituta semper imparatus occurrit. Fugere siquidem nescius, sed suæ sponsionis ignarus, obliuiosus, cum relinquitur, trepidus, cum tenetur. Mutat verba, variat constituta, nec in vna dicti sui qualitate contentus, diuersis imaginib. immutatur. Merito Chamæleonti bestiæ conferendus, quæ paruorum serpentum formæ consimilis, aureo tantum capite, & reliquis membris subalbentis prasini colore distinguitur. Hæc quoties humanos aspectus incurrerit, dum ei fugiendi velocitas denegatur, nimia timiditate confusa, colores suos multifaria qualitate commutat, vt modo veneta, modo blattea, modo possit cyanea reperiri. Vnde mirum est in vna superficie tot diuersa conspicere. Quam non immerito Pandiæ gemmæ dicimus esse consimilem, in qua vnus se fulgur non potest continere: fluctuat aspectibus tremulis, dum lapis teneatur immobilis. Nam quod modo videris, mox aliud ibi, si amplius intuearis, aduertis: sic mutatum credis, quod neminem eripuisse cognoscis. His permutationibus æstimatis mens Frontosi simillima reperitur. Quæ dicti sui non habet fidem, quæ tot varietates continet, quot verba protulerit. Protei fabulis iure sociandus, qui subito compræhensus, substantiæ suæ formam omnimodis non habebat. Nam vt cælaret hominem, aut leo frendebat, aut sibilabat anguis, aut in vndas liquidas soluebatur. Et quia sic notus est, cum facies ad tuum venire iudicium, age primum ne promittat: caue, ne constituat. Quia leuissimi animi mos est, polliceri facile, quæ non disponit implere. Quicquid autem persoluere considerata æquitate potuerit, constrictus sine aliqua dilatione iam reddat. Quia post tot falsitates, argutiæ suæ reputare poterit, quod se frequenter illusisse cognoscit.

CXXXII. De pœna eorum, qui frumentum in detrimentum Reip. ad propria commoda transtulerunt.

Theod. Rex Luuirit Comiti Ampelio.

CVm pro incerti temporis euentu Romanas ædes inopia facie castigata pulsaret, & quanuis rara, tamen tam pulchræ ciuitati videretur esse fœdissima, æquum iudicauimus Hispaniæ triticeas illi copias exhibere: vt antiquum vectigal sub nobis felicior Roma reciperet. Iussis siquidem nostris viri spectabilis Marciani laude digna seruiuit industria. Sed parum diligenter impleta sunt, quæ constat optime fuisse procurata. Hi enim, qui portanda susceperant, moratom tædia non ferentes, destinatum frumentum in Africæ partibus pro suo dicuntur vendidisse compeodio. Quod quanuis inultum minime transire debuisset (vt amor proprii commodi, tot populorum ieiuna vota suspenderet) tamen quia nobis insitum est, culpas remittere, quas possumus cauta ordinatione corrigere, Catellum & Seruandum viros strenuos esse credidimus dirigendos. Vt quia naucleri ducentos octoginta Solidos in triticum, & in naulis septingentos quinquaginta octo Solidos accepisse perhibentur, si apud vos facti veritas innotescit, in summam rationem collecta, ab eis mille triginta octo Solidorum quantitas inferatur. Vt qui vindictam remisimus, damna minime sentiamus. In qua parte ita se sublimitas vestra diligenter impendat, vt & iustitiæ & publicis vtilitatibus satisfecisse videatur.

CXXXIII. De iuribus Synagogæ Iudaicæ.

Theod. Rex Iudæis Mediolanensibus.

LIbenter annuimus, quæ sine legum iniuria postulantur, maxime cum pro seruanda ciuilitate nec illis sunt neganda beneficia iustitiæ, qui adhuc in fide cognoscuntur errare. Atque ideo discant rerum bonarum suauissimum saporem: vt qui humanam iustitiam nituntur quærere, solicitius incipiant diuina iudicia cogitare. Proinde quoniam nonnullorum vos frequenter causamini præsumptione laceratos, & quæ ad Synagogam vestram pertinent, perhibetis iura rescindi, opitulabitur vobis mansuetudinis nostræ postulata tuitio. Quatenus nullus ecclesiasticus, quæ Synagogæ vestræ iure competunt, violentia intercedente peruadat, nec vestris se causis importuna acerbitate permisceat. Sed vt religionis cultuum, ita & actuum sint conuersatione discreti: hac tamen moderatione principalis auxilii beneficium concedentes, vt nec vos quod ad præfatæ Ecclesiæ ius vel religiosas personas certe legibus pertinere constiterit, inciuiliter attrectare tentetis. Tricennalis autem humani generi patrona præscriptio, eo quod cunctis vobis iure seruabitur: nec conuentionalia vos irrationabiliter præcipimus sustinere dispendia: vt hac pietatis nostræ defensione muniti, petitio vestra ab illicitis se liberatam gratuletur incommodis. Concedimus quidem clementiæ nostræ consuetudine, quæ rogastis. Sed quid Iudæe supplicans temporalem quietem quæris, si æternam requiem inuenire non possis?

CXXXIV. Vt arbores ædificiis obnoxiæ euellantur.

Theod. Rex vniuersis possessoribus.

ADmonet nos formarum cura præcipua, vt quæ possunt noxie crescere, debeamus celerius amputare. Quatenus & soliditas aquæ ductus, Deo auxiliante, incorrupta seruetur, & vobis leue sit opus, quod in teneris arboribus adhibetur. Nam quæ nunc virgulta sunt, erunt, si negligantur, & robora. Ista enim quæ modo facili auulsione diminuuntur, postea vix securibus icta succumbunt. Atque ideo sociata debetis properatione contendere, vt præsenti diligentia futuri laboris euadatis incommoda. Hæc est enim ciuilis euersio, sine oppugnatio nedissidium, aries, vt ita dixerim, fabricarum. Quapropter omnem syluam, quæ parietibus inimica consurgit, de Rauennate forma iubemus radicitus amputari: vt Signini Albei reparata constructio talem nobis deducat liquorem, qualem potuit à fontibus suscipere puritatem. Tunc erit exhibitio decora thermarum, tunc piscinæ vitreis fontibus fluctuabunt, tunc erit quæ diluat aqua, non inquinet: post quam lauari continuo non sit necesse. Additur etiam, quod si ad potandum vnda suauis influxerit, omnia nostro victui redduntur accepta. Quando humanæ vitæ nullus cibus gratus efficitur, vbi aquarum dulcium perspicuitas non habetur. Nam si lauari cupimus purissimis liquoribus, quanto magis saciari talibus festinamus? Quæ si nunc futura tractentur, nulli labor facit tædium, qui sumitur pro delectatione cunctorum.

ἄριστον ὕδωρ.

CXXXV. De exactorum & aliorum fraudibus coercendis.

Theod. Rex Ampelio & Liueriæ.

DEcet, prouincias regno nostro, Deo auxiliante, subiectas, legibus & bonis moribus ordinari. Quia illa vita vere hominum est, quæ iuris ordine continetur. Nam beluarum ritus est, sub casu viuere: quæ dum rapiendi ambitu feruntur, improuisa temeritate succumbunt. Agrum suum denique à dumosis sentibus doctus purgat agricola: quia laus excolentis est, si agreste solum dulcissimis fructibus amœnetur. Sic quies suauissima populi & tranquilla dispositio regionum præconium probatur esse regnantium. Multorum itaque querela comperimus, in prouincia Hispaniæ, quod summum inter mortales crimen est, vitas hominum vaga præsumptione populari, & leuium occasione causarum subire multos interitum. Sic mala pace quasi ludo corruunt, quanti vix potuissent cadere sub necessi-

necessitate bellorum. Dehinc non polypticis publicis, vt moris est, sed arbitrio compulsorum suggeruntur
prouincialium subiacere fortunæ. Quod genus euidentis est prædæ, pro illius voluntate dare, qui ad
suum commodum amplius festinat exigere. Cui rei nos regali prouidentia succurrere cupientes, sub-
limitatem vestram per vniuersam Hispaniam loco muneris credidimus destinandam. Vt sub ordinatio-
nis vestræ novitate inveteratæ possit consuetudini nil licere. Verum vt, more medicorum, seviori-
bus morbis accelerata remedia tribuamus, inde curationis nostræ fiat initium, vbi magis noscitur
esse periculum. Homicidii scelus legum iubemus auctoritate resecari: sed quanto vehementior pœna
est, tanto eius rei debet inquisitio plus haberi: ne amore vindictæ innocentes videantur vitæ pericu-
la sustinere: Pereant itaque soli nocentes, in correctione multorum: quando & hoc pietatis genus est,
coercere insantiam criminis, ne iuvenescat augmentis. Exagentes vero assem publicum per grava- 3.
mina ponderum premere dicuntur patrimonia possessorum: vt non tam exactio, quam præda esse
videatur: Sed vt totius fraudis abrogetur occasio, ad libram Cubiculi nostri, quæ vobis in præsenti 4.
data est, vniversas functiones publicas iubemus inferri. Quid enim tam nefarium, quam si præsumpto-
ribus liceat in ipsa etiam trutinæ qualitate peccare? vt quod est iustitiæ propriè datum, hoc per frau-
des noscatur esse corruptum? Conductores domus regiæ, quacunque gente sint editi, ad liquidum 5.
veritate discussa, tantum decernimus solvere, quantum nostra prædia constituerit pensitare. Et ne cui-
quam labor suus videatur ingratus, salaria eius pro qualitate locatæ rei, vestra volumus æquitate con-
stitui. Non enim nostra, sed illorum iura dicenda sunt, si pro voluntate conducentis modus eveniat
pensionis. Transmarinorum igitur canonem, vbi non parva fraus fieri vtilitatibus publicis intima- 6.
tur, vos attente iubemus exquirere: atque statutum numerum pro initium qualitate definire. Quia
contra fraudes vtile remedium est, nosse quod inferatur. Monetarios autem quos specialiter in vsum 7.
publicum constat inventos, in privatorum didicimus transisse compendium. Qua præsumptione
sublata, pro virium qualitate functionibus publicis applicentur. Telonei quinetiam canonem nulla 8.
faciatis vsurpatione confundi. Sed modum rebus vtilimum, quem præstare debeat, imponentes, com-
merciandi licentiam æquabili ratione revocate: ne se tendat in vagum ambitiosa enormitas exigentium.
Actus præterea Læti, cuius conscientia summa pulsatur invidia, sub consueta nobis censemus æqui-
tate perquiri. Vt nec fraus astutis machinationibus occulatur, nec innocentia falsis criminationibus
ingravetur. Quoscunque vero in furtivis actionibus repereris fuisse versatos, pro fortunarum quan-
titate, suppressam reddant vestra æstimatione pecuniam. Quod si hæc per alios dispersa esse constite- 9.
rit, & illi nihilominus teneantur obnoxii, qui scientes passi sunt in tali actione misceri. Complices enim
extiterunt criminis, qui non detexerunt facta raptoris. Præbendarum tenor ascriptus, quem nostra 10.
diversis largitur humanitas provincialibus suggeritur intolerabilis causa esse damnorum: quando &
in species exigitur, & impudenter eius pretium postulatur. Detestabilis cupiditatis ista sunt documen-
ta, competentia sibi distrahere, & ad exigendi impudentiam mox redire. Quod nimis improbum,
nimis videtur absurdum: vt & nostra constituta prætereant, & tributariorum, qui fovendi sunt, vi-
deantur afflixisse substantiam. Sint igitur præfixo modo contenti, sive ibidem positi, sive hinc nihilo-
minus destinati; habeant liberum arbitrium, vnum tantum de duobus expetere: dummodo gemi-
nata exactione fortunas alienas non debeant ingravare. Exactorum quoque licentia fertur amplius
à provincialibus extorqueri, quam nostro Cubiculo constat inferri. Quod diligenti examinatione
discussum, ad hunc vos modum functiones publicas revocare decernimus, quem Alarici atque
Enrici temporibus constat illatas. Pataveredorum itaque subvectiones exigere eos, qui ha- 11.
bene veredos adscriptos, provincialium querela comperimus: quod nullum penitus sinatis
præsumere, quando per turpissimos quæstus & possessor atteritur, & commeantium celeritas impedi-
tur. Villicorum quoque genus, quod ad damnosam tuitionem queruntur inventum, tam de privata
possessione, quam publica funditus volumus amoveri. Quia non est defensio, quæ præstatur invitis: 12.
suspectum est, quod patiuntur nolentes. Nam hoc est revera beneficium, si sine murmure feratur
acceptum. Servitia igitur, quæ Gothis in civitate positis superflue præstabantur, decernimus amoveri.
Non enim decet, ab ingenuis famulatum quærere, quos misimus pro libertate pugnare.

CXXXVI. De spectaculis.

Theod. Rex Maximo V.I.

SI consularem monificentiam provocant, qui peruncta corporum flexibilitate luctantur, si organo canentibus redditur vicissitudo præmiorum, si venit ad pretium delectabilis cantileoa: quo munere venator explendus est, qui vt spectantibus placeat, suis mortibus elaborat? Voluptatem præstat sanguine suo, & infelici sorte constrictus festinat populo placere, qui eum non optat evadere. Actus detestabilis, certamen infelix, cum feris velle contendere, quas fortiores se non dubitat invenire. Sola est ergo in fallendo præsumptio, vnicum in deceptione solatium. Qui si feram non mereatur effugere, interdum nec sepulturam poterit invenire. Adhuc superstite homine perit corpus, & antequam cadaver efficiatur truculenter, assumitur. Captus esca fit hosti suo, & illum (proh dolor) satiat, quem se perimere posse suspirat. Spectaculum tantum fabricis clarum, sed actione deterrimum, in honore Scythicæ Dianæ repertum, quæ sanguinis effusione gaudebat. O miseræ deceptionis errorem, illam desiderasse colere, quæ hominum morte placabatur! Primum sibi per lucos & sylvas agrestium populorum nota & venationibus dedita, hanc triplicem deam falsa imaginatione finxerunt: ipsam in cælo Lunam, ipsam in sylvis Dianam, ipsam apud inferos Proserpinam esse, firmantes. Sed solum Herebi potentem,

non im-

non improbe forsitan æstimarunt: quando tali falsitate decepti, inprofundas vivi tenebras cum suis erroribus intraverunt. Hunc ludum crudelem, sanguinariam voluptatem, religionem impiam, humanam (vt ita dixerim) feritatem, Athenienses primum ad civitatis suæ perduxere cultutam, iustitia permittente divina, vt ad illusionem spectaculi perveniret, quod falsæ religionis ambitus invenisset. Hoc Titi potentia principalis divitiarum profuso flumine cogitavit ædificium fieri, vnde caput vrbium potuisset. Cum Theatrum, quod est hemisphærium, Græce dicatur, Amphitheatrum quasi in vnum iuncta duo visoria, recte constat esse uominatum. Qui speciem eius arena concludens, vt concurrentibus aptum daretur spatium, & spectantes omnia facilius viderent, dum quædam prolixa rotunditas voiversa collegerat. Itur ergo ad talia, quæ refugere deberet humanitas. Primus fragili ligno confisus currit ad ora beluarum: & illud, quod cupit evadere, magno impeto videtur appetere. Pari in se cursu festinat & prædator & præda: nec aliter tutus esse potest, nisi huic, quem vitare cupit, occurrerit. Tunc in aere saltu corporis elevato, quasi vestes levissimæ supinata membra iaciuntur, & quidam arcus corporeus supra beluam libratus, dum moras discedendi facit, sub ipso velocitas ferina discedit. Sic accidit, vt ille magis possit mitior videri, qui probatur illudi: alter angulis in quadrifaria Mundi distributione compositis, rotabili facilitate præsumens non discedendo fugit, non se longius faciendo discedit, sequitur insequentem, poplitibus se reddens proximum, vt ora vitet vrsorum, ille in tentiem regulam venire suspensus invitat exitiabilem feram, & nisi periclitatus fuerit, nil vnde vivere possit, acquirit: alter se gestabili muro cannatum, contra sævissimum animal, ericii exemplo, receptatus includit, qui subito in tergus suum refugiens, intra se collectus absconditur: & cum nusquam discesserit, eius corpusculum non videtur. Nam sicut ille veniente contrario revolutus in sphæram, naturalibus defensatur aculeis, sic iste consutili crate præcinctus, munitior redditur fragilitate cannarum: alii tribus, vt ita dixerim, dispositis hostiolis paratam in se rabiem provocare præsumunt, in patenti area cancellosis se postibus occulentes, modo facies, modo terga monstrantes. Vt mirum sit evadere, qoos ita respicis per leonum vngues dentesque volitare: alter labenti rota feris offertur: eadem alter erigitur, vt periculis auferatur. Sic hæc machina ad infidi Mundi formata qualitatem istos spe tesovet, illos timore discuciat, omnibus tamen vicissim, vt decipere possit, arridet. Longum est per tot periculorum casus sermonibus evagari. Sed apte iungendum est, quod ait de Inferis Mantuanus. Quis *scelerum comprendere formas*? quis *omnia pœnarum percurrere nomina possit*? Sed vobis, quibus necesse

Virg. 6. Aeneid.

est talia populis exhibere, largitate manus fundite præmia, vt hæc miseris faciatis esse votiva. Alioqui violenta compulsio est, solemnia dona subtrahere, & mortes detestabiles imperare Et ideo quicquid in longam consuetudinem antiqua liberalitate pervenit, sine aliqua dilatione concedite supplicanti. Quia homicidii reatus est, illis esse tenacem, quos editio vestra invitavit ad mortem. Heu mundi error dolendus, si esset vllus æquitatis intuitus, tantæ divitiæ pro vita mortalium deberent dari, quantæ in mortes hominum videntur effundi.

CXXXVII. De officio Consulis.

PRiscorum iudicio qualis sit Consulatus, hinc omnino datur intelligi, quando inter Mundi dignitates eximias, solus meruit habere palmatas vestes, quas felicitas dabat, præmia vincentium, nomen annorum, compensatio sola cui debebantur omnia. Statum Reipublicæ Romanæ viri fortis dextera tuebatur, fortunas omnium ac liberos huius consilia vindicabant, & tot magnis debitis sola erat huius retributio dignitatis, reperta in libertatis oroatum, inventa ad generale gaudium. Per illam nimirum status Imperii iugiter crevit: illam semper felix Roma suscepit: merito pridem genua habebatur Imperii: merito supra omnes cives poterat, qui ab hoste patriam vendicabat, vtilitates publicas sub æquitate disponens, ius dicebat etiam capiti: sed tuto illi commissa est potestas necis, qui fuetat auctor salutis. Hinc est, quod etiam fasces atque secures tantæ potestati præceptæ sunt illigati: vt cum tardius solverentur, moram deliberationis acciperent, si de cæde aut oece hominis aliquid censuissent: ita vt cum omnia eius traderentur arbitrio, ne insolesceret animo, Consul dictus est à consulendo. Hinc tanta largitas profluebat, vt illa dextra, quæ sanguioem copiose fuderat hostiom, vitæ auxilium civibus manaret irriguum. Sic quos felices per bella fecerat, studio largitatis explebat. In argumentum etiam publicæ gloriæ solvebat famulos iugo servili, qui libertatem tantæ dederat civitati. Sed nunc sumitis ista felicius: quando nos habemus labores Consulum, & vos gaudia dignitatum. Palmatæ siquidem vestræ, nostræ probantur esse victoriæ: & prosperrimæ conditionis eveotu vos in pace ingenuitatem ceditis famulis, cum nos securitatem demus per bella Romanis. Atque ideo per illam Indictionem Consulatus te decoramus insignibus. Pinge vastos humeros vario colore palmatæ: validam manum victoriali scipione nobilita: lares proprios etiam calceis auratis egredere: sellam curulem pro sua magnitudine multis gradibus enisus ascende: vt in otio subiectus mereatis, quod nos per maximos labores assumimus imperantes. Rem victoriarum agitis, qui bella nescitis: nos, iuvante Deo, regimus, nos consulimus, & vestrum nomen annum designat. Vicistis felicitate Principes, qui & honores summos geritis, & dominationis tædia non habetis. Quapropter erige confidentiam mentis tuæ. Consules esse magnanimos decet. Opes privatas non cogites, qui gratiam publicam donando habere decrevisti. Hinc est enim, quod alios iodices etiam non rogantes evehimus, Consules autem sperantes tantummodo promovemus, vt soli ad has largitates veniatis, qui vos pares tantis expensis esse cognoscitis. Alioqui onera essent potius, non honores, si supra vires aliquid impooeremus invitis. Fruere igitur decenter optatis Hic est ambitus qui probatur. Esto mundo clarus, tibi prosperrimus, tuis autem posteris feliciter imitandus.

CXXXVIII. De

CXXXVIII. De officio Patritiorum.

SI antiquitatis ordinem perscrutèmur origine dignitatum, * Patritiorum familia Ioui † noscitur fuisse dicata: vt summi Dei (sicut putauere) cultura locum primariom possideret: Sed quia vos aliquid habere decebat eximium, & nomen ipsum Patribus magna se vicinitate iungebat, superstitione derelicta, ad vestrum cœtum felici conditione migrauit, quia pontificalis laus conscientiæ Senatui rectè poterat conuenire. Sic ex augurali familia Reges quoque legis institutos, non iniuria: quia decuit à tali proposito venire, qui publica poterat iura tractare. Hinc est, quod & honor ipse cinctus est, cum vacaret, nihil iurisdictionis habens, & iudicantis cingulum non deponens, in quo felicitas perpetua nascitur, dum successoris ambitio oon timetur. Nam mox vt darus fuerit, in vitæ tempus reliquum homini fit coæuus, ornatus indiuiduus ciogulum fidele, quod nescit ante deserere, quam de Mundo homines contingat exire: credo ad similitudinem pontificatus, vnde venerat, rem fuisse formatam: qui sacerdotium non deponont, nisi cum vitæ munera delinquunt. Additur, quod leges tantam illis reuerentiam detulerunt, vt in sacris positus, cum hoe fuerit bonore præcinctus, paternæ potestatis nexibus exuatur, nisi contra specialiter à principe caoeatur. Quod constat ratione probabili constitutum: vt qui amplissimum genium preciosæ libertatis acceperat, vilissimam conditionem cum subditis non haberet. Prætectorios & aliarum dignitatum viros præcedit vnitatum, cedens fulgori, quem interdum etiam à nobis constat assumi. Proinde necessario laudatam intellige dignitatem: ne aut nos parum dedisse videamur, aut tu oegligentius tractes, si te aliquid mediocre suscepisse putaueris. Quapropter ab illa indictione oostro munere subleuatus, Patritiatus culmen ascende, quod quidam iuridicorum à patribus dictum esse voluerunt, facturus omnia, quæ tantam reuerentiam decent. Nam quamuis magna contulerit nostra clementia, habes adhuc quod expectes, si te probabiliter tractare contendas.

* Potitiorum.
† dignoscitur.

CXXXIX. De officio Prafecti Pratorio.

SI hoooris alicuius est origo laudabilis, si booum initium sequentibus rebus potest dare præconium, tali auctore Præfectura Prætoriana gloriatur, qui & Mundo prudentissimus, & diuinitati maxime probatur acceptus. Nam cum Pharao Rex Ægyptius de periculo futuræ famis inauditis somniis vrgeretur, oec visionem tantam humanum posset releuare consilium, Ioseph, vir beatus, inuentus est, qui & futura veraciter prædiceret, & periclitanti populo prudentissime subueniret. Ipse primum huius dignitatis infulas consecrauit: ipse carpentum reoerendus ascendit, ad hoc gloriæ culmen euectus, vt per sapientiam conferret populis, quod præstare non potuerat potenria dominantis. Ab illo nanque patriarcha, & nunc pater appellatur imperii: ipsum hodieque resonat vox præconis instruens iudicem, ne te patiatur esse dissimilem. Merito, vt cui tanta potestas potuit dari, videretur semper subtiliter admoneri. Quædam enim huic dignitati & nobiscum iura communia sunt. Exhibet enim sine præscriptione longinquos, magna quantitate mulctat errantes, fiscum pro sua deliberatione distribuit, euectiones simili potestate largitur, vacantia bona proscribit, delicta prouinciatum iudicum punit, verbo sententiam dicit. Quid est, quod non habeat commissum, coius est vel ipse sermo iudicium? Pene est, vt leges possit condere, quando eius reuerentia potest negocia sine appellatione finire. Ingressos palatium nostra consuetudine frequenter adoratur: & tale officium morem videtur soluere, quod alios potuit accusare. Potestate igitur nulla dignitas est æqualis. Vice Sacra vbique iudicat. Nullus ei miles de fori sui auctoritate præscribit, excepro officiali, Magistri Militum: credo vt vel illis aliquid Antiquitas cederet, qui videbantur pro Repub. bella tractare. Curiales etiam verberat, qui appellati sunt legibus Minor Senatus. In officio suo ius retinet singulare, & talib. tantisque noscitur iubere, quos etiam prouinciarum non audeant iudices in aliqua parte contemnere. Officium plane gestarum, efficax, instructum, & tota animi firmitate præualidum: qui sic peragent iussa, vt nullis morentur dilationibus imperata. Militia perfunctis Tribuoorum & Notariorum honorem tribuit, & milites suos illis exæquat, qui inter proceres mixti, nostris conspectibus obsecundant. Gratanter implemus, quæ ille constituit, cuius reuereotia & nos ita constringimur, vt sine dubitatione faciamus, quæ illum decreuisse cognoscimus. Non immerito, quando palatium sua prouisione sustentat, seruientibus nobis procurat annonas, humanitates quoque iudicibus ipsis facit. Legatos gentium veraces explet ordinationibus suis. Et licet aliæ digoitates habent titulos præfinitos, ab ista totum pene geritur, quicquid imperio nostro æquabili moderatione tractatur. Haoc denique curarum omnium pulcherrimam molem (quod prosperum nobis, vtile Reipub. sit) ab illa Indictione tuis humeris decenter imponimus: quanto & ingenii virtute sustineas, & summa fide tractare contendas. Quæ quantum diuersis solicitudinibus constringitur, tanto magis laudes amplissimas dignitas hæc triumphat. Et ideo tantum lumen gloriæ sit actionibus vestris, vt & in palatio nostro fulgeat, & in prouinciarum longinquitate reluceat. Par tibi sit cum potestate prudentia: cooscientiæ tuæ quadrifaria virtus assideat. Tribunal tuum ideo tam excelsum factum esse noueris, vt locatus ibi nihil humile abiectumque cogitares. Considera quid debeas dicere, quod à tantis excipitor. Monimenta publica talia contineant, quæ se legisse nullus erubescat. Præsul mirabilis partem non habet cum delictis: quia nisi aliquid egregium assidue fecerit, culpam vel ociosus incurrit. Nam si prædictus auctor sanctissimus ille recolatur, quoddam sacerdotium est, Præfecturæ Prætorianæ competenter agere dignitatem.

CXL. De

CXL. *De officio Præfecti Vrbis.*

CVm de dignitate commissa laus semper iudicis æstimetur, & potior habendus est, quam sint illi, quibus præesse cognoscitur, nemo amplius videtur erigi, quam cui potuit Roma committi. Grande est quidem, procerem esse: sed multo grandius, de proceribus iudicare. Senatus ille mirabili opinione gloriosus probatur habere præsulem, quem mundus suscipit iura condentem. Eoque fit, vt illi vtantur in Senatu potestate perfecta, qui apud te trepidant dicere proprias causas. Verum hæc quoque modestia cognoscitur esse prædicanda: vt oporteret se legibus teneri, quæ ab ipsis sciuntur posse constitui. Quæ res pro parte nobis absolute communis est: sed hac sola ratione discreti, quod alteri subdi non possumus, qui iudices non habemus. Respice tot doctos viros, & considera quale sit his aliquid dicere, nec erroris verecundiam formidare. De talibus disceptas, quos tibi cognoscis esse potiores. Sic ergo locum tuum tracta: vt omnes te iudicem honoratæ congregationis agnoscant. Consideres, supra omnes scilicet Consulares sententiam primum dicis, & in illa libertatis aula reverendus aspiceris, in qua commilitos habere Mundi primarios approbaris. Quis iam de obscuro vitio cogitare possit, qui se inter morum limina tot esse cognoscit? Vis odium non recipere? studium à te gratificationis exclude. Publicum amorem necesse est habeas, si secretius nil promittas. Est nimirum magnum & singulare præconium, si iudices non accipiant, vbi sunt qui multum dare contendant. Ditioni tuæ non solum Roma commissa est (quanvis in illa contineantur vniversa) verum etiam intra centesimum milliarium potestatem te protendere, antiqua iura voluerunt: ne tantæ civitatis iudicem muralis agger includeret, cum Roma omnia possideret. Tu etiam ex designatis lege provinciis, ab appellatione cognoscis. Advocati tibi militant eruditi: quando in illa patria difficile non est oratores non implere, vbi Magistros eloquentiæ contingit semper audire. Carpento veheris per nobilem plebem: publica te vota comitantur: favores gratissimi consona tecum voce procedunt. Bene age, quia te veniente licet populis contiere. Habes copiose vnde tibi gratiam tantæ civitatis acquiras: si merces diversæ sub nulla venalitate vendantur: si exhibitio salubriter accensa thermarum, tapinarum ardoribus non tepescat: si spectaculum, quod præbetur voluptati, non sit causa litigii. Suaviter enim cogit gratum esse populum, quisquis in certaminibus partium declinat iniustum. Tanta est enim vis gloriosæ veritatis, vt etiam in rebus scænicis æquitas desideretur. Admonitionum igitur ordine decurso, per Indictionem illam habitu te togatæ dignitatis ornamus: vt indutus veste Romulæa, iura debeas affectare Romana. Nam si isti dignitati par fueris, nihil est, quod à nobis minime consequaris. Ad omnia enim tali suffragio eris nihilominus dignus, si actionem tuam laudet Senatus. Perfecta enim rei fides est, vbi consentanei testes probantur esse summates.

CXLI. *De officio Quæstoris.*

SI tantum claræ sunt dignitates, quantum nostris affatibus perfruuntur: si præsentia frequens prodit dominantis affectum: nullus ita iudicum potest esse gloriosus, quam ille, qui est in cogitationum nostrarum participatione susceptus. Aliis enim pecuniæ publicæ committimus procurationem: aliis causas concedimus audiendas: aliis patrimonii nostri iura delegamus. Quæsturam toto corde recipimus, quam nostræ linguæ vocem esse censemus. Hæc nostris cogitationibus necessario familiariter applicatur: vt proprie dicere possit, quod nos sentire cognoscit: arbitrium suæ voluntatis deponit, & ita mentis nostræ velle suscipit, vt à nobis magis putetur exisse, quod loquitur. O quam arduum est, subiectum verba dominantis assumere, loqui posse quod nostrum credatur, & provecti in publicum decorem gloriosam facere felicitatem! Considerate quid ponderis habeatis pariter & decoris. Si quid dubitamus, à Quæstore requirimus: qui est thesaurus famæ publicæ, armarium legum, paratus semper ad subitum, & (vt ait Tullius magister eloquentiæ) Nihil præstabilius videtur, quam posse dicendo tenere hominum mentes, allicere voluntates, impellere quo velit, vnde autem velit, deducere. Nam si oratoris est proprium, graviter & ornate dicere, vt possit animos iudicum commovere: quanto facundior debet esse, qui ore principis populos noscitur admonere? vt recta diligant, perversa contemnant, bonos sine fine laudent, pessimos vehementer accusent. Vt pene feriata sit districtio, vbi prævalet eloquentiæ fortitudo. Sit imitator prudentissimus Antiquotum, mores alienos corrigat, & suos debita integritate custodiat. Talem denique oportet esse Quæstorem, qualem portare principis decet imaginem. Nam si nos (vt assolet) causam gestis audire contingat, quæ auctoritas erit linguæ, quæ sub oculis regalem genium possit implere? Adesse debet scientia iuris, cautela sermonis: vt nemo debeat reprehendere, quod Principem constiterit censuisse. Opus erit præterea firmitas animi: vt à iustitiæ tramite nullis muneribus, nullis terroribus auferatur. Nam pro æquitate servanda & nobis patimur contradici, cui etiam oportet obediri. Sed vide, vt tantum doctrinæ deferas, quatenus probabiliter omnia perquisitus exponas. Aliæ quippe dignitates assessorum solatia quærunt: tua vero dignitas Principi consilia subministrat. Atque ideo prudentiæ vel eloquentiæ tuæ fama provocati, Quæsturam tibi, gloriam literarum, civilitatis templum, genitricem omnium dignitatum, continentiæ domicilium, virtutum omnium sedem, per illam Indictionem, Deo præstante, concedimus: vt sic agas, quemadmodum te parem rebus prædictis esse contendas. Ad te enim provinciæ sua vota transmittunt: à te Senatus iuris quærit auxilium: à te docti probantur expetere, quod noverunt. Et necesse tibi est omnibus sufficere, quantos à nobis contigerit legum remedia postulare. Sed cum hæc omnia feceris, nullis elationibus efferaris, nulla mordearis invidia, alienis calamitatibus non læteris. Quia quod odiosum

d'osum est Principi, non potest conuenire Quæstori. Exerce potestatem Principis, conditione subiecti. Sic ore nostro glorificatus eloquere, vt te tamen rationem credas nobis iudicibus redditurum: vbi aut culpabilis vicissitudineo recipit, aut boni propositi gloriam laudatus acquirit.

CXLII. *De officio Magistri.*

REuerendum honorem sumit, quisquis Magistri nomen acceperit: quia hoc vocabulum semper de peritia venit, & in nomine cognoscitur, quid sit de moribus æstimandum. Ad eum nimirum palatii pertinet disciplina: ipse insolentium Scholarum mores procellosos moderationis suæ terminis prospere differenat. Tam multi ordines sine consusione aliqua componuntur: & ipse sustinet onus omnium quod habet turba discretum. Sic nominis sui grauitate persunctus, ornat actibus Principatum. Per eum Senator veniens nostris præsentatur obtutibus: admonet trepidum: componit loquentem: sua quinetiam verba solet inserere, vt nos decenter omnia debeamus audire. Aspectus Regi hand irritus, promissor collocutionis nostræ, gloriosus donator aulici consistorii, quasi quidam lucifer: nam sicur ille venturum diem promittit, sic iste desiderantibus vultus nostræ serenitatis attribuit. Causarum præterea maximum pondus in eius audientiæ finibus optima securitate reponimus. Vt eius curis fidelibus subleuati, vtilitatibus publicis viuacius occupemur. Veredorum quinetiam oportunam velocitatem, quorum status semper in curso est, diligentiæ suæ districtione custodit: vt solicitudines nostras, quas consilio iuuat, beneficio celeritatis expediat. Per eum exteris gentibus ad laudem Reipublicæ nostræ ordinatur humanitas: & nolentes redeunt, quos merentes exceperit. Per eum quippe nobis Legatorum, quamuis festinantium, prænunciatur aduentus: per eum nominis nostri destinatur euectio: & isti principaliter creditur, quod tam necessarium esse sentitur. His etiam laboribus æstimatis potestatem maximam huic decreuit Antiquitas: vt nemo iudicum per prouincias fasces assumeret, nisi hoc & ipse fieri decreuisset. Subdidit ejus arbitrio aliena iudicia, vt ad ipsum rediret, quod alter visus est præstitisse. Molestias quidem non habet exigendæ pecuniæ, sed aperte bono fruitur potestatis indeptæ: credo, vt ex diuersis titulis deflorarentur dignitas, ad leuamen Principis instituta. Peræquatores etiam victualium rerum in urbe regia propria voluntate constituit, & tam necessariæ rei iudicem facit. Ipse enim gaudium populis, ipse nostris temporibus præstat ornatum. Quando tales viros copiæ publicæ præficit, vt plebs querula seditionem non debeat habere satiata. Officium vero eius tanta genii prærogativa decoratur, vt militiæ persunctus muneribus, ornetur nomine Principatus. Miroque modo inter Prætorianas cohortes, & Vrbanæ præfecturæ milites videantur inuenisse primatum, à quibus tibi humile soluebatur obsequium. Sic in fauore magni honoris iniustitia quædam à legibus venit, dum alienis excubiis præponitur, qui alibi militasse declaratur. Adiutor etiam Magistri nostris præsentatur obtutibus: vt vicaria sorte beneficii eligamus eius præsidium, qui nobis præstat fidele solarium. Hanc igitur dignitatem, tot titulis claram, tot insignibus opulentam, per Indictionem illam gubernandam tibi, congrua grauitate committimus: vt omnia quæ gesseris, Magister fecisse videaris. Quia nihil moribus residuum relinquitur, si (quod absit) à tanta maturitate peccetur.

CXLIII. *De Comite sacrarum largitionum.*

GRata sunt omnino nomina, quæ designant protinus actiones: quando tota ambiguitas audienti tollitur, vbi in vocabulo concluditur, quid geratur. Donis enim præsidere regalibus Comitiuam sacrarum Largitionum, indicia rerum varba restantur. Quod vere decorum, vere fuit omnimodis exquisitum, in donorum regalium parte sequestratam facere dignitatem & alterius bonorem dicere, dum nos constet dona conferre Actus innocens pietatis officium, illud semper iogerere, vnde se fama Principis possit augere. Regalib. magna profecto felicitas militare donis, & dignitatem habere de publica largitate. Alii iudices obtemperant residuis virtutibus regnatoris: hæc sola est, quæ tantummodo seruiat ad momenta pietatis. Nihil enim per ipsam districtum genitur, nil seuerum forte censetur, sed tunc obsequitur, quando pro nobis vota funduntur. Supplicum per te fortunas erigimus, Cal. Ianuariis affatim dona largimur, & lætitia publica militia tua est. Verum hanc liberalitatem nostram alio decoras obsequio, vt figura vultus nostri metallis vsualibus imprimatur, monetamque facis de nostris temporibus futura sæcula commonere. O magna inuenta prudentum! O laudabilia instituta Majorum! vt & imago Principum subiectos videretur pascere per commercium, quorum consilia iouigilare non desinunt pro salute cunctorum. Sed huic (vt ita dixerim) munerariæ dignitati præconem largitatis nostræ, publicæ felicitatis indicium, locum quoque Primiceriatus adjungimus: vt per te dêmus honores, per quem & nostræ pecuniæ conferimus largitates. Merito; quando & simili gratia vtraque præstantur, & ab eo vno debuerunt iudice geri, quæ parili videntur laude coniungi. Parum est autem, quod prouinciarum iudices tuæ subiaceant dignitati: ipsis quoque proceribus Chartarum confirmas officium: dum perfectum non creditur, nisi à te fuerit pro solemnitate completum. Vestis quoque sacra tibi antiquitus noscitur fuisse commissa, qui quod ad splendorem regium pertineat, tuis minus ordinationibus obediret Curas quoque litorum aduentitia lucri prouisione committis. Negotiatores, quos humanæ vitæ constat necessarios, huic potestati manifestum est esse subiectos. Nam quicquid in vestibus, quicquid in argento, quicquid in gemmis ambitio humana potest habere pretiosum, tuis ordinationibus obsecundat, & ad iudicium tuum confluunt, qui de extremis Mundi partibus aduenere. Salis quoque commercium, inter vestes sericas & pretiosissimam margaritam, non ineptè tibi deputauit antiquitas: vt sapientiam tuam euidenter ostenderet, cui talis species deputata seruiret. Quapropter per il-

lam In-

lam Indictionem Comitiuæ Sacrarum, & Primiceriatus tibi conferimus dignitates: vt multis laudibus decorari possis, qui honorum numerositate præcingeris. Vtere igitur solemniter titulis tuis, & si quid tibi de antiquo priuilegio vsus abstulit, plurima certe quæ vindicare debeas dereliquit. Quando duarum dignitatum gloriosa quidem cura, sed & laboriosa custodia est, quæ [·]bi copiosum fructum decoris afferunt, si probis moribus excoluntur.

CXLIV. De Comite Priuatarum.

COmitiua Priuatatum, sicut nominis ipsius sentitur insonare vocabulum, per rationalium curam quondam Principum priuatam fertur gubernasse substantiam. Et quia iudicis fastigium exercere non poterat inter homines, extremis conditionibus inclinatos, alios quoque titulos prouida deliberatione suscepit: ne dignitas Latialis cansam tantum videretut habere cum famulis: sed actibus vrbanis tunc se felicius occupauit, postquam agrestium causas decenter amisit. Quid enim prius facerent inter seruos, iura publica, qui personam legibus non habebant: Non ibi aduocatus aderat: non se partes solemni actione pulsabant. Erat secretarium impolluta seditione confusum: & appellabatur abusiue iudicium, vbi non allegabantur à partibus dicta prudentum. Vtitur nunc dignitas liberorum causis, & legitimus præsul veracitet habetur, quando de ingenuotum fortunis disceptare posse sentitur. Primum tibi contra nefarias libidines, & humani generis improbos appetitus, quasi parenti publico, decreta custodia est: ne quis se probrosa commixtione pollueret, dum vicino sanguini reuerentiam non haberet. Grauitas enim publica proximitatis sanctitatem & coniunctionis gratiam, habita æstimatione, discreuit. Quia longe aliud debetur proximitati naturæ, quam corporali possumus indulgere licentiæ. Contra hos eligeris vnicus & continens inquisitot: vt dum talia probra persequeris, consequaris præconia castitatis. Defunctorum quin etiam sacram quietem æquabilia iura tuæ conscientiæ commiserunt: ne quis vestita marmoribus sepulcra nudaret: ne quis columnarum decorem irreligiosa temeritate præsumeret: ne quis cineres alienos, aut longinquitate temporis, aut voraci flamma consumptos, scelerata perscrutatione detegeret: ne corpus, quod semel reliquerat mulestias mundanas, humanas iterum pateretur insidias. Nam etsi cadauera furta non sentiunt, ab omni pietate alienus esse dignoscitur, qui aliquid mortuis abrogasse monstratur. Vide quæ tibi commissa sunt, castitas viuentium, & securitas mortuorum. Habes quoque per prouincias de perpetuario iure tributorum non minimam quantitatem. Canonicarios dirigis, Possessores admones, & cum aliis iudicibus non modica iura partiris, caduca bona non sinis esse vacantia. Ita quod vsurpatio potuit inuadere, tu fiscum nostrum facis iustis compendiis obtinere. Proximos defunctorum nobis legaliter antepouis: quia in hoc casu principis persona post omnes est: sed hinc optamus non aequirere, dummodo sint, qui relicta debeant possidere. Depositinæ qnoque pecuniæ, quæ longa vetustate competentes dominos amiserunt, inquisitione tua nostris applicantur ærariis: vt qui sua cunctos patimur possidere, aliena nobis debeant libenter offerre. Sine damno siquidem inuenta perdit, qui propria non amittit. Proinde (quod felicibus applicetur auspiciis) per Indictionem illam Comitiuæ Priuatarum te honore decoramus, quam leges Præfectis quoque parem esse decreuerunt: est enim & ipsa aulica potestas, palatio nostro iure reuerenda, quam tu facies vltra terminos suos crescere, si susceptam continenter egeris dignitatem.

CXLV. De Comite patrimonii.

ANtiquæ consuetudinis ratio persuadet, charis nostris illos imbuere, qui longe positi transmissas accipiunt dignitates: vt quos non poteramus præsentes instruere, lectio probabilis commoneret.
* legalis. Sed te, quem ad patrimonii nostri curas * regalis desflorauit electio, non tam destinatis præceptionibus instruimus, quam vsu serenissimæ collocutionis erudimus. Confabulationes siquidem nostræ erunt tibi instrumenta iustitiæ, quando illud gratum nobis esse perspexeris, quod & diuinis potest conuenire mandatis. Patrimonium siquidem nostrum, pro subleuandis priuatorum fortunis, tibi credidimus, non premendis. Nam si tranquillitatis nostræ velis considerare rationem, quoddam regiæ domus famulis præiudicium humilitatis imponis. Proprias quippe vtilitates improbus dominus quoquo modo nititur vindicare: cæterum qui bonæ famæ studete cognoscitur, suo semper iudicio plus grauatur. Insolens libertatis genus est rusticorum, qui adeo sibi putant licere voluntaria, qnoniam ad nostram dicuntur pertinere substantiam. Esto igitur illis cum erecta potestate moderatus. Temperamentum simul damus, cui posse concedimus. Considera, suscepta dignitas quo debeat splendore tractari, per quam supra cæteros Iudices familiaritatem principis habere meruisti. Nam sicut Sol ortus corporum colores fugata nocte detegit, ita se morum tuorum qualitas, assidue viso principe, non cælabit. Meos tua & oculis nostris patebit & auribus. In vultu & in voce cognoscimus seruientium mores. Si facies tranquilla, si vox moderata suggesserit, credimus esse probatissimas causas. Quicquid enim turbulenter dicitur, iustitiam non putamus. Quapropter pensabit loqui tuum dominantis examen, quando nequeunt proprias tegere voluntates, qui suos possunt proferre sermones. Speculum siquidem cordis hominum verba sunt: dum illico moribns placere creditur, quod ipse sibi agendum legisse monstratur. Superbus quinetiam varicatis gressibus patet. Iracundus luminum feruore declaratur. Subdolus terrenum semper amat aspectum. Leues inconstantia prodit oculorum. Auarus obuncis vnguibus explanatur. Et ideo ad quas prouecti estis, studete virtutibus. Quia nemo potest principem fallere, qui etiam rerum naturalium causas in vobis optime probatur inquirere. Quapropter ad Comitiuam Patrimonii nostri te per Indictionem illam (Deo iuuante) promouemus, vt inauratum Iudicem palatia nostra testentur, quem nos indisauimus esse promouendum. Quid enim magis cupias, quam si te linguas nobilium laudare

laudare cognoscas? Alibi forte Iudices formidentur iniusti, hic vbi remedium præsens petitur, redempta sententia non timetur. Querimonias possessorum sine vænali protractione distingue. Omne siquidem iustum celeritatis commodo transit ad beneficium: & quod debito redditur, tali gratia munus putatur. Possessiones nostræ, vel quia sunt immobiles, non egrediantur terminos constitutos: ne conditione contraria quod non potest moueri, malis moribus contingat extendi. Trade etiam militibus tuis quam sectare delegeris animi castitatem. Quoniam ille iustus potest dici, sub quo non probatur excedi. Vtere igitur, auctore Deo, concesso tibi feliciter priuilegio dignitatis. Incitet te ad bonorum desiderium, sæpissime quod videns: quia in his quæ feceris, iudex & testis ero. Nam etsi epulas solicita ordinatione disponas, non solum nostro palatio clarus, sed & gentibus necesse est reddaris eximius. Legati pene ex tota Orbis parte venientes, cum nostris cœperunt interesse conuiuiis, admirantur copiose repertum, quod in patria sua norunt esse rarissimum. Stupent etiam abundantiam vnius mensæ, tantas seruientium turbas posse satiare: vt iudicent consumpta recrescere, vnde tanta quæ probantur exire. Habent nimirum in sua patria quod loquantur, dum parentibus suis dicere gestiunt, quæ viderunt. Sic propemodum in toto mundo celeberrimus redditur, qui prouidus nostris apparatibus inuenitur. Adde quod tempora nostræ lætitiæ secretaria tua sunt, cum pectus redditur curis alienum: & tunc tribuitur suggerendi locus, quando cunctis adimitur. Merito, vt qui es iudex tanti apparatus & epularum, delinitus cibis tibi animus concedatur.

CXLVI. De Codicillis vacantibus.

PEriclitarentur grauiter boni mores, si aut solis diuitibus, aut corpore valentibus præstarentur tantummodo dignitates, dum multos inuenias excubias Palatii refugere, qui magis possint laudabili conuersatione fulgere. Multis enim facultas sua non sufficit ad triumphum: multis philosophantibus corporis valetudo subtrahitur: & fit plerunque, vt sapientes inremunerati iaceant, si semper homines ad honores Comitatensi obseruatione perueniant. Rarum est, vni multa confluere, cum omnibus debeat regnantis pietas subuenire. Quid si expensas Consulatus pauper nobilis expauescat? quid si sapientia clarus Præfecturæ nequeat sustinere molestias? quid si pondera Quæsturæ affluens lingua formidet? quid si reliqui fasces molestiarum tædio vitentur forte quam meritis? Nonne si à magnis viris talia fugiantur inuerecundia nostræ mansuetudinis, quandam repulsam suscipiunt dignitates? Quanto iustius bono principi iure muneratum nihil relinquere, quod facit Natura laudabile? Sapientia est, quæ honores meretur, totum aliud extrinsecus venit. Sola est prudentia, quæ rebus omnibus præponitur, quando in homine feliciter inuenitur. Sit apud nos & fortunis integerrimus Consularis: sint & sine longo labore Primates: habeant exercitia præmia sua: sed & iste honorabilis locus sit, qui tantum meritis comparatur. Neque enim absurde leges sacratissimæ censuerunt, eos quos bonæ opinionis fama commendat, Codicillis Vacantibus tales quærere summitates. Quos etsi facultas in tanti honoris apparatu desereret, virtus conscia non celaret. Animati sunt ad talia, qui de sua videbantur desperare fortuna. Hoc & validissimus ad labores, hoc & imbecillis corpore meretur ad laudes. Nam omnes sub diuersitate prædicantur, quos hujusmodi nomen honoris amplectitur: & magis nescio quid amplius meriti extorsisse creditur, quod rem laborantium ociosus meruisse sentitur. Atque ideo præsentibus Codicillis ab illa Indictione illud tibi propitia diuinitate desende: vt considerata ratione præsentis temporis, adepti honoris ordine potiaris. Ita tamen, vt illi modis omnibus præferantur, qui sudore maximo nostris aspectibus affuerunt. Necesse est enim, vt vnum cedat meritum duobus euictum. Alioqui omnes ad quietas possunt currere dignitates, si laborantes minime præferantur ociosis. Consequantur illa qui possunt, nec nobis desint ista quæ cedimus. Si vtraque gratia concitati, & illi ad palatia nostra festinare poterunt, & vos optati honoris gaudia comitantur.

CXLVII. De Illustratu vacante.

COnstat felicem esse Rempub. quæ multis ciuibus resplendet ornata. Nam sicut cœlum stellis redditur clarum, sic relucent vrbes lumine dignitatum. Non quia fiat homo alter honorib. sed quia modestior efficitur, à quo conuersationis ordo melior postulatur. Quis enim opinionem suam vituperabiliter tractare velit, quam specialiter ad laudes electam esse cognoscit? Illum siquidem honores glorificant, quem commendat & vita. Nam malo instituto viuere, nec principi fas est: quando & de illo populus occulte potest dicere, cui mores suos publice nullus ausus est imputare. Cape igitur pro fide ac laboribus tuis Comitiuæ Domesticorum Illustratum Vacantem: vt & tuis ciuibus decoratus appareas, & quod est dulcissimum mentibus bonis, iugiter propriis vtilitatibus occuperis. Quid enim fortunatius, quam agrum colere, & in urbe lucere, ubi opus proprium delectat auctorem, nec aliquid fallendo conquiritur, dum suaui horrea labore cumulantur? Quapropter nos dedimus delectabilem honorem, tu conuersationis associa dignitatem (nam vtraque sibi coniuncta sunt, vnum pendet ex altero: non coalescunt sparsa semina, nisi etiam terræ qualitas fuerit operata) habiturus messem de nostra gratia copiosam, si à te iudicia nostra cognouerimus opportune fuisse tractata.

CXLVIII. De Comite primi ordinis.

MAgnum quidem multis, & inter vices videtur esse geniatum, publicæ vtilitati probis actionibus occupari. Sed quanto felicius honorem splendidum sumere, & cogitationum molestias non habere? Interdum enim assidui labores etiam ipsas ingratas faciunt dignitates: dum imbecillitas humana cito solet sustinere fastidia, & quod prius ambisse creditur, postea vitare velle sentitur. Sed hoc multo

præstantius adesse conspectibus regiis, & abesse molestiis, gratiam habere loci, & vitare contumelias actionis. Dulce est, aliquid sic mereri, vt nulla possit anxietate turbari: dum multo gratius redditur, vbi prosperitatis sola gaudia sentiuntur: Hunc igitur honorem, quem tibi respicis otiosa remuneratione præstitum, qui nimium laborantibus antiqua noscitur prouintiae collatus, vt Rectores prouinciarum, anni actione laudatos, vix ad tale culmen adducerent, quibus coofitebantur plurima se debere. Consiliarii quoque Præfectorum conscientia clari, dictatione præcipui, qui in illo actu amplissimæ Præfecturæ sic videntur exercere facundiam, vt ad vtilitates publicas expediendas, alteram credas esse Quæsturam. Vnde frequenter & nos iudices assumimus: qui eos doctissimos probamus. Quid ergo de tali honore sentiatur, agnosce: quando præfecti viri pro tot laudabilibus institutis huiusmodi inueniunt præmia dignitatis: & merito, cum tanta pompa ceditur, quæ Senatorii quoque ordinis splendore censetur. Spectabilitas clara & Consistorio nostro dignissima, quæ inter illustres ingreditur, inter proceres aduocatur: otiosi cinguli honore præcincta dignitas, quæ nullum nouit offendere, nullum cognoscitur ingrauare, & super omnia bona concitare nescit inuidiam. Quocirca prouocati moribus tuis, Comitiuam tibi Primi Ordinis ab illa Indictione maiestatis fauore largimur: vt Consistorium nostrum sicut rogatus ingrederis, ita moribus laudatus exornes quando vicinus honor est illustrib. dum alter medius non habetur. Delectat te imitari, quos proximitate contingis. Tunc locum amplum & honorabilem facis, si te moderata consideratione tractaueris. Admoneat te certe, quod suscepta dignitas Primi Ordinis appellatione censetur: vtique quia te sequuntur omnes, qui Spectabilitatis honore decorantur. Sed vide, ne quis te præcedat opinione, qui sequitur dignitate. Alioqui graue pondus inuidiæ est, splendere cinguli claritate, & morum lampade non lucere.

CXLIX. *De Magistro scrinii, & Comitiua primi Ordinis danda Comitiaco.*

SI honor frequenter defertur otiosis: si interdum aut nobilitas eligitur, aut ad promerendum aliquid personæ tantum gratia suffragatur: quo studio remunerandi sunt, qui ad agonis sui præmia peruenerunt: Considerandum, quali labore seruitum est, & sic de remuneratione cogitandum. Harum quippe rerum mensura de contrario venit: dum tale obedientibus dari debet donum, quale indeuotis potuit esse periculum. Grandia sunt, quæ sustinent excubantes personas, contumaces ad parendum cogunt, latentes in cubilibus suis prudenti sagacitate vestigant, superbis modestiam æqualitatis imponunt. Ita quod à iudicibus breuiter dicitur, ab ipsis efficacia famulante completur. Notum est, quæ pericula sustineant, cum ad causas mittuntur alienas. Si segnius agat, petitor queritur: si districte, pulsatus vociferatur. Sic inter vtrumque diuersum rara laus est inuenisse præconium. Dignitatum pace dicamus, facilius est laudatum iudicem reperire, quam militem iniuncta sine offensione complere. Aliud est enim tantum dicere legitima, aliud ad terminum deduxisse iustitiam. Laudabiliter quidem bonum dicitur, sed multo gloriosius statuta complentur. Verba tantum diriguntur à præsulibus, à militibus autem postulatur effectus. Post omnia periculis subduntur, si constricti aliquid verisimile conquerantur. Frequenter nocuit aliis ipsa quoque integritas actionis. Nam multos, quos in executione contristari nisi sunt, ipsos postea infensus iudices pertulerunt. Offendunt enim frequenter ignari, quibus sunt postea parituri: & dum causis alienis fidem custodiunt, interdum pericula propriæ salutis incurrunt. Verum inter hæc militem euasisse laudatum, nonne iuste videtur esse miraculum: Talibus igitur meritis vicissitudo reddenda est, vt nimio labore torpentes indictis compensationibus excitemus. Vtere igitur confidenter quicquid veteranis munificentia iura tribuerunt, nulli sordido subiiciendus oneri, qui te purissima conuersatione tractasti. Comitiuam quoque tibi Primi Ordinis, quam tali militia perfunctis cana deputauit Antiquitas, secundum statuta diualia vindicabis. Hæc quidem priscorum beneficio consequeris, sed nostri nominis contra inciuiles impetus, & conuentionalia detrimenta, perenni tuitione vallaris. Vt officium, quod nostris iussionibus speciali solicitudine famulatum est, amplius aliud aliquid à militibus cæteris promereri potuisse videatur. Mulcta quoque tot librarum auri percellendum esse censemus, si quis statuta nostra qualibet crediderit occasione violanda. Nec tamen aliquid contra te valere permittimus, quod dolosa fuerit machinatione tentatum.

CL. *De referendis in Senatu Magistri scrinii.*

OPtamus quidem Curiam Senatus amplissimi naturali fœcunditate compleri, sobolemque eius tantum crescere: vt quod difficillimum auditatis genus est, parentum videatur vota satiare. Sed minus amantis est, non amplius quærere, vnde tantum numerum possit augere. Agricola diligens præueniendo adiuuat imbrem cœlestem, & ante rigat plantaria, quam pluuias mereantur optatas. Arborum quinetiam fœtus meliorare contendens, diuersi germinis fœturas instituit: vt multiplicata dulcedine fructuum, hortis suis conserat varietatis ornatum. Sic nos virtutum iucundissimas laudes incinctum Gaium desideramus includere: vt germen alienum amplexu gratiæ colligatum, Curiæ moribus molescat. Sed hæc cultura longè dissimilis est. Arboribus enim, quod melius putatur, inseritur, ad illas peregrina veniunt, vt de illorum potius suauitate dulcescant: vobis autem vt agrestia proficiant offeruntur. Nam quamuis ignis nocte reluceat, Soli tamen præsentatus obscurus est. Hinc est, quod ad illum ordinem nihil potest eximium deferri, nisi quod per ipsum probatur augeri. Et ideo illum natalium splendore conspicuum, & ingenii calore prudenter accensum, Senatus lumen excipiat. Hactenus enim fuit suis meritis clarus, sed iam erit de vestra perspicuitate prælucidus. Pandite Curiam, suscipite candidatum. Iam Senatui prædestinatus est, cui nos contulimus Laticlauiam dignitatem.

Beni-

Benignos esse necesse est Publicos Patres: quia hoc vocabulum non tantum suo debet germini, quantum studio votoque generali.

CLI. De Vicario Vrbis Romæ.

VIces agentium mos est, sic Iudicum voluntatibus obedire, vt suas non habeant dignitates. Splendent mutuato lumine, nituntur viribus alienis, & quædam imago in illis videtur esse veritatis; qui proprii non habent iura fulgoris. Tu autem Vicarius diceris, & tua priuilegia noo relinquis: quando propria est iurisdictio, quæ datur à Principe. Habes enim cum Præfectis aliquam portionem: partea apud te sub Prætoriana aduocatione confligunt. Vice Sacra sententiam dicis, & quod maximæ fidei signum est, in inscriptionibus vita tibi committitur hominum, quod inter mortales constat esse pretiosum: Additur, quod nec salutari te sine chlamyde iura voluerunt: scilicet, vt sub veste militari semper visus, nunquam crederis esse priuatus. Sed hæc omnia ad Præfecturæ gloriam iudicamus esse concessa: vt qui tantæ sedis Vicarium diceret, vmbratile nil videret. Considera qualia de te præstes, qui tanta auctoritate subueheris: exuendus à crimine non nudetur ab innoxia facultate. Nam quid tibi debere possit, si nimmis suis imputet, quod euasit? Ad similitudinem quippe summorum carpento veheris. Intra quadragesimum sanctissimæ vrbis iura custodis. Præneste ludos edis: inuicem consulis in honorem positus, dignitatemque Senatoris acquiris, & illa tibi panduntur atria, quæ sommatibus probantur esse collata. Hinc est, qund in aula libertatis locum patrium tenes: & ibi mereris consessum, vbi est vel intrasse præconium. Ipsi quinetiam Senatores, qui præcedunt ordine, aliqua videntur à te necessaria postulare. Habes quod præstes potioribus te: nec immerito inter præcipuos censendus es, qui aut iuuare potes, aut lædere Consulares. Erige animos sub qualitate modestiæ. Talis est vnaquæque dignitas, qualis administrantium est voluntas. Nihil abiectum est quod in Republ. geritur, nisi malis fuerit moribus forte vitiarum. Nam si humilium priuatorum placet æqualitas, quanto magis grata est in potestatis culmine custodita? quæ difficilem modum seruat, dum ad suum velle festinat. Proinde Vicariæ tibi dignitatem, serenitatis nostræ æstimatione conferimos. Quam sic Romæ geras, vt conscientiam tuam taota ciuitate facias esse dignissimam. Vsurus omnibus priuilegiis, quæ tuos decessores habuisse constiterit. Quia sicut à vobis antiquorum instituta deposcimus, ita & dignitati vestræ vetera oon negamus.

CLII. De Notariis.

NOo est dubium, ornare subiectos Principis secretum, dum nullis æstimantur necessaria posse committi, nisi qui fuerint fide magna solidati. Publicum est quidem omne, quod agimus: sed multa non sunt ante scienda, nisi cum fuerint, Deo auxiliante, perfecta. Quæ tanto plus debent occuli, quanto amplius desiderantur agnosci. Regis consilium solos decet scire grauissimos. Imitati debent armaria, quæ continent monumenta chartarum. Vt quando ab ipsis aliqua instructio quæritur, tuoc loquantur: totum autem dissimulare debent, quasi nesciant scientes: Nam solicitis inquisitoribus sæpe & vultu proditur quod tacetur. Assit innocentia, quæ cuncta commendat: quia in placida mente regia decenter debent verba deponi. Sed quoniam te probatis moribos institutum, veoatrix bonæ conuersationis solicitudo nostra respexit, ab illa Indictione Notarium te nostrum esse censemus: vt ordine decurso militiæ, ad Primiceriatus feliciter peruenias summitatem. Honor qui efficit Senatorem, cui patrum aula reseratur non iniuria: nam qui nostris curis militat assidua lucubratione, iuste videtur & Curiam libertatis intrare. Additur etiam perfuncti laboris aliud munus, vt si quo modo ad Illustratum, vel Vacantem meruerit peruenire, omnibus debeat anteponi, qui Codicillaris Illustratibus probantur ornari. Vnde absolute colligitur, Primiceratus meritis datum vti, vt in vno eodemque titulo dispar esset dignitas æqualiter acquisita. Animari debes igitur ad labores: quando tibi tale præmium propositum vides, quale se gaudent inuenisse summates.

CLIII. De Referendariis.

QVanuis tantum sit clara quæque dignitas, quaotum eam præsentiæ nostræ conspectus illuminat, (dum semper honorem suscipit, qui oostra colloquia decenter acquirit) nemo tamen sermones nostros tantum meretur, quam qui Referendarius esse dignoscitur. Per eum nobis causarum ordines exponuntur: per eum interpellantium vota cognoscimus, & ipsis responsa reddimus, vt negotia compedita soluamus. Magnum est in hoc agone principali seruire prudentiæ, & ad subitum sic dolores alieoos asserere, vt conquerentium videatur vota satiare. Quale est enim, in tumultuosis processionibus nostris nulla permixtione confundi? aut minime tantis clamoribus impediri? Necesse habet turbatis exquirere, quod nobis possit placabiliter intimare, & distinctius referre, quam potuisset audire. Arduum est, trepidantium dicta componere, & verum dicere: non tantum interpellator formidat negocii sui casum, quantum sustinet iste in relatione periculum. Si quid minus dixerit, inimicus asseritur, redemptus clamatur. Negocii dominus timoris patrocinio potest sua verba coooertere, referenti autem non licet aliquid immutare. Sententiæ vero nostræ tanta memoriæ cautela tenendæ sunt, ut nihil minos, nihil additum esse videatur. Nobis plerunque audientibus nostra dicturus es, & difficili conditione constrictus, iudicio nostro subiaces, dum alienas causas explanare contendis. Quapropter Referendarium te electio nostra constituit: sed tu puritatem conscientiæ & veritatem linguæ oostris iossionibus adhibeto. Eruditionem vero mirabilem collocutio tibi nostra concedit, quæ dum pet te alios ordinat, qualitatem tuæ mentis exornat. Sub nobis enim non licet esse impetitos: quando in vicem cotis ingenia splendida reddimos,

quæ

quæ causarum assiduitate polimus. Quapropter illa cunctis vidisse nos referre, quæ aut debuistis, aut potuistis accipere. Nostra sic probatis, si iusta redicins. Amate quod nos glorificat. Sit velle vestrum, esse propositum. Ad summum, tales vos esse cupimus, vt etiam per vos iudices corrigamus. Peculiare de vobis aliquod vectigal exigimus: vt sicut vobiscum familiariter miscemus affatus, ita & nostra opinio specialiter à vobis mereatur affectum.

CLIV. De officio Præfecti annonæ.

SI ad hanc mensuram censendæ sunt dignitates, vt tanto quis honorabilis habeatur, quanto ciuibus profuisse cognoscitur, is certe debet esse gloriosus, qui ad copiam Romani populi probatur electus. Tui siquidem studii est, vt sacratissimæ Vrbi præparetur annona, vbique redundet panis copia, & tam magnus populus, tanquam vna mensa, satietur. Per officinas pistorum cibosque discurris, pensum & munditiam panis exigis, nec vile iudicas esse, vnde te possit Roma laudare: merito, quando gloria singularis est, illius ciuitatis affectus. Et ne quod agis aliquid putetur extremum, carpentum Præfecti Vrbis mixta glorificatione conscendis. Tu illi in spectaculis coniunctissimus inueniris, vt plebs quam industria tua satiat, in suam reuerentiam te honoratum esse cognoscat. Nam si querela panis, vt assolet, concitetur, tu promissor vbertatis seditiones ciuicas momentanea satisfactione dissoluis: & per te prospicitur, ne quid à populis conquerentibus excedatur. Non immerito. Pompeius fertur, copiæ quantitate prouisa, vsque ad rerum peruenisse fastigia. Quia merito singularis est amor populi, cum potuit à penuria liberari. Hinc ille gratificationem meruit, plausumque populorum. Hinc vnice semper amatus est, & in gratia ciuium, omnium vicit facta maiorum: qui ne aliquando in honore diceretur, cum nominis taxatione vocabatur & Magnus. Hoc te exemplum inuitet ad prospera: quando ille honoris tui locum egisse cognoscitur, quem felix Roma mirabatur. Ne quis autem putet, abiectis te hominibus imperare, dignitati quoque tuæ pistorum iura famulata sunt, quæ per diuersas Mundi partes possessione latissima tendebantur: ne inopia faciente vilesceret, quod Romanæ copiæ laudabili famulatione seruiret. Suarii quoque Romanæ copiæ causa reperti, tuo deputati videntur examini. Gloriare priuilegiis acquisitis. Tribunal tuum non est inter minimas dignitates: quando & Romana gratia frueris, & prouinciis iussa transmittis. Sed vt actionis ipsius in totum merita perscrutemur, triticas quidem copias Præfectura Prætoriana procurat. Sed non minor laus est dispensationem probabilem facere quam frumenta colligere: quando in quauis abundantia querela non tollitur, si panis elegantia nulla seruetur. Sic Ceres frumenta dicitur inuenisse, Pan autem primus consparsas fruges coxisse, perhibetur: vnde & nomine eius panis est appellatus. Ita & illa prædicata est, quæ reperit, & iste laudatus est, qui decenter edenda humanis vsibus applicauit. Atque ideo cognoscentes industriam tuam, quæ semper est amica sapientiæ, Præfecturam Annonæ per illam indictionem nostra tibi electione deferimus. Considera nunc, quia non licet aliquid furari de populo. Nam quod in ciuitatis damna committitur, silentio non celatur. Nescit plebs tacere, quando interdum & hoc loquitur, quod à nemine perpetratur. In fraudulentos distringe: panis pondera æquus examinator intende: solicitius auro pensetur, vnde à Quiritibus viuitur. Quia gratior nobis est lætitia fauentis populi Romani, quam copia preciosissimi metalli. Intuere certe quod loquimur. Quid habes melius quod optes, quam illius populi gratiam quærere, quam nos etiam constat optare.

CLV. De officio Comitis Archiatrorum.

† Diuina consilia. INter vtilissimas artes, quas ad sustentandam humanæ fragilitatis indigentiam, Diuina tribuerunt, nulla præstare videtur aliquid simile, quam quod potest † auxilians medicina conferre. Ipsa enim morbo periclitantibus materna gratia semper assistit. Ipsa contra dolores pro nostra imbecillitate confligit: & ibi nos nititur subleuare, vbi nullæ diuitiæ, nulla potest dignitas subuenire. Causarum periti palmares habentur, cum magna negocia defenderint singulorum: sed quanto gloriosius est expellere, quod mortem videbatur inferre? & salutem periclitanti reddere, de qua coactus fuerat desperare? Ars, quæ in homine plus inuenit, quam in se ipso cognoscit. Periclitantia confirmat, quassata corroborat, & futurorum præscia valetudini non cedit, cum se æger præsenti debilitate turbauerit, amplius intelligens quam videtur, plus credens actioni, quam oculis. Vt ab ignorantibus pene præsagium putetur quod ratione colligitur. Huic peritiæ deesse iudicem, nonne humanarum rerum probatur obliuio? Et cum lasciuæ voluptates recipiant tribunum, hoc non meretur habere primarium. Habeant itaque præsulem, quibus nostram committimus sospitatem. Sciant se huic reddere rationem, qui operandam suscipiunt humanam salutem. Non quod ad casum fecerit, sed quod legerit, ars dicatur: alioqui periculis potius exponimur, si vagis voluntatibus subiacemus. Vnde si hæsitatum fuerit, mox quæratur. Obscura nimis est hominum salus, temperies ex contrariis humoribus constans: vbi quicquid horum excreuerit, ad infirmitatem protinus corpus adducit. Hinc est, quod sicut aptis cibis valetudo fessa recreatur, sic venenum est, quod incompetenter accipitur. Habeantur itaque medici pro incolumitate omnium, & post scholas magistrom vacent, libris delectentur antiquis. Nullus iustius assidue legit, quam qui de humana salute tractauerit. Deponite medendi artifices noxias ægrotantium contentiones: vt cum vobis non vultis cedere, inuenta vestra inuicem videamini dissipare. Habetis quem sine inuidia interrogare possitis. Omnis prudens consilium quærit, dum ille magis studiosior agnoscitur, qui cautior frequenti interrogatione monstratur. In ipsis quippe artis huius initiis quædam sacerdotii genere sacramenta nos consecrant. Doctoribus enim vestris promittitis, odisse nequitiam, & amare puritatem. Sic vobis liberum non est, sponte delinquere, quis ante momenta scientiæ animas imponi-

† auxiliatrix.

imponitur obligare. Et ideo diligentius exquirite, quæ curent saucios, corroborent imbecilles. Nam si videro quod delictum lapsus excuset. Homicidii crimen est, in hominis salute peccare. Sed credimus iam ista sufficere, quando facimus, qui vos debeat admonere. Quapropter à præsenti tempore Comitiuæ Archiatrorum honore decorare. Vt inter salutis magistros solus habearis eximius: & omnes iudicio tuo cedant, qui se ambitu mutuæ contentionis excruciant. Esto arbiter artis egregiæ, eorumque distingue conflictus, quos iudicare solus solebat affectus. In ipsis ægros curas, si contentiones noxias prudenter abscidis. Magnum munus est, subditos habere prudentes, & inter illos honorabilem fieri, quos reuerentur cæteri. Visitatio tua sospitas sit ægrotantium, refectio debilium, spes certa fessorum. Requirant rudes, quos visitant, ægrotantes, si dolor cessauit, si somnus affuerit. De suo vero languore te ægrotus interroget, audiatque à te verius, quod ipse patitur. Habetis & vos certe verissimos testes, quos interrogare possitis. Perito siquidem Archiatro venarum pulsus enuntiat, quid intus natura patiatur. Offeruntur etiam oculis vrinæ, vt facilius sit vocem clamantis non aduertere, quam huiusmodi minime signa sentire. Indulge tu quoque palatio nostro: habeto fiduciam ingrediendi, quæ magnis solent pretiis comparari. Nam licet alii subiecto iure seruiant, tu rerum domino studio præstantis obserua. Fas est tibi, nos fatigare ieiuniis: fas est, contra nostrum sentire desiderium, & in locum beneficii dictare, quod nos ad gaudia salutis excruciet. Talem tibi denique licentiam nostri esse cognoscis, qualem nos habere non probamur in cæteros.

CLVI. *De Consularitate.*

QVantis dignitatem tuam à Consulibus descendere nominis ipsius videantur testimonia declarare, tamen & insignia tanta circunstant, vt nullus possit ambigere, te de illius lampadis claritate lucere. Secures enim & fasces, quos illis dicauit genio Antiquitas, tuis videntur faleris deputata: vt iurisdictio concessa vel tacita possit admonere prouincias. Sed quale tibi debet esse, quod curules inclytas probatur ornare? Vultus quinetiam regnantium geniata obsequii pompa præmittit: vt non solum summi iudicis, sed & dominorum reuerentia cumulatus omeris. O magnæ temperationis inuentum! De nomine consulis promitteris clementissimus, & de principum imagine metuendus. In aliquibus adhuc prouinciis ornatus penula, carpenti etiam subuectione decoraris: vt multis declaretur indiciis, per expressas imagines rerum vices te præcelsæ gerere dignitatis. Considera, magnum esse, quod suscipis, & nulla criminum deiectione vitieris. Nominis tui auctor multa conferendo prædicatur. Tu age ne vllis cupiditatibus accuseris: vt si dare non præuales, certè temoderari velle sestines. Proximus enim habetur donanti, de quo potest dici, abstinens est iugiter alieni. Certè fœdissimæ contrarietatis vitium est, studere furtis, & habere vocabulum largitatis. Erigat ad laudem tuos animos, quod vocaris. Non te profecto meritis imparem facis, si turpissimæ ambitionis delicta calcaueris. Nam errores noxios vincere, est vitia maculosa superare, & iste re vera editus est de moribus Consulatus. Nec enim superflue prudentissimi Veterum talia rebus nomina imposuerunt: dum continentiæ magnæ præsulem prouinciis mitterent consularem. Triumpha iura publica, largire iustitiam, & ex fortiori parte imitari præuales, quem nominis proximitate contingis. Pecuniis potest indigere mediocris, morum talenta non potest habere, qui iustus est. Non pauescas largas Consulum manus. Habent & boni pauperes diuitias suas. Illud ergo à te quæritur, quod in pectore humano nascitur, non quod terræ visceribus continetur. Quanto melius triumphare ex animi thesauro, unde nunquam nascitur plenitudo? quia nec tenuis efficeris, cum plura concedis: quinimo tantum locupletior redderis, quantum te bonæ conscientiæ sparsisse cognoscis. Quapropter opinionis tuæ laude pellecti, per illam Indictionem, in illa prouincia, Consularitatis te præcipimus agere dignitatem: vt tibi non sit acceptum, quod legibus probatur inimicum. Illa magis dilige, quæ æquitatis iura commendant. Nomen tuum actionibus proba. Consule fessis, & tunc vere diceris Consularis. Sed vt omnia æquabili moderatione pensentur, instituere pecunias non quærere, & agnoscis munera tibi copiosa prouenire. Hanc enim conditionem humanis actibus diuina posuerunt, vt ille magis possit ditescere, qui lucra turpia nescit optare. Ignorantes accipiunt, qui bene agunt. Quia necesse est, vt dum parumper malorum ambitio contemnitur, superno munere plus donetur.

CLVII. *De officio Rectoris Prouinciæ.*

OMnino prouide decreuit Antiquitas, Iudices ad prouinciam mitti, ne possit ad nos veniendo mediocritas ingrauari. Quis enim latronum ferret audaciam, si longe positam cognoscerent disciplinam? Absolute poterat vis permissa grassari, si conquerens tardius crederetur audiri. Sed quanto melius in ipsis cunabulis adhuc mollia reprimere, quam indurata crimina vindicare? In compendium mittimus mala, si præsentia facimus esse iudicia. Quis enim audeat peccare, cum supra ceruices suas districtionem cognouerit imminere? Et ideo te illi prouinciæ Rectorem, per illam Indictionem, nostra mittit electio: vt reuera corrigere nitaris, quos tibi commissos esse cognoscis. Chlamydis tuæ procul dubio intet alia clauos intende, quos scias non inaniter positos. Hinc fit, vt eum publicum agentes purpuram eernerent, de vigore semper Principis admonerent. Geniatus indutus, vestis gratiosa, quam filio suo Priapo Venus dicitur texuisse, vt eximiæ pulchritudinis matrem singulariter ornatus filius testaretur. Respice, quantum dederint leges, & ad mensuram te potestatis extende. Tibi fiscalium tributorum credita monstratur exactio. Constat esse tuæ fidei commissum, Principi renuntiare, quod in prouinciis probatur emergere. Tu etiam Senatorem ibidem residentem iuberis audire: tu in Præfectorum militem cum ipsius tantum conscientia vindicare. Tuum nomen in subscriptionibus

 iusserunt

iusserunt Honoratis Prouincialibus anteferri. Quid de te æstimatum sit, datur aduerti, cui tot videntur nobiles potuisse postponi. Additur, quod à Principe frater vocaris: vt nobilitate pretiosi nominis à vilitate criminum tolleris. Cogita, tantorum hominum tibi commissas esse fortunas. Fama erunt nostri temporis tui mores. Esto vitæ continens, vt possis in alios esse iudex. Prima æquitas est, à se præsules inchoare: vt debeant criminosi metuere, quem nequeunt similem repetire. Nullas enim in se culpas timet reus, quas habere respexerit cognitorem: quando agentem male nisi bonis moribus non æstimat displicere. Suos actus nullus damnat in altero: quia natura est humani animi, vt nitatur potius vindicare, quod se cognouerit admisisse. O quale est liberum tribunalibus insidere! non esse obnoxium reo suo: ne incipiat potior fieri, quem redemit: timeat districtum: timeat continentem, non audiat blandum. Da vt possit rigidam formidare sententiam, auari iudices nesciunt, quantum delinquunt. Nam cum vendunt aliena crimina, sua faciunt esse peccata. Quapropter esto solicitus, vt bonæ actionis tuæ laudes potius audiamus. A nobis confidenter exigis, quod remittis. Quia tantum de remuneratione tua cogitamus, quantum te pecunias non quæsisse, cognouimus.

CLVIII. De Comite Syracusanæ ciuitatis.

Regalis est prouidentiæ, tales Iudicum personas eligere, vt ad comitatum necessitatem non habeant veniendi, quos in longinquis regionibus contigerit immorari. Nullum enim tale negotium est, quod Siculi itineris tantas pati possit expensas, dum commodius sit causam perdere, quam aliquid per talia dispendia conquisisse. Non enim querelas de Sicilia volumus venire, sed laudes: quia granatur apud nos actio præsulis, si eam tam longinqui potuerint accusare petitores. Falsus enim dolor esse non creditur, vbi tanti laboris tædia subeuntur. Et ideo maiore cura tractanda sunt, vnde inuidia plus timetur. Proinde per Indictionem illam, Comitiuam tibi Syracusanæ ciuitatis, propitia diuinitate concedimus: vt omnia sic agere nitaris, quemadmodum nos tibi præstitisse cognoscis. De proximis vota causantium sustinemus: inde autem vltro requirimus, vnde ad nos difficile venire posse sentimus. Habes quæ te decorare debeant, si tu tamen ibi conscientia defecatus aduceris. Militum tibi numerus nostris seruit expensis. Redderis inter arma geniatus, processio tua procinctualis ornatus est. Exercitu veteris pacato, nec pericula belli subis, & armorum pompa decoraris. Verum inter hæc ciuilem cogita disciplinam. Non permittas milites esse possessoribus insolentes. Annonas suas sub moderatione percipiant: causis non misceantur extraneis. Pro securitate se omnium cognoscat electum, qui se gloriatur habere armatum. Priuilegia dignitatis tuæ nec volumus minui nec iubemus excedi. Sufficiat tibi tantum gerere, quantum decessores tuos constiterit rationabiliter effecisse.

CLIX. De Comite Neapolitanæ ciuitatis.

INter cætera vetustatis inuenta, & ordinatarum rerum obstupenda præconia, hoc cunctis laudibus meretur efferri, quod diuersarum ciuitatum decora facies aptis administrationibus videtur ornari: vt & conuentus nobilium occursione celebri colligatur, & causarum nodi iuris disceptatione soluantur. Vnde nos quoque non minorem gloriam habere cognoscimur, qui facta Veterum annuis solemnitatibus innouamus. Nam quid prodesset inuentum, si non fuisset iugiter custoditum? Exeunt à nobis dignitates relucentes quasi à Solis radiis, vt in orbis nostri parte resplendeat custodita iustitia. Ideo enim tot emolumentorum commoda serimus, vt securitatem prouincialium colligamus. Messis nostra cunctorum quies est, quam non possumus aliter recordari, nisi vt subiecti non videantur aliquid irrationabiliter perdidisse. Et ideo ad Comitiuam te Neapolitanam per illam Indictionem libenter adducimus: vt ciuilia negotia æquus trutinator examines: tantumque famam tuam habita maturitate custodias, quantum te illi populo vel in leui culpa facile displicere cognoscas. Vrbs ornata multitudine ciuium, abundans marinis terrenisque deliciis: vt dulcissimam vitam te ibidem inuenisse diiudices, si nullis amaritudinibus miscearis. Prætoria tua officia replent, militium turba custodit. Considis gemmatum tribunal: sed tot testes pateris, quot te agmina circundare cognoscis. Præterea litora vsque ad præfinitum locum data iussione custodis. Tuæ voluntati parent peregrina commercia. Præstas ementibus de pretio suo, & gratiæ tuæ proficis, quod auidus mercator acquirit. Sed inter hæc præclara fastigia optimum esse iudicem decet: quando se non potest occulere, qui inter frequentes populos cognoscitur habitare. Factum tuum erit sermo ciuitatis, dum per ora fertur populi, quod à iudice contigerit actitari. Habet vltionem suam hominum frequentia, si loquar ad diuersa: & de iudice iudicium esse creditur, quod à multis adstipulationibus personatur. Contra, quid melius, quam illum populum gratum respicere, cui cognosceris præsidere? Quale est perfrui fauore multorum, & illas voces accipere, quas & clementes dominos delectat audire? Nos tibi proficiendi materiam damus: tuum est sic agere, vt sua beneficia principem delectet augere.

CLX. De Honoratis possessoribus & Curialibus ciuitatis Neapolitanæ.

TRibuta quidem nobis annua deuotione persoluitis, sed nos maiore vicissitudine decoras vobis reddimus dignitates: vt vos ab incursantium prauitate defendant, qui nostris iussionibus obsecundant. Erit nostrum gaudium, vestra quies, suaue lucrum, si nesciatis incommodum. Degite moribus compositis, vt viuatis legibus feriatis. Quid opus est, quenquam facere, vnde pœnas possit incurrere? Quærat iudex * in vos causas, & non inueniat. Ratio motus vestros componat, qui rationales vos esse cognoscitis. Improbis iudicem, testem bonis moribus destinamus: vt nemo se cogi sentiat, nisi

* inter vos.

quem

quem ordo legitimæ conuersationis accusat. Atque ideo illi uos Comitiuam Neapolitanæ † ciuitatis per illam Indictionem dedisse declaramus: vt nostra gubernatione laudatus, alteram mereatur de nostro iudicio dignitatem. Cui vos conuenit prudenter obedire: quia vtrumque laudabile est vt bonus populus iudicem benignum faciat, & mansuetus iudex gratissimum populum æquabili ratione componat, † ciuitas.

CLXI. *De Comitiua Principis militum.*

OMnes apparitiones decet habere indices suos. Nam cui præsul adimitur, & militia denegatur. Sed nos, quibus cordi est, locis suis vniuersos ordines continere indicamus, illi Comitiuam Neapolitanam, Deo iuuante, largitos. Vt iudicibus annua successione reparatis, vobis solemnitas non pereat actionis. Quapropter designato viro præstate competenter obsequium, vt sicut vos nos patimur emolumentorum commoda perdere, ita, & vos parendi debeatis priscam regulam custodire,

CLXII. *De officio Comitis Prouinciæ.*

QVanuis omnium dignitatum officia à manu secludantur armata, & ciuilibus vestibus videantur induti, qui districtionem publicam docentur operari; tua tamen dignitas à terroribus ornatur, quæ gladio bellico, rebus etiam pacatis, accingitur. Vide quo indicio frueris euectus, quando alijs vigorem fascium videas esse creditum, tibi autem ab ipsis legibus ferrum constet esse porrectum. Rem cruentam dederunt animo pacato, vt & noxii nimium metuerent, & læsi de optata vltione gauderent. Alioqui culparentur priores, si temperata omnia non fecissent. Sed cum te intelligas ad moderamen electum, humanum facile non concupiscas exitium. Reus qui dicitur, & probetur. S[illegible]o puniendi remedium datum tibi pro salute multorum. Arma ista iuris sunt, non furoris. Hæc ostentatio nimirum est contra noxios instituta: vt plus terror corrigat, quam pœna consumat, Non enim cogitur ferro succidere robustam, qui adhuc teneram verbis eruat audaciam Ciuilis est pauor iste, non bellicus: quem tu sic facies esse gloriosum, si habere non probetur excessum. Habes etiam & ferrum, nihilominus incruentum. Claudantur nexibus cathenarum, quos leuium criminum pulsat inuidia, Cunctator esse debet, qui iudicat de salute. Alia sententia potest corrigi, de vita transactum non patitur immutari. Signa tua abactores timeant, fures pauescant, latrones perhorreant: Innocentia tantum læta respiciat, dum sibi auxilia venisse credit, quæ legum disciplina transmisit, Nemo redemptionibus tuum velle deflectat. Gladius conditur, vbi aurum suscipitur. Tu te inermem reddis, si à virili animo cupiditate recesseris. Quocirca per Indictionem illam Comitiuæ tibi in illa prouincia tribuimus dignitatem: Vt ad titulos tuos pertinentia ciuilitate potius laudabilis exequaris: nec quicquam præsumas facere, nisi quod priuatus possis legibus vindicare. Ipsa est enim recta administratio, quæ & sine potestate defenditur: Vt tunc probetur fuisse iustus, quando ei quæ mauult obiicere possit inimicus, Nec tamen spes nostra velut fastiditate deseritur: nam si bene prouinciarum administrationibus præsidetis, honores vos amplissimos sperare, leges merito censuerunt. Vnde iam videtur pene debitum, quod vobis à tanta auctoritate vltro noscitur fuisse promissum,

CLXIII. *De Officio Præsidis,*

PRudenter omnimodis inspexit Antiquitas, prouinciarum dignitates annua successione reparari; vt nec diuturna potestate vnus insolesceret, & multorum prouectus gaudia reperirent. Sufficit enim vnicuique discessisse laudatum: quia dum tempus potestatis prolixum quæritur, culparum opprobria non vitantur, illa enim vel in breuitate declinare mirabile est. dum frequenter & his surripiunt, qui à fascibus sub velocitate discedunt, Annus vniuersus & ad declaranda conscientiæ bona sufficit, & facilius se ab errore custodit. Sit in vestro proposito, administrationem vnius anni suscipere: nostrum est, merentibus tempus augere, Quia non facile remouere cupimus, quos iustos esse sentimus. Idcirco conuersationis tuæ moribus inuitati, per illam Indictionem Præsidatum tibi in illa prouincia, propitia diuinitate, concedimus: vt sic debeas agere, quemadmodum nobis possessor gratias cum tributis videatur exoluere. Decessorum bona exempla sequere: à vitiosorum te imitatione disiunge: non putetur omnis consuetudo probabilis. Cautum debet reddere, non sequacem, error alienus. Prodit iustitiæ culpam, qui sequitur accusatum. Sed illud melius eligitur, vnde præsidentis opinio sub administratione laudatur, Respice quantis sit prouincia plena nobilibus. Habes qui & bene loqui de te debeant, & derogare præsumant, Quia nulla potestas est quæ qualitatem famæ suæ de ore hominum possit auferre. Contraque, fructus est, opinione prædicabili per confines ire prouincias, & ibi inuenire verissimam laudem, vbi non imperas potestate. Additur, quod irremuneratum non relinquimus, si te egisse probabiliter audiamus. Horrere vitium, & principis mereris affectum, Voluntatem regiam in legibus habes: illis obtempera, & nostra cognosceris implere mandata,

CLXIIII, *De officio Comitis Gothorum per singulas prouincias.*

CVm, Deo iuuante, sciamus Gothos vobiscum habitare permixtos, ne qua inter consortes, vt assolet, indisciplinatio nasceretur, necessarium duximus, illum sublimem virum, bonis nobis moribus hactenus comprobatum, ad vos Comitem destinare, qui secundum edicta nostra inter duos Gothos litem debeat amputare: si quod etiam inter Gothum & Romanum natum fuerit fortasse negocium, adhibito sibi prudente Romano certamen possit æquabili ratione distringere. Inter duos autem Romanos Romani audiant, quos per prouincias dirigimus cognitores; vt vnicuique sua iura

stuen-

feruentur, & sub diuersitate iudicum vna iustitia complectatur vniuersos. Sic pace communi vtræque nationes, diuinitate propitia, dulci ocio perfruantur. Scitote autem, vnam nobis in omnibus æquabilitet esse caritatem: sed ille se animo nostro amplius commendare poterit, qui leges moderata voluntate dilexerit. Non amamus aliquid inciuile, scelestam soperbiam cum suis detestamur auctoribus. Violentos nostra pietas execratur. In causa possint iura, non brachia. Nam cur eligant quærere violenta, qui præsentia probantur habere iodicia? Ideo enim emolumenta iudicibus damus, ideo tot officia diuersis largitatibus continemus, vt inter vos non sinamus crescere, quod possit ad odium pertinere. Vnum vos amplectatur viuendi votum, quibus vnum esse constat imperium. Audiat vterque populus, quod amamus. Romani vobis sicut sunt possessionibus vicini, ita sint & caritate coniuncti. Vos autem Romani magno studio Gothos diligere debetis, qui & in pace numerosos vobis populos faciunt, & vniuersam Remp. per bella defendunt. Itaque destinato à nobis Iudici vos conuenit obedire: vt quicquid pro conseruandis legibus censuerit, modis omnibus impleatis: quatenus & nostro imperio, & vestræ vtilitati satisfecisse videamini.

CLXV. *De officio Ducis Retiarum.*

QVanois spectabilitatis honor vnus esse videatur, nec in his aliquid aliud nisi tempus soleat anteferri, tamen rerum qualitate perpensa multum his creditum videtur, quibus confinales populi deputantur. Quia non est tale pacatis regionibus ius dicere, quale suspectis gentibus assidere: vbi non tantum vitia, quantum bella suspecta sunt, nec solum vox præconis insonat, sed turbarum crepitus frequenter insultat. Retiæ nanque munimina sunt Italiæ, & claustra prouinciæ. Quæ non immerito sic appellata esse iudicamus, quando contra feras & agrestissimas gentes, velut quædam plagarum obstacula, disponuntur. Ibi enim impetus gentilis excipitur, & transmissis iaculis sauciatur furibunda præsumptio. Sic gentilis impetus, vestra venatio est, & ludo geritis, quod vos assidue feliciter egisse sentitis. Ideoque validum te ingenio ac viribus audientes, per illam Indictiooem, Ducatum tibi credimus Retiarum: vt milites & in pace regas, & cum eis fines nostros solemni alacritate circumeas. Quia non paruam rem tibi respicis fuisse commissam, quando tranquillitas regni nostri tua creditur solicitudine custodiri. Ita tamen, vt milites tibi commissi viuant cum prouincialibus iure ciuili, nec insolescat animus, qui se sentit armatum: quia clypeus ille exercitus nostri quietem debet præstare Romanis. Quos ideo constat appositos, vt intus vita felicior secura libertate carpatur. Quapropter nostro responde iudicio, fide nobis & industria placiturus: vt nec gentiles sine discussione suscipias, nec nostros ad gentes sub incuriositate transmittas. Ad necessitatem siquidem rarius venitur armorum, vbi suscepta surreptio custodiri posse sentitur. Priuilegia vero dignitatis tuæ nostris tibi iussionibus vindicabis.

CLXVI. *De Cura Palatii.*

AVla nostra sicut agnoscitur peritis dispositionibus instituta, ita doctorum in ea diligens debet esse cautela. Quando pulchritudo illa mirabilis, si subinde non reficitur, senectute obrepente vitiatur. Hæc nostra sunt oblectamenta, potentiæ imperii decora facies, testimonium præconiale regnorum: hæc legatis sub admiratione monstrantur, & prima fronte talis dominus esse creditur, quale eius habitaculum comprobatur. Et ideo magna voluptas est prudentissimæ mentis, pulcherrima iugiter habitatione gaudere, & inter publicas curas animum fessum reficere dulcedine fabricarum. Quas primum Cyclopes dicuntur ad antrorum modum amplissimas in Sicilia condidisse, postquam in cauernis montium Polyphemus ab Vlysse singularis oculi lugendam pertulerat orbitatem. Inde ad Italiam fabricandi peritia legitur fuisse translata. Vt quod tantis ac talibus institutoribus inuentum est, æmulatrix posteritas in suum commodum custodiret. Hinc est, quod sublimitatem tuam ab illa Indictione curam palatii nostri suscipere debere censemus: vt & antiqua in nitorem pristinum contineas, & noua simili antiquitate producas. Quia sicut decorum corpus vno conuenit colore vestiri, ita nitor palatii similis debet per vniuersa membra diffundi. Atque sic poteris idoneus inueniri, si frequenter geometram legas Euclidem: si schemata eius, mirabili varietate descripta, in tuæ mentis contemplatione condideris: vt in hora commonito famuletur tibi copiosa notitia. Archimedes quoque subtilissimus exquisitor cum Metrobio tibi semper assistant: vt ad noua reddaris paratissimus. Non enim tibi minima cura delegatur, quando animum nostrum fabricandi studio cupidissimum artis tuæ ministerio probaris explere. Nam sicubi aut ciuitatem reficimus, aut castellorum volumus fundare nouitatem, vel si construendi nobis prætorii amœnitas blandiatur, te ordinante ad oculos perducitur, quod nobis cogitantibus inuenitur. Decorum magisterium, propositum omnino gloriosum, in tam longas ætates mittere, vnde te debeat posteritas admirata laudare. Quicquid enim aut instructor parietum, aut sculptor marmorum, aut æris fusor, aut camerum rotator, aut gypsoplastes, aut musiuarius ignorat, te prudenter interrogat: & tam magnus ille fabrilis exercitus ad tuum recurrit iudicium, ne possit aliquid habere confusum. Vide ergo, quanta debet nosse, qui possit tantos instruere. Recipis certe bonæ dispensationis tuæ vberrimum fructum, cum tu de illorum labore laudaris, si ab eis diligenter facta monstraueris. Quapropter quicquid ad te pertinet, ita decenter, ita firmiter volumus explicari, vt ab opere Veterum sola distet nouitas fabricarum. Sed hæc possibilia facis, si dona nostra nulla cupiditate soppresseris. Efficaciter enim imperat artifici, qui eum competenti non patitur commoditate fraudari. Manus larga artium nutrit ingenia, quando qui de victu non cogitat, perficere iussa festinat. Illud quoque considera, qua gratificatione tracteris, vt aurea virga decoratus, inter obsequia numerosa, ante pedes regios primus videaris incedere, vel vt ipso testimonio vicinitatis nostræ agnoscamus tibi palatia commisisse.

CLXVII. De

CLXVII. De officio Comitis formarum.

QVanuis Romuleæ fabricæ collatæ sibi vix possint præcipuæ reperiri (quia totum admiratione noscitur exquisitum, quod ibi cernitur esse fundatum) tamen interesse arbitramur, quod vtilitas necessaria gratificat, & quod pulchritudinis tantum causa commendat. Traiani Forum vel sub assiduitate videre miraculum est. Capitolia celsa conscendere, hoc est humana ingenia superata vidisse. Sed nunquid per ea viuitur, aut corporis salus aliqua inde delectatione recreatur? In Formis autem Romanis vtrunque præcipuum est, vt fabrica sit mirabilis, & aquarum salubritas singularis. Quod enim illuc flumina, quasi constructis montibus perducuntur, naturales credas alueos soliditates saxorum: quando tantus impetus fluminis, tot sæculis firmiter potuit sustineri. Cauati montes plerunque subruunt, meatus torrentium dissipantur, & opus illud veterum non destruitur, si industria suffragante seruetur. Respiciamus certe, aquarum copia quantum Romanis mœnibus præstat ornatum. Nam thermarum illa pulchritudo quid esset, si dulcissima quædam æquora non haberet? Currit aqua Virgo sub delectatione purissima, quæ ideo sic appellata creditur, quod nullis sordibus polluatur. Nam cum aliæ pluuiarum nimietate terrena commixtione violentur, hæc aerem perpetuo serenum purissime labens vnda mentitur. Quis possit talia sermonibus idoneis explicare? Claudiam per tantam fastigii molem sic ad Auentini caput esse perductam, vt cum ibi ex alto lapsa ceciderit, cacumen illud excelsum, quasi imam vallem irrigare videatur. Ægyptius Nilus certis temporibus crescens per campos iacentes superducto diluuio aere sereno turbulentus exæstuat: sed quanto pulchrius est, Claudiam Romanam per tot siccas montium summitates lauacris ac domibus liquores purissimos fistularum vberibus emisisse? & ita æqualiter fluere? vt nunquam se possit desiderata subducere? Ille enim dum recedit, limus est, dum venit insperate, diluuium. Quis ergo famosum Nilum vrbis nostræ fluminibus non æstimet esse superatum? Quando ille incolas suos aut veniendo terret, aut recedendo destituit. Verum hæc non superflua commemoratione narrauimus: vt possis aduertere, qualis à te diligentia perquiratur, cui pulchritudo tanta committitur. Qua de re per Indictionem illam, Comitiuam tibi Formarum sub magna deliberatione credidimus: vt summo studio nitaris efficere, quod tantis ac talibus rebus videris expedire. In primis noxias arbores, quæ inferunt fabricarum ruinas, dum sunt quidam mœnium importabiles arietes, censemus radicitus amputari: quia nulla læsio remouetur, cuius origo non tollitur. Si quid autem conficiente senio fuerit demolitum, peruigili claritate reparetur: ne crescente defectu augeatur nobis causa dispendii. Ductus aquæ fortuna tua est, dum incolumis eris, si illa solidaueris: tantumque apud nos proficis, quantum te illi studuisse probaueris. Agat ergo peritia fidesque tua, vt & constructio fabricæ illibata permaneat, & aquæ distributio nulla se custodum vænalitate subducat.

CLXVIII. De officio Præfecti vigilum vrbis Romæ.

QVanuis nomen tuum ad ciuitatis te vigilias debeat excitare, vt possis implere, quod diceris: tamen prouidentiæ nostræ solita cautela non deserit, nisi eos quos ad agendum deligimus, ad parendum quoque suauiter inuitemus. Quid est tibi pulchrius, quam in illa Vrbe operam nauanter impendere: diligentiæ tuæ vbi tales testes videntur assistere? Cautela quidem tua, mox vt adhibita fuerit, per Patritiorum & Consulum ora discurrit: vix te contigit aliquid solicite facere, & audis proceres cum admiratione laudare. Mediocrem dignitatem regis, & in summa opinione versaris. Custos Romanæ ciuitatis diceris, quando eam ab intestino hoste defendis. Quapropter circa fures solicitus esto: quos si tibi leges punire minime præcipiunt, tamen eos indagandi licentiam contulerunt: credo, vt quamuis essent raptores detestabiles, tamen quia dicebantur Romani, maiori eos subderent dignitati. Vtere igitur per Indictionem illam Præfecturæ Vigilis dignitate. Horror tibi pœnarum ademptus est: non potestas: nam lex à quo velit malos capi, ipsum censuit plus timeri. Eris securitas soporantium, munimen domorum, tutela claustrorum, discussor obscurus, arbiter silentiosus, cui fallere insidiantes fas est, & decipere gloria. Actus tuus venatio nocturna est, quæ miro modo, si non cernitur, tunc tenetur. Furta magis in furibus facis, dum illos circumuenire niteris, quos omnibus illudere posse cognoscis. Præstigii genus est, quod agitis, vt latronum versutias irretire possitis. Facilius enim æstimamus, Sphingis ænigmata comprehendi potuisse, quam raptoris fugacem præsentiam reperire. Ille circunspectus ad omnia, instabilis ad ventura, trepidus ad insidias, quemadmodum potest capi, qui more venti, nullo situ cernitur contineri? Vigila impiger cum nocturnis auibus: nox tibi pandat aspectus: & sicut illæ reperiunt in obscuris cibum, ita tu possis inuenire præconium. Esto nunc ad iniuncta solicitus. Vænalitas tibi non adimat, quod concedit industria. Nam licet hæc sub profunda caligine videantur geri, nullus tamen actus est, qui possit abscondi. Priuilegia quoque tua, vel officii deputati ex nostra tibi auctoritate rationabiliter vendicabis. Quia necesse est, in tam magna ciuitate per diuersos iudices agi, quod ab uno non potest expleari.

CLXIX. De officio Præfecti Vigilum vrbis † Rauennatis. † Rauennæ.

QVanuis dignitate magni nominis prima fronte decoreris (quia non potuit Antiquorum prudentia summa imaque simili appellatione censere: ne splendorem, quem summis dabat, alterius vilitate pollueret) tamen hinc intelligitur, quid sentire Maiorum potuisset auctoritas, quando Præfectos Vigilib. appellare voluere, qui pro generali quiete discurrunt. Tibi enim commissa est fortunarum securitas, ciuitatis ornatus, vtilitas omnium, scilicet, vt circa domesticos grassatores bellum pacatum gereres, si quem ciuium lædendum esse sentires. Custodi fortunas omnium. Securus somnus te vigilante carpitur,

carpitur, & molestia nulla sentitur. In pace positus sumis de nocturno fure victoriam. Tuis laureis mane ciuitas defensa lætatur: quæ dum captos respicit, tunc se occulto hoste caruisse cognoscit. Quotidie triumphas, si bene vigilas. Et cum rara sit gloria bellici certaminis, tibi iugiter latronibus famulatur inuentis. Ob ducatum nimia ciuium affectione susceptum, assumes prædones inquirere, quos per se dominus non valet inuenire: & duplici ratione beneficus, aut futura furta prohibes, aut commissa concludis. Nonne ista quædam est ineffabilis gratia ciuitatis vnum in se suscipere, quod videt omnibus expedire? Merito tibi gloriosum nomen Præfecti, prudens Antiquitas deputauit: quia illud facere non poterat, nisi qui ciues à suis commodis plus amabat. Officium quoque tuum non paruo constat munere sublevatum, quando & ipsis momenti iura dilata sunt, qui pro securitate ciuium militare noscuntur. Quæ cum ita sint, Præfecturam tibi Vigilum, per illam Indictionem, delectati in tua opinione concedimus. Ita vt & curam hujus dignitatis, & priuilegia tibi competentia modis omnibus exequaris. Sed quamuis nomen odiosissimum furum generalis persequatur assensus, tamen quia de effusione humani sanguinis agitur, nihil subitum aut indeliberatum iubemus astumi. Modestiam sequere, qui damnas audaciam: continentiam dilige, qui furta condemnas. Ad gesta perducti audiantur aliquid pro salute dicturi. Quoniam quicquid non discutitur, iustitia non putatur. Conuictis vero atque confessis, quæ sunt decreta, seruentur: quando crudele nil efficit, qui sequitur leges.

CLXX. *De Comitiua portus Vrbis Romæ.*

DElitiosa magis quam laboriosa militia est, in portu Romano Comitiuæ gerere dignitatem. Illic enim copiosus nauium prospectatur aduentus. Illic veligerum mare peregrinos populos cum diuersarum prouinciarum merce transmittit, & inter tot Spectacula dulcium rerum commodum totum est, venientes euasisse periculum. His primum faucibus Romanæ deliciæ sentiuntur, & vndis Tyberinis, quasi per alueum vadunt, quæ ad commercia ciuitatis ascendunt. Bene inuenta dignitas, quæ copias videtur ornare Romanas. Nam quid elegantius potest agi, quam vnde probatur populus ille satiari? O inuenta Maiorum! ô exquisita prudentum! vt quia longius à litore Roma videbatur posita, inde magis esse inciperet, vbi decorum ingressum nauium possideret. Duo quippe Tyberini aluei meatus ornatissimas ciuitates, tanquam duo lumina susceperunt: ne vacaret à grana quod tantæ vrbi ministrabat expensas. Eximia ergo res tibi committitur, si moderatè peragatur. Tu copiam facis, dum ingredientes iuste tractaueris. Auara manus portum claudit, & quum digitos attrahit, nauium simul vela concludit. Merito enim illa mercatores cuncti refugiunt, quæ sibi dispendia esse cognoscunt. Quapropter aduersus ibi ventus est, immoderata præsumptio. Nam placidum mare damnat, qui vndas cupiditatis exaggerat. Vnusquisque pro solemnitate commonitus offerat voluntarium munus. Xenia sunt enim ista, non debita. A paucis accipit, qui nimium quærit: & sibi ipsi mittit vitæ munera, qui moderatur oblata. Sit tibi ergo cura præcipua, non solum te abstinere, veruntetiam cohibere præsumentium manus. * Quia non est leue, in illa vbertate delinquere, quam decet cunctos insidenter optare. Quocirca per Indictionem illam Comitiuæ Portus te honore decoramus. Vt sicut dignitas dulces delicias administrat, ita & tu honori opinionem laudabilem derelinquas.

*Forte sic: non est leue in vbertate non delinquere.

CLXXI. *De Officio Tribuni voluptatum.*

QVamuis artes lubricæ honestis moribus sint remotæ, & histrionum vita vaga videatur efferri posse licentia, tamen moderatrix prouidit Antiquitas: vt in totum non effluerent, cum & ipsæ iudicem sustinerent. Administranda est enim sub quadam disciplina exhibitio voluptatum. Teneat scenicos, si non verus, vel vmbratilis ordo iudicii. Temperentur & hæc legum qualitate negocia, quasi honestas imperet inhonestis, & quibusdam regulis viuant, qui viam rectæ conuersationis ignorant. Student enim illi non tantum iucunditati suæ, quantum alienæ lætitiæ: & conditione peruersa cum dominatum suis corporibus tradunt, seruire potius animas compulerunt. Dignum fuit ergo moderatorem suscipere, qui se nesciunt iuridica moderatione tractare. Locus quippe tuus his gregibus hominum veluti quidam tutor est positus. Nam sicut illi ætates teneras adhibita cautela custodiunt, sic à te voluptates feruidæ impensa maturitate frenandæ sunt. Age bonis institutis, quod nimia prudentia constat inuenisse Maiores. Leue desiderium, & si verecundia non cohibet, districtio prædicta modificet. Agantur Spectacula suis consuetudinibus ordinata: quia nec illi possunt inuenire gratiam, nisi imitati fuerint aliquam disciplinam. Quapropter Tribunum te Voluptatum per illam Indictionem nostra facit electio: vt omnia sic agas, quemadmodum tibi vota ciuitatis adiungas. Ne quod ad lætitiam constat inuentum, tuis temporibus ad culpas videatur fuisse transmissum. Cum fama diminutis salua tua opinione versare. Castitatem dilige, cui subiacent prostitutæ: vt magna laude dicatur: virtutibus studuit, qui voluptatibus miscebatur. Optamus enim, vt per ludicram administrationem ad seriam peruenias dignitatem.

CLXXII. *De Officio Defensoris cuiuslibet ciuitatis.*

SI ad cuiuslibet negocium peragendum talis eligitur, qui consilio & grauitate laudetur, quanto eo præstantior esse debet, qui suscipit negocia ciuitatis? Nam si periculum est vnum decipere, quod erit imparem tantorum iudiciorum extitisse? Causa enim multorum bene acta nobilitat, quando totum bono proposito agere creditur, qui generalibus desideriis adesse sentitur. Defensorem te itaque illius ciuitatis, per Indictionem illam, ciuium tuorum supplicatione permota, nostra concedit auctoritas: vt nil

varnale

venale, nil improbum facere velis, qui tali nomine nuncuparis. Commercia ciuibus, secundum temporum qualitatem æquabili moderatione dispone. Definita serua, quæ iussetis. Quia non est labor vendendi summas includere, nisi statuta pretia castissime custodire. Imples enim re vera boni defensoris officium, si ciues tuos nec legibus patiaris opprimi, nec caritate consumi.

CLXXIII. *De officio Curatoris Ciuitatis.*

QVamuis per se honorabilis habeatur, qui vel minimam solicitudinem ciuitati propriæ videtur impendere: & inter suos magna reuerentia perfruatur, qui cives se amare professus est: tamen indubitatus honor est, qui nostra electione confertur. Quia prædictus bonis institutis creditur, cui aliquid principis auctoritate delegatur. Et ideo ab Indictione illa illius ciuitatis curam ad te volumus pertinere. Vt laudabiles ordines Curiæ sapienter gubernes: moderata pretia ab ipsis, quorum interest, facias custodiri. Non sit merces in potestate sola vendentium: æquabilitas grata custodiatur in omnibus. Opulentissima siquidem & hinc gratia ciuium colligitur, si pretia sub moderatione seruentur. Vt vere Curatoris impleas officium, cum tibi solicitudo fuerit de vtilitate cunctorum. Consuetudines autem tibi ex nostra auctoritate defende, quas in eodem loco tuos constat habuisse Maiores.

CLXXIV. *De officio Comitiuæ Romanæ.*

SI causis domibus ac munitis insidiari solet nequissimum votum, quando magis in Romana ciuitate videtur illici, qui in plateis pretiosum reperit, quod possit auferri? Nam quidam populus copiosissimus statuarum, greges etiam abundantissimi equorum, tali sunt cautela seruandi, quali & cura videntur affixi. Vbi, si esset humanis rebus vlla consideratio, Romanam pulchritudinem non vigiliæ, sed sola deberet reuerentia custodire. Quid dicamus marmora metallis & arte pretiosa? quæ si vacet eripere, rara manus est, quæ possit à talibus abstinere. Vbi sunt exposita, quæ facere potuerunt diuitiæ generales, & labor mundi? Quem inter ista deceat esse negligentem? Quis in causa tali pariter esse venalis, quando grauissimum damnum potest fieri in pulchritudine singulari? Quare per Indictionē illam Comitiuæ Romanæ, cum priuilegiis & iustis commodis suis, tibi concedimus dignitatem. Vt fideli studio, magnoq; nisu, quæras improbas manus, & insidiantes aut priuatorum fortunis, aut mœnibus ad tuum facias venire iudicium, & rei veritate discussa congruam subeant de legibus vltionem. Quia iuste tales persequitur publicus dolor, qui decorem Veterum fœdant, detruncatione membrorum: faciuntque illa in monumentis publicis, quæ debent pati. Officium tuum & milites consuetos noctibus potius inuigilare compelle: in die autem ciuitas se ipsa custodit. Vigilans enim studio non indiget alieno. Furta quidem persuadent: sed tunc præsumptus facile capitur, cum custos minimè superuenire sentitur. Statuæ nec in toto mutæ sunt: quando à furibus percussæ custodes videntur tinnitibus admonere. Proinde diligentiam tuam deuotione laudabili sentiamus: vt cui nunc labriosos fasces iniungimus, securos honores postea conferamus.

CLXXV. *De officio Comitiuæ Rauennatis.*

SI æstimanda est dignitas ex labore, si laudabilis solicitudo actuum publicorum parit gratiam liberaliter seruienti: summa gratificatione locus tuus habendus est, qui suis necessitatibus probatur admere nostris ordinationibus tarditatem. Quis enim nesciat, quantam copiam nauium leuiter procures admonitus? A dignitatibus Palatii nostri vix in euectionibus scribitur, & iam à te summa celeritate completur. Nam inter dim illorum festinationes anxius vix sufficit alter aduertere, quod te viuaciter contingit implere. Negotiatorum operas consuetas nec nimias exigas, nec æqualitate derelinquas. Sit modus, qui non potest grauare laborantes. Vt cum res querelosas sine querimoniis egeris, maiora de nostro examine merearis. Proinde Comitiuam Rauennatem per illam Indictionem tibi serenitas nostra concedit: vt dignitatis tuæ priuilegia subeas & labores. Officium tuum æquitatis consideratione moderare. Semper enim & præstandi & lædendi causas inuenit, qui publicis actionibus adhibetor. Sed quantum administratio tua inter mediocres agitur, tanta debet æqualitate trutinari: quia illam potius expedit tenere mensuram, qui defectum noscitur gubernare substantiam. Idonei damna vix sentiunt, tenues autem leui dispendio vulnerantur: quando vel mediocri iniuria totum videtur amittere, qui exiguum cognoscitur possidere.

CLXXVI. *De Fabricis & Architectis.*

Theod. Rex Præfecto vrbis.

ROmanæ fabricæ decus peritum conuenit habere custodem: vt illa mirabilis sylua mœnium diligentia subueniente seruetur, & moderna facies operis affabris dispositionibus construatur. Hoc enim studio largitas nostra non cedit, vt & facta Veterum exclusis defectibus innouemus, & noua vetustatis gloria vestiamus. Proinde illum illustris magnitudo tua Romanis arcibus ab illa Indictione datum architectum esse cognoscat. Et quia iustis commodis studia constat artium nutrienda: ad eum volumus pertinere, quicquid decessores eius constat rationabiliter consecutos. Videbit profecto meliora, quam legit: pulchriora, quam cogitare potuit; statuas illas auctorum suorum, scilicet, adhuc signa retinentes: vt quam diu laudabilium personarum opinio superesse, tam diu & similitudinem viuæ substantiæ imago corporis custodiret, conspiciet expressas in ære venas, nisu quodam musculos

 tumen-

tumentes, nernos quasi gradu tensos, & sic hominem fusum in diuersas similitudines, vt credas potius esse generatum. Has primum Tusci in Italia inuenisse referuntur, quas amplexa posteritas pene parem populum vrbi dedit, quam natura procreavit, Mirabitur formis equinis signa etiam inesse feruoris. Crispatis enim naribus, ao rosundis, costrictis membris, auribus remulsis, credet forsitan cursus appetere, cum se metalla nouerit non movere. Quid dicamus columnarum iunceam proceritatem? moles illas sublimissimas fabricarum, quasi quibusdam erectis hastilibus contineri, & substantiæ qualitate concauis canalibus excauatas: vt magis ipsas æstimes fuisse transfusas: alias ceris iudices factum, quod metallis durissimis videas expolitum: marmorum iuncturas, venas dicas asse genitales: vbi dum falluntur oculi, laus probatur crevisse miraculis. Ferunt prisci sæculi narratores, fabricarum septem tantum terris attributa miracola. Ephesi Dianæ templum Regis Mausoli pulcherrimum monumentum, à quo & Mausolea dicta sunt. Rhodi Solis æneum signum, quod Colossus vocatur. Iouis Olympici simulachrum, quod Phidias primus artificum somma elegantia ebore auroque formauit. Cyri Medorum Regis domus, quam Memnon arte prodiga illigatis auro lapidibus fabricauit. Babyloniæ muri, quos Semiramis Regina latere cocto, sulphure, ferroque construxit. Pyramides in Ægypto, quarum in suo statu sa vmbra consumens, vltra constructionis spatia nulla parte respicitur. Sed quis illa vlterius præcipua putabit, cum in vna Vrbe tot stupenda conspexerit? Habuerunt honores, quia præcesserunt tempore: & in rudi sæculo quicquid emersisset nouum, per ora hominum iure ferebatur eximiom. Nunc autem potest esse veridicum, si universa Roma dicatur esse miraculum. Quapropter talia virum peritissimum suscipere decet: ne inter illa nimis ingeniosa priscorum ipse videatur esse metallicus, & intelligere non possit, quæ in illis artifex Antiquitas, vt sentirentur, effecit. Et ideo det operam libris Antiquorum, instructionibus vacet: ne quid ab illis sciat minus, in quorum locum cognoscitur surrogatus.

CLXXVII. *De officio Comitis Insulæ † Curritanæ & Celsinæ.*

† Turritanæ. ad, Cunnicanæ.

Constat plerumque bene possi agi, vbi non defuerit persona monitoris. Omnia enim sine Priore confusa sunt, & dum vnus quisque secundum voluntatem suam cogitat viuere, regulam cognoscitur omittere disciplinæ. Itaqoe antiquæ consuetudinis morem secuti, Curritanæ & Celsinæ insulis te iudicem, per illam Indictionem, nostra cedit auctoritas. Iustum & enim, vt qui à reliquorum hominum sunt conseruatione diuisi, ad habitationes eorum vadat, qui eos probabili ratione componat. Ne quædam sit necessitas iniustitiæ communes actus longe positos ignorasse. Habetis igitur supradicti, qui inter vos emergentes causas & audire debeat, & finire, & si quid etiam fuerit à nostra pietate decretum, eodem commonente, peragite. Quia erroribus locus tollitur, quando vobis, cui debeatis obedire, declaratur. Quem credimus ita bonis actibus studere, vt augmenta nostræ gratiæ possit accipere. Necesse est enim, vt à nobis remunerationem sumat, si vobis, quæ sunt profutura, disponat.

CLXXVIII. *De officio Præfecti calcis.*

Gloriosum opus est servienti, vnde Romana civitas probatur ornari: dum tantum quis apud nos proficit, quantum prodesse Vrbi proprio labore constiterit. Dubium non est, coctilem calcem, quæ est nivibus concolor, spongiis leuior, instrumentum esse maximum fabricarum. Hæc quantum ignis adustione solvitur, tantum exinde parietum firmitas roboratur: petra solubilis, saxea mollicies, atenacius lapis: qui tunc potius accenditur, quando aquis copiosissimis irrigatur: sine quo nec saxa fixa sunt, nec arenarum minuta solidantur. Et ideo maius studium meretur accipere, quod primum locum in Romanis mœnibus noscitur obtinere. Quocirca industriam tuam, multorum sermone celebratam, ad coctionem distributionemque calcis, ab Indictione illa, nostra præponit auctoritas. Vt tam publicis, quam priuatis fabricis abunde procurata sufficiat: & ad ædificandum cunctorum animi concitentur, dum viderint paratum esse quod quæritur. Privilegia vero loci tui nostris iussionibus rationabiliter vendicabis, Vt maiora mereri possis, si bene tibi delegata compleueris.

CLXXIX. *De armorum factoribus.*

Considera quod suscipis, & intelliges locum te dare non debere peccatis. Arma enim bene construere, est salutem velle omnium custodire. Quia prima facie ipsis terretur inimicus, & incipit animo cedere, si se cognoscit similia non habere. Atque ideo ab Indictione illa militibus te & fabris armorum, invitati morum tuorum opinione, præfecimus. Vt tale opus ab artificibus exigas, quale nobis placere posse cognoscis. Securitas te nostræ non inducat absentiæ: Quicquid feceris, nos videmus, qui vsu ipso subtilissimæ perquisitionis & errores artificum possumus prima fronte reprehendere, & laudabiliter operata iudicare. Vide ergo qua diligentia, quo studio sit faciendum, quo ad nostrum venturum constat examen. Age itaque, vt nulla te venalitas, nulla culpa demergat. Quia veniale esse non potest, quod in tali causa delinquitur: ne inde puniaris, de qua parte peccaveris. Opus quod mortem generat & salutem, interitus peccantium, custodia bonorum, contra improbos necessarium semper auxilium, Hoc primum Phoroneus Iunoni dicitus obtulisse: vt inuentum suum nominis, ut putabant, auspicio consecrarent. Hæc in bello necessaria, in pace decora sunt. Hæc denique imbecilles fragilesque mortales cunctis belluis efficit fortiores.

CLXXX. Se-

CLXXX. Super eodem.
Theodericus Rex Præpoſito.

MVltorum inſinuatione comperimus, illum probis moribus inſtitutum commiſſa ſibi poſſe fideliter expedire. Iccirco Illuſtris magnitudo veſtra nos eum eligiſſe cognoſcat: vt & militibus præſit ſecundum morem priſtinum, & artificibus iubere poſſit armorum: quatenus conſuetudines ſuas ſic eleganter adimpleant, vt nulla in eis inueniri poſſit offenſio. Quia licet vbique culpa lædat, hinc tamen grauiter percutit, ſi bellorum inſtrumenta neglexerit. Proditionis quippe tr ſtar eſt, exercitui ſubtrahere, quod eum conſtat armare. Quibus conſuetudines ſuas prouidentia veſtra deputabit: vt dum illis victualium lex tollitur, neceſſaria viuacius exigantur.

CLXXXI. De binorum & ternorum exactione per iudicem.

AD genium dignitatis tuæ credimus pertinere, ſi competentia tibi videamur iniungere. Quia tanto quis gratior redditur, quanto parendi cauſas amplius ſuſcepiſſe monſtratur. Et ideo Binorum & Ternorum titulos, quos à prouincialibus exigi priſca decreuit auctoritas, per illam Indictionem, officio tuo procurante, ad ſcrinia Comitis Sacrarum Largitionum tranſmittere maturabis: ita vt omnis quantitas intra Cal. Martiarum diem ſolemniter impleatur. Ne de proprio reddere cogaris, quod procurare neglexeris. Tuam enim tetigiſſet iniuriam, ſi alter eos titulos videretur exigere, quos ad te præceperunt leges ſanctiſſimæ pertinere.

CLXXXII. De binorum & ternorum exactione per officium.

QVamuis priſca conſuetudo, Binorum & Ternorum exactionem ad te iuſſerit pertinere, tamen ne te multiplex occupatio prægrauaret, & impedimenta tibi faceret ſollicitudo geminata, illum & illum Scriniarios officii noſtri duximus deſtinandos: vt tibi officioque tuo debeant imminere, quatenus cum eorum ſolatio intra Cal. Martiarum diem ad illuſtrem virum illum Comitem Sacrarum Largitionum ſolemnis quantitas deferatur: Ne opinionis publicæ reus efficiaris ſi Largitiones Sacras per moram aliquam putaueris eſſe tardandas. Ita vt te exequendum eſſe non æſtimes, quem nos credidimus adiuuandum. Nam ſi quid minus fuerit, quam oportebat, illatum, de tuis hoc noueris facultatibus eruendum.

CLXXXIII. De Vicario portus.

BEneficia noſtra gratiæ tuæ ſpecialiter damus, ſi te agere commiſſa rationabiliter approbemus. Nec enim irremuneratus iaces, ſi & populos peregrinos prudenter excipias, & noſtrorum commercia moderata æqualitate componas. Nam licet vbique neceſſaria ſit prudentia, in hac potius actione videtur accommoda: quanio inter tuos populos naſcuntur ſemper certamina, niſi fuerit iuſtitia cuſtodita. Quapropter arte placandi ſunt, qui motes afferunt ſimillimos ventis, quorum niſi prius animi temperentur, in contemptum maximum natiua facilitate proſiliunt. Quade te modeſtiæ tuæ fama prouocati, curas illius portus, per illam Indictionem te habere cenſemus. Vt omnia ad tuum titulum pertinentia ſic agas, quemadmodum ad meliora peruenias. In paruis enim diſcitur, cui potiora præſtentur.

CLXXXIV. De officio Principis Dalmatiarum.

MAgna inter collegas ſuos prærogatiua decoratur, quiſquis gerit militiam nomine Principatus. Cognoſcitur enim agere locum primarium, quando in rebus humanis magna pars hominum afferit excellentiam dignitatum. Hoc etiam tui loci probatur exemplo, ſine quo nec ſecretarii præſtatur acceſſus, nec oſculationis pompa peragitur, totusque ille iudicis genius, ita tibi legibus probatur creditus, vt ſine te nequeat eſſe perfectus. Comitis quidem prouinciarum poteſtas data eſt, ſed tibi index ipſe commiſſus eſt. Tu vitam tenes improbis minantem: tu diſciplinam inter iura cuſtodis: tibi inſolentiam perorantis fas eſt diſtringere, quam præſuli non licet vindicare: geſta quinetiam totius actus te ſubſcribente complentur, & conſenſus tuus quæritur, poſtquam voluntas iudicis explicatur. Age, vt qui talibus præponeris, ea impleſſe merito ſentiaris. Itaque per Indictionem illam, ad illam te prouinciam iubemus excurrere: vt mixtus iudicis officio competentia loco tuo peragas: & qui Princeps à nobis egrederis, nullis vilitatibus accuſeris. Reuerendiſſimum enim te omnibus facis, ſi quod de nomine tuo crederur, & in moribus ſentiatur.

CLXXXV. De Comitiua honorum ſecundi ordinis diuerſarum ciuitatum.

SAEculi huius honor humanæ mentis eſt manifeſta probatio: quia libertas animi voluntatem propriam ſemper oſtendit, dum ſe contemnit occulere, qui ſibi alios cognouerit ſubiacere. Sed humanæ mentis

felix illa conditio est, quæ arbitrium prouectionis suæ intra terminum moderationis includit, & sic peragit dignitatis breuissimum spatium, vt vniuersis temporibus reddatur acceptus. Quapropter interdum Iudices ad blanda descendite. Laboriosum quidem, sed non est impossibile, iustitiam suadere mortalibus; quam ita eunctorum sensibus beneficium diuinitatis attribuit, vt & qui nesciunt iura, rationem tamen veritatis agnoscant. Necesse est enim, vt quod à natura conceditur, submonente iterum eadem suauiter audiatur. Et ideo non laboretis populis imponere, quod eos constat ex propria voluntate sentire. Facile enim sequuntur vestigia verbi alieni, qui se posse credunt monitione compelli. Propterea per illam Indictionem in illa ciuitate Comitiuæ honorem Secundi Ordinis tibi, propitia diuinitate, largimur: vt & eiues commissos æquitate regas, & publicarum ordinationum iussiones constanter adimpleas: quatenus tibi meliora præstemus, quando te probabiliter egisse præsentia, sentiemus.

CLXXXVI. *De honoratis possessoribus & curialibus.*

VTile est vnum semper eligere, cui reliqui debeant obedire: quia si voluntas diuersorum vaga relinquitur, confusio, culparum amica, generatur. Itaque ciuitatis vestræ Comitiuam per Indictionem illam nos illi largitos fuisse noueritis, cui salubertimam patientiam commodate: ut causis vestris ferat remedium, & iussionibus publicis procuret effectum: sciturí, quod si quis probabili deuotione tractauerit, similia de nostris sensibus haud irrite postulabit.

CLXXXVII. *De Officio Comitis militum.*

GRatum vobis esse confidimus, quando militiæ nostræ Iudices destinamus: quia tunc ordines nostros agitis, quoties vobis non defuerit præsentia iudicantis. Relatiua ista intellectui sunt nomina, si præsulem ademeris, militem non relinquis: apparitio enim tollitur, quoties qui iubere poterat, abrogatur. Vobis ergo aptum credimus, dum ad vos dirigimus dignitates, & tamdiu vos miliaire facimus, donec iudices destinamus: nec istud leue credatis beneficium, vt cum vos feitis obsequium, vobis occurrat electio cognitorum. Et ideo per Indictionem illam, illum Comitem militiæ vestræ cognoscite destinatum. Quem ita actorum esse putamus, tam in causis publicis, quam priuatis, vt eum laus optata comitetur. Cui deuotionem iustissimam commodantes, his quæ vobis præceperit, solemniter obedite: quia reuerentiam nostram honoratam esse credimus, si bene habitos nostros iudices sentiamus.

CLXXXVIII. *De custodiendis portis ciuitatis.*

NVllatenus de eius fide dubitatur, qui ad custodiam ciuitatis eligitur: quia probatæ conscientiæ constat esse credendum, quod fuerit pro securitate multorum. Atque ideo curam portæ illius ciuitatis nostra tibi auctoritate concedimus: vt improborum non pateat addentibus, & bonorum non retardet accessus. Nam si porta semper obserata sit, instar est carceris: si iterum ingiter pandatur, murorum nil prodest habere munimina. Sit ergo vtrunq; moderatum: vt & custodiæ nocturnæ satisfacias, & incompetenter eam claudere non præsumas. Eris nimirum via ciuium, & ingressus mercium singularum, amicus simul copiæ, quam optas intrare. Stude ergo, eum alimoniis inuitare venientes. Non tibi quod despiciatur est creditum. Quibusdam fancibus ciuitatis præponeris, qui ingredientibus victualibus præesse monstraris. Quod te oportet sine querela perficere: ut in paruis agnoscere possimus, cui maiora credere debeamus.

CLXXXIX. *De Tribuno prouinciarum.*

AEquitati conuenit, vt vnusquisque ad fructum militiæ emenso tempore debeat peruenire, & laboris recipiat præmium pro compensatione meritorum. Vnde quia priscæ consuetudinis ratio persuadet, vt à nobis debeat designari, qui à vobis tribunus esse mereatur, ideo hac auctoritate censemus, vt ille quem locus videtur exposcere, vobis in supradicto honore præsideat: quatenus eum ad tempus venerit constitutum, optato honore potiatur. Diuina sunt ista iudicia, non humana: vt quem superna ad tempus debitum opus voluerunt perducere, merito videatur & laboris sui præmia suscepisse. Excubiarum suarum igitur competentia priuilegia consequatur. Quia nullum emolumento consueto fraudari desideramus, quem sine culpis ad primatum venire cognoscimus. Quapropter illi, pro vtilitate publica disponenti, modis omnibus obedite: quoniam partem iudicis habent priores, quando ab ipsis requiritur, si quid à vobis insolentius excedatur.

CXC. *De principatu vrbis Romæ, & dignitate officii Comitiaci.*

CVm in vrbe Roma plurima fieri censeamus, & necesse sit ibi potestatem esse Comitiaci officii, vt vtilitates publicæ videantur impleri, nostro more prospeximus, vt quia principem nostrum cardinalem obsequiis nostris deesse non patimur, tu eius locum vicarii nomine in vrbe Romana solemniter debeas continere. Quatenus & ille primatus sui laboribus perfruatur, & tu in alterius honore possis

possis discere, quod in tuo debeas feliciter exhibere. Si quos etiam Comitiacorum ad Comitatum iudicaueris esse dirigendos, consulens obsequio nostro, tuo subiacebit arbitrio. Eos autem, quos retinendos putaueris, indulta securitate potiantur. Ita tamen, vt vicissim omnia moderetis; quatenus nec escubantes continuus laborat atterat, nec segnes iterum rubigo ocii fugienda consumat.

CXCI. *De moneta.*

OMnis quidem vtilitas publica fideli debet actione compleri: quia totum vitiosum geritur, vbi conscientiæ puritas non habetur: tamen omnino monetæ debet integritas quæri, vbi & vultus noster imprimitur, & generalis vtilitas inuenitur. Quidnam erit tutum, si in nostra peccetur effigie? & quam subiectus corde venerari debet, manu sacrilega violare festinet? Additur quod venalitas cuncta dissoluitur, si victualia metalla vitiantur: quando necesse est respui, quod in mercimoniis corruptum videtur offerri. Quis ergo patiatur, vnius esse commodum dispendia scelesta cunctorum: vt detestabile vitium venire possit ad pretium? Sit mundum, quod ad formam nostræ serenitatis adducitur. Claritas regia nil admittit infectum. Nam si vultus cuiuslibet syncero colore depingitur, multo iustiue metallorum puritate principales gratia custoditur. Auri flamma nulla iniuria permixtionis albescat, ergenti color gratia candoris arrideat, æris rubor in natiua qualitate permaneat. Nam si vnum lædere legibus putatur esse damnandum, quid ille mereri poterit, qui in tantam hominum numerositatem peccauerit? Pondus quinetiam constitutum denarius, præcipimus debere seruari, qui olim tam penso, quam numero vendebantur: vnde verborum vocabula competenter ab origine trahens compendium & dispendium pulche vocitauit Antiquitas. Pecunia enim à pecudis tergo nominata. Gallis auctoribus, sine aliquo adhuc signo ad metalla translata est. Quam non sinimus fœculenta permixtione fieri contemptibilem, ne iterum in antiquam cognoscatur redire vilitatem. Proinde te, cuius nobis laudata est integritas actionis, ab illa indictione per iuge quinquennium monetæ curam habere præcipimus, quam Seruius Rex in ære primum impressisse perhibetur: ita vt tuo periculo non dubites quæri, si quid in illa fraudis potuerit inueniri. Nam sicut casus asperos subibis, si quid fortasse deliqueris, ita irre-muneratum non relinquimus, si te egisse inculpabiliter senserims.

CXCII. *De officio Legatorum gentium diuersarum.*

QVis dubitet, vtilitatis publicæ interesse rationi, vt quibus nos constat dona conferre, nullam videantur itineris molestiam sustinere? quando nec vobis morarum detrimenta faciunt & illi se bene habitos fuisse cognoscunt. Atque ideo humanitatem subter anuexam, vel ad equos definitum illius gentis legaris sine aliqua tarditate præstabitis, quatenus ad sedes suas irrenumerati non debeant peruenire. Quia festinantibus gratior est celeritas in redeundo, quam quælibet munerum magnitudo.

CXCII. *De honore Spectabilitatis.*

OPtamus nobis, Deo auxiliante, subjectos varia dignitatum prærogatiua gloriari: desideramus, probabile genus hominum impressa gratia dignitatis ornare: vt laudabilius vnusquisque possit viuere cum se honores reuerendos cognouerit accepisse. Sic enim & ad virtutis studia decenter ascenditur, & à bonis ciuibus Respub. plus amatur. Atque ideo ta Spectabilitatis nitore decoramus; vt sententiam tuam in conventibus publicis spectandam esse cognoscas, cum inter nobiles decorus assederis. Vt si hæc prædicabili conuersatione tractaveris, in futurum præmiis melioribus augearis.

CXCIII. *De honore Clarissimatus.*

COnstat, ineundum esse rerum bonarum saporem, & vtilem ambitum laudis, qui appetitur per augmenta virtutis. Hoc nos studium prouidæ liberalitatis infundimus: vt maior sit cultus morum, dum crescunt desideria præmiorum. Clarissimatus igitur honorem ornamenta iudicii nostri, regia tibi largitur auctoritas: quod præbeat & exactæ vitæ testimonium, & futuræ prosperitatis polliceatur augmentum. Quapropter nihil iam obscurum agere patiaris, qui Clarissimatus dignitate resplendes. Grande siquidem vitæ testimonium est, non tam clarum, quam clarissimum dici: quando pene totum de illo optimum creditur, qui tanti fulgoris superlatiuo nomine vocitatur.

CXCVIII. *De Tuitione & mundiburde.*

SVperfluum quidem videtur, tuitionem specialiter à Principe petere, cuius est propositi vniuersos communiter vindicare. Sed quia securitatem tuam quorundam violentorum execranda temeritas inquietat, non piget dolentium querelis ad hanc partam pietatis adduci: vt quod omnibus præstare cupimus, supplicanti potissimum conferamus. Atque ideo diuersorum te, quemadmodum quereris, dispendiis sauciatum, in castra defensionis nostræ clementer excipimus. Vt cum aduersariis tuis, non ut hactenus; campestri certamine, sed murali videaris protectione contendere. Ita fiet, vt truculentis viribus pressus, reddaris auxiliis regalibus exæquatus. Quapropter tuitionem tibi nostri nominis, quasi validissimam turrem contra inciuiles impetus, & conventionalia detrimenta, nostra concedit auctoritas: ita tamen, ne his præsumptionibus subleuatus ciuile respuas præbere responsum, & tu videaris insolens calcare iura publica, quem primitus detestanda premebat audacia. Et quia ministros efficaces nostra debet habere præceptio, nec decet Principem loqui, quod non videatur posse com-

pleri, præsentis beneficii iussione, aduersus Gothos illa, aduersus Romanos illa, facile te fides & diligentia custodivit. Quia nemo laborat defendere, nisi qui timetur offendi. Dum præstans dominus fieri formidatur ingratus. Fruere igitur nostra clementia, beneficio lætare suscepto. Nam si ulterius à quoquam sub inciuilitate sentaris, tua de inimicis potius vota complabis.

CXCV. De matrimonio confirmando & liberis legitime constituendis.

Aeternum est beneficium, quod posteritatis fuerit fauore collatum: nec plus est conveniens Regi, quam si humanæ præstet origini. In lucem quippe venturus casus suscipera non meretur aduersos: ne ante grauamen districtionis incurrat, quam gaudia supernæ lucis inueniat. Oblata itaque supplicatione depromis, mulierem, quam tibi placitus illigauit amplexus, beneficio nostro iugali honestate debere sociari: vt ex ea liberi nati nomen nanciscantur heredum. Nam cum spontanea copola animantia cuncta consociet, dignumq; vnicuique videatur esse, quod placuit, durum est libertatem liberam non habere, vnde liberi procreantur. Et ideo illam, quæ sicut iure præcipitur, honestate non fuisse probatur æqualis, legitimam tibi fieri censemus vxorem, & filios ex eadem coniuge, siue qui suscepti sunt, siue qui suscipiendi, heredum volumus iura sortiri: vt sub nulla dubietate diligas, quos tibi absoluta successores futuros esse cognoscas. Natura enim tibi præstitit filios: sed nos tali securitate facimus esse castissimos.

CXCVI. De ætatis venia.

Gloriosa supplicatio est, quæ veniam quærit ætatis: quando sa gravitatem de moribus confitetur accipere, quam maturitatem vitæ adhuc non contigit intulisse. Minor nascendo, grandæuus cupis esse consilio. Ita, quod in humanis rebus audacissimum est, ad errores auxilium beneficium contemnis annorum. Quapropter oblata supplicatione depromis, vt cum tibi sit ratio firma prudentiæ, actiones tuæ non relinquantur ambiguæ: ne infirmetur iure, quod non potest vtilitate titubare. Hoc nos, quibus cordi est bona desideria perficere, libenter accipimus: Quia nullas se captare velle profitetur insidias, quisquis habere liberos contractus constantes affectat. Atque ideo, si id tempus constat elapsum, quo ad hanc veniam accedi iura voluerunt, nos quoque probabilibus desideriis licentiam non negamus: vt in foro competenti, ea, quæ in his causis reuerenda legum dictat Antiquitas, solemniter actitentur. Ita vt in alienandis rusticis vel vrbanis prædiis constitutionum seruetur auctoritas. Na cum opinioni præstare volumus, vtilitatem publicam lædere videamur. Cape igitur nostro beneficio potiorem annis ætatem: & quod petis ab oraculo, moribus exhibeto. Nam professio maturitatis acerbæ locum deneget actionis, quando multo grauior est culpa, quam sua promissionis impugnat auctoritas.

CXCVII. De Saionibus.

Theodoricus Rex Quæstori.

Frequenter Saiones, quos à nobis eredidimus pia voluntate concedi, querelis maximis cognouimus ingrauatos. Corruptum est, (proh dolor) beneficium nostrum, creuitque potius de medicina calamitas, dum ad alios vsus potentium malignitate translati sunt, quam eos nostra remedia transtulerunt. Vnde nobis necesse fuit remedio salubri votis pestiferis obuiare: ne dum pietatis studium ad æqualia beneficia trahitur, surreptionum iniquissima patiamur. Atque ideo edictali programmate definimus, vt quicunque contra violentas insidias propter ineluctabiles necessitates suas mereri desiderat fortem Saionem, officio nostro pœnali se vinculo cautionis astringat: vt si præcepta nostræ iussionis immissione plectibili, Saius quem meretur excesserit, & ipse pœnæ nomine det auri libras tot, & satisfacere promittat, quæcunque eius aduersarius potuerit tam commodi quam itineris sustinere detrimenta. Nos enim cum reprimere inciuiles animos volumus, prægrauare innocentiam non debemus. Saius autem, qui sua voluntate modum præceptionis excesserit, donativis se nouerit exuendum, & gratiæ nostræ (quod est damnis omnibus grauius) incurrere posse periculum: nec sibi vlterius esse credendum, si iussionis nostræ, cuius executor esse debuit, temerator extiterit.

CXCVIII. De officio Cartariorum.

Constat militiam bene geri, quæ probatis moribus videtur imponi: quando ipse secum potest reuoluere, quod iudex eum potuit admonere, maxime eum ad patrimonia diuinæ talis domus mereatur accedere, vt cupiditate detestabili non possit accendi. Deinde cum splendidissimum officium censoria quadam gravitate reluceat, & turpe sit illis misceri, qui dignis moribus non possunt approbari, congruum videtur tales quærere, qui in nullo debeant displicere. Atque ideo Tribuni Cartariorum suggestione competens, penes quam officii est digna reuerentia, ab illo die Cartarii te volumus nomen adipisci: vt qui nobis bene acturus promitteris, documentis laudabilibus approberis. Auaritiam declina; longius fuge iniqua compendia. Multo melius proficitur, si bonis moribus serviatur.

CXCIX. De Competitoribus.

Nescio quid grande de se videtur promittere, qui loca desiderat publica possidere. Hoc enim ita fieri decet, si res squalida in meliorem loci faciem transferatur, & revocetur ad ornatum, quod pridem videba-

videbatur iacere incultum. Atque ideo desideranti tibi illum locum proprietatis iure concedimus, præter æs, aut plumbum, vel marmora, si tamen ibi fuerint latere comperta. Age itaque, vt per te sumat decorem, quod neglectum* in Curia vetustate iacuerat. Quatenus boni ciuis laudem inuenire merearis, si faciem tuæ ciuitatis ornaueris: securus etiam ad posteros transmissurus, quod proprio fuerit labore compositum. Quia quanto firmius vnusquisque possidebit, tanto se auctoresque suos amplius expendisse probauerit.

*scribe, incuria.

CC. *De census diminutione.*

CVm de agri vtilitate viuatur, & omnibus inde certum sit iustum venire compendium, tributum illud possessionis in illa prouincia constitutæ, ita quereris onerosum, vt vniuersas tibi vorauerit facultates lacus ille vastissimus functionis: & quod aliunde magno labore potest colligi, per illam videatur assumi, cuius vtilitatem nimia transcendit illatio, dum plus compulsoribus redditur, quàm à sedulo præstetur. Quapropter credimus te euadere posse nuditatem, si dominium huius rebis amiseris, cui iugis sterilitas de compulsoribus venit: ne conditione miserabili seruias necessitati, cuius dominus esse metuisti. Sed quia hoc genus beneficii præstari mediocribus leges sacratissimæ censuerunt (vt qui pro vnius cespitis enormitate deprimitur, nec alterius commoditate subleuatur, moderatione habita ei debeat subueniri) magnitudinis nostræ, cui cordi est cogitare iustitiam, præsenti auctoritate decernimus, vt si ita est, tot Solidos tributario supradictæ possessionis datis præceptionibus ad eos, quorum interest, ita faciatis de vasariis publicis diligenter abradi, vt huius rei duplarum vestigium non debeat inveniri: sed per sæcula sine errore servetur, quod vna communi summa concluditur.

CCI. *De matrimonio consobrinorum per Principem legitimando.*

INstitutio diuinarum legum humano iuri ministrat exordium, quando in illis capitibus legitur præceptum, quæ duabus tabulis probantur adscripta. Sacer enim Moses, diuina institutione formatus, Israelitico populo inter alia definiuit, vt concubitus suos à vicinitate pii sanguinis abstinerent: ne & se, in proximitatem redeundo, polluerent, & dilationem providam in genus extraneum non haberent. Hoc prudentes viri sequentes exemplum, longius publicam obseruantiam posteris transmiserunt: reservantes principi tantum beneficium, consobrinis nuptiali copulatione iungendis. Intelligentes rarius posse præsumi, quod à principe iusserant postulari. Admiramur inventum, & temperiem rerum stupenda consideratione laudamus, hoc ad principis fuisse remissum iudicium. Vt qui populorum mores regebat, ipse & moderata concupiscentiæ frena laxaret. Et ideo supplicationum tuarum tenore permoti, si tibi illa tantum consobrini sanguinis vicinitate coniungitur, nec alio gradu proximior approbatis, matrimonio tuo decernimus esse sociandam, nullamque vobis exinde iubemus fieri quæstionem: quando & leges nostra permitti voluntate consentiunt, & vota vestra præsentis auctoritatis beneficio firmanerunt. Erunt vobis itaque, Deo fauente, posteri solenniter hæredes, castum matrimonium, gloriosa permixtio, quando quicquid à nobis fieri præcipitur, necesse est vt non culpis, sed laudibus applicetur.

CCII. *De prædiis sub decreto curiali vendendis.*

Theodoricus Rex Præfecto Prætorio.

PAtitur hoc improuida mortalium plerumque conditio, vt cum lædere putatur, consulat; & cum consulere videtur, affligat. Sed illud magis est eligendum, quod prodesse cognoscitur. Nam venena ipsa si iuuare probantur, accepta sunt. E contra refugienda est suauitas mellis, quæ inferre dignoscitur læsiones. Finis ergo sapientis est, amare quod expedit: sic nec igitur votum respicit, qui prodesse contendit. Prædia quidem Curialium non facile distrahi, prudens definivit Antiquitas: vt ad necessitates publicas melius* efficerent, si substantiæ iuuamina plus haberent. Sed in hac iterum parte prospexit, vt si apud vos ineluctabilis necessitas appareret, rerum suarum distractio subueniret. Nam quid prodest, si quispiam videtur idoneus, & fieri non possit à contractis nexibus absolutus? Egenti similis est, qui reddere nequit alienum, nec dici potest proprium, quod liberare dominum non videtur* additum. Sed quanuis hoc vestræ potestati fuerit legum auctoritate concessum, tamen ne quam xatissimi facti sustineretis inuidiam, illius municipis allegatione permoti, nos quoque eminentiæ vestræ præsenti iussione permittimus, vt aliquid veritate discussa, si aliter solui nequeunt, distracta ligamina prædii sui, quod propria voluntate delegerit, habeat licentiam distrahendi: ita vt reddat debitum, quod probatur esse contractum: ne vitio voracitatis imbutus, facultates suas absorbere, videatur esse permissus. Constet apud vos probabilis causa damnorum, quoniam illis volumus subueniri, qui duris necessitatibus probantur astringi: vtrunque enim potest esse culpabile, aut malis moribus frena laxare, aut iustas iterum querelas excludere. Quapropter prouida vobis permisit Antiquitas de illa causa decernere, cui est vtile Curiam custodire. A quibus enim munia poterunt sustineri, si civitatum nervi passim videantur abscidi?

*forte, sufficerent.

*additum mallim vel à debito.



CONSTITVTIONES ATHALARICI GOTHI REGIS ROMANORVM.

CONSTITVTIONES.

I.

De Electione Regis, iuramento eius Imperio præstando, & fidelitate Senatus populiq́, Romani, Regi facienda.

Athalaricus Rex Senatui Vrbis Romæ.

PLeoissimum gaudium constant esse P.C. cognoscere dominantis exortum: vt qui creditur vniuersos posse protegere, audiatur ad regni culmina peruenisse. Mensura lætitiæ de magnitudine nuntii venit, & tanta fit alacritas animi, quanta fuerit & consideratio rei. Nam si prudentes viros erigunt commoda prædicta sodalium, si amicorum relevat sospitas nuntiata, quanta exultatione suscipi debet, omnium rectorem feliciter prouenisse terrarum? Quem non protulit commota seditio, non bella feruentia pepererunt, non Reip. damna lucrata sunt: sed sic factus est per quietem, quemadmodum vcoire decuit ciuilitatis auctorem. Magnum profectu fidelitatis genus, obtinere sine contentionib. principatum, & in illa Repub. adolescentem dominum fieri, vbi multos constat maturis moribus inueniri. Non enim potest cuilibet ætati deesse consilium, vbi tot parentes publicos constat inuentos. Prælata est ergo spes nostra cunctorum meritis, & certius fuit de nobis credi, quàm quod de aliis potuit approbari: non iniuria, quomodo quævis claritas generis à malis cedit, & sicut qui ex vobis nascitur, origo senatoria nuncupatur, ita qui ex hac familia progreditur, regno dignissimus approbatur. Probata sunt præsenti facto, quæ loquimur. Nam cum domni aui nostri pro beneficiorum quantitate dulcissima nobis recordano vrgeretur extremis, magnitudinem dominationis suæ tanta in nobis celeritate transfudit, ut non tam regnum quàm vestem crederes esse mutatam. Tot proceres manu consilioq; gloriosi nullum murmur, vt assolet, miscuerunt, sed ita cum magno gaudio secuti sunt principis sui iudicia, ut voluntatem ibi potius agnosceres confluxisse diuinam Quapropter necessarium duximus, propitio Deo, de ortu regni nostri vos facere certiores. Quia dilatatum tamq; mutatum videtur imperium, cum transit ad posteros. Nam quodammodo ipse putatur viuere, cuius nobis progenies cognoscitur imperare. Hæc habuerunt vestra vota, hæc illius fuit indubitata sententia, vt heredem bonorum suorum relinqueret, qui beneficia eius in vobis possit augere. Amore principum constat inuentum, vt simulachris æneis fides seruaretur imaginis: quatenus ventura progenies auctorem videret, qui ubi Rempub. multis beneficiis obligasset. Sed quanto verior est, qui viuit in posteris? per quos plerunq; & forma corporis redditur, & vigor animi protelatur. Et ideo nobilitatis vestræ fidem maiore nunc studio ostendit: quatenus & priora munera meritis videantur esse collata, & futura indubitanter eis præstemus, quos præteritorum immemores fuisse minimè sensetimus. Noueritis etiam diuina prouidentia fuisse dispositum, vt Gothorum Romanorumq; nobis generalis consensus accederet, & voluntatem suam, quam puris pectorib. offerebant, iuris etiam iurandi religione firmarent. Quod vos secuturos esse minimè dubitamus, tempore, non amore, nam à vobis potuit inchoari, quod præuenti longinquitate sequimini. Constat enim excellentissimos patres tanto amplius posse diligere, quanto maiores honores à cæteris ordinibus visi sunt accepisse. Sed vt primordia nostra, & circa vos benignitatem possitis agnoscere (quia decet Curiam vestram beneficiis introire) illustrem Sigismerem, Comitem nostrum, vobis cum his qui directi sunt, fecimus sacramenta præstare. Quia inviolabiliter servare cupimus, quod publica auctoritate promittimus. Si qua autem à nobis postulanda creditis, quæ vestræ securitatis incrementa multiplicent, indubitanter petite, commoniti, quos ad fundendas preces nos etiam videmur hortati. Promissio potius est ista, quàm commonitio. Nam qui reverendum Senatum supplicare præcipit, quod impetrare possit nihilominus compromisit. Nunc vestrum est, tale aliquid sperare, quod communem Rempubl. possit augere.

II. *Super eodem.*

Athalaricus Rex Populo Romano.

SI vos externus heres imperii suscepisset, dubitare forsitan poteratis, ne quos prior dilexerat, in videndo subsequens non amaret: quia nescio quo pacto cum successor amplius laudari nititur, præcedentis fama * lætatur. Nunc vero persona tantum, non est autem vobis gratia commutata: quando rectè vobiscum agi credimus, si auis veneranda † iudicia subsequamur. Nostræ siquidem opinionis interest, vt quos ille benignissime tuitus est, nos etiam statuta constantia copia & beneficiorum vbertate pascamus. Minus cogitant, qui obscuris princip. & versatis in mediocri † natione succedunt. Nos talis præcessit, vt ex quisitis virtutib. eius sequi vestigia debeamus. Quapropter, auspice Deo, dictum sit, gloriosi † domni aui nostri ita vobis nuntiamus ordinatione dispositū, vt Gothorū Romanorumq; in regnum nostrum suauissimus consensus accederet: & ne aduersis reb. aliqua possit † remanere suspicio, vota sua sacramen-

* leg. læ- datur
† vestigia.
† Forte, a- ctione.
† domini.
† remeare.

cramentorum interpositione firmarunt, se domicatum nostrum tanto gaudio subire, tanquam si vel illis domous auus noster fatali sorte non videretur subtractus: oe solis linguis, sed etiam imis pectoribus, probarentur esse devoti: quod si vos, vt opioamur, libenti animo similia fecentis, harum portitores sub obtestatiooe diuioa vobis fecimus polliceri, iustitiam nos & æquabilem clementiam, quæ populos nutrit, iuuante domino, custodire & Gothis Romaoisque apod nos ios esse commune, nec aliud inter vos esse diuisum, oisi qood illi labores bellicos pro commu ui otilitate subeunt: vos autem ciuitatis Romanæ habitatio quieta multiplicat. Ecce ad coodictionem clementissimam sacramenti inclinando oostrum euexímus priocipatum: vt oihil dubium, nihil formidolosum populi babere possint, quos beatus nostet auctot enutrioit. Ecce Traiani vestri clarum sæcolis reparamus exemplum. Iurat vobis, per quem iutatis? oec potest ab illo quisquam falli, quo inuocato oon licet impune mentiri. Erigite nunc aoimos, & Deo propitio, meliora semper optate: vt sicut à caritate potestatem regiam inchoauimus, ita tranquillitatem, Deo placitam, sequentibus temporibus exequamor. Rex populo & vicissim populus Regi iurat.

III. Super eodem.

Athalaricus Rex vniuersis Romanis per Italiam & Dalmatias constitutis.

HOnorabile credimos, indicare qood fama pôtuistis teste cognoscere. Iore siquidem de se bene arbitrabitur æstimatum, qui regium meretur alloquium: quia dignitas est subiecti, affatus meruisse dominantis, in ea præsertim causa, in qua omnium corda sic videntur esse solicita. vt si noo cognoscant prosperum, credaot semper adversum. Nam qui audit mutatum, oouum nihilominos formidat imperium. Et re vera nescio quid triste creditur cogitare, qui tardat inter initia benigna promittere. Quapropter locum sinistris cogitationibus amputantes, alter de oobis non patimur credi, quam quod de nostris potuit parentibus æstimari. Et ideo, quod Diuinitate propitia dictum sit, glorioso domoo auo nostro feliciter ordinante, tam Gothorum quam Romanorum præsentium pro munimine indepti regni sacramenta suscepimus: quod vos quoque facturos esse libentissime, iudicamus: vt qui fideles pareotibns nostris extitistis, vobis quoque simili deuotione pateatis. Suauius enim diligit heredem, qui beneficiorum recordatur auctorem. Sed vt vobis beoevolentiæ nostræ iam oonc integritas innotescat, iorisiurandi vobis fecimus teligiooe promitti, quod & oostrum possit declarate propositum, & spem debeat munire cunctorum. Regni sacramenta.

IV. Super eodem.

Athalaricus Rex vniuersis Gothis per Italiam constitutis.

VOluissemus quidem domni avi oostri longæuæ vitæ gaudia ounciare: sed quooiam diligentibus dura conditione subtractus est, oos heredes regoi sui, Deo sibi imperante, substituit: vt successione sanguinis sui beneficia, vobis à se collata, faceret esse perpetua: dum nos illa & augere & toeri cupimus, quæ ab illo facta esse cognoscimus. Cuius ordinationi adhuc eo superstite io regia cioitate ita sacramenti interpositione cunctorum vota sociata sunt, vt vnum crederes promittere, qood generalitas videbatur optare. Hoc vos sequentes exemplum, pari deuotiooe peragite: ne quid à præsentibos minus fecisse videamini, à quibus creditur torum similiter posse compleri. Illom vero Comitem vobis fecimus iurata voce promittere, vt sicut nobis vestrum animum deuotissime proditis, sic optata de nostris sensibus audiatis. Recipite itaque prosperum vobis semper oomen. Amalorum regalem prosapiam, balbteum getmen, infantiam purpuratam: per quos, Deo iouante, parentes nostri decenter euecti sunt, & ioter tam prolixum ordinem Regum susceperunt semper augmenta. Credimus enim de dioinitate propitia, quæ maiores nostros dignanter audiuuit, oune quoque gtatiam suæ dignationis impendere, vt & nobis regnaotibus bonarum rerum fructus dulcissimos afferatis, qui sub nostris parentibus copiosa virtutum laude floruistis.

V. De inducendis deuotis Regni ad fidelitatem seruandam.

Athalaricus Rex Præfecto Prætorio Galliarum.

SCimus, animom vestrum de obitu gloriosæ memoriæ domini aoi nostri acerbo dolore fatigari; dum omnia bona graviter defleantur amissa. Plus enim quæritur, dum dominus desiderabilis abrogatur. Expedit autem studio pietatis, afflictam mentem compensatiuo remedio consolari: quia vix sentitur amissus, cui noo succedit extraneus. Sic enim, Deo sibi imperante, prospexit, dum esset & post fata prouidus, vt regiooibus suis pacem relinqueret, ne aliqua nouitas quieta turbaret. Io sellam regni sui nos dominos collocauit, quatenus decus generis, quod in illo floruit, in successores protinus æquali luce radiaret. Cui ordinationi Gothorum Romanorumque desideria cooveneruot: vt sub iurisiurandi religione promitterent fidem se regno nostro deuoto animo seruaturos. Quod ad illostris magnitudinis vestræ notitiam credimus perferendum: vt ab his, qui in Galliis regno pietatis nostræ devoti sunt, simile proferatur exemplom. Et sicut animos nostros circa se minores ooo desiderant effici, ita pari conditione teneantur astricti.

VI. De mutuo iureiurando regi præstando.

Athalaricus Rex vniuersis prouincialibus per Galliam constitutis.

LIcet gloriosæ memoriæ domni aui nostri pro excellentibus meritis tristis videatur occasus, tamen quia ille humana conditione decubuit, ad cootinoandam gubernatiooem, quã singulariter gesserat,

nos

nos reliquit, ne damnum boni principis sentiretis, cuius vobis noscitur regnare progenies. Nullus enim epud nos perdit, qui illi paruit: sed duplici largitate munifici, & illius debita reddimus, & futuris obsequiis beneficia ingenita pietate mutuamus. Atque ideo fidem pristinam maiori nune vos convenit devotione monstrare: quia beneprospicit rebus futuris, qui regnantium seruit initus, dum ipse & in reliquum perseverare creditur, qui primordia fouere sentitur. Indicamus autem, fauore diuino, enm ad regni culmina perueniremus, omnia nobis sic felicia, sic tranquilla cessisse, vt vnum loqui crederes, quod generalitas insonabat: nec putaretur humanum, quod tot vota ingentium populorum nihil probata sunt habere contrarium. Vnde vos quoque prædicta convenit imitari, vt Gothi Romanis præbeant iusiurandum, & Romani Gothis sacramento confirment, se vnanimiter regno nostro esse deuotos. Quatenus & nobis vestra syncertitas laudabiliter innotescat, & ad quietem vestram proficiat innicem promissa concordia. Et inter vos legalis missa tranquillitas: potior minori non sit infestus. Habetote animnm pacatum, qui bellum non habetis externum. Quia primum inde nobis placere poteritis, si vobis hac tatione proficiatis.

VII. De Episcoporum concordia & fide Imperio servanda.

Athalaricus Rex Victorino viro venerabili Episcopo.

DE fide atque constantia tales sunt commonendæ personæ, quæ desideriis humanis diuersa sorte quatiuntur. Vos autem, quos sapientia firmos efficit, & mens religiosa consolidat, ad prouincialium potius convenit adunatiooes animari. Quia iuste debitor fit alieni arbitrii, qui à pluribus meretur audiri. Quapropter salutantes veneratione, qua dignum est, quod vobis quidem mærorem possit indicere, transitum gloriosæ memoriæ dumini aui nostri cum dolore maximo nuntiamus. Sed inde porest vestra tristitia temperari, quia nos in sede regni sui, diuinitate propitia, collocauit: vt in totum desiderio vestro non videatur ereptus, qui vobis consurgit in successione reparatus, Fauete nunc orationibus sacris, nostris libenter auspiciis: vt Rex cœlestis humana nobis regna confirmet: gentes externas atterat: peccata absolvat: consolidet & conservet propitius, quod parentibus nostris dignatus est præstare gloriosus. Quapropter sanctitas vestra prouinciales cunctos admoneat, vt inter se concordiam habentes, regno nostro per omnia debeant esse putissimi. Cupimus enim in subiectis fidem reperiri, quam larga possimus pietate munerari.

VIII. De Honore Patriciatus.

Athalaricus Rex Tolonico viro patritio.

LIcet ad regendos populos idoneos efficiant*, quos ad augustum colmen diuina prouexerint (quando nec ætas impedit, vbi sese potentia cœlestis infundit) tamen ad relevandam florentissimæ nostræ ætatis solicitudinem, visum est te virum prudentissimum conuenieoter adhibere, quem constat etiam domini aui nostri tractatibus iugiter & laudabilitet adhæsisse. Quod si dignum fuit, hoc ilium talem tantumque facere, quanto magis nobis conuenit solatium quærere, quod pro adolescentiæ flore decenter adhuc ne possumus indigere? Magna est enim iofinitaque prudentia, quam nemo sic assequitur, vt eam non necessarie, & per alios quærere videatur. Senes ipsi consilius sapientiam discunt, & à matutis in commune quæritur, quod pto omnium vtilitate tractatur. Solatium curarum frequenter sibi adhibent maturi Reges, & hinc meliores æstimantur, si soli omnia non præsumunt. Quod si longæui domini subiectorum ingeniis adiuuantur, consulte relaxamus ætatis nostræ brenes ferias, vt suis incremeutis deuota prosperius robustior ad imperii pondera sustinenda consurgat. Atque ideò te, cum fauore diuino, suggestu præsentalis Patritiatus evehimus · vt pro Repub. nostra tractantem sedis celsa sublimet. Ne sententia salutaris, cui decet humiliter parere, à loco videatur venisse communi. Hic est bonor, qui & atmis conuenit, & in pace resplendet. Hunc illa diues Græcia, quæ multa gloriosissimo domino auo nostro debuit, gratificata persoluit: velanit fortes humeros chlamydum vestis: pinxit suta setis calceus iste Romanus: & dignitatem visus est accipere, quod se cognoscebat assumete per honorem. Crescebat visendi studium Eois populis heroem nostrum, dum nescio quo pacto in eum, qui belliensus esse creditur, ciuilia plus amantur. Hae igitur bonoris remuneratione contentus, pro exteris partibus indefessa deuotione laborauit: & præstare cum suis patentibus principi dignabatur obsequium, qui tantnrum Regum fuerat stirpe procreatus. Sic se magnorum beneficia sempet extollunt: vt & qnibus imperare nequeunt, iura venerationis imponant. Diligit omnis morem mens sui prouectus semper auctorem: & mortalitatis iura nesciunt, qui beneficiis non tenentnt. Sed longum est, de eius gloria sufficienter loqui, quem singularem gentibus sæcula fœcunda genuetunt. Ipsius te labor instituit, vt nos minus laborare debeamus. Tecum pacis certa, tecum belli dubia conferebat: &, quod apud sapientes Reges singnlare munus est, ille solicitus ad omnia secure tibi pectoris pandebat arcana. Tu tamen nullos responsis ludebas ambiguis. Amasti in audiendo patientiam, in suggestinne veritatem: sæpe quæ ad eum falso peruenerant, recti studio corrigebas, &, quod rarum confidentiæ genus est, interdum resistebas contra vota principis, sed pto opinione rectoris. Patiebatur enim inuictus ille prælils pro sua fama superari, & dulcis erat iusto principi rationabilis contrarietas obsequentis. Ama nunc sublimior iustitiam, quam seruiens diligebas. Ostende te illius esse discipulum, qui nunquam laborauit incassum, iunctus Amalo generi, nobilissima tibi facta consortia. Omne siquidem bonum regia suadere debet affinitas. Acturus est consueta prudentia, vt laude morum fastigium contigisse videaris excelsum. Extat gentis Gothicæ huius probita-

tis

tis exemplum, Gensimundus ille toto Orbe cantabilis: solum armis filius factus, tanta se Amalis deuotione coniuaxit, vt heredibus eorum curiosum eahibuerit famulatum, quamnis ipsa peteretur ad regnum. Impendebat aliis meritum suum, & moderatissimus omnium, quod ipsi conferri poterat, ille paruulis exhibeat. Atque ideo eum nostrorum fama concelebrat. Viuit sempat relationibus, qui quandoque motitura contempsit. Sic quandiu nomen superest Gothorum, fertut aius cunctorum attestatione præconium. Vnde fas est de ta meliora credera, quem nostri constat generis affinitate gaudere.

IX. De Quæsturæ dignitate.

Athalarius Rex Ambrosio viro Quæstori.

SEcurus excelsa conscendit, qui se in paulo minoribus approbauit: & certo procedit vestigio, qui gradatim desiderio potitur accepto. Sine merito siquidem remnueratum putatur omue, qnod subitum est: nec inexplorati suspicionem refugit, quod repeate prouenerit. Contra, omnia deliberata sunt robusta: & totum bonis actibus obtinuisse creditur, qui post documenta laudatæ militiæ promouetur: dum inter gymoasia literarum adscitus ab illo inspectore meritorum, qui iudiciis suis etiam futura prædicebat, Priuatarum Largitionum fascibus præfuisti: suscipieus patrocinium meritorum, ita gratiam dominantis auxisti, vt tibi sæpe committeretur, quod dignitas non habebat. Quod si laudabile est, vel mediocribus esse honoribus parem, quanto præstantius vicisse moribus aulicam dignitatem? Hæc cum tu sub tanto Indice laudata perageres, gratiam quoque loci alterius inuenisti. Dictationibus enim probatis adhibitus, cum sit offentionibus alter expulsus: & ita suspensum hoooren tuum sustinebat ingeniom, vt palatio non fioeres deesse indicem, cuius ad tempus abrogatam cognouimus dignitatem. Non sunt imparia tempora nostra transactis. Habemus sequaces æmulosq; priscorum. Ecce iteram ad Quæsturam cum immeuso venit ingenio. Redde uunc Plinium, & sume Traianum. Habes magna, quæ dieas, si & tu simili oratione resplendeas. Fama temporum de legitima atque eloquanti iussione generatur. Omuia siquidem bona cumulat lingua diserta: & qnod à nobis præcipitur, gratia dictantis ornatur. Esto nobis ad bona soggerenda promptissimus, & aduersus improbitatem male præsumentium constanter erectus. Dicet iam auribus nostris, quod est omnino pro nobis: Bonus princeps ille est, cui licet pro iustitia loqui: & contra tyrannicæ feritatis indicium, aut dire nolle coustituta veterum sanctionum. Renouamus certe dictum, illud celeberrimum Traiani: *Sume dictationem, si bonus fuero, pro Republ. & me: si malus, pro Republ. in me.* Sed vide, quid à te quæramus, quando oec nobis aliquid iniustum licere permittimus. Decreta erga nostra priscorum tesone ut constituta: quæ tantam suauitatem laudis inueniunt, quantum saporem vetustatis assumunt. Præiudicia, quæ nos hortemus, in aliis non amamus. Obligamns te certe generalitati, dum absolute præcipimus iura seruari. Quod ideo nunc dicimus, vt opportune omnibus in te consuluisse videamur. Decet enim præmonere, ne te iam tardius post aliena pericula videamut velle corrigere. Bonorum exempla sequere, & nobilitatis tuæ memor lucede. Illi digne ad vitia generis sui redeunt, qui contempribili stirpe nascuntur. His igitur in bonum publicum prædictis, per quintam feliciter Indictionem Quæsturæ tibi insignia, Deo præstante, concedimus: honorem prudentium, fontem omnium dignitatum: quando exinde procedit, qood indulgentiæ nostræ largitate manauerit. Age, vt qui ad consilium nostrum asciseeris, prudentia cunctis & grauitate præeminere noscaris. Nam quid tibi conueniat, vides. Vox legum dicens, dum nos iura condimus. Incumbe nunc probitati vel fidei. Vt sicut te prior honor dignum fecit alteri, ita secundus tertiæ faciat dignitati. Vox legum.

X. De electione Romani Pontificis.

Athalaricus Rex Senatui vrbis Romæ.

GRatissimum nostro profitemur animo, quod gloriosi domini aui nostri respondistis in episcopatus electione iudicio. Oportebat eaim arbitrio boni principis obediri, qui sapienti deliberatione pertractans, quamuis in aliena religione, talem visus est pontificem delegisse, vt nulli merito debeat displicere: vt agnoscatis illum hoc optasse præcipue, quatenus bonis sacerdotibus Ecclesiarum omnium religio pullolaret. Recepistis itaque virum, & diuina gratia probabiliter institutum, & regali examinatione laudatum. Nullus adhuc pristina contentione teneatur. Pudorem non habet victi, cuius votum contingit à principe superari. Ille quinimo suum efficit, qui eum sub puritate dixerit. Nam quæ sit causa doloris, quando hoc & in isto reperit, quod alteri in partem ductus optauerit? Crioea sunt ista certamina, pugna sine ferro, rixa sine odio, clamoribus non doloribus res ista peragitur. Nam etsi persona summota sit, nihil tamen à fidelibus amittitur, cum optatum sacerdotium possidetur. Quapropter redeunte Legato vestro illustri viro Publiano, rationabile duximus ad cœtum vestrum salutationis apices destinare. Magna enim iucnnditate perfruimur, quoties eum nostris proceribus verba miscemus. Et boc quoque suauissimum vobis minime dubitamus, si quod illius fecistis imperio, nobis etiam cognoscitis esse gratiosum. Theodorici constitutio de electione Pontificis.

XI. De officio Quæstoris.

Athalaricus Rex Felici v. i. Quæstori.

PRofessionem constat esse iustitiæ, legum peritos Indices ordinare: quia vix potest negligere, qui nouit æquitatem: nec facile erroris vitio sordescit, quem doctrina purgauerit. Dudum te forensibus negotiis insudantem oculus imperialis aspexit: nec latere potuit, qua fide suscepta peregeris, qua luculenta

tractas-

tractata peroraueris, ex quo gradu eloquentia tua atque conscientia pariter incedebant, nullus susceptus, quod amplius desideraret, habuit, nullus iudicum, quod in te corrigere posset, invenit. Accessit enim venustas oris, & castitas animi. Iuuenem te solus decor ostendit, ab ore primæuo cana verba manauerunt. Contendit flos ætatis, & maturitas mentis: sed potius illa superauit, quæ nos ad virtutum gradus gloriamque perducit. Quapropter aptamus munera nomini & meritis tuis: vt arcana regia fideliter accipias, vt vir eloquens literatam reperias dignitatem. Nunc causas gloriosas iudicas, quas laudabiliter perorabas. Assideat tibi propria & exercitata doctrina. Modò est felix & certa conditio negotiorum: quando ille sententiam dicit, qui non potest ignorare quod eligit. Non enim decet, Iudicem ministrum esse voluntatis alterius, vt magis alteri pareat, cui tot milites obsecundant. Certe si in aliis tolerandum vtcunque, nimis in Quæstore pudendum est, vt qui eligitur ad Principis consilium, solatium expectet alienum. Et ideo, quod Deo auspice dictum sit, per sextam Indictionem Quæsturæ tibi conferimus dignitatem. Sed tuus honor imperitis opprobrium est. Nam sicut conscientia læta est, quæ prouehitur meritis: ita sub reatu iacet, qui se imparem cognoscit muneribus consecutis. Habes priscos viros, quos te deceat imitari. Præcede fama, quem sequeris dignitate. Nam si te priuata vita virtutibus exercuit, quanto melius prouecta declarabit? Sumpsisti nomen ex meritis: custodit vt semper læteris veritate vocabuli. Nam enim omnis appellatio ad declarandas res videatur imposita, nimis absurdum est, portare nomen alienum, & aliud dici, quàm possit in moribus inueniri. Verum hæc bonæ conscientiæ dicta sufficiant: quia dubitari de illo creditur, qui plurimis admonetur.

XII. De officio Præfecti Prætorio.

Athalaricus Rex Albieno v. I. Præfecto Prætorio.

ASsertio meritorum est, potuisse eligi post improbitatem Iudicis accusari: quando excessus præcedentium non corrigitur, nisi cum successor optimus inuenitur. Contrarius rebus plerumque medicina succedit. Nam dum calor vitalis adhibitus fuerit, frigus pestiferum tunc recedit. Nubila ipsa ventorum spiratione terguntur, & Aquilo faciem cœli tranquillam reddit, quam australis aura turbauerit. Sic nos decessorem tuum summouimus amore generalitatis, vt tu saluberrimus aduenires. Contraria prioribus imitare, & laudanda peregisti. Ille calumniis odiosus, tu stude vt iustitia reddaris acceptus. Rapax ille, tu continens. Bonorum omnium breuis est definitio, vitare quæ fecit: quoniam verè laudanda sunt, quæ suo iudicio comprobauit. Respice denique in illo odium publicum, & tu amorem affectare cunctorum. Tanti tuis moribus gratias agant, quanti illius acerbitatem actionis accusant. Animare igitur dedecore præcedentis: quando post illum professæ malitiæ virum, vel à malis abstinuisse laudabile est. Nam quale erit, si beneficia prouinciis tribuas, quæ hactenus non habebant? Bonum insolitum plus amatur, & sequenti gaudio confert dulcedinem temporum præmissa tristitia. Atque ideo Præfecturæ tibi fasces per sextam feliciter Indictionem, Deo auxiliante, conferimus: quæ quanto fuit hactenus læsione terribilis, tantum misericordiæ habere debet. Beneficia lenitatis, siquidem sauciata, tua cura reformanda sunt. Non tuis, non alienis manibus quisquam grauetur. Nam vltra omnes impietates est nocere læsos, qui sanare creditur vulneratos. Redeat ad nomen antiquum Præfectura illa Prætorii, toto orbe laudabilis. Cuius si principium quæramus, per Ioseph à beneficiis inchoauit: nec immerito à legibus nostris pater prouinciarum, pater etiam prædicatur imperii: quia sic iuste, sic prouide agi voluerunt, vt non districtum Iudicis nomen, sed vocabulum illi pietatis imponerent. Iustis ac debitis compendiis nostrum per te crescat ærarium. Lucra renuimus, quæ legum cauta profanant. Pecunias illas volumus, quibus libra iustitiæ suffragatur. Aedes nostras nequitiam non patimur introire: quia nec priuata intromittere possumus, quàm publica voce damnamus. Audite Iudices, quid amemus: nolite in malum publicum suspicari. Nam cui vos per iniquas prouisiones creditis esse placituros, cum nos cognoscatis sola illa diligere, quæ possunt iustitiæ monitis conuenire? Vestris iam moribus peccatis, si post ista delinquitis. Sed illi forte talia gesserunt, qui ad dignitates suis parentibus incognitas peruenerunt: tu post patris Præfecturam laudabilem, aliquid, quod melius prædicetur, adiunge: quia diligentior semper esse debet, qui sequitur: dum bona parentum probabiliter & imitari cupimus, & vincere festinamus. Accedit etiam tuis laudibus, quod dictis prudentum probaris imbutus. Grave est sapienti offendere, vbi alterum reperit incidisse. Ius forte prætereat, qui iura nescivit: totum à te legitimum quæritur, cuius origo indocta fuisse nescitur. Aequales tibi sunt libri Veterum, & actiones parentum. Præsta opinioni tuæ, præsta nostro iudicio, vt impar non si meritis, quorum æquasti per nostra beneficia dignitates.

XIII. De dignitate Patricia.

Athalarius Rex Cypriano vir patritio.

LIcet propriis frequenter honoribus, & germani tui fueris dignitate laudatus, tamen quia natura bonorum non expeditur eum refertur, quasi ad iudicium reuertimur, de quo iam præconia multa sonuerunt. Testificatum est de te, quicquid de fidelibus, quicquid de benemeritis debuit æstimari. Sed digne laudum cum voluerit nouitates emittit, qui se actionis probitate compleuit. Natura perennis fontis est gloriæ vena laudabilis: Nam sicut ille fluendo non expenditur, sic nec ista celebri sermone siccatur. Quod etsi transacta taceantur, noua probaris suggerere quæ dicantur, qui cum ætate crescis semper & meritis. Cursus annorum laudis tibi procurat augmentum. Senescis quidem corpore,

pore, sed laude iuuenescis. Merito tibi prolixior ætas optatur, in quâ fama semper robustior inuenitur. Habuisti sub divæ memoriæ domino auo nostro in vtraque parte laudatas semper excubias. Vidit te adhuc gentilis Danubius bellatorem: non te terruit Bulgarum globus, quietiam nostris erat præsumptione certaminis obstaturus. Peculiare tibi fuit, & renitentes Barbaros aggredi, & conuersos terrore sectari. Sic victoriam Gothorum non tam numero, quam labore iuuisti. Postea vero, quod non minus ipsis certaminibus fuit, Referendarii officium laboriosis contentionibus exhibebas. Fuerunt enim apud illum virtutum omnium virum exercitualia vel pacata seruitia. Quis enim non ageret bellum, qui illi potuit competens exhibere responsum? qui tantam firmitatem animi semper exegit, tantam verborum in asserenda veritate constantiam, vt merito se vicisse diceret hostem, qui illo præsente vitare valuisset errorem. Hinc fuit, quod eius obsequia reddiderunt prudentes. Quia cautela semper adhibita erigit sensum: & dum culpam quis formidat incurrere, sapientibus se nititur aggregare. Contulit etiam dignitatem sacrarum Largitionum, hoc est, laborum tuorum aptissimum munus: quam sic casta, sic moderatamente peregisti, vt maiora tibi deberi faceres, quamuis eam in magna præmia susceperis. Per hæc te florida iuuentus exercuit, sed nostris temporibus ætas matura seruauit. Consilio quidem plurimum vales, nec fractus tamen ætate cognosceris. Sic enim adeptus es senectutis bona, vt eius non subires incommoda. Hæc sunt, quæ in te æstimamus augenda: vt sicut es conscientia præditus, reddaris quoque honore reuerendus. Sunt enim beneficiis nostris consentanea & vitæ superna iudicia; quando talium filiorum patet effectus, natura ipsa videris esse Patritius. Quorum bona vernantia non est absurdum referri, quoniam educantium felicior laus est, de filiorum probitate laudari. Primum quod non minimæ laudis præstat initium, infantia eorum nota est palatio. Sic fœtus tui more aquilæ se probantes, regales oculos ab ipsis pene cunabulis pertulerunt. Relucent etiam gratia gentili, nec cessant armorum imbui fortibus institutis. Pueri stirpis Romanæ nostra lingua loquuntur: eximie indicantes, exhibere se nobis futuram fidem, quorum iam videntur affectasse sermonem. Habemus vnde tibi felix pater præmium debeat referri, qui & filiorum tuorum nobis animos obtulisti. Quapropter multis laboribus, multaque fide & constantia comprobato, Patritiatus tibi, Deo auspice, conferimus dignitatem: honorem siquidem celsum, sed qui tuis meritis probetur esse æqualis. Fruere igitur probatissimis institutis: vt eum bona tua geminaueris, nostris interim beneficiis augearis.

XIV. De bonis maternis hæredis dominio vendicandis.

Athalarius Rex Senatui Vrbis Romæ.

SI fauore vestro dignus est, qui vel semel regale potuit impetrare iudicium, quid P. C. vir magnificus merebitur Cyprianus? qui vobis toties gratior debet effici, quoties à nobis dignitates acceperit. Certantes in stadio numerosior corona glorificat: olympicos currus frequens palma nobilitat: sic vel in leuibus rebus gloriosior efficitur, cui frequenter præmia referuntur. De primo denique profectu potest esse cunctatio: dum multi fallunt principis animum: quando facile est illudere, cui semper votum est præstitisse. Sed talem mentis exhibuit constantiam, tantum bonorum habuit propositum, vt semper in se prouocauerit regium munus. Hæc est certa gloria, hæc indubitata sententia, frequenter potuisse mereri, per quod homines constat ornari. Hos etiam intrare in nostram Curiam decet, qui ad primos honores non expendunt meritum suum, sed cum magna susceperint, iterum maiora promerentur. Ornant quoque tales & nostra iudicia: quoniam bene prius electus creditur, qui sæpius approbatur. Natura ipsa bonis adhibita perseuerantia pretiatur: quia minus est laudanda incipere quam bonorum propositum custodire. Similes habuistis olim P. C. Decios, similes vetustas prædicat fuisse Coruinos. Neque enim hic vir, de quo nobis sermo est, nostrum sibi tantummodo conciliauit arbitrium: ab vno quippe principe prouehi, videtur forte gratiosum: nam & sub altero meruisse prouectum, apud vtrosque integrum constat fuisse iudicium. Cunctos ergo sequaces habet, qui aliquid ex veritate decreuit. Hunc prouectus sui auctorem meruit, vt nos augmentatores dignissime reperiret. Ille in eum fundamenta posuit bonorum, nos culmen construximus dignitatum. Et ideo P. C. tot laborib. tot laudibus clarificato, illustri viro Cypriano, suggestum quoque Patritiatus addidimus: ne maior esset meritis suis, quam honoribus nostris. Fauete nunc collegæ, quem sæpe decorastis extranei. Securus ad vos redit, qui iam honores suos in libertatis aula reposuit. Habet etiam, vnde nobis reddatur acceptior: quando tales Curiæ vestræ alumnos protulit, de quibus quamuis auidus pater, tamen propria vota superantur, non infantia trepidos, non ad respondendum, ut licebat, ignaros. Variis linguis loquuntur egregie, maturis viris communione miscentur. Sic cum nobis noti sunt, in ipso ætatis primordio adolescentiam transierunt. Præstet diuina maiestas, vt sicut de patre eorum munificentiæ nomen extulimus, sic & in eis pietatis nostræ titulos augeamus.

XV. Super eodem.

Athalaricus Rex Bergantino viro illustri Comiti patrimonii.

LIcet munificentiam Regis quotidie deceat cum Sole relucere & iugiter aliquid facere, quo possit largitas principis apparere: hinc tamen conscientiæ debitum soluitur, quoties parentibus sub æquitate præstratur. Lucrantur principes dona sua, & hoc vere thesauris reponimus, quod famæ commodis applicamus. Absit enim, vt negemus affini, quod solemus custodite subiectis: quando qui nobis sanguine coniungitur, plus meretur, nec fraudari potest proprio desiderio, qui militat

ſub Iudice gratioſo. Atque ideo illuſtrem magnitudinem tuam præcelſo atq; ampliſſimo viro Theodahado maſſas ſubter annexas, tot ſolidos penſitantes, ex patrimonio quondam magnificæ fœminæ matris ipſius præcipimus reformari, eius feliciter dominio pleniſſime vendicandas, cuius ſucceſſionis integrum ius in ea qua præcipimus parte largimur. De cuius fide ac ſinceritate præſumimus, vt ſequenti tempore reliqua ſupra memorati patrimonii omni adiecta quantitate mereatur. Quid enim tali viro negare poſſimus, qui etiam meliora ſuis obtinere poſſit obſequiis, vel ſi non probaretur affinis? ir, quem nobilitatis ſuæ nulla inflat elatio, modeſtia humilis, prudentia ſemper æqualis, quid à nobis mereatur intendite: quoniam ad gloriam noſtram trahimus, qui eum proximum confitemus. Quapropter æquiſſimæ iuſſioni opera nauanter impendite, directiſque ſedis veſtræ Cartariis deſignatas maſſas actoribus eius, ſine aliqua dilatione contradite. Vt ſumma nobis caritate ſociatus, gratiæ præſentis muneris reddatur acceptior.

XVI. De Sacerdote reo, & ad quos ſint remittendi.

Athalaricus Rex Clero eccleſiæ Romanæ.

TAnto diuinitati plurima debemus, quanto à cæteris mortalibus maiora ſuſcepimus. Nam quid ſimile rependat Deo, qui potitur Imperio? Sed licet pro tanto munere nihil compenſari poſſie idonee: ipſi tamen gratia redditur, dum in ſeruientibus honoratur. Itaque flebili aditione cauſamini, hoc fuiſſe longæ conſuetudinis inſtitutum, vt ſi quis ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſeruientem aliqua crederet actione pulſandum, ad ſupradictæ ciuitatis antiſtitem negocium ſuum dicturus occurreret, ne clerus veſter forenſibus litibus profanatus, negociis potius ſæcularibus occupetur: addentes, diaconum quoq; veſtrum ad contumeliam religionis tanta executionis acerbitate compulſum, vt Saius eum propriæ cuſtodiæ crederet mancipandum. Presbyterum quinetiam Romanæ Eccleſiæ pro leuibus cauſis, aſſeritis, criminaliter impetitum. Quod nobis pro ingenita reverentia, quam noſtro debemus auctori, diſplicuiſſe profitemur, vt qui pridem ſacris meruerant inſervire miniſteriis, conuentionibus irreuerenter nefariis expoſiti iniuriis ſubiacerent. Sed aliorum plectenda ſubreptio nobis obtulit pleniſſimæ laudis euentum: vt cauſa contingeret præſtandi, quæ nos cœleſtibus commendaret auxiliis. Atque ideo conſiderantes Apoſtolicæ ſedis honorem, & conſulentes deſideriis ſupplicantium, præſentia auctoritate moderato ordine definimus, vt ſi quiſpiam ad Romanum clerum aliquem pertinentem, in qualibet cauſa probabili crediderit actione pulſandum, ad beatiſſimi Papæ iudicium prius conveniat audiendus. Vt aut ipſe inter vtroſque more ſuæ ſanctitatis agnoſcat, aut cauſam deleget æquitatis ſtudio terminandam: & ſi forte, quod credi nefas eſt, competens deſiderium fuerit petitoris eluſum, tunc ad ſecularia fora iurgaturus occurrat, quando ſuas petitiones probauerit à ſupradictæ ſedis Præſule fuiſſe contemptas. Quod ſi quis extiterit tam improbus litigator, atque omnium fuerit iudicio ſacrilega mente damnatus, qui reuerentiam tantæ ſedi exhibere contemnat, & aliquid de noſtris affatibus crediderit promerendum, ante alicuius conuentionis effectum decem librarum auri diſpendio feriatur, quæ à Salatinis ſacrarum Largitionum protinus exactæ, per manus ſæpe memorati antiſtitis pauperibus erogentur, cârenſque impetratis negocii quoque ſui amiſſione mulctetur. Dignus eſt enim duplici pœna percelli, qui & diuinam reuerentiam, & noſtra iuſſa temerarit. Sed interim vos, quos iudicia noſtra venerantur, eccleſiaſticis viuite inſtitutis. Magnum ſcelus eſt, crimen admittere, quos nec conuerſationem decet habere ſæcularem, profeſſio veſtra vita cæleſtis eſt. Nolite ad mortalium vota humilia, & errores deſcendere. Mundani coerceantur humano iure, vos ſanctis moribus obedite.

XVII. De officio Prioris.

Athalaricus Rex vniuerſis Reatinis & Nurſinis.

GLorioſus domnus auus noſter deſideria veſtra agnoſcens. Quidilanem Sibiæ filium, Priorem vobis quidem facere diſponebat: ſed quia interueniente mortali conditione nequiuit cogitata complere, neceſſe nobis eſt, eius vota perficere: ne tantus vir de aliquo inaniter iudicetur bona potuiſſe ſentire. Atque ideo præſenti auctoritate præcipimus, vt eum Priorem feliciter habere debeatis: & quæ ordinauerit pro diſciplina ſeruanda, vbi noſtra maxime vtilitas continetur, in omnibus obedire debeatis. Quia ſic domni aui noſtri eſtis moribus inſtituti, vt & leges libenter audiatis & Iudices. Hoc eſt enim, quod noſtrum comit imperium, quod opinionem noſtram inter gentes amplificat, ſi talia geratis, quæ & nobis accepta, & diuinitati poſſunt eſſe gratiſſima. Robuſtius enim inimici noſtri vincuntur moribus bonis. Quia quos ſuperna protegunt, felices adverſarios habere non poſſunt. Pugnatis enim efficaciter foris, dum in ſedibus veſtris iuſtitiam fouere contenditis. Iſta enim duo mutua ſe amplexatione conſociant: qui æquitatem coluerit, fructum victoriæ poſſidebit. Nam quæ neceſſitas ad iniuſta compellat, cum vos & ſortes alant propriæ, & munera noſtra, domino adiuuante, ditificent? Nam & cui aliquid expetendum eſt, ſperet de munificentia principis, quam de præſumptione virtutis. Quia vobis proficit, quod Romani quieti ſunt: qui dum æraria noſtra ditant, veſtra donatiua multiplicant.

XVIII. De poſſeſſionum inuaſoribus.

* Ioanni referendario.

Athalaricus Rex * Dumerit Saioni & Florentino viro deuoto Comitiaco.

SEueritas publica ſicut ab innocentib. vacat, ita neceſſe eſt, vt in ſceleratis operam ſuæ diſtrictionis impendat: quia non ſemper vnum merentur iudicium diverſa merita perſonarũ. Morbi ipſi diſſimilibus

bus ſuccis ſanantur herbarum; aliis cibi, aliis ſetrum optatam reuocant ſoſpitatem, & pro qualitate paſſionis præceptum merentur artificis. Et ideo deuotio veſtra per Fauentinum territorium incunctanter excurrat: & ſi quos Gothorum atque Romanorum in direptionibus poſſeſſorum ſe miſcuiſſe repererit, ſecundum facti æſtimationem & damnis affligantur & pœnis. Quia grauius plectendi ſunt, qui nec admonitionibus iuſtis, nec initiis principis obediendum eſſe crediderunt. Quoniam maior ambitus eſt dominis nobis velle ſeruire, vt commendati bonis initiis reliquam vitam ſecuritatis munere perfruantur.

XIX. *De iuſtitia vnicuiq; reddenda.*

Athalaricus Rex Cunigaſto V. I.

PErmouit ſerenitatem noſtram Conſtantii atque Venerii dolenda conqueſtio, quia ſibi à Tancane iuris proprii agellum, quod Fabricula nominatur, cum ſuo peculio cauſantur ablatum, adiicientes ne rerum ſuarum repetitionibus imminerent, liberis ſibi conditionem vltimæ ſeruitutis imponi. Atque ideo magnitudo tua, decretis obſeruta præſentibus, præfatum ſuo iubeat adeſſe iudicio: vt omni inter partes veritate diſcuſſa, iuri conſentaneam, & amicam veſtris moribus proferre ſententiam. Quia ſicut graue eſt, de ſuo dominos iure cedere, ita noſtris eſt ſæculis inimicum, ſeruituris iugo libera colla deprimere. Momenti iure, ſi competunt, primitus reddantur inuaſa: ita tamen vt perſona legitima diſceptationibus non deſiſtat. Ceſſet violenta præſumptio, vt cauſa iudicis cognoſcatur arbitrio, & aut coniunctos ſeruos cum rebus ſibi competentibus poſſideat, aut probatos liberos indemnes atque integros derelinquant. Sufficit enim, quod ei relaxamus pœnam, qui facere præſumpſit iniuriam.

XX. *De Aquaductu purgando, & cloacarum cura.*

Athalaricus Rex Honoratis poſſeſſoribus & curialibus Parmenſis ciuitatis.

DIgnum eſt, vt libenti animo faciatis, qui iuberi pro vrbis veſtræ vtilitate cognoſcitis: nam quod proprio ſumptu decuit aggredi, compendio ſe vobis conſtat offerri. Ciuitatem ſiquidem veſtram diutina ſiccitate laborantem, iuuante Deo, dominus auus noſter ſaluberrima vnda rigauit. Cui nunc ſtudio veſtro cloacarum ora pandantur: ne ſordium obiectione tardata reciprocans vnda veſtris ædibus illidatur, & quas debuit abluere, eaſdem vobis cogatur inferre. Cui operi, quanquam vos vrgere debeat ciuicus amor, virum ſpectabilem Geneſium præcipimus imminere. Vt nos ad meliora prouocetis, ſi, quæ iuſſimus, gratanter efficitis.

XXI. *Super eodem.*

Athalaricus Rex Geneſio viro ſublimi.

AMore ciuitatis veſtræ, antiqui operis formam dominus quidem auus noſter largitate regia conſtruxit. Sed nihil prodeſt aquarum copias vrbibus immiſiſſe, niſi nunc prouideatur cloacarum opportuna digeſtio: more vitæ humanæ, cuius ita ſalubritas continetur, ſi quod ore quis ſuſcipit, alia parte corporis relaxatus effuderit. Et ideo ſublimitas tua Parmenſes municipes faciet huic operi gnauiter inſiſtere: quatenus antiquos cuniculos, ſiue ſubterraneos, ſiue qui iunguntur marginibus platearum, diligenter emendent. Vt cum ſolemniter optatus vobis liquor influxerit, nulla adiecti luctaminis obiectione tardetur. Quia gratiam vnda non habet, niſi quæ iugiter influit, & viſa ſemper abſcedit. Illa enim, quæ pulchre riuis exercitata ridet, quam deformis eſt in lacunis? palus enim nec viſu grata, nec iumentis accommoda. Elementum pulcherrimum quidem, ſed ſi cum naturali puritate ſeruatur. Sine hac agri ſqualent, vrbes anhela ſiccitate fatigantur. Vt merito antiqua prudentia, quos à ciuica conuerſatione ſegregandos eſſe iudicauit, aquarum interdictione punierit. Quapropter tam vtilimæ rei omnium debet ſtudere conſenſus: quia ciuis animum non habet, qui vrbis ſuæ gratia non tenetur.

XXII. *Vt Poſſeſſores & Curiales in ciuitatibus commaneant, nec diu ruſticentur.*

Athalaricus Rex Seuero viro ſublimi.

CVm te Præfectorum conſiliis laudabiliter inhærentem omnia didiciſſe credamus, quæ ad Reipub. ſtatum pertinent componendum, maxime cognouiſti literis eruditus pulchram eſſe faciem ciuitatum, quæ populorum probantur habere conuentum. Sic enim & in illis ſplendet libertatis ornatus, & noſtris ordinationibus neceſſarius ſeruit effectus. Feris datum eſt, agros ſyluaſque quærere: hominibus autem focos patrios ſupra cuncta diligere. Aues ipſæ gregatim volant, quæ innoxia voluntate miteſcunt. Canori turdi amant ſui generis denſitatem. Strepentes ſturni compares ſequuntur indeſinenter exercitus. Murmurantes palumbi proprias diligunt cohortes, & quicquid ad ſimplicem pertinet vitam, adunationis gratiam non refutat. Contra, animoſi accipitres, aquilæ venatrices & ſupra omnes alites acutius intuentes, volatus ſolitarios concupiſcunt: quia rapaces inſidiæ innoxia conuenticula non requirunt. Ambiunt enim aliquid ſoli agere, qui prædam cum altero non deſiderant inuenire. Sic mortalium voluntas plerunque deteſtabilis eſt, quæ conſpectum hominum probatur effugere. Nec poteſt de illo aliquid veraciter credi, cuius vitæ teſtis non poteſt inueniri. Redeant Poſſeſſores & Curiales Brutii in ciuitatibus ſuis. Coloni ſunt, qui agros iugiter colunt. Patiantur ſe à ruſticitate

diuisos, quibus & honores dedimus, & actiones publicas probabili æstimatione commisimus: in ea præsertim regione, vbi affatim veniunt inelaboratæ delitiæ. Ceres ibi multa fœcunditate luxuriat. Pallas etiam non minimis largitate congaudet: plana rident pascuis fœcundis, erecta vindemiis: abundat multifariis animalium gregibus, sed equinis maxime gloriatur armentis: merito, quando ardenti tempore tale est neruum syluarum, vt nec muscarum aculeis animalia fatigentur, & herbarum semper virentium satietatibus expleantur. Videas per cacumina montium riuos ire purissimos, & quasi ex edito profluant, sic per Alpium summa decurrunt. Addi tur, quod vtroque latere copiosa marina possidet frequentatione commercia: vt & propriis fluctibus affluenter exuberet, & peregrinn penu io vicinitate litorum compleantur. Viuunt illic rustici epulis vrbanorum, mediocres autem abundantia præpotentium: vt nec minima ibi fortuna copiis probetur excepta. Hanc ergo prouinciam ciuitatibus nolunt incolere, quam vel in agris suis se fatentur omnino diligere? Quid prodest tantos viros latere literis defecatos? Pueri liberalium scholarium conventum quærunt: & mox, vt foro potuerint esse digni, statim incipiunt agresti habitatione nesciri: proficiunt, vt dediscant, erudiuntur, vt negligant: & cum agros diligunt, se amare non norunt. Quærat eruditus, vbi possit existere gloriosus: prudens frequentiam non respuat hominum, in qua se novit esse laudandum. Alioqui virtutibus fama tollitur, si earum merita in hominibus nesciantur. Nam quale desiderium est, ciuium frequentiam deserere, cum aliquas quoque auium conuersationi humanæ se videant velle miscere? Mortalium enim penatibus fiducialiter nidos philomena suspendit, & inter commanentium turbas pullos nutrit intrepida. Fœdum ergo nimis est, filios in desolationibus educare, cum frequentationi humanæ videat alites sua pignora commisisse. Redeant igitur ciuitates in pristinum decus: nullus amœnitatem ruris præponat mœnibus antiquorum. Quomodo potest in pace refugi, pro qua oportet bellum (ne vastetur) assumi? Cui enim minus grata nobilium videatur occursio, cui non affectuosum sit cum paribus miscere sermonem, forum petere, honestas artes inuisere, causas proprias legibus expedire, interdum Palamediacis calculis occupari, ad balnea ire cum sociis, prandia mutuis apparatibus exhibere? Caret profecto omnibus his, qui vitam suam vult semper habere cum famulis. Sed ne vlterius in eandem consuetudinem mens aliter imbuta relabatur, datis fideiussoribus tam Possessores, quam Curiales, sub æstimatione virium, pœna interposita, promittant anni parte maiore se in ciuitatibus manere quas habitare delegerint. Sic fiat, vt eis nec ornatus desit ciuium, nec voluptas denegetur agrorum.

XXIII. *De Abactoribus persequendis.*

Athalaricus Rex Seuero V. S.

CVm infadius vir sublimis pro causis suis ad Comitatum sacratissimum festinaret, itineris longinquitate confectus, animalia fessa reparare contendens, ad fontem Arethusæ, in * Scyllatino territorio constitutæ, elegit ponere mansionem: eo quod ipsa loca & pascuarum vbertate fœcunda sint, & inundatione aquarum pulchrescant. Est enim, vt dicitur, sub pede collium supra maris arenam fertilis campus: vbi fons vastus egrediens, cannis in coronæ speciem riparum suarum ora contexit, amœnus admodum, & arundineis vmbris & aquarum ipsarum virtute mirabilis. Nam cum ibi tacitus homo, & studiose silentiosus advenerit, aquas fontis irrigui reperit sic quietas, vt in morem stagni non tam currere, quam stare videantur. At vbi concrepans tussis emissa fuerit, aut sermo clarior fortasse sonuerit, nescio qua vi statim aquæ ibidem concitatæ prosiliunt: os illius gurgitis ebullire videas grauiter excitatum: vt putes, aquam rigentem succensæ ollæ suscepisse feruorem: silenti homini tacite loquenti strepitu & fragore respondens: vt stupescas, sic subdito perturbatam, quam nullus tactus exagitat. Noua vis inaudita proprietas, aquas voce hominum commoueri, vt quasi appellatæ respondeant, ita hominum sermonibus prouocatæ, nescio quid immurmurant. Credas ibi aliquod animal prostratum somno quiescere, quod excitatum magno strepitu tibi respondeat. Legitur quidem, nonnullos fontium variis scaturire miraculis: vt aliqui potati animalibus reddant varium colorem, alter greges albos efficiat, quidam in saxeam duritiem suscepta ligna conuertant. Sed has causas nulla ratio comprehendit: quia supra intellectum humanum esse cognoscitur, quod tantum rebus naturalibus applicatur. Sed vt ad querelam supplicantis cito redeamus. Hic cum mansionem supradictus Infadius habuisset, insidiis rusticorum abactos sibi asserit caballos: quod temporum nostrorum habere non decet disciplinam, vt delectatio illius loci tali damno redderetur horribilis. Quod vinacitatem tuam diligenti censemus examinatione discutere, quæ & de palatio nostro auctoritatem, & de legibus visa est iustitiam collegisse: vt, more ipsius fontis, scelus quod actum est videaris, vlcisci: perquirantur sontes summo silentio, teneantur in suis laribus quieti: vt dum mox insecutor increpuerit, eorum corda turbentur: in voces prosiliant, & se terribili murmuratione confundant. Sic aquas suas omina sibi indicent dedisse poenatum. Sic ergo in eis competens vindicta, vt loca sint peruia: inuitet posita disciplina studium commeantium. Ne latronum excessibus vitetur tale miraculum, quod semper lætificare cognoscitur inquisitum.

* Sciliano, al Sciuliano.

XXIV. *De pœna eorum, qui turbant euntes ad nundinas & mercatus.*

Athalaricus Rex Seuero V.S.

SIcut incognita velle nosse, prudentis est: ita comperta dissimulare, dementia est: eo præsertim tempore, cum noxia res ad correctionem possit celerrimam peruenire. Frequenti siquidem probatione didicimus, Lucaniæ conventu, qui prisca superstitione Leucothea nomen accepit, quod ibi sit aqua nimio

rimio candore perspicua, præsumptionibus illicitis rusticorum facultates negociantium hostili direptione sæpe laceratas: vt qui ad natale sancti Cypriani religiosissime venerant peragendum, mercimoniisque suis faciem ciuitatis ornare, egentes turpiter inanesque discederent. Hoc nos simplici ac facili remedio credidimus corrigendum, vt spectabilitas vestra prædicto tempore vna cum Possessoribus atque conductoribus diuersarum massarum ad quietem conuenientium, anticipata debeat cautela procurare, vt atroces facti reos inueniat, quos pœna consumat. Quod si aliquis rusticorum, vel cuiuslibet loci homo causas nefandæ litis attulerit, inter ipsa initia comprehensus fustuariæ subdatur protinus vltioni: & pompatus mala nota corrigat, qui prius occultum facinus excitare tentabat. Est enim conuentus iste & nimia celebritate festiuus, & circumiectis prouinciis valde proficuus. Quicquid enim præcipuum aut industriosa mittit Campania, aut opulenti Brutii, aut Calabri peculiosi, aut Apuli idonei, vel ipsa potest habere prouincia in ornatum pulcherrimæ illius venalitatis exponitur: vt merito tam ingentem copiam iudices de multis regionibus congregatam. Videas enim illic collucere pulcherrimis stationibus latissimos campos, & de amœnis frondibus intextas subito momentaneas domos, populorum cantantium, lætantiumque discursum. Vbi licet non conspicias operam mœnium, videas tamen opinatissimæ ciuitatis ornatum. Præsto sunt pueri ac puellæ, diuerso sexu atque ætate conspicui, quos non facit captiuitas esse sub pretio, sed libertas: hos meritò parentes vendunt, quoniam de ipsa famulatione proficiunt. Dubium quippe non est, seruos posse meliorari, qui de labore agrorum ad vrbana seruitia transferuntur. Quid vestes referam innumera varietate discretas? quid, diuersi generis animalia nitere pinguissima? vbi tali cuncta taxatione proponuntur, vt quanlibet emptor fastidiosissimus inuitetur. Sic de illo commercio nemo ingratus redit, si cuncta probabilis disciplina componit. Est enim & locus ipse camporum amœnitate distensus, suburbanum quoddam Cosilinatis antiquissimæ ciuitatis, qui à conditore sanctorum fontium Marcilianum nomen accepit. Hic erumpit aquarum perspicua & dulcis vbertas, vbi in modum naturalis antri absidis fabricata concauitas sic perspicuos liquores emanat, vt vacuum putes lacum, quem non dubitas esse plenissimum. Hic perlucidus vsque ad fundum patet: vt aspectibus tuis aerem potius apparere iudices, non liquorem. Æmulatur serenum diem aqua subtilissima: nam quicquid in imo geritur, inoffensa aëris claritate monstratur. Colludunt illic gregatim electissimi pisces, qui ad manus poscentium sic intrepidi veniunt, tanquam se nouerint non esse capiendos: nam qui tale aliquid præsumpsit efficere, mox pœnam diuinitatis cognoscitur excepisse. Longa sunt, illius fontis memoranda describere. Veniamus ad illud singulare munus, sanctumque miraculum. Nam cum die sacratæ noctis precem baptismatis cœperit sacerdos effundere, & de ore sancto sermonum fontes emanare, mox in altum vnda prosiliens, aquas suas non per meatus solitos dirigit, sed in altitudinem cumulosque transmittit. Erigitur brutum elementum sponte sua, & quadam deuotione solemni præparat se miraculis, vt sanctificatio maiestatis possit ostendi. Nam cum fons ipse quinque gradus tegat, eosque tantum sub tranquillitate possideat, aliis duobus cernitur crescere, quos nunquam præter illud tempus cognoscitur occupare. Magnum stupendumque miraculum, fluenta labentia sic ad humanos sermones vel stare vel crescere, vt eis credas audiendi studium minime defuisse. Fiat venerabilis omnium sermone fons iste cælestis. Habet & Lucania Jordanem suum. Ille exemplum baptismatis præstitit, hic lacrum ministerium annua deuotione custodit. Quapropter & reuerentia loci & vultus rei dare debet populis sanctissimam pacem. Quia cunctorum iudicio sceleratissimus habendus est, qui talium dierum gaudia temeritate contendit. Relegantur populis & proponantur ista, quæ diximus: vt cum multa esse minime creduntur, excedendi licentia non quæratur.

XXV. De præsumptoribus in dispendium Curialium.

Edictum Athalarici Regis.

QVi Reipublicæ statum, & generale cupit stare fastigium, ad vniuersa debet esse solicitus: quia non est salus in corpore, nisi quam & membra potuerint obtinere. Iniuria vnius loci compago tota concutitur, & tanta conuenientiæ vis est, vt vnum vulnus vbique credas accipi, quando illa cœperit condolere. Respub. siquidem non est vnius ciuitatis cura, sed totius regni prouisa custodia. Quapropter si quid ex ipsa minuitur, in origine dispendia sentiuntur. Minus enim habere necesse est, cui aliquid perit. Et ideo diuersarum ciuitatum peruigil nos cura solicitat: ne permissa longius mala, nostra possint grauare palatia. Arbor, quam florere vides, quam summa conspicis viriditate lætari, subterraneo succo fœcunditatis animatur, reddens in superficiem, quod continet in radice. Hominum quoque vultus magna hilaritate decoratur, si visceribus sanis grauamen nullius sentiat læsionis. Sic regnum iure dicitur integerrimum, si nusquam fuerit imminutum. Hoc fieri potest, cum vndiq; summouetur effrenata licentia: nec datur ausus menti malignæ, sub abominabili libertate peccare. Curiales, quibus à prouida sollicitudine nomen est, grauissima dicuntur infestatione quassari: vt quicquid eis honoris causa delegatur, ad iniuriam potius videatur esse perductum. O nefarium scelus, importabile malum! quando debuit Reip. seruiendo proficere, tunc libertatem suam cum fortunis videtur amittere. Quocirca edictali programmate definimus, vt si quis vexatus fuerit aut iniuria, aut in dispendio Curialis, vel aliquid ei, præterquam iussum fuerit à nobis, vel ab aulicis, quorum interest, potestatibus imponere fortasse præsumpserit aut decem librarum auri dispendio feriatur, ipsi qui tale aliquid pertulerit nihilominus profuturum: aut si facultas vindictæ non sufficit, per fustuaria supplicia laceretur:

& reddat debitum pœnis, quod non potuit compensare pecuniis: ita tamen, vt quæ pro publica vtilitate fuerint delegata, ingenua solicitudine compleantur: quando plus incipiunt debere, quoi alienas iniquitates non permittimus sustinere. Prædia Curialium, vnde maxime mediocribus parantur insidiæ, nullus illicita emptione peruadat. Quia contractus dici non potest, nisi qui de legibus venit. Circa Saionum & militantium molestias Iudicum protegantur auxilio. Ab ipsis quoque moderatoribus eos nostra vindicavit auctoritas. Quanto grauius plectendus est, si ille cui delegatur auxilium, probetur inferre detrimentum? Erigite colla depressi: sublevate animos malorum sarcinis ingrauati, date studium recuperare, quæ vos male cognoscitis amisisse. Vnicuique ciui vrbs sua Respub. est. Administrate ciuitatum sub consentanea voluntate iustitiam. Ordines vestri æquabiliter viuant. Nolite grauare mediocres, ne vos merito opprimere possiot potiores. Pœna ista peccati est, vt vnusquisque in se recipere possit, quod in alterum proteruus exercuit. Viuite iuste, viuite continenter. Quia vix audet quisquam in illos excedere, in quibus culpas non potest invenire. Grues moralem nouerunt exercere concordiam: inter quas nullus primatus quæritur, quia iniquitatis ambitus non habetur. Vigilant vicissim, communi se cautela custodiunt, ipse pastus alternus est. Sic honor nullis adimitur, dum omnia sub communione servantur. His etiam volatus vicaria æqualitate disponitur: vltima fit prima: & quæ primatum tenuit, esse posterior non recusat. Sic quadam communione sociatæ sibi sine regibus obsequuntur, sine dominatu parent, sine terrore famulantur. Voluntarie seruiendo liberæ sunt, & invicem se diligendo muniuntur. Quarum morem scriptores rerum naturalium cootuentes, politiam quodammodo inter ipsas esse commemorant, quas ciuico affectu vivere cognoverunt. Has si vos imitemini, omnes à vobis prauitatum calumnias excluditis. Nam vos qui recti vota recipitis, habetis per leges potestatem in civibus vestris. Non enim in cassum vobis Curiam concessit Antiquitas, non inaniter appellauit Minorem Senatum, neruos quoq; vocitans ac viscera ciuitatum. Quid in ista appellatione non habeatis vel potentiæ, vel honoris? Nam qui Senatui comparatur, à nullo genio claritatis excluditur.

XXVI. De metallis fodiendis & exercendis.

Athalaricus Rex Bergantino viro Comiti Patritio.

SI labor omnis assiduus adeo diuersos exigit fructus, vt aurum argentumque solita commutatione mercetur, cur non ipsa diligenter exquirimus, propter quæ poscere alia videbamur? Italia diues inferat nobis & aureos fructus. Omnis prouentus acquiritur, vbi metallum fuluidum reperitur. Nam quid necesse est, terram multiplici fœcunditate lassare, si ipsa magis pretia in ea potuerint inueniri? Frumenta vobis vsualiter Natura, industria suffragante, concedit, passim se vina profundunt: metallum raro proditur, vt studiosius expetatur. Quapropter ad massam iuris nostri Rusticianam, in Bruttiorum prouincia constitutam, magnitudinem tuam iubemus Cartarium destinare: etsi (vt ab artifice harum rerum Theodoco dicitur) memoratis rebus terra foecunda officinis solemniter institutis montium viscera perquirantur, intretur beneficio artis in penetrale telluris, & velut in thesauris suis Naturalocuples inquiratur. Cameris enim ingeniosa præsumptione deuolutis, talpinum animal imitantes, itinera fodiunt, quæ nullis ante patuerunt. Sic ambitio nil relinquit absconditum, nec vbi interdum sustinere possit extremum. Intrant homines caligines profundas: viuunt sine supernis: exulant à Sole: & dum sub terris compendia quærunt, nonnunquam lucis gaudia derelinquunt. Est aliquando illis ruina via sua, & reditus procurare nequeunt, qui pedibus suis semitas operosis manibus effecerunt. Sed quibus cautior ars, vita felicior est, intrant egentes, exeunt opulenti, sine furto divitias rapiunt, optatis thesauris sine inuidia perfruuntur: & soli sunt hominum, qui absque vlla nundinatione pretia videantur acquirere. Mox enim, vt supernæ luci fuerint restituti, minuta quæque grauiora discernentibus aquis à genitrice terra separant, ac fictilibus recondita, vasta fornace decoquunt, donec soluantur vtiliter in liquorem. Riuos quoque de flamma venientes tanto igne depurgant, quousque pulchritudinem sui prodant, quam terrena viscera, ne caperentur, absconderant. Vincitur Natura, dum eam meliorat industria. Pulchrior est, dum atterit: potior, dum decoxerit. Quia tantum crescit ad pretia, quanta fuerit syncerit ate mundata. Origo quidem nobilis, sed de flamma suscipit vim coloris. Vt magis credas inde nasci, cuius similitudine videtur ornari. Sed cum auro tribuat splendidum rubore, argento confert albissimam lucem. Vt mirum sit, vnam substantiam tradere, quod rebus dissimilibus possit aptari. Proinde quicquid ad exercendam huius artis peritiam pertinere cognoscitis, ordinatio vestra perficiat. Vt & terra Bruttiorum ex se tributum, quod dare possit, inveniat, quæ fructibus copiosa luxuriat. Decet enim, vt inter tanta bona, nec illa desint, quæ putantur esse præcipua. Cur enim iaceat sine cultu, quod honestum potest esse compendium? Aurum siquidem per bella quærere, nefas est: per maria, periculum: per falsitates, opprobrium: in sua vero natura, iustitia. Honesta vero sunt lucra, per quæ nemo læditur. Et bene acquiritur, quod à nullis adhuc dominis abrogatur. Gryphes aurum iugiter leguntur effodere, atque huius metalli inspectione gaudere: quibus quoniam non est ambitus lucri, cupiditatis crimine non dicuntur accendi, scilicet, quia omnis actus in quo propositus est: & non est vituperandum, quod nulla fuerit voluntate lasciuum. Sint ergo sedula operatione continui quæstus, invidiam non pauescant: quod ars dicitur, à crimine liberatur.

XXVII. De Curialium albo eximendis ob delictum.

Athalaricus Rex Abundantio Præposito.

FElix querela est, quando leges pietate superantur: & beata conditio subiectorum, si cognoscant illum aliis misertum, quem & sibi optant esse propitium. Neque enim ob aliud Curiales leges sacratissimæ ligauerunt, nisi vt cum illos soli Principes absoluerent, indulgentiæ præconia reperirent: hoc est, vbi dominus aduersum sua iudicia amabili concertatione dissentit: quando & ipsius quædam iustitia est, vt qui pius dicitur, districtionis termino minime teneatur. Nam & iste quidam ratiuuabilis ordo est, militia tandem soluere, qui impares laboribus probantur existere. Curialis enim, si nulla valetudine corporis continetur, ad solas deceptiones apponitur: & dum adesse quid proderit, si eum contingat defectum viribus inueniri? Similis quippe est absenti, à quo non potuerint imperata compleri. Deinde dum Curia multiplici numerositate lætetur, non videtur perculsa damnis, paucos perdidisse de plurimis. Quapropter illustris magnificentia tua Agenantiam, vxorem Campaniani viri disertissimi, in Lucania prouincia constitutam, filiosque eorum de albo Curiæ suæ faciat diligenter abradi: vt ventura posteritas nesciat fuisse, qui vetatur abigere: quia calumnia non præsumitur, vbi allegatio non habetur. Proinde in Possessorum numero potius collocentur, passuri nihilominus molestias, quas ipsi aliis ingerebant. Ad tributa enim subita turbabuntur: faciem compulsoris borrebunt (à potestatibus iussa prius venisse nesciebant) & vultus ignorantia fatigari, formidare delegata incipient, per quæ antea timebantur. Nam & ex ea parte bonis moribus vixisse probandi sunt, quando perpetiuntur inter illos otiosi viuere, quorum se non cognoscunt odia metuisse. Aliqui non parerentur sub illis esse, quos se cognoscebant malis actibus incitasse. Fruantur ergo beneficio principali: viuant remissa pace tranquilli, qui fuerunt in actionum suarum qualitate compositi.

XXIIX. De Dardanariis panicii speciem sibi vendicantibus, vt vendere cogantur frumentum in annona caritate.

Athalaricus Rex Episcopis & Honoratis.

POssessorum territorii vestri querela comperimus, supra temporis necessitatem quorundam ciuium suorum execrabilem sustinere sæuitiam: dum primo tempore panicii speciem conceptam in propriam redegere substantiam, expectantes caritatem, mediocribus grauem, vt parcius reponentibus detestabilem inferant nuditatem: quando homines in famis periculo constituti rogantes offerunt, quos se spoliare posse cognoscunt. In necessitate siquidem penuriæ, pretii nulla contentio est: dum patitur quis induci, ne possit aliqua tarditate percelli. Hæc igitur vota damnantes, præsentes diteximus portitores. Vt siue in gradu, siue in aliis locis frumentorum condita potuerint inuenire, tantum sibi vnusquisque dominus vel familiæ suæ domus retineat, quantum se expendere posse cognoscit: reliquum periclitantibus vendat, præsentibus scilicet harum gerulis, qui ad eam rem destinati esse noscuntur, moderata tamen pretii quantitate, qua eum constiterit à suis prouincialibus comparasse. Vt nec nimium grauetur qui emit, & aliquo compendio foueatur ille, qui distrahit. Quapropter libentibus animis implete, quæ iussa sunt. Quia vobis debetis in hac parte consulere inuicem. Ne dum caritatem nimiam quæritis, scelestum vobis aliquid potius, quod absit, optetis. Ne quis ergo venditionem sibi impositam conqueratur, sciat libertatem in crimine non requiri, sed illud boni ingenii magis esse, si non festinet excedere. Vendat itaque sub iusta ratione, qui distrahit. Si consentit, operatur laudem suam: si discrepat, nostrum facit esse præconium. Quando bonum est iubentis, si iustitia imponatur inuitis.

XXIX. De officio Præfecti Vrbis.

Athalaricus Rex Reparato Præfecto vrbis.

POst parentum claras administrationes bene conferuntur posteris eminentissimæ dignitates: dum nullius acquiescit ingenium, iacere intra æstimationem suarum: quando quidam honestus ambitus est, quos sequimur tempore, velle præconiis antetre. Additur etiam, quod priscorum dogmatibus eruditi opinionis gratia delectantur augeri. Nam quanto se vnusquisque melioribus cognoscit attibus studuisse tanto amplius grandiora præsumit appetere. Dudum itaque illustris recordationis genitoris tui Respub. sentit Romana diligentiam. Comitiuæ siquidem Largitionum præsidens, functus etiam vicibus Præfectorum, Prætorianam egit integerrime dignitatem, Curiam reparans, pauperibus ablata restituens, & quanvis liberalibus studiis fuerit impolitus, placere non omisit industrius. Quoniam naturaliter per se commendari potest bonum ingenium, etiam cum rebus accidentibus non videtur ornatum. Sed hoc quantum est ad tuam notitiam literarum? Doctrina siquidem quos ab imperitis discernit, sapientibus amica societate coniungit: cui perfacile est ornare generosum, quæ etiam ex obscuro nobilem facit. Crescit quoque præclaris meritis tuis, quod in affinitatis gratiam te talis elegit, quem semper contigit de iudicii sui integritate prædicari: moribus communis, conscientia singularis, qui se semper suis moribus, & amicorum conuersatione & sua fecit probitate laudari. Qualem ergo suo sanguini æstimandus est sociasse, qui nunquam improbum vel communioni suæ decreuit adiungere. Et ideo licet primæuus venias ad honorem, post tanti viri iudicium ineptum est te dicere non probatum. Nam si bene illis suggerentibus in extraneis causis placidas aures præbemus, cur magis in genere suo eorum iudicia non sequamur, vbi semper studiose

ſibi proſpiciunt, etiam qui in aliis actibus frequenter excedunt? Atque ideo, quod feliciter dictum ſit, per Indictionem illam Vrbanæ tibi tribuimus infulas dignitatis: vt ſicut in illo ordine primus, ita habearis & meritorum laude præcipuus. Pene ſiquidem terrarum nullis habetur, quod in illa ciuitate peragitur. Quem iam ſibi iudex placatum faciat, ſi illum Senatum tantæ benignitatis offendat? Quid ſit maturitatis, quid prudentiæ, in ordinis ipſius æſtimatione cognoſcis, cuius primæua germina mox vt adoleuerint, Patres vocantur. Adoleſcentia illic inchoat à maturitate conſilii: tractant iuuenes cum modeſtia ſenium, vbi morum pondus in flore permittitur, quod vix alibi cana ætate generatur. Talem te ergo habita moderatione tractabis, vt cum tot Proceres ad Curiam vocas, dignam ante illos ſententiam tuæ voluntatis aperias. Nimis quippe arduum eſt, tale aliquid inter illos dicere, quod nequeat tantis prudentibus diſplicere. Ideoque non vnius dignitatis vir æſtimandus eſt, qui ab illa turba doctorum bonum potuit referre iudicium. Nam ſi gratum eſt vel ſub tacitu ate prædicari, quid illi gaudii prouenire poſſit: quem tot nobilium vota laudauerint? Iuſtitiam dilige. Oppreſſis te diligenter impende. Redde laudes Poſteris tuis, quas tu à Maioribus accepiſti.

XXX. *De Comitiua Dalmatiarum & Suauia.*

Athalaricus Rex Oſum V.I. Comit.

PRopoſiti noſtri eſt, honeſtos labores palma remunerationis ornare: vt viciſſitudine, qua prouecti gaudent, deſides mordeantur, ſibique imputare poſſint, quod clementiſſimis temporibus iudicii noſtri præmia non merentur. Atq; ideo illuſtrem magnitudinem tuam, Deo iuuante, ad Dalmatiarum atque Suauiæ prouincias iterum credidimus deſtinandam: vt quicquid pro vtilitatib. noſtris eſſe cognoſcis, æquabili ordinatione diſponas, populumque nobis deuotum per tuam iuſtitiam facias eſſe gratiſſimum. Quia dominorum laudibus applicatur, cum ſe probabiliter tractat electus. Nam exempla aliena perquiras: memor eſto quæ feceris, & non indigne ſadmoneri. Quid eſt enim, quod de tuæ quiſquam debeat actione dubitare, quando ipſis prouinciis adhuc propria bona redolere cognoſcis? Quodammodo iam debitum eſt illi velle præſtare, apud quem ſcis te fuiſſe laudabilem. Obedientibus enim iuſte indulgetur animus, & quos ſcimus memores bonorum, indubitanter eis denuo præbemus affectum. Aetas quidem tua prouecta eſt, ſed actus quoque maturior. Quid enim nunc ſurripere valeat, in quo nunc iuuentus reprehenſibilis fuit? Sed hæc in domui aui noſtri regno feciſti; nunc talia demonſtra, vt temporibus noſtris reſeruaſſe videaris, quicquid probitatis addideris.

XXXI. *Vt Rectori prouincia pareatur.*

Athalaricus Rex vniuerſis Gothis & * Romanis.

*Prouincia lib. Suauiæ ac Dalmatiæ.

PEr prouincias, nobis Deo præſtante conceſſas, tales viros cupimus deſtinare, qui ſint armis prædit, & iuſtitia glorioſi: vt abſit à vobis & extranearum gentium metus, & calumnioſis non pateatis inſidiis. Quia non minus eſt, malum bellicum vitaſſe, quam ſæua diſcuſſionis euadere. Ipſa eſt enim vera ſecuritas, quæ de nulla iudicis impietate formidat. Atq; ideo, quod Deo auſpice dictum ſit illuſtrem Comitem Oſum, & palatio noſtro clarum, & prouinciis longa conuerſatione notiſſimum, Dalmatiis decernimus præſidere. Cui pro vtilitate noſtra iubenti, parere procurate: quoniam tantam eius eſtis iuſtitiam frequenter experti, vt & ſine regia iuſſione ei deberetis priorum memores obedire. Habet enim proprium ius ille, qui iuſtus eſt: nam etſi terrore minime poteſtatis erigitur, æquitate tamen ſuadente ſemper auditur. Simul etiam & virum illuſtrem Seuerinum ad vos æſtimauimus dirigendum: vt compoſiti conſona voluntate, poſſint vobis laudanda præcipere. Nam ſi diſparibus calamis conuenit vnum melos edicere, multo magis viris prudentiſſimis aptum eſt, iuſta cordis voce ſuadere. Verum, vt primordia noſtra à præſtitis inchoarent, clementiſſimumque dominum in ipſo regni limine ſentiretis, per quartam Indictionem, quod à nobis augmenti nomine quærebatur, illuſtrem virum Comitem patrimonii noſtri nunc iuſſimus remouere. Hoc etiam inſuper vobis concedentes, vt cum (deo propitio) ſupradictum virum ad noſtra obſequia venire fecerimus tales homines deſtinare, per quos poſſimus euidenter agnoſcere, quemadmodum in futurum cenſus doceatur impoſitus. Vt ſi grauatos vos eſſe cognoſcimus, pro parte vobis qua viſum fuerit, conſiderata æquitate, releuemus. Ita fit, vt habeatis ſpem & futuri beneficii, qui eſtis iam pro parte remedia conſecuti. Quapropter ſeruire vos conuenit vtilitatibus noſtris: quando ea, quæ magnis ſperare precibus potuiſtis, vltro contulit munificentia principalis. Sic enim tradente clementiſſimo nobis auctore didicimus, vt à ſubiectorum beneficiis non vacemus. Diſciplina videlicet imperandi eſt, amare, quod multis expedit: quoniam Reſpub. nimium ſoliditatis accipit, ſi tributariorum facultas illæſa conſtiterit.

XXXII. *De indulgentia cenſuum & fiuſtionis augmenti.*

Athalaricus Rex vniuerſis Prouincialibus Syracuſanæ ciuitatis.

DVdum quidem vobis ortum noſtri imperii æſtimauimus nunciandum: nunc decet ſubſequi beneficium pro lætitia augenda cunctorum: vt quibus fuit gratiſſimus noſter exortus, ſit illis regalis animus in aliqua parte munificus. Creſcere nobiſcum, Deo præſtante, cuncta deſideramus. Quia verè ille noſter eſt cenſus, quem lætus poſſeſſor exoluit. Proinde ſubtrahimus pecuniæ, quod augmentetur

terut gloriæ, & auari ad laudes, profuse nitimur sublevare cultores. Pridem diuæ memoriæ dominus auus noster de suis beneficiis magna præsumens (quia longa quies & culturam agris præstitit, & populos ampliauit) intra Siciliam prouinciam sub consueta prudentiæ suæ moderatione censum statuit subflagitari: vt vobis cresceret deuotio, quibus se facultas extenderat. Sed illius prædicanda iustitia locum nostræ benignitati præparauit vt quod et offerri iuste potuit, nos clementi animo, quasi illata stipenda donaremus: & quodam præsagio mentis diuinæ fecit etiam pium, cui parabat imperium. Atque ideo per quartam feliciter Indictionem, quicquid à vobis supra consuetudinariam functionem augmenti nomine vel petebatur, vel constat exactum, liberalitas nostra concedit. Quod etsi iuste potuistis pendere, gloriam vos potius nostræ largitati iubemus inferre. Sed vt latius extendatur nostra clementia, suauemque Dominum impensis beneficiis sentiatis, quicquid à discussoribus noui census per quintam Indictionem probatur affixum, ad vestram eos fecimus deferre notitiam. Vt quod rationabile fuerit æstimatum, libentibus animis perferatis. Quia nullum lædit obseruata iustitia. Sed ne credatis, per ordinatorum tantum arbitrium vos grauari, si quis est, qui de eorum facto æstimet conquerendum, ad remedia nostræ pietatis decurrat. Vt iudicantes corrigamus, qui etiam non rogati beneficia clementer indulsimus. Nam & gloriosæ recordationis dominus auus noster de eorum commotus fuerat tarditate, vt erat altæ prudentiæ perscrutator, æstimans eos iamdiu in prouincia non sine nostro grauamine residere, quos repetita iussione consuerat iam redire. Sed nos, quos decet implere quicquid ille sub æquitate disposuit, Deo auxiliante, eius nunc in vobis inchoata perficimus. Reddite modo largitati nostræ prosperrimum votum, & fidele seruitium. Habetis principem, qui vobiscum beneficiis probatur exortus: & quod subiectis dulcius est, augetur ingenio beneuolo cum ætatis augmento. In quam rem Quidilanem Saionem nostrum credimus dirigendum, per quem vobis iussa prosperrima, Deo largiente, pandantur.

XXXIII. De concessa immunitate seruanda.

Athalaricus Rex Gildiæ v.s. Comiti Syracusanæ ciuitatis.

AD Victorem & Vvigisidam, spectabiles viros, Siciliæ prouinciæ Censitores, præcepta nostra direximus. Vt quicquid possessoribus tributariæ functionis per eos nuper videtur adiectum, de quarta Indictione non exigant. Quia grauis est eius rei illatio, cuius adhuc iustitia non probatur. De ordinationibus vero eorum nobis fecimus instructiones deferri: vt si æstimatis viribus quicquid sub æqualitate sit dispositum, debeat permanere moderatum: sin vero aliquem contra rationem constat esse prægrauatum, nostro releuetur arbitrio: ita tamen, vt si aliquid per quartam Indictionem probatur illatum, Possessoribus sine aliqua imminutione reddatur. Quia sine querela suscipi debet onus impositum, quod longis temporibus constat esse portandum. Nunc quod restat, Prouinciales vos conuenit admonere: vt quibus beneficia dedimus, eorum deuotionem per omnia sentiamus: & quod debetur principi, grato animo videatur exolui.

XXXIV. De restitutione augmenti tributarii.

Athalaricus Rex Victori & Vitigisclo VV. SS.

TArditas vestra apud gloriosæ memoriæ dominum auum nostrum merito vos fecit esse suspectos (quos etiam seris præceptionibus credidit admonendos, vt relicto tandem prouincialium grauamine ad eius deberetis iustitiam festinare) & nunc quoque suspicionis maxime fecit augmentum, vt nec ad initia nostra voluissetis occurrere, quod libera conscientia potuisset optare. Et ideo præsenti auctoritate censemus, vt si quid super tributarium solidum per quartam Indictionem à prouincialibus exegistis, sine aliqua eis imminutione reddatis. Quia supra veterem censum nulla Indictionis prædictæ eos volumus damna sentire. Hoc etiam addendum esse credidimus (quoniam amore clementiæ errores nolumus inuenire: nec coacti potius sesecemus, quod salua iustitia dissimulare non possumus) vt si aliquem studio læsistis prauo, vestro magis emendetis arbitrio. Quia hoc est, propria delicta corrigere, quod & non facere. Et ne forsitan credatis longinquitatis difficultate latere, quæ gesta sunt, Siculis fiduciam vos dedimus subsequendi. Videte nunc, si voces possitis ferre querulas, quas etiam nostra vitauit auctoritas. Admonuimus igitur, quos pios decet esse. Iam suo vitio videtur accusari, qui spontanea noluit voluntate corrigi.

XXXV. De stipendiis necessariis, & aucta annona.

Athalaricus Rex Viliæ v.i. Comiti patrimonii.

MAgnitudinis tuæ suggestione comperimus, de Domesticorum excessibus, qui destinatis Comitibus obsequuntur, Prouinciales damnis plurimis ingrauatos. Quod credimus emolumentorum paruitate nutritum. Quia sub quadam excusatione peccare creditur, cui necessaria non præbentur. Et ideo speciali beneficio generalia cōpendia largientes, magnitudini tuæ præsenti auctoritate præcipimus, vt supra ducentos solidos & decem annonas, quas hactenus acceperunt, à quinta feliciter Indictione quinquaginta eis solidos annuos faciatis incunctanter adiungi, qui nostris rationibus debeant imputari

putari. Vt dum mater criminum necessitas tollitur, peccandi ambitus auferatur. Si quis autem iussionum nostrarum improbus temerator extiterit, vt aliquo casu in damnis prouincialium aut præiudicus implicetur, emolumentis careat vniuersis. Quia ille dignus est præmia consequi, qui parere cognoscitur æquitati. Ideo enim à nobis accipit, ne ab aliis quærat. Nostrum dare nobilitas est: dona regalia quamuis parua sublimant: quia simul & meritorum gratiam reperisse creditur, qui principali munere subleuatur.

XXXVI. De remissione censuum, & executione mandatorum.

Athalaricus Rex Gildiæ v.s Comiti Syracusanæ ciuitatis.

PRouincialium Siculorum nobis est suggestione declaratum, quædam à tua potestate fieri, vnde eorum fortunæ videantur affligi. Quod ideo leuiter accepimus, quia ipsi vindicari præterita noluerunt. Constat enim esse dubium, quod concedit aduersarius, & percelli non potest iure, cui mauult querulosus ignoscere. Sed vt suspiciones iniquas futuris casibus abrogemus, obseruanda iugiter præsenti iussione decernimus, vt nec isti aliquid de futuro metuant, nec tu per ignorantiam quæ dicuntur, incurras. Prima fronte pro reparatione murorum pecuniæ diuersis prouincialibus dicuntur extortæ, cum tamen nulla exinde surrexerit promissa constructio. Hoc si constat admissum, aut muri exinde pro eorum munimine construantur, aut unus quisque recipiat, quod ei probatur incompetenter ereptum. Nimis enim absurdum est, spondere munitiones, & dare ciuibus execrabiles vastitates.

II. Quorundam etiam substantias mortuorum, sine aliqua discretione iustitiæ, fisci nomine caduci te perhibent titulo vendicare, cum tibi hoc tantum de peregrinis videatur esse commissum, quibus nullus heres, aut testamentarius aut legitimus inuenitur. Nefas est enim, vt quod à nobis præcipitur, à te nostro numine per iniuriam vendicetur.

III. Præterea conuentionibus se grauari omnimodis ingemiscunt: vt ad iudicium deducendi pene tanta videantur amittere, quanta vix probantur addicti dispendia sustinere. Vocatio enim Iudicis spes iustitiæ debet esse, non mulcta. Nam ipse iuste suspectus redditur, ante cuius audientiam grauamina sentiuntur. Vnde censemus, vt si nostra conueniunt decreta pulsatos, tantum commodi percipiat executor, quantum gloriosus dominus auus noster pro honoribus personarum debere Saiones accipere, expressa quantitate, constituit. Commodum enim debet esse cum modo. Nam si mensuram æqualitatis excesserit, vim sui nominis non habebit. Si vero iussione conuentio destinatur, duntaxat in illis causis atque personis, vbi te misceri edicta voluerunt, mediam portionem executor accipiat, quam de præceptis regiis sumere potuisset. Quia non potest conuenire iustitiæ, vt tantum à te directo tribuatur, quantum pro reuerentia nostræ iussionis offertur. Si quis autem saluberrimi constituti temerator extiterit, in quadruplum iubemus ablata restitui. Vt quod delectatione cupiditatis admittitur asperitate dispendii vindicetur.

IV. Edicta vero gloriosi domni aui nostri, vel vniuersa præcepta, quæ ad Siciliam pro commouendis vniuersorum moribus destinauit, sub tanta volumus obedientia custodiri, vt sacrilegii reus habeatur, quisquis beluinis moribus excitatus munimen tentauerit irrumpere iussionum. Duorum negotia Romanorum, etiam his inuitis, ad tuum diceris vocare iudicium. Quæ si cognoscis facta, vlterius non præsumas. Ne dum vis iudicium incompetenter quærere, reatum potius videaris inuenire. Memor enim prius debes esse edicti, qui inter alios maius à te sequenda constitui. Alioqui tota tibi decernendi auctoritas tollitur, si à te illa regula minimè custoditur. Ordinariis Iudicibus administrationum suarum potestas illibata seruetur. Cognitores suos legitima turba comitetur. Obseruationum illarum non mordearis inuidia. Gothorum laus est, ciuilitas custodita. Tota ad vos fama confluis, si vobis rarius litigator obseruet. Vos armis iura defendite, Romanos sinite legum pace litigare. Nauigiis vecta commercia te suggerunt occupare, & ambitu cupiditatis exosæ solum antiqua pretia definire, quod non creditur à suspicione longinquum, etiam si non sis actione vicinum. Quapropter si rumorem huius vitare festinas, Episcopus ciuitatis & populus conscientiæ tuæ testes assistant. Omnibus placeat, quod ad cunctorum necesse est pertinere fortunas. Pretia debens communi deliberatione constitui: quia non est delectatio commercii, quæ iubetur inuitis. Quocirca sublimitatem tuam iussis præsentibus credimus admonendam, quia excedere nolumus, quos amamus, nec aliquid de talibus sinistrum patimur dici, per quos aliorum mores putamus esse se corrigendos.

XXXVII. De electione Romani Pontificis.

Athalaricus Rex Ioanni Papæ.

SI antiquis principibus studium fuit leges exquirere, vt subiecti populi delectabili tranquillitate fruerentur, multo præstantius est talia decernere, quæ possunt sacris regulis conuenire. Absint enim à nostro sæculo damnosa compendia. Illud tantum vere possumus lucrum dicere, quod constat diuina iudicia non punire. Nuper siquidem ad nos defensor Ecclesiæ Romanæ flebili allegatione peruenit, cum Apostolicæ sedi peteretur antistes, quosdam nefaria machinatione necessitatem temporis aucupatos, ita facultates pauperum extortis promissionibus ingrauasse, vt quod dictu nefas est, etiam sacra vasa emptioni publicæ viderentur exposita. Hoc quantum fuit crudele committi, tanto gloriosum est adhibita pietate resecari. Atque ideo sanctitas vestra statuisse nos præsenti definitione

cognoscat

cognoscat, quod etiam ad vniuersos patriarchas atque metropolitanas Ecclesias volumus pertinere, vt à tempore sanctissimi Papæ Bonifacii cum de talibus prohibendis suffragiis P.C. senatus consulta nobilitatis suæ memores condiderunt, quicunque in episcopatu obtinendo siue per se, siue per aliam quancunque personam, aliquid promisisse declaratur, vt execrabilis contractus cunctis viribus efferetur. Si quis autem in hoc scelere deprehenditur fuisse versatus, nullam relinquimus vocem, verum etiam si aut repetendum aut quod acceptum est non reddendum esse crediderit, sacrilegii reus protinus habeatur, accepta restituens compulsione Iudicis competentis. Iustissimæ siquidem leges, vt bonis aperiunt, ita claudunt malis moribus actionem. Præterea quicquid in illo senatus decretum est consulto, præcipimus in eos modis omnibus custodiri, qui se quoquo modo, per interpositas quascunque personas, scelestis contractibus miscuerunt. Et quia omnia decet sub ratione moderari, nec possunt dici iusta, quæ nimia sunt, cum de Apostolici consecratione Pontificis intentio fortasse peruenerit, & ad palatium nostrum producta fuerit altercatio populorum, suggerentes nobis intra tria millia Solidorum, cum collectione cartarum censemus accipere. A quibus tamen omnes idoneos rei ipsius consideratione remouemus, quia de ecclesiastico munere pauperibus est potius consulendum. Alios vero Patriarchas, quando in Comitatu nostro de eorum ordinatione tractatur, in supradictis conditionibus atque personis intra duo millia Solidorum iubemus expendere. In ciuitatibus autem suis tenuissimæ plebi noo amplius quàm quingentos Solidos se distributuros esse cognoscant. Reliquos accipientes, & edicti præsentis & senatus consulti nuper habiti, pœna constringat: sed & dantes canonum seueritas persequatur. Vos autem, qui Patriarcharum honore reliquis præsideris Ecclesiis, quoniam constitutio nostra ab illicita promissione liberauit, restat vt bona imitantes exempla, sine aliquo Ecclesiarum dispendio dignos maiestate pontifices offeratis. Iniquum est enim, vt locum apud vos habeat ambitus, quem nos laicis diuina consideratione præclusimus. Quapropter si quis Apostolicæ præsulem Ecclesiæ vel Patriarcharum episcopum, siue per se, siue per parentes, vel seruientium quascunque personas aliqua suffragii crediderit ambitione promouendum, & ipsum reddere accepta definimus, & quod est canonibus statutum, eum modis omnibus esse passorum. Si quis vero quæ dederit aut promiserit eodem superstite timuerit publicare, ab heredibus eius Ecclesia repetat, cuius suffragio antistes deprehenditur ordinatus: Nota infamiæ nihilominus superstites inurente. Reliquos quosque ordines sub eadem fieri districtione præcipimus. Quod si forsitan dolose machinationis inuento sacramentis persona intercedentibus fuerit obligata, vt saluo statu animæ commissam iniquitatem neque approbare possit, neque audeat accusare, damus licentiam quibuslibet honestis personis, in singulis quibusque ciuitatibus apud Iudices competentes hoc crimen deferre, & quicquid ex ea potuerit probatione recolligi, vt approbatione insequentes animemus, tertiam partem iudicatæ rei ille percipiat, qui tale facinus voluerit publicare. Reliqua ipsis Ecclesiis proficiant, quæ videntur extorta, aut in fabricis earum, aut in ministeriis nihilominus profutura. Decet enim ad vsus bonos conuertere, quæ voluit peruersitas inimica fraudare. Quiescat igitur malignantium praua cupiditas. Quo tendunt, qui à fonte præclusi sunt? Recolatur & timeatur Simonis iusta damnatio, qui emendum credidit totius largitatis auctorem. Orate igitur pro nobis, edicta nostra custodientes: quia diuinis noscitis conuenire mysteriis. Sed quo facilius principis votum vniuersorum mentibus innotescat, hoc Senatui, hoc populis, per Præfecturam Vrbis præcipimus intimari: vt generalitas agnoscat, nos illos prosequi, qui maiestati diuinæ potius videntur aduersi. Vos quoque hoc vniuersis, quos Deo propitio regitis, Episcopis intimate: neque sit alienus à culpa, qui potuit agnoscere constituta.

XXXVIII. Super eodem.

Athalaricus Rex Saluantio v. s. Præfecto vrbis.

GRata res est, cuncta profutura vulgare: vt generale fiat gaudium, quod potuit esse votiuum. Alioqui læsionis causa noscitur, si beneficia potius occulantur. Dudum siquidem Senatus amplissimus à splendore suo cupiens maculam fœdissimæ suspicionis abradere, prouida deliberatione constituit, vt in beatissimi Papæ consecratione nullus se abominabili cupiditate pollueret, pœna etiam constituta, qui tali a præsumere tentauisset: non iniuria, quia tunc electi vere meritum quæritur, cum pecunia non amatur. Quod nos laudantes, & augentes inuentum, ad beatissimum Papam diximus constituta, quæ his antelata præfulgent: vt ab honestate sanctæ Ecclesiæ profanus ambitus auferatur. Hoc nos ad notitiam Senatus & Romani populi volumus sine aliqua dilatione perducere: quatenus cunctorum figatur cordi, quod cupimus omnium studio custodiri. Verum vt principale beneficium & præsentibus hæreat seculis & futuris, tam Definita nostra, quàm Senatusconsulta tabulis marmoreis, præcipimus decenter incidi, & ante atrium beati Petri Apostoli in testimonium publicum collocari. Dignus enim locus est, qui & gloriosam mercedem nostram, & Senatus amplissimi laudabilia decreta contineat. In quam rem illum direximus, quo redeunte noscamus impleta quæ iussimus. Incertum enim videtur habere, quod præcipit, cui rerum effectus tardius innotescit.

XXXIX. De captiuis relaxandis.

Athalaricus Rex Saluantio v. i. Præfecto vrbis.

SI principes antiqui mœnia Romana in populorum exquisiuere lætitiam, ne ciues illi merito singulares aliquid commune cum cæteris possiderent, nefas est inter tot rerum iucunda, eos longam su-

stinere

stinere tristitiam. Quia exultatio ciuitatis illius generale[ ] votum est: dum necesse est lætari reliqua, si Mundi caput gaudere proueniat. Apostolici siquidem Papæ Ioannis, & procerum nostrorum relatione cognouimus, illum & illum Romanos pro sola suspicione seditionis tam longæ custodiæ pœna maceratos, vt cuncta ciuitas mœrorem de illorum continua calamitate contraxerit: vt eis nec dierum festiuitas, nec vlla (quæ apud nos est grauissima) nominis sui dignitas subveniret. Quod nobis pro sui facti acerbitate displicuit: vt qui in iudicio conuicti minime feruntur, debita malis tormenta cruciatusque pertulerint. Et ideo magnitudinem tuam iussis præsentibus admonemus, vt quoque loci reperire potueris eos, absoluere non moreris. Quod etiam si aliquo reatu involutos esse claruerit, intercessionibus supradictis eos iam à metu liberos esse censemus. Si uero innocentes se tormenta sustinuisse confidunt, damus querelis eorum liberam vocem: vt iustis legibus vindicent, quod iniquis ausibus pertulerunt. Quia nolumus innocentes à Iudicibus deprimi, quos ad eorum præsidia constat elevari. Revocentur nunc ad lætitiam pristinam Romani: nec nobis credant placere posse, nisi qui eos eligunt modesta æqualitate tractare. Intelligant, parentes nostros pro sua quiete laboriosa subisse pericula: nos autem multis expensis agere, vt illi debeant garrula exultatione gaudere. Nam & si qoid inique vel acerbe hactenus pertulerunt, non credant à nostra mansuetudine negligendum: qui nec nobis otia damus, vt illi secura pace ac tranquilla lætitia perfruantur: cito sentiant, quia nos amare non possumus, quos illi pro suis excessibus horruerunt. Nam quorum gratiam impetrare possunt, qui suis civibus displicere meruerunt? & dum tempus habuissent amoris publici, egerunt vnde iuste debeant execrari?

X L. De peruasoribus, fornicariis & concubinariis.

Edictum Athalar. Regis.

PRouide decreuit Antiquitas, vniuersitatem Edictis generalibus admoneri: per quæ & delictum omne corrigitur, & * decentis verecundia non grauatur. Cuncti enim sibi æstimant dici, vbi nullum constat exponi: & similis fit innocenti quem contigerit sub communione purgari. Hinc & nostra vere pietas custoditur, dum feriato gladio nascitur metos, & prouenit sine cruore correctio. Commouemur enim placati: minamur ociosi: & clementer irascimur, quando vitia sola damnamus.

*excedentis.

Edictum in peruasores,

1. Diu est, quod diuersorum querelæ nostris auribus crebris susurrationibus insonarunt, quosdam ciuilitare despecta affectate viuere belluina sævitia: dum regressi ad agreste principium, ius humanum sibi æstimant feraliter odiosum. Quos nunc apte iudicauimus comprimendos: vt eo tempore inimica bonis moribus crimina persequamur, quo hostibus Reipub. diuina virtute resistimus. Vtrumque quidem noxium, vtrunque pellendum: sed tanto grauius grassantur vitia, quanto probantur magis interna. Vnum recumbit in altero: facilius quippe inimicorum acies cadunt, si nostro æuo delicta subducimus.

Valentiniani lex.

2. Primum humani generi noxiam peruasionem (sub qua nec dici potest ciuilitas, nec haberi) seueritate legum, & nostra indignatione damnamus: statuentes, vt sanctio diui Valentiniani aduersum eos diu pessime neglecta consurgat, qui prædia vrbana vel rustica, despecto iuris ordine, per se suosque præsumpserint, expulso possessore, violenter intrare: nec aliquid de eius districtione, detestabili volumus temperatione mitigari: insuper addentes, vt si quis ingenuorum ad satisfaciendum legi superius definitæ idoneus non habetur, deportationis protinus subiaceat vltioni. Quia plus debuit cogitare iura publica, qui se nouerat alibi non posse sustinere vindictam. Iudices igitur competentes, ad quos potest admissum facinus pertinere, si inuasorem, eum possint amouere, pertulerint, tenere præsumpta, & adepti cinguli honore priuentur, & fisco nostro tantum fiant obnoxii, quantum præsumptor potuisset addici: in auctoribus tamen facinoris manentibus constitutis. Quod si quis in tantam rapiatus amentiam, tyrannico spiritu iuri publico parere neglexerit, viribusque præpotens destinati officii spreverit paucitatem, relatione Iudicis nostris auribus notabilis ingeratur: vt indulta executione Saionum, vltionem sentiat vigoris regii, qui obedire noluit cognitori.

3. Et quia summis Principibus iuris communione viuendum est: si quis, legum ordine prætermisso, nomine publico titulos præsumpserit affigere: in tantum possidenti fiat obnoxius, quantum sanctio superius memorata testatur. Merito enim & sacrilegii pœna percellitur, qui iniquo peruasionis pondere ausus est maiestatem regii nominis ingravare. Litis quoque expensas iudicio superatus exoluat: quod hinc dantur fomenta detestabilis iurgii, cum improbi vincuntur illæsi: nec dolet calumniantibus pudoris damnum, si evaserint, dispendia facultatum. Si quis autem de nostris scriniis aliquid crediderit promouendum, aduersario suo quantum ad causam eius pertinet, de consecuta serie iussionum nihil æstimet supprimendum: ni fecerit, careat impetratis: vel si aliquid ex eo agere tentauerit, nihilominus habeatur infirmum: quia illos soles volumus vti beneficiis nostris, quos non cognoscimus studere versutiis.

Talionis lex in matrimonii diuisores.

4. Qui suasione plectenda matrimonia diuidere nititur aliena, ipsius coniugium habeatur illicitum: vt magis contigisse sentiat sibi, quod in altero malignus exercere tentauerit. Si vero pro coniunctionib. caritate privatur, futurum matrimonium illi iure denegamus, quia non meretur iugalis reverentiæ præmia consequi, qui in genialis thori ausus est divisione grassari. Sed ne aliquos huius sceleris reos vltio nostra derelinquat, illos quos spes non habet præsentis coniugii vel futuri, si quid in alienos thalamos dolosa machinatione præsumpserint, facultatum suarum media portione priuentur, statim fisci

fisci iuribus applicanda. Si vero prohibente pauperie in eliquorum substantia nequierit vindicari, pœna relegentur exilii. Ne quod dictu nefas est, ideo videantur cominationem iuris publici evadere quia vilissimæ noscuntur subiacere fortunæ. Sed hæc de solicitatorib. affectus alieni pietas nostra decreuit. Qui non habet in

5. Cæterum in adulteris totum districtissime volumus custodiri, quicquid diuali potuit commonitione decerni. ære,

6. Vno tempore duabus nemo copuletur vxoribus: quia se nouerit rerum suarum amissione plectendum. Nam aut libido est, & recte perfrui non sinitur: aut cupiditas, & iure nuditate damnatur.

7. Si quis autem superflua turpique cupidine, coniugali honestate despecta, ad concubinæ elegerit venire complexus: si ingenua fuerit, iugo seruitutis cum filiis suis modis omnib. addicatur vxori: vt illi se per honesta iudicia sentiat subdi, cui per illicitam libidinem credidit posse præponi. Quod si ad tale flagitium ancilla peruenerit, excepta pœna sanguinis, matronali subiaceat vltioni: vt illem patiatur Iudicem, quam formidare debuisset absentem. Concubinatus.

8. Donationes nullius terror extorqueat: nullus acquirere per fraudem vel execrabilem lasciuiam concupiscat. Sola n. honestas merito capit lucrum de legibus. In allegationem iustissimæ largitatis illam districtionem volumus custodiri, quam pro veritate solicite legalis sanxit Antiquitas. Sic enim vt ipsa testatur & fraudi non patebit occasio, & veritati maior erescit auctoritas. Alioqui nulli præcipimus videri firmum, quod ipse conditor, non implendo, quæ leges vel iura præcipiunt, fecit incertum. Donationes liberæ sunt.

9. Maleficos quoque, vel eos qui ab eorum nefariis artibus aliquid crediderint expetendum, legum seueritas insequatur. Quia impium est, nos illis esse remissos, quos cœlestis pietas non patitur impunitos. Qualis enim fatuitas est, creatorem vitæ relinquere, & sequi potius mortis auctorem? Turpis actus ex toto fit à Iudicibus alienus. Nemo faciat, quod iura condemnant. Quia decretali pœna plectendi sunt, qui se prohibitis excessibus miscuerunt. Quid enim in aliis damnent, si ipsi se inhonesta contagione commaculent? Sit etiam sub diuitibus tuta mediocritas. Malefici ac magi.

10. A cædis temperetur insania. Nam præsumptio manuum, actus probatur esse bellorum, maxime in eis, quos tuitionis nostræ munit auctoritas. Si quis autem contra facere improba præsumptione tentauerit, violator nostræ iussionis habeatur. Cædes.

11. Appellari à subiecto Iudicibus ordinariis in vna causa secundo non patimur: ne quod ad remedium repertum est innocentis, asylum quodammodo videatur esse criminosis. Si quis vero vetita iterare tentauerit, negocio priuatus abscedat. Secunda appellatio

12. Sed ne pauca tangentes, reliqua credamur noluisse seruari, omnia edicta tam nostra, quam domini aui nostri, quæ sunt venerabili deliberatione firmata, & vsualia iura publica, sub omni censemus districtionis robore custodiri: quæ tanto munimine se tegunt, vt nostra quoque iurisiurandi interpositione cingantur. Quid per multa discurrimus? Legum vsualis regule & præceptorum nostrorum probitas vbique seruetur. Confirmatio L L. anteriorum.

XLI. *De Edictorum publicatione.*

Athalaricus Rex Senatui vrbis Romæ.

LAudabilium iussionum causas plerunq; præbet vituperabilis excessus alienus, & miro modo momenta iustitiæ de iniquitatis occasione nascuntur. Silet enim æquitas, si culpa non vociferetur edmissa: & secretum quiescit Principis ingenium, quod non fuerit aliqua querela prouocatum. Conquerentium siquidem vocibus adacti, & frequentium populorum de rebus quibusdem interpellatione commoniti, necessaria quædam Romanæ quieti edictali programmete duodecim capitib. sicut ius ciuile legitur institutum, in æuum seruanda conscripsimus, quæ custodite residuum insnon debilitare, sed potius corrobotare videantur. Hæc in cœtus vestri splendore recitentur, & per triginta dies Præfectus vrbis locis celeberrimis faciat solemni more proponi. Vt nostraciuilitate recognita, spes truculentis moribus euferatur. Nam qua confidentia proteruus assumat, quod Principis agnouerit damnasse clementiam? Redeat amor omnibus disciplinæ, per quam & parua coalescent, & potiora seruantur. Ideo enim exercitus nostros, iuuante Deo, crebris expeditionibus commonemus, vt vniuersitatem compositam viuere legibus sentiamus. Reddatur hæc animo nostro vicissitudo præmiorum: vt quem Reip. vtilitatibus cognoscitis occupatum, rarissima querelarum editione pulsetur. Teneant Iudices legitimas districtiones, votum fœdissimæ vænalitatis abiiciant. Metus cuncta componit, si reus crimen in iudicante non inuenit.

XLII. *De officio Iudicum.*

Athalaricus Rex ad vniuersos iudices Prouinciarum,

CVm vos prouinciis nostris, iuuante Deo, annua reparatione præstaremus, nec desint iudicia per vniuersos fines Italiæ distributa, intelligimus de inopia iustitiæ cupiam venire causarum. Culpa siquidem vestræ probatur esse negligentiæ, quoties à nobis coguntur homines legum beneficie postulare. Nam quis eligeret, tam longe petere, quod in suis videtur sedibus aduenisse? Sed vt vobis versutas excusationes, & duras necessitates prouincialibus coleremus, de aliquibus casibus hactenus pessimo torpore neglectis, edictalis programmatis definitione censuimus: vt & vobis cresceret confidentia recte iudicandi, & paulatim audacia maligna possit imminui. Quod more solemni per conuentus publicos triginta dierum facite propositionem. Vt iure condemnatus habeatur, qui post hæc remedia venere præsumpserit desperatus. Edictum 30. diebus in conuentibus promulgetur.

XLIII. *De professoribus liberalium artium, & eorum stipendiis.*

Athalaricus Rex Senatui vrbis Romæ.

Filiorum causas iure ad patrum cognoscimus remisisse personas: vt ipsi de illorum prouectu debeant cogitare, quorum interest studia Romana proficere. Neque enim credendum est, vos inde posse minus esse solicitos, vnde & generi vestro crescit ornatus, & cœtui prouenit assidua lectione consilium. Nuper siquidem, vt est de vobis cura nostra solicita, quorundam susurratione cognouimus, doctores eloquentiæ Romanæ laboris sui constituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, vt scholarum magistris deputata summa videatur imminui. Quapropter cum manifestum sit, præmium artes nutrire, nefas iudicauimus, doctoribus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potius ad gloriosa studia per commodorum augmenta prouocandi. Prima enim grammaticorum schola est fundamentum pulcherrimum literarum, mater gloriosa facundiæ: quæ cogitare nouit ad laudem, loqui sine vitio, hoc in cursu orationis sic errorem cognoscit absonum, quemadmodum boni mores crimen detestantur externum. Nam sicut musicus consonantibus choris efficit dulcissimum melos, ita dispositis congruenter accentibus metrum nouit decantare grammaticus. Est Grammatica magistra verborum, ornatrix humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis, Antiquorum nos cognoscitur iuuare consilis. Hac non vtuntur barbari Reges. Apud legales dominos manere cognoscitur singularis. Arma enim & reliquæ gentes habent, sola reperitur eloquentia, quæ Romanorum dominis obsecundat. Hinc oratorum pugna ciuilis iuris classicum canit. Hinc cunctos proceres nobilissima disertitudo commendat, &, vt reliqua taceamus, hoc quod loquimur inde est. Qua de re P.C. hanc vobis curam, hanc auctoritatem propitia diuinitate largimur, vt successor scholæ liberalium literarum, tam grammaticus quam orator, necnon & iuris expositor, commoda sui decessoris ab eis, quorum interest, sine aliqua imminutione percipiat: & semel Primi Ordinis vestri, ac reliqui Senatus amplissimi auctoritate firmatus, donec suscepti operis idoneus reperitur, neque de transferendis, neq; de imminuendis annonis à quolibet patiatur improbam quæstionem: sed vobis ordinantibus atque custodientibus emolumentorum suorum securitate potiatur, Præfecto Vrbis nihilominus constituta seruante. Et ne aliquid pro voluntate præbentium relinquantur incertum, mox vt sex menses exempti fuerint, statutæ summæ consequantur prædicti magistri mediam portionem. Residua vero anni tempora cum annonarum debita redhibitione laudantur. Ne cogantur de alieno pendere fastidio, cui piaculum est, vel horarum aliquo vacasse momento. In tantum enim, quæ sunt decreta, volumus firmissime custodiri, vt si quis cuius interest, differendam putauerit hanc quasi debitam functionem, procurato more vsurarum dispendia ipse patiatur: quia iusta commoda laudabiliter laborantibus, plectenda cupiditate, subtraxit. Nam si opes nostras scænicis pro populi collectione largimur, & ea studiosissime consequuntur, qui adeo necessarii non habentur, quanto magis illis sine dilatione præbenda sunt, per quos & honesti mores proueniunt, & palatio nostro facunda nutriuntur ingenia. Hæc autem præsentibus literarum magistris venerando cœtui vestro præcipimus intimari. Vt sicut nos agnoscunt de suis commodis esse solicitos, ita à se prouectus adolescentium enixius nouerint nos exigendos. Cesset nunc illa satyris doctoribus querulis vsurpata sententia: quia duab. curis ingenium non debet occupari. Ecce iam habere tolerabile probantur hospitium: vnde nunc merito, vni solicitudini iugiter inhærentes, toto vigore animi ad bonarum artium studia trans[illegible]tur.

AMALASVENTHÆ GOTHÆ, REGINÆ ROMANORVM

EDICTVM.

Anno Chr. 534.

De Electione Consortis, & officio Regis.

Amalasuentha Regina Senatui Vrbis Romæ.

Post flebilem filii nostri diuæ recordationis occasum, vicit animum piæ matris generalitatis affectio: vt non mœroris sui causas, sed vestra potius augmenta cogitaret. Quæsiuimus regales curas, quo solatio fulciremus. Sed auctor ille castitatis & misericordiæ singularis, qui nobis primæuum subtracturus erat filium, maturi fratris reseruauit affectum. Elegimus, deo auspice, consortem regni nostri felicissimum Theodahaldum: vt qui hactenus Reip. molem solitaria cogitatione pertulimus, nunc vtilitates omnium iunctis consiliis exequamur: quatenus in tractatib. duo, in sententiis vnum esse videamur. Astra ipsa cœli mutuo reguntur auxilio, & vicario labore participata Mundum suis luminibus administrant. Ipsi quoq; homini duplices manus, socias aures, oculos geminos, diuina tribuerunt: vt robustius perageretur officium, quod duorum fuerat societate complendum. Exultate P.C. & factum nostrum supernis commendate virtutibus. Nihil reprehensibile desideramus agere, quæ cum consilio alterius cuncta delegimus ordinare. Communio siquidem regni mores asserit: quoniam placabilis esse iuste creditur, qui potestatis suæ habere participem comprobatur. Reserauimus itaq, deo iuuante, palatia viro nostri generis, claritate conspicuo, qui Amalorum stirpe progenitus, regalem habeat in actib. dignitatem, patiens in aduersis, moderatus in prosperis, &, quod difficillimum potestatis genus est, olim rector sui. Accessit his bonis desiderabilis eruditio literarum, quæ naturam laudabilem eximie reddit ornatam. Ibi prudens inuenit vnde sapientior fiat. ibi bellator reperit, vnde animi virtute roboretur.

inde

inde princeps accipit, quemadmodum populos sub æqualitate componat. Nec aliqua in mundu potest esse fortuna, quam literarum oon augeat gloriosa notitia. Accipite quod maius generalitatis vota meruerunt. Princeps vester etiam Ecclesiasticis est literis eruditus: à quibus semper quicquid est pro honore commonemur iudicare recte, bonum sapere, diuina venerari, futura cogitare iudicia. Necesse est enim, vt sequatur iustitiæ vestigium, qui de sua sententia causam se credit esse dicturum. Viderim quæ lectio acuat ingenium diuina, semper efficere nititur pium. Veniamus ad illum priuatæ Ecclesiæ largissimam frugalitatem, quæ tantam procurabat donis abundantiam, conuiuiis copiam, vt consideratio eius antiquo studio, nihil noui habere videatur in regno. In hospitalitate promptus, in miseratione pissimus. Sic cum multa expenderet, census eius cœlesti remuneratione crescebat. Talem vniuersitas debuit optare qualem nos probamur elegisse, qui rationabiliter disponens propria, non appetat aliena. Tollitur enim necessitas principibus excedendi, quoties assueuerint propria moderari. Laudata nimirum sententia, quæ rerum præcipit modum quia nimium non placet, etiam quod bonum putatur. Gaudete P. C. & supernæ gratiæ pro nobis vota persoluite: quando talem mecum constitui principem, qui & de nostra equitate bona faciendo propria suæ pietatis ostendat, Hunc enim Maiorum suorum commonet virtus, & auunculus efficaciter excitat Theodericus.

THEODAHADI GOTHI REGIS ROMANORVM

CONSTITVTIONES.

I. De modesta disciplina seruanda, & illicitis præsumptionibus corrigendis. Anno Chr. 534.

Theodahadus Rex Theodosio homini suo.

POtestatis nostræ censuram, rerum volumus esse modestiam, vt quantum diuina beneficia percepimus, tantum æquabilia plus amemus. Priuata siquidem studia à nostro animo probantur exclusa: quia generalis dominus custos factus sum, Deo auxiliante, cunctorum. Et ideo præsenti iussione præcipimus, vt quicunque ad domum nostram noscitur pertinere, & curæ tuæ probatur esse commissus, nullis præsumptionibus insolescat. Quia solus dicendus est ille meus, qui legibus potuerit esse tranquillus. Augete famam nostram, per patientiam vestram. Si quis habuerit cum altero forte negocium, ad communia iura descendite, fora vos tueantur, non iniqua præsumptio. A domesticis inchoare volumus disciplinam, vt reliquos pudeat errare, quando nostris cognoscimur excedendi licentiam non præbere. Mutauimus cum dignitate propositum, & si ante iusta districte defendimus, nunc clementer omnia mitigamus: quia domum exceptam non habent principes, sed quicquid diuino auxilio regimus, nostrum propriè confitemur. Estote ergo circa eos, qui iuri nostro ante fuere subiecti, omnino soliciti: nullum contra legem aliquid permittatis excedere. Laus ad me vestra potius perueniat, quam aliqua querela procedat: quia bona conscientia tunc vere imperat, cum generaliter præstare festinat.

II. De officio Quæstoris.

Theodahadus Rex Patritio V. I. Quæstori.

NEcessarium probatur esse Reipub. personas dignitatibus aptas eligere: vt cui iustitia committitur, malis moribus non grauetur. Alioqui inefficax est, ab homine exigere quod agnoscitur non habere: contra, confidenter quæritur quod inesse sentitur. Et ideo primum nobis placuit tuos mores inspicere, sine quibus possunt quælibet optima displicere. Ornamentum enim bonorum omnium est syncera benignitas, quæ non est sola, quia de virtutibus videtur esse generata. Ordinem serua nostri iudicii: vt sicut hæc prima quæsiuimus, ita te custodire iustitiam per omnibus sentiamus. Secunda nobis cura fuit, eloquentiæ tuæ fluenta perquirere? quam licet singulariter diligamus, moribus tamen iuste postponimus. In illis enim vita cognoscitur, hic tantum lingua laudatur: sed in te valde decorum: quia vtrunq; nosceris habere sociatum. Æqualiter enim splendes actionis merito, & dictationis eloquio: vt iuste possit intelligi, per te voluntas principis expediri. Nam inter cæteras artes oratoriam sic diligimus, vt eam ornamentum omnium literarum esse fateamur. Quicquid enim in qualibet disciplina concipitur, ab ista sub decore profertur. Reperiat quanvis magna philosophus, quid proderit sentire, si laudabiliter non possit extollere? Naturale est, invenire: sed facundius decentes asserere. Quale enim cunctis desiderantibus loqui? & res communes ita diserte dicere, quas etiam prudentes se mirentur audisse: In hac te cognovimus arte prævalidum, vt & suadere possis suaviter, suggestionibus tuis nescias maligna miscere. Atqoe ideo Quæsturæ tibi fasces per decimam tertiam Indictionem, propitia divinitate concedimus: vt facias generalitatis votum iuridicorum sequendo iudicium. Totum te legibus, totum responsis trade prudentium. Sic nobis optime consulueris, si priscorum servias constitutis. Considera in verbis tuis laudem positam principalem. Fama nostra est, quod loqueris: conscientia, sine dubitatione quod sentis. Intellige tamen quantum sit, quod à te exigatur, cui opinio nostra commit-

titut. Hæc ſubiectos noſtris amplectitur, hæc per gentes exteras peruagatur, per hanc vbi non videmur, agnoſcimur. Decreta noſtra tradunt ciuitatibus prouinciisque ſermones. Iudicare de nobis poſſunt, qui etiam noſtris iuſſionibus obſequuntur. Summo ergo ſtudio conſtat eſſe ſeruandum, quod de nobis poteſt ferre iudicium.

XLIV. De Romanorum participatione in curis imperialis regiminis.

Theodahadus Rex Senatui vrbis Romæ.

POſtquam venerabiles viros Epiſcopos agnita legatione remiſimus: nec petitionibus veſtris, quamuis eſſent quædam reprehenſibilia, nuſquam animus obuiaſſet, venientes ad nos aliqui retulerunt, ciuitatem Romanam adhuc inepta ſolicitudine laborare, & id agere, vt ſi noſtræ manſuetudinis intereſſet, pericula ſibi potius certa ex dubiis ſuſpicionib. concitaret. Vnde æſtimate, cui debeat populorum inanis leuitas imputari, niſi veſtro ordini, à quo decuerat cuncta componi. Per veſtram ſiquidem ſapientiam admoneri prouincias oportuit vniuerſas: vt talia probarentur aſſumere, quæ principis primordia viderentur ornare. Verum quæ ciuitas non fiat excuſabilis, ſi Roma deliquerit? Rex minor ad potioris currit exemplum, & alieni facti iure inuidiam ſuſtinet, quæ peccatis præſtat exemplum. Sed gratias diuinitati referimus, quæ dona ſua veſtris potius ornauit exceſſibus. Ecce prius culpas ignoſcimus, quam deuotiones aliquas ſentiamus. Nihil debemus, & ſoluimus: ante benefici ſumus, vt poſtea gratiſſimos inuenire poſſimus. Sed licet in hac parte noſtræ modeſtiæ grauitas aſſeratur, nolumus tamen nos tantum prædicari, niſi vt deuotionis Romanæ benignitas poſſit oſtendi. Plus enim de veſtra opinione paſcimur, quam ſi de noſtra ſemper tranquillitate laudaremur. Amouete ſuſpiciones ab ordine veſtro ſemper extraneas. Non decet Senatum corrigi, qui debet alios paterna exhortatione moderari. Nam ex quibus habebunt genium mores, ſi parentes publicos minores contigerit inueniri? Sufficiunt hæc nobilibus, ſufficiunt iſta verecundis, vt ad ſtudium perfectæ deuotionis incitemus, quos paululum de praua ſuſpicione culpamus. Nos enim, quod præſentiam veſtram expetiuimus, non vexationis iniuriam, ſed vtilitatis veſtræ cauſas profunda cogitatione tractauimus: vt illud magis debuiſſetis efficere, quod vobis cognouimus expedire. Certum munus eſt, videre principem. Hoc à vobis pro Reip. vtilitate volumus fieri, quod præmiis ſolebat optari. Sed ne ipſa remedia in aliqua parte viderentur auſtera, cum res popoſcerit, aliquos ad nos præcipimus euocari, vt nec Roma ſuis ciuib. exuatur, & noſtra conſilia viris prudentibus adiuuentur. Redite ergo in priſtinam deuotionem, vt ſolicitudines meæ quas pro generalitate ſuſtineo, veſtro potius adiuuentur ingenio. Quia hoc vobis ſemper inſitum fuit, principibus veſtris votum puritatis offerre: nec parere neceſſitate terroris, ſed potius amore dominantis. Reliqua per illum harum portitorem verbo dicenda commiſimus: vt ſummotis cogitationibus ambiguis, noſtris admonitionibus credere debeatis.

XLV. Super eodem.

Theodahadus Rex Populo Romano.

LIcet vobis inſitum, dominos veſtros pura mente deligere, & obſequiis id agere, vt regnantis animum poſſitis habere placabilem: hoc tamen maiorum veſtrorum ſemper proprium fuit, vt tanquam membra capiti, ita ſuis principibus viderentur adiungi. Quam enim viciſſitudinem reddat, qui maximo labore defenditur, cuius per dies ſingulos ciuilitas cuſtoditur, niſi vt illos diligat ſupra omnia, per quos habere probatur vniuerſa? Abſit n. à temporib. noſtris, vt in vobis aliquid tale reperiamus, quod noſtris indignationib. eſſe poſſit idoneum. Fides veſtra quæ vos hactenus aſſeruit, modo potius euidenter, oſtendatur. Non vanum, non doloſum, nec ſeditionibus plenum, populum decet eſſe Romanum. Mali mores noſtro nomini prodantur aduerſi. Sed hoc quoque mirabile eſt, quod grauitatem veſtram cogimur admonere, quem conſtat ſemper ſponte ſapuiſſe. Nullæ vos ineptæ ſuſpiciones, nulla timoris vmbra deterreat. Habetis principem, qui pietatis ſtudio optet in vobis inuenire, quod diligat. Hoſtibus veſtris, non defenſoribus obiectis. Inuitare, non excludere debuiſtis auxilium. Sed ſenſus iſte fortaſſis eorum eſt, qui minus probantur intelligere, quæ generaliter poterant expedire. Ad veſtrum potius redite conſilium. Nunquid vos noua gentis facies vlla deterruit? Cur expauiſtis, quos parentes hactenus nominaſtis? Qui relictis familiis ad vos venire properabant, de veſtra erant potius ſecuritate ſoliciti. Quando, rogo, talis ab illo viciſſitudo recepta eſt, cui ſalutis præmia debebantur? Illud enim, quod ad nos attinet, ſcire debuiſtis: quia die noctuque inceſſanter optamus, vt quod parentũ noſtrorum temporibus conſtat enutritum, ſub nobis potius diuinis auxiliis augeatur. Vbi enim fama regnantis erit, ſi vos (quod abſit) patiamur imminui? Nolite talia cogitare, qualia nos minime videtis aſſumere. Imo magis, ſi quis aliqua iniquitate depreſſus eſt, ſpem de bona conſcientia non amittat. Quoniam ſubleuare cupimus, quos intendere probis moribus inuenimus. Aliqua etiam vobis per illum dicenda commiſimus: vt noſtrum circa vos in omni parte animum propitium ſentientes, iugibus (ſicut oportet) obſequiis, & oratione ſyncera deuoti eſſe debeatis.

XLVI. De

XLVI. De Sacramento à Rege prestito Imperio.

Theodahadus Rex Senatui vrbis Romæ.

IMperiosa nimium res est P. C. pietas nostra, quando propria voluntate vincimur, qui alienis conditionib. non tenemur. Nam cum (deo præstante) possimus omnia, sola nobis licere credimus laudanda. Cognoscitis prudentes viri verba, quæ loquimur: vel nunc clementiam, quam vobis ante promittere debuistis, agnoscite. Ecce nec solicitos patimur, quibus infensi esse putabamur. Sic est à principe grauis vincenda suspicio: sic curare debuit, qui noxius esse non voluit. Postulata siquidem sacramenta, vobis ab illo atque illo præstari, nostra decreuit auctoritas, quod bene imperaturo non est difficile persuasu: quia sic vobis securitatem dedimus, vt nihil nostro proposito addere videremur. Talia siquidem, qualia promittimus, eramus acturi: quia deo debemus ista, non homini. Nam qui per lectiones sacras antiqua regna eucurrimus, quid aliud optare possumus, nisi quod diuinitati in alijs placuisse sentimus? Ipse enim remunerator est bonorum omnium Deus. Nam quicquid in subiectos pietatis efficimus, illum nobis repensare sine dubio iudicamus. Quapropter conscientiam fidelem adepta securitate monstrate. Quia post talia redditur clementiæ nostræ, potius quam offertur affectus.

XLVII. Super eodem.

Theodahadus Rex Populo Romano.

COgnoscite Quirites, quali vos princeps vester firmitate dilexerit, vt tentatus asperis rebus non vos pateretur esse solicitos: nec volumus amplius vota vestra differri, quos semper optamus in summa Reip. celebritate lætari. Vestra enim securitas noster ornatus est: & hoc vere gratanter accipimus, cum gaudia vos habere sentimus. Quapropter flexi petitionibus vestris per illum atque illum præstari vobis sacramenta censuimus, vt Regis vestri animum non habeatis incognitum, nec liceat falsis suspicionibus errare, dum manifeste tenea tur, quod creditis in principe. Aestimate, quid vobis benignitatis videatur impendi, quando ille iurat, qui non potest cogi. Scimus enim pro remedio nos datos esse cunctorum: non despicimus sanare subiectos, & ideo libet culmini nostro videretur in congruum, libenter acquieuimus facere, quod generalitatem probamus optasse. Intelligite quantum vobis imponere vester videatur affectus: fide vobis constringimur, qui vel solo verbo promissa sacris lectionibus admonemur. Ostendite nunc deuotionem vestram, supernæ maiestati iugiter supplicate, vt tranquilla tempora, quæ vos habere cupimus, cœlesti munere concedantur.

XLVIII. De relaxatione Monialium ob agri sterilitatem, & de pace religionis.

Theodahadus Rex Iustiniano Imperatori.

INtelligimus, serenitatis vestræ gratiam muneribus omnibus ditiorem: quando illa nos hortamini facere, quæ ad mercedem nostram possint omnimodis pertinere. Tale siquidem votum semper amantis est, vt causas misericordiæ velitis agere, quæ nos diuinæ possint commendare potentiæ. Et ideo significamus gloriæ vestræ, monasterium famularum dei, quod vobis insinuatum est tributorum graui sorte laborare, eo quod ager eius nimia inundatione perfusus sterilitatis vitia de inimica humectatione contraxerit, ad virum eminentissimum Senatorem, Præfectum Prætorio dedisse nos nihilominus iussionem: vt eius ordinatio prouida ad prædium, de quo querela est, diligens inspector accedat, & rebus moderata inquisitione trutinatis, quicquid grauaminis potest habere possessio rationabiliter abrogetur: ita vt competens atque sufficiens dominis remanere possit vtilitas. Quia vere nobis lucrum pretiosissimum iudicamus, quod pro mansuetudinis nostræ voluntate concedimus. Veranildæ quoque causa, vnde vestra serenitas me commonere dignata est, quamuis ante longum tempus sub parentum nostrorum regno contigerit, tamen necesse nobis fuit negocium de nostra largitate componere: vt tali facto, eam non pœniteret, mutata religione. Earum siquidem rerum iudicium non præsumimus, vnde mandatum specialiter non habemus. Nam cum diuinitas patiatur, multas religiones esse, nos vnam non audemus imponere. Retinemus enim legisse, voluntarie sacrificandum esse domino, non cuiusquam cogentis imperio. Quod qui aliter facere tentauerit, euidenter cælestibus iussionibus obuiauit. Merito ergo pietas vestra inuitat nos ad talia, quæ nobis præcipiunt diuina mandata.

XLIX. De frumento ob famem ex horreo publico vendendo.

Theodahadus Rex * Honorio Præfecto.

* Senatori Præf. P.al. Senariè præposito.

NOn dare, sed reddere videtur expensas, quisquis tributariis aliquo remedio subuenire festinat. Quid enim iustius est, quam petenti conferre, quod intelligitor ipse laborasse? Ad misericordiam forsitan poscantur ociosi: cultor agri ad futuram famem deseritur, nisi ei, cum necesse fuerit, subuenitur. Quapropter industriosæ Liguriæ, deuotisq; Venetis, copia subtracta dicitur esse de campis: sed omne nascatur in horreis: quia nimis impium est, plenissimus cellis vacuos esurire cultores. Atq; ideo illustris magnitudo tua, quorum dignitas ad hoc legitur instituta, vt de repositis copiis populum saturare possetis, Liguribus, quos tamen indigere agnoscitis tertiam portionem ex horreis Ticinensibus atq; Dertonensibus per solidum viginti quinq; modios distrahi censitote. Venetis autem ex Taruisino atq; Tridentino horreis ad definitam superius quantitatem item dari facite tertiam portionem. Vt miserata di-

uinitas copiam largiri possit, quam homines in se exercuisse cognoscit. Et ideo tales viros his distri-butionibus adhibete. Vt indulgentia nostra maxime ad illos perueniat, qui suis viribus pasci minime potuerunt.

L. De electione populi in quinquennium.

Theodahadus Rex Senatori populo.

DEcet, regiam Iustitiam custodire, quod à Iudicibus bene agentibus fuerit ordinatum: maxime quorum conscientia sic nota est, vt nihil incautè, nihil venalitatis studio, fecisse videantur. Et ideo Arcarios prorogatores tritici, vini & casei, macellarios, vinarios, capitularios horreariorum & tabernariorum, fœnerarios & cellerarios, qui ad vrbem Romanam, vel ad mansionem pertinent Rauennatem, sed & eos, qui ripam Ticinensem & Placentinam, siue per alia loca quicunq. publicos titulos administrare noscuntur, quos à vobis comperimus ordinatos, cuius iudicia sic libenter amplectimur, sic seruari desideramus, tanquam à nobis facta esse credantur, nec sinimus contra illos cuiusquam prævalere malitiam, qui vestro iudicio administrationes publicas susceperunt. Quapropter in designatis titulis ambitio, inimica semper iustitiæ, conquiescat: consuetudinarium bene agentibus locum portinus tollamus inuidiæ: non liceat cuiquam inter quinquennium prædictis velle succedere, si tamen nostra inquisitione eos nulla culpa respuerit. Sint ergo intrepidi, qui vestra voluntate vel sunt vel fuerunt ordinati: procurent sibi necessaria securi. Non timeat intra hoc quinquennium expelli, quem commendauerit probitas actionis. Propter sterilitatem quoque præsentis temporis de singulis specieb. prout eminentiæ vestræ rationabiliter visum fuerit, pretia facite temperari. Vt hi, quibus commissum est exercere singulos apparatus, de iniusto grauamine non querantur. Sed quoniam humana ambitio nisi per metum damni non potest inhiberi, is qui à nobis titulis ordinatis, siue suffragiis, siue patronorum precibus visus fuerit cuiquam succedere, statim triginta librarum auri mulcta feriatur, à vobis nihilominus exigenda. Quod si ad hoc damnum idoneus non potuerit inueniri, corporali supplicio pœnam luat, qui non potuerit in supradicta percussione sufficere, & frustretur ausibus suis: pœna etiam inurendus infamiæ, qui contra interdicta nostra aliqua tergiuersatione venire tentauerit. Nihil enim securum, nihil poterit stabile reperiri, si semper inuidentium vota ad illicitas accedere permittantur insidias. Quod magnitudo vestra in omnium faciat peruenire notitiam. Ne quis per ignorantiam se æstimet excusandum, quod non intellexerit fuisse prohibitum.

VITIGIS GOTHI REGIS ROMANORVM

EDICTA.

Anno Chr. 536.

I. De Electione Regis.

Vitigis Rex vniuersis Gothis.

QVanuis omnis prouectus ad diuinitatis est munera referendus, nec aliquid constat bonum, nisi quod ab ipsa dignoscitur esse collatum: tamen quam maxime causa regiæ dignitatis supernis est applicanda iudiciis: quia ipse nihilominus ordinauit, cui suos populos parere cognoscit. Vnde auctori nostro gratias humillima satisfactione referentes, indicamus parentes nostros Gothos inter procinctuales gladios, more maiorum scutorum supposito, regalem nobis contulisse, præstante Deo, dignitatem. Vt honorem arma darent, cui bella opinionem pepererant. Non enim in cubilibus angustis, sed in campis late patentibus electum me esse noueritis: nec inter blandientium delicata colloquia, sed tubis concrepantibus sum quæsitus: vt tali fremitu concitatus desiderio virtutis ingenitæ Regem sibi Martium Geticus populus inueniret. Quandiu enim fortes viri inter bella feruentia nutriti principem ferre poterant, non probatum? vt de eius fama laboraret, quamuis de propria virtute præsumeret. Necesse est enim, talem de cunctis opinionem currere, qualem gens meruit habere rectorem. Nam sicut audire potuistis, parentum periculis euocatus adueneram communem cum omnibus subire fortunam: sed illi ducem me sibi esse non passi sunt, qui exercitatum Regem quærere videbantur. Quapropter primum diuinæ gratiæ, deinde Gothorum fauete iudiciis: quia me Regem omnes facitis, qui vnanimiter vota confertis. Deponite nunc damnorum metum, dispendiorum suspiciones abiicite, nihil sub nobis asperum formidetis. Amare nouimus viros fortes, qui sæpius bella peregimus. Additur, quod vnicuique virtutum vestrarum testis assisto. Ab alio enim mihi non est opus facta vestra narrari: quia omnia vobiscum laboribus sociatus agnoui. Amici Gothorum nulla promissionum mearum varietate frangendi sunt. Ad gentis vtilitatem respiciet omne, quod agimus: priuatim nec nos amabimus. Hoc sequi promittimus, quod ornet regium nomen. Postremo nostrum per omnia pollicemur imperium, quale Gothos habere deceat post inclytum Theodericum, vir ad regni curas singulariter & pulchrè compositus: vt merito vnusquisque principum tantum præclarus intelligatur, quantum consilia ipsius amare dignoscitur. Iccirco parens ipsius debet credi, qui eius facta potuerit imitari. Et ideo pro regni nostri vtilitate estote soliciti, de interna conuersatione, Deo iuuante, securi.

II. Vt

II. Vt Episcopi paratas faciant Legatis Regiis.

Vitigis Rex Episcopis suis.

SI sacerdotibus, etiam ignotis, honorem debemus: quanto magis illis, quos amabili veneratione inspeximus? Aliter enim requirimus notum, & aliter appellamus incognitum. Visorum maior semper affectus est, dum gratissime retinetur, qui assiduo & suaui sermone coniungitur. Et ideo per harum portitores, Legatos nostros, quos ad sereníssimum principem destinauimus, sanctitati vestræ præsentamus debitæ venerationis obsequium: sperantes, vt pro nobis orare dignemini & vbi vsus exegerit, * solatia vestra reperiant. Quia necesse est, vt bene velitis, quos vobis religione iunctos esse cognoscitis. * i. paratas & mansionatica.

RECESSVS SIVE DECRETIONES COMITIORVM COLONIENSIVM,

Quæ Childeberdus & Clotharius cum Proceribus & omni populo Francorum habuerunt Anno Domini DXXXIX. Anno Chr. 538.

DECRETIO CHILDEBERTI REGIS.

Childebertus Rex Francorum vir inluster.

CVm in Dei nomine nos omnes Cal. Mar. de quibuscunque conditionibus vna cum nostris optimatibus pertractauimus, ad vnumquenque notitia volumus peruenire.

2. Ita Deo auxiliante Attiniaco Cal. Mar. anno xx. regni nostri conuenit, vt nepotes ex filio vel ex filia ad auiaticas res cum auunculis vel amitis sic veniant in hæreditatem, tanquam si pater aut mater viui fuissent. De illis tamen nepotibus istud placuit obseruari, qui de filio vel filia nascuntur, non qui de fratre.

3. In sequenti hoc conuenit una cum leudis nostris, vt nullus de crinosis incestum vsum sibi societ coniugio, hoc est, nec fratris sui vxorem, nec vxoris suæ sororem, nec vxorem patris sui aut parentis consanguinei. Si quis vxorem patris acceperit, mortem incurrat. De præteritis vero incestis coniunctionibus per prædicationem Episcoporum iussimus emendari. Qui verò Episcopo suo noluerit audire & excommunicatus fuerit, perennem condemnationem apud Deum sustineat, & insuper de palatio nostro sit omnino extraneus, & omnes facultates suæ legitimis parentibus perueniant.

4. Similiter Traiecti conuenit nobis, Campo, vt quaslibet res ad vnum ducem vel iudicem pertinentes, per decem annos, quicunque inconcusso possedit, nullam habeat licentiam intertiandi, nisi tantum causa orphanorum vsque ad xx. annos licentiam tribuamus. Si quis super hoc iudicium præsumpserit intertiare, sol. xv. soluat, & rem intertiatam amittat. De reliquis vero conditionibus omnes omnino causas tricenaria lex excludit, præter id quod in alia regna hucusque detenuit.

5. Pari conditione conuenit Cal. Mar. omnibus nobis adunatis, vt quicunque raptum facere præsumpserit, periculum mortis incurrat, & nullus de optimatibus nostris de tam turpissimo vitio præsumat rogare, sed inimicum Dei unusquisque à modo persequatur. Qui vero edictum nostrum ausus fuerit irrumpere, iudex loci illius solatio collecto ipsum raptorem occidat & iaceat forbattutus. Et si ad Ecclesiam confugerit, reddatur ab Episcopo, & sine vlla precatione exinde separetur. Et si ipsa mulier postea raptori consenser t, ambo pariter in exilio transmittantur. Et si foras Ecclesiam capti fuerint pariter occidantur, & facultates illorum parentibus legitimis dentur, & quod fisco nostro debitum est, acquiratur.

6. De homicidiis vero ita iussimus obseruari, vt quicunque ausu temerario alium sine causa occiderit, vitæ periculo feriatur & nullo precio se redimere vnquam valeat. Et si conuenerit, vt ad compositionem quis descendat, nullus de parentibus, aut de amicis ei quicquam adiuuet. Quisquis fecerit, suum Weregildum omnino componat, quia iustum est, vt qui ioiuste nouit occidere, discat iuste mori.

7. De farfalio ita conuenit, vt quicunque lo malln præsumpserit farfalium minare, sine dubio suum Weregildum componat, quia omnino volumus vt farfalius reprimatur. Et si forsitan vt adsolet, iudex hoc consenserit: & fortasse adquiescet istum farfalium custodite, vitæ periculum per omnia incurrat.

8. De furibus & malefactoribus ita decreuimus obseruari, vt si quinque aut septem bonæ fidei homines absque inimicitia interposita eriminosum cum sacramenti interpositione esse dixerint, quomodo contra legem furtum perpetrauit, secundum legem moriatur. Et si iudex comprehensum latronem laxauerit, vitam suam amittat, & hæc disciplina in populo modis omnibus obseruetur.

9. Similiter Cal. Mar. Coloniæ conuenit, & ita banniuimus, vt vnusquisque iudex eriminosum latronem vt audierit, ad casam suam ambulet, & ipsum ligare faciat, ita vt si Francus fuerit ad nostram præsentiam dirigatur. Et si debilior persona fuerit, in collo pendatur.

10. Si quis centenarium aut quemlibet iudicem noluerit super malefactorem ad prindendum adiuuare, sol. lx. omnino condemnetur.

11. Et quicunque ſeruum criminuſum habuerit, & iudex rogauerit ipſum præſentare, & noluerit, ſuum Weregildum umninu cumponat.

12. Similiter conuenit, vt ſi furtum factum fuerit, capitale de præſenti centena reſtituat, & cauſatur centenarium cum centena requirat.

13. Pari conditione conuenit, vt ſi vna centena in alia centena veſtigium ſequuta fuerit, [illegible]uenerit, vel in quibuscunque fidelium noſtrurum terminis veſtigium miſerit, & ipſum in aliam [illegible]tenam minime expellere potuerit, aut conuictum reddat latronem, aut capitale de præſenti reſtituat, & cum XII. perſonis ſe ex hoc ſacramento exuat.

14. Si ſerui Eccleſiarum aut fiſcalini furtum admiſerint, ſimilem pœnam ſuſtineant, ſicut & reliquurum ſerui Francorum.

15. Diem dominicum ſimiliter placuit ubſeruare, vt quicunque ingenuus, excepto quod ad coquendum vel ad manducandum pertinet, opera alia præſumpſerit, ſi Francus fuerit ſul. XV. componat. Si Rumanus VII. S. Seruus autem tres ſolidos reddat, aut dorſum ſuum componat.

16. De chrene chruda lex quam paganorum tempore ubſeruabant, deinceps nunquam valeat, quia per ipſam cecidit multorum poteſtas. Datum pridie Calend. Mar. anno XX. regni Domini noſtri Coloniæ.

Pactum pro Tenore Pacis dominorum Childeberti & Clotharii Regum.

1. ET quia multorum inſaniæ conualuerunt, vt malis pro immanitate ſcelerum digna reddantur. Idcirco decretum eſt vt apud quencunque poſt interdictum, ſi latrocinium comprobatur, vitæ incurrat periculum.

2. Si quis ingenuam perſunam furto ligauerit, & negator extiterit, XII. Iuratores medios electos dare debet, quod furtum, quod obiieit, verum ſit. Quod ſi latro redimendi ſe habet facultatem, ſe redimat. Si facultas deeſt, tribus mallis, parentibus offeratur, & ſi non redimitur, de vita componat.

3. Qui furtum vult celare, & occulte ſine iudice compoſitiunem acceperit, latruni ſimilis eſt.

4. Si homo ingenuus in furto inculpatus, ad æneum prouocatus manum incenderit, quantum inculpatur, furtum componat.

5. Si ſeruus in furto fuerit inculpatus, requiratur à dominu vt ad vigiuti noctes ipſum in mallum præſentet. Et ſi dubietas eſt, ad ſortem ponatur. Quod ſi placitum ſunnis non detricauerit, & alias XX. noctes ita fiet, Et perſecutor cauſæ de ſuis conſimilibus tres, & de electis aliis tres dabit, qui ſacramenta firmarent per placita, quod lex Salica habet fuiſſe completum. Et ſi dominus ſeruum non præſentauerit, legem unde inculpatur, cumponat, & de ſeruu faciat ceſſionem.

6. Si ſeruus minus tremiſſu inuolauerit, & mala ſorte priſerit, Dominus ſerui, III. ſoluat, & ſeruus ille CCC. ictus accipiat flagellutum.

7. Si quis mancipia aliena iniuſte tenuerit, & inter dies XL. non reddiderit, vt latro mancipiorum teneatur obnuxius.

8. Si litus, de quu inculpatur, ad ſortem ambulauerit, mala ſorte priſerit, medietatem ingenuâ legem componat, & iuratores ſex medios electos dare debet.

Decretio Clotharii Regis,

1. DEcretum eſt, quia in vigiliis conſtitutis nocturnos fures non caperent, eo quod per diuerſas intercedente conludio ſcelera prætermiſſa cuſtodias exercent, centenas fieri. In qua centena aliquid deperierit capitale qui perdiderat recipiat, & latronem inſequantur. Vel ſi in alterius centenæ partem deduxerint, & adhuc admoniti ſi neglexerint, quinos ſul. condamnentur. Capitale tamen qui perdiderat, à centena illa accipiat abſque dubiu, hoc eſt, de ſecunda vel tertia cuſtodia.

2. Si veſtigium comprobatur latronis, tamen præſentia nihil longe multandus, aut ſi perſequens latronem ſuum comprehenderit, integram ſibi cumpoſitionem accipiat.

3. Quod ſi in truſte inuenitur, medietatem compoſitionis triſtis adquirat, & capitale exigat à latrone.

4. Si quis in domo alterius, vbi clauis eſt, furtum inuenerit, dominus domus de vita componat.

5. Si quis cum furto capitur, antedictæ ſubiaceat legi.

6. Si de ſuſpicione inculpatur, ad ſortem veniat.

7. Si mala ſorte priſerit, latro eſt, tamen ad vtranque partem ſiut ternæ perſonæ electæ, ne conludius fieri poſſit.

8. De ſeruis Eccleſiæ, aut fiſci, vel cuiuslibet quicunque inculpatur, ad ſortem veniat, aut ad plebium promoueatur, aut ipſum precium à domino reformetur. Nam probati periculu ſubiacebunt.

9. Si quis cuiuslibet de potentiuribus ſeruis qui per diuerſa poſſident, de crimine habetur ſuſpectus, domino ſecretius cum teſtibus condicatur, ut intra XX. noctes ipſum ante iudicem debeat præſentare. Quod ſi in ſtatutum tempus interludente conludiu non fecerit, dominus ſtatus ſui iuxta modum culpæ inter fredum & ſredum compenſabitur.

10. Si ſeruus ante admonitum dominum defuerit, capitale dominus reſtituat, & de ſeruo faciat ceſſionem, vt cum inuentus fuerit, detur in vindictam.

11. Si quis occulte de re ſibi futura à quulibet latrune compoſitionem acceperit, vterque latronis culpæ ſubiaceat, fur tamen iudici præſentetur.

12. Vt

12. Vt continuo capitale ei qui perdiderit reformare festinet, & latronem perquirat. Quem si in truste perinuenerit, medietatem sibi vindicet vel dilaturam. Si fuerit de facultate latronis, & qui damnum pertulit, satiatur: Nam si persequens latronem ceperit, integram sibi compositionem simul & solutionem, vel quicquid dispendii fuerit, reuocauit, fredus tamen iudici, in cuius pago est, reseruetur.

13. Nullus latronem, vel quemlibet culpabilem, sicut summis episcopis conuenit, de atrio Ecclesiæ trahere præsumat. Quod sibi sunt Ecclesiæ, quibus atria clausa non sint, ab vtraque parte parietum terræ spatium, arpennis pro atrio obseruetur.

14. Nullus confugiens foris ante dicta loca pro operatum cupiditate se dicat exire, Quod si fecerint, & capti fuerint, ad dignum sibi supplicium condamnentur.

15. Quod si cuiuslibet seruus deserens suum dominum ad Ecclesias confugerit, & ibi primitus dominus eius aduenerit, contentio excusatur, reddatur furtum, vt se de pretio redimat.

16. Si quis ad vestigium minandum, vel latronem persequendum admonitus venire noluerit, V. sol. condamnetur.

17. Ea quæ in Dei nomine pacis tenore constituimus, in perpetuum volumus custodire.

18. Hoc statuentes, vt si quis ex iudicibus hoc decretum violare præsumpserit, vitæ periculum subiacere cognoscat.

Hæc Childebertus & Clotharius ita inter se firmauerunt, vt ista omnia quæ cum Regnorum suorum sapientibus inuenerunt & constituerunt, inuiolabiliter omnique tempore conseruata mutuo fuissent.



RECESSVS SIVE CAPITVLARE COMITIORVM RATISPONENSIVM

Año Christi 742.

A * Carlomanno I. Francorum Principe, regnante Childerico II. celebratorum, Anno DCCXLII.

In nomine Domini nostri JESV CHRISTI.

EGo Carolomannus Dux & Princeps Francorum, anno ab Incarnatione Christi DCCXLII. XI. Kal. Maias, cum consilio seruorum Dei & Optimatum meorum, Episcopos, qui in regno meo sunt, cum Presbyteris ad Concilium & Synodum pro timore Christi congregaui: id est, Bonifacium *a* Archiepiscopum, & *b* Burchardum, & *c* Regenfredum, & *d* Wintanum, & *e* Willibaldum, & Deddanum, & Eddanum, cum Presbyteris eorum: vt mihi consilium dedissent, quomodo lex Dei & Ecclesiastica religio recuperetur, quæ in diebus præteritorum Principum dissipata corruit, & qualiter populus Christianus ad salutem animæ peruenire possit, & per falsos Sacerdotes deceptus non pereat, qui per falsus Sacerdotes hucusque deceptus est. Itaque per consilium Sacerdotum & Optimatum meorum ordinauimus per ciuitates Episcopos, & constituimus super eos Archiepiscopum Bonifacium, qui est Missus sancti Petri.

2. Statuimus quoque per annos singulos Synodum congregare, vt nobis præsentibus canonum decreta, & Ecclesiæ iura restaurentur, & religio Christiana emendetur: & fraudatas pecunias Ecclesiarum ecclesiis restituimus & reddidimus: falsos Presbyteros & adulteros vel fornicatores Diaconos & Clericos de pecuniis Ecclesiarum abstulimus, & degradauimus, & ad pœnitentiam coegimus. Seruos Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, vel in exercitum & in hostem pergere omnino prohibuimus, nisi illi tantummodo, qui propter diuinum ministerium. Missarum scilicet solemnia adimplenda, & sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi sunt: idest, vnum vel duos Episcopos cum Capellanis Presbyteris Princeps secum habeat: & vnusquisque Præfectus vnum Presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare, & indicare pœnitentiam possit. Nec non & illas venationes, & syluaticas vagationes cum canibus, omnibus seruis Dei interdiximus. Similiter vt accipitres & falcones non habeant.

3. Decreuimus quoque secundum Sanctorum canones, vt vnusquisq; Presbyter in Parochia habitans Episcopo subiectus sit illi, in cuius parochia habitat, & semper in Quadragesima rationem & ordinem ministerii sui, siue de baptismo, siue de fide Catholica, siue de precibus & ordine Missarum Episcopo reddat & ostendat. Et quandocunque, iure canonico, Episcopus circumeat parochiam ad populos confirmandos, Presbyter semper paratus sit ad suscipiendum Episcopum cum collectione & adiutorio populi, qui sibi confirmari debet: & in Cœna Domini semper nouum chrisma ab Episcopo quærat: & vt Episcopus testis assistat castitatis, & vitæ, & fidei, & doctrinæ illius.

4. Statuimus, vt secundum canonicam cautelam, omnes vndecunque superuenientes ignotos Episcopos vel Presbyteros ante probationem Synodalem in Ecclesiasticum ministerium non admittant.

Cusanus Cardinalis perperam Carolo Magno tribuit, qui huius Carolomanni fuit ex fratre Pipino nepos.
a Moguntinensem.
b Episcopum Wirciburgensem. Card. Cusanus male ponit Vormatiensem.
c Archiepiscopum Rothomagensem.
d Episcopum Birsburgensem.
e Eystetensem.

5. Decre-

5. Decreuimus, vt ſecundum canonem, vnusquisque Epiſcopus in ſua parochia ſolicitudinem adhibeat, adiuuante Gramone, qui defenſor Eccleſiæ eius eſt, vt populus Dei paganias non faciat, ſed vt omnes ſpurcitias gentilitatis abiciat & reſpuat, ſiue ſacrificia mortuorum, ſiue ſortilegos vel diuinos, ſiue phylacteria, auguria, ſiue incantationes, ſiue hoſtias immolatitias, quas ſtulti homines iuxta Eccleſias ritu pagano faciunt ſub nomine ſanctorum Martyrum, vel Confeſſorum, Deum & ſuos Sanctos ad iracundiam prouocantes: ſiue illos ſacrilegos ignes, quos *Niedfeor* vocant, ſiue omnes, quæcunque ſunt Paganorum, obſeruationes diligenter prohibeant.

al. Nedfratres al. Nedfri. Anleg. Riedfeor, quos adhuc menſe Martio faciunt ? apud Cuſam excoriatus.

6. Statuimus ſimiliter, vt poſt hanc Synodum, quæ fuit XI. Kalend Maii, quisquis ſeruorum Dei, vel ancillarum Chriſti in crimen fornicationis lapſus fuerit, in carcere pœnitentiam faciat in pane & aqua. Et ſi ordinatus Presbyter fuiſſet, duos annos in carcere permaneat, & antea flagellatus & * ſcorticatus videatur, & poſt Epiſcopus adaugeat. Si autem Clericus vel Monachus in hoc peccatum reciderit, poſt tertiam verberationem in carcerem miſſus, vertentem annum ibi pœnitentiam agat. Similiter & Nonnæ velatæ eadem pœnitentia contineantur, & radantur omnes capilli capitis earum.

7. Decreuimus quoque, vt Presbyteri vel Diaconi non ſagis Laicorum more, ſed caſulis vtantur ritu ſeruorum Dei, & nullus in domo ſua mulierem habitare permittat. Et vt Monachi & ancillæ Dei Monaſteriales, iuxta Regulam S. Benedicti ordinare & viuere vitam propriam gubernare ſtudeant: & vitam propriam gubernare ſecundum prædicti Patris ordinationem non negligant.

Año Chriſti 743.

DECRETA

Comitiorum Liſtinenſium eòdem Carolomanno Principe te.

MOdo autem in hoc Synodali conuentu, qui congregatus eſt ad Kalendas Martias, in loco qui dicitur * Liſtinas, omnes venerabiles Sacerdotes Dei & Comites & Præfecti, prioris Synodi decreta conſentientes, firmauerunt ſe implere velle & obſeruare promiſerunt. Et omnis Eccleſiaſtici ordinis Clerus, Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi cum Clericis ſuſcipientes antiquorum Patrum Canones, promiſerunt ſe velle Eccleſiaſtica iura moribus & doctrinis & miniſterio recuperare. Abbates & Monachi receperunt Regulam ſancti Patris Benedicti ad reſtaurandam normam regularis vitæ.

*in diœceſi Cameracenſi. al. Liptinas.

2. Fornicatores & adulteros Clericos, qui ſancta loca vel monaſteria ante tenentes coinquinauerunt, præcipimus inde tollere, & ad pœnitentiam redigere, & ſi poſt hanc definitionem in crimen fornicationis vel adulterii ceciderint, prioris Synodi iudicium ſuſtineant: ſimiliter & Monachi & Nonnæ.

3. Statuimus quoque cum conſilio ſeruorum Dei & populi Chriſtiani propter imminentia bella & perſecutiones cæterarum gentium, quæ in circuitu noſtro ſunt, vt ſub precario cenſu aliquam partem Eccleſialis pecuniæ in adiutorium exercitus noſtri, cum indulgentia Dei, aliquanto tempore retineamus, ea conditione, vt annis ſingulis de vnaquaque caſſata ſolidus, id eſt, duodecim denarii ad Eccleſiam vel Monaſterium reddatur, eo modo, vt ſi moriatur ille, cui pecunia * commodata fuit, Eccleſia cum propria pecunia reueſtita ſit: & iterum, ſi neceſſitas cogat, vt Princeps iubeat, precarium renouetur & reſcribatur nouum, & omnino obſeruetur, vt Eccleſiæ vel Monaſteria penuriam vel paupertatem non patiantur, quorum pecunia in precario præſtita ſit, ſed ſi paupertas cogat, Eccleſiæ & domui Dei reddatur integra poſſeſſio.

* al. commendata.

4. Similiter præcipimus, vt iuxta decreta canonum adulteria & inceſta matrimonia, quæ non ſunt legitima, prohibeantur & emendentur Epiſcoporum iudicio, & vt mancipia Chriſtiana Paganis non tradantur.

5. Decreuimus quoque, quod & † pater meus ante præcipiebat, vt qui Paganas obſeruationes in aliqua re fecerit, mulctetur & damnetur quindecim ſolidis.

† Carolus Martellus.

RECESSUS SIVE CAPITULARE COMITIORUM METTENSIVM

Año Chriſti 755.

A Pipino Francorum Rege, & patritio Romanorum, Defenſore S. Dei Eccleſiæ, celebratorum, Anno DCCLV.

CAP. I. *De Inceſto.*

SI homo inceſtum commiſerit de iſtis cauſis, de Deo ſacrata, aut commatre ſua, aut cum matrina ſua ſpiritali de fonte & confirmatione Epiſcopi, aut cum matre & filia, aut duabus ſororibus, aut cum matris filia, aut ſororis filia, aut nepte aut cum conſobrina aut ſobrina, aut cum amita & matertera, de iſtis capitulis pecuniam ſuam perdat, ſi habet: & ſi emendare ſe noluerit, nullus eum

eum recipiat, nec cibum ei donet, & si hoc fecerit, LX. sol. Domno Regi componat, vsque dum se ipse homo correxerit. Et si pecuniam non habet; si liber est, mittatur in carcerem vsque ad satisfactionem: si seruus aut libertus est, vapuletur plagis multis. Et si Dominus suus permiserit eum amplius in tale facinus cadere, ipsos LX. solidos Domno Regi componat.

CAP. II. *De eodem.*

Da Ecclesiasticis vero, si bona persona fuerit, perdat honorem suum: Minores vero vapulentur, aut in carcere recludantur.

CAP. III.

De Presbyteris & Clericis ad Synodum commonendis.

De Presbyteris & Clericis sic ordinamus, vt Archidiaconus Episcopi eos ad Synodum commoneat vna cum Comite: & si quis contempserit, Comes eum distringere faciat, vt ipse Presbyter aut Defensor suos LX. solid. componat, & ad Synodum eat, & Episcopum ipsum Presbyterum & Clericum iuxta Canonicam auctoritatem diudicare faciat: solidi vero LX. de ipsa causa in sacello Regis veniant. Et si aliqois per violentiam Presbyterum aut Clericum vt incestuosum contradixerit, tunc Comes ipsam personam per fideiussoris positum ante Regem faciat vna cum Misso Episcopi venire, & Domnus Rex distringat, vt cæteri emendentur.

CAP. IV. *De Toloneis.*

De toloneis sic ordinamus,, vt nullus de victualia & carnalia, quod absque negotio est, toloneos non prehendat. De saumis vero similiter vbicumque vadunt, & de peregrinis similiter constituimus, qui propter Dominum ad Romam, vel alibi vadunt, vt ipsi per nullam occasionem ad pontes, & ad exclusas, aut nauigio non detineantur propter scrippa sua. Nullus peregrino calumniam faciat, nec vllum teloneum ei tollat, & si aliquis hoc fecerit, qualiscumque homo hoc comprobauerit, de LX. solid. XXX. illi concedemus, & illi alii in sacello Regis venient.

CAP. V. *De Moneta.*

De Moneta constituimus, vt amplius non habeat in libra pensante, nisi XXII. solid. & de ipsis XXII. sol. monetarius accipiat solidum vnum, & illud alius domino, cuius sunt, reddat, vt immunitates conseruatæ sint.

CAP. VI. *De iustitia facienda.*

Vt omnes iustitiam faciant tam publici quam Ecclesiastici, & si quis homo ad palatium venerit pro causa sua, & ante ad illum Comitem non innotuerit in mallo ante Racemburgos, & causa sua ante ipsum Comitem fuit, ante Racemburgos hoc sustinere noluerit, qood ipsi ei legitime iudicauerint, si pro ipsis causis ad palatium venerit, vapuletur: & si maior persona fuerit, Regis arbitrium erit. Et si reclamauerit, quod legem ei non iudicassent, tunc licentiam habeat ad palatium venire pro ipsa causa: & si ipsos conuincere poterit, quod legem ei non iudicassent, secundum legem contra ipsum emendare faciant. Et si Comes & Racemburgi ei conuincere potuerint, quod legem ei iudicassent, & ipse hoc recipere noluerit, hoc contra ipsos emendare faciat.

CAP. VII. · *De eodem.*

Similiter de Ecclesiasticis, si ad palatium venerint de eorum causa sibi reclamare, nisi super seniore, vapulentur, nisi senior huius pro sua causa transmiserit.

PIPPINI

PIPPINI REGIS FRANCORUM, ET PATRITII ROMANORUM, DEFENSORIS SANCTÆ DEI ECCLESIÆ,

Año Christi 764.

EDICTUM

De gratiis Deo agendis pro annonæ copia, & eleemosynis faciendis.

*Pippinus Gratia Dei Rex Francorum, vir inluster, Domino sancto Patri Lullo * Episcopo.*

* Moguntino.

COgnitum scimus sanctitati vestræ, qualem pietatem & misericordiam Deus fecit præsenti anno in terra ista. Dedit tribulationem pro delictis nostris: post tribulationem autem, magnam atque mirabilem consolationem sine abundantiam fructus terræ, quem modo habemus. Et ob hoc, atque pro aliis causis nostris opus est nobis illi gratias agere, quia dignatus est fetuos suos consolari per eius misericordiam. Sic nobis videtur, vt absque ieiunio indicto vnusquisque Episcopus in sua parochia Litanias faciat, non cum ieiunio nisi tantum in laude Dei, qui talem nobis abundantiam dedit: & faciat vousquisque homo suas eleemosynas, & pauperes pascat. Et sic prævidere faciatis, & ordinare de verbo nostro, vt vnusquisque homo, aut vellet aut nollet, suam decimam donet. Valete in Christo.



CAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI

Año Christi 777.

CONSTITVTIO.

De Priuilegiis nobilium Francorum & Germanorum, subactis Saxonibus sancita Padrabrunni in Comitiis generalibus.

ITe, Milites mei: vos Heroes vocabimioi, socii Regum, Iudices criminum. Viuite posthac labo ris expertes, cosulite Regibus publico nomine, fauete orphanis, iuuate pupillos, consilio circumdate Principes: ab his victum, & vestitum, & stipedium petite: si quis oegauerit, inglorius infamisque esto.

2. Si quis iniuriam vobis iotulerit, reum se Maiestatis agnoscat.

3. Vos autem cauete, ne tantum decus, tantumque priuilegium, iusto bellorum labore partum, aut ebrietatis, aut scurrilitatis, aut alio quouis vitio maculens, ne, quod largimur vobis ad gloriam, tedundet ad pœnam, quam de vobis sumendam, si forte excesseritis, nobis & successoribus nostris Romanorum Regibus perpetuo teseroamus, &c.

Año Christi 778.

RECESSVS SIVE CAPITVLARE

Comitorum Generalium Anno Domini DCCLXXVIII. habitorum.

ANno feliciter vndecimo Regni Domini nostri Karoli Gloriosissimi Regis, in mense Maii, factum Capitulare, qualiter congregatis in vnum Synodali Concilio Episcopis, Abbatibus, virisque Illustribus. Cominbus, vna cum pijssimo Domino nostro secundum Dei voluntatem de causis opoetunis consenserunt Decretum.

CAP. I. *De Metropolitanis.*

Vt Suffraganei Episcopi secundum canooes subiecti sint, & ea, quæ erga ministerium illorum emendanda cognoscant, libenti animo emeodent, atque corrigant.

CAP. II. *De Episcopis.*

Vbi præsentes Episcopi ordinati non sunt, sine tarditate ordinentur,

CAP. III.

CAP. III. *De Monasteriis.*

Vt, vbi Regulares fuerunt, secundum regulam viuant. Necnon & Monasteria puellarum ordinem sanctum custodiant: & vnaquæque Abbatissa in suo monasterio sine intermissione resideat.

CAP. IV.

Vt Episcopi de Presbyteris & Clericis infra illorum parochia potestatem habeant secundum canones.

CAP. V.

Vt Episcopi de incestuosis hominibus emendandi licentiam habeant, seu & de viduis infra sua parochia potestatem habeant corrigendi.

CAP. VI.

Vt nulli liceat alterius clericum recipere aut ordinare in aliquo gradu.

CAP. VII. *De decimis.*

Vt vnusquisque suam decimam suam donet, atque per iussionem Pontificis dispensetur.

CAP. VIII. *De homicidis.*

Vt homicidæ, aut cæteri rei, qui legibus mori debent, si ad Ecclesiam confugerint, non excusentur, neque eis ibidem victus detur.

CAP. IX. *De latronibus.*

Vt latrones de infraemunitate Iudices ad Comitis placita præsentent, & qui hoc non fecerit, beneficium & honorem perdat.

2. Similiter & Wassus noster, si hoc non impleuerit, beneficium & honorem perdat, & qui beneficium non habuerit, bannum soluat.

CAP. X. *De periuris.*

De eo, qui periurium fecerit, se sciente, nullam redemptionem habeat, nisi manum perdat.

1. Quod si accusator contendere voluerit, de ipso periurio, stent ad crucem. Et si iurator vicerit, lege sua accusator emendetur.

3. Hoc vero de minoribus causis obseruandum. De maioribus vero rebus, aut de statu ingenuitatis, secundum legum custodiant.

CAP. XI.

De latronibus iuste peremptis, & hominibus iniuste punitis.

De vindicta & iudicio iusto in latronibus facto, testimonio Episcoporum absque peccato Comites esse dicuntur: sic tamen vt absque inuidia, aut occasione mala, & nihil aliud ibi interponatur, nisi vera iustitia ad perficiendum, & pacem confirmandam. Et si quis per odium, aut malum ingenium nisi per iustitiam faciendam, hominem disfecerit, honorem suum perdat, & legibus, contra quem iniuste fecit, secundum pœnam, quam intulit, emendet.

CAP. XII. *De statutis Pipini Regis.*

Quæ bonæ memoriæ* genitor noster in sua placita constituit, sic & nos conseruare volumus. * fc. Pipinus.

CAP. XIII.

De nonis & decimis, vel censu Ecclesiarum.

De rebus vero Ecclesiarum, vnde nunc pensiones exeunt, decima & nona sint solutæ. Vnde antea non exierint, similiter non & decima dentur, ac de casatis quinquaginta solid. i. & de casatis 30. medio solido, & de viginti tremisse vno. Et precariæ, vbi modo sunt, renouentur, vbi non sunt, scribantur. Et sit discretio inter præstarias de verbo nostro factas, & inter eas, quæ spontanea voluntate de ipsis rebus Ecclesiarum faciunt.

CAP. XIV. *De truste.*

De truste facienda nemo præsumat.

CAP. XV. *De tributariis Ecclesiarum.*

De cerariis, & tabulariis, atque * carnuiariis, sicut de longo tempore fuit, obseruetur. *al. Castulariis.

CAP. XVI.

Vt sacramentum pro gildonia non fiat.

De sacramentis per geldonia inuicem coniurantibus, vt nemo facere præsumat. Alio vero modo de illorum eleemosynis, aut de incendio, aut de naufragio, quamuis † conuenientiam faciant, nemo in hoc iurare præsumat. † al. cohibentiam.

CAP. XVII.

Vt iterantibus nullus impedimentum faciat.

De iterantibus, qui ad Palatium, aut aliubi pergunt, vt eos cum collecta nemo sit ausus salire.

C A P. XVIII. *De herba non tollenda.*

Vt nemo alterius herbam defensionis tempore tollere præsumat, nisi in hostem pergendo, aut Missus noster sit. Qui aliter facere præsumit, emendetur.

C A P. XIX. *De theloneis forbannitis.*

De tholoneis, qui iam antea forbanniti fuerunt, vt nemo tollat, nec nouos, vbi antiquo tempore consuetudo fuit, præsumat.

C A P. XX. *Vt mancipia non sine testibus vendantur.*

De mancipiis, tot qui venduntur, vt fiat in præsentia Episcopi, vel Comitis, aut in præsentia Archidiaconi & Centenarii, siue Vicedomini, aut Iudicis, aut Comitis, ante bene nota testimonia. Et foras marcha nemo mancipium vendat. Qui hoc fecerit, tantas vices bannum soluat, quanta mancipia vendit. Et si non habet precium, in Wadium pro seruo semetipsum donet Comiti vsque dum ipsos bannos solvat.

C A P. XXI. *De brunnis non exportandis.*

De bruniis, vt nullus foras nostro Regno vendere præsumat.

C A P. XXII. *De Comitibus vel Wassis Dominicis iustitias non facientibus.*

Si Comes in suo ministerio iusticias non fecerit, Missum nostrum de sua sonniare faciat, vsque dum iusticia ibidem factæ fuerint.

3. Et si Wassus noster iusticias non fecerit, tunc & Comes & Missus, ad ipsius causam sedeant, & de suo viuant, quousque iusticias fecerint.

C A P. XXIII. *De his, qui precium pro faida recipere, & iustitiam facere nolunt.*

Si quis pro faida precium recipere non vult, tunc ad nos sit transmissus, & nos eum dirigamus, vbi damnum minime facere possit. Simili modo & qui pro faida precium soluerit noluere, nec iustitiam exinde facere, in tali loco eum mittere volumus, vt per eum maius damnum non crescat.

C A P. XXIV. *De latronibus bis per membra, & tertio per vitam puniendis.*

De latronibus ita præcipimus obseruandum, vt per primam vicem non moriantur, sed oculum perdant.

2. De secunda vero culpa, nasus ipsius latronis abscindatur.

3. De tertia vero culpa, si non emendauerit, moriatur.

Anno Chr. 779.

CAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI

CONSTITVTIO.

De immunitate Ecclesiastica.

Hinc patet vniuersalitatem Ecclesiasticæ libertatis ac immunitatis hoc tempore fuisse adhuc inauditam, quam primus Innocentius III. Papa tutor & educator Imperatoris Friderici II. nomine sui pupilli promulgauit atq; edixit, vtquam irrita facienda sit ab auctoritate qua libitè disicas licet.

CArolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, atque Patritius Romanorum, omnibus Episcopis, Abbatibus, Comitibus seu Junioribus nostris.

Si opportuna beneficia ad loca sanctarum ecclesiarum vel Sacerdotibus præstare non desinemus, hoc nos procul dubio ad æternam beatitudinem retribuere confidimus. Igitur cognoscat magnitudo seu vtilitas vestra, qualiter venerabilis vir Hrobertus Abba de basilica S. Vincentii, vel Domni Germani, vbi ipse preciosus corpore requiescit, clementiæ Regni nostri suggessit, & præceptionem Domni & genitoris nostri bonæ memoriæ Pipini quondam Regis nobis ostendit relegendam. Vbi reperimus in certum, qualiter propter nomen Domini, & eius meritis compellentibus, beneficium præstitisse cognoscitur, vt annis singulis vbicunque in Regno nostro negotiantes ipsius sancti loci pergere vellent, sicut ipse Hrobertus Abba mercari videtur, tam ad luminaria comparanda, vel pro reliqua necessitate discurrentes, tam vltra Ligerim, quam & citra Ligerim vel in Burgundia, etiam & in Provincia, vel in Francia quam & in Neustria, vbicunque in Regna Christo propitio nostra pergere vellent, nulli teloneo, nec de saumis, nec de carrigine neque de naugio, neq; de qualibet redhibitione exinde ad partem fisci nostri Missi sui discurrentes dissoluere debeant. Propterea per præsens præceptum decernimus, quod perpetualiter mansurum esse iubemus, vt per nullus portus, neque per Ciuitates, tam in Rodomo, quam & in Vuicis, neque in Ambianis, neque in Triecto, neque in Dorstade neque per omnes portus ad sanctam Massentiam, neque alibi, neque in Parisius, neque in Ambianis, neque in Burgundia, in pago Tricasiun, neque in Senonico, per omnes ciuitates similiter vbicunque in Regna Christo propitio nostra aut pagis vel territoriis teloneus exigatur, nec de nauale, nec de carale, neque de saumis, neque detra-

de trana euectione, neque rotatico, nec pontatico, nec pulueratico, nec salutatico, nec cispitatico, nec vlla redibitione, quod ficus noster exinde poterat sperare, nec vos nec iuniores, successoresque vestri eisdem non requiratis nec exactetis: sed omnia & in omnibus hoc propter nomen Domini, ipse Abba vel successores sui, aut memorata Ecclesia S. Vincentii vel Domni Germani habeant indultum, vel ad luminaria ipsius sancti loci proficiat in augmentis. Adiungimus etiam teloneum illum, quem Gerbardus Comes de Villa noua curte sancti Germani visus fuit recepisse, vt deinceps pars sancti Germani ipso teloneo cum omni integritate in nostra eleemosina ad luminaria ipsius Ecclesiæ recipere debeant, absque alicuius contrarietate. Quam vestra auctoritate perpetuis temporibus valituram manu nostra propria decreuimus roborare.

SIGILLVM CAROLI GLORIOSISSIMI REGIS.

Optatus ad vicem Radonis recognouit.

Data sexto Kal. Aprilis, anno vodecimo Regni nostri, & qninto Patriciatus nostri. Actum Haristalio Palatio publico.

KAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI

An. Chr. 780.

CAPITVLARE.

ANoo feliciter XII. Regni Domini nostri KAROLI gloriosissimi Regis in Mense Martio, qualiter congregatis in vnum Synodali Concilio Episcopis, Abbatibus, Virisque Illustribus, vna cum Comitibus, secundum Dei voluntatem, pro causis oportuois consentur vtiliter esse decreta.

I. De Metropolitanis.

De Metropolitanis, vt Episcopi Suffraganei eis adiutores sint, eaque, quæ erga ministerium illorum emendanda cognoscuot, libenti animo emendeot atque corrigant.

II. De Episcopis ordinandis.

Vt vbi in præsens Episcopi ordinati non sint, sine tarditate ordinentur.

III. De Monasteriis sub regula constitutis.

Vt Monasteria quæ sub regula fueriot, sub regula viuant. Similiter & monasteria puellarum ordinem sanctum custodiant; & vnaquæque Abbatissa io suo Monasterio sine iotermissioue resideat.

IV. De Potestate Episcoporum super Presbyteros & Clericos.

Vt Episcopi de Presbyteris & Clericis infra illorum Parochiam potestatem habeant secundum Canones.

V. De alterius Clerico Episcopi non recipiendo, nec ordinando.

Vt non liceat alterius clericum recipere nec ordinare ad aliquem gradum.

VI. De loricis extra regnum non vendendis.

De bruniis, vt nullus foras nostro regno vendere præsumat.

VII. De eo qui pro faida pretium recipere aut soluere noluerit.

Si quis pro faida pretium recipere noo vult, tunc ad nos transmittatur vt nos ipsum dirigamus vbi damnum nemini facere possit. Simili modo qui pro faida pretium soluere non vult, & iustitiam exinde facere, in talem locum illum mittere volumus, vt pro eodem maius damnum non crescat.

VIII. Ne presbyter vel reliqui clerici, aut vllus fidelium præsumat decimas vendere, vel donare aut pignorare, Ecclesiaque quoquo modo alienare.

Nullus presbyter aut diaconus vel quilibet clericus aut laicos decimas vendere aut dare vel pignorare aut indebitare præsumat, antequam eas cum omni integritate fideliter collectas habeat, & infra septa Ecclesiæ, cui iure debeotur io suis vtiliter graneis collectas habeat, & postea iuxta præceptum proprii Episcopi, secundum canonieas sanctiones atq; decreta B. Gelasii Papæ, eas dispeoset. Si quis autem hæc parui penderit vel infringere tentauerit, si quidem clericus fuerit gradus sui periculo subiacebit: Si vero monachus vel laicus fuerit, communione priuetur.

IX. De prouidentia Episcopi circa Archidiaconos.

Vt prouideant Episcopi ne cupiditas Archidiaconorum culpas nutriat sacerdotum, quia multis modis mentitur iniquitas sibi.

X. *De non eiiciendis de sepulchris ossibus mortuorum.*

Vt nullus ossa mortuorum de sepulchris audactet eiiciat.

XI. *De non iurando.*

Vt vnusquisque caueat iurare, quia periuri regnum Dei non possidebunt, sicut nec adulteri.

XII. *De prædiis à presbyteris emptis, Ecclesiis propriis confirmandis.*

Vt presbyteri pauperes ordinati prædia competantes Ecclesiis, confirment.

XIII. *De formatis faciendis, & vt sine formata nullus proficiscatur clericus, Ex Concilio Africano vel Milevitano cap. xx. vt sine formatis nemo ad comitatum proficiscatur, & qualiter fiant formata.*

Placuit vt quicumque clericus propter necessitatem suam alicubi ad comitatum ire voluerit, formatam ab Episcopo suo accipiat. Quod si sine formata voluerit pergere, à communione remoueatur. Quod si alicubi ei repentine necessitas orta fuerit ad comitatum pergendi, alleget apud Episcopum loci eius ipsam necessitatem, & de hoc scripta eiusdem Episcopi deferet. Formatæ autem, quæ à quibuscumque Episcopis clericis propriis dantur habeant diem Paschæ. Quod si adhuc eiusdem anni Paschæ dies incertus est, ille præcedens adiungetur, quomodo solet, post consulatum, in publicis gestis adscribi.

XIV. *De clericis negligentibus: ex concilio Agatensi cap. 13. De contumacibus clericis & ad officium tardis.*

Contumaces vero clerici, prout dignitatis ordo permiserit, ab Episcopis corrigantur; *Et* si qui prioris gradus elati superbia communionem fortasse contempserint, aut Ecclesiam frequentare vel officium suum implere neglexerint, peregrina eis communio tribuetur, ita vt cum eos pœnitentia correxerit, re scripti in matricula gradum dignitatemque recipient.

XV. *De non pergendo clericis sine permissu Episcopi ad iudices seculares: ex concilio Agatensi cap. 32. Vt clericus inconsulto Episcopo ad iudicem secularem non pergat.*

Clericus nequaquam præsumat apud secularem iudicem, Episcopo non permittente, pulsari: Sed si pulsatus fuerit, non respondeat, nec audeat criminale negotium in iudicio seculari proponere. Si quis vero secularium per calumniam Ecclesiam aut clericum fatigare tentauerit & victus fuerit, ab Ecclesiæ liminibus, & Catholica communione, nisi digne pœnituerit, coerceatur.

XVI. *De his qui in propriis prouinciis non communicant: ex concilio Africano cap. 18.*

Placuit vt quicumque non communicens in propria prouincia, in aliis prouinciis vel transmarinis partibus ad communicandum obrepserit, iacturam communionis vel clericatus excipiat.

XVII. *De patratoribus diuersorum malorum.*

Sunt sane diuersorum malorum patratores, quos & lex diuina improbet, & condemnat: propinquorum etiam diuersis sceleribus & flagitiis populus fame & pestilentia flagellatur, & Ecclesiæ status infirmatur, & regnum periclitatur. Et quanquam hæc in sacris eloquiis satis sint execreta, *nos* necessarium præuidimus iterum nostra admonitione & exhortatione atque prohibitione præcaueri omnino oportere: sicut sunt diuersarum pollutionum patratores, quas cum masculis & pecoribus nonnulli diuersissimis modis admittunt, qui incomparabilem dulcedinem piissimi Creatoris ad amaritudinem prouocantes, tanto grauius delinquunt, quanto contra naturam peccant: pro quo etiam scelere igne cœlesti conflagratæ infernique hiatu quinque absorptæ sunt ciuitates, necnon & quadraginta & eo amplius millia stirpis Beniamineæ mucrone fraterno confossa sunt. Hæc porro iudicia & euidentes vindictæ declarant, quam detestabile & execrabile apud diuinam maiestatem hoc vitium extet. Scimus enim quoniam talium criminum patratores, lex Romana quæ est omnium humanarum mater legum, igne cremari iubet. Vobis ergo omnibus terribiliter denunciamus, vestrisque cunctis ac vobis famulantibus atque subditis vna vobiscum, sub Dei districto iudicio & fidelitate nostra, præcipimus ab his caueri, & hæc facientibus nec verbis nec factis vllo modo consentire: quoniam *qui talia agunt*, Apostolo pollicente, *regnum Dei non consequentur*. Tempus namque est vt multitudini pereuntis populi parcatis, quæ secundum exempla peccantis principis, cadebat in puteum mortis, quia quantoscumque vel per bona exempla ad vitam cœlestem patri contrahimus, vel per mala exempla ad perditionem sequentes præimus, de tantis proculdubio ab æterno iudice vel pœnas vel præmia accepturi sumus. Si enim gens nostra, sicut per istas prouincias diuulgatum est, & nobis in Francia & in Italia improperetur, & ab ipsis paganis improperium est, spretis legalibus connubiis adulterando & luxuriando, ad instar Sodomitanæ gentis, fœdam vitam duxerit de tali commixtione meretricum æstimandum est degeneres populos & ignobiles, & furentes libidine fore procreandos, & ad extremum, vniuersam plebem ad deteriora & ignobiliora vergentem, & nouissime nec in bello seculari fortem nec in fide stabilem, & nec honorabilem hominibus, nec Deo amabilem esse venturam: Sicut aliis gentibus Hispaniæ, & Prouinciæ, Burgundionum populis contigit, quæ sic à Deo recedentes fornicatæ sunt, donec iudex omnipotens talium criminum vltrices pœnas per ignorantiam legis Dei & per Sarracenos venire & seruire permisit. Et notandum quod in illo scelere aliud immane flagitium subter latet, id est, homicidium: quia dum illæ meretrices siue monasteriales siue seculares male conce-

ptas

tuas soboles in peccatis geouerunt, sæpe maxima ex parte occidunt, non implentes Christi Ecclesias filiis adoptivis, sed tumulos corporibus, & inferos miseris animabos satiant. Absit enim vt pro talibus peccatis, & nos simul cum regno cadamus, gloriaque totius regni pereat: quoniam ex præcedentibus agnouimus quæ sequuturis, nisi præuisa fuerint, possunt euenire. Sanus est quoque nobis talibus carere, quam cum his ruere regnum que, & ab inimicis depopulatoribus futuro tempore adnolari vel possideri. Scire enim vos cupimus, quia quicunque super his aut faciens vel libenter consentiens inuentus fuerit, nos eum iuxta prædictam Romanam legem velle punire.

XVIII. De Vestitura 30. annorum, sive de rebus Ecclesiæ quæ absque ulla repetitione ab eadem Ecclesia per triginta annos possessa sunt, ut nulla testimonia super hanc deinceps possessionem recipiantur.

Vt de rebus Ecclesiarum quæ ab eis per triginta annorum spatia sine vlla interpellatione possessa sunt, testimonia non recipiantur, sed eo modo contineantur sicut res ad fiscum nostrum pertinentes contineri solent.

KAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI

CAPITVLARE

De Reformatione Ecclesiæ & disciplina Christiana.

Statutum in Comitiis Aquisgranensibus Anno Domini DCCLXXXIX. Anno Chr. 789.

PRÆFATIO DOMNI

Karoli serenissimi Imperatoris.

Regnante domino nostro JEsu Christo in perpetuum, ego Karolus gratia Dei, eiusque misericordia donante Rex & rector regni Francorum, & deuotus sanctæ Dei Ecclesiæ defensor, humilisque adiutor, omnibus Ecclesiasticæ pietatis ordinibus, seu secularis potentiæ dignitatibus, in Christo Deo æterno perpetuæ pacis & beatitudinis salutem. Considerans pacifico piæ mentis intuitu vna cum sacerdotibus & consiliariis nostris abundantem in nos nostrumque populum Christi regis clementiam, & quam necessarium est non solum toto corde & ore eius pietati agere gratias incessanter, sed etiam continua bonorum operum exercitatione eius insistere laudibus, quatenus, qui nostro regno tantos contulit honores, sua protectione nos nostrumque regnum in æternum conseruare dignetur. Quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, ô pastores Ecclesiarum Christi, & ductores gregis eius & clarissima mundi luminaria, vt vigili cura & sedula admonitione populum Dei per pascua vitæ æternæ ducere studeatis, & errantes oues bonorum exemplo operum seu adhortatione humeris intra Ecclesiasticæ firmitatis muros reportare satagatis: ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones transgredientem, vel paternas traditiones vniuersalium conciliorum excedentem, quod absit, inueniens deuoret. Ideo magnæ deuotionis studio admonendi & adhortandi sunt, imo compellendi, vt firma fide & infatigabili perseuerantia, intra paternas sanctiones se contineant. In quo operis studio sciat certissime sanctitas vestra nostram vobis cooperari diligentiam. Quapropter & nostros ad vos direximus missos, qui ex nostri nominis auctoritate, vna vobiscum corrigerent quæ corrigenda essent. Sed & aliqua capitula ex canonicis institutionibus, quæ magis vobis necessaria videbantur, subiunximus. Ne aliquis quæso huius pietatis admonitionem esse præsumptuosam putet vel iudicet, qua nos errata corrigere, superflua abscindere, recta coarctare studeamus: sed magis beniuolo charitatis animo suscipiat. Nam legimus in Regum libris quomodo sanctus Iosias Regnum sibi à Deo datum circumeundo, corrigendo, admonendo, ad cultum veri Dei studuit reuocare. Non vt me eius sanctitati æquiparabilem faciam, sed quod nobis sunt vbique sanctorum semper exempla exsequenda & quoscunque poterimus, ad studium bonæ vitæ in laudem & in gloriam Domini nostri Jesu Christi congregare necesse est. Quapropter, vt prædiximus, aliqua capitula notare iussimus, vt simul hæc eadem vos admonere studeatis, & quæcunque vobis alia necessaria esse scitis: vt & ista & illa æquali intentione prædicetis. Nec aliquid quod vestræ sanctitati populoque Dei vtile videtur, omittatis, vt pio studio nos admoneatis: quatenus vt & vestra solertia & subiectorum obedientia æterna felicitate ab omnipotente Deo remuneretur.

I. De his qui ab Episcopo proprio excommunicantur. *Omnibus.*

Sunt enim aliqui, qui culpis exigentibus ab Episcopo proprio excommunicantur, & ab aliis Ecclesiasticis vel laicis præsumptuosè in communionem accipiuntur: quod omnino sanctum Nicænum concilium, simul & Calcedonense: necnon & Antiocheoum, atque Sardicense fieri prohibent.

II. De his qui ad ordinandum veniunt. *Episcopis.*

Item habetur in eodem concilio, vt eorum qui ad ordinandum veniunt, fides & vita prius ab Episcopo diligenter discutiatur, & postea ordinentur.

III. De clericis fugitiuis & peregrinis. *Omnibus.*

Item in eodem concilio, necnon & in Antiocheno, simul & in Calcedonensi, vt fugitiui clerici & peregrini à nullo recipiantur, nec ordinentur sine commendatitiis literis, & sui Episcopi vel Abbatis licentia.

IV. De presbyteris, diaconibus, vel his qui in clero sunt.
Ad Solos sacerdotes.

Item in eadem synodo, interdictum est presbyteris & diaconibus vel omnibus, qui in clero sunt, mulierem non habere in domo sua, propter suspitionem, nisi matrem aut sororem, vel eas tantum personas, quæ suspitiones effugiunt.

V. De vsuris. Omnibus.

Item in eodem concilio, seu in decretis Papæ Leonis, necnon & in canonibus qui dicuntur Apostolorum, sicut & in lege ipse Dominus præcepit, omnino omnibus interdictum est ad vsuram aliquid dare.

VI. De presbyteris missas cantantibus & non communicantibus.
Ad sacerdotes.

Auditum est aliquos presbyteros Missam celebrare & non communicare, quod omnino in canonibus Apostolorum interdictum esse legitur, Vel quomodo dicere recte potest, si non communicauerit, *Sumpsimus Domine sacramenta*? Hæc vero per singula capitula in statutis Nicæni concilii legere potestis, seu & in aliis sanctorum patrum synodalibus institutis vel edictis.

VII. De his qui à synodo vel à suo Episcopo damnati sunt.
Omnibus.

In Antiocheno concilio, quod his, qui damnati sunt à synodo vel à suo Episcopo, & postea ministrare præsumunt, præcipitur, vt nullus audeat communicare. Si quis vero eis communicauerit, simili sententiæ subiaceat sicut & damnatus.

VIII. De suffraganeis Episcopis. Episcopis.

Item in eodem concilio, vt ad Metropolitanum Episcopum suffraganei respiciant, & nihil noui audeant facere in suis parochiis sine conscientia & consilio sui Metropolitani: nec Metropolitanus sine eorum consilio.

IX. De Chorepiscopis. Sacerdotibus.

Item in eodem concilio, simul & in Ancyronensi, vt chorepiscopi cognoscant modum suum, & nihil faciant absque licentia Episcopi, in cuius parochia habitant.

X. De Episcopis, vel quibuslibet ex clero.
Omni clero.

Item in eodem concilio, vt Episcopus vel quilibet ex clero sine concilio vel literis Episcoporum vel Metropolitani non audeant ad regalem dignitatem pro suis causis clamare, sed in communi Episcoporum concilio causa examinetur.

XI. De ordinationibus vel quibuslibet negotiis.
Episcopis.

Item in eodem concilio, simul & in Sardicensi, nec non & in decretis Innocentii Papæ, vt nullus Episcopus in alterius parochia ordinationes aliquas faceret, vel negotia perageret, quæ ad eum non pertinent.

XII. De cura Episcoporum. Episcopis.

Item in eodem concilio, vt Episcopus eius Ecclesiæ curam habeat, ad quam ordinatus est.

XIII. De prouincialibus Episcopis. Episcopis.

Item in eodem concilio, necnon & in Calcedonensi, vt prouinciales Episcopi cum suo Metropolitano bis in anno propter causas Ecclesiæ concilia celebrent.

XIV. De monachis & clericis. Episcopis.

In concilio Laodicensi, nec non & in Africano præcipitur, vt monachi & clerici tabernas non ingrediantur edendi vel bibendi causa.

XV. De die dominica, qualiter seruanda est.
Ad omnes.

Item in eodem concilio præcipitur, vt à vespera vsque ad vesperam dies dominica seruetur.

XVI. De ignotis Angelorum nominibus.
Omnibus.

Item in eodem concilio præcipitur, vt ignota Angelorum nomina nec fingantur nec nominentur, nisi illorum quos habemus in auctoritate: hi sunt, Michael, Gabriel, Raphael.

XVII. De mulieribus ne ad altare accedant.
Clericis & Nonanis.

Item in eodem concilio, quod non oporteat mulieres ad altare ingredi.

XVIII. De Episcopis vbi non oporteat eos constitui.
Omnibus.

Item in eodem concilio, necnon & in Sardicensi, quod non oporteat in villulis vel in agris Episcopos constituere.

XIX. De

XIX. De Episcopis ordinandis, vel quibuslibet ex Clero.
Clericis & Monachis.

Item in concilio Calcedonensi, vt non oporteat Episcopum, aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari. Quia utrique deponendi sunt, & qui ordinat, & qui ordinatur, necnon qui mediator est inter eos. Item de eadem re in canonibus Apostolorum legitur: *Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus per pecunias hanc obtinuerit dignitatem, deiicitur & ipse, & ordinator eius, & à communione abscindatur*, quam hæresim iam ipse princeps Apostolorum in Simone Mago terribiliter damnauit.

XX. De libris Canonicis. Sacerdotibus.

Item in eodem concilio, vt canonici libri tantum legantur in ecclesia.

XXI. De Maleficis vel incantatoribus.
Ad sacerdotes.

Item in eodem concilio, vt cocleari, malefici, incantatores & incantatrices fieri non sinantur.

XXII. *De monachis & clericis & presbyteris.*
Omnibus.

Item in eodem concilio infra duo capitula, necnon & in decretis Leonis Papæ, vt nec monachi, nec clerici, nec presbyteri in secularia negotia transeant.

XXIII. *De seruis alterius non sollicitandis.*

Et vt seruum alterius nullus sollicitet ad clericalem vel monachalem ordinem sine voluntate & licentia Domini sui.

XXIV. *De stabilitate episcoporum vel clericorum.*
Sacerdotibus.

Item in eodem concilio infra duo capitula, necnon & in Sardicensi, vt nec episcopus nec clerici transmigrent de ciuitate in ciuitatem.

XXV. *De presbyteris non absolute ordinandis.*
Omnibus.

Item in eadem synodo, vt nullus absolute ordinetur, & sine pronunciatione stabilitatis loci, ad quem ordinatur.

XXVI. *De proposito monachorum & clericorum.*
Omnibus.

Item in eodem concilio, vt clerici & monachi in suo proposito & voto, quod Deo promiserunt, permaneant.

XXVII. *De monachis qui ad clericatum prouehuntur.*
Omnibus.

Item in decretis Innocentii Papæ de eadem re, vt monachus, si ad clericatum prouehatur, propositum monachicæ professionis non amittat.

XXVIII. *De negotio clericorum inter se.*
Omnibus.

Item in eodem concilio, vt si clerici inter se negotium aliquod habuerint, à suo episcopo diiudicentur, non à secularibus.

XXIX. *De conspiratione clericorum vel monachorum.*
Omnibus.

Item in eodem concilio, vt nec clerici nec monachi conspirationem vel insidias contra pastorem suum faciant.

XXX. *De accusatione Laicorum contra episcopos.*
Ad omnes.

Item in eodem concilio, vt Laici episcopos aut clericos non accusent, nisi prius, eorum discutiatur existimationis opinio.

XXXI. *De monasteriis Deo dicatis.*
Omnibus.

Item in eodem, vt loca quæ semel Deo dedicata sunt, vt monasteria fiant, maneant perpetuo monasteria, nec possint vltra fieri sæcularia habitacula.

XXXII. *De fide sanctæ Trinitatis prædicanda.*
Omnibus.

In concilio Carthaginensi, primo omnium necesse est, vt fides sanctæ Trinitatis & incarnationis Christi, passionis, resurrectionis, & ascensionis in cœlo, diligenter omnibus prædicetur.

XXXIII. *De auaritia. Omnibus.*

Item in eodem de prohibenda auaritia, vt nullus alienos fines vsurpet, vel terminos patrum transscendat.

XXXIV. *De his qui se conuertunt ad Deum. Omnibus.*

Item in eodem de his qui in periculo constituti sunt, & conuertunt se ad Deum, vt canonice inquirantur de reconciliatione, & canonice reconcilientur.

XXXV. *De his qui non sunt bonæ conuersationis.*
Omnibus.

Item in eodem, vt illi qui non sunt bonæ conuersationis, & eorum vita est accusabilis, non audeant Episcopos vel maiores natu accusare.

XXXVI. *De his qui excommunicato communicauerint.*
Omnibus.

Item in eodem, vt qui excommunicato præsumptuosè comunicauerit, excomunicetur & ipse.

XXXVII. *De subiectione Presbyterorum.*
Sacerdotibus.

Item in eodem concilio infra duo capitula, vt nullus presbyter contra suum Episcopum superbire audeat.

XXXVIII. *De clericis ecclesiastici ordinis.*
Omnibus.

Item in eodem, vt clerici ecclesiastici ordinis si culpam incurrerint, apud Ecclesiasticos iudicentur, non apud seculares.

XXXIX. *Vt clerici non sint vsurarii.*
Omnibus.

Item in eodem, vt qui commodauerit pecuniam, pecuniam accipiat: si speciem aliam, eandem speciem, quam dederit, accipiat.

XL. *De virginibus Deo dicatis.*
Omnibus.

In concilio Africano præcipitur, vt virgines Deo sacratæ à grauioribus personis diligenti custodia seruentur.

XLI. *De principali cathedra Episcoporum.*
Episcopis.

Item in eodem, vt non liceat Episcopo principalem cathedram suæ parochiæ negligere & aliquam ecclesiam in sua diœcesi magis frequentare.

XLII. *De falsis nominibus Sanctorum.*
Episcopis.

Item in eodem, vt falsa nomina martyrum, & incertæ sanctorum memoriæ non venerentur.

XLIII. *De vxore à viro dimissa.*
Omnibus.

Item in eodem, vt nec uxor à viro dimissa alium accipiat virum, viuente viro suo, nec vir aliam accipiat viuente vxore priore.

XLIV. *De iudicibus à Metropolitano probatis.*
Episcopis.

Item in eodem, vt probati à Metropolitano iudices non spernantur.

XLV. *De accusatione vilium personarum.*
Omnibus.

Item in eodem infra duo capitula, vt viles personæ non habeant potestatem accusandi: & si in primo crimine victi sunt falsum dicere, in secundo non habeant potestatem dicendi.

XLVI. *De virginibus velandis.*
Omnibus.

Item in eodem, vt virgines non velentur ante xxv. annos, nisi rationabili necessitate cogente.

XLVII. *De oblatis pauperum.* *Omnibus.*

In Concilio Gangrensi, vt nulli liceat oblata, quæ ad pauperes pertinent, rapere vel fraudare.

XLVIII. *De ieiuniis à sacerdotibus constitutis.*
Omnibus.

Item in eodem, vt ecclesiastica à sacerdotibus ieiunia constituta sine necessitate rationabili non soluantur.

XLIX. *De his qui contra naturam peccant.*
Sacerdotibus.

In concilio Ancyronensi, Si innenti sunt inter vos, qui cum quadrupedibus vel masculis contra naturam peccant, dura & districta pœnitentia coercendi sunt. Quapropter Episcopi & Presbyteri, à quibus iudicium pœnitentiæ iniungitur, conentur omnimodis hoc malum à consuetudine prohibere vel abscindere.

L. *De presbyteris quo tempore ordinentur.*
Episcopis.

In concilio Neo-Cæsariensi, ut nullatenus presbyter ordinetur ante xxx. ætatis suæ annum, quia Dominus Iesus Christus non prædicauit ante xxx. annum.

LI. *De sponsa alterius.* *Omnibus.*

In Decretalibus Siritii Papæ, vt alterius sponsam nemo accipiat.

LII. De mon-

LII. De monachis & virginibus propositum seruantibus.
Episcopis, monachis & virginibus.

Item in eiusdem, vt monachi & virgines suum propositum omnimodis obseruent.

LIII. De pace danda. Omnibus.

In Decretalibus Innocentii Papæ, vt pax detur ab omnibus, confectis Christi Sacramentis.

LIV. De nominibus recitandis. Sacerdotibus.

Item eiusdem, vt nomina publice non recitentur ante preces sacerdotales.

LV. De canonum institutis à Presbyteris non ignorandis.
Episcopis & Sacerdotibus.

Item eiusdem, vt nulli Sacerdoti liceat ignorara sanctorum canonum instituta.

LVI. De clericis alterius Episcopi.
Episcopis.

In decretis Leonis Papæ sancitum est, & in Sardicensi concilio, vt Episcopus alterius clericum ad se non sollicitet, nec ordinet.

LVII. De Seruis alterius. Episcopis.

Item eiusdem, vt nullus Episcopus seruum alterius ad clericatus officium sine domini sui voluntate præmouere præsumat, & hoc Gangrense concilium prohibet.

LVIII. De sacerdotibus contra Decretalia agentibus.
Episcopis.

Item eiusdem, vt si quis sacerdotum contra constituta decretalia præsumptiose agat, & corrigi nolens, ab officio suo submoueatur.

LIX. De Viduis à quibus non velentur.
Episcopis.

In decretis Gelasii Papæ, vt nullus Episcopus viduas velare præsumat.

ITEM ALIA CAPITULA.

Hæc enim, dilectissimi, pio studio & magna dilectionis intentione vestram vnanimitatem admonere studuimus, quæ magis necessaria videbantur, vt sanctorum patrum canonicis institutis inhærentes, præmia cum illis æternæ felicitatis accipere mereamini. Scit namque prudentia vestra, quam terribili anathematis censura feriantur, qui præsumptiose contra statuta vniuersalium conciliorum venire audent. Quapropter & vos diligentius admonemus, vt omni intentione illud horribile execrationis iudicium vobis cauere studeatis: & magis canonica instituta sequentes, & pacifica vnitate nitentes, ad æterna pacis gaudia peruenire dignemini. Sunt quoque alia capitula, quæ vobis vtilia huic præcedenti admonitioni subiungere visa sunt.

LX. De fide catholica, & primo præcepto legis.
Omnibus.

Primo omnium admonemus, vt fides catholica ab Episcopis & presbyteris diligenter legatur omni populo, prædiceturque hoc primum præceptum Domini Dei omnipotentis in lege, *Audi Israel: quia Dominus Deus tuus Deus vnus est, & vt ille diligatur ex toto corde, & ex tota mente, & ex tota anima, & ex tota virtute.*

LXI. De pace & concordia seruanda.
Omnibus.

Vt pax sit & concordia & vnanimitas cum omni populo Christiano, inter Episcopos, Abbates, Comites, Iudices, & omnes vbiq; seu maiores seu minores personas: quia nihil Deo sine pace placet, nec munus sanctæ oblationis ad altare, sicut in Euangelio, ipso Domino præcipiante legimus. Et vt est illud secundum mandatum in lege, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Item in Euangelio: *Beati pacifici quoniam filii Dei vocabuntur.* Et iterum. *In hoc cognoscent omnes: quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad inuicem.* In hoc enim præcepto discernuntur filii Dei, & filii diaboli. Quia filii diaboli semper dissensiones & discordias mouere satagunt, filii autem Dei semper paci & dilectioni student.

LXII. De iudicibus. Omnibus.

Vt quibus data est potestas iudicandi, iuste iudicent, sicut scriptum est: *Iuste iudicate filii hominũ.* Non in muneribus, quia *munera excæcant corda prudentium, & subuertunt verba iustorum.* Non in adulatione, nec in consideratione personæ, sicut in Deuteronomio dictum est, quod iustum est iudicate, siue eiuis sit ille, siue peregrinus, nulla sit distantia personarum, quia Dei iudicium est. Primum nanque iudici diligenter discenda est lex à sapientibus populi composita, ne per ignorantiam à via veritatis erret. Et dum ille rectum intelligit iudicium, caueat ne declinet aut per adulationem aliquorum, aut per amorem cuiuslibet amici, aut per timorem alicuius potentis, aut propter præmium à recto iudicio. Rectum autem & honestum videtur, vt iudices ieiuni causas adeant, & discernant.

LXIII. De periuriis. Omnibus.

Habemus in lege, Dño præcipiente, *non periurabis in nomine meo, nec polluas nomen Dei tui, neq; assumes*

assumes nomen Domini Dei tui in vanum. Ideo omnino admonendi sunt homines diligenter, vt caveant periurium, non solum in sancto Euangelio, vel in altari, seu in sanctorum reliquiis, sed & in communi loquela: quia sunt aliqui qui per charitatem & veritatem iurant, & cauent se à iuramento nominis Dei, & nesciunt quod idem est Deus quod est charitas & veritas, dicente Ioanne Apostolo, quia *Deus charitas est.* Item ipse dominus in Euangelio: *Ego sum via & veritas.* Ideo qui in veritate & charitate iurat, in Deo iurat. Item cauendum est, ne Pharisaica superstitione aliquis aurum honoret quam altare, ne dicat ei Dominus: *Stulte, & quid est maius, aurum, an altare quod sanctificat aurum?* Sed & nobis honestum videtur, vt qui in sanctis habet iurare, hoc ieiunus faciat cum omni honestate & timore Dei. Et sciat se rationem redditurum Deo vnusquisque vestrum, vbicunque sit, siue intra ecclesiam siue extra ecclesiam. Et ut paruuli, qui sine rationabili ætate sunt, non cogantur iurare, sicut Gunebodigni faciunt. Et qui semel periuratus fuerit, nec testis sit post hæc, nec ad sacramentum accedat, nec in sua causa, vel alterius iurator existat.

LXIV. De auguriis & aliis maleficiis.

Item habemus in lege Domini mandatum, *Non augurabimini*: Et in Deuteronomio, *Nemo sit qui ariolos sciscitetur, vel somnia obseruet, vel ad auguria intendat.* Item, *nemo sit maleficus nec incantator, nec Pythonis consultor.* Ideo præcipimus, ut nec cauculatores & incantatores, nec tempestarii vel obligatores fiant, & vbicunque sunt, emendentur, vel damnentur. Item de arboribus, vel petris, vel fontibus, vbi aliqui stulti luminaria vel alias obseruationes faciunt, omnino mandamus, vt iste pessimus vsus, & Deo execrabilis, vbicumque inuenitur, tollatur & destruatur.

LXV. De odio vel invidia. Omnibus.

Item, Prædicare necesse est, quantum malum sit odium vel inuidia. In lege enim scriptum est *Non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argue eum.* Item Ioannes Evangelista: *Qui odit fratrem suum, homicida est:* Item in Euangelio, *Si peccauerit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum,* & cætera quæ ibi leguntur.

LXVI. De auaritia vel concupiscentia.

De auaritia autem Apostolum legimus dicentem: *Auaritia, quæ est idolorum servitus, est valde cauenda.* De concupiscentia vero legitur, quod *radix sit omnium malorum,* & in Lege, *Non concupisces rem proximi tui.*

LXVII. De homicidiis.

Item, vt homicidia intra patriam, sicut in lege Domini interdictum est, nec causa vltionis, nec auaritiæ, nec latrocinandi fiant: & vbicunque inuenta fuerint, à iudicibus nostris secundum legem ex nostro mandato vindicentur & non occidatur homo nisi lege iubente.

LXVIII. De furtis, & iniustis conubiis, & falsis testimoniis.
Omnibus.

Item & furta, & iniusta connubia, nec non & falsa testimonia, sicut sæpe rogauimus, prohibete diligenter, sicut & lex Domini prohibet.

LXIX. De honore parentum. Omnibus.

Hoc cum magno studio admonendum est, vt filii honorent parentes suos: quia ipse Dominus dicit, *honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.*

LXX. De fide presbyterorum ab Episcopis discutienda.
Sacerdotibus.

Vt Episcopi diligenter discutiant per suas parochias presbyterorum fidem, baptisma catholicum, & Missarum celebrationes, vt fidem rectam teneant, & baptisma catholicum obseruent, & vt Missarum preces bene intelligant, & vt Psalmi digne secundum diuisiones versuum modulentur, & Dominicam orationem ipsi intelligant, & omnibus prædicent intelligendam, vt quisque sciat quid petat à Deo, & vt gloria patri cum omni honore apud omnes cantetur: & ipse sacerdos cum sanctis angelis & populo Dei communi voce Sanctus, sanctus, sanctus decantet. Et omnimodis dicendum est presbyteris & diaconibus, vt arma non portent, sed magis confidant in defensione Dei quam in armis.

LXXI. De honore Ecclesiæ Dei. Aliquid sacerdotibus, aliquid omnibus.

Item placuit nobis admonere reuerentiam vestram, vt vnusquisque vestrum videat per suam parochiam, vt Ecclesia Dei suum habeat honorem: simul & altaria secundum suam dignitatem venerentur, & non sit domus Dei & altaria sacrata peruia canibus: & vt vasa sacrata Deo cum magna veneratione habeantur, & vt sacrificia sanctificata ab eis colligantur, qui digni sunt, & cum honore seruentur: & vt sæcularia negotia vel vaniloquia in Ecclesiis non agantur, quia domus Dei domus orationis debet esse, non spelunca latronum, & intentos habeant animos ad Deum, quando veniunt ad Missarum solemnia & vt non exeant ante completionem benedictionis sacerdotalis.

LXXII. De ministris altaris Dei, & de Schola. Sacerdotibus.

Sed & hoc flagitamus vestram almitatem, vt ministri altaris Dei suũ ministerium bonis morib. ornent, & alii canonici obseruent eorũ ordines atq; monachi propositũ consecrationis; obsecramus etiã vt bonã & probabilẽ vitã & cõversationem habeant, sicut ipse Dñs in Evangelio suo præcipit, *Sic luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est*: vt eorum bona conuersatione multi attrahantur ad seruitium Dei, & non solum seruilis conditionis

tionis infantes, ſed etiam ingenuorum filios aggregent, ſibique ſocient, & vt ſcholæ legentium puerorum fiant, pſalmos, notas, cantus, compotum, grammaticam per ſingula monaſteria vel Epiſcopia diſcant: ſed & libros catholicos bene emendatos habeant, quia ſæpe dum bene aliquid Deum rogare cupiunt, per inemendatos libros male rogant, & pueros veſtros non ſinatis eos vel legendo vel ſcribendo corrumpere. Et ſi opus eſt, Euangelium, & Pſalterium, & Miſſale ſcribere, perfectæ ætatis homines ſcribant eum omni diligentia.

LXXIII. De voto monachorum, & de clericatu.

Simul & hoc rogare curauimus, vt omnes vbicunq; qui ſe voto monachicæ vitæ conſtrinxerunt monachi & regulariter omnimodis ſecundum votum ſuum viuant ſecundum quod ſcriptum eſt; *Vota veſtra reddite Domino Deo veſtro.* Et iterum, *Melius eſt non vouere, quam vouere & non reddere.* Et vt ad monaſteria venientes ſecundum regularem ordinem primo in pulſatorio probentur, & ſic recipiantur. Et qui ex ſeculari habitu in monaſteria veniunt, non ſtatim foras ad miniſteria monaſterii mittantur, antequam intus bene erudiantur, & vt monachi ad ſecularia placita non vadant. Similiter qui ad clericatum accedunt, quod nos nominamus canonicam vitam, volumus vt illi canonice ſecundum ſuam regulam omnimodis viuant: & Epiſcopus eorum regat vitam, ſicut Abba monachorum.

LXXIV. De menſuris & ponderibus. Omnibus.

Vt æquales menſuras, & rectas, & pondera iuſta & æqualia omnes habeant, ſiue in ciuitatibus, ſiue in monaſteriis, ſiue ad dandum in illis, ſiue ad accipiendum, ſicut in lege Domini præceptum habemus, Item in Salomone Domino dicente, *Pondus & pondus, menſuram & menſuram odit anima mea.*

LXXV. De ſuſceptione hoſpitum. Omnibus.

Et hoc nobis competens & venerabile videtur, vt hoſpites, peregrini & pauperes ſuſceptiones regulares & canonicas per loca diuerſa habeant: quia ipſe Dominus dicturus erit in remuneratione magni diei, *Hoſpes eram, & ſuſcepiſtis me.* Et Apoſtolus hoſpitalitatem laudans dixit: *Per hanc quidem placuerunt Deo, Angelis hoſpitio ſuſceptis.*

LXXVI. De Abbatiſſis contra morem Eccleſiæ Dei facientibus, Epiſcopis, & Abbatibus.

Auditum eſt aliquas Abbatiſſas contra morem ſanctæ Dei Eccleſiæ benedictiones, & manus impoſitiones, & ſignacula ſanctæ Crucis ſuper capita virorum dare, nec non & velare virgines cum benedictione ſacerdotali, quod omnino à vobis, ſanctiſſimi patres, in veſtris parochiis illis interdicendum eſſe ſcitote.

LXXVII. De clericis, qui ſe fingunt eſſe monachos. Clericis.

Vt illi clerici, qui ſe fingunt habitu vel nomine monachos eſſe, & non ſunt, omnimodis videantur corrigendi atque emendandi, vt illi veri monachi ſint, vel veri canonici.

LXXVIII De pſeudographis & dubiis narrationibus. Omnibus.

Pſeudographæ & dubiæ narrationes, vel quæ omnino contra fidem catholicam ſunt, vt Epiſtola peſſima & falſiſſima, quam tranſacto anno dicebant aliqui errantes, & in errore alios mittentes quod de cœlo cecidiſſet, nec credantur nec legantur, ſed comburantur, ne in errorem pro tali ſcripto populus mittatur. Sed ſoli canonici libri & catholici tractatus, & ſanctorum auctoritates, & dicta legantur & tradantur.

LXXIX. De mangonibus, & nudis cum ferro.
Aliquid ſacerdotibus, aliquid omnibus.

Item vt iſti mangones, & cotiones, qui ſine omni lege vagabundi vadunt, per iſtam terram non ſinantur vagari, & deceptiones hominibus agere. Nec iſti nudi cum ferro, qui dicunt ſe data ſibi pœnitentia ire vagantes, melius videtur, vt ſi aliquid inconſuetum, & capitale crimen commiſerint, in vno loco permaneant laborantes, & ſeruientes, & pœnitentiam agentes, ſecundum quod ſibi canonice impoſitum ſit.

LXXX. De cantu Romano à monachis peragendo. Omnibus clericis.

Monachi vt cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale vel gradale officium peragant. Secundum quod beatæ memoriæ genitor noſter Pippinus Rex decertauit ut fieret quando Gallicanum cantum tulit, ob vnanimitatem Apoſtolicæ ſedis, & ſanctæ Dei Eccleſiæ pacificam concordiam.

LXXXI. De operibus ſeruilibus, quæ diebus Dominicis non ſunt agenda. Omnibus.

Statuimus quoq; ſecundum quod & in lege Dominus præcepit, vt opera ſeruilia diebus Dominicis non agantur, ſicut & bonæ memoriæ genitor meus in ſuis ſynodalibus edictis mandauit, quod nec viri ruralia exerceant opera, id eſt, nec in vinea colenda, nec in campis arando, nec in metendo, vel fœnum ſecando, vel ſepem ponendo: nec in ſyluis ſtirpare, vel arbores cædere vel in petris laborare, nec domos conſtruere: nec in horto laborent, nec ad placita conueniant, nec venationes exerceant. Sed tria carralia opera licet fieri in die Dominico, id eſt, hoſtilia carra, vel victualia, vel angaria & ſi forte neceſſe erit corpus cuiuslibet duci ad ſepulchrum. Item fœminæ opera textrilia non faciant: nec capulent veſtitus, nec conſuant, vel acupictile faciant: nec lanam carpere, nec in publico veſtimenta lauare, nec berbices tondere habeant licitum, vt omnimodis honor & requies diei dominici ſeruetur, Sed & ad Miſſarum ſolemnia ad Eccleſias vndique conueniant, & laudent Deum pro omnibus bonis, quæ nobis in illo die fecit.

LXXXII. De prædicatione Epiſcoporum & Presbyterorum. Omnibus.

Summo-

Summopere vobis videndum est dilectissimi & venerabiles pastores & rectores ecclesiarum Dei, vt presbyteri, quos mittitis per parochias vestras ad regendum & prædicandum per ecclesias populum Deo seruientem, recte & honeste prædicent: & non finatis noua vel non canonica aliquos ex suo sensu, & non secundum scripturas sacras fingere & prædicare populo, sed & vosmetipsi vtilia honeste & recte, & quæ ad vitam ducunt æternam, prædicate aliosque instruite, vt hæc eadem prædicent.

1. Primo omnium prædicandum est omnibus generaliter, vt credant patrem & filium & spiritum sanctum vnum esse Dominum omnipotentem, æternum, inuisibilem, qui creauit cœlum, & terram, mare & omnia quæ in eis sunt. Et vnam esse deitatem, & substantiam, & maiestatem in tribus personis patris, & filii, & spiritus sancti.

3. Item prædicandum est, quomodo filius Dei incarnatus est de spiritu sancto, ex Maria semper virgine, pro salute & reparatione humani generis passus, sepultus, & tertia die resurrexit, & ascendit in cœlos, & quomodo iterum venturus sit in maiestate diuina iudicare omnes homines, secundum merita propria: & quomodo impii propter scelera sua cum diabolo in ignem æternum mittentur, & iusti cum Christo & cum sanctis Angelis suis in vitam æternam. Item diligenter prædicandum est, de resurrectionem mortuorum accepturos.

4. Item cum omni diligentia cunctis prædicandum est, pro quibus criminibus deponuntur cum diabolo in æternum supplicium. Legimus enim Apostolo dicente: *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, animositates, ira, rixæ, dissensiones, hæreses, secta, inuidia, homicidia, ebrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.* Ideo hæc eadem, quæ magnus prædicator ecclesiæ Dei singillatim nominauit, cum omni studio prohibeantur, intelligentes, quam sit terribile illud quod dixit, *Quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur.*

5. Sed & omni instantia admonete eos de dilectione Dei & proximi, de fide & spe in Domino, de humilitate & patientia, de castitate & continentia, de benignitate & misericordia, de eleemosynis & confessione peccatorum suorum, & vt debitoribus suis secundum Dominicam orationem sua debita dimittant, scientes certissime, quod qui talia agunt, regnum Dei possidebunt.

6. Et hoc ideo diligentius iniungimus vestræ charitati, quia scimus temporibus nouissimis pseudodoctores esse venturos, sicut ipse Dñs in Euangelio prædixit, & Apostolus Paulus ad Timoth. testatur. Ideo dilectissimi toto corde præparemus nosmet scientia veritatis, vt possimus contradicentibus veritati resistere: & diuina donante gratia verbum Dei crescat, & currat, & multiplicetur in profectum sanctæ Dei ecclesiæ, & salutem animarum vestrarum, & laudem & gloriam nominis Domini nostri Iesu Christi. Pax prædicantibus, gratia obedientibus, gloria Domino nostro Iesu Christo, Amen.

Anno Dominicæ incarnationis DCCLXXXIX. indictione XII. anno XXI. regni nostri actum est huius legationis edictum in Aquisgraui palatio publice: Data est hæc XIV. die Kal. April.

KAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI

CONSTITVTIO.

De Episcoporum & vniuersi Ordinis sacri vacatione à muniis militaribus. Lata in Comitiis Wormatiensibus Anno DCCLXX.

De generali totius populi supplicatione apud principem pro sacerdotum causa ne in hostem aut pugnam pergerent & quale eis omnibus ex hoc immineat periculum, ex capitulis domni Karoli Imp. Vvormatia genes aliter decretis atque ab omnibus firmatis, & cunctis pro lege tenendis contraditis.

Flexis omnes precamur poplitibus maiestatem vestram, vt Episcopi deinceps, sient hactenus non vexentur hostib, sed quando vos nosq; in hostem pergimus, ipsi propriis residеant in parochiis, Deoque fideliter famulari studeant, & earum sacrosancta mysteria canonice, & Deo placite peragere satagant, atque vobis & cuncto exercitu vestro vna cum omnibus sibi commissis orare viriliter, missasque decantare, & letanias atque eleemosynas facere decertent. Quosdam enim ex eis in hostib. & prælius vulneratos vidimus, & quosdam periisse cognouimus. Hæc vero valde periculosa, & oppido sunt cauenda, quæ idcirco suggerimus ne pro talibus vos & nos simul pereamus. Nouit Dominus quando eos in talibus videmus, terror adprehendit nos, & quidam ex nostris timore perterriti propter hoc fugere, & inimicis terga vertere solent. Plures enim potestis habere præliatores, si illi propriis resident in parochiis, quam si vobiscum pergunt: quoniam illi qui eos præuident, omnes tunc pugnabunt: quod modo nequaquam faciunt, sed eos tantummodo custodiunt. Nam sine dubio potius vobis nobisq; proficere possunt, si remanserint, quam si in hostem, vel ad pugnam pertexerint: quia tunc eorum precibus adiuuamur, & modo eorum pressuris grauamur. Quando vero Moyses expansis ad cælum manib. orabat, vincebat Israel: quando à precibus cessabat, & manus eius grauabantur, priusquam sustentatæ fierent, & ipse precib. insisteret, vincebatur, & terga vertebat. Talibus ergo & multis aliis exemplis fulti, quorũ prolixitatem vitantes modo nõ dicimus, quia sapienti semel dicta sufficiunt: prædicta

prædicta, obnoxie omnes precamur, & vt concedantur rogamus, quia nullatenus volumus adsentire, vt nobiscum ad talia pergant: nisi duo aut tres bene docti, electione videlicet cæterorum, ad benedictionem dandam, & ad periclitantium reconciliationem faciendam, ne vos & nos simul cum plurib. pereamus, sed eorum precibus, vt iam memoratum est, fulciamur. Quam formã & de sacerdotib. tenere optamus, id est, vt nec illi in hostem nisi benedicti, & ipsi electione atq; permissione propriorũ Episcoporum, qui tamen tales sint, de quorum scientia & vita ac conuersatione omnes securi esse possimus. Illud tamen vobis & omnibus scire cupimus, quod non propterea hæc petimus, vt eorum res aut aliquid ex eorum pecuniis, nisi ipsis aliquid sponte nobis dare placuerit, aut eorum Ecclesias viduari cupiamus: sed magis eis, si Dominus posse dederit, augere desideramus vt & ipsi & vos & nos saluiores simus. & Deo potius ipso amminicolante placere mereamur: Scimus enim res Ecclesiæ Deo esse sacratas, scimus eas esse oblationes fidelium, & precia peccatorum, quapropter si quis eas ab Ecclesiis, quibus à fidelibus collatæ Deoque sacratæ sunt, aufert procul dubio sacrilegium committit. Cæcus enim est, qui ista non videt. Quisquis ergo nostrum suas res Ecclesiæ tradit, Domino Deo illas offert atque dedicat, suisque sanctis & non alteri, dicendo talia, & agendo ita. Facit enim scripturam de ipsis rebus, quas Deo dare desiderat, & ipsam scripturam coram altari, aut supra tenet in manu dicens eiusdem loci sacerdotibus atque custodibus, *Offero Deo, atq; dedico omnes res, quæ hac in carthula tenentur inserta pro remissione peccatorum meorum, ac parentum, & filiorum*, aut pro quocunque illas Deo deliberare voluerit ad seruiendum ex his Deo in sacrificiis, Missarumque solẽnis, orationibus, luminariis, pauperum ac clericorum alimoniis, & cæteris diuinis cultibus, atque illius Ecclesiæ vtilitatibus. Si quis autem eas inde, quod fieri nullatenus credo, abstulerit, sub pœna sacrilegii ex hoc Domino Deo, cui eas offero atque dedico, districtissimas reddat rationes. Ponit etiam, in ea alias coniurationes, quas enumerare longum est Nam quid eas inde postea aufert, qui agit nisi sacrilegium? Si ergo amico quippiam rapere furtum est, Ecclesiæ vero fraudari vel auferri indubitanter sacrilegium est. Vnde & in sacris canonibus spiritu Dei conditis habetur ita: Si quis ablationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere, vel dare voluerit præter Episcopi conscientiam, vel eius cui huiuscemodi sunt officia commissa, nec cum eius voluerit agere consilio anathema sit. Absit enim, vt rerum Ecclesiarum cupiditate vel ablatione sacrilegi, aut anathema efficiamur, aut talibus laqueis vnquam deuinciamur, quoniam scimus anathematis homines, vel sacrilegos, non solum infames, & à consortio fidelium priusquam hæc per publicam satisfactionem Ecclesiæ & Episcoporum reconciliationem, manusq; impositionem emendent, alienos esse, sed etiam à regno Dei extorres fieri, si in talibus defecerint, non dubitamus. Vt ergo omnis suspicio à nobis, cunctis sacerdotibus, & omnibus Christi, & sanctæ Dei Ecclesiæ fidelibus funditus auferatur, profitemur omnes stipulas dextris in manib. tenentes, easque propriis è manib. eiicientes, coram Deo & Angelis eius, ac vobis cunctisque Sacerdotib. & populis circumstantib, nec talia facere, nec facere volentibus consentire, sed magis Deo auxiliante resistere. Et hoc vobis omnibusq; fidelib. sanctæ Dei Ecclesiæ, & nostris notum esse cupimus, quod cum his qui absque voluntate aut consensu, vel datione rectoris illius Ecclesiæ, cui ipsæ res iuste esse debentur, & maxime proprii Episcopi res Ecclesiæ à regibus petere, aut retentare, vel auferre, aut inuadere vel vastare præsumpserint, nec in hostem, nec ad pugnam ire, nec cibum sumere, nec ad Ecclesiam, vel ad palatium, aut in itinere pergere, nec etiam nostros homines cum eorum hominib. aut caballos, vel reliqua pecora nostra cum eorum pecoribus, aut ad pastum ire, aut simul habitare, vel manere, nec vllam participationem cum eis, nisi pro emendatione ante publicam emendationem & Ecclesiæ satisfactionem vnquam scienter, aut libenter habere debeamus, ne pro eorum iniquitatib. atque flagitiis vna cum eis nos & nostri, quod absit, pereamus. Scimus enim, quia perit iustus pro impio. Tales vero à nobis, si nos fideles habere vultis, segregate, & in ergastulum sub publica pœnitentia redigite, & postulata concedite. Vt ergo hæc omnia à vobis, & à nobis, siue à successoribus vestris, & nostris futuris temporibus absque vlla dissimulatione conseruentur, scriptis Ecclesiasticis inserere iubete, & inter vestra capitula interpolare præcipite.

Ne Episcopi ad bella pergant, Concessio domini KAROLI Imperatoris.

OMnibus notum esse volumus, quia non solum ea, quæ super Episcoporum & Presbyterorum hostium vexationib. & precib. pro nobis & vobis fieri rogitastis, concedere optamus, sed quicquid pro sanctæ Dei Ecclesiæ & Sacerdotum, siue totius populi, & vestra vtilitate inueneritis, concedere paratissimi sumus, & modo ista sicut petistis, concedimus: & quando vita comite, Deo auxiliante, ad generale placitum venerimus, sicut penitus consultu omnium fidelium nostrorum scriptis firmare nostris, nostrorumque atq; futuris temporib. irrefragabiliter manenda firmissime Domino amminiculante cupimus: Modo ea, quæ generalia sunt, & omnib. conueniunt ordinib. statuere, ac cunctis sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrisque fidelib. ob Dei omnipotentis amorem & recordationem tradere parati sumus: & ad proximum synodalem nostrum conuentum ac generale placitum, ubi plures episcopi & comites conuenerint, ista sicut postulastis, firmabimus.

Ex quibus supra Sacerdotibus omnibus.

1. Studendum est Episcopis, vt dissidentes fratres magis ad pacem, quàm ad iudiciũ cohortentur.
2. Auctoritas ecclesiastica, atque canonica docet non debere absque sententia Romani Pontificis concilia celebrari.
3. Episcopi intercessionem præstent hi, qui iniqua vi opprimuntur.

4. Nullus Episcopus nisi in legitima synodo & suo tempore Apostolica, atque canonica vocatione congregata super quibusdam criminibus pulsatus audiatur.

5. Variis detractionibus & accusationibus non decet labefactari primatem, sed magis patrum regulis roborari. Nam & Liberius Papa pro Athanasio duobus annis in exilio trusus est: & multi alii Episcopi, qui eum damnare noluerunt, exilio sunt damnati, quorum exemplum omnes conuenit sequi sacerdotes.

6. Multum derogatio præualet, quando derogator creditur fide dignus: ideo non omnes admittendi sunt, sed viri probatissimi.

7. Omnis accusatio intra prouinciam audiatur, & à comprouincialibus terminetur, vltra prouinciæ terminos accusandi licentia non progrediatur.

8. Episcopos eiectos, atque suis rebus expoliatos in sedes proprias recipi, & sua omnia legaliter primum eis reddi sancti canones decreuerunt; & postea si quis eos accusare vellet, æquo periculo facere sanciuerunt, iudices esse decernentes Episcopos recta sapientes, in Ecclesia conuenientes, vbi testes essent singulorum, qui oppressi esse videbantur.

9. Placuit, vt si quæcunque persona contra Episcopum, vel actores Ecclesiæ se proprium crediderit habere negocium, prius ad eum recurrat charitatis studio, vt familiari colloquio commonitus ea sanare debeat, quæ in querimoniam deducuntur, quam rem si deferre voluerit, sententiam suscipiat excommunicationis.

10. Si quæ causæ vel contentiones inter clericos & laicos tam maioris ordinis, quam etiam inferioris fuerint exortæ placuit vt secundum synodum Nicænam congregatis omnibus eiusdem prouinciæ Episcopis iurgium terminetur, nec cui liceat sine præiudicio tamen Ecclesiæ Romanæ, quæ in omnibus causis debetur reuerentia custodiri, relictis his sacerdotibus, qui in eadem prouincia Dei Ecclesias nutu diuino gubernant, ad alias consolare prouincias, vel aliarum prouinciarum Episcoporum iudicium experi vel pati, nisi fuerit prouocatum. Quod si quis præsumpserit, & ab officio cleri depositus, & iniuriarum reus ab omnibus iudicetur. Si autem maiores causæ in medio fuerint deuolutæ ad sedem Apostolicam, vt sancta synodus statuit. & beata consuetudo exigit, post iudicium Episcopale referatur. Prudentissime iustissimeque decreta Niceni concilii atque Africani decreuerunt quæcunque negocia in suis locis, vbi orta sunt finienda. Maxime quia vnicunque concessum est, si iudicio offensus fuerit cognitorum, ad concilia suæ prouinciæ, vel etiam vniuersale prouocare.

11. Seruata quæ scripta est de gubernationibus regula, manifestum est, quod illa quæ sunt per vnamquamque prouinciam ipsius prouinciæ synodus dispenset, sicut Nicæno constat decretum esse concilio.

12. Quæcunque sunt ad religionis obseruantiam pertinentia locis suis, & à suæ diœceseos synodis audiantur. Vnaquaque prouincia suo metropolitano, & suis comprouincialibus Episcopis sit contenta. *Maledictus omnis qui transfert terminos proximi sui, & dixit omnis populus, amen*, & reliqua. Qui sunt supra diœcesim Episcopi nequaquam ad Ecclesias, quæ sunt extra præfixos sibi terminos, accedant; nec eas aliqua præsumptione confundant: non oportet transferri terminos à patribus constitutos, vt alter alterius parochiam inuadat, atque illuc celebrare diuina mysteria inconsulto eo, cui commissa est, præsumat.

KAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI

Anno Chr. 772.

DECRETVM

DE PVRGATIONE SACERDOTVM.

Factum in comitiis Wormatiensibus secunda vice, vbi à suis tota questio tractata atque sopita est, Anno DCCLXXII.

OMnibus vobis tam præsentibus quam futuris scire cupimus, quia ideo consultu sedis Apostolicæ, & omnium nostrorum Episcoporum ac reliquorum sacerdotum, atq. maxime cunctorum fidelium nostrorum, de purgatione criminatorum sacerdotum tanta tractauimus eamque cum testibus, sicut in anteriori capitulari nostro continetur fieri decreuimus, quoniam nesciebamus eandem causam à beato Gregorio Papa esse definitam. Nam cum Wormatiæ generalem conuentum habuissemus, allata est nobis à Riculfo Moguntiacensi metropolitano epistola beati Gregorii Papæ, in qua inter cætera continebantur hæc: *De presbytero vero vel quolibet sacerdote à populo accusato, si certi non fuerint testes qui crimini illato approbent veritatem, iusiurandum erit in medio, & illum testem proferat de innocentia sua puritate cui nuda & aperta sunt omnia, sicque maneat in proprio gradu.* Ista vero omnia quia vires nostras excedunt, in iudicio Episcoporum iuxta canonicam sanctionem definienda reliquimus, vt hæc quando orta fuerint ita definire satagant, vt nec secundum sæculum iustam reprehensionem, nec penes Deum. quod absit, damnationem, sed æternæ beatitudinis ipso auxiliante, qui omnia infucata præstat, præmia consequantur.

KARO-

CAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI ET PIPINI CÆSARIS CAPITVLARE,

Anno Chr. 786.

Factum in Comitiis Ticinensibus Anno Domini DCCLXXXVI.

INCIPIT CAPITVLARE, QVALITER PRÆCEPIT Dominus * Rex de quibusdam causis.

* In legib. Longob. lib. 2. tit. De eo quod pater necesse hab. &c. Pipino tribuitur hoc capitulare.

CAP. I. *De Xenodochiis.*

PRimo Capitulo de Xenodochiis iussit, vt quicunque Xenodochia habent, si ita pauperes pascere voluerint, & consilio facere, quomodo abantea fuit, habeant ipsa Xenodochia, & regant ordinaliter, & si hoc facere noluerint, ipsa dimittant, & per tales homines inantea sint gubernanda, qualiter Deo & nobis exinde placeant.

CAP. II. *De Ecclesiis baptismalibus.*

De ecclesiis baptismalibus, vt nullatenus eas laici homines tenere debeant, sed per Sacerdotes fiant, sicut ordo est, gubernatæ, & neque illi pagenses negligentiam habeant de hoc, quod ibidem facere debeant, & illi Sacerdotes sic regant, quomodo ordo canonicus exposcet.

CAP. III. *De Aduocatis Ecclesiarum.*

De Aduocatis Sacerdotum volumus, vt pro Ecclesiastico honore, & illorum reuerentia Aduocatos habeant.

CAP. IV. *De diuersis hominibus.*

De diuersis generationibus hominum, qui in Italia commanent, volumus, vt, vbicumque culpa contigerit, vnde faida crescere potest, propter eas fatigationes hominis illius, contraque culpam secundum ipsius legem, cui negligentiam commisit, emendet.

2. De vero statu ingenuitatis, aut aliis querelis, vnusquisque secundum suam legem seipsum defendat.

CAP. V. *De compositionibus.*

De compositionibus, quæ ad Palatium pertinent, si Comites ipsas causas commouerint ad requirendum, illam tertiam partem ad eorum recipiant opus, duos vero ad Palatium. Et, si per suam negligentiam remanserint, & Missus Dominicus ipsas causas cæperit inquirere, tunc volumus, vt ipse Comes illam tertiam partem non habeat, rectum integritate ad Palatium veniat.

CAP. VI. *De monasteriis & Xenodochiis Regalibus.*

De monasteriis & xenodochiis, quæ per diuersos Comites esse videntur, vt Regalia sint, & quicunque ea habere voluerit, per beneficium dono Regis habeat.

CAP. VII. *De rebus per diuersos Comites.*

De rebus per diuersos Comites volumus, vt ad placitum pertineant.

CAP. VIII. *De eleemosynis.*

Si cui res in eleemosyna datæ sunt, & ipse mortuus fuerit, antequam eas dispenset, tunc Missus Dominicus vna cum Episcopo parochiæ illa * conquiret, qualiter in Domini Regis mercede ipsa eleemosyna fuit facta, & infra xxx. noctes adimpletæ esse debent.

* al. concredit.

CAP. IX. *De seruis à patre manumissis in fraudem filiæ.*

De filia, cuius pater per manum arrogatoris homines seruos suos iussit fieri liberos, & quia contra legem esse videtur, instituimus, vt ipsa in tertiam portionem de præfatis rebus iterum introire liceat.

CAP. X. *De consuetudine.*

Placuit inserere, vbi lex erit, præcellere consuetudinem, & nulla consuetudo superponatur legi.

CAP. XI. *De fœmina potestate in donando.*

Placuit etiam nobis, vt, quæcunque fœmina potestatem habet per comeatum viri sui vendere, habeat potestatem & donare.

CAP. XII. *De Mancipiorum mundio.*

De mancipiis Palatii nostri, & Ecclesiarum nostrarum, nolumus mundium recipere, sed nostra ipsa mancipia habere.

CAP. XIII. *De liberis hominibus ad seruile opus non cogendis.*

Placuit nobis, vt illos liberos homines Comites nostri ad eorum opus seruile non opprimant: & quicunque hoc fecerit, sicut iudicandum habemus, emendet.

CAP. XIV. *De rebus Hildegarda R.*

De rebus, quæ Hildegardæ Reginæ traditæ fuerunt, volumus, vt fiant descriptæ breues, & ipsæ breues ad nos fiant adductæ.

CAP. XV. *De Placentinis.*

Non est nostra voluntas, vt homines Placentini per eorum præceptum de Curte Palatii nostri illaldiones recipiant.

CAP. XVI. *De fugitiuis.*

De fugitiuis, qui in partibus Beneuenti, & Spoleti, siue Romaoia, vel Pentapoli, confugium faciunt, & reddantur, & sint reuersi ad proprium locum.

CAP. XVII. *De sigillis & epistolis.*

Sicut consuetudo fuit, sigillos & epistolas pendere, & vias vel portas custodire, ita nunc factum.

KAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI CONSTITVTIO.

Anno Chr. 787.

De emendatione Cantionum & Lectionum Ecclesiasticarum.

CAROLUS Dei fretus auxilio, Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, Religiosis Lectoribus nostræ ditioni subiectis.

Cum nos diuina semper domi forisque clementia, siue in bellorum euentibus, siue pacis tranquillitate, custodiat, etsi rependere quicquam eius tenuitas humana non præualeat, quia est inæstimabilis misericordiæ Deus noster, deuotas suæ seruituti benigne approbat voluntates Igitur quia curæ nobis est, vt nostrarum Ecclesiarum ad meliora semper proficiat status, obliteratam pene maiorum nostrorum desidia, reparare vigilanti studio literarum satagimus officinam, & ad pernoscenda studia liberalium artium, nostro etiam, quos possumus, inuitamus exemplo. Inter quæ iampridem vniuersos veteris ac noui Testamenti libros, librariorum imperitia deprauatos, Deo nos in omnibus adiuuante, examussim correximus. Accensi præterea memoriæ venerandæ PIPPINI genitoris nostri exemplis, qui totas Galliarum Ecclesias Romæ traditionis, suo studio, cantibus decorauit, nos nihilominus solerti easdem curamus intuitu, præcipuarum insignire serie Lectionum. Denique qui ad nocturnale Officium copulatas quorundam casso labore, licet recto intuitu, minus tamen intuitu, repperimus Lectiones, quippe quæ & sine authorum suorum vocabulis essent positæ, & infinitis vitiorum anfractibus scaterent, non sumus passi nostris in diebus, in diuinis lectionibus, inter sacra Officia, inconsonantes perstrepere solœcismos, atque earundem Lectionum in melius reformare tramitem, mente intendimus: idque opus Paulo Diacono familiari clientulo nostro elimandum iniunximus, scilicet ut studiose Catholicorum Patrum dicta percurrens, veluti è latissimis eorum pratis certos quosq; flosculos legeret, & in vnum, quæque essent vtilia, quasi sertum aptaret. Qui nostræ Celsitudini deuote parere desiderans, tractatus atque sermones diuersorum Catholicorum Patrum perlegens, & optima quæque decerpens, in duobus voluminibus per totius anni circulum, congruentes cuique festiuitati distincte & absque vitiis, nobis obtulit Lectiones. Quarum omnium textum nostra sagacitate perpendentes, nostra eadem volumina authoritate constabilimus, vestræque religioni in Christi Ecclesiis tradimus ad legendum.

Præfixa est hæc constitutio Homiliis Sanctorum Patrum, quarum collectionem vulgo non recte Alcuino Leuitæ adscribunt, vt etiam ex hac præfatione liquet:

PAVLVS DIACONVS.

Vtere felix
Munere Christi
Pluribus annis,
Luxq; decusq;,
Magne tuorum

CAROLE Princeps,
Atque togati
Arbiter Orbis,
Dardaniaq;
Gloria gentis.

CARO-

CAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI

An. Chr. 788.

PRÆCEPTVM

DE TRIBVTO PROVINCIARVM.

In nomine Domini & Saluatoris nostri Jesu Christi CAROLUS, *diuina ordinante clementia, Rex.*

SI Domino Deo exercituum succurrente, in bellis victoria potiti sumus: in illo, & non in nobis gloriamur, & hoc sæculo pacem & prosperitatem & in perpetuo futuro æternæ mercedis retributionem nos promereri confidimus. Quapropter nouerint omnes Christi fideles, quod Saxones, quos à progenitoribus nostris ob suæ pertinaciæ perfidiam semper indomabiles, ipsique Deo & nobis tamdiu rebelles, quousque illius non nostra virtute ipsos & bellis vicimus, & in Baptismi gratiam, Deo annuente, perduximus, pristinæ libertati donatos, & omni nobis debito censu solutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsi tributarios & subiugales deuote addiximus, videlicet vt qui nostræ potestatis iugum hactenus ferre detrectarunt, victi iam (Deo gratias) & armis & fide Domino Saluatori nostro Jesu Christo ac Sacerdotibus eius, omnium suorum iumentorum ac fructuum, totiusque culturæ decimas ac nutrituræ, diuites, ac pauperes legaliter constricti persoluant.

2. Proinde omnem terram eorum antiquo Romanorum more in Prouinciam redigentes, & inter Episcopos certo limite determinantes, Septemtrionalem illius partem, quæ & piscium vbertate ditissima, & pecoribus alendis babetur aptissima pro Christo, & Apostolorum suorum principi Petro pro gratiarum actione deuote obtulimus: sibiq; in Vuigmodia, in loco Bremon vocato super fluuium Viraam Ecclesiam & Episcopalem statuimus Cathedram. Huic Parochiæ decem pagos subiecimus, quos etiam adiectis eorum antiquis vocabulis & diuisionibus, in duas redigimus prouincias, his nominibus appellantes, Vigmodiam & Lorgoe. Insuper ad præfatæ constructionem Ecclesiæ, in supradictis pagis septuaginta mansos, cum suis colonis offerentes, totius huius Parochiæ incolas, decimas suas Ecclesiæ suoque Prouisori fideliter persoluere, hoc nostræ Maiestatis præcepto iubemus, donamus & confirmamus, &c.

Signum Domini CAROLI *Regis inuictissimi.*

HIldibaldus Archiepiscopus Coloniensis & sacri Palatii Capellanus recognoui: Data pridie Idus Iulii, anno Dominicæ incarnationis septingentesimo octogesimo octauo, Indictione * duodecima, Actum in Palatio Nemetensi feliciter. Amen.

* Vndecima.

DECRETVM DOMINI CAROLI REGIS FRANCORVM.

Anno 790.

Vt Serui Dei neq; in hostem pergant, neq; armaturam baiulent.

CArolus gratia Dei Rex, Regniq; Francorum rector, & deuotus sanctæ Ecclesiæ defensor atq; adiutor in omnibus, Apostolicæ sedis hortatu omniumq; fidelium nostrorum, & maxime Episcoporum, ac reliquorum Sacerdotum consultu, seruis Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum & in hostem pergere omnino prohibemus, nisi illi tantummodo, qui propter diuinum ministerium Missarum scilicet solemnia adimplenda & sanctorum patrocinia portanda ad hoc electi sunt, id est, vnum vel duos Episcopos cum capellanis presbyteris princeps secum babeat, & vnusquisque præfectus vnum presbyterum, qui hominibus peccata confitentibus iudicare & indicere pœnitentiam possit.

D. CAROLI MAGNI GLORIOSISSIMI IMPERATORIS RESCRIPTVM.

De obseruatione Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima & Quadragesima.

CArolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum dilectissimo Magistro nobisque cum amore nominando ALBINO Abbati in Domino Jesu Christo æternam salutem. Peruenit ad nos epistola missa à religione prudentiæ vestræ, quæ post laudes & benedictiones omnipotenti Deo debitas nobis & progeniæ nostræ benedictionem optabilem cum summa beneuolentia detulit. Posthæc textus illius inquirendo subsecutus est,

eur septuagesima, & sexagesima, nec non & quinquagesima in ordine per dies Dominicos ante quadragesimam dicatur vel scribatur. Inde arrepta ratione per campos arithmeticæ artis quicquid ex hac re vestra sensit industria, se extendendo nobis pleniter significare studuit. Sed dum mens nostra huc illucque discurreret, solerti indagatione considerauimus, non solum infra præscriptos vobis à nobis dies, sed etiam per singulas ebdomadas, nec non & per totum anni circulum per interualla notarum ac punctorum seu momentorum mysteria numerorum posse ab his, qui huius artis peritia imbuti sunt reperiri. Vnde, quia tuæ caritati placuit nostram Regalem aulam de hac re consulere, quicquid inde serenitas nostra sentit, sermone commatico tibi patefacere non negamus.

1. Exigente igitur inquisitione, & considerata ratione, cur alii sex, alii septem, alii octo, nonnulli vero nouem abstineant ebdomadas, argumentum sensus nostri tuæ familiaritati per hos apices significare studemus. Qui enim sex ebdomadas obseruantes se abstinentiæ tradunt, subtractis sex diebus Dominicis, in quibus ieiunare minime licet, decimas dantes dierum corporis sui, triginta sex diebus, sicut beatus Gregorius mirabilis doctor edocet, ieiunant. Et hoc tempus, licet in ipso duo superesse videantur dies, vsque ad sanctam resurrectionem. Quadragesima doctoribus sanctæ Dei Ecclesiæ nominari placuit. Religione vero crescente à Thelesphoro Pontifice, qui post Petrum Apostolum nonus in sancta Ecclesia Romana claruit, septem ebdomadæ in abstinentia dedicatæ sunt. Et hoc tempus quo alio nomine rectius vocare, quam Quinquagesimam in ordine debuerunt? Ex hoc & deinceps collecta ratione, qui octo ebdomadas obseruare studuerunt, Sexagesimam gratim nominauerunt. Similiter qui nouem, Septuagesimam iuxta præfatam rationem nomen imposuerunt & non ob numerum ebdomadarum vel dierum, sed tenorem * nominis seruantes hæc nomina censuerunt.

*MS. al. numeris.

Veluti si qui nunc fuissent, qui decimam ebdomadam addere pro aliqua iusta ratione voluissent, non propter numerum ebdomadarum Decagesimam, seu quolibet alio nomine, vel propter numerum dierum Septuagesimam, sed Octogesimam ordine conseruato vocabulo cum recto tramite pergendo nuncupare debuissent.

2. Quia igitur gratia diuina opitulante prout nobis visum fuit, de nomine Septuagesimæ, & Sexagesimæ, ac Quinquagesimæ tuæ caritati scripsimus: nunc stilo percurrente de obseruantia vel cultu harum ebdomadarum * sagacitatem sensus nostri tibi scribere curabimus.

*MS. capacitatem.

Quinquagesima vero ideo dicitur, & obseruatur à nonnullis, vt & decimas dierum ieiunandi omnipotenti Deo offerre valeant, & imitari Dominum nostrum Jesum Christum: qui quadraginta diebus ieiunium sacratissimum impleuit. A quinquagesima namque usque in Pascha, septem ebdomadæ sunt, quæ faciunt dies quinquaginta, ex quibus si octo dies Dominicos abstraxeris, in quibus non licet ieiunium obseruare, remanent quadraginta & duo dies, & hi duo dies, sexta videlicet & septima feria, qui quadragenarium numerum excedunt, apud quosdam ieiunio dedicantur, apud quosdam in refectionem propter cœnam Dominicam & sanctum Sabbatum habentur. Sexagesima autem, vt æstimo, propterea à nonnullis obseruatur, vt & decimas dierum corporis sui dare omnipotenti Deo possint, & Dominum nostrum Jesum Christum in quadragenario numero particulatim ieiunando imitari: & vt primam vel quintam feriam à ieiunio vacare valeant. A sexagesima quippe vsque in sanctum diem resurrectionis octo ebdomadæ sunt, ex quibus si de singulis ebdomadibus primam & quintam feriam subtraxeris, & ipsum diem Paschæ, quadraginta tantum dies remanent in abstinentia. Melchiades vero natione Afer, vir per omnia Apostolicus, tricesimus quartus post sanctum Petrum, cui successit beatus Siluester in cathedram Apostolicæ dignitatis. Hic constituit, vt nulla ratione in prima vel quinta feria ieiunium quisquis de fidelibus agere præsumeret. Nam cur in prima feria ieiunium ipso tradente soluatur, non est necesse texendo replicare. Quintam vero arbitrati sumus propter magna mysteria, quæ in eo continentur, ab eo esse solutam. In ipso namque sanctum Chrisma conficitur ad abluendam totius mundi primæ originis culpam. In ipso reconciliatio fit pœnitentium. In ipso redemptor omnium cœnando cum discipulis suis panem & calicem eis pariter ministrauit in figura corporis & sanguinis sui, nobisque profuturum magnum exhibuit sacramentum. Eo videlicet die post multa mysteria Deus & Dominus noster Jesus Christus sanctis discipulis suis videntibus gloriosa ascensione cælos penetrauit. Sed ne diutius sermo protrahatur, multa te legisse de hac solemnitate in sanctorum venerabilium dictis orthodoxorum patrum non ignoramus. Septuagesima namque, vt æstimamus, propterea ab aliquibus obseruatur, vt & decimas dierum Deo dare queant, & primam vel quintam, nec non & septimam feriam ieiunium, * obseruare possint.

*MS. al. soluere.

A septuagesima vero vsque in Pascha nouem ebdomadæ sunt, quæ faciunt dies sexaginta tres, ex quibus si de vnaquaque ebdomada tres præfatas subtraxeris dies, & Paschalem sacratissimum, triginta sex dies in abstinentia remanent. Hi vero sabbatum, in quo Deus ab omnibus operibus requieuit, non solum ob superstitionem Iudæorum, nec propter mandata legalia veteris testamenti, quæ sunt vmbra futurorum, sed ne cum Iudæis sabbatizentur, ieiunium * obseruare conantur: ea præcipue causa, quia in ipsa vesperascente die gaudium sanctæ resurrectionis à fidelibus honorifice celebratur. Sed quia vnusquisque in suo sensu abundat, siue hoc, siue aliud sit, salua fide & religione nihil * præiudicamus.

*MS. al. soluere.

*MS. præiudicaturus.

3. De hoc autem quod cartula prosecutura vestra retulit, quod plurima hinc dici possint, sed noluisse te excedere modum cartulæ, & maxime quia cum sapiente paucis vtendum sit verbis: ita & nos versa vice pauci pauca rescripsimus. Quod autem vsurpatis verba Reginæ Sabæ ad Salamonem de beatitudine seruorum, qui nobis adsistunt & audiunt verba sapientiæ nostræ, si hoc verum fore scitis, venite, adsistite, audite, & pariter in Domino in pratis vernantibus varietate florum scripturarum iocundantes delectemur.

KARO-

KAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI CAPITVLARE

DE REFORMATIONE MONACHORVM.

Sunt excerpta Capitula.

CAP. I.

DE Monachis Gyrouagis vel Sarabattis.

CAP. II.

Item Cap. de Anachoretis: Melius est, ut hortentur in congregatione permanere, quàm animos eorum alibi ambulare teneant.

CAP. III.

Vt non parui pendentes sint pastores animarum sibi commissarum, nec maiorem curam habeant de lucris terrenis, quàm de animabus sibi commissis.

CAP. IV.

De obedientia, quæ Abbati exhiberi debet, & vt absque murmuratione fiat.

CAP. V.

De Decanis & Præpositis, vt eorum mutatio secundum regulam fiat.

CAP. VI.

De Cellariis Monasterii, vt non auari mittantur, sed quales Regula præcipit.

CAP. VII.

Vt, ubi corpora Sanctorum requiescunt, aliud oratorium habeatur, ubi fratres secrete possint orare.

CAP. VIII.

De Eulogiis.

CAP. IX.

De susceptione hospitum, sicut Regula continet.

CAP. X.

De vestimentis Monachorum, ubi superfluum est, abscindatur, vbi minus, augeatur.

CAP. XI.

De nouiter venientibus ad conuersationem, vt secundum Regulam probentur, & non antea suscipiantur, nisi, sicut Regula habet.

2. Et nullus cogatur inuite repromittere, & de obedientia, & de stabilitate permanendi, sicut Regula habet.

CAP. XII.

De filiis Nobilium, qui offerantur.

CAP. XIII.

De ordinando Abbate.

CAP. XIV.

De Fratribus in via directis.

CAP. XV.

Vt nullus Abbas pro susceptione Monachi præmium quærat.

CAP. XVI.

Vt disciplina Monachis regularis imponatur, non secularis. Iidem non orbentur, nec mancationes alias habeant, nisi ex auctoritate Regulæ.

RECESSUS SIVE CAPITULARE

COMITIORUM GENERALIUM per KAROLUM MAGNUM.

CAP. I. *De Comitum iudicio.*

VT Comites pupillorum & orphanorum causas primum audiant, & in venationem non vadant illo die, quando placitum debent custodire, nec ad pratum.

CAP. II. *De Sacramento fidelitatis.*

De sacramento fidelitatis, quod nobis & filiis nostris iurare debent, quod his verbis contestari debent: *Sic promitto ego, ILLE, partibus Domini mei CAROLI REGIS, & filiorum eius, quia fidelis sum & ero diebus vitæ meæ, sine fraude vel malo ingenio.*

CAP. III. *De Monasteriis Monialium regularibus.*

De Monasteriis, vbi Nunnanes sine Regula sedent, volumus, vt in vno loco congregatio fiat regularis, & Episcopus præuideat, vbi fieri possit, & vt nulla Abbatissa foras monasterio exire præsumat sine nostra iussione, nec sibi subditas facere permittat, & earum claustra sint bene firmata, & nulla earum ibi vinileodd's scribere, vel mittere præsumat, & de pallore earum propter sanguinis nouationem.

CAP. IV. *De prohibitis libris & sortitionibus.*

De tabulis vel codicibus requirendis, & vt nullus in Psalterio, vel Evangelio, vel in aliis rebus sortiri præsumat, nec diuinationes aliquas obseruare.

CAP. V. *De iniustitiam gloriantibus.*

Vt nullus glorietur per iniustitiæ rationem aut conquirere aliquid, aut continere.

CAP. VI. *De disciplinis,*

Vt illæ disciplinæ, quæ propter legem conseruandam sunt constitutæ, propter præmium non dimittantur.

CAP. VII. *De baptisterio.*

Vt audiant Episcopi baptisterium Presbyterorum, vt secundum morem Romanum baptizent.

CAP. VIII. *De calciamentis.*

De calciamentis secundum Romanum vsum.

CAP. IX. *Vt in festis ad ecclesiam veniant.*

Vt in diebus festis, vel Dominicis, omnes ad Ecclesiam veniant, & non inuitent Presbyteros ad domos suas ad missam faciendam.

CAP. X. *De ebrietate, & caupona maioribus Ecclesiasticis interdicta.*

Omnino prohibendum est omnibus ebrietatis malum; & istas coniurationes, quas faciunt per sanctum Stephanum, aut per Nos, aut per filios nostros, prohibemus; & præcipimus, vt Episcopi vel Abbates non vadant per catam miscendo.

CAP. XI. *De accusationibus contra maiores Ecclesiasticos ad Regem referendis.*

De eo, quod Missi nostri prouidere debent, ne forte aliquis clamor super Episcopum, vel Abbatem, vel Abbatissam, vel Comitem, seu super qualemcunque gradum sit, & nobis renunciare.

CAP. XII. *De iniustis teloneis.* . . . . . .

CAP. XIII. *De manu leprosi.* . . . . . .

CAP. XIV. *Monachi non tractent secularia.*

Vt Monachi, & qui in Sacerdotali grado constituti sunt, ad secularia negocia non transeant. De reliquis tonsuratis detur spacium vsque in Synodum nostram.

CAP. XV. *De venatione & ludo maioribus Ecclesiasticis prohibite.*

Vt Episcopi & Abbates, & Abbatissæ, culpas canum non habeant, nec falcones, nec accipitres, nec ioculatores.

CAP. XVI. *De pauperibus colligendis.*

De pauperibus in plateis, vel quadruuiis, iacentib. vt ad Ecclesiæ & illorũ confessiones donentur.

CAP. XVII. *De altaribus tegendis.*

Vt super altaria tecuaria fiant vel laquearia.

CAP. XVIII. *De Campanis non baptizandis.*

Vt Clocas non baptizent, nec cartas per perticas pendant propter grandinem.

CAP. XIX. *De Prouisione Regalium beneficiorum.*

Vt Missi nostri prouideant beneficia nostra, quomodo sint conditecta, & nobis renunciare faciant.

CAP. XX.

CAP. XX. *De leprosis.*

De leprosis, vt se non intromisceant alii populo Christiano.

CAP. XXI. *De Missis.*

Et omnino Missis nostris præcipimus, vt bona, quæ aliis per verbum nostrum docent facere, factis in se ipsis ostendant.

CAROLI MAGNI REGIS AVGVSTI RESCRIPTVM

Anno Chr. 796.

DE PEREGRINIS ET MERCATORIBUS.

CAROLVS gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, & Patricius Romanorum; Viro venerando & fratri charissimo OFFAE Regi * Merciorum salutem. Primo gratias * Anglorum. omnipotenti Deo agimus de Catholicæ fidei sinceritate quam in vestris laudabiliter paginis reperimus exaratam.

2. De peregrinis vero, qui pro amore Dei & salute animarum suarum, beatorum Apostolorum limina desiderant adire, cum pace sine omni perturbatione vadant: sed si aliqui non religioni seruientes, sed lucrum sectantes inter eos inueniantur, locis opportunis statuta soluant telonia.

3. Negociatores quoque volumus, vt ex mandato nostro patrocinium habeant in Regno nostro legitime. Et si in aliquo loco iniusta affligantur oppressione, reclament se ad nos vel nostros Iudices, & plenam videbimus iustitiam fieri.

CAROLI MAGNI IMPERATORIS CAPITVLARE,

De quo non constat quibus in Comitiis decretum fuerit.

DE latronibus, sicut iam antea in alio capitulari commendauimus, ita maneat.

2. De aduentitiis, vt cum missi nostri ad placitum venerint, habeant scriptum, quanti aduentitii sunt in illorum missatico, aut de quo pago sunt, & nomina eorum, & qui sunt eorum seniores.

3. Si quis de libertate sua fuerit interpellatus, & timens, ne in seruitium cadat, aliquem de propinquis suis, per quem se in seruitium casurum timet, occiderit, id est, patrem, matrem, patruelem, auunculum, vel quamlibet huiusmodi propinquitatis personam, ipse, qui hoc perpetrauit, moriatur. Agnatio eis & consanguinitas in seruitutem cadat. Et si negauerit se illum occidisse, ad nouem vomeres ignitos iudicio Dei examinandus accedat.

4. De fugitiuis ac peregrinis, vt distringantur: vt scire possimus qui sint, aut vnde venerint.

5. Vt bauga, & bruniæ non dentur negotiatoribus.

6. De mensuris, vt secundum iussionem nostram æquales fiant.

7. Vt non mittantur testimonia super vestituram Domni Pipini regis.

8. Vt omnia, quæ vuadiare debent, iuxta quod in lege continetur, pleniter secundum ipsam legem reuuadiata fiant: & in postmodum vel domnus rex, vel ille, cuius causa est, iuxta quod ei placuit, perdonet.

9. Vt missi nostri, qui iam breues detulerunt de adnuntiatione, volumus vt adhuc adducant de opere.

10. Quantam moram facient in vno quoque loco, & quot homines secum habeant.

11. De prudentia & constantia Missorum nostrorum.

12. De falsis monetariis requirendum est.

13. De illis Saxonibus qui vxores non habent.

14. De signatis qui mentiendo vadunt.

15. Si aliæ res fortuitu non præoccupauerint. 8. Kalen. Iul. id est Missa sancti Ioannis Baptistæ ad Magon-

Magontiam, siue Cabilonem generaliter placitum habere volumus.

16. Vt nemo propter cupiditatem pecuniæ, aut propter auaritiam suam prius det pretium aut futuram conuentionem sibi præparet, vt duplum vel triplum tunc recipiat, sed tunc tantum, quando fructus præsentes sunt, illos comparet.

17. De causis, quæ quotidie non cessant.

18. De fugitiuis qui non cessant recipere & abscondere.

19. De vagis peregrinis.

20. De homicidiis.

21. De commeodatis mensuris modiorum, & sextariorum.

22. De beneficiis nostris non bene constructis.

23. De hospitalitate & susceptione itinerantium, tam missorum nostrorum, quam reliquorum bonorum hominum.

24. Quod missos ad vicem nostram mittimus.

25. De his, qui vinum & annonam vendunt, antequam colligant, & per hanc occasionem pauperes efficiuntur, vt fortiter constringantur, de deinceps fiat.

26. Vt ante vicarium, & centenarium de proprietate aut libertate iudicium non terminetur, aut adquiratur: nisi semper in præsentia missorum imperialium, aut in præsentia comitum.

27. De homicidiis factis anno præsenti inter vulgares homines, quasi propter puluerem mortalem.

28. De heribanno, vt diligenter Inquirant missi nostri, qui hostem facere potuit, & non fecit, vt bannum nostrum ipse componat, si habet vnde componere possit. Et si tantum non habuerit, vnde componere valeat, reuuadiatum fiat & inbreuiatum: & nihil ex hoc exactum fiat, usque dum ad notitiam domni Imperatoris veniat.

29. Qui heriseliz factum habent, per fideiussores mittantur.

30. De beneficiis destructis, & alode restaurato.

31. De freda exigenda.

32. De materiamine ad nauei faciendum.

33. Si aliquis Saxo hominem comprehenderit absque furto, aut absque sua propria aliqua re, dicens, quod illi sit damnum factum, & hoc contendere voluerit in iudicio, aut in campo, aut ad crucem, licentiam habeat. Si vero hoc noluerit, cum suis iuratoribus ipse liber homo se idoneare faciat. Et si seruum cuiuslibet absque aliqua comprobatione comprehenderit, ipse seruus aut ad aquam feruentem, aut ad aliud indicium se idoneare faciat.

34. Si aliquis Saxo caballos in sua messe inuenerit, & ipsos caballos inde ducere pro suo damno ad comprobandum voluerit, si quis liber homo ei hoc contradixerit, aut aliquod malum pro hoc ei fecerit, tripla compositione secundum legem & secundum eua ea emendare studeat, & insuper bannum dominicum soluat, & bannum perdat, pro eo quod inobediens fuit contra præceptum Domini Imperatoris, quod ipse pro pace statuere iussit. Si seruus hoc fecerit, secundum suam legem omnia in triplum restituat, & disciplinæ corporali subiaceat.

35. Quicunque liber homo inuentus fuerit anno præsente cum seniore suo in hoste non fuisse, plenum heribannum persoluere cogatur. Et si senior vel comes eum domi dimisit, ipse pro eo eundem heribannum persoluat: & tot heribanni ab eo exigantur, quot homines domi dimisit. Et quia nos anno præsente vnicuique seniori duos homines, quos domi dimitteret, concessimus, illos volumus, vt missis nostris ostendat, quia his tantummodo heribannum concessimus.

36. Vt quandocunque nauigium mittere volumus, ipsi seniores in ipsis nauibus pergant, & ad hoc sint præparati.

KAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI EDICTVM.

I.

De hoste, & pugna, atque armis Sacerdotibus prohibitis.

Anno Chr. 797.

SEcunda vice propter ampliorem obseruantiam Apostolica auctoritate & multorum sanctorum Episcoporum admonitione instructi, sanctorumque canonum regulis edocti, consultu videlicet omnium nobilium nostrorum nosmetipsos corrigentes posterisque nostris exemplum dantes, volumus, vt nullus sacerdos in hostem pergat, nisi duo vel tres tantum Episcopi electione cæterorum propter benedictionem & prædicationem populique reconciliationem & cum illis electi sacerdotes qui bene sciant populis pœnitentias dare, missas celebrare, de infirmis curam habere, sacratique olei cum sacris precibus vnctionem impendere, & hoc maxime prouidere ne sine viatico

viatico quis de seculo recedat. Hi vero nec arma ferant, nec ad pugnam pergant, nec effusores sanguinum, vel agitatores fiant, sed tantum sanctorum pignora & sacra ministeria ferant, & orationibus pro viribus insistant, vt populus qui pugnare debet, auxiliante Domino victor existat, & non sit sacerdos sicut populus. Reliqui vero qui ad Ecclesias suas remanent, suos homine bene armatos nobiscum, aut cum quibus iusserimus dirigant, & ipsi pro nobis,& cuncto exercitu nostro missas, Letanias oblationes, eleemosynas faciant, orantes Deum cæli vt proficiamus in itinere quo pergimus: victoresque Deo adminiculante existamus. Gentes enim & reges earum quæ sacerdotes secum pugnare permiserunt, nec præualebant in bello, nec victores extiterunt, quia non erat differentia inter laicos & sacerdotes, quibus pugnare non est licitum, hæc vero Galliarum, Spaniarum, Langobardorum, nonnullasque alias gentes, & reges earum fecisse cognouimus, qui propter prædictum nefandissimum scelus, nec victores extiterunt, nec patrias retinuerunt. Quam foueam cauentes malumus cum paucis & licitis Domino opem ferente victores existere, quam cum multis & illicitis terga, quod absit, vertere,& cum prædictis gentibus perire. Qualis enim victoria datur vbi sacerdotes vna hora Dominica pertractant ministeria, & Christianis Dominicum porrigunt corpus pro suarum animarum redemptione, & post Christianis quibus hoc ministrare debuerant, aut paganos quibus Christum prædicare propriis sacrilegisq; manibus necant, præcipue dicente eis Domino, *Vos estis sal terræ, quod si sal euanuerit, in quo condietur: ad nihilum valet vltra nisi vt mittatur foras,& conculcetur ab hominibus,* & dum hæc ita se habeant, elegimus potius Domino adminiculante nobisque illis & cunctis eorum Ecclesiis opem ferente nec quicquam eis pro hoc de honoribus, vel ecclesiarum rebus minuente, vt gradus eorum, & sanctorum canonum decreta custodiant, quam illi aut nobis imperantibus, aut consentientibus, contra hæc faciant, aut gradibus careant, aut pereant, & nos simul quod absit, cum eis & victoria careamus vel pereamus. Quoniam peccatis exigentibus, timemus si talia & tam illicita aut imperemus aut agere consentiamus, vt vna cum eis pereamus, quia non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, æquo piaculo rei sunt in conspectu Dei & sanctorum eius. Si vero ista veraciter ex vtraque parte fuerint custodita, credimus quia corruent ante nos omnes paganæ gentes, & erimus victores, insuper & bene agentes, Domino auxiliante, vitam possidebimus sempiternam.

II. De his qui putauerunt idcirco præceptum fuisse non ire ad pugnam sacerdotes vt honor eis minueretur.

QVia instigante antiquo hoste audiuimus quosdam nos suspectos habere propterea quod concessimus Episcopis & sacerdotibus, ac reliquis Dei seruis vt in hostes, nisi duo aut tres à cæteris electi, & sacerdotes similiter perpauci ab eis electi non irent, sicut in prioribus nostris continetur capitularibus, nec ad pugnam properarent, nec arma ferrent,nec homines tam Christianos quam paganos necarent, nec agitatores sanguinum fierent, vel quicquam contra canones facerent, quod honores sacerdotum, & res Ecclesiarum auferre vel minorare eis voluissemus, quod nullatenus facere velle, vel facere volentibus consentire omnes scire cupimus. Sed quanto quis eorum amplius suam normam seruauerit, & Deo seruierit, tanto eum plus honorare, & cariorem habere volumus. Et vt hæc certius credantur,& per futura tempora conseruentur, præcipimus vt nullus res Ecclesiæ nisi precario possideat, & postquam ipsæ precariæ finitæ fuerint, faciant potestatiue speculatores Ecclesiæ vtrum elegerint aut vt ipsas res recipiant, aut posteris eorum sub precario & censu habere permittant. Ita tamen vt ipsi proprias & vtiles res eisdem Ecclesiis de quarum iure esse videntur, legaliter tradant, & sic à rectoribus earundem Ecclesiarum precariæ si renouandæ sunt, canonice renouentur. Nouimus ergo multa regna & reges eorum propterea cecidisse,quia Ecclesias spoliauerunt, resq; earum vastauerunt, abstulerunt, alienauerunt, vel diripuerunt, Episcopisq; & sacerdotibus, atque quod magis est, Ecclesiis eorum abstulerunt & pugnantibus dederunt. Quapropter nec fortes in bello, nec in fide stabiles fuerunt, nec victores extiterunt, sed terga multi vulnerati & plures interfecti verterunt, regnaq; & regiones, & quod peius est, regna cælestia perdiderunt, atq; propriis hæreditatibus caruerunt & hactenus carent. Quæ omnia vitantes nec talia facere, nec consentire, nec infantibus aut successoribus nostris exemplum dare volumus, sed quantum valemus & possumus adiuncto Leonis Papæ & omnium Episcoporum quorum consilio vsi hoc egimus, spiritu nostro spiritui eorum per Deum contestamurq; & omnium sanctorum merita prohibemus, nec talia faciant, vel facere volentibus consentiant, sed adiutores & defensores, atque sublimatores Ecclesiarum & cunctorum seruorum Dei pro virib. existãt, ne in foueam, in quam prædicti reges & regna ceciderunt, cadant, aut in profundum, quod absit, inferni demergantur. Et vt hæc deuotius per futura tempora conseruentur, præcipientes iubemus, vt nullus tam nostris quam futuris temporibus à nobis vel successoribus nostris vllo vnquam tempore absque consensu & voluntate Episcoporum, in quorum parochiis esse noscuntur, res Ecclesiarum petere, aut inuadere vel vastare, aut quocumque ingenio alienare præsumat. Quod si quis fecerit, tam nostris, quam & successorum nostrorum temporibus, pœnis sacrilegii subiaceat, & à nobis atque successoribus nostris, nostrisque iudicibus vel comitibus sicut sacrilegus, & homicida vel fur sacrilegus legaliter puniatur & ab Episcopis nostris anathematiseтur, ita vt mortuus etiam sepultura & cunctis Dei Ecclesiæ precibus & oblationibus careat, nec eleemosynam suam quispiam recipiat. Quod autem maximum sacrilegium sit res Ecclesiæ auferre, alienare, vastare, vel subripi, maxime omnes scripturæ diuinæ restantur: Et Beatus Symmachus Papa synodali sententia cunctos feriendo dicit; *iniquum*

est,

est, inquit, *& sacrilegii instar vt qua vel pro salute, vel pro requie animarum suarum vnusquisque venerabilis Ecclesia pauperum contulerit, aut certe reliquerit, ab his quibus maxime seruari conuenerat auferri, aut in aliud transferri*: & multa sanctorum canonum decreta & sanctorum patrum edicta hæc eadem testantur, quæ scrutari & scite cupientibus perfacile patent.

LIII. De sceleribus nefandis ob qua regna percussa sunt, vt penitus caueantur.

PRohibemus omnino sub pœna sacrilegii generaliter omnibus cunctarum Ecclesiarum rerum inuasiones, vastationes, alienationes, sacerdotumque & reliquorum seruorum Dei oppressiones, vexationes, atque cunctorum generum iniurias: nec non & cunctis vtriusque sexus hominibus, adulteria, fornicationes sodomiticasque luxurias atque incesta vel cuncta illicita coniugia, homicidia iniusta, periuria, falsa testimonia, & omnia illicita, pro quibus non solum regna vel reges, sed etiam homines in eis commanentes perire cognouimus. Sed quia Deo auxiliante per merita, & intercessiones sanctorum seruorumq; Dei quos sublimare & honorare curauimus, atque curamus, hactenus nos & successores nostri, regna & regiones, adquisiuimus, & victorias multas habuimus, deinceps summopere omnibus nobis prouidendum est, ne pro prædictis illicitis & spurcissimis luxuriis, his, quod absit, careamus. Nam multæ regiones quæ rerum Ecclesiarum inuasiones, vastationes, alienationes, vexationesque, & sacerdotum, reliquorumq; seruorum Dei oppressiones vel quascunque iniurias, quæ iam dicta illicita, & adulteria vel sodomiticam luxuriam, vel commixtionem meretricum sectatæ fuerunt, nec in bello seculari fortes nec in fide stabiles persititerunt, & qualiter Dominus talium criminum patratoribus vltrices pœnas, per Sarracenos & alios populos venire & seruire promisit, cunctis earum gesta legentibus liquet, & nisi nos ab his caueamus, similia nobis superuenire non dubitamus, quia vindex est Deus de his omnibus. Quapropter sciat vnusquisque nobis subiectus, qui in vno ex his repertus, atque conuictus fuerit, & honores si habet, omnes perdere, & in carcerem se vsque ad iustam emendationem atque per publicæ pœnitentiæ satisfactionem retrudi, & ab omni fidelium consortio fieri alienum: valde enim cauenda est illa fouea, in quam alios cecidisse cognouimus.

KAROLI MAGNI IMPERATORIS CONSTITVTIO

Qualiter ex factis aut mansis, vel quartis, manopera & census ac tributa ac reliqua seruitia exigantur vel agantur.

PRo nimia reclamatione, quæ ad nos venit de hominibus Ecclesiasticis seu fiscalinis, qui non erant adiurnati, quando in Cœnomanico pago fuimus, visum est nobis vna cum consultu fidelium nostrorum statuere, vt quicunque de prædictis hominibus quartam facti tenet, cum suis animalibus seniori suo pleniter vnum diem cum suo aratro in campo Dominico aret: & postea nullum seruitium ei manuale in ipsa hebdomada à seniore suo requiratur. Et qui tanta animalia non habet, vt in vno die hoc explere valeat, perficiat prædictum opus in duobus diebus. Et qui solummodo ita inualida, vt per se non possit arare, quatuor animalia habet, cum eis sociatis sibi aliis aret vno die in campo senioris, & vno die postmodum in ipsa hebdomada opera manuum faciat. Qui nihil ex his facere potest, neque animalia habet, per tres dies seniori suo à mane vsque ad vesperam operetur, & senior suus ei amplius non requirat. Diuersis namque modis hæc agebantur, à quibusdam tota hebdomada operabatur, à quibusdam dimidia, & à quibusdam duobus diebus. Idcirco hæc statuimus vt ne familia se à prædictis operibus subtrahere possit, neque à senioribus amplius eis requiratur. Et qui minus quartæ optimæ de terra habet, secundum æstimationem suæ telluris opera faciat. Hæc ab Adalardo comite palatii nostri ad eorum satisfactionem vna cum aliis fidelibus nostris præcipi nostra vice, & publice annuntiari iussimus.

Anno Chr. 798.

CAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI

CAPITVLA,

Quæ in Lege Salica mittere præcepit Anno Domini DCCXCVIII.

I. De Homicidiis Clericorum.

SI quis Subdiaconum occiderit, & ei fuerit approbatum ccc. solidos componat. Si quis diaconum cccc. componat. Si quis Presbyterum sol. dc. componat, Si quis Episcopum dccc. componat. Si quis monachum occiderit cccc. solidis culpabilis iudicetur.

2. Si

II. De immunitate.

1. Si quis in immunitate damnum aliquod fecerit DC. solidos componat.

2. Si autem homo furtum, aut homicidium fecerit, vel quodlibet crimen foris committens infra immunitatem fugerit, mandet Comes illi episopo, vel abbati, vel vicedomino, vel quicunque locum episcopi vel abbatis tenuerit, ut reddat ei reum. Si ille contradixerit, & eum reddere noluerit, in prima contradictione, xv. sol. culpab. iudicetur. Si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit, 30. solid. culpabilis iudicetur. Si nec ad tertiam inquisitionem conseotire voluerit, quidquid reus damni fecerit, totum ille qui eum infra immunitatem retinet, nec reddere vult, solvere cogat. Et ipse Comes veniens licentiam habeat ipsum hominem infra immunitatem quærendi, ubiconque eum invenire potuerit. Si autem statim in prima inquisitione Comiti responsum fuerit, quod reus infra immunitatem quidem fuisset, sed fuga lapsus sit, statim juret, quod ipse eom ad iustitiam cuiuslibet disfaciendam fugere non fecisset, & sit ei in hoc satisfactum. Si autem intranti in ipiam immunitatem Comiti collecta manu quilibet resistere tentaverit, Comes hoc ad regem, vel ad principem deferat, ibiq; iudicetur, ut sicut ille, qui in immunitate damnum fecit DC. solid. componere debuit, ita, qui comiti collecta manu resistere præsumsit, DC. solid, culpabilis iudicetur.

III. De confugio ad Ecclesiam.

Si quis ad Ecclesiam confugium fecerit, in atrio ipsios Ecclesiæ pacem habeat, ne sit necessitas Ecclesiam ingredi, & nollus eum inde per vim abstrahere præsumat: sed liceat ei confiteri quid fecit, & inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publicum perducatur.

IV. De pravis causidicis.

Si quis hominem in iudicio iniuste contra alium altercantem adiuvare per malum ingenium præsumpserit, atque inde coram iudicibus vel Comite increpatus fuerit, & oegare oon potuerit, xv. solidis culpabilis iudicetur.

V. De parricidiis.

Si quis de libertate sua fuerit interpellatus & timens ne in servitium cadat, aliquem de propinquis suis, per quem se in servitium casurum timet, occiderit, idest, patrem, matrem, patruelem, avunculum, vel quamlibet huiusmodi propinquitatis personam, ipse, qui hoc perpetravit, moriatur, & agnatio eius, & consanguinitas in servitium cadat, & si negaverit se illum occidisse, ad novem vomerea ignitos iudicio Dei examinandus accedat.

VI. De his qui ad casam Dei res suas tradere voluerunt.

Qoi res suas pro anima soa ad casam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis, & qoæ hactenos in hoste factæ sunt traditiones, de quibus nolla est quæstio, stabiles permaneant. Si vero aliquis alii res suaa tradiderit, & in hostem profectus fuerit, & ille, cui res traditæ sont, interim mortuus fuerit, qui res tradidit cum reversus fuerit, adhibitis testibus coram quibus traditio facta est, res suas recipiat. Si autem & ipse mortuus fuerit, heredes eius legitimi res traditas recipiant.

VII. De carta ingenuitatis.

Si quis per cartam ingenuitatis à domino suo legitime libertatem est consecutus, liber permaneat. Si vero aliquis eum iniuste inservire tentaverit, & ille cartam ingenuitatis suæ ostenderit, & adversarius se ioservire velle comprobaverit, ille qui hoc tentavit, multam quæ in carta descripta est solvere cogatur. Si vero carta noo paruerit, sed etiam ab illo qoi eum inservire voluerit, diffacta est, Vveregeldum eius componat, duas partes illi quem inservire voluerit, tertiam regi, & ille iterum per præceptum regis libertatem suam cooquirat.

VIII. De libero homine Vuadiato.

Liber qui se loco Vvadii in alterius potestatem commiserit, ibique constitutus damnum aliquod cuilibet fecerit, qui eum in locum Vvadii soscepit, aot damnum solvat aut hominem in mallo perductum dimittat, perdens simul debitum propter quod eum Vvadio suscepit, & qui damnum fecit dimissus iuxta qualitatem regi cogatur emendare.

2. Si vero liberam fœminam habuerit usque dum in pignus extiterit & filios habuerit, liberi permaneant.

IX. Debita Fiscalia quibus denariis solvenda.

Omnia debita quæ ad partem regis solvi debent solid. XII. denariorum solvaot, excepta freda, quæ in lege Salica conscripta est. Illa eisdem solidis, quibus cæteræ compositiones solvi debent, componatur.

X. De re judicata.

Si quis causam iudicatam repetere in mallo præsumpserit, ibique testibus coovictus fuerit, aut xv. solid. componat, aut xv. ictus ab iis scabinis, qui causam prius iudicaverunt, accipiat.

XI. De Testibus.

Optimus quisque in pago, vel civitate in testimonium assumatur, & cui is contra quem testimoniare debet, nullum crimen possit indicere.

Caroli Magni Imperatoris Augusti
EDICTVM

De obedientia Episcopis & Sacerdotibus praestanda.

CArolus gratia Dei Rex Francorum & Longobardorum, ac Patricius Romanorum, dilectis Comitibus, seu Iudicibus, & Vassis nostris, Vicariis, Centenariis, vel omnibus Missis nostris & Agentibus.

Cognoscat utilitas vestra, quia resonuit in auribus nostris quorundam praesumptio non modica, quod non ita obtemperetis Pontificibus nostris seu Sacerdotibus, quemadmodum canonum, & legum continet auctoritas. Ita ut presbyteros, nescio qua temeritate, praesentari Episcopis denegetis. Insuper & aliorum clericos usurpare non pertimescatis, & absq; consensu Episcopi in vestras Ecclesias mittere audeatis. Nec non & vestris ministeriis Pontifices nostros talem potestatem habere non permittatis, qualem rectitudo Ecclesiastica docet. Insuper nonas & decimas vel census improba cupiditate de ecclesiis, unde ipsa beneficia sunt, abstrahere nitimini, & precariis de ipsis rebus, sicut à nobis dudum in nostro Capitulare institutum est, accipere neclegitis, & ipsam sanctam Dei Ecclesiam una eum ipsis Episcopis vel Abbatibus emendare iuxta vires vestras. Queproptet nos una cum consensu Episcoporum nostrorum, Abbatum, necnon & aliorum Sacerdotum haec instituta partibus *vestris direximus. Praecipientes enim iubemus, ut nullus quilibet ex fidelib. nostris à minimo usq; ad maximum in his, quae ad eum pertinent, Episcopo suo inobediens parere audeat de supradictis Capitulis, seu aliis eruditionibus ad illorum ministeria pertinentibus, sed cum bona voluntate, & omni mansuetudinis subiectione unusquisque Sacerdoti suo, propter Deum, & pacis studium, obtemperare studeat. Si quis autem, quod absit, unus ex vobis nllus de nonis & decimis censibusq; reddendis, atq; precariis renovandis neclegens apparuerit, & importunus Episcopis nostris de his, quae ad ministerium illorum pertinere noscuntur, vel sicut in Capitulare dudum à nobis factum continetur, contradicere praesumpserit, sciat se proculdubio, nisi se cito correxerit, in conspectu nostro exinde ducere rationes. Et ut has literas certius credatis, de anulo nostro subterius decrevimus roborare.

*al. nostris.

Caroli Magni Imperatoris
CAPITVLA,

Anno Chr. 801.

Quae addita sunt ad Legem Longobardorum.

CArolus divino nutu Coronatus, Romanorum regens Imperium, Serenissimus, Augustus, omnibus Ducibus, Comitibus, Gastaldiis, seu, cunctis Reipublicae per provincias Italiae à nostra mansuetudine praepositis. Anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi dcccı. Indictione nona: Anno vero Regni nostri in Francia xxx. in Italia xxvııı. Consulatus autem nostri primo.

Cum in Italiam propter utilitatem sanctae Dei Ecclesiae, ac provinciarum disponendarum venissem, & multae atque diversae per orbis singulas ante conspectum nostrum quaestiones tam de ecclesiasticis, quam publicis ac privatis rebus, discoterentur, pleraque statuta, recitata ex Romana seu Longobardiea Lege competenti sententia termioata & decisa sunt. Quaedam vero in nostri examinis arbitrium ad tempus dilata, quorum iudicialis sententia à Legislatoribus aut penitus omissa est, aut à posteris oblivioni tradita. Quocirca nos considerantes utilitatem nostram, & populi à Deo nobis concessi, ea, quae ab antecessorib. nostris Regib. Italiae in edictis Legis Loogobardiae ab ipsis editae praetermissa sunt, iuxta rerum & temporum considerationem addere curavimus, solliciti, ut necessaria, quae Legi defuerant, supplerentur, ut in rebus dubiis non quorumlibet arbitrium, sed nostrae Regiae auctoritatis sententia praevaleret.

Capitula autem, quae nobis addere placuit, haec sunt.

CAP. I. *De cartis donationis faciendis.*

Statuimus, si quis Longobardus statum suae fragilitatis praecogitans pro salute animae suae de rebus suis cartam donationis quamlibet facere voluerit, non, sicut hactenus fieri solebat, ius sibi vendendi, commutandi, & per aliam cartam eandem rem alienandi reservet, sed absolute faciat unusquisque de rebus suis, quid velit, & noverit sibi à nostra auctoritate penitus interdictum duas de eadem re facere donationes: sed postquam unam de rebus suis ordinationem fecerit, aliam de ipsis faciendi nullam habeat potestatem. Eidem tamen, ut usumfructum per tantum precaria, res traditas usque in tempus definitum possidendi sit facultas.

CAP.

CAP. II. *De haribanno.*

Si quis liber, contempto iussione nostra, cæteris in exercitum pergentibus, domi residere præsumpserit, plenum haribannum secundum legem Francorum solidis LX. sciat se debere componere.

2. Similiter & pro contemptu singulorum Capitulorum, quæ pro nostræ Regiæ auctoritatis bannum promulgauimus.

3. Item qui pacem Ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, & pupillorum, ac minus potentium, irruperit, LX. solidos exsoluat.

CAP. III. *De desertoribus.*

Si quis adeo contumax aut superbus exstiterit, vt dimisso exercitu, absque iussu vel licentia Regis, domum reuertatur, &, quod nos Theutisca lingua dicimus, Herisliz fecerit, ipse, vt reus Maiestatis, vitæ periculo incurrat & res eius fisco nostro socientur.

CAP. IV. *De latronibus.*

Si quis latronem morte dignum sibi ad occidendum traditum reseruauerit, vitam indigno concesserit, medietatem damni, propter quod traditus est, pro latrone componat, & si idem latro iterum in latrocinio fuerit comprehensus, quod inprimis debuerat, capitali sententia debitum exsoluat.

CAP. V. *De mancatione qualibet.*

Si quis alterum præsumptione sua vel sponte, castrauerit, & ei ambos testiculos amputaverit, integrum Widrigildum suum iuxta conditionem personæ componat. Si virgam absciderit, similiter. Si vnum testiculorum, medietatem soluat.

2. De oculis, manibus ac pedibus, vel lingua sancimus, vt si vnum horum abscisum fuerit, medietas Widrigildi: si ambo, integritas* pro factis emendatione componatur. *al. præfecta for. pro facti.

CAP. VI. *De aldionibus publicis ad ius publicum pertinentibus.*

† Aldiones vel Aldianes ea lege viuant in Italia in seruitute dominorum suorum, qua fiscalini vel liddi viuunt in Francia. †al. Aldianes vel aldianæ.

CAP. VII. *Item de latronibus.*

Si quis furem vel latronem comprehenderit, & eum indemnem dimiserit, neque illum ad præsentiam Ducis, aut Comitis, vel Loci seruatoris, qui Missus Comitis est, adduxerit, & de hoc facto vel nequitia post hoc in præsentia iudicum conuictus fuerit, ipse damnum ad extimationem, pro qua fur vel latro comprehensus est, componere cogatur.

CAP. VIII. *De seruis fugitiuis.*

Vbicunque intra Italiam siue Regius, siue Ecclesiasticus, vel cuiuslibet alterius hominis seruus fugitiuus inuentus fuerit, à domino suo sine vlla annorum præscriptione vindicetur, ea tamen ratione, si dominus Francus, siue Alemannus, aut alterius cuiuslibet nationis sit. Si verò Longobardus aut Romanus fuerit, ea lege seruos suos vel adquirant, vel amittant, quæ inter eos antiquitus est constituta.

CAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI

Anno Chr. 802.

EDICTVM.

In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

CArolus Serenissimus Augustus, à Deo Coronatus, magnus, pacificus Imperator, Romanum gubernans Imperium, qui & per misericordiam Dei Rex Francorum & Longobardorum, dilectissimo filio nostro PIPINO glorioso Regi sempiternam in Domino salutem.

1. Peruenit ad aures clementiæ nostræ, quod aliqui Duces, & eorum Iuniores, Gastaldii, Vicarii, Centenarii seu reliqui ministeriales, falconarii, venatores, & cæteri per singula territoria habitantes ac discurrentes, mansionaticos & paradas accipiant, non solum super liberos, homines sed etiam in Ecclesias Dei, monasteria videlicet virorum & puellarum, & xenodochia, atque diuersas plebes, & super reliquos seruientes Ecclesiarum Dei in eorum opera, id est, in vineis, & campis, seu pratis, necnon in eorum ædificiis eos faciant operari, & carnaricos & vinum contra omnem iustitiam ab eis exactare non cessant, & multas oppressiones patiantur ipsæ Ecclesiæ Dei, vel seruientes eorum. Ideoque carissimè Fili has literas ad tuam dilectionem direximus, vt hanc causam diligenter ac prudenter inquirere facias, & si veritas est, quod ita factum sit, deinceps omnimodis emendare & corrigere studeas, quatenus in diebus nostris ac tuis pax ecclesiarum Dei, siue illarum seruientium, in omnibus conseruetur, & vt merces copiosa nobis ac tibi exinde iugiter adcrescat.

2. Audiuimus etiam, quod quædam Capitula, quæ in Lege scribi iussimus, per aliqua loca aliqui ex nostris ac vestris dicant, quod nos nequaquam illis hanc causam ad notitiam per nosmetipsos condictam habeamus, & ideo nolunt eis obedire, nec consentire, neque pro lege tenere. Tu autem nosti, quomodo vel qualiter tecum locuti fuimus de ipso Capitulo. Et ideo monemus tuam amabilem dilectionem, vt per vniuersum Regnum tibi à Deo commissum ea nota facias, & obedire atque implere præcipias.

3. De Episcopis & Sacerdotibus occisis, sicut statutum habemus, & de reliquis quibuslibet causis.

4. Verum tamen de Presbyteris videtur nobis, vt, si liber natus est Presbyter, tripla composi-

tione secundum tuam Legem fiat compositus. Etsi placatus fuerit, secundum qualitatem plagarum, vel disciplinæ, tripla compositione emendetur, qui hoc perpetrauerit. Si tamen Presbyter seruus natos fuerit, secundum illius natiuitatem tripla compositione soluatur in plagis, & disciplinis: & de diaconibus similiter fiat. His expletis, bene vale semper in Domino. Fili dilectissime.

Capitula, quæ pro lege tenenda sunt.

1. Volumus primo, vt neq; Abbates, & Presbyteri, neq; Diaconi, & Subdiaconi, neq; quislibet de clero de personis suis ad publica vel secularia iudicia trahantur, vel distringantur, sed à suis Episcopis adiudicati iustitias faciant. Si autem de possessionibus suis, seu Ecclesiasticis seu propriis super eos clamor ad iudicem venerit, mittat Iudex clamantem cum Misso suo ad Episcopum, vt faciat eum per Aduocatum Iustitiam recipere. Si vero talis aliqua inter eos contentio orta fuerit, quam per se pacificare non velint, aut non possint, tum per Aduocatum Episcopi, qualem iusserit ipse in causa ipsa ante Comitem vel Iudicem veniat, & ibi secundum legem finiatur ante posita, vt dictum est, persona Clerici.

2. Vt serui, aldiones, libellarii antiqui vel nouiter facti, qui non pro fraude non pro malo ingenio de publico se subtrahentes, sed pro mala paupertate & necessitate terras Ecclesiæ incolunt, vel colendas suscipiunt, non à Comite vel quolibet ministro illius ad vllam angariam seu seruitium publicum vel priuatum cogantur vel compellantur: sed quidquid ab eis iuste agendum est, à patrono vel domino suo ordinandum est.

3. Si vero de crimine aliquo accusantur, Episcopus primo compellatur, vt ipse per Aduocatum suum, secundum quod lex est, iuxta conditionem singularum personarum iusticiam faciant. Sin vero, sicut in Capitulare nostro scriptum est, ita fiat. Cæteri vero liberi homines, qui vel commendationem vel beneficium Ecclesiasticum habent, sicut reliqui homines, iusticiam faciant.

3. Volumus etiam & statuimus de plateis vel cloacis curandis vniuscuiusq; ciuitatis de Regno Italiæ pertinentibus, vt singulis annis curentur. Tamen non volumus, quod exinde * pandum aliquis ad partem Palatii nostri persoluat, sed præcipimus, quatenus exactores singularum ciuitatum studium habeant, ne ante finiatur annus, quam plateæ & cloacæ emundentur. Et hoc vnusquisque Procurator ciuitatis publice ex nostra Imperiali parte admonendo præcipiat, ne prætermissum fiat.

* for. bannum.

KAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI

CONSTITVTIO.

DE SACERDOTVM PVRGATIONE.

Anno Chr. 806.

OMnibus vobis visu aut auditu notum esse non dubitamus, quod sæpissime suadente antiquo hoste sacerdotibus crimina diuersa obiiciantur, sed quomam qualiter ex eis ab his rationabilis examinatio & satisfactio fiat, licet tempore bonæ memoriæ domni genitoris nostri Pipini, siue priscis temporibus à sanctis patribus & reliquis bonæ deuotionis hominibus sæpissime ventilatum fuerit, nos tamen pleniter & ad liquidum definitum reperire minime quiuimus. Nostris quippe temporibus ad ipsum à sanctis Episcopis, & reliquis sacerdotibus, & cæteris Ecclesiasticæ dignitatis ministris nostris in regnis, seu in aliis Deo degentibus, nobisq; vna cum eis agentibus sæpissime propter multas & nimias reclamationes, quæ ex hoc ad nos ex diuersis partibus venerunt, ventilatum est, sed qualiter consultu domni & patris nostri Leonis Apostolici, cæterorumque Romanæ Ecclesiæ Episcoporum, & reliquorum sacerdotum, siue orientalium & Græcorum Patriarcharum, & multorum sanctorum Episcoporum & Sacerdotum, necnon & nostrorum Episcoporum, omniumque cæterorum sacerdotum ac Leuitarum auctoritate & consensu, atque reliquorum fidelium, & cunctorum Consiliariorum nostrorum consultu definitum est, vobis omnibus vtriusque ordinis ministris scire volumus. Statutum est namq; ratione & necessitate ac auctoritate prædicta consultu omnium, vt quotienscunque cuiquam sacerdoti crimen imponitur, si ipse accusator talis fuerit, vt recipi debeat. (quia quales ad accusationem sacerdotum admitti debeant in canonibus pleniter expressum est.) Si autem, vt dictum est, ille accusator, qui canonice est recipiendus, eum cum legitimo numero verorum & bonorum testium approbare in conspectu Episcoporum poterit, tunc canonice diiudicetur. Et si culpabilis inuentus fuerit, canonicè damnetur. Si vero eum suprascripto prætextu approbare ipse accusator minimè poterit, & hoc canonice definiatur. Ipse ergo sacerdos, si suspiciosus, aut incredibilis suo Episcopo, aut reliquis suis consacerdotibus, siue bonis & iustis de suo populo vel de sua plebe hominibus fuerit, ne in crimine aut in prædicta suspicione remaneat, cum tribus aut quinque vel septem bonis ac vicinis sacerdotibus, exemplo Leonis Papæ, vel eo amplius, si suo Episcopo visum fuerit, aut necesse propter tumultum populi inesse prospexerit: & cum aliis bonis & iustis hominibus se sacramento coram populo super quatuor Euangelia dato purgatum Ecclesiæ reddat. Si quis autem scire desiderat, quales testes ad accusationem sacerdotum recipi debeant, & quicquid de accusatore faciendum sit, pleniter in canonibus reperire poterit.

KAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI

CAPITVLA.

Sancita in Comitiis Theodonis villanis. Anno Chr. 806.

Capitularium in dominicum datum anno incarnationis Domini nostri IESV Christi DCCCVI. ad Theodonis villam, anno imperii Domni Karoli VI.

I. De lectionibus.

VT lectiones in Ecclesia distincte legantur.

II. De cantu.

Vt secuudum ordinem & morem Romanæ Ecclesiæ fiat cantatus.

III. De notariis.

Vt vnusquisque Episcopus & abba & singuli comites suum notarium habeant.

IV. De ceteris disciplinis Ecclesiæ.

Vt secundum canones vel regulam fiant.

V. De medicinali arte.

Vt infantes hanc discere mittantur.

VI. De Ecclesiis & altaribus.

De Ecclesiis sine honore manentibus, absque officiis & luminariis, & de his qui decimas assumunt, & de Ecclesiis non curant, ut omnimodis emendentur, & de altaribus, & nou superflua sint in Ecclesiis.

VII. Vt compotus discatur.

De compoto, vt veraciter discant omues.

VIII. De libris canonicis, vt veraces habeantur.

Volumus, & ita Missis nostris mandare præcipimus, vt in Ecclesiis libri canonici veraces habeantur, sicut iam in alio capitulari sæpius mandauimus.

CAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI

CONSTITVTIO.

VT OMNES A MINORE VSQVE AD MAIOREM SVIS SACERDOtibus, sicut ipsi Domino, obedientes existant, cuius vice legatione in Ecclesia funguntur. Anno Chr. 806.

Sancita in Comitiis Anno DCCCVI.

VOlumus atque præcipimus vt omnes suis sacerdotibus, tam maioris ordinis, quam & inferioris, à minimo vsque ad maximum, vt summo Deo cuius vice in Ecclesia legatione funguntur, obedientes existant. Nam nullo pacto agnoscere possumus qualiter nobis fideles existere possunt, qui Deo infideles, & suis sacerdotibus inobedientes apparuerint, aut qualiter nobis obedientes nostrisque ministris ac legatis obtemperantes erunt qui illis in Dei causis & Ecclesiarum vtilitatibus non obtemperant. Potius namque, iuxta veritatis vocem, ille metuendus est, qui potest animam & corpus perdere in gehennam, quam ille qui corpus torquere & honores temporales potest auferre. De illis dictum est: *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit:* & alibi. *Qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei:* Et rursus. *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, melius est illi vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Et iterum. *Qui vos recipit me recipit: & qui me recipit, recipit eum qui me misit.* Et multa alia horumque similia. His ergo fulti oraculis, iubemus vt omnes eis pro viribus ad eorum peragenda ministeria, & ad malos & peccatores atque negligentes homines distringendos summopere obedientes existant. Qui autem in his, quod absit, aut negligentes eisque inobedientes fuerint inuenti, sciant se nec in nostro imperio honores retinere, licet etiam filii nostri fuerint, nec in palatio locum neque nobiscum aut cum nostris societatem aut communionem vllam habere, sed magis sub magna districtione & ariditate pœnas luere. In his namque omnium nostrorum fidelium volumus agnoscere fidem, ac beneuolentiam: quoniam si hæc fideliter & vtiliter impleuerint, tunc Deo & nobis fideles erunt: Si autem, quod absit, secus egerint, tunc non solum infideles, sed etiam infames atque rep[illegible] manifeste apparentes notabuntur, eorumque domus publicabuntur, & ipsi exiliabuntur.

RECESSVS SIVE CAPITVLARE

*COMITIORVM GENERALIVM, QVÆ Karolus Imperator habuit ad * Niumagd.*

Anno Chr. 807. i. e. * Neomagi.

C A P. I. *De Missatico.*

VNusquisque in suo Missatico maximam habeat curam ad præuidendum, & ordinandum, ac disponendum secundum voluntatem Dei, & secundum iussionem nostram.

C A P. II. *De sacramento fidelitatis.*

De sacramento, vt hi, qui antea fidelitatem partibus nostris non promiserunt, promittere faciant, & insuper omnes denuo repromittant.

C A P. III. *De concordia filiorum Regiorum stabilienda.*

Vt ea, quæ inter filios nostros propter pacis concordiam statuimus, pleniter omnes consentire debeant.

C A P. IV. *De Missis, qui per ciuitates & monasteria mittuntur.*

Vt prædicti Missi per singulas ciuitates, & monasteria virorum & puellarum præuideant, quomodo aut qualiter in domibus ecclesiarum ornamenta ecclesiis emendata vel restaurata esse videantur: & diligenter inquirant de conuersatione singulorum, vel quomodo emendatum habeant, quod iussimus de eorum lectione, & cantu, cæterisque disciplinis & ecclesiasticæ regulæ pertinentibus.

C A P. V. *De thesauris ecclesiasticis.*

Vt singuli Episcopi, Abbates, Abbatissæ, diligenter considerent thesauros Ecclesiasticos, ne propter perfidiam, aut negligentiam custodum aliquid de vasis, reliquo quoque thesauro perditum sit; quia dictum est nobis, quod negociatores, Iudæi, necnon & alii gloriantur, quod quicquid eis placeat, possint ab eis emere.

C A P. VI. *De æqualitate à Missis Dominicis facienda.*

Volumus, vt æqualiter Missi nostri faciant de singulis causis siue de heribanno, siue de aduenis, siue de cæteris quibuslibet causis. De aduenis volumus, vt, qui iam diu coniugati sunt per singula loca, vt ibi maneant, & sine causa, vel sine aliqua culpa non fiant eiecti. Fugitiui vero & latrones redeant ad propria loca.

C A P. VII. *De his, qui beneficia habent Regalia.*

Auditum habemus, qualiter & Comites & alii homines, qui nostra beneficia habere videntur, comparant sibi proprietates de ipso nostro beneficio, & faciunt seruire ad ipsas proprietates seruientes nostros de eorum beneficio, & curtes nostræ remanent desertæ, & in aliquibus locis ipsi vicinantes multa mala patiuntur.

C A P. VIII. *De his, qui fraudem faciunt in Regalibus beneficiis.*

Audiuimus, quod aliqui reddant beneficium nostrum ad alios homines in proprietatem, & in ipso placito, dato precio, comparant ipsas res iterum sibi in alode: quod omnino cauendum est, quia qui hoc faciunt, non bene custodiunt fidem, quam nobis promissam habent. Et, ne forte in aliqua infidelitate inueniantur, qui hoc faciunt per eorum voluntatem ad aures nostras talia opera illorum non perueniunt. Deinceps ergo caueant se omnino à talibus, ne à propriis honoribus, à proprio solo à Dei gratia & nostra extorres fiant.

CAP. IX. *De his, qui propter propriam iusticiam dilatandam fugant.*

Sunt & alii, qui iusticiam legibus recipere, & in tantum fiunt in quibusdam locis fatigati, vsque dum illorum iusticiam per fideiussorum manus tradant, ita vt aliquid vel paruum possint habere, & fortiores suscipiant maiorem portionem.

CAP. X. *De mendicis discurrentibus.*

De mendicis, qui per patrias discurrunt, volumus, vt vnusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de beneficio, aut de propria familia enutriat, & non permittat alicubi ire mendicando. Et vbi tales inuenti fuerint, nisi manibus laborent, nullus eis quicquam tribuere præsumat.

CAP. XI. *De theloneis & cispaticis.*

De theloneis & cispaticis, sicut in alio Capitulare ordinauimus, teneant id, vt vbi antiqua consuetudo fuit, exigantur: & vbi noua fuerint inuenta, destruantur.

CAP. XII. *De vsura.*

Vsura est, vbi amplius requiritur, quam debetur; verbi gratia, si dederis solidos decem, & amplius requisieris: vel si dederis modium vini, frumenti, & iterum super aliud exegeris.

CAP. XIII. *De cupiditate in bonam partem.*

Philip 1. Cupiditas in bonam partem [illegible]est accipi, & in malam. In bonam, iuxta Apostolum, *Cupio dissolui & esse cum Christo*, Et in Psal[illegible] *Concupiuit anima mea in atria Domini.*

CAP.

CAP. XIII. *De cupiditate in malam partem.*

Cupiditas vero in malam partem accipitur, si quis supra modum res quaslibet iniuste appetere vult iuxta Salomonem; *Post concupiscentias tuas non eas.* Eccles. 18.

CAP. XIV. *De auaritia.*

Auaritia est alienas res appetere, & adeptas nulli largiri, & iuxta Apostolum hæc est *Radix omnium malorum.* 1. Timoth. 6.

CAP. XV. *De turpibus lucris.*

Turpe lucrum exercent, qui per varias circumuentiones lucrandi causa inhoneste res quaslibet congregare decertant.

CAP. XVI. *De fœnore.*

Fœnus est, qui aliquid præstat. Iustum fœnus est, qui amplius non requirit, nisi quantó præstitit.

CAP. XVII. *De emptione tempore messis, causa cupiditatis & turpis lucri.*

Quicunque enim tempore messis vel tempore vindemiæ, non necessitate, sed propter cupiditatem comparat annonam aut vinum, verbi gratia, de duobus denariis comparat modium vnum, & seruat vsque dum iterum venundare possit contra denarios quatuor, aut sex, seu & amplius, hoc turpe lucrum dicimus. Si autem propter necessitatem comparat, vt sibi habeat, & aliis tribuat, hoc negocium dicimus.

CAP. XVIII. *De hoc si per plurima loca fames fuerit.*

Considerauimus itaque, vt præsenti anno, quia per plurima loca fames valida esse videtur, omnes Episcopi, Abbates, Abbatissæ, Optimates, & Comites, seu Domestici, & cuncti fideles, qui beneficia Regalia, tam de rebus ecclesiasticis, quamque & de reliquis, habere videntur, vnusquisque de suo beneficio suam familiam nutricari faciat & de sua proprietate propriam familiam nutriat. Et si Deo donante, super se, & super familiam suam, aut in beneficio aut in alode annonam habuerit, & venundare voluerit, non carius vendat, nisi modium de auena denariis duobus, modium de ordeo contra denarios tres, modium vnum de secale contra denarios IV. modium vnum de frumento parato contra denarios VI. Et ipsum modium sit quod omnibus habere constitutum est, vt vnusquisque habeat æquam mensuram, & æqualia modia.

KAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI

COSTITVTIONES,

Anno Chr. 813.

Sancitæ in Comitiis Imperii generalibus Acquisgrani Anno Domini DCCCXIII.

Vt litem habentes siue petitor siue possessor si antistitum iudicium elegerint, ad eos dirigantur.

VOlumus atq; præcipimus, vt omnes ditioni nostræ Deo auxiliante subiecti tam Romani, quam Franci, Alamani, Baiouani, Saxones, Turingii, Fresones, Galli, Burgundiones, Britones, Langobardi, Vvascones, Beneuentani, Gothi, Hispani, cæteriq; nobis subiecti omnes licet quocunq; videantur legis vinculo constricti vel consuetodinario more connexi, hanc sententiam quam ex sexto decimo Theodosii Imperatoris libro, capitulo videlicet XI. ad interrogata Ablauii ducis illi & omnib. rescriptam sumpsimus, & inter nostra capitula pro lege tenendam consultu omnium fidelium nostrorum tam clericorum quam & laicorum posuimus, lege cunctis perpetua tenendam, id est. *Quicunq; litem habens siue possessor siue petitor fuerit, vel in initio litis, vel decursis temporum curriculis, siue cum negotium peroratur, siue cum iam cœperit promi sententia, si iudicium legerit sacrosanctæ legis antistitis, illico sine aliqua dubitatione, etiam si alia pars refragatur, ad Episcoporum iudicium cum sermone litigantium dirigatur. Multa enim quæ in iudicio captiosæ præscriptionis vincula promi non patiuntur, inuestigat & promit sacrosancta religionis auctoritas. Omnes itaque causæ quæ vel prætorio iure vel ciuili tractantur, Episcoporum sententiis terminatæ perpetuo stabilitatis iure firmentur. Nec liceat vlterius retractari negotium, quod Episcoporum sententiis deciderit. Testimonium etiam ab vno licet Episcopo perhibitum, omnes iudices indubitanter accipiant. Nec alius audiatur, cum testimonium Episcopi à qualibet parte fuerit repromissum. Illud est enim veritatis auctoritate firmatum, illud incorruptum, quod à sacrosancta homine conscientia mentis inlibatæ protulerit. Hoc nos edicto salubri aliquando censuimus: hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes, vt miseri homines longis ac pene perpetuis actionum laqueis implicati ab improbis petitionibus vel à cupiditate perpera maturo fine discedant. Quicquid itaque de sententiis Episcoporum clementia nostra censuerit, etiam hac sumus lege complexi grauitatem tuam & cæteros pro vtilitate omnium in perpetuum obseruare conueniet.*

Vt ea inlibata seruentur, quæ patrum auctoritas catholicorum lege instituit.

Et quæ circa catholicam legem vel olim ordinauit antiquitas, vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit, vel nostra serenitas roborauit, nouella superstitione submota integra & inuiolata custodiri præcipimus.

Vt priuilegia, quæ propter religionem instituta sunt, nulla interminatione noua mutilentur.

Non nouum aliquid præsenti sanctione præcipimus, sed illa, quæ olim videntur indulta, firmamus. Priuilegia igitur quæ olim reuerentia religionis obtinuit, mutulari sub pœnæ etiam interminatione prohibemus. Ita quoque vt qui Ecclesiæ obtemperant, his quibus Ecclesia beneficiis perfruantur.

CAROLI MAGNI IMPERATORIS AVGVSTI

CAPITVLARIA,

In diuersis Imperii Comitiis generalibus statuta, quibus nec loca nec tempora, vbi & quando habita fuerint, sunt adscripta: sumpta ex Collectione Capitularium Lotharii I. Imperatoris.

CAPITVLARE.

CAP. I. *De armis ad placitum non portandis.*

Vt nullus ad mallum, vel ad placitum infra patriam arma portet, id est, scutum & lanceam.

CAP. II. *De latronibus.*

Quicunque post missam S. Iohannis latroni mansionem dederit, si Francus est, cum 12. similibus Francis iuret, quod ipse latronem eum fuisse non sciffet, licet pater eius sit, aut frater, vel propinquus. Si hoc iurare non potuerit, & ab alio conuictus fuerit, quod latronem in hospitio suscepisset, quasi latro & infidelis iudicetur, quia latro & infidelis est noster & Regno nostro Francorum: & qui illum suscepit, similis est illi. Si autem audiuit, quod latro fuisset, & tamen non scit pro firmitet, aut iuret solus, quod nunquam eum audisset nec per veritatem nec per mendacium latronem, aut sit paratus, si ille de latrocinio postea conuictus fuerit, vt similiter damnetur.

CAP. III. *De animalibus vel aliis rebus à quibus emuntur.*

Vt nullus comparet caballum, bouem, & iumentum, vel alia, nisi illum hominem cognoscat, qui ei vendidit, aut de quo pago est, vel vbi manet, aut quis eius senior.

CAP. IV. *De aduenticiis.*

De aduenticiis autem, cum Missi nostri ad placitum venerint, habeant scriptum, quanti aduenticii sint in illorum missatico, & de quo pago sint, & nomina eorum, & qui sint eorum seniores.

CAP. V. *De fugitiuis & aduenticiis.*

Similes direximus Missos in Aquitaniam, & in Langobardiam, vt omnes fugitiuos & aduenticios ad nostrum placitum adducant.

CAP. VI. *De capitulorum publicatione.*

Quicunque ista Capitula habet, ad alios Missos transmittat, qui non habent, vt nulla excusatio de ignorantia fiat. Et hoc Missi nostri ante natiuitatem Domini cognitum faciant.

CAPITVLA ECCLESIASTICA.

CAP. 1. Vt per singulos annos Synodus bis fiat.

2. Qualis ad sacerdotium, vel sacros ordines, secundum quod in Canone legimus, venire non potest.

3. Vt nequaquam inter duos Metropolitanos prouincia diuidatur.

4. Non in vna ciuitate duo sint Episcopi, & de Vicariis Episcoporum.

5. Quod non oportet ordinationes Episcoporum diu differre.

6. De lectionibus, vt in ecclesia distincte legantur.

7. De cantu, vt secundum ordinem & morem Romanæ ecclesiæ fiat.

8. De notariis, vt vnusquisque Episcopus & Abbas & singuli comites suum notarium habeant.

9. De cæteris disciplinis ecclesiæ, vt secundum canones & regulas fiant.

10. De compoto, vt partes discant omnes.

11. De medicinali arte, vt infantes hanc discere mittantur.

12. De Ecclesiis sine honore manentibus absque officiis & luminariis: & de his qui decimas sumunt, & de ecclesiis non curant: & de altariis, vt non superflua sint in Ecclesiis.

13. De laicis noniter conuersis, ne antequam suam legem pleniter viuendo discant, ad alia, negotia mittantur.

14. De relinquentibus seculum, vt vnum è duobus eligant, aut pleniter secundum canonicam, aut secundum secularem institutionem viuere debeant.

15. De

15. De ecclefiis, feu fanctis nouiter inuentis fine auctoritate, nifi Epifcopo probante, minime venerentur, falua etiam de hoc, & de omnibus ecclefiis canonica auctoritate.

16. De ordinatis Epifcopis, nec receptis.

17. Quod non oporteat abfolute quoslibet ordinare.

18. De feruo, fi nefciente domino fuo fuerit ordinatus.

19. Quod non liceat clericum in duabus ciuitatibus miniftrare, nec abbatibus plurima monafteria aut cellas habere.

20. De peregrinis Epifcopis, & clericis.

21. De literis peregrinorum, & clericis fine literis ambulantibus.

22. Qualis vel pro qualibus culpis quisque fecundum canonicam inftitutionem degradetur de officio facerdotali.

23. De expulfo ab ecclefia & excommunicato, vel damnato ab officio fuo.

24. De ordine Ecclefiaftico, & officio Miffæ.

25. De reliquiis fanctorum, & oratoriis villaribus.

26. De altari non confecrando nifi lapideo.

27. De confirmatione cum chrifmate.

28. De baptifmo.

29. De pafcha, & die dominico, & de reliquis feftiuitatibus.

30. De ieiunio, & de quadragefima, vel lætaniis.

31. Vt feftiuitates præclaræ non nifi in ciuitatibus, aut in vicis publicis teneantur.

32. De hoc officio.

33. De Ecclefiis emendandis, vt vbi in vno loco plures funt, quam neceffe eft, deftruantur quæ neceffariæ non funt, & aliæ conftruantur.

34. De Ecclefiis non bene conftructis.

35. De iudicio pœnitentiæ, ad interrogandum reliquimus per quem pœnitentiam, vel qualiter iudicentur pœnitentes: & de inceftibus, quibus liceat iniungere, quibus non.

36. De eleemofyna mittenda in Hierufalem propter Ecclefias Dei reftaurandas proximo natali Domini.

37. Vt nullus homo malignis confentiat, fed magis in quantum poteft refiftat, vt pauperes, orphani, & viduæ, & Ecclefiæ Dei pacem habeant.

38. De concordia fidelium noftrorum.

39. Vt omnes fideles communicent, & ad Miffas perfteot in Synodali deprecatione. *al. text.* & ad miffas per expectent finalem deprecationem.

40. Canon S. Sylueftri.

Fecit hos gradus in gremio Synodi, vt non Presbyter aduerfus Epifcopum, non Diaconus aduerfus Presbyterum, non Subdiaconus aduerfus Subdiaconum, non Acolythus aduerfus Subdiaconū, non Exorcifta aduerfus Acolythum, non Lector aduerfus Exorciftam, nec Oftiarius aduerfus Lectorem det accufationem aliquam. Et non damnabitur Præful fine 72. teftibus: neque Præful fummus à quoquam iudicabitur, quoniam fcriptum eft: *Non eft difcipulus fuper Magiftrum.* Presbyter autem, nifi in 44 teftimoniis non damnabitur. Diaconus autem in cardine conftitutus Vrbis Romæ nifi 37 teftibus non damnabitur. Subdiaconus, Acolythus, Exorcifta, Lector, nifi, ficut fcriptum eft in 7 teftimoniis filios * habentibus & vxorem, & omnino Chriftum * prædicantibus. Sic datur myftica veritas.

Exempl. Amerbachii, habentes, prædicantes.

CONSTITVTIO AD MISSOS DIRECTA EX CAPITVLARI.

Vt iudices fiue fifcales freda non exigant, priusquam facinus componatur.

HOc quoq; iubemus, vt Iudices nominati fiue Fifcales de quacumque libet caufa freda non exigant, priusquam facinus componatur: Si quis autem per cupiditatem ifta transgreffus fuerit, legibus componatur: fredum autem non illi iudici tribuat, cui culpam commifit, fed illi, qui folutionem recipit, tertiam partem coram teftibus fifco tribuat, vt pax perpetua ftabilis permaneat.

Imo ex Capitulis in Conuentus Mifforum à Carolo ftatutis.

CAPITVLARE.

CAP. I. *De cunctis admonendis.*

CAP. II. *De ecclefiis emendandis.*

De ecclefiis emendandis, & vbi in vno loco plures funt, quam neceffe fit, vt deftruantur, quæ neceffariæ non funt, & aliæ conftruantur.

CAP. III. *De Presbyterorum ordinatione & excommunicatione.*

Vt Presbyteri non ordinentur, priusquam examinentur: & excommunicatio paffim & fine caufa non fiat.

CAP. IV. *De fcabinis, aduocatis & notariis ordinandis.*

Vt Miffi noftri fcabinos, aduocatos, notarios per fingula loca eligant, & eorum nomina, quando reuerfi fuerint, fecum fcripta deferant.

CAP. V.

CAP. V.

De illis qui legem seruare contemnunt.

De his, qui legem seruare contempserint, vt per fideiussores ad præsentiam Regis deducantur.

CAP. VI. *De haribannatoris coniecto.*

Vt illi, qui haribanum soluere debent, coniectum faciant ad haribannatorem.

CAP. VII. *De fugitiuis & peregrinis.*

De fugitiuis & peregrinis, vt distringantur, vt scire possimus, qui sint, aut vnde venerint.

CAP. VIII. *De baugis & bruniis.*

Vt baugæ, & bruniæ non dentur negociatoribus.

CAP. IX. *De mensuris.*

De mensuris, vt secundum iussionem nostram æquales fiant.

CAP. X. *De vestitura Pipini.*

Vt non mittantur testimonia super vestitura Domini Pipini Regis.

CAP. XI. *De colonis & fiscalinis.*

Vt nec colonis, nec fiscalinis possint alicubi traditiones facere.

CAP. XII. *De homine ad iudicium mittendo.*

Vt nullus præsumat hominem ad iudicium mittere, nisi iudicatum fuerit.

CAP. XIII. *De conuersione liberi hominis.*

Vt liber homo, qui in monasterio regulari comam deposuerit, & res suas ibidem delegauerit, promissione facta, secundum Regulam firmiter teneat.

CAP. XIV.

De debitis Regalibus qualiter solui debeant.

Vt omnia debita, quæ ad partem Regis solui debent, solidis 12. denariorum soluant, excepta freda, quæ in Lege Salica conscripta est. Illa iisdem solidis, quibus cæteræ compositiones solui debent, componantur.

CAP. XV. *De Wadio.*

Vt omnia, quæ vvadiari debent, iuxta quod in lege continetur, pleniter secundum ipsam legem reuvadiata fiant, & postmodum vel Dominus Rex, vel ille, cuius causa est, iuxta quod ei placuerit, misericordiam faciat.

CAP. XVI. *De his qui ad placitum non comparuerunt.*

De Episcopis, Abbatibus, Comitibus, qui ad placitum nostrum non venerunt.

CAP. XVII.

De causa ebrii hominis, & de eius testimonio, & de placito Comitis.

Vt nullus ebrius suam causam in mallo possit conquirere, nec testimonium dicere, nec placitum Comes habeat, nisi ieiunus.

CAP. XVIII. *De non cogendo bibere.*

Vt nullus præsumat alium cogere ad bibendum, nisi quod ei necesse fuerit.

CAP. XIX.

De Missis Dominicis, vel cæteris hominibus discurrentibus.

De Missis nostris discurrentibus, vel cæteris hominibus propter vtilitatem nostram iter agentibus, vt nullus mansionem contradicere præsumat.

CAP. XX. *De canibus in dextro armo tonsis.*

De canibus, qui in dextro armo tonsi sunt, vt homo, qui eum habuerit, cum ipso cane in præsentiam Regis veniat.

CAP. XXI.

De capitulis, quæ in Legem nouiter addita sunt.

Vt populus interrogetur de Capitulis, quæ in Lege nouiter addita sunt, & postquam omnes consenserit, subscriptiones & manofirmationes suas in ipsis Capitulis faciant.

CAP. XXII. *De illis, qui ad placitum banniri debent.*

Vt nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærit, aut si alter ei quærere debet: exceptis Scabinis VII. qui ad omnia placita præesse debent.

CAP. XXIII. *De generali placito habendo.*

Si aliter res fortuito non prœoccupauerint, 8. Kal. Iul. id est, in missa S. Iohannis Baptistæ, ad Mogontiam, siue ad Cabillionem, generalem placitum nunciantes habere velumus.

CAP. XXIV. *Ex lege Ripuarense.*

1. Si ingenuus ingenuum ictu percusserit, 15. solidis culpabilis iudicetur.

2. Homo Regius, i. fiscalinus, & Ecclesiasticus, vel laicus interfectus, c. solidis componatur.

3. Ho-

3. Homo ingenuus, qui multam quamlibet solvere non potuerit, & fidejussores non habuerit, licet ei semetipsum in Wadium ei, cui debitor est, mittere : usque dum multam, quam debuit, persolvet.

4. In eodem Cap. Clesoniste aut DC. solid. componat, aut cum 12. juret, aut si ille, qui causam quærit, 12. hominum sacramentum recipere noluerit, aut cruce, aut scuto, & fuste contra eum decertet.

CAP. XXV. *De servo, qui damnum quodlibet perpetrat.*

Nemini liceat servum suum propter damnum ab illo cuilibet illatum dimittere, sed juxta qualitatem damni dominus pro illo respondeat, vel eum in compositione, aut ad pœnam petitoris offeret. Si autem servus, perpetrato scelere, fugerit, ita ut à domino penitus inveniri non possit, sacramento se dominus etiam excusare studeat, quod hoc nec suæ voluntatis nec conscientiæ fuisset, quod servus ei tale facinus commisit.

CAP. XXVI. . . . . . .

CAP. XXIX. *De mannitione secundum legem ad mallum.*

Si quis ad mallum legibus mannitus fuerit, & non venerit, si eum sunnis non detinuerit, 15. sol. culp. jud. Sic ad secundum & tertium. Si autem ad quartum venire contempserit, possessio ejus in bannum mittatur, donec veniat, & de re, de qua interpellatus fuerit, justitiam faciat. Si infra annum non venerit, de rebus ejus, quæ in banno missæ sunt, Rex interrogetur, & quidquid inde judicaverit, fiat. Prima mannitio super noctes 7. Secunda super noctes 14. Tertia super noctes 21. Quarta super noctes 42. fiat. Similiter & de beneficio hominis, si forte res proprias non habuerit, mittatur in bannum, usque Rex interrogetur.

CAP. XXX. . . . . . .

CAP. XXXIV. *De auctore rei.*

Si auctor venerit, & rem intertiatam recipere renuerit, campo vel cruce contendant.

CAP. XXXV.

De eo qui filios non habuerit, & in eorum loco alium sibi heredem facere voluerit.

Qui filios non habuerit, & alium, quemlibet heredem sibi facere voluerit, coram Rege, vel coram Comite, & Scabinis, vel Missis dominicis, qui tum ad justitias faciendas in provincia fuerint ordinati, traditionem faciat.

CAP. XXXVI. *De denarialibus qualiter possint hereditare.*

Homo denarialis non antea hereditare in sua agnatione poterit, quam usque ad tertiam generationem perveniat.

CAP. XXXVII.

Homo cartularius similiter.

CAP. XXXVIII. *Ut omne sacramentum in Ecclesia juretur.*

Omne sacramentum in Ecclesia, aut supra reliquias juretur : & quod in Ecclesia jurandum est, vel cum 12. electis, vel, si 12. esse debent, quales potuerit invenire : *Sic illum Deus, & illi Sancti, quorum ista reliquia sunt, ut veritatem dicas.*

CAP. XXXI. *De re intertiata furto amissa.*

Si res intertiata furto ablata fuerit, liceat ei super quem res intertiata fuerit, per sacramentum se excusare de furto, quod nec suæ voluntatis, aut conscientiæ fuisset, quod ablatum est; aut aliud tantùm sine damno restituat.

CAP. XL.

De homine, qui comprehendit servum, jussit eum occidere dominos suos duos infantes: unum, qui habuit 9. annos; alium, qui habuit 12. ad extremum illum servum, postquam dominos suos illos pueros occidit, in foveam quandam projecit: & judicatum est : ut illum, qui novem annos habuit : Vveteguildo componat: alium vero, qui 12. annos habuit, dupliciter : servum quem mordricum tripliciter : & bannum nostrum ad omnia.

CAPITVLA ECCLESIASTICA.

CAP. I. *Infra Ecclesiam de lectionibus.*

CAP. XI. *De servis propriis vel ancillis.*

De servis propriis vel ancillis, ut non amplius tondeantur, vel velentur, nisi secundum mensuram, ut & ibi satisfiat, & villæ non sint desolatæ.

CAP. XII. *De congregationibus.*

De congregationibus superfluis, ut nullatenus fiant, sed tantos congreget, quantis consilium dare potest.

CAP. XIII. *De pulsantibus.*

De illis, qui non fiunt secundum Regulam pulsati, ut deinceps emendentur, & pulsentur secundum Regulam.

CAP.

CAP. XIV.

De infantulis, quando velentur.

Ut infantulæ ætatis puellæ non velentur ante, quam illæ eligere sciant, quid velint, & pulsentur salvâ Canonica autoritate.

CAP. XV. *De præpositis monachorum.*

Ut laici non sint Præpositi Monachorum infra monasteria. Nec Archidiaconi sint laici.

CAP. XVI. *De incestuosis.*

Ut incestuosi canonice examinentur, & nec propter alicujus amicitiam quidam relaxentur, quidam vero constringantur.

CAPITVLARE.

CAP. I. *De pace conservanda.*

Hoc factum est à Carolo jam Imperatore, ut paret ex c. 4 & c. 22.

DE pace, ut omnes, qui per aliqua scelera ei rebelles sunt, constringantur ad omnes generaliter.

CAP. II. *De justitiis generalibus.*

De justiciis ecclesiarum Dei, viduarum, orphanorum, pupillorum, & in publicis judiciis non despiciantur clamantes, sed diligenter audiantur.

CAP. III.

De justiciis Regalibus.

De justiciis Regalibus, ut pleniter fiant inquisitæ.

CAP. IV.

De fame, clade & pestilentia, si evenerit.

De hoc, si famis evenit, clades, aut inæqualitas aeris, vel aliam qualiscunque tribulatio, non expectetur Edictum nostrum, & statim deprecetur Dei misericordia. Et in præsenti anno de famis inopia, ut suos quisque adjuvet, prout potest, & suam annonam non nimis care vendat, & ne foris Imperium nostrum vendatur aliquid alimoniæ.

CAP. V.

De armis non portandis.

De armis infra patriam non portandis, i. scutis, & lanceis, & loricis. Si faidosus quis sit, discutiatur tunc, qui de duobus contrarius sit, ut pacati fiant, & distringantur ad pacem, etiam si noluerint. Et si aliter se pacificare nolunt adducantur in nostram præsentiam. Et si aliquis post pacificationem alterum occiderit, componat illum, & manum, quam perjuravit, perdat, & insuper bannum Dominicum solvat.

CAP. VI.

De armatura in hostem habenda.

De armatura in exercitu, sicut antea in alio Capitulari commendavimus, ita servetur: & insuper omnis homo de duodecim mansis bruniam habebat. Qui vero bruniam habens eam secum non tulerit, omne beneficium cum brunia perdat.

CAP. VII.

De negociatoribus quoadusque procedant.

De negotiatoribus, qui partibus Sclavorum & Avarorum pergunt quousque procedere cum suis negociis debeant, id est, partibus Saxoniæ usque ad Bardenvvich, ibi prævideat Heretus; & ad Skesba, ubi Madalgaidus prævideat; ad Alvestat, & ad Erpfesfurt item, Ma m prævideat; ad Forenheim, & ad Brenberg, & ad Raginispurg, Audulfus; ad Magdeburg prævideat Hatto; & ad Lauriacum Werinheri Et ut arma & bruoias non ducant ad venundandum. Quod si inventi fuerint portantes, omnis substantia eorum auferatur ab eis: dimidia quidem pars partibus Palatii, alia vero dimidia inter jam dictos Missos & inventorem dividatur.

CAP. VIII.

De clamatoribus vel causidicis.

De clamatoribus vel causidicis, qui nec judicium Scabinorum acquiescere, nec blasphemare volunt, antiqua consuetudo servetur, id est, ut in custodia recludantur, donec unum è duobus faciant. Et si ad Palatium pro hac re clamaverint, & literas detulerint, non quidem eis credatur, nec tamen in carcere ponantur, sed cum custodia & cum ipsis literis pariter ad Palatium nostrum remittantur, ut ibi discutiantur sicut dignum est.

CAP. IX. *De juramento.*

Ut nulli alteri per sacramentum fidelitas promittatur, nisi nobis & unicuique Seniori proprio,

ptio, ad nostram utilitatem & sui Senioris, exceptis his sacramentis, quæ iuste secundum legem alteri ab altero debentur.

CAP. X. *De conspirationibus.*

Quicunque conspirationem facere præsumpserint, & sacramento quamcunque conspirationem firmaverint, ut triplici ratione iudicentur. Primo, ut ubicunque aliquod malum pro hoc perpetratum fuerit, auctores facti, interficiantur: *adiutores vero eorum, singuli alter ab altero flagellentur, & nares sibi invicem præcidant. Vbi vero nihil mali perpetratum est, similiter quidem inter se flagellentur, & capillos sibi vicissim detondeant. Si vero per dextras aliqua conspiratio firmata fuerit, si liberi sunt aut iurent cum idoneis iuratoribus hoc pro malo non fecisse, aut, si facere non potuerint, suam legem componant: si vero servi sunt, flagellentur. Et ut de cætero in Regno nostro nulla huiusmodi conspiratio fiat, nec per sacramentum, nec sine sacramento, severe præcipimus.

* al. adiuratores.

CAP. XI. *De periuriis, & testibus.*

De periuriis, ut caveantur, & non admittantur testes ad iuramentum antequam discutiantur. Et si aliter discuti non possint, separentur ab invicem, & singulariter inquirantur. Et non soli accusatori liceat testes eligere, absente suo causatore: & omnino nullus, nisi jejunus, ad iuramentum vel ad testimonium admittatur. Si vero aliquis reputatur, dicat ille, qui eum refutat, & probat, quare illum recipere nolit. Et de ipso pago, non de altero, testes eligantur, nisi forte extra Comitatum longius causa sit inquirenda. Et si quis convictus fuerit periurus, perdat manum, aut redimat.

CAP. XII. *De advocatis, vicedominis, vicariis & centenariis.*

De advocatis item. ut pravi Advocati, Vicedomini, Vicarii & Centenarii tollantur, & tales eligantur, quales & sciant & velint iuste causas discernere & terminare. Et si comes pravus inventus fuerit, nobis nuncietur.

CAP. XIII. *De theloneis.*

Placet nobis, ut antiqua & iusta thelonea à negotiatoribus exigantur tam de pontibus, quam de navigiis, seu mercatis. Nova vero, seu iniusta, ubi vel funes tenduntur, vel cum navibus sub pontibus transitur seu his similia, in quibus nullum adiutorium iterantibus præstatur, ut non exigantur. Similiter etiam nec de his, qui sine negotiandi causa substantiam suam de una domo ad aliam aut ad Palatium, aut in exercitum ducunt.

2. Si quid vero fuerit, unde dubitetur, ad proximum placitum nostrum, quod cum ipsis Missis habituri sumus, interrogetur.

CAP. XIV. *De fugitivis.*

De fugitivis, seu & laicis, etiam fœminis, sicut iam in alio Capitulari præcipimus, ita servetur.

CAP. XV. *De liberis hominibus ad servitium Dei se tradentibus.*

De liberis hominibus, qui ad servitium Dei se tradere volunt, ut prius non faciant hoc, quam à nobis licentiam postulent, hoc ideo, quia audivimus aliquos ex illis non tam causa devotionis, hoc fecisse quam exercitus, seu alias functiones Regales fugiendo. Quosdam vero cupiditatis causa ab his qui res illorum concupiscunt, circumuentos audivimus: & hoc ideo fieri prohibemus.

CAP. XVI. *De oppressione pauperum.*

De oppressione pauperum liberorum hominum, ut non fiant à potentioribus per aliquod malum ingenium, contra iustitiam oppressi, ita ut coacti res eorum vendant aut tradant. Ideo hæc & supra & hic de liberis hominibus diximus, ne forte parentes eorum contra iustitiam faciant exhereditare, & Regale obsequium minuatur, & ipsi heredes propter indigentiam mendici, vel latrones, seu malefactores efficiantur. Et ut sæpius non fiant maniti ad placitum, nisi sicut & in alio Capitulari præcepimus, omnimodo ita servetur.

CAP. XVII. *De ecclesiis seu Sanctis novis.*

De Ecclesiis seu Sanctis noviter sine auctoritate inventis nisi Episcopo probante, minime venerentur, salvo etiam de hoc, & de omnibus ecclesiis, Canonica auctoritate.

CAP. XVIII. *De falsis monetis.*

De falsis monetis, quæ in multis locis contra iustitiam & contra Edictum fiunt, volumus; ut in nullo alio loco moneta sit, nisi in Palatio nostro: nisi forte iterum, à nobis aliter fuerit ordinatum.

2. Illi tamen denarii, qui modo monetati sunt, si pensantes & meri fuerint, habeantur.

CAP. XIX. *De haribanno.*

De haribanno volumus, ut Missi nostri hoc anno fideliter exactare debeant absque ullius personæ gratia, blandiois seu terrore, secundum iussionem nostram: id est, ut de homine habente libras vi. in auro, argento, bruneis, æramento, pannis integris, caballis, bobus, vaccis, vel alio peculio, ita ut uxores vel infantes non fiant despoliati pro hac re, sed de eorum vestimentis accipiant legitimum haribannum id est libras III. Qui vero non habuerit amplius in suprascripto pretio valente nisi libras II. solidi xxx. ab eo exigantur, id est, libra una & dimidia. Qui vero non habuerit nisi duas libras, solidos x. exolvat, Si vero unam habuerit, solidos v. ita ut iterum se valeat præparare ad Dei servitium, &

ad nostram utilitatem. Et nostri Missi caveant, & diligenter inquirant, ne per aliquod malum ingenium subtrahant nostram iustitiam alteri tradendo aut commendando.

CAP. XX. *De censu Regali.*

Census Regalis, undecumque legitime exiebat, volumus ut inde persolvatur sive de propria persona hominis, sive de rebus.

CAP. XXI. *De latronibus.*

De latronibus, sicut jam in alio Capitulari commendavimus, ita maneat.

CAP. XXII. *De liberis hominibus uxores fiscalinas habentibus.*

De liberis hominibus, qui uxores fiscalinas Regias, & feminis liberis, quæ homines similiter fiscalinos Regios accipiunt, ut nec de hereditate parentum, vel de causa sua quærenda, nec de testimonio pro hac re abjiciantur, sed talis etiam nobis in hac causa honor servetur, qualis & antecessoribus nostris Regibus vel Imperatoribus servatus esse cognoscitur.

CAP. XXIII. *De decimis.*

Sequentia Capitula statuta sunt in Senatu Ecclesiastico.

Vt decimæ populi dividantur in quatuor partes, id est, una pars Episcopo, alia Clericis, tertia pauperibus, quarta Ecclesiæ in fabricis applicetur, sicut in Decreto Gelasii Papæ continetur.

CAP. XXIV. *De viduis, pupillis, cæcis & claudis tuendis.*

Vt viduis, & pupillis, orphanis, cæcis, & claudis tuitionem atque adminiculum impertiamus juxta possibilitatem nostram vel vires, sicut in præcepto Domini Regis continetur.

CAP. XXV. *De sortilegiis & maleficiis.*

De incantationibus, auguriis vel divinationibus, & de his, qui tempestates, vel alia maleficia faciunt, placuit sancto Concilio, ut, ubicunque deprehensi fuerint, videat Archipresbyter diœcesis illius ut diligentissime examinatione constringantur, si forte confiteantur malorum, quæ gesserunt. Sed tali moderatione fiat eadem districtio, ne vitam perdant, sed ut salventur in carcere afflicti, usque dum Deo inspirante spondeant emendationem peccatorum, & ut nullatenus per aliqua præmia à Comitibus vel Centenariis absque districta examinatione remittantur. Et hoc si fecerint, Archipresbyteri, dum hoc cognoverint, nequaquam Episcopis celare audeant, & ab Episcopis, ut dignum est, pro hoc corripiantur.

CAPITVLARE.

CAP. I. *De Ordinatione Ecclesiastica, & restauratione Ecclesiarum.*

De ordinatione Ecclesiastica, & restauratione Ecclesiarum Dei, omnes generaliter habeant bonam providentiam.

CAP. II. *De pace tenenda.*

Vt pacem & concordiam habeant ad invicem fideles nostri.

CAP. III. *De marca finium.*

Quomodo marca nostra sit ordinata, & quæ per se fecerunt confiniales nostri specialiter istis præteritis annis.

CAP. IV. *De placito condicto.*

De placito condicto ad marcam necesse est, ut omnimodis ex omni parte, sicut ordinatum fuerit, unusquisque conveniat.

CAP. V. *De fugitivis.*

De illis hominibus non recipiendis à Marchionibus nostris, qui Seniores suos fugiunt, pro damnaque eis facta habent.

CAP. VI. *De pravis iudicibus.*

De pravis Iudicibus, Advocatis, Vicedominis, Vicariis, Centenariis, vel reliquis actoribus malevolis non habendis.

CAP. VII. *De liberorum hominum possibilitate.*

De liberorum hominum possibilitate, ut juxta qualitatem proprietatis exercitare debeant.

CAP. VIII. *De non permittendo hominibus malefacere.*

Vt nullus consentiat suis hominibus ad malefaciendum infra patriam de eo quod dicunt se non posse habere homines ad marcam defendendam, si eos bene distringunt.

CAP. IX. *De Vassis Regalibus.*

De Vassis Regalibus, ut honorem habeant & per se, aut ad nos, aut ad filium nostrum caput teneant.

CAP. X. *De obsidibus.*

De obsidibus, quod bene non custodiunt, & ab eis aufugiunt.

CAP.

Cap. XI. De oppressione minus potentium.

DE illis, qui necessitatem patiuntur, ut meliorem habeant consolationem ad eorum justitiam.

Cap. XII. De hominibus in placito non banniendis.

VT per placita non fiant banniti homines, excepto, si aliqua proclamatio super aliquem venerit, aut certe si Scabinus aut Iudex non fuerit, & pro hoc condemnati illi pauperiores non fiant.

Cap. XIII. De haribanno.

VT haribannum, aut aliquod collectum, pro exercitali causa Comites de liberis hominibus recipere, aut inquirere non præsumant, excepto si de palatio nostro aut filii nostri Missus veniat, qui illum haribannum requirat.

Pipini II. Regis Romanorum
CAPITVLARE.

I. De competitionibus.

DE competitionibus, quæ ad placitum nostrum pertinent, si Comes ipsas causas commoverit ad requirendum, ille tertiam partem ad ejus recipiat opus, duas vero ad Palatium. Et si per ejus negligentiam remanserit, & Missus Dominicus ipsas causas requirat, tunc volumus, ut ille Comes illam tertiam partem non habeat, sed cum integritate ad Palatium perveniat.

II. De homicidiis.

DE advenis & peregrinis, qui in Dei servitio vel Romam vel ad alia loca festinant ad Sanctorum corpora, ut salvi vadant & revertantur sub nostra defensione. Et qui ex ipsis peregrinis ausus fuerit occidere, LX. solid. in nostro Palatio componat: & insuper ipsa compositio fiat de ipso homicidio, cui legibus leudum ipsum pertinuit. Et hoc damus in mandatis cunctis Episcopis & Abbatibus seu Actionariis nostris, ut hæc omnis suprascripta justitia de præsenti absque ulla tarditate adimpleta fieri debeat, ut qui in tantos annos justitiam habere non potuerit, vel modo per Dei omnipotentis misericordiam, & præceptum Domini & genitoris nostri CAROLI, Regis Francorum & Longobardorum, ac Patricii Romanorum, simul & per nostram præceptionem, unusquisque justitiam suam accipiat.

III. De invasionibus.

VT nullus alteri præsumat res suas aut alienam causam sine judicio legali tollere aut invadere, Et qui hoc facere præsumpserit, ad partem nostram exinde bannum componat.

IV. De inhibitis nuptiis.

DE incestis conjunctionibus hoc præcipitur, ut nullus deinceps propinquam, nec quam propinquus habuerit uxorem, ducat in conjugio: & uxoris parentela ita sit viro, sicut propria parentela.

V. De donatione mulieris.

PLacuit nobis etiam, ut sicut quæque femina potestatem habet cum licentia viri sui res suas vendere, ita potestatem habeat donare.

VI. De Mancipiis Regis.

DE mancipiis Palatii nostri & Ecclesiarum nostrarum, volumus mundium recipere, sed nostra mancipia habere.

VII. De Vltimis voluntatibus.

SI cuicunque res in eleemosynam datæ sunt, & ipse homo mortuus fuerit, antequam dispenset, tunc Dominicus Missus una cum Episcopo parrochiæ ipsius consideret, qualiter pro mercede Domini Regis ipsa eleemosyna fiat facta, & infra XXX. noctes adimpleta esse debeat.

VIII. De filia restituta.

DE filia, cujus pater de manu erogatoris, omnes servos suos jussit fieri libertos, contra legem esse videtur, instituimus ut in tertiam portionem de præfatis rebus iterum introire possit.

IX. De Re intertiata.

VT nullus comparet caballum, bovem, jumentum, vel aliam rem, nisi illum hominem cognoscat, qui ei vendiderit, aut de quo pago est, vel ubi manet, & quis est eius Senior.

X. De Denariali.

HOmo denarialis, modo ante hæreditatem in suam agnationem acquirere poterit, usque in tertiam generationem perveniat.

2. Et homo Cartularius similiter.

XI. De Advocatis.

De Advocatis Sacerdotum, volumus ut pro Ecclesiastico honore, & pro illorum reverentia, Advocatos habeant.

XII. Quibus tutores dandi sunt.

Vt viduæ & orphani tutores habeant, iuxta illorum leges, qui illos defendant & adjuvent, ut per malorum hominum oppressionem justicias suas non perdant. Et si actor illorum aliquis esse noluerit, Iudex provideat Deum timentem, justum hominem, ut lex illorum est, qui pro nostra præceptione illorum causam peragere debeat.

XIII. De armis intra patriam non portandis, vel ad placitum.

Vt nullus ad mallum vel ad placitum intra patriam, arma, id est, scutum & lanceam portet.

XIV. De testibus.

De universali quidem populo, qui ubicunque iustitiam quæsierit, suscipiat tam à Comitibus suis, quam à Gastaldiis seu Sculdahis. vel loci Præpositis, juxta ipsorum legem absque tarditate.

2. Et si Comites Franci distulerint ad iustitiam faciendam, & probatum fuerit, juxta ut eorum fuerit electio, ita pœnæ subiaceant, & de illorum honore ita fiat, sicut est consuetudo Francorum.

3. Et de Longobardis Comitibus, qui ex ipsis neglectum posuerit ad justitiam faciendam, sicut illorum lex est, ita componat.

4. Et si forsitan attenderit ad gaudium, vel ad parentem, aut ad amicum suum, seu ad præmium, & legem non iudicaverit, & probatum fuerit, Widrigild suum componat, & honorem suum amittat, sicut ipsorum lex est.

5. Et si Gastaldius, aut Sculdahis, vel loci Præpositus de qualibet judiciaria, tam ad suos pagenses, quam ad alios, qui justitiam quæsierint, non fecerit, componat sicut lex ipsorum est.

6. Et si forsitan Francus aut Longobardus habens beneficium, justitiam facere noluerit, ille Iudex, in cujus ministerio fuerit, contradicat illi beneficium suum, interim dum ipse aut Missus ejus justitiam faciat.

XV. De Juramento.

Vt Iudex unusquisque faciat ad Dei judicia per civitates, homines credentes, juxta quantos prævideris, seu foras per curtes vel vicos, ubi manent, ut cui ex ipsis hominibus cognitum fuerit homicidia, furta, adulteria, & de illicitis coniunctionibus, ut nemo ex eis eas concelet.

2. Et hoc damus in mandatis, ut si quis venerit justitiam reclamare super quempiam hominem, dicendo de homicidio, furto, aut præda, & ille, super quem dixerit, denegare voluerit, tunc ille, qui reclamat, si potuerit, approbet illud. Et si forsitan non potuerit approbare, & ipse, super quem dixerit, negaverit, quod ipsum malum nec ipse nec homines ipsius perpetrassent, & posuerit excusationem, & dixerit: Nomina mihi meos homines, qui tibi istud malum fecerint, ego tibi de illis justitiam faciam: & ille incognitus, qui reclamat, nomina illorum hominum nescit, nec approbare potest, & ipsi, qui exinde veritatem faciunt, denegare voluerint, & ille, qui reclamat, dixerit: Quia illi homines veritatem sciverint, tunc ipse Iudex, qui in ipso loco est, faciat jurare homines quilibet fuerint, Franci aut Longobardi, quos ipse nominative dixerit, ut dicant veritatem. Et si credentes homines fuerint, in manu Comitis sui dextras dent. Et si latrocinia, vel furta, aut præda inventa fuerint, emendentur ita, ut eorum lex est, cui ipsum malum perpetratum fuerat: tamen Iudex de loco unde fuerit, de latronibus & furibus studium ponat, ut ille post hic habitans aut veniens in pace vivere valeat.

3. Placuit atque convenit nobis, ut omnes institiæ plenitet factæ esse debeant infra Regnum nostrum, absque ulla dilatatione, tam de Ecclesiis, & Xenodochiis, seu pauperibus, & viduis, & orphanis, atque de reliquis hominibus secundum jussionem Domini CAROLI Regis.

XVI. De Iudiciis.

Vt in illius Comitis ministerio, ibidem Missi nostri placitum non teneant, qui in aliquo Missatico directus est, donec reversus fuerit.

2. Vt ubicunque Missi nostri aut Episcopum aut Comitem, aut Abbatem, vel alium quemlibet quocunque honore præditum invenerint, qui iustitiam facere noluerit, vel prohibuerit, de ipsius rebus vivant, quandiu iustitiam facere debent.

3. Volumus ut Comites nostri licentiam habeant, inquisitionem facere de Vicariis, Centenariis qui magis per cupiditatem quam propter iustitiam faciendam sæpissime placita tenent, & exinde populos nimis affligunt, sicut in Capitulis Domini Caroli continetur.

4. Vt

4. Vt nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærit, aut si alter exquirere debet, exceptis Scabinis VII. qui ad omnia placita debeant esse.

5. De conclamatoribus vel causidicis, qui nec ad judicium Scabineorum acquiescere, nec blasphemare volunt, antiqua consuetudo eis servetur, id est, in custodiam recludantur, donec unum è duobus faciant. Et si ad placitum pro hac re clamaverint, non quidem quod eis credatur, nec tamen in carcere ponantur, sed cum custodia teneantur, & ipsi cum literis pariter ad placitum nostrum revertantur, & ibi discutiantur, sicut dignum est.

4. De Iudicibus, ut inquirantur, si nobiles & sapientes & Deum timentes constituti sint, & iurent ut juxta suorum intelligentiam rectum judicent, & pro muneribus vel humana gratia justitiam non pervertant, nec differant: & quod judicaverint, sua districtione confirmare non dissimulent. Vbi autem tales non sunt, à Missis nostris constituantur, & idem sacramentum facere cogantur. Quod si viles personæ, & minus idoneæ ad hoc constitutæ sunt, ejiciantur.

7. Similiter & Notarii sint & Legibus eruditi, & bonæ opinionis, & jusjurandum præbeant, ut nullatenus falsitatem vel colludium scribant: & qui hoc fecisse præterito tempore inventus fuerit, præsentialiter damnetur.

XVII. *Res Diversorum, ut dirimantur.*

De diversis generibus hominum, qui in Italia commanent, volumus, ut ubicunque culpa contigerit, unde faida crescere poterit, pro satisfactione hominis, contra quem culpaverit, secundum legem ipsius, cui negligentiam commiserit, emendet.

2. De statu ingenuitatis, aut de aliis querelis, unusquisque homo secundum suam legem seipsum defendat.

XVIII. *De Perjurio.*

Si quis perjurium fecerit, nullam redemptionem ei facere liceat, nisi manum perdat. Et si ille, qui prius illud sacramentum jurat, de illo perjurio probatus fuerit, & aliquis de suis juratoribus dixerit: Quod nesciens se ibidem periurasset; aut hoc apud judicium Dei approbet factum esse, aut similiter manum perdat, de cujus causa perjurium fecerit, sicut lex loci illius, ubi perjurium factum est, à longo tempore fuerit, de eorum precio emendare studeat.

2. Vt qui se perjuraverit, aut infamis erit, postquam pœnitentiam accepit, inculpabilis esse videatur.

XIX. *De Ecclesiis.*

Vt Ecclesiæ baptismales, seu oracula, qui eas à longo tempore restauraverint, mox iterum restaurent, & iam Curtis Regia quam Longobardi tales ibi habeant dominationes, qualis illorum à longo tempore fuerit consuetudo.

2. Vt Pontifex unusquisque ordinet & disponat Ecclesiam suam canonico ordine, & Sacerdotes suos vel Clericos distringat Canonico ordine vivere.

3. Et si quis Pontifex Clericos suos Canonico ordine distringere noluerit, anathema sit. Et si illi ad secularem pertransierint habitum, quod canones Clericos prohibent facere, Comes, qui in loco ordinatus fuerit, distringat illos, in omnibus ad suam partem, sicut alios exercitales.

XX. *De Monasteriis.*

Monasteria virorum & puellarum, tanquam in mundio Palatii esse noscuntur, vel in mundio Episcopi sui, seu reliquorum hominum, distringat unusquisque, in cujus mundio sunt, ut regulariter vivant.

XXI. *De Xenodochiis.*

Similiter in xenodochiis cujuslibet, Fratres in omnibus pascantur juxta possibilitatem illorum locorum.

XXII. *De Restaurandis Ecclesiis, & aliis.*

Vt de restauratione Ecclesiæ vel pontis facienda, aut strata restauranda, omnia generaliter faciant homines, sicut antiqua fuit consuetudo, & non anteponatur immunitas, nec pro hac re ulla occasio perveniat.

XXIII. *De Monachis vagantibus.*

Instituimus, ut sicut Dominus Carolus Rex commendavit de illis Monachis, qui de Francia vel de aliis locis venerint, & eorum monasteria dimiserint, ut præsentialiter in illis partibus revertantur ad monasteria, & nemo ex vobis ipsos secum detineat.

2. De Presbyteris, qui de aliis locis vel provinciis, veniunt, ut nullus eos debeat recipere sine dimissoria Episcopi, de cujus parrochia est.

3. Placuit nobis de ecclesiis baptismalibus, ut in omnibus ita debeant esse ordinatæ & conservatæ, ut Dominus Carolus Rex commendavit, & in suo Capitulari continetur.

XXIV. *De Immunitatibus.*

Et hoc constituimus, ut immunitates, quæ sunt jam ab Edicto, patrono confirmatæ, ut in omnibus conservatæ debeant permanere, sicut jussio ipsius Domini Caroli Regis est.

XXV. De pontibus, & viis publicis.

Consideravimus, ut viæ, portus, & pontes infra Regnum nostrum, in omnibus pleniter emendari debeant, per illa loca, ubi iam antea fuit consuetudo. Nam per alia loca super ipsa flumina nullateous pontes esse debeant.

XXVI. De Visitationibus.

Stet nobis, ut missos nostros, unum Monacbum & alium Capellanum, direxissemus infra Regnum oostrum, providendo & inquirendo per monasteria virorum ac puellarum, quæ sub sancta Regula vivere debent, quomodo est eorum habitatio, aut qualiter est vita eorum, aut conversatio eorum, & quomodo quotque monasterium debeat habere, unde vivere possint.

2. Vt quicumque xenodochia habent, si ita pauperes pascere voluerint, & consilium facere, quomodo abantea fuerit, babeant ipsa xenodochia, & regant ordinabiliter: & si hoc facere noluerint, ipsa dimittant, & per talem hominem inantea fiat gubernata eum consilio Episcopi, qualiter Deo & nobis exinde placet.

3. De ecclesiis baptismalibus, ut nullatenus laici homines eas tenere debeant, sed per Sacerdotes fiant, sicut ordo est guberoare: neque illi pagenses negligentiam habeant de hoc, quod ibidem facere debent: & illi Sacerdotes eas sic tegant, quomodo ordo Canonieus exposcit.

4. De monasteriis & xenodochiis, quæ per diversos Comitatus esse videntur, & Regalia sunt, ut quicunque ea habere voluerint, per heneficium Domini Regis babeant.

XXII. Quando liceat alterius Clericum accipere vel non.

Vt nemo alterius Clericum sine commendaticiis aut dimissoriis literis recipere præsumat.

2. De Presbyteris, qui de alia provincia venerint, nullus eos debeat recipere sioe dimissoria Episcopi sui.

XXVIII. De Iterantibus.

De Episcopis & Abbatibus, Comitibus seu Vassis Dominicis, vel reliquis hominibus, qui ad placitum veniunt, vel inde vadunt, vel ubicunque perguot per Regem oostrum, ut non præsumant ipsi aut homioes illorum alicui homini suam causam tollere, vel suum lahoratum, in tantum si non comparaverit, aut ipse homo, qui sua spontanea voluntate eis non dederit.

2. Et quando heribanni tempus fuerit, nullus audeat mansionem vetare ad ipsos iterantes, in tantum quod ipsi iterantes iniuste nullas causas tollaot. Et si aliquis hoc præsumpserit facere, tam Seniores quam Vasalli nostri, & ipse homo ibidem ad eos proclamaverit, tuue volumus, ut præsentialiter ipse, qui hoc fecerit, hoe, quod ad ipsum bominem tulerit, secundum suam legem emendet.

3. Et si evenerit, quod ei ipsa eausa ibidem secundom legem præsentialiter emendata non fuerit, & ad Palatium exinde proclamatio evenerit, tune vulumus, ut ipse, qui hoc malum fecerit, euntra ipsum hominem, qui proclamaverit, secundum suam legem emendet, & insuper ad Palatium nostrum eomponat, ex eo quod bannum nostrum frangere ausus fuerit.

XXIX. De his, qui se in potestate alterius subdiderint, vel res per fraudem alienaverint, vel divisionem distulerint facere.

Stetit nobis de illis hominihus liberis Longobardis, ut licentiam habent se commendandi, ubi voluerint, sicut antea in tempore Longobardorum consuetudo fuit, in tantum ut suo Comiti sciant rationabiliter, quod debent.

2. De his hominibus, qui res suas alienaverint, ubieunque super eas resident, distriogat eos Comes per excubias publicas, sicut lex continet.

3. Placuit nobis, ut liberi homines, qui non propter paupertatem, sed ob vitandam Reipublicæ utilitatem, fraudulenter ac ingeniose res suas Ecclesiis delegant, denoo sub censu utendas recipiunt, ut quousque res ipsas possideot, & hostes & reliquas publicas functiones faciant. Quod si iussa facere oeglexerint, licentiam eos distringendi Comitibus permittimus per ipsas res, non resisteote immunitate, ut status & utilitas Regni huiusmodi adinventionibus non infirmetur.

4. Volumus, ut simul io laicali ordine hæc servetur mensura, videlicet ut si quis alterius proprietatem, qui hostem facere possit, emerit, aut quovis modo ad eum pervenerit, eique ad utendum eam dimiserit.

5. Et si negligenter de hoste fuerit, per ipsas res à Comite distringantur, ut quoquo modu publica utilitas oou minoretur.

6. Videtur nobis, ut quicunque liber homo ingeniose in servitium alicuius se tradiderit, is qui eum recipit, hoc quod ille, qui se in servitium tradidit, in publico per antiquam eousuetudinem facere debuit, adimpleat.

7. De his personis, quæ soas res ideo ad alienam personam delegant, ut ad placitum venire nun eompellantur, ut mala, qoi facta habeot, non emendent. Quod si apparuerit ideo delegasse, ne iustitiam facerent, volumus ut ipsæ res in bannum mittantur, quousque ille, qui eas habet, auctorem in palatium adducat, & sic de malefactore iustitiam faciat.

8. Præcipimus ut de his fratribus, qui in nostris & Romaniæ finibus in patrimam vel matrimam suę

mam succedunt hereditatem, si contigerit, quod unus Ecclesiasticæ militiæ mancipatus: & idcirco is, qui seculariter militare debuerat, ut se ad defensionem Regni subtrahat, in nostris finibus partem substantiæ in portionem suscipere dissimulaverit, idcirco ut neque à Comite distringi valeat. Ubicumque enim suus Comes eam invenerit, licentiam distringendi ei concedimus, ita ut primum fidejussorem non invenerit, donec ut ad placitum veniat, & bannum nostrum persolvat. Si vero fidejussorem non invenerit, tamdiu per Comitem sub custodia teneatur, quousque fidejussorem inveniat, & bannum nostrum persolvat.

9. De liberis vero hominibus, qui in alienam potestatem mobile suum transferunt, ut causatores eorum pignorare eos non possint, placet nobis, ut eorum res infiscentur, quousque venientes ad audiendam justiciam faciant.

10. Si vero venire contempserint, secundum Capitulare Domini ac genitoris nostri de rebus eorum agatur. Nam & de rebus eorum habita æstimatione damnum quæsitori sarciatur. Qui vero illud mobile recepit, si hoc per sacramentum probare non potuerit, quod propter justiciam alterius differendam illud mobile non recepisset, bannum nostrum persolvat.

11. De fratribus namque, qui simul in paterna seu materna hereditate vivunt, communiter nolentes substantiam eorum dividere, occasione, ut unus eorum tantum in hostem vadat, volumus ut si solus est, vadat: si vero duo, similiter.

12. Si vero tres fuerint, unus remaneat. Si ultra tres numerus excreverit, unus semper propter domesticam curam, atque rerum communium excolentiam, remaneat.

13. Si vero inter eos aliqua fuerit orta contentio, quis eorum expeditionem facere debeat, tunc prohibemus, ut nemo eorum remaneat.

14. In ætate eorum lex propria servetur: & in nepotibus hæc conditio remaneat similiter.

XXX. *Ne liberi opprimantur.*

Placuit nobis, ut ullos liberos homines, Comites nostri ad eorum in servitium non oppriment. Et quicumque hoc fecerit, secundum judicium, quod statutum habemus, emendet.

XXXI. *Qualiter judicium inter Episcopum & privatum fieri debeat.*

Ut qui se reclamaverit super Pontificem, quod justiciam habeat ad inquirendum, dirigat illum Comes aut per Missum suum, aut per epistolam suam, ad ipsum Pontificem. Et si Episcopus ipse Francus aut Longobardus distulerit ad justiciam faciendam, tunc juxta ut ipsi Episcopi elegerint, ubi consuetudo fuerit pignorandi à longo tempore, ut inantea in eo modo sint pro justicia facienda.

2. Et hoc statuimus, ut ubicumque Episcopi substantiam habuerint, Advocatum habeant in ipso Comitatu, qui absque tarditate justiciam faciat, & suscipiat.

3. Et talis sit ipse Advocatus, liber homo, bonæ opinionis, laicus aut clericus, qui sacramentum pro causa Ecclesiæ, quam peregerit, deducere possit, juxta qualitatem substantiæ, sicut lex eorum habet.

XXXII. *De Rebus forfactis.*

De rebus forfactis, quæ per diversos Comitatus sunt, volumus ut ad Palatium pertineant transacto anno & die.

XXXIII. *De hominibus Placentinis.*

Non est nostra voluntas, ut homines Placentini, per eorum præceptum, de Curte Palatii nostri aldiones recipiant.



Ludovici Pii Imperatoris Augusti Reformatio Ecclesiastica,

Continens Reformationem abusuum Cleri & Institutionem Canonicæ professionis seu Regulam Clericorum: constituta & ordinata in Comitiis Aquisgranensibus, Anno Domini DCCCXVI.

Anno Christi 816. Hinc videre licet, cujus fuerit Ecclesiam reformare Imperatoris an Papæ, & quis potestatem absolutam in Ecclesiasticos habuerit, Imperatorne an Papa.

INCIPIT PRÆFATIO.

CUm in nomine sanctæ & individuæ Trinitatis Christianissimus ac gloriosissimus LUDOVICUS superno munere victor Augustus, anno incarnationis Domini nostri JESU Christi DCCCXII. Indictione decima, anno siquidem imperii sui tertio, Aquisgrani palatio generalem sanctumque convocasset conventum, & cœpisset secundum ardentissimam erga divinum cultum sibi cœlitus inspiratam voluntatem, multa congrue & necessaria de emendatione sanctæ Dei Ecclesiæ, ejus videlicet amore, qui eam suo sancto & pretioso redemit sanguine eique se adfuturum usque ad consummationem pollicitus est seculi, solerter ac curiose pertractare: eousque inter cætera perventum est, ut eundem sanctum & venerabilem Deo annuente aggregatum conventum consuleret, immo consulendo admoneret super quibusdam Ecclesiarum præpositis, qui partim ignorantia, partim desidia, subditorum curam parvipendebant, & hospitalitatem minus justo diligebant, quid facto opus esset. Adjunxit etiam monendo, ut quia Canonicorum vita sparsim in sacris canonibus eisdem & in sanctorum patrum dictis erat indita, propter simplices quosque minusque capaces, aliquam ex eisdem sacris canonibus & sanctorum patrum dictis institutionis formam pari voto, parique consensu excerperent, per quam patenter prælatorum & subditorum vita monstraretur: quatenus omnes qui canonica censentur professione, per viam propositi sui inoffenso gressu incederent, & in Christi militia devotius unanimes atque concordes existerent. Sed ut id nutu divino fieret, dominum in commune humiliter exorandum præmonuit, ut servorum suorum exorabilibus pulsatus precibus, ejus admonitionem secundum suam voluntatem fieri, suaque gratia eam præcedere & subsequi dignaretur. Ad quam etiam admonitionem sacer conventus intimo gaudio repletus, expansis in cœlum manibus creatori omnium gratias agens benedixit. Quippe qui talem, tam pium, tamque benignum Ecclesiæ suæ sanctæ principem, cunctisque ejus necessitatibus sapientissimum ac devotissimum prætulerit procuratorem. Suscipientes ergo libentissime hilariterque ejus salubertimam multis Deo miserante profuturam admonitionem, licèt plerique auxiliante Deo devote ac religiose cum sibi subjectis canonicam servent institutionem, & in plerisque locis idem ordo plenissime servetur: omnium tamen id animis sedit, ut secundum ejusdem principis admonitionem, una divino freti auxilio, & ejusdem piissimi principis non modico adjuti juvamine, ejus videlicet liberalissima largitione, copiam librorum præ manibus habentes, & canonica authoritate & sanctorum patrum dictis veluti ex diversis pratis quosdam flosculos carpentes, hanc institutionis formam excerperent, & canonicis observandam conferrent, ut quorum forte labore ob tarditatem ingenii seu copiam librorum sparsim digesta difficile comprehendi posset, solerti studio in eodem opere breviter congesta perfacile ab his reperiri posset, per quam (ut præmissum est) & prælati recto tramite incedere, & subditis normam vivendi absque ignorantiæ obstaculo salubriter nossent præbere. Vigilanti ergo studio eandem institutionis formam colligere studuerunt: in qua plenissime continetur, qualiter & prælati vivere, & subjectos regere, eisque Ecclesiasticos sumptus administrare, & in Dei servitio constringere bene operantes quoque ad meliora provocare, protervos quosque & negligentes debeant corrigere. Cum igitur hujus institutionis formam coram memorato glorioso principe prolatam sacer conventus laudibus extulisset, & Ecclesiastica authoritate fulcitam, laudeque dignam, ac sanctæ Ecclesiæ utilissimam atque proficuam consona voce prædicaret: nihilque in ea repræhensionis ab iis qui sanum sapiunt, reperiri posse profiteretur, ab eodem victoriosissimo principe, & ab omnibus qui aderant Deo gratias, acclamatum est. Nec immerito; quippe qui & occulta sua dispensatione & gratissima inspiratione præfatum principem, ut id fieri moneret compulit, & ut ad effectum perduceretur, miserando adjuvit. Proinde omnium sententia statutum est ab omnibus qui in canonica professione domino militant, hanc institutionis formam ab ecclesiasticorum virorum vigilanti studio congestam, dignisque præconiis laudatam, juxta virium possibilitatem, modis omnibus observandam, quatenus hanc sive aliarum sanctarum scripturarũ documenta sedula meditatione perlegentes, & prælati & subditi vocatione qua vocati sunt, ope divina adminiculati infatigabiliter ambulent, & pro tam piissimo principe, qui ob lucrum animarum hoc sacrum & venerabile concilium ad hanc formam congerendam & statuendam salutiferis admonitionibus excitavit, modernis futurisque temporibus Dei immensam clementiam jugiter exorent. Nam & in altero libello idem sacer conventus, eodem religiosissimo Augusto monente quandam institutionis formulam ex sanctorum patrum dictis studiose excerpit, & in unum breviter satisque congruenter congessit, & sanctimonialibus canonice degentibus tenendam censuit. In qua continetur,

tinatur, quales eis abbatissæ præferendæ sint, qualiter eisdem sanctimonialibus infra claustra monasterii vivendum, quid à prælatis stipendiorum dandum, quibus documentis & virtutum instrumentis exornandæ sint: quatenus hac formula vivendi inspecta, & DEO sibi adjutorium præbente, humiliter suscepta & efficaciter impleta, cum bonorum operum lampadibus venienti sponso apparere, atque ejus thalamum ingredi mereantur.

ISIDOR. *In libro officiorum De tonsura clericorum.*

Cap. I.

Tonsuræ ecclesiasticæ usus à Nazaræis, nisi fallor, exortus est. Qui prius crine servato, divina post magnam vitæ continentiam devotione completa, caput radebant, & capillos in igne sacrificii ponere jubebantur, scilicet ut perfectionem devotionis suæ domino consecrarent. Hujus ergo exempli usus ab Apostolis introductus est, ut hi qui in divinis cultibus mancipati domino consecrantur quasi Nazaræi, id est, sancti Dei, crine præciso innoventur. Hoc quippe & Ezechieli Prophetæ jubetur, dicente domino; *Tu fili hominis, sume tibi gladium acutum, & duces per caput tuum & barbam:* videlicet quia & ipse sacerdotali genere DEO in ministerium sanctificationis deserviebat. Hoc & Nazaræos illos Priscillam & Aquilam in Actibus Apostolorum primum fecisse legimus. Paulum quoque Apostolum, & quosdam discipulorum Christi, qui in hujusmodi cultu imitandi extiterunt. Est autem in clericis tonsura signum quoddam, quod in corpore figuratur, sed in animo agitur, scilicet ut hoc signo irreligionis vitia resecentur, & criminibus carnis nostræ quasi crinibus exuamur, atque inde innovatis sensibus & comis rudibus enitescamus, *expoliantes nos,* juxta Apostolum *veterem hominem cum actibus suis, & induentes novum, qui renovatur in agnitione Dei.* Quam renovationem in mente oportet fieri, sed in capite demonstrari, ubi ipsa mens noscitur habitare. Quod vero de tonso capite superius inferius circuli corona relinquitur, sacerdotii regnumq; ecclesiæ in eis existimo figurari. Tiara enim apud veteres constituebatur in capite sacerdotum. Hæc ex bysso contexto rotunde erat, quasi sphæra media, & hoc significatur in parte capitis tonsa. Corona autem, latitudo aurei est circuli, quæ regum capita cingit. Utrumque itaque signum in capite clericorum exprimitur, ut impleatur etiam corporis quadam similitudine, quod scriptum est, Petro Apostolo perdocente; *Vos estis genus electum, regale sacerdotium.*

Quæritur autem, cur sicut apud antiquos Nazaræos non ante coma nutritur, & sic tondetur: sed qui hæc exquirunt, advertant quid sit inter illud propheticum velamentum, & hanc evangelii revelationem, de qua dicit Apostolus *Cum transieris ad Christum, auferetur velamen:* Quod autem significabat velamen interpositum inter faciem Mosis & adspectum populi Israel, hoc significabat illis temporibus etiam coma sanctorum. Nam & Apostolus comam pro velamento esse dicit. Proinde jam non oportet ut velentur crinibus capita eorum, qui domino consecrantur, sed tantum ut revelentur: quia quod erat occultum in sacramento prophetiæ, jam in evangelio declaratum est.

ISIDOR. *De Ostiariis.* *Cap. II.*

Ostiarii sunt, qui in veteri testamento janitores templi vocabantur, qui præerant portis Hierusalem: quique ordinati per vices suas, omnia interiora templi vel exteriora custodiebant. Hi denique inter sanctum & iniquum discernentes, eos tantum in ecclesia qui sunt fideles, recipiunt. Intrare enim templum nisi per hos non possumus. Habent enim potestatem tam bonos recipiendi, quam rejiciendi indignos.

De Lectoribus idem. *Cap. III.*

Lectorum ordo formam & initium à prophetis accepit. Sunt igitur lectores, qui verbum Dei prædicant, quibus dicitur: Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam. Isti quippe ordinantur. Primum de eorum conversatione Episcopus verbum facit ad populum. Deinde coram plebe tradit eis codicem divinorum apicum, ad verbum Dei annunciandum. Qui autem ad hujusmodi provehitur gradum, iste erit doctrina & libris imbutus, sensuumque ac verborum scientia peronatus, ita ut ex distinctionibus sententiarum intelligat, ubi finiatur junctura, ubi adhuc pendeat oratio, ubi sententia extrema claudatur. Sicque expeditus, vim pronunciationis tenebit, ut ad intellectum omnium mentes sensumque promoveat, discernendo genera pronunciationum, atque exprimendo sententiarum proprios affectus: modo indicantis voce, modo dolentis, modo increpantis, modo exhortantis, sive his similia secundum genus propriæ pronunciationis, in quo magis illa ambigua sententiarum adhibenda cognitio est. Multa enim in scripturis sunt, quæ nisi proprio modo pronuncientur, in contrariam recedunt sententiam, sicuti est: *Quis accusabit adversus electos Dei? Dominus qui justificat?* Quodque si confirmative non servato genere pronunciationis dicatur, magna perversitas oritur. Sic ergo pronunciandum est, ac si diceretur: Dominus ne qui justificat? subauditur, non. Necesse est ergo in tantis rebus scientiæ ingenium, quo proprie singula convenienterque pronuncietur. Propterea & accentuum vim oportet lectorem scire, ut noverit in qua syllaba vox protendatur pronunciantis. Plerumque enim imperiti lectores in verborum accentibus errant, & solent irridere nos imperiti hi qui videntur habere notitiam, detrahentes & jurantes penitus nos nescire quod dicimus. Porro vox lectoris simplex erit & clara, ad omne pronunciationis genus accommodata, plena succo virili, agrestem & subrusticum effugiens sonum. Non humilis, nec adeo subtilis, non fracta, non tenera, nihilque fœmineum sonans, neq; cum motu corporis, sed tantum cum gravitatis specie. Auribus enim & cordi consulere debet lector, non oculis: nec potius ex seipso expectatores magis, quam auditores faciat. Vetus opinio est, lectores pronunciandi causa præcipuam curam vocis habuisse, ut exaudiri in tumultu possit. Unde & dudum lectores præcones vel proclamatores vocabantur.

Item

Item idem de Exorcistis. *Caput IV.*

IN ordine & ministerio Ecclesiæ esse exorcistas, secundum officie quæ in templo Salomonis erant disposita quæque posterius sunt ab Esdra dispertita: Invenimus eos quos Esdras actores memorat templi, eos nunc esse exorcistas in Ecclesia Dei. Fuerunt enim sub Esdra actores templi, servorum Salomonis filii, qui actum templi totius sub curam suam haberent, et sacris oblationibus deservirent. Et cum fuissent ex ordine & ministerio templi, longe fuerunt ab officio altaris Dei: quia nec Psalmistis, nec ostiariis, nec sacrorum servis attingere licebat ad munera altaris, nisi tantummodo Levitis. Quid ergo est? nullam aliam curam habebant actores templi, nisi de sartatecta facienda, aut quæcunque fuissent veterata in ædificatione templi aut delapsa, per eosdem actores de thesauris dominicis reficerentur atque recolerentur. Ergo actores templi, exorcistæ sunt in populo Dei. Quomodo enim actor prudens & bonus scit, quid sit domini sui census, & omnis substantiæ modus, & redigit apud se totius possessionis instrumenta originalia: sic & exorcista redigit in sua diligentia totius regni Domini secreta, ut memoriæ mandet de scripturarum sacramentis: unde exerceat scilicet donum, quod illi est à Spiritu sancto concessum, secundum Apostoli præconium. Exorcistas enim memorat Apostolus, cum dicit: *Nunquid omnes donationes habent sanationum?* Hi enim *cum ordinantur:* sicut ait Canon, *accipiant de manu Episcopi libellum, in quo scripti sunt exorcismi, accipientes potestatem imponendi manus super energumenos* sive catechumenos sive baptizatos.

Item Isidorus de Acolytis. *Caput* V.

ACOlyti Græce, Latine ceroferarii dicuntur à deportandis cereis, quando legendum est Evangelium, aut sacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria ab eis, & deportantur, non ad fugandas tenebras, dum sol eo tempore rutilet: sed ad signum lætitiæ demonstrandum, ut sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur, de que in Evangelio legitur: *Erat lux vera, qua illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Item Isidorus *de Subdiaconibus.* *Caput VI.*

SUbdiaconi qui apud Græcos hypodiaconi vocantur, in Esdra inveniuntur, appellanturque ibi Nathinæi, id est, in humilitate domino servientes. Ex eorum ordine fuit ille Nathanael, qui in Evangelio Joannis divina proditione commonitus, salvatorem meruit confiteri. Quique etiam ad primum divinitatis indiciũ fidelis emicuit, protestante domino ac dicente: *Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.* Denique isti oblationes in templo Domini suscipiunt à populis. Isti obediunt officiis Levitarum. Isti quoque vasa corporis & sanguinis Christi diaconibus ad altarie domini offerunt. De quibus quidem placuit patribus, ut quia sacra ministeria contrectent, casti & continentes sint ab uxoribus, & ab omni carnali immunditia liberi, juxta quod illis Propheta dicente jubetur: *Mundamini qui fertis vasa domini.* Hi igitur cum ordinantur, sicut Sacerdotes & Levitæ, manus impositionem non suscipiunt: sed patinam tantum & calicem de manu Episcopi, & ab Archidiacono scyphum aquæ cum aquamanili, & manutergium accipiunt.

Item Isidorus *de Diaconibus.* *Caput VII.*

DIaconorum ordo, à tribu Levi accepit exordium. Præcepit enim Dominus Mosi, ut per ordinationem Aaron Sacerdotis & filiorum ejus, rursus in divini cultus ministerio ordinarentur, & consecrarentur Domino pro omnibus primogenitis, & servirent pro Israel coram Aaron & filiis ejus in tabernaculo DEI, excubantes in templo die ac nocte, ipsique gestarent arcam & tabernaculum, & omnia vasa ejus, & in circuitu tabernaculi castra ipsi constituerent, in promovendo tabernaculo ipsi deponerent, rursus ipsi componerent. A vigintiquinque annis & supra, in tabernaculo servire ipsis mandatum est. Quam regulam sancti Patres & in novo Testamento constituerunt. In Evangelio autem primordia eorum & in Actibus Apostolorum ita leguntur: *Convocantes autem duodecim Apostoli multitudinem discipulorum, dixerunt: Non est æquum, nos relinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Quid ergo est, fratres? Considerate ex vobis viros boni testimonii septem, plenos Spiritu sapientia, quos constituamus in hanc rem. Nos vero erimus orationi & ministerio sermonis instantes. Et placuit hic sermo coram multitudine: Et elegerunt statim Stephanum, virum plenum fide & Spiritu sancto, & Philippum, & Procorum, Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum advenam Antiochenum. Hos statuerunt ante Apostolos. Et cum orassent, imposuerunt illis manus, verbumq; Dei crescebat, & multiplicabatur numerus credentium.* Et hinc jam decreverunt Apostoli, vel successores Apostolorum, per omnes Ecclesias septem Diaconos ordinandos esse, qui sublimiori gradu cæteris proxime circa aram Christi, quasi columnæ altaris, assisterent, & non sine aliquo septenarii numeri mysterio. Hi enim sunt, quos in Apocalypsi legimus, *septem Angeli tubis canentes.* Hi sunt septem candelabra aurea, hi voces tonitruorum. Ipsi enim clara voce, in modum præconis, admonent cunctos, sive in orando, sive in flectendo genua, sive in psallendo, sive in lectionibus audiendis. Ipsi etiam, ut aures habeamus ad Dominum, clamant. Ipsi quoque evangelizant. Sine ipsis sacerdos nomen habet, officium non habet. Nam sicut in sacerdote consecratio, ita & in ministro dispensatio sacramenti est. Ille orate, hic psallere mandat. Ille oblata sanctificat, hic sanctificata dispensat. Ipsis etiam sacerdotibus propter præsumptionem non licet de mensa Domini tollere calicem, nisi eis traditus fuerit à diacono. Levitæ inferunt oblationes in altaria. Levitæ componunt mensam Domini. Levitæ operiunt arcam testamenti. Non enim omnes vident alta mysteriorum, quæ operiuntur à Levitis, ne videant quæ videre non debent, & sumant quæ servare non possunt. Qui propterea

altari

altari albis induti adsistunt, ut vel cælestem vitam habeant, candidiq; ad hostias & immaculati accedant, mundi sc. corpore, & incorrupti pudore. Tales n. decet Dominum habere ministros, qui nullo carnis corrumpantur contagio, sed potius eminentia castitatis splendeant. Quales autem diaconi ordinentur, Paolus Apostolus plenissime scribit ad Timotheum. Nam cum præmisisset de sacerdotum electione, contiouo subjunxit: *Diaconi similiter irreprahensibiles*, hoc est, sine macula, sicut Episcopi. Pudici utique, i. à libidine continentes. Nec bilingues, s. ne conturbent pacem habentes. Non multo vino dediti: quia ubi ebrietas, ibi libido dominatur & furor. Non turpe lucrum sectantes, ne de cælesti ministerio lucra terrena sectentur. Est quoqoe turpis lucri appetitio, plus de præsentibus quam de futuris cogitare. Post hæc subjecit: *Hi autem probeutur primum, & sic ministrent, nullum crimen habentes.* Hi utiq; sicut Episcopi, sic & isti ante ordinationem probari debent, si digni sint, & sic postea ministrare.

Item ISIDORUS *De Sacerdotibus.* *Caput VIII.*

PResbyterorum ordo, exordium sumpsit (ut dictum est) à filiis Aaron. Qui n. sacerdotes vocabantur n veteri testamento, hi sunt qui nunc vocantur presbyteri. Et qui nuncupantur principes sacerdotum, nunc Episcopi nooinantur. Presbyteri autem interpretantur seniores, quia seniores ætate Græci presbyteros vocant. His o. sicut Episcopis, dispensatio ministeriorum Dei commissa est, Præsunt etiam Ecclesiæ Christi, & in confectione divini corporis & sanguinis consortes cum Episcopis sunt. Similiter & in doctrina populorum, & in officio prædicaodi, ac solum præter authoritatem summi sacerdotii, clericorum ordinatio & consecratio reservata est, ne à multis disciplina Ecclesiæ vindicata, coocordiam solveret, scandala generaret. Nam Paulus Apostolus eosdem presbyteros, ut vere sacerdotes, sub nomine Episcoporũ ita adserverat, loqueos ad Titum: *Hujus* (inquit) *rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates presbyteros, queadmodũ ego tibi disposui. Si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet n. Episcopum sine crimine esse.* Qua seotentia ostendit, etiam presbyteros sub Episcoporum nomine taxari. Unde ad Timotheum de ordinatione Episcopi & diaconi scribit, de presbyteris omnino tacuit, quia eos in Episcoporum nomine compræheodit. Secundus enim primo conjunctus gradus est, sicut ad Philippenses Episcopis & diaconibus scribit, cum una civitas plures Episcopos habere noo possit, & in Actibus Apostolorum presbyteros Ecclesiæ, iturus Hierosolymam, congregavit, quibus inter cætera ait: *Videte gregem, in quo vos Spiritus ordinavit.* Uode etiam tales in Ecclesia presbyteros constituendos esse sicut Episcopos, & Apostolus ad Titum loquitur, & canones ipsi testantur. Presbyteros autem merito & sapientia dici, non ætate. Nam & Mosi præcipitur, ut eligat presbyteros. Unde & in Proverbiis dicitur *Gloria senum canicies.* Quæ est hæc canicies? Haud dubium quin sapientia, de qua scriptum est. *Canities hominum, prudentia est.* Cumque nongentos & amplius annos ab Adam usque ad Abraham, vixisse homines legerimus, nullus alius primus appellatus est presbyter, id est, senior, nisi Abraham, qui multo paucioribus annis vixisse convincitur. Noo ergo propter decrepitam senectuteos, sed propter sapientiam presbyteri nuncupantur. Quod si ita, miror cur insipientes constituantur.

Item ISIDORUS *De Sacerdotio.*

VIdeamus ergo nunc ad sacratissimos ordines, & siogulariter demonstremus, quid est sacerdotii fundamentum, vel quo authore pontificalis ordo adolevit in secula. Initium quidem sacerdotii Aaron fuit, quaoquam & Melchisedech prior obtulerit sacrificiũ, & post hunc Abraham, Isaac & Jacob. Sed isti spontanea voloniate, non sacerdotali authoritate, ista fecerunt. Cæterum Aaron primus in lege sacerdotale nomem accepit, primusque sacerdotali stola indutus, victimas obtulit, jubente Domino ac loquente ad Mosen: *Accipe* (ioquit) *Aaron & filios ejus, & applicabis ad ostium tabernaculi testimonii. Cumque laveris patrem cum filiis aqua, indues Aaron vestimentis suis, id est, linea & tunica, & superhumerali, & rationali, quod constringes balteo, & pones tiaram in capite ejus, & laminam sanctam super tiaram, & oleum unctionis fundes super caput ejus, atque hoc ritu consecrabitur. Filios quoque ejus applicabis, & indues tunicis lineis, cingesque balteo,* Aaron scilicet, & liberos ejus, *& impones eis mitras, eruntque sacerdotes mei religione perpetua.* Quo loco contemplari oportet, Aaron summum sacerdotem, id est, Episcopum fuisse: nam filios ejus, presbyterorum figuram præmonstrasse. Fuerunt enim filii Aaroo & ipsi sacerdotes, quibus merito adstare debuissent Levitæ, sicut summo sacerdoti. Et hoc fuit inter Aaron summum sacerdotem & inter filios ejusdem Aaron, qui & ipsi erant sacerdotes: quod Aaron super tuoicam accipiebat poderem, stolam sanctam, & coronam auream, mitram & zonam auream, superhumerale, & cætera quæ supra memorata sunt. Filii autem Aaron, super tunicas lineas tantommodo, & tiarati adstabant sacrificio Dei. Sed forsitan quæritur & hoc. cujus figuram faciebat Moses? Si enim filii Aaron presbyterorum figuram faciebant, & Aaron sum̃i sacerdotis, id est. Episcopi, Moses cujus? Indubitanter Christi, & vere per omnia Christi: quoniam fuit similitudo mediatoris Dei, qui est inter Deum & hominem, Jesus Christus, qui est verus Dux popolorum, verus princeps sacerdotum, & Dominus pootificum, cui est honor & gloria in secula seculorum, Amen.

Item Idem, *Caput IX.*

HActenus de primordiis sacerdotalibus in veteri testamento: in novo autem testamento, post Christũ, sacerdotalis ordo à Petro cœpit. Ipsi enim primom datus est pontificatus in Ecclesia Christi. Sic enim loquitur ad eum Dominus: *Tu es* (ioquit) *Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferi non prævalebunt adversus eam: & tibi dabo claves regni cælorum.* Hic ergo ligandi solvendique potestatem primus accepit, primusque ad fidem populum virtute suæ prædicationis adduxit.

Siquidem

Siquidem & cæteri Apostoli cum Petro pari consortio honoris & potestatis acceperunt. Qui etiam in toto orbe dispersi, Evangelium prædicaverunt, quibusq; decedentibus successerunt Episcopi, qui sunt constituti per totum mundum in sedibus Apostolorum. Qui non jam ex genere carnis & sanguinis eliguntur, sicut primum secundum ordinem Aaron, sed pro uniuscujusque merito, quod in eum gratia divina contulerit. Sicut etiam ad Heli Dominus pronunciavit, dicens: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Dixi, domus tua & domus patris tui permanebunt coram me usque in æternum. Et nunc hæc dicit Dominus: Nequaquam, sed glorificantes me glorificabo, Qui me spernit spernetur.* Quatuor etenim sunt genera Apostolorum. Unum à Deo tantum, ut Moses. Alterum per hominem & Deum, ut Josue. Tertium tantum per hominem, sicut his temporibus multi favore populi, & potestatū in sacerdotium subrogantur. Quartum autem genus ex se est, sicut pseudoprophetarum & pseudo Apostolorum. Quid est autem nomen Apostolorum? Apostoli in Latina lingua missi interpretantur, quia ipsos misit Dominus Evangelizare ad illuminationem omnium populorum. *Episcopus* autem, ut quidam prudentium ait, *nomen est operis, nō honoris.* Græcum est enim atque inde ductum vocabulum, quod ille qui super efficitur, superintendit, curam scilicet subditorum gerens. *Epi*, super: *scopeis* autem intentio est: ergo Episcopum Latine superintendentem possumus dicere, ut intelligat se non esse Episcopum, qui non prodesse, sed
*studierit, præesse * neglexerit. Quod vero per manus impositionem à præcessoribus Dei sacerdotibus, Episcopi ordinantur, antiqua est institutio. Isaac autem patriarcha sanctus, ponens manum suam super caput Jacob, benedixit ei. Similiter & Jacob filiis suis benedictionem dedit. Moses super caput Josuæ manum suam imponens, dedit ei spiritum virtutis & ducatus in populo Israel. Sic & superimpletor legis & Prophetarum Dominus noster Jesus Christus, per manus impositionem Apostolos benedixit, sicut in Evangelio Lucæ scriptum est: *Et perduxit illos trans Bethaniam: & elevavit manus suas, & benedixit eos. Factumque est cum benedixisset illis, discessit ab eis: & ipsi reversi sunt in Hierusalem cum gaudio magno.* Et in Actibus Apostolorum ex præcepto S. Spiritus, Paulo & Barnabæ Apostolis manus imposita est in Episcopatum, & sic missi sunt ad Evangelizandum. Quod autem à triginta annis sacerdos efficitur ab ætate scilicet Christi sumptum est, ex qua idem orsus est prædicare. Hæc enim ætas profectum jam non indiget parvulorum, sed perfectionis: nam plena est & robusta, & ad omne disciplinæ ac magisterii exercitium præparata. Quod vero unius virginalis matrimonii sint qui eliguntur in ordine pontificatus, & in veteri lege mandatum est, & plenius scribit Apostolus, dicens: *Unius uxoris virum.* Sacerdotem quærit Ecclesia aut de monogamia ordinatum, aut de virginitate sanctum. Porro quod Episcopus non ab uno, sed à cunctis provincialibus Episcopis ordinatur, ideo institutum est, ne aliquid contra fidem Ecclesiæ unius tyrannica authoritas moliretur: propterea ab omnibus convenientibus constituitur, ac non minus quam à tribus præsentibus, cæteris tamen consentientibus testimonio literarum. Huic autem, dum consecratur, datur baculus, ut ejus indicio subditam plebem vel regat, vel corrigat, vel infirmitates infirmorum sustineat. Datur & annulus, propter signum pontificalis honoris, vel signaculum secretorum. Nam multa sunt, quæ carnalibus minusque intelligentibus occultantes sacerdotes, quasi sub signaculum condunt, ne indignis quibusque sacramenta Dei aperiantur. Jam vero quod seculares viri nequaquam ad ministerium Ecclesiæ assumantur, eadem authoritas Apostolica docet & dicit: *Manus cito nemini imposueris.* Et iterum: *Non neophytum, ne in superbia elatus, putet se non tam ministerium humilitatis, quam administrationem secularis potestatis adeptum: & per condemnationem superbiæ, sicut diabolus, per jactantiam dejiciatur.* Quomodo enim valebit secularis homo sacerdotii magisterium adimplere, cujus nec officium tenuit, nec disciplinam cognovit? Aut quid docere poterit, cum ipse non didicit? Nunc vero sæpe cernimus plurimos ordinationem talibus facere: nec eligunt qui Ecclesiæ prosint, sed quos vel ipsi amant vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit. Et ut deteriora dicam, qui ordinarentur, muneribus impetrarunt. Taceo de reliquis. Alii successores filios vel parentes faciunt, & conantur posteris præsulatus relinquere dignitatem, cum hoc nec Moses amicus Dei facere potuit, sed Josue de alia tribu elegit, ut sciremus, principatum in populo non sanguine defendendum esse, sed vitæ merito. Interdum autem & juxta meritum plebium eliguntur personæ rectorum: unde noverint populi, sui fuisse meriti, regimen perversi suscepisse pontificis. Quod autem is, qui post baptismum
*pecus aliquod mortali peccato corruptus, ad sacerdotium non promoveatur, lex ipsa testatur. Moses enim in lege præcepit sacerdotibus, ne aliquod * pejus vitiatum ad altare Dei offerrent, quod ipsum postea offerentibus sacerdotibus Israel per Malachiam improperavit Deus, dicens: *Vos sacerdotes qui polluistis nomen meum. Et dixistis: In quo polluimus eum? Offerentes super altare meum panem pollutum, & offerebatis cæcum & languidum.* Unde & in Numeris vitula rufa, cujus cinis expiatio est populi, non aliter jubetur offerri ad altare Domini, nisi quæ terrena opera non fecerit, jugumque delicti non traxerit, nec vinculis peccatorum fuerit alligata. Sed quid plura subjiciamus? Si enim is qui in Episcopatum vel presbyterium positus mortale aliquod peccatum admiserit, retrahitur: quanto magis ante ordinationem, si peccator inventus est, ut non ordinetur? Quapropter quia lex peccatores à sacerdotio removet, consideret se unusquisq. & sciens quia potentes potenter tormenta patientur, retrahet se ab hoc non tam honore, quam onere, & aliorum qui digni sunt, locum non ambiat occupare. Qui enim erudiendis atque instituendis de virtute populis præerit, necesse est in omnibus sanctus sit, & in nullo reprehensibilis habeatur. Qui n. aliū de peccatis arguit, ipse à peccato debet esse alienus. Nam qua fronte subjectos arguere poterit, cum illi statim possit correptus ingerere: Ante docete quæ recta sunt Episcopi. Quapropter qui negligit recta facere, desinat recta docere. Primitus quippe semetipsum corrigere debet, qui alios ad bene docendum monere studet, ita ut in omnib. semetipsum formam vivendi præbeat, cunctosque

ctosq; ad bonum opus & doctrina & opere pronocet. Cui etiam scientia scripturarum necessaria est: quia si Episcopi tantum sit sancta vita, sibi soli potest prodesse sic viuens. Porro si & doctrina fuerit eruditus, potest cæteros quosq; instruere, & docere suos, & adversarios repercutere. Qui nisi refutati fuerint atq; conuicti, facile possunt simplicium corda peruertere. Huius aut sermo debet esse purus, simplex & apertus, plenus grauitate & honestate, plenus suauitate & gratia, tractans de mysterio legis, de doctrina fidei, de virtute continentiæ, de disciplina iustitiæ, vnumqvemq; diuersa admonens exhortatione, iuxta professionis morumq; qualitatem, videlicet vt prænoscat, quid, cui, quando vel quomodo proferat. Cuius præ cæteris speciale officium est, scripturas legere, percurrere canones, exempla sanctorum imitari. Vigilus, ieiunis, orationibus incumbere, cum fratribus habere pacem, nec quenquam ex membris suis discerpere. Nullum damnare, nisi comprobatum. Nullum excommunicare, nisi discussum. Cuiq; ita humilitate pariter & authoritate præstabit, vt nec per nimiam humilitatem suam, subditorum vitia conualescere faciat, nec per immoderatam authoritatem seueritatis potestatem exerceat: sed tanto cautius erga commissos agat, quanto durius à Christo iudicari formidat. Tenebit quoq; illam supereminentem donis omnibus charitatem, sine qua omnis virtus nihil est, Custos enim sanctitatis, charitas est: loeus autem huius custodis, humilitas. Habebit etiam inter hæc omnia & castitatis eminentiam, ita ut mens Christi corpus confectura, ab omni inquinamento carnis sit munda & libera. Inter hæc oportet eum solicita dispensatione curam pauperum gerere, esurientes pascere, vestire nudos, suscipere peregrinos, captivos redimere, viduas ac pupillos tueri, pervigilem in cunctis exhibere curam prouidentiæ distributione discreta. In quo etiam & hospitalitas ita erit præcipua, vt omnes cum benignitate & charitate suscipiat. Si enim omnes fideles illud evangelicum audire desiderant, *Hospes fui, & suscepistis me*: quanto magis Episcopus, cuius diversorium, cunctorum debet esse receptaculum? Laicus enim vnum aut duos suscipiens, impleuit hospitalitatis officium. Episcopus si omnes non receperit, inhumanus est; in negociis autem secularibus dirimendis, oportet eum causam merito discernere, non gratia. Neque enim sic debet Episcopus suscipere potentem, vt contristet contra iustitiam pauperem: neque pro paupere, auferre iustitiam à potente. Non defendat improbum nec sancta indigno committenda arbitretur. Neque arguat aut impugnet, cuius crimen non deprehendit. Erit quoque illi etiam iuxta Apostolum mansuetudo, patientia, sobrietas, moderatio, abstinentia, sive pudicitia, vt non solum ab opere in mundo se abstineat, sed etiam ab oculis & verbi & cogitationis errorem. Ita vt dum nullum in se vitium regnare permittit, impetrare apud Deum veniam pro subditorum facinoribus valeat. Qui enim ista sectaverit, & Dei minister *humilis erit, & perfectum sacerdotium consummabit. *vilis.

EXCERPTUM BEATI HIERONYMI
ex epistola ad Titum.
Caput X.

Huius rei gratia reliqui te Creta, vt ea quæ desunt, corrigas. Reliquit Titum discipulum Cretæ, vt rudimenta nascentis Ecclesiæ confirmaret, & si quid videbatur deesse, corrigeret: ipse pergens ad alias nationes, vt rursum in eis Christi iaceret fundamentum. Quod autem ait, *vt ea quæ desunt corrigas*: ostendit necdum eos ad plenam venisse scientiam veritatis: & licet ab Apostolo correpti fuerint, tamen adhuc indigere correctione. *Et constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego tibi disposui.* Diligenter Apostoli attendamus verba dicentis: *vt constituas per ciuitatis presbyteros sicut & ego disposui tibi* Qui, qualis presbyter debeat ordinari, in consequentibus differens, hoc est, *si quis sine crimine est, vnius uxoris vir*, &c. postea intulit: *Oportet enim Episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorem.* Idem ergo est presbyter, qui Episcopus. Et antequam diaboli instinctu schismata in religione fierent, ac diceretur in populis, *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ*, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Postquam vero vnusquisque eos quos baptizaverat, putabat suos, non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris electus, superponeretur cæteris ad quem omnis cura ecclesiæ pertineret, & schismatum semina tollerentur. Putet aliquis non scripturarum, sed nostram esse sententiam, Episcopum & presbyterum vnum esse, & aliud ætatis, aliud esse nomen officii: relegat Apostoli ad Philippenses verba, dicentis: *Paulus & Timotheus serui Christi Iesu, omnibus sanctis in Christo Iesu, qui sunt Philippis, cum episcopis & diaconibus, gratia vobis & pax*, & reliqua: Philippi vna est vrbs Macedoniæ. Et certe in vna ciuitate plures, vt nunc putantur, Episcopi esse non poterant. Sed quia eosdem Episcopos illo tu tempore, quos presbyteros appellabant, propterea indifferenter de Episcopis quasi de presbyteris est locutus. Adhuc alicui hoc videtur ambiguum, nisi altero testimonio comprobetur. In actibus apostolorum scriptum est, quod cum venisset apostolus Paulus Miletum, miserit Ephesum, & conuocauerit presbyteros eiusdem Ecclesiæ, quibus postea inter cætera sit locutus: *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos, pascere Ecclesiam domini, quam adquisiuit per sanguinem suum.* Et hic diligentius obseruate, quomodo vnius ciuitatis Ephesi presbyteros vocans, postea eosdem Episcopos dixerit. Videamus igitur, qualis presbyter siue Episcopus ordinandus sit. *Si quis est sine crimine, vnius vxoris vir, filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos. Oportet enim Episcopum sine crimine esse, tanquam Dei dispensatorem. Non proteruum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri appetitorem.* Primum itaque *sine crimine sit*, quod puto alio verbo ad Timotheum, *irreprehensibilem* nominatum. Non qui eo tantum tempore quo ordinandus est, sit sine crimine vllo, & præteritas maculas noua conuersatione deleuerit: sed

ea eo tempore, quo in Christum renatus est, nulla peccati conscientia moderatur. Quomodo enim potest præses Ecclesiæ auferre malum de medio eius, qui in delictum simile corruerit? aut qua libertate corripere peccantem, cum tacitus sibi respondeat eadem se admisisse quæ corripit? Primum itaq; dicendum est, quod tam nomen sacedotu sit sanctum, vt nobis etiam ea quæ extra nos sunt posita, reputentur: non quo propter vitam nostram Episcopi non fiamus, sed quo propter filiorum incontinentiam ab hoc gradu arguendi simus. Qua etiam libertate possumus alienos filios corripere, & docere quæ recta sunt, cum nobis statim possit, qui fuerit correptus, ingerere, *Ante doce filios tuos?* Aut qua fonte extraneum corripio fornicantem, cum mihi conscientia mea ipsa respondeat, *Exhæreda ergo filium fornicantem, Abiice filios tuos vitiis feruentes.* Cum autem nequam filius in vna tecum conuiuatur domo, tu audes de alienus oculo festucam detrahere, in tuo trabem non videns? Non itaque iustus polluitur ex vitiis filiorum, sed libertas ab Apostolo Ecclesiæ principi reseruatur, vt talis fiat, qui non timeat propter vitia liberorum eatraoeos reprehendere. *Oportet enim Episcopum sine crimine esse tanquam Dei dispensatorem.* Quæritur ergo inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Et non comedens & bibens cum ebriosis, percutiat seruos & ancillas, sed incertum domini eapectet aduentum, & det conseruis in tempore cibaria. Inter vicillum autem & familiam hæc sola distantia est, quod conseruus præpositus est conseruis suis. Sciat itaque Episcopus & presbyter, sibi populum esse conseruum, non seruum.

Cætera quæ sequuntur in nobis posita sunt. *Non proteruum*, id est, non tumentem & placentem sibi quod Episcopus sit: sed quasi bonum villicum, id requirentem quod pluribus prosit. *Non iracundum.* Iracundus est, quod semper irascitur, & ad leuem responsionis auram atque peccati, quasi à vento folium mouetur. Neque vero qui aliquando irascitur, iracundus est: sed ille dicitur iracundus, qui crebro hac passione superatur. Prohibet quoque Episcopum esse *vinolentum*, vt sensu occupato vel exaltet risum contra grauitatis decorem, & labiis solutis cachinnet, vel si paululum tristis cuiusdam rei fuerit recordatus inter pocula, in singultus prorumpat & lachrymas. Est ira per singula & insanies,* quas ebrietas suggerit explicare. Post vinolentiam etiam hoc præcepis, *ne percussor sit.* Quod quidem simpliciter intellectum, ædificat audientem, ne facile manum porrigat ad cædendum, ne in os alterius verberandum insanus erumpat. Melius est autem, vt non percussorem illum esse dicamus, qui mansuetus & patiens, sciat in tempore quid loquendum sit, quid tacendum, nec sermone inutili conscientiam percutiat auditorum infirmorum. *Turpis* quoque *lucri appetitus*, ab eo qui Episcopus futurus est, esse debet alienus. Sunt enim multi, docentes quæ non oportet turpis lucri gratia, qui totas domus subuertunt, & putant quæstum esse pietatem. *Melior est* autem, iuxta Salomonem, *modica acceptio cum iustitia, quam multa genimina cum iniquitate: & magis eligendum in paupertate nomen bonum quam in diuitiis nomen pessimum.* Episcopus, qui imitator Apostoli esse cupit, habens victum & vestitum, his tantum debet esse contentus. Qui altario seruiunt, de altario viuant. *Viuant*, inquit, *& non diuites fiant.* Vnde & æs nobis excutitur, & vna tantum tunica induimur, ne de crastino cogitemus. Turpis quoque lucri appetitio est, plus de præsentibus quam de futuris cogitare. Huc vsque, quid non debeat habere Episcopus siue presbyter, Apostoli sermone præceptum est: nunc econtrario quid habere debeat, explicatur. *Sed hospitalem, bonorum amatorem, castum, iustum, sanctum, continentem, abstinentem, obtinentem eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, vt potens sit consolari doctrina sancta, & contradicentes arguere.* Ante omnia hospitalitas futuro Episcopo denunciatur. Si enim omnes illud de euangelio audire desiderant, *Hospes fui suscepistis me:* quanto magis Episcopus, cuius domus, omnium commune debet esse hospitium? laicus enim vnum aut paucos suscipiens, implebit hospitalitatis officium: Episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est. Quomodo itaque mansuetudo, patientia, sobrietas, moderatio, abstinentia lucri, hospitalitas quoque & benignitas præcipue esse debent in Episcopo & inter cunctos laicos eminentia: sic & castitas propria, & (vt ita dixerim) pudicitia sacerdotalis, vt non solum ab opere se immundo abstineat, verum à iactu oculi & cogitationis errore mens, Christi corpus confectura, sit libera. Iustus quoque Episcopus esse debet & sanctus, vt iustitiam in populis, quibus præest, exerceat, reddens vnicuique quod meretur: nec accipiat personam in iudicio. Inter laici autem & Episcopi iustitiam hoc interest, quod laicus potest apparere iustus in paucis: Episcopus vero in tot exercere iustitiam, quot & subditos habet.

* quæ

EXCERPTVM EX EPISTOLA HIERONYMI
ad Oceanum, Caput XI.

SIquis *Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Opus, non dignitatem: laborem, non delicias. Opus quod per humilitatem decrescat, non intumescat fastidio. Oportet ergo Episcopum *irreprehensibilem* esse. Id ipsum quoque ad Titum: *Si quis est sine crimine.* Omnes virtutes in vno sermone comprehendit, & pene rem contra naturam exigit. Si enim omne peccatum, etiam in ocioso verbo, reprehensione dignum est: quis ille qui absque peccato, id est, sine reprehensione, versetur in mundo? Sed futurus pastor Ecclesiæ, talis eligitur, ad cuius comparationem recte grex cæteri nominentur. Definiunt Rhetores oratorem, qui sit vir bonus, dicendi peritus. Ante vitam sic lingua irreprehensibilis quæritur, vt doctus merito suscipiatur. Perdit enim authoritatem dicendi, cuius sermo opere destruitur. *Vnius vxoris virum.* Certè de baptizatis, Apostoli sermo est, nemo dubitet, *sobrium, prudentem, ornatum, hospitalem, doctorem pudicum,* &c. Sacerdotes qui ministrant in templo Dei, prohibentur vinū & siceram bibere, ne crapula & ebrietate aggrauentur corda eorum: & vt sensus, officium exhibens Deo, vigeat semper & tenuis sit. Quod autem infert, *prudentem:* excludit eos, qui sub nomine simplicitatis, excusant stultitiam sacerdotum. Nisi enim cerebrum sanum fuerit, omnia membra in

vitio

erunt. *Ornatum.* Qui vitia non habet, irreprehensibilis appellatur. Qui virtutibus pollet, ornatus est. Possumus & aliud intelligere ex hoc verbo, iuxta illud Tullii *Caput est artis, decere quod facias*, sunt enim quidam ignorantes mensuram suam, & tantæ stoliditatis ac vecordiæ, ut & in motu & in incessu & in habitu & in sermone communem risum expectantib. tribuant: & quasi intelligentes quid sit ornatus, comunt se vestibus & munditiis corporis, & lautiores mensæ epulas parant, cum omnis istiusmodi ornatus & cultus sordibus fœdior sit. Quod autem doctrina à sacerdotibus expectatur, & veteris præcepta sunt legis, & ad Titum plenius scribitur. Innocens enim & absque sermone conuersatio, quantum exemplo prodest, tantum silentio nocet. Nam latratu canum, baculoque pastoris, luporum rabies deterrenda est. *Non vinolentum, non percussorem.* Virtutibus vitia opposuit. Dicimus, quales esse debeamus: dicamus, quales non esse debeant sacerdotes. Vinolentia scurrarum est & comessatorum: venterque mero æstuans, cito despumat in libidines. In vino luxuria, in luxuria voluptas, in voluptate impudicitia est. Qui luxuriatur, vivens mortuus est: ergo qui inebriatur, & mortuus & sepultus est. Noe ad vnius horæ ebrietatem nudauit femora sua, quæ per sexcentos annos sobrietate contexerat. Loth per temulentiam, nesciens libidini miscet incestum: & quem Sodoma non vicerat, vina vicerunt. Percussorem autem Episcopum ille condemnat, qui dorsum posuit ad flagella, & maledictus non remaledixit. *Sed modestum.* Duobus malis vnum adposuit bonum, vt temulentia & ira modestia refrenentur. *Non litigiosum, non avarum.* Nihil est impotentius arrogantia. Qui garrulitatem authoritatem putant, & parati semper ad lites, in subiectum sibi gregem tumidis sermonibus tonant. Auaritiam in sacerdote vitandam & Samuel docet, nihil coram populo eripuisse se cuiquam probans: & apostolorum paupertas, qui refrigeria sumptuum à fratribus accipiebant, & præter victum atque vestitum, nihil se aliud nec habere, nec velle gloriabantur. Quam auaritiam, ad Timotheum & ad Titum, turpis lucri cupiditatem apertissime notat. *Domum suam bene regentem*, non vt opes augeat, non vt regias paret epulas, non vt cælatas patinas struat, & phasides aues lentis vaporibus coquat, qui ad ossa perveniunt, & superficiem carnium non dissoluunt, artificii temperamentum condunt, sed vt quod populis præcepturus est, prius à domesticis exigat. *Filios habentem subditos cum omni castitate*, ne scilicet incontinentes imitentur filios Heli, qui in vestibulo templi cum mulieribus dormiebant. *Non neophytum, ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli.* Heri catechumenus, hodie pontifex: heri in amphitheatro, hodie in Ecclesia: vespere in circo, mane in altari: dudum fautor histrionum, nunc virginum consecrator. Quod autem ait, *ne in superbiam elatus, in iudicium incidat diaboli*, quis non exemplo verum probet? ignorat momentaneus sacerdos humilitatem & mansuetudinem rusticorum. Ignorat blanditias Christianus, nescit seipsum contemnere. De dignitate transfertur ad dignitatem. Non ieiunauit, non fleuit, non mores suos sæpe reprehendit, & assidua meditatione correxit. Non substantiam pauperibus erogauit. De cathedra quomodo ducitur ad cathedram, de superbia ad superbiam? Iudicium autem & ruina diaboli nulli dubium quin arrogantia sit. Incidunt in eam, qui in puncto horæ, necdum discipuli, iam magistri sunt. *Oportet autem eum & testimonium habere bonum ab his qui foris sunt.* Quale principium, talis & conclusio. Qui irreprehensibilis est, non solum à domesticis, sed ab alienis consono ore laudatur. Alieni extra Ecclesiam sunt Iudæi, hæretici, atque gentiles. Talis ergo sit pontifex Christi, vt qui religioni detrahunt, vitæ eius detrahere non audeant. Hos in sacerdotibus eligendis canones obseruare oportet.

AVGVSTINVS *DE PASTORIBVS ECCLESIAE.*

Caput. XII.

QVi pastorum nomina audire volunt, & pastorum officium implere nolunt: quid ad eos per prophetam dicitur, sicut lectum audiuimus, recenseamus: Audire vos cum intentione, audiamus nos cum tremore *Et factum est verbum domini*, inquit Ezechiel, *ad me, dicens: Fili hominis, propheta super pastores Israel, & dic ad pastores Israel.* Hanc lectionem modo cum legeretur, audiuimus. Hinc cum vestra sanctitate aliquid loqui decreuimus. Adiuuabit ipse vt vera dicamus, si non nostra dicamus. Nam si nostra dixerimus, pastores erimus pascentes nos, non oues. Si autem illius sunt quæ dicimus, per quemlibet ipse vos pascit. *Hæc dicit dominus Deus: O pastores Israel, qui pascunt se solos.* Nonquid non oues pascunt pastores? non se pascunt, sed oues. Hæc prima causa est, quare arguuntur isti pastores: quia seipsos pascunt, non oues. Qui sunt, qui seipsos pascunt? de quibus Apostolus dicit: *Omnes enim sua quærunt, non quæ Iesu Christi.* Nos enim, quos in loco isto, de quo periculosa ratio redditur, dominus secundum dignationem suam, non secundum meritum nostrum, constituit, habemus duo quædam. Vnum quod Christiani sumus: alterum, quod præpositi sumus. Illud, quod Christiani sumus, propter nos est: quod præpositi sumus, propter vos est. In eo quod Christiani sumus, attendatur vtilitas nostra: in eo quod præpositi sumus, non nisi vestra. Et sunt multi, qui Christiani, & non præpositi, perveniunt ad dominum faciliore fortasse itinere, & tanto forte expeditius ambulantes, quanto minorem sarcinam portant. Nos autem, excepto quod Christiani sumus, vnde rationem reddemus Deo de vita nostra: sumus etiam præpositi, vnde rationem reddemus Deo de dispensatione nostra. Ad hoc istam difficultatem propono, vt compatientes nobis, oretis pro nobis. Veniet enim dies, quo cuncta adducantur in iudicium, & ille dies si seculo longe est, vnicuique homini suæ vitæ vltimus prope est: tamen vtrumque latere voluit Deus, & quando veniat finis seculi, & quando sit in vnoquoque homine huius vitæ finis. Vis non timere diem occultum dum venerit? Inveniat te paratum. Cum ergo præpositi ad hoc sint, vt his qui subiecti sunt, consulant: nec ideo quod præsunt omnino

vtilitatem suam attendant, sed eorum, quibus ministrant. Quisquis ita præpositus est, vt in eo quod præpositus est, gaudeat, & honorem suum quærat, & commoda sua sola respiciat: se pascit, non oues. Ad hos sermo dirigitur. Audite tanquam oues Dei, & videte quemadmodum vos securos fecerit dominus. Qualescunque sint qui vobis præsunt, id est, qualescunq; nos sumus vobis: securitatem dedit, qui pascit oues Israel. Nam si Deus non deserit oues suas, mali pastores debitas pœnas luent, & oues promissa percipient. Videamus ergo quid alloquatur pastores seipsos pascentes, non oues, sermo diuinus neminē palpans: *Ecce lac consumitis, & lanis vos tegitis, & quod crassum est interficitis, & oues meas non pascitis. Quod informatum est, non confortastis: & quod ægrotauerat, non corroborastis: & quod tribulatum est, non colligastis: & quod errabat, non reuocastis: & quod perijt, non requisistis: & quod forte fuit, confregistis: & dispersæ sunt oues meæ, eo quod non sit pastor.* Dicitur ad pastores pascentes seipsos, non oues, quid diligant, quid negligant. Quid ergo diligunt? *lac consumitis.* Propter quod & Apostolus dicit: *Quis plantat vineam, & de fructu eius non sumit? quis pascit gregem, & de lacte gregis non percipit?* Inuenimus ergo lac esse gregis, quicquid à plebe distribuitur præpositis, ad sustentandum victum temporalem. Inde enim loquebatur Apostolus, cum hæc diceret quæ commemoraui. Et quidem Apostolus quanquam elegerit manibus suis transigi, & nec ipsum lac quærere ab ouibus: tamen lactis percipiendi potestatem habere se dixit, & sic dominum disposuisse, *vt qui euangelium annunciant, de euangelio viuant.* Et dicit alios coapostolos suos vsos fuisse hac potestate non vsurpata, sed data. Plus ille fecit, vt nec quod debebat, acciperet. Ipse ergo donauit & debitum, sed ab alijs non exigit indebitum. Ille plus fecit, fortassis enim ipsum significabat, qui ægrum cum adduceret ad stabulum, dixit: *Si quid amplius erogaueris, in redeundo reddam tibi.* De his ergo qui non indigent lacte gregis, quid plura dicamus? Misericordiores sunt, vel potius ipsius misericordiæ officium largius impendunt: possunt, & quod possunt faciunt. Laudentur hi, nec damnentur illi. Nam & ipse Apostolus datum non quærebat. Fructuosas tamen oues suas esse cupiebat, non steriles sine lactis vbertate. Itaque cum esset quodam tempore in magna indigentia, vinctus in confessione veritatis: missum est illi à fratribus vnde necessitati & indigentiæ eius ministraretur. Respondit autem illis gratias agens, & dixit: *Benefecistis communicantes necessitatibus meis: ego enim didici in quibus sum, sufficiens esse. Scio & abundare, noui & penuriam pati. Omnia possum in eo qui me confortat. Verumtamen vos benefecistis, vsibus mittere meis.* Sed vt ostenderet in eo quod illi benefecerunt, quid ipse quæreret, ne inter illos esset, qui seipsos pascunt, non oues: non tam suæ gaudet subuentum esse necessitati, quam illorum gratulatur fœcunditati. Quid ergo ibi quærebat? *Non quia quæro,* inquit, *datum, sed requiro fructum. Non vt ego,* inquit, *explear, sed ne vos inanes remaneatis.* Qui ergo non possunt facere quod Paulus, vt manibus suis se transigant, accipiant de lacte ouium: sustentent suam necessitatem, sed non negligant ouium infirmitatem. Non hoc ibi quærant, tanquam commodum suum, vt ex necessitate penuriæ suæ videantur annunciare euangelium, sed hominibus illuminandis parent lucem verbi veritatis. Sunt enim tanquam lucernæ, sicut dictum est, *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes.* Et, *nemo accendit lucernam, & ponit eam sub modio sed super candelabrum, vt luceat omnibus qui in domo sunt. Sic luceat lumen vestrum coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum qui in cœlis est.* Si ergo tibi lucerna accenderetur in domo, nonne adijceres oleum, ne extingueretur? Porro lucerna non accepto oleo, non luceret. Non erat plane digna, quæ in candelabro poneretur, sed quæ continuo frangeretur. Vnde ergo viuitur, est necessitatis accipere, est charitatis præbere. Non tanquam venale sit euangelium, vt illud sit precium eius quod sumunt, qui adnunciant vnde viuant. Si enim sic vendunt, magnam rem vilipendunt. Accipiant sustentationem necessitatis à populo, mercedem dispensationis à domino. Non enim est idoneus populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate euangelii seruiunt. Non expectant illi mercedem nisi vnde & isti salutem. Quid autem istis increpatur, vnde arguuntur? quia cum lac sumerent, & lanis se tegerent, oues negligebant. Sua ergo tantum quærebant, non quæ Iesu Christi. Sed quoniam diximus, quid sit lac consumere: quæramus, quid sit lanis tegere. Qui præbet lac, potum præbet: & qui præbet lanam, honorem præbet. Ista sunt duo, quæ à populis quæruntur, qui seipsos pascunt, non oues: commodum supplendæ necessitatis, & fauorem honoris & laudis quærunt. Etenim vestimentum propterea bene intelligitur in honore, quia nuditatem contegit. Est enim vnusquisque homo infirmus. Et quid est, quisquis vobis præest, nisi quod vos estis? Carnem portat, mortalis est, manducat, dormit, surgit, natus est, moriturus est. Si ergo cogites quid sit, secundum seipsum homo est: & tu honorando tamen amplius velut contegis quod infirmum est. Videte cuiusmodi indumentum acceperat à bona Dei plebe idem Paulus cum diceret: *Sicut angelum Dei excepistis me. Testimonium enim vobis perhibeo quia si fieri posset, oculos vestros eruissetis & dedissetis mihi.* Sed cum tantus illi honor exhibitus esset, nunquid propter ipsum honorem sibi exhibitum ne forte negaretur, & minus ille cum argueret, laudaretur, pepercit errantibus. Nam si hoc fecisset esset inter illos, qui se ipsos pascunt, non oues, diceret ergo apud seipsum: Quid ad me pertinet? quis quod velit, agat. Victus meus saluus est, honor meus saluus est, & lac & lana satis est mihi. Eat quisque qua potest. Ergo integra tibi sunt omnia, si eat quisque qua potest? Nolo te præpositum facere. Vnum te constituo de ista plebe, si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Proinde ipse Apostolus cum eis commemoraret, quales fuerint erga illum, ne qua scilicet oblitus eorum honorificentiæ videretur, testimonium perhibet, quod sicut angelum Dei receperint eum: quod si fieri posset, oculos suos vellent eruere, & illi dare. Et tamen accedit ad ouem languidam, ad ouem putridam,

secare vulnus, non parcere putredini. *Ergo*, inquit, *inimicus factus sum vobis, prædicans veritatem?* Ecce & accepit de lacte ouium, sicut paulo ante commemorauimus. Et indutus est lanis ouium, sed tamen oues non neglexit. Non enim sua quærebat, sed quæ Iesu Christi. Absit ergo vt dicamus vobis, Viuite vt vultis: securi estote. Deus neminem perdet. Tantummodo fidem Christianam tenete. Non perdet ille quod redemit. Non perdet pro quibus sanguinem fudit. Et si spectaculis volueritis oblectare animos vestros, ite. Quid mali est festa ista, quæ celebrantur per vniuersam ciuitatem in lætitia conuiuantium, & publicis mensis seipsos (vt putant) iocundantium, re vera perdentium? Ite, celebrate securi: magna est Dei misericordia, quæ totum ignoscat. Coronare vos rosis antequam marcescant. In domo Dei vestri, quando volueritis, conuiuamini: implemini cibo & vino cum vestris. Ad hoc enim data est ista creatura, vt ea perfruamini. Non enim paganis & impiis dedit Deus, & vobis non dedit. Hæc si dixerimus, forte congregabimus turbas ampliores. Et si sunt quidam, qui sentiant nos hæc dicentes, nos recte sapere, paucos offendimus, sed multitudinem conciliemus. Quod si fecerimus, non verba Dei, non verba Christi dicentes, sed nostra: erimus pastores pascentes nosmetipsos, non oues. Cum autem dixisset, quæ diligant isti pastores, dicit & quæ negligant. Vitia enim ouium late iacent. Sanæ atque crassæ oues perpaucæ sunt, id est, solidæ in cibo veritatis, vtentes pascuis bene de munere Dei. Sed mali isti pastores non parcunt talibus. Parum est, quod illas languentes & infirmas & errantes & perditas non curant: etiam istas fortes & pingues necant, quantum in ipsis est: & illæ si viuunt, de misericordia Dei viuunt: tamen quantum ad pastores malus attinet, occidunt. Quomodo, inquit, occidunt? Male viuendo, malum exemplum præbendo. An frustra dictū est seruo Dei eminenti in membris summi pastoris: *Circa omnes teipsum bonorum operum præbens exemplum, & forma esto fidelibus?* Attendit enim ouis, etiam fortis, plerumque præpositum suum male viuentem, si declinet oculos à regulis domini. Intendit in hominem, incipit dicere in corde suo: Si præpositus meus sic viuit, ego quis sum qui non faciam quod ille facit? Occidit ouem fortem. Iam de cæteris quid facit, quod illud, quod non ipse fructificauerat, sed forte aut robustum inuenerat, male viuendo interfecit? Dico charitati vestræ, ac iterum dico: Etsi viuunt oues, etsi fortes sunt oues in verbo domini, & tenent illud quod audierunt à domino suo: *Quæ dicunt, facite: quæ autem faciunt, facere nolite:* Tamen qui in conspecto populi male viuit, quantum in illo est, eum à quo attenditur, occidit. Non sibi ergo blandiatur, quia ille non est mortuus, & ille viuit, & ille homicida est. Quomodo cum lasciuus homo intendit mulierem ad concupiscendum, ecce illa casta est, & mœchatus iste. Domini enim vera & aperta est sententia: *Quisquis viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.* Non peruenit ad illius cubiculum, & interiore iam suo cubiculo volutatur. Sic omnis qui male viuit in conspectu eorum quibus præpositus est, quantum in ipso est, occidit etiam fortes. Qui imitatur, moritur: qui non imitatur, viuit, tamen quantum ad illum pertinet, ambos occidit. *Et quod crassum est*, inquit, *interfecistis, & oues meas non pascitis.* Iam audistis quid diligant: videte quid negligant. *Quod infirmatum est, non confortastis: & quod male habuit, non corroborastis: & quod contribulatum est, & quod confractum est, non colligastis: & quod errabat, non reuocastis: & quod periit, non inquisistis: & quod forte fuit, confregistis, interfecistis, occidistis.* Infirmatur ouis, id est, infirmum non corrigitur, vt non possit cedere tentationibus incauto & imparato superuenientibus, pastor negligens, quando credit talis, non illi dicit: Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia & timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Qui hæc enim loquitur, confortat infirmo, ex infirmo facit firmum, vt non ille, cum crediderit, prospera huius seculi speret. Si enim doctus fuerit sperare prospera seculi, ipsa prosperitate corrumpitur, superuenientibus aduersitatibus sauciatur, aut fortassis extinguitur. Non ergo eum ædificat super petram, qui sic ædificat, sed super arenam ponit. Petra autem erat Christus. Christi passiones imitandæ sunt, non à Christianis deliciæ conquirendæ sunt. Confortatur infirmus si ab illo non recesserit, retro cor tuum, cum ei dicitur: Spera, imminent quidem tentationes huius seculi, sed ab omnibus te eruet dominus. Nam ad confortandum cor tuum venit ille pati, venit ille mori, venit sputis inliniri, venit spinis coronari, venit opprobria audire, venit postremo ligno configi. Omnia hæc ille pro te: tu nihil non pro illo, sed pro te.

Quales autem sunt, qui timentes hos lædere, quibus loquuntur, non solum non præparant ad imminentes tentationes, sed etiam promittunt felicitatem huius seculi, quam Deus ipse seculo non promisit? Ille præcipit labores vsque in finem venturo ipsi seculo, & tu vis ab ipsis laboribus exceptum esse Christianum? quia Christianus est aliquid plus passurus in hoc seculo. Etenim ait Apostolus: *Omnes qui volunt in Christo pie viuere, persecutionem patientur.* Iam si tibi placet pastor, sua quærens, non quæ Iesu Christi: ille dicat. *Omnes qui volunt in Christo pie viuere, persecutionem patientur:* & tu dic, si in Christo pie vixeris, abundabunt tibi omnia bona. Et si filios non habes, suscipies & virtutes omnes, & nemo tibi morietur. Hæccine est ædificatio tua? Attende quid facias, vbi ponas. Super arenam est quem constituis. Venturus est imber, influxurus est fluuius, flaturus est ventus, impingent domum istam, & cadet: cadet, & fiet ruina eius magna. Leua de arena, pone super petram, in Christo sit, quem vis esse Christianum. Attendat ad passiones Christi indignas. Attendat illum sine vllo peccato, quæ non rapuit, exoluentem. Attendat scripturam dicentem sibi: *Flagellat omnem filium quem recipit,* & tu (dicis forte) exceptus eris? Si exceptus à passione flagellorum, exceptus à numero filiorum. Itane, inquies, *flagellat omnem filium?* prorsus flagellat omnem filium, vt vnicum. Vnicus ille de patris

substantia natus, æqualis patri in forma Dei, verbum per quod facta sunt omnia, non habebat vbi flagellaretur. Ad hoc carne indutus est, vt sine flagello non esset. Qui ergo flagellat vnicum sine peccato, reliquit cum peccato adoptatum. In adoptionem vocatos nos esse Apostolus dicit. *Adoptionem filiorum accepimus, vt essemus vnico coheredes*, i. e. essemus etiam hæreditas eius. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam.* Exemplum enim nobis proposuit in passionibus suis. Sed plane, ne futuris tentationibus deficiat infirmus; nec falsa spe decipiendus est, nec terrore frangendus; dic ei: Præpara animam tuam ad tentationem. Et forte incipit labi, contremiscere, nolle accedere? habes & aliud: Fidelis Deus qui non vos sinet tentari supra quam potestis ferre. Illud enim promittere & prædicere venturas passiones, infirmum confirmare est. Timenti autem nimium, & ex hoc deterrito eum polliceris misericordiam Dei, non quia tentationes deerunt, sed quia non promittit tentari supra quam ferre potest, fructum colligere est.

Sequitur: *Quod infirmatum est*, inquit, *non confortastis.* Pastoribus malis dicit, pastoribus falsis, pastoribus sua quærentibus, non quæ IESV CHRISTI, & commodo lactis & lanæ gaudentibus, oues omnino non curantibus. Et quod male habuit, non corroborastis. Inter infirmum (id est, non firmum) & ægrotum (id est, male habentem) hoc mihi videtur interesse. Etenim inter ista fratres, quæ distinguere vtcunque conamur, forte & nos possumus maiori diligentia melius distinguere, quàm alius peritior vel lumine cordis plenior, interim ne fraudemini, quod sentio, loquor. Infirmo, ne accidat tentatio, & cum frangat, timendum est. Languens autem, iam cupiditate aliqua ægrotat, iam cupiditate aliqua impeditur ab intranda via Dei, à subeundo iugo Christi. Qui ergo videntur feruere in operibus bonis, sed imminentes passiones tolerare nolle, aut non posse, infirmi sunt. Qui vero aliqua cupiditate mala amatores mundi ab ipsis bonis operibus reuocantur, languidi & ægroti iacent. Quippe qui ipso languore, tanquam sine vllis viribus, nihil boni possunt operari.

Sequitur: *Et quod errabat, non reuocastis: & quod periit, non inquisistis.* Hic inter manus latronum & dentes luporum furentium, vtcunque versamur: & contumaces sunt oues, quia quæruntur errantes. Alienos se à nobis dicunt, errore suo & perditione sua: Quid nos vultis, inquiunt, quid nos quæritis? Si in errore, inquit, sum, si in interitu, quid me vis? quid me quæris? Quia in errore es, reuocare volo: quia periisti, inuenire volo. Sic volo errare, sic volo perire. Sic vis errare? sic vis perire? Quanto melius ego nolo? prorsus audeo dicere, importunus sum. Audio dicentem Apostolum: *Prædica verbum, insta opportune, importune.* Quibus opportune? quibus importune? Opportune vtique volentibus, importune nolentibus. Prorsus importunus sum. Audeo dicere. Tu vis errare? tu vis perire? Ego nolo. Reuocabo errantem, requiram pereuntem. Velis nolis, id agam, etsi me inquirentem laniant vepres syluarum. Per omnia angusta me coarctabo. Omnes sepes excutiam, quantum mihi virium terrens dominus donat. Omnia peragrabo, reuocabo errantem, requiram pereuntem. Si me pati non vis, noli errare, noli perire. Parum est quod doleo te errantem atque pereuntem timeo, ne negligens te, etiam quod forte est, occidam. Vide enim quid sequitur:

Et quod forte fuit confregistis. Si neglexero errantem atque pereuntem, & eum qui fortis est, delectabit errare & perire. Cupio lucra exteriora: sed timeo plus damna interiora. Si indifferentem habuero errorem tuum, attendit qui fortis est, cum te perditum non requiro: & putat nihil esse, ire in hæresim. Non frustra ergo cum iam dixisset superius, *quod crassum est, interfecistis*; hic iterum in nouissimo posuit, *Et quod forte fuit, confregistis.* Proinde audi quid sequatur de ista negligentia malorum, imo falsorum pastorum: *Et dispersæ sunt oues meæ, eò quod non sit pastor: & factæ sunt in comesturam omnibus bestiis agri.* Furantur lupi insidiantes, rapiunt leones frementes, cum oues adhærent pastori, nam præsens est pastor: sed male agentibus non est pastor, & inhærent pastoribus non pastoribus, seipsos videlicet, non oues, pascentibus: ac lætalis error consequitur. Sunt in bestias deprædantes se, & de illorum morte se satiare cupientes. Tales enim, omnes qui gaudent de erroribus alienis. Dispersæ sunt & errauerunt oues meæ in omnem montem, & in omnem collem altum: hoc est, in omnem tumorem terrenæ superbiæ. Mons enim & collis, tumor terrenus & superbia seculi intelligitur. Sunt enim & montes boni, de quibus propheta dicit: *Leuaui oculos meos ad montes, vnde veniet auxilium mihi.* In omnem montem, & in omnem collem, & in omnem faciem terræ lucent, & in omnem faciem terræ dispersæ sunt, omnia terrena sectantes. Ea quæ in faciem terræ lucent, ipsa emunt, ipsa diligunt. Nolunt mori, vt abscondatur vita eorum in Christo.

Propterea pastores audite sermonem domini. *Viuo ego, dicit dominus Deus: Ecce ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas sicut visitat pastor gregem suum.* Non curauerunt mali pastores: non enim suo sanguine redemerunt. *Sicut visitat*, inquit, *pastor gregem suum in diem.* In qualem diem? *Cum fuerit nimbus & nubes*, id est, pluuia & nebula. Error seculi huius, caligo magna surgens de cupiditatibus hominum & nebula valida contegens terram. Et difficile est, vt non errent oues in ista nebula: sed pastor non deserit eas, inquirit eas; penetrat nebulam oculis validis & acutissimis, non impeditur caligine nubium. Videt vndique, errantem reuocat, tantum vt fiat, quod dicit in euangelio: *Quæ sunt oues meæ, audiunt vocem meam, & sequuntur me.* In medio ouium dispersarum, Sic inquiram oues meas, & reducam eas ex omni loco quo dispersæ sunt illic; in die nubis & nimbi, quando difficile inueniri est, tunc ego inueniã, crassa est nebula, pinguis nimbus est, oculos eius nihil latet. *Et educam eas de gentibus, & colligam eas de regionibus, & inducam eas in terram earum, & pascam eas super montes Israel.* Constituit super montes Israel autores scripturarum diuinarum. Ipse pascite, vbi secure pascatis. Quic-

quid

quid inde audieritis, hoc vobis bene sepiat: quicquid extre. respuite: ne erretis in nebula. Audite vocem pastoris: colligite vos ad montem scripturæ sanctæ. Ibi sunt deliciæ cordis vestri, ibi nihil venenosum, nihil alienum. Vberrima pascue sunt, vos tantum sane venite, sane pascimini in montibus Israel, & in riuis, & in omni habitatione terræ, à montibus enim quos ostendimus, manauerunt riui prædicationis Euangelicæ, cum in omnem terram exiuit sonus eorum. Et facta est omnis habitatio terræ pascendis ouibus lata atque fœcunda. *In pascuis bonis pascam eas, & in montibus altis Israel: & erunt stabula eorum illic*, hoc est, vbi requiescant, & ibi dicant, bene est, vbi dicant verum & manifestum. Non fallimur gloria Dei. *Requiescent tanquam in illis stabulis, & dormient*, hoc est, requiescent. *Et requiescent in delicijs suis bonis, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israel.* Sequitur: Quod enim primum curauit, iterum dicit: *Hæc dicit dominus Deus: Quod perijt, requiram: & quod errans, reuocabo: & quod comminutum est, colligabo: & quod exanime est, confortabo: & quod pingue est & forte, custodiam.* Quod faciebant mali pastores, seipsos pascentes, non oues Non, ait dominus: constituam alios bonos pastores, qui faciant hæc, sed ego, inquit, faciam: oues meas nulli committam. Securi vos fratres, securæ vos oues. Nobis videtur timendum, quasi absit bonus pastor, audite sic: *Et pascam eas cum iudicio.* Vide quia scilicet solus pascit, cum iudicio pascens. Quis enim homo certum iudicat de homine? temerarijs iudicijs plena sunt omnia. De quo desperauimus, subito conuertitur, & fit optimus: de quo præsumpsimus, subito deficit, & fit pessimus. Nec timor ergo noster certus est, nec amor noster certus est. Quid sit hodie quisque homo, vix nouit ipse homo; tamen vtcunque ipse quid hodie: quid autem cras, nec ipse. Pascit ergo ille cum iudicio, dispertiens propria proprijs. Nouit enim quid agat. Cum iudicio pascit, quos iudicatos redemit. Sequitur: *Absit vt desint modo boni pastores.* Absit à nobis vt desint. Absit à misericordia ipsius, vt non eos gignat atque constituat. Vtique si sunt bonæ oues, sunt & boni pastores. Nam de bonis ouibus fiunt boni pastores. Sed omnes boni pastores in vno sunt, Vnum sunt. Illi pascant. Christus pascit. Sint ergo omnes in pastore vno, & dicant vocem pastoris vnam, quem audiant oues, & sequantur pastorem suum, & non illum aut illum, sed vnum. Et omnes in illo vna voce dicant, diuersas voces non habeant.

GREGORIVS *De pastoribus animarum, quales eligi debeant.*

Cap. XIII.

CVm rerum necessitas exposcit, pensandum valde est, ad culmen cuiusque regiminis qualiter quisque veniat: atque ad hoc rite perueniens, qualiter viuat: & bene viuens, qualiter doceat: & recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat, ne aut humilitas accessum fugiat, aut peruentioni vita contradicat, aut vitam doctrina destituat, aut doctrinæ præsumptio extollet. Prius ergo appetitum timor temperet: post autem magisterium quod non à quærente suscipitur, vita commendet. Ac deinde necesse est, vt pastoris bonum, quod viuendo ostenditur, loquendo propagetur. Ad extremum verò superest, vt perfecta quæque opera consideratione propriæ infirmitatis deprimat, ne hoc ante occulti iudicis oculos, tumor elationis extinguet. Esaias quoque ait: *Clama, ne cesses, sicut tuba exalta vocem tuam.* Præconis nanque officium suscipit, quisquis ad sacerdotium accedit, vt ante aduentum iudicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Fortes perseuerantesque doctores, velut imputribilia ligna, quærendi sunt, qui instructioni sacrorum voluminum semper inhærentes, sanctæ Ecclesiæ vnitatem denuncient, & quasi intromissi circuli, arcam domini portent. Vectibus arcam testamenti portare, est bonis doctoribus sanctam Ecclesiam ad rudes infidelium mentes prædicando deduci. Qui auro quoque iubentur operiri, vt cum sermone alijs insonant, ipsi etiam vitæ splendore fulgescant. Necesse est igitur, vt qui ad officium prædicationis excubant, à sacræ lectionis studio non recedant. Ad hoc nanque vectes esse in circulis arcæ semper iubentur, vt cum portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur: quia videlicet cum spiritale aliquid à subditis pastor inquiritur, ignominiosum valde est, si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare. Circulis arcæ fœderis vectes inhæreant, vt doctores semper in suis cordibus eloquia sacra meditantes, testamenti arcam sine mora eleuent, si quicquid necesse est, protinus docent. Vnde bene primus pastor Ecclesiæ pastores cæteros admonet, dicens: *Parati semper estote ad satisfactionem de ea, quæ in nobis est, spe.* Ac si aperte dicat, vt ad portandam arcam mora nulla præpediat, vectes à circulis nunquam recedant. Sancti viri dum præsunt, non in se potestatem ordinis, sed æqualitatem conditionis attendant: nec præesse gaudeant hominibus, sed prodesse. Sciant enim quod antiqui patres nostri, non tam reges hominum, quam pastores pecorum fuisse memorantur.

Cum Noæ dominus filijsq; eius post diluuium diceret, *Crescite & multiplicamini, & implete terrã*, subdidit: *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ.* Homo quippe animalibus irrationalibus, non autem cæteris hominibus, naturæ prælatus est. Idcirco ei dicitur, vt ab animalibus, non ab homine timeatur, quia contra naturam superbire est, ab æquali velle timeri. Cuncti qui præsunt, non

in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis. Nam sicut præfati sumus, antiqui patres nostri, pastores pecorum, & non reges hominum, fuisse memorantur. Necesse est ergo, vt rectores à subditis timeantur, quando ab eisdem Deum minime timeri depræhendunt, vt humana saltem formidine peccare metuant, qui diuina iudicia non formidant. Nequaquam præpositi subiectorum timore superbiant, in quo non suam gloriam, sed subditorum iustitiam quærunt. In eo autem quod metum sibi à peruerse viuentibus exigunt, quasi non hominibus, sed animalibus dominantur: quia videlicet ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam formidini iacere substrati. Facies sanctæ Ecclesiæ sunt hi, qui in locis regiminum positi, apparent primi, vt ex eorum specie honor sit fidelis populi, etiam si quid in corpore latet deforme. Qui nimitum prælati plebibus, plangunt culpas infirmantium, seque de alienis lapsibus, ac si de propriis, affligunt. Sæpe rectores boni dum quosdam vident ad veniam post culpas redire, quosdam vero in iniquitate persistere, occulta omnipotentis Dei iudicia mirantur, sed penetrare nequeunt. Obstupescunt enim quæ non intelligunt. Ille modis omnibus debet ad exemplum viuendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens, iam spiritaliter viuit, qui prospera mundi postposuit, qui nulla aduersa pertimescit, qui sola interna desiderat, cuius intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem, nec valde per contumeliam corpus repugnat. Ipse nihilominus ad dignitatem pastoralis officii debet prouehi, qui ad aliena capienda non ducitur, sed propria largitur: qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed non plusquam decet ignoscens, ab aree rectitudinis inclinatur: qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis, vt propria, deplorat: qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi, sicut in suis prouectibus, lætatur. Ad dignitatem pontificalis excellentiæ recte peruenis, qui ita se imitabilem cæteris in cunctis quæ agit, insinuat, vt inter eos non habeat quod saltem de transactis erubescat: qui sic studet viuere, vt proximorum quoque corda arentia, doctrinæ valeat fluentis irrigare: qui orationis vsu experimento iam didicit, quod obtinere à domino, quæcunque poposcerit, possit; cui per affectus sui vocem iam quasi specialiter dicitur: *Adhuc loquente te, dicam, Ecce adsum.* Si forasse quispiam veniret, vt pro se ad intercedendum nos apud potentem quempiam virum, quia sibi iratus, nobis vero est incognitus, ducat protinus respondemus: Ad intercedendum venire non possumus, quia familiaritatis eius notitiam non babemus. Si ergo homo apud hominem, de quo minime præsumit, fieri intercessor erubescit, qua mente apud dominum intercessionis locum pro populo artipit, qui familiarem se eius gratiæ esse per vitæ meritum nescit? Ab eo autem quomodo alius veniam postulat, qui, vtrum sibi sit placatus, ignorat: qua in re est adhuc aliud solicitius formidandum, ne qui placare iram posse creditur, hunc ipse ex proprio reatu mereatur. Cuncti liquido nouimus, quia cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, iratus animus ad deteriora prouocatur. Qui adhuc terrenis desideriis stringitur, caueat ne districti iram iudicis grauius accendens, dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis author ruinæ. Solerter se quisque metiatur, ne locum regiminis assumere audeat, si adhuc in se vitium damnabiliter regnat, ne is quem crimen deprimit proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum.

GREGORIVS *Vt indigni ac imperiti ad pastorale magisterium non accedant.*

Cap. XIIII.

SVnt plerique pastorum, qui dum metiri se nesciunt, quæ non didicerunt, docere concupiscunt. Qui pondus magisterii tanto leuius æstimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant. Vt quia indocti ac præcipites doctrinæ arcem tenere appetunt, à præcipitationis suæ ausibus in ipsa locutionis ianua repellantur. Nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando ars est artium, regimen animarum? Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpe qui nequaquam spiritalia præcepta cognouerunt, cordis se medicos profiteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. Sunt nonnulli, qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis, gloriam affectant honoris. Videri doctores appetunt, transcendere cæteros concupiscunt, attestante veritate. Primus recubitus in cœnis, primas in conuentibus cathedras quærunt, qui susceptum curæ pastoralis officium ministrare digne tanto magis nequeunt, quanto ad humilitatis magisterium ex sola elatione peruenerunt. Ipsa quippe in magisterio lingua confunditur, quando aliud discitur, & aliud docetur. Contra indignos pastores Dominus per prophetam queritur, dicens: *Ipsi regnauerunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognoui.* Ex se nanque, & non ex arbitrio summi rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaqum diuinitus vocati, sed sua cupiditate accensi, culmen regiminis rapiunt potius quam assequuntur. Inutiles sacerdotes internus iudex & prouehit, & non cognoscit: quia quos permittendo tolerat, profecto per iudicium reprobationis ignorat. Vnde ad se quibusdam & post miracula venientibus dicit: *Recedite à me operarii iniquitatis: nescio qui estis.* Pastorum imperitia voce veritatis

veritatis increpatur, cum per prophetam dicitur: *Ipsi pastores ignorauerunt intelligentiam.* Quos rursus Dominus detestatur, dicens: *Et teneates legem, nescierunt me.* Et nesciri ergo se ab eis veritas conqueritur, & nescire se principatum nescientium protestatur: quia profecto hi, qui ea quæ sunt domini, nesciunt, à domino nesciuntur, Peulo attestante qui ait: *Si quis autem ignorat, ignorabitur,* plerumqoe pastorum imperitia meritis congruit subiectorum: qua quamuis lumen scientiæ, sua culpa exigente, non habeant: districto tamen iudicio agitur, vt per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur, offendant, hinc namque in Euangelio per semetipsem veritas dicit: *Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in neam cadunt.* Hinc Psalmista non optantis aoimo, sed prophetantis mysterio, denunciat, dicens: *Obscurentur oculi eorum ne videant, & dorsum eoram semper incurua.* Oculi, qui præsunt, qui in ipsa honoris summa facie positi, prouidentis itineris officium susceperunt. Quibus bi nimirum qui subsequenter inhærent, dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis, dorsum flectitur: quia cum lumen scientiæ perdunt qui præeunt, profecto ad portanda peccatorum curuantur onera qui sequuntur. Indigni quippe, teon reatus pondera fugerent, si veritatis sententiam solicita cordis aure pensarent, qui ait: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.* Ne temerare sacra regimina, quisquis his impar est, audeat: & per concupiscentiam culminis, ducatum suscipiet perditionis Hinc enim pie Iacobus prohibet, dicens: *Nolite plures magistri fieri fratres mei.* Hinc ipse Dei hominumque mediator, regnum percipere vitauit in terris: qui supernorum quoque spirituum scientiam sensumque transcendeos, aote secula regnat in cælis. Plerumque qui aduersitatis magisterio sub disciplina comprimitur: quod si ad regiminis culmen peruenerit, vel eruperit in elationes protinus vsu gloriæ permutatur. Sic Saul, qui indignum se prius considerens, fugerat: mox vt regni gubernacula suscepit, intumuit. Hoonrari nanque coram populo cupiens, dum repræhendi publice ooluit, ipsum tamen qui in regno se vnxerat, scidit. Dauid propheta, authoris iudicio pene in cunctis actibus placens, mox vt pressuræ pondere caruit, in tumorem vulneris erupit: factusque est in morte viri crudeliter rigidus, qui io appetitu fœminæ eneruiter fuerat flexus. Et qoi malis ante pie nouerat parcere, in bonorum quoque nece post didicit sine obstaculo retractationis enhelare. Prius quippe ferire depræhensum persecutorem noluit, & post cum damno desudantis exercitus, euem deuotnm militem extinxit. Quem profecto ab electorum numero culpa longius raperet, nisi hunc ad veniam flagella reuocassent. Plerunque qui subire magisteriom pastorale cupiuot, nonoulla quoqoe bona opera animo proponont. Et quamuis hoc elationis intentione appetant, operaturos tamen se magna pertractant. Fitque vt aliud in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitantis ostendat. Nam sibi ipsa de se mens sæpe mentitur, & fingit se de bono opoere amare; quod oon amet: de mundi eutem gloria non amare, quod amet. Sæpe mens principeri appetens, fit ed hoc pauida, cum quærit: audax, cum peruenerit. Tendens enim, ne non perueniat, trepidat: sed repeote perueniens iure sibi hoc debitum, ed quod peruenerit, putat. Cumque percepto principatus officio perfrui seculariter cœperit, libenter obliuiscitur quicquid religiose cogitauit. Necesse est enim, vt cum cogitatio extre vsum ducitur, protinus mentis oculis ad opera transacta reuocent: ac penset quisque, quid subiectus egerit: repente cognoscet, si prælatus bone agere, quæ proposuerit, possit. Nequaquam velet in culmine humilitatem discere, qui in imia positos, oon desiit superbire. Nescit laudem, cum suppetit, fugere: qui ad hanc didicit, cum deesset, anhelare. Nequaquam vincere euaritiem potest, quendo ed multorum sustentationem tendit is, coi sufficere propria nec soli potuerunt. Ex ante acta ergo vita se quisque inueniat, nec appetitu culminis, imago se cogitationis illudat. Plerumque in occupatione regiminis, ipse quoque boni operis vsus perditur, qui in traoquillitate tenebantur: quie quieto mari, recte neuem & imperitus dirigit: turbatus autem tempestatum fluctibus, etiam peritos se naota confundit. Quid est potestas culmiois, nisi potestas mentis, in qua cogitationum semper procellis nauis cordis qoatitur, huc illucque incessanter impellitur, vt per repentinos excessua oris & operis, quasi per obuiantia saxa frangatur? inter hæc quæ protulimus, quid sequendum est, qoid tenendum, nisi vt virtutibus pollens, coactus ad regimen veniat? virtutibus vacuus, oec coactus accedat? Ille si omoino renititur, caueat, ne acceptam pecuniam in sudario ligans, de eius occultatiooe iudicetur. Pecuniam quippe in sudario ligare, est, percepta dona sub ocio leoti torporis abscondere. Indignus qoippe cum regimen appetit, ettendat, oe per exemplum praui operis, Pharisæorum more, ad ingressum regni tendentibus obstacolom fiat. Qui iuxta vocem magistri, nec ipsi intrant, nec alios iotrare permittunt. Considerandum quoque est, quie cum causam populi electus præsul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Si ergo adhuc eius in opere passiones viuunt, qua præsumptione percussum mederi properat, qui io facie vulnus portat?

ISIDORVS *DE INDIGNIS PRAEPOSITIS.*

Caput XV.

NOn sunt promouendi ad regimen Ecclesiæ, qui adhuc vitiis subiacent. Hinc est qood præceptum est Dauid, oon ædificere visibile templum, quia sanguinem vir belli frequentia esset. Qua figura illi spiritaliter admoneotur, qui adhuc corruptioni sunt dediti, ne templum ædificent: hoc est, Ecclesiam docere præsumant. Non debet honoris ducatum suscipere, qui nesci-

...nte vitæ melioris præire. Neque enim quisque ad hoe præficitur,'vt subditerum ...igat, & ipse vitiis seruiat. Qui se indignum ad Episcopatum existimat, locum eius qui di-...it, non præsumat. Nam tam sanctum est sacerdotii nomen, vt nulla vitiorum nota maculari se ... Grauius enim condemnabitur, qui indignus suscipit, quod non meretur. Qui regimen sacerdo-tii contendit appetere, ante in se discutiat, si vita honori sit congrua. Quod non discrepat, humiliter ad id, ad quod vocatur, accedat. Reatum quippe culpæ geminat, si quis cum culpa ad sacerdotale culmen aspirat. Vniuscuiusque casus tanto maioris est criminis, quanto erat priusquam caderet, maioris virtutis. Præcedentium namque magnitudo virtutum, crescit accumulum sequentium de-lictorum. Plerique sacerdotes, suæ magis vtilitatis causa, quem gregis præesse desiderant: nec vt pro-sint, præsules fieri cupiunt: sed magis, vt diuites fiant & honorentur. Suscipiunt enim sublimitatis cul-men non pro pastorali regimine, sed pro solius regiminis vel honoris ambitione. Atque abiecto opere dignitatis, solam nominis appetunt dignitatem, dum mali sacerdotes Deo ignorante non fiant, tamen ignorantur à Deo, ipso per prophetam testante: *Principes extiterunt, sed non cognoui.* Sed hic nescire Dei, reprobare est: nam Deus omnia nouit.

ISIDORVS *DE INDOCTIS PRAEPOSITIS.*

Caput XVI.

SIcut iniqui & peccatores ministerium sacerdotale assequi prohibentur, ita indocti & imperiti à tali officio retrahuntur. Illi enim exemplis suis vitam bonorum corrumpunt, isti sua ignauia iniquos corrigere nesciunt. Quid enim docere poterunt, quod ipsi non didicerunt? Desinat locum docendi suscipere, qui nescit docere: Ignorantia quippe præsulum, vitæ non congruit subiectorum. Cæcus enim si cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt. Sacerdotes indoctos per Esaiam prophetam ita dominus reprobat: *Ipsi* inquit, *pastores ignorauerunt intelligentiam.* Et iterum: *Speculatores eius cæci omnes,* id est, imperiti Episcopi. *Nescierunt,* inquit, *vniuersi canes muti, non valentes latrare:* hoc est, plebes commissas non valentes resistendo malis, per verbum doctrinæ defendere.

GREG. *DE HIS QVI REGIMINE PRODESSE possunt, sed idem officium per quietem propriam refugiunt.*

Caput XVII.

SVnt nonnulli, qui nimia virtutum dona percipiunt, & pro exercitatione cæterorum, magnis mu-neribus exaltantur. Qui studio castitatis mundi, abstinentiæ robore validi, doctrinæ dapibus * re-fecti, patientiæ longanimitate humiles, authoritatis fortitudine erecti, districti sunt. Qui nimirum culmen regiminum si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis acceperunt. Cumque sua & non aliorum lucra cogitant, ipsis se, qui priuata habere appetunt, bonis priuant. Discipulis in Euangelio veritas dicit: *Non potest ciuitas abscondi sub montem posita: neque accendunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo sunt.* Hinc Petro dominus ait: *Simon Ioannis, amas me?* Qui cum se amare protinus respondisset, audiuit: *Si diligis me, pasce oues.* Si ergo dilectionis est testimonium, cura pastio-nis: quisquis virtutibus pollens, gregem Dei renuit pascere, pastorem summum conuincitur non a-mare. Si nostri, sicut proximi, curam gerimus, quasi vtrumque pedem per calceamentum munimus. Qui vero sua cogitans, vtilitatem proximorum negligit, quasi vnius pedis calceamentum cum dede-core amittit. Sunt nonnulli, qui magnis muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis in-ardescunt, parere vtilitati proximorum in prædicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, seces-sum prædicationis vel speculationis appetunt: de quo si districte iudicentur: ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. Qua enim mente is, qui proximis pro fu-turus enitesceret, vtilitati cæterorum secretum proponit suum: quando ipse summi patris vnigenitus, vt multis prodesset, de sinu patris egressus est ad publicum nostrum? Sunt nonnulli, qui ex sola humili-tate refugiunt, ne his quibus se impares æstimant, præferantur: Quorum profecto humilitas, si cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante oculos Dei vera est, cum ad respuendum hoc, quod vtiliter subire præcipitur, pertinax non est. Neque enim vere est humilis, qui superni nutus arbitrium, vt de-bet præesse, intelligit, & tamen contemnit. Diuinis dispositionibus subditus, atque à vitio obstina-tionis alienus, cum sibi regiminis culmen ingeratur si iam donis præuentus est, quibus & aliis prosit: & ex corde debet fugere, & inuitus obedire.

* referti,

ISIDORVS *DE PRAEPOSITIS ECCLESIAE.*

Caput XVIII.

VIr Ecclesiasticus & crucifigi mundo per mortificationem propriæ carnis debet, & dispensatio-nem Ecclesiastici ordinis, si ex Dei voluntate prouenerit, nolens quidem, sed humilis, guber-nandam suscipiat. Multis intercipit satanas fraudibus eos, qui vitæ & sensus vtilitate præstantes, præesse & prodesse aliis nolunt. Et dum eis regimen animarum imponitur, renunciant, consultius arbitrantes ociosam vitam degere, quam lucris animarum insistere. Quod tamen decepti agunt per argumentum diaboli, fallentis eos per speciem boni: vt dum illos à pastorali officio retrahit, nequa-

quam

quam proficiant, qui eorum verbis & exemplis poterant instrui. Viri sancti nequaquam occupationum secularium euter appetunt: sed occulto ordine sibi superimpositas gemunt. Et quamuis illas per meliorem intentionem fugiant, tamen per subditam mentem portant. Quas quidem summopere, si liceat, vitare festinant; sed timentes occultam dispensationem Dei, suscipiunt quod fugiunt, exercent quod vitare noscuntur. Intrant enim ad cor, & ibi consulunt, quid velit occulta voluntas Dei: seseque subditos debere esse summis ordinationibus cognoscentes, humiliant ceruicem cordis iugo diuinæ disensationis.

PROSPER. *QVOD SACERDOTES SANCTI contemplatiuæ vitæ sunt participes.*

Caput XIX.

QVI diligenter de vita contemplatiue considerat, & sufficienter instructus intelligit, quando & vbi possit eius perfectio comprehendi: non dubitabit, Ecclesiarum principes vitæ contemplatiuæ posse & debere fieri sectatores: quia siue secundum opinionem quorundam, nihil aliud sit vita contemplatius, quem rerum latentium, futurorumque notitia: siue vacatio ab omnibus occupationibus mundi, siue diuinarum studium literarum, siue (quod his probatur esse perfectius) ipsa visio Dei: non video quid impedimenti sanctis sacerdotibus possit afferri, quo minus ad hæc quatuor, quæ commemoraui, perueniant. Duo enim, primum & vltimum, id est, rerum latentium, futurorumque notitia, & ipsa visio Dei, incomparabiliter præstantiora erunt in illa vita beata, quam in ista diuersis erroribus implicata, Quandoquidem tam rerum omnium notitia, quam ipsa Dei substantia, plene ac perfecte videbitur. Duo autem media, vacationem videlicet ab omnibus occupationibus mundi, & diuinarum studium literarum, etiam hic possunt habere pontifices. Sed illi, qui se ab omnibus implicamentis negociorum secularium remouentes, non torpent ocio, sed insistunt perfectionis suæ negocio, & ab stultitia sapientiæ secularis auersi, verbo Dei infatigabiliter vacant, sapientes veraciter fiunt, cælestia sapiunt, terrena despiciunt: contradicentes sanæ doctrinæ redarguunt: obedientes instituunt: sanctis virtutibus, quibus in dies fiant Deo propinquiores, incumbunt: tam suis quam omnium qui per eos erudiuntur, prouectibus clari. Hic quidem velut gustum quendam contemplatiuæ vitæ, quo ad eum feruentius prouocentur, accipiunt: sed ibi iam in æternum felices effecti, de eius perfectione gaudebunt. Proinde non inflantur, quia hic omnium fidelium catholicorum honorantur vt capita: sed lætantur potius, quia ibi Christi, qui est sacerdotum ac omnium fidelium caput, clariora membra futuri sunt. At si (quod absit) secularibus negociis implicati, fundorum terminos sine termino cupiditatis extendunt, ac se passim exquisitis deliciis addicant, quæ animum corpusque debilitant, si gloriam non Christi, sed suam, decepti vulgi adulantis honoribus, quærant: plusque de se alienæ linguæ, quam suæ conscientiæ credant: si omnino gaudium suum, non in futurorum remuneratione, nec sanctitate vitæ, sed in sua tantum dignitate constituant: & dum tales esse, quales creduntur, amant, nunquam sibi displiceant: ac placentes sibi, non sint de sua correctione soliciti: quis non intelligat tales, si in talibus perseuerent, nec se ante finem præsentis vitæ participes esse non posse, ad quam non perueniunt, nisi qui studuerunt esse quod facti sunt, nec affectant videri, sed esse quod sunt? Non alienis laudibus, sed moribus suis eximii: nec solum de sua dignitate, sed potius de sacerdotalis vitæ nobilitate conspicui: qui sunt non appellatione tenus, sed virtute pontifices, vitæ contemplatiuæ capaces, & gaudiorum cælestium cohæredes.

ISIDORVS *DE DOCTRINA ET EXEMPLIS præpositorum.* *Caput XX.*

TAm doctrina quam vita clarere debet Ecclesiasticus ordo. Nam doctrina sine vita, arrogantem reddit. Vita sine doctrina, inutilem facit. Sacerdotis prædicatio, operibus confirmanda est, ita vt quod docet verbo, instruat exemplo. Vera enim est illa doctrina, quam viuendi sequitur forma. Nam nihil turpius est, quam si bonum, quod quisque prædicat, explere opere negligat. Tunc enim prædicatio vtiliter profertur, quando efficaciter adimpletur. Vnusquisque doctor, & bonæ actionis & bonæ prædicationis habere debet studium, nam alterum sine altero, non facit perfectum, sed præcedat iustus bene agere, vt sequanter possit bene docere. Sicut in numismate metallum, figura, & pondus inquiritur, ita in omni doctore Ecclesiastico, quid sequatur, quid doceat, quomodo viuat. Per qualitatem igitur metalli, doctrine: per figuram, similitudo patrum: per pondus, humilitas designatur. Qui ergo ab his tribus discrepauerit, non metallum, sed terra erit.

GREG. *DE HVMILITATE PRAEPOSITORVM.*

Caput XXII.

SIt rector discretus in silentio, humilis in verbo: ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium hos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Sit rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum iustitiæ erectus: vt & bonis in nullo se præferat, & cum prauorum culpa exigit, potestatem protinus sui prioratus agnoscat: quatenus & honore suppresso, æqualem se subditis bene viuentib. deputet, & erga peruersos viros rectitudinis iura nō exercere formidet. Omnes homines natura æquales

genuit;

geouit: ſed variante meritorum ordine, alios aliis culpa poſtponit. Ipſa autem diverſitas, quæ acceſſit ex vitio, diuino iudicio diſpenſatur: vt quia omnis homo æque ſtare non valet, alter regatur ab altero. Cuncti qui præſunt, non in ſe poteſtatem debent ordinis, ſed æqualitatem penſare conditionis: nec præeſſe hominib gaudeant, ſed prodeſſe. Quam videlicet potentiam bene regit, qui & tenere illam nouerit, & impugnare. Bene hanc gerit, qui ſcit per illam ſuper culpas erigi, ſcit cum cæteris illa æqualitate componi. Quam tamen poteſtatem rectè diſpenſat, qui ſolicite nouerit & ſumere ex illa quod adiuuat, & expugnare quæ temptat: & æqualem ſe cum illa cæteris cernere, & tamen ſe peccantibus zelo vltionis anteferre. Prædicator quisque ſtudeat, vt minas potentium ratiocinatione mitiget: & oppreſſorum anguſtias, quantum præualet, ope leuet: vt foris reſiſtentibus opponat patientiam, & intus ſuperbientibus exhibeat cum patientia diſciplinam: vt erga errata ſubditorum ſic manſuetudo zelum temperet, quatenus à iuſtitiæ ſtudio non eneruet. Sic ad vltionem zelus ferueat, ne tamen pietatis limitem feruendo tranſcendat. Rectoris officium eſſe debet, vt ingratos beneficiis ad amorem prouocet, vt gratos quosque miniſteriis in amore ſeruet: vt proximorum mala, cum corrigere non valet, taceat: & quæcunque corrigi loquendo poſſunt, ſilentium conſenſum eſſe pertimeſcat.

ITEM ISIDORVS *DE HVMILITATE PRAEpoſitorum. Cap. XXII.*

QVi præficitur ad regimen, taliter erga diſciplinam ſubditorum præſtare ſe debet, vt non ſolum authoritate, verum etiam humilitate clareſcat. Sed tamen ita erit in eo virtus humilitatis, ne diſſoluatur vita ſubditorum in vitiis: atque ita authoritas aderit poteſtatis, ne per tumorem cordis, ſeueritas exiſtat immoderationis. Hæc eſt in Dei ſacerdotibus vera diſcretio, quod nec per libertatem ſuperbi, nec per humilitatem fiunt remiſſi. Hinc eſt quod ſancti cum multa conſtantia redarguerunt etiam principum vitia: in quibus cum ſumma eſſet humilitas, loco tamen neceſſario liberè transgreſſores iuſtitiæ increpabant. Aliquando etiam ſubditis nos oportet animo eſſe humiliores, quorum facta ſubditorum iudicantur à nobis, noſtra vero Deus iudicat. Agnoſcat Epiſcopus ſeruum ſe eſſe plebi, non dominum. Verum hæc charitas, non conditio exigit.

ISIDORVS *DE DOCTRINAE DISCRETIONE. Caput XXIII.*

NOn omnibus vna eademque doctrina eſt adhibenda: ſed pro qualitate morum, diuerſa exhortatio erit doctorum. Nam quoſdam increpatio dura, quoſdam vero exhortatio corrigit blanda. Sicut periti medici ad varios corporis morbos diuerſo medicamine ſeruiunt, ita vt iuxta vulnerum varietates, medicina diuerſa ſit: ſic & doctor Eccleſiæ ſingulis quibusque congruum doctrinæ remedium adhibebit, & quid cuique oporteat pro ætate, pro ſexu ac profeſſione, adnunciabit. Non omnibus ea quæ ſunt clauſa, aperienda ſunt. Multi ſunt enim qui capere non poſſunt; quibus ſi indiſcrete manifeſtantur, ſtatim aut detrahunt, aut negligunt. Prima quippe prudentiæ virtus eſt, eam quam docere oporteat, exiſtimare perſonam. Rudibus populis ſeu carnalibus plana atque communia, non ſumma atque ardua, prædicanda ſunt, ne immenſitate doctrinæ opprimantur potius quàm erudiantur. Vnde & Apoſtolus Paulus ait: *Non potui vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus: tanquam paruulis in Chriſto lac vobis potum dedi, non eſcam.* Carnalibus quippe animis nec alta nimis de cæleſtibus nec terrena conuenit prædicare: ſed mediocriter, vt initia eorum moresque deſiderant edoceri. Coruus dum ſuos pullos viderit albi coloris, nullis eos cibis alit: ſed tantundem attendit, donec paterno colore nigreſcant, & ſic illos frequenti cibo reficiat. Ita & Eccleſiæ doctor ſtrenuus, niſi eos quos docet, viderit ad ſuam ſimilitudinem pœnitentiæ confeſſione nigreſcere, & nitore ſeculari depoſito, lamentationis habitum de peccati recordatione induere, vt pote adhuc exterioribus, hoc eſt, carnalibus, non aperit intelligentiæ ſpiritalis profundiora myſteria, ne, dum audita non capiunt, prius incipiant contemnere, quam venerari, mandata cæleſtia. Aliter eſt agendum erga eos, qui noſtro committuntur regimini, ſed offendunt: atque aliter cum his, qui nobis commiſſi non ſunt. Qui ſi iuſti ſunt, venerandi ſunt: ſi vero delinquunt, pro ſola charitate, vbi locus eſt, corripiendi ſunt: non tamen cum ſeueritate, ſicut hi qui nobis regendi ſunt commiſſi. Prius docendi ſunt ſeniores plebis, vt per eos infra poſiti facilius doceantur. Vnde & Apoſtolus: *Hæc*, inquit, *commenda fidelibus hominibus, qui idonei ſunt & alios docere.* Ingenium boni doctoris eſt, incipere à laudibus eorum, quos ſalubriter obiurgatos corrigere cupit, ſicut Apoſtolus ad Corinthios facit, quos à laudibus inchoat, & increpationibus probat. Sed erant apud Corinthios, qui & laude & increpatione digni eſſent. Ille vero ſic diſcrete de vtraque omnibus loquitur, vt omnibus vtraque conuenire videatur.

GREGORIUS *QVALITER PRAELATI SVBIECTOS doceant, ac ſe ipſos circumſpectione prouideant. Caput XXIIII.*

QVia igitur, qualis eſſe debeat paſtor, ſuperius oſtendimus: nunc qualiter doceat, demonſtremus. Non vna eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas adſtringit. Sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis proſunt. Quia & plerumque herbæ, quæ hæc animalia

animalia nutriunt, alia occidunt. Et lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat: & medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires iungit: & panis qui vitam fortium roborat, paruulorum necat. Pro qualitate igitur audientium, formari debet sermo doctorum: vt & ad sua singulis congruat, tamen à communis ædificationis arte nunquam recedat. Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi (vt ita dixerim) quædam in cithara tensiones tractæ chordarum? Quas tangendo artifex, vt non sibimetipsi dissimile canticum faciat, dissimiliter pulsat: & idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia vno quidem plectro, sed non vno impulsu, feriuntur. Doctor quisque vt in vna virtute charitatis cunctos ædificet, ex vna doctrina, non vna eademque exhortatione, tangere corda audientium debet. Doctor etenim, qui loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa nanque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat: quia quod loquendo imperat, ostendendo adiuuat vt fiat. Per prophetam Dominus dicit: *Super montem excelsum ascende tu qui euangelizas Sion.* Vt videlicet qui cælesti prædicatione vtitur, ima terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videatur, tantoque facilius subditos ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de supernis clamat. Recte etiam sacerdos superhumerale ex auro, hyacintho, purpura, coccoque bis tincto & bysso retorta factum habere præcipitur: vt quanta virtutum diuersitate clarescere debeat, demonstretur. In sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, vt in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet. Cui hyacinthus qui æthereo colore resplendet, adiungitur: vt dum per omne intelligendo penetrat, non ad fauores infimos, sed ad amorem cælestium surgat: ne, dum suis incautus laudibus capitur, ipso etiam veritatis intellectu vacuetur. Auro & hyacintho purpura & bis tinctus coccus adiungitur, vt ante interni iudicis oculos, omnia virtutum bona ex charitate decorentur, & cuncta quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu occulti arbitrii, flamma intimi amoris accendat. Quæ scilicet charitas, quia Deum simul ac proximum diligit, quasi ex duplici tinctura fulgescit. Qui sic ad authoris speciem anhelat, vt proximorum curam negligat: vel sic proximorum curam exequitur, vt à diuino amore torpescat: qui vnum horum quodlibet negligit, in superhumeralis ornamento habere coccum bis tinctum nescit. Cum rector se ad loquendum præparat, sub quanto cautelæ studio loquatur, attendat: ne, si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur: & cum fortasse sapiens videri desiderat, vnitatis compagem insipienter abscindat. In Euangelio veritas ait: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Per sal quippe verba sapientiæ designantur. Qui igitur loqui sapienter nititur, magnopere metuat, ne in eius eloquio audientium vnitas confundatur. Hinc Paulus ait: *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem.* Ne igitur rector incautus ad loquendum prorutat, hoc quod iam præmisimus, per semetipsum discipulis veritas clamat: *Habete sal in vobis, & pacem habete inter vos.* Ac si figurate per habitum sacerdotis dicat: Mala punica tintinnabulis iungite, vt per omne quod dicitis, vnitatem fidei cauta obseruatione teneatis. Sacerdos semper vocem prædicationis habeat, ne superni expectatoris iudicium ex silentio offendat. Sacerdos in tabernaculum ingrediens vel egrediens, moritur, si de eo sonitus non auditur: quia iram contra se occulti iudicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Apte tintinnabula vestimentis pontificis describuntur inserta. Vestimenta etenim sacerdotis quid aliud, quam recta opera debemus accipere, propheta attestante qui ait: Sacerdotes tui induantur iustitiam? Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, vt vitæ viam cum linguæ sonitu, ipsa quoque opera sacerdotis clament. Nos quia infirmi homines sumus, cum de Deo hominibus loquimur, debemus primum meminisse quid sumus: vt ex propria infirmitate pensemus, quo docendi ordine infirmos fratres consolemur. Consideremus igitur, quia aut tales sumus, quales nonnullos corrigimus: aut tales aliquando fuimus, etsi iam diuina gratia operante, non sumus: vt tanto eos temperantius corde humili corrigamus, quanto nosmetipsos verius in his, quos emendamus, agnoscimus. Si nos sacerdotes tales nec sumus, nec fuimus, quales adhuc illi sunt, quos emendare curamus: ne cor nostrum forte superbiat, & de ipsa innocentia peius ruat: quorum mala corrigimus, eorum bona nobis ante oculos reuocemus: quæ si omnino nulla sunt ad occulta Dei iudicia recurramus. Quia sicut nos nullis meritis hoc ipsum bonum, quod habemus, accipimus: ita illos quoque potest gratia supernæ virtutis infundere, vt excitati posterius, etiam possent ipsa bona quæ nos ante accepimus, præuenire. Quis enim crederet, quod per Apostolatus meritum, Saulus lapidatum Stephanum præcursurus erat, qui in morte eius lapidantium vestimenta seruabat? His ergo primum cogitationibus humiliari cor debet, & tunc demum delinquentium iniquitates increpare.

ISIDORVS *De Doctorum silentio.*

Caput XXV.

PRo malo merito plebis, aufertur doctrina prædicationis: pro bono merito audientis, tribuitur sermo doctoris. In potestate diuina consistit, cui velit Deus doctrinæ verbum dare, vel cui auferre: & hoc aut pro dicentis, aut pro audientis fit merito, vt modo pro culpa plebis auferatur sermo doctoris, modo vero pro vtilitate rectoris tribuatur. Nam & bonus docet bonum, & malus malum: & bonus malum, & malus bonum, quod tamen fit iuxta meritum populorum. Non omnia tempora congruunt doctrinæ, secundum Salomonis sententiam, dicentis: *Tempus tacendi, & tempus loquendi.* Non quidem per timorem, sed per discretionem, propter malorum incorreptibilem iniquitatem, non-

nunquam electos oportet à doctrina cessare. Interdum doctores Ecclesiæ calore cheritatis erdentes, conticescunt à docendo, quia non est qui audiat, testante propheta: *Ciuitates austri clausa sunt, & non est qui aperiat.* Qui docendi accipit officium, interdum ad tempus facta proximi taceat, quæ statim corrigere nequaquem existimat. Nam si corrigere potest & dissimulat, verum est quod consensum erroris alieni hebeat. Plerique sancti doctores pro mali pertinacia, quia iniquos emendare nequeunt, his tacere disponunt: sed calorem spiritus quo aguntur ferre non sustinentes, iterum in increpationes prosiliunt impiorum.

PROSP. *Quod nihil prosit sacerdoti etiamsi bene viuat, nec male viuentes non arguat.*

Caput XXVI.

QVod vero dicit Apostolus, vt nos formam debeamus exhibere fidelibus: quid valebit, si is cui vel exhortandi bonos, vel castigandi malos cura commissa est, bene viuendo se imitandum bonis exhibeat, & malos tacendo non arguat? Ad hoc enim (nisi me fallit opinio) sancte viuendum est sacerdoti, ne dicta sua repugnantibus factis euacuet. Si quod prædicat fieri debere, non faciat: aut si quod non facit, prædicare præsumpserit, nihil apud eos qui eius vitam nouere, proficiet. Quia ad hoc est Ecclesiæ Dei præpositus, vt non solum bene viuendo alios exemplo suæ conuersationis instruat, sed etiam fiducialiter prædicando singulis ante oculos peccata sua constituat, quæ pœna maneat duris, quæ gloria obedientibus, ostendat. Nullius salutem desperando contemnat, animas emendari nolentium plangat, imitatus Apostolum qui ait: *Vt lugeam multos qui ex ante his peccauerunt, & non egerunt pœnitentiam.* Et iterum: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Quapropter sciens quod si quibuslibet diuitibus ac potentibus male viuentibus parcat, aut foueat eos, pereat simul & pereat, & sancte debet viuere propter exemplum, & pie docere propter suæ administationis officium: certus, quod ei nihil sua iustitia suffragetur, de cuius manu anima pereuntis exigitur. Quandocunque alius perierit, quem nulla docendi necessitas manet, solus pœnae sui sceleris dabit. Ille autem cui dispensatio verbi commissa est, etiam si sancte viuat, & tamen perdite viuentes arguere aut erubescat, aut metuat: cum omnibus qui eo tacente perierint, perit. Et quid ei proderit, non puniri suo, qui puniendus est alieno peccato? Mentior, nisi hoc dominus per Ezechielem prophetam sub cuiusdam terroris denuntietione loquatur, dicens ad eum: *Et tu fili hominis, speculatorem dedi te domus Israel.* Nec hoc transeunter debemus audire, quod sacerdotem speculatorem appellat: vt sicut speculatoris est, de loco editiore prospicere, & plus omnibue contemplari, ita sacerdos debet esse propositi sublimitate celsior cunctis, ac maioris scientiæ habere gratiã, qua possit sub se viuentes instruere. Videamus iam quid diuinus sermo contineat. *Audies,* inquit, *sermonem ex ore meo & annunciabis eis ex me:* vt dicat hoc sacerdos, quod ex diuina lectione didicerit, quod illi Deus inspirauerit, non quod præsumptione humani sensus inuenerit. *Annunciabis eis,* inquit, *ex me,* & non ex te, mea verba loqueris eis, non est quod ex eie tanquam de tuis inflectis. *Ex me,* inquit, *eis annuncia.* Sed quid iam annunciet, eudiamus. *Si me dicente ad impium, Impie, morte morieris: non fueris locutus, vt se custodiat impius à via sua, ipse impius in iniquitate sua morietur, sanguinem vero eius de manu tua requiram.* Quid expressius, quid apertiue potest dici? si impio, inquit, locutus non fueris, vt se ab impietate custodiat, & ille perierit, sanguinem eius de manu tue requirem. Hoc est dicere: Si ei peccata sua non annunciaueris, si eum non argueris, vt ab impietate sua conuertatur, & viuat: & te qui non increpasti, & ipsum qui te tacente peccauit, flammis perennibus perdam. Quis rogo, iam saxei pectoris, quis tam ferreus erit, quem sententia ista non terreat? quis tam alienis à fide, qui sententiæ isti non credat?

GREGORIVS *De pastoribus non recte gradientibus.*

Cap. XXVII.

SVnt nonnulli, qui solerti cure spiritualia præcepta perscrutantur: sed quæ intelligendo penetrant, viuendo conculcant. Repente docent, quæ non opere, sed meditatione didicerant: & quod verbis prædicant, moribus impugnant. Vnde fit, vt cum pastor per abrupta graditur, ad præcipitium grex sequatur. Per prophetam dominus contra contemptibilem pastorum scientiam quæritur, dicens: *Cum ipsi lympidissimam aquam biberetis, reliquam pedibus vestris conculcabatis: & oues meæ, quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur: & quæ pedes vestri turbauerunt, hæc bibebant.* Aquem quippe lympidissimam pastores bibunt, cum fluenta veritatis recte intelligentes hauriunt. Sed eandem aquam perturbare est sanctæ meditationis studia male viuendo corrumpere. Aquem scilicet pastorum turbatam pedibus oues bibunt, cum subiecti quique non sectantur verba quæ audiunt: sed sola quæ conspiciunt, exempla prauitatis imitantur. Qui cum dicta sciunt, quæ per opera vertuntur, quasi corruptis fontibus, in potibue lutum sumunt. Nemo emplius nocet in Ecclesia, quam qui peruerse egens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem nanque hunc redarguere nullus præsumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reuerentia ordinis peccator honoratur. Qui ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo cæteros destruit vel exemplo: melius profecto fuerat, vt

rat, vt hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quem sacræ officia in culpe cæteris imitabilem demonstrarent: quia nimirum si solus caderet, vtcunque hunc tolerabilius inferni pœna cruciaret. Sæpe suscepta cura regiminis, cor per diuersa diuerberat: & impar quisque inuenitur ad singula, dum confusa mente diuiditur ad multa. Vnde quidam sapiens prouide prohibet, dicens: *Fili, ne in multis sint actus tui.* Quæ videlicet nequequam plene in vniuscuiusque operis ratione colligitur, dum mens per diuersa partitur. Cumque foras per insolentem curam trahitur, à timoris intimi soliditate vacuatur. Dum mens in exteriorum fit dispositione solicita, sui est solummodo ignara: & scit multa cogitare, se nesciens. Nam eum plus, quam necesse est, se exterioribus implicat, quasi occupata in itinere, obliuiscitur quo tendebat, ita vt ab studio suæ inquisitionis aliena, ne ipsa quidem quæ patitur, damna consideret, & per quanta delinquat, ignoret. Ezechias rex peccare se minime credidit, cum venientibus ad se alienigenis, cellas aromatum ostendit: sed in damnatione secuturæ prolis, ex eo iram iudicis pertulit, quod se licenter facere existimauit. Sæpe dum multa supperunt, dumque agi possunt, subiecti quæcunque acta sunt, admirantur, in cogitatione se animus eleuat, & plane in se iram iudicis prouocat, quamuis per iniqua foras opera non erumpat. Intus quippe est qui iudicat, intus qui iudicatur. Cum ergo in corde delinquimus, latet hominibus quid apud nos agimus: sed tamen ipso iudice teste, peccamus. Hæc proferentes, non potestatem regiminis repræhendimus: sed ab appetitu illius, cordis infirmitatem munimus, ne imperfecti quique culmen arripere regiminis audeant: & qui in planis stantes titubant, in præcipiti pedem ponant. Cæcus pastor est, qui supernæ lumen contemplationis ignorat, qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam dirigendo conspicit, quo gressum operis ponat, nescit. Claudus vero rector est, qui quidem, quo pergere debeat, aspicit: sed per infirmitatem mentis vitæ viam perfecte non valet tenere, quam videt: quia ad virtutis statum dum fluxa consuetudo non erigitur, quo ex desiderio innititur, illuc gressus efficaciter non sequuntur. Paruo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. Naso quippe odores fœtoresque discernimus. Recte ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Sunt nonnulli, qui dum æstimari se hebetes nolunt, sæpe se in quibusdam inquisitionibus, plusquam necesse est, exercentes, ex nimia subtilitate falluntur. Vnde recte dicitur, vel grandi & torto naso. Nasus etenim grandis & tortus, est discretionis subtilitas immoderata. Quoniam dum plus, quam necesse est, creuit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit. Fracto pede vel manu est, qui viam Dei pergere omnimodo non valet, atque à bonis actibus funditus exsors vacat: quatenus hæc non vt claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnimodo alienus existat. Gibbus vero est, quem terrenæ solicitudinis pondus deprimit, ne vnquam ad superna respiciat, sed solis his quæ in infimis calcantur, intendat. Qui etsi aliquando aliquid ex bono patris cælestis audierit, ad hoc nimirum peruersæ consuetudinis pondere prægrauatus, cordis faciem non attollit: quia cogitationis statum erigere non valet, quem terrenæ vsus solicitudinis curuum tenet. Lippus nanque est, cuius quidem ingenium ad agnitionem veritatis emicat, sed tamen hoc carnalia opera obscurant. In lippis oculis quippe pupillæ sanæ sunt: sed humore defluente infirmantes palpebræ grossescunt. Quarum quia infusione crebra atteritur, acies pupillæ vitiatur. Sunt nonnulli, quorum sensum carnalis vitæ operatio sauciat, qui videre recta subtiliter per ingenium poterat, sed vsu prauorum actuum caligant. Lippus itaque est, cuius sensum natura exacuit, sed conuersationis prauitas confundit. Cui bene per angelum dicitur: *Collyrio inunge oculos tuos, vt videas.* Collyrio quippe oculos, vt videamus, inungimus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem, intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis adiuuamus. Albuginem habet sacerdos in oculo, qui veritatis lumen videre non sinitur, qui arrogantia sapientiæ siue iustitiæ cæcatur. Pupilla nanque oculi nigra, videt: albuginem tolerans, nihil videt: quia videlicet sensus humanæ cogitationis, si stultum se peccatoremque intelligit, cogitationem intimæ claritatis appræhendit: si autem candorem sibi iustitiæ siue sapientiæ tribuit, à luce se supernæ cognitionis excludit: & eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo se apud se per arrogantiam exaltat, sicut de quibusdam dicitur: *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Iugem habet scabiem in corpore, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur in mente. In scabie etenim feruor viscerum ad cutem trahitur, per quam recte luxuria designatur: quia si cordis tentatio vsque ad operationem prosilit, nimirum feruor intimus vsque ad cutis scabiem prorupit. Foras corpus scabies sauciat: quia dum in cognitione voluptas non reprimitur, etiam in actione dominatur. Quasi enim cutis pruriginem Paulus curabat abstergere, cum dicebat: *Tentatio vos non apprehendat nisi humana.* Ac si aperte diceret: Humanum quidem est, in corde tentationem perpeti: dæmonum vero est, tentationis certamine & in operatione superari. Impetiginem habet in corpore, quisquis auaritia vastatur in mente. Quæ si in paruis non compescitur, nimirum sine mensura dilatatur. Impetigo quippe sine dolore corpus occupat, & absque occupati tædio excrescens, membrorum decorem fœdat, quia auaritia capti animum dum quasi delectat, exulcerat. Dum adipiscenda quoque cogitationi deiicit, ad inimicitias ascendit: & dolorem in vulnere non facit, quia æstuanti animo ex culpa abundantiam promittit. Decor membrorum per impetiginem perditur, quia aliarum quoque virtutum per auaritiam pulchritudo deprauatur. Et quasi totum corpus exasperat, quia per vniuersa vitia animum supplantat, Paulo attestante qui ait: *Radix omnium malorum est cupiditas.* Ponderosus est, qui turpitudinem non exercet opere, sed tamen ab hac cogitatione continua sine moderamine grauatur in mente. Qui nequaquam vsque ad opus quidem nefarium rapitur, sed eius animum voluntate luxuriæ, sine vllo repugnationis stimulo, delecta-

Q 2 tur,

tur. Vitium quippe est ponderis, cum humor viscerum ad tenes labitur, quæ profecto cum molestia dedecoris intumescunt. Ponderosus est, qui totis cogitationibus ad lasciuiem defluens, pondus turpitudinis gestat in corde. Et quamuis praue non exerceat opere, ab his tamen non euellitur mente: nec ad vsum boni operis in aperto valet assurgere, quia grauat hunc in abditis pondus turpe. Quisquis ergo quolibet horum vitio subigitur, panes domino offerre prohibetur: ne profecto diluere aliena delicta non valeat is, quem adhuc propria deuastant. Cum sacerdos non agit bona quæ loquitur, et etiam sermo subtrahitur, vel loqui audeat quod non operatur, sicut per prophetam dicitur: Peccatori autem dixit Deus, *quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Vnde & psalmista deprecatur, dicens: *Et ne auferas de ore meo verbum veritatis vsquequaque* Perpendit namque quod omnipotens Deus veritatis verbum facientibus tribuit, & non facientibus tollit. Qui ergo hoc de ore suo auferri petiit, quid aliud quam gratiam bonæ operationis quæsiuit? Ac si apertè diceret: A bono opere errare me non sinas, ne, dum amitto ordinem bene viuendi, rectitudinem perdam loquendi. Plerumque doctor qui docere audet quod negligit agere, cum desierit bona loqui quæ operari contempsit, docere subiectos incipit praue quæ agit: vt iusto omnipotentis Dei iudicio, in bono iam nec linguam habeat, qui habere bonam vitam recusat, quatenus dum mens eius terreno amori intenditur, de terrenis rebus semper loquatur. Vnde in Euangelio veritas dicit: *Ex abundantia enim cordis loquitur. Bonus homo de bono thesauro profert bona, & malus homo de malo thesauro profert malum.* Hinc & Ioannes ait: *Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur.*

PROSPER. *De negligentia sacerdotis, qui tametsi doceat, personam non potest implere doctoris.*

Cap. XXVIII.

REcolite ergo, quanta & qualia me audiente atque probante, dicere solebatis de administratione pontificis, qui populi sibi commissi cura posthabita, ardentius bona præsentia desiderat, quam futura: & oblitus quod non solum de se, sed etiam de grege sibi credito rationem pastori pastorum omnium reddat, sue suorumque detrimenta non cogitet, quem non delinquentium peccata contristant, nec proficientium bona lætificant, sed de se tantum, plerumque autem nec de se omnino sollicitus, quid à suis boni malive geratur, ignorat. Qui non prædicat perseuerantiam iustis, pœnitentiam prauis, contemptum mundi conuersis, futuras pœnas euersis. Qui non potest dicere contemptoribus admonitionis suæ, Futurum cogitate iudicium, quod ipse forte non cogitat. Amatoribus mundi, Nolite diligere mundum, si eum mundi amor oblectat. Ambitiosis, Ambitioni iam finem imponite, si eum ambitio ruinosa præcipitat. Ebriosis, Ebrietatem cauete, si se mero vsque ad alienationem mentis ingurgitat. Sumptuosis dapibus grauidus, non potest suis abstinentiam laudare quam celat. Vitio cupiditatis addictus, cupidis amorem non potest dissuadere pecuniæ. Inimicitiarum tenax, non valebit animos dissidentium sacerdotali tranquillitate componere. Iustitiam prædicare iudicibus erubescit, quam ipse personæ potentis fenore corrumpit: nec defendit oppressos, si personas aut honorat, aut despicit: & quicquid boni non facit, aut mali committit, nec iubebit fieri, nec vetabit, quia necessariam docendi authoritatem, contrarietate suæ actionis amittit aut minuit.

ISIDORVS *De his qui bene docent, & male viuunt.*

Caput XXIX.

INterdum doctoris vita etiam ipsa verax doctrina vilescit. Et qui non viuit sicut docet, ipsam quam prædicet, veritatem contemptibilem facit. Arcus peruersus, est lingua magistrorum docentium bene, & viuentium male: & ideo quasi ex peruerso arcu sagittam emittunt, dum suam prauam vitam propriæ linguæ ictu confodiunt. Qui bene docet & male viuit, tanquam æs aut cymbalum, sonum facit aliis, ipse tamen sibi manet insensualis. Qui bene docet & male viuit: quod dicit bene, viuentibus proficit: quod vero male viuit, seipsum occidit. Sicut sacerdos qui si digne se egit, vt sacerdotem decet, ministerium & et ipsi & aliis vtile est. Indigne autem viuens, eius quidem vtilis est loquendo, se autem interficit praue viuendo. Ac per hoc, quod in illo mortuum est, proprium ei est: quod vero viuit in eo, id est, sacrum ministerium, alienum est. Qui bene docet & male viuit, videtur vt cereus, qui aliis bonam nouit lucem præstare, se vero in malis suis consumere atque extinguere. Qui bene docet, & male viuit, videtur bonum malo coniungere, lucem tenebris permiscere, veritatem mendacio mutare.

Item ISIDORVS *De exemplis prauorum sacerdotum.*

Caput XXX.

SÆpe per quos iustitia docetur, per ipsos peccati morbus irrepit, & mors ad plebes pertransit: scilicet vel dum male docent, vel dum faciunt praua. Plerique sacerdotes & clerici prauè viuentes, forma cæteris in malum existunt, qui bonis in exemplum esse debuerunt. Hi enim quoscunque exemplo malæ conuersationis suæ perdunt, de illis rationem sine dubio reddituri sunt.

Ex

Ex carnalium præpositorum exemplo, plerunque fit vita deterior subditorum: & plebis merito fiunt tales sacerdotes, qui exemplo deteriore populum destruant, non ædificent. Ex merito enim plebie nonnunquam Episcopi deprauantur, quatenus procliuius corruant qui sequuntur. Capite languescente, cætera corporis membra inficiuntur. Vnde & scriptum est: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens, à planta pedis vsque ad verticem, non est in eo sanitas.* Caput enim languidum, doctor est agens peccatum: cuius malum ad corpus peruenit, dum eo vel peccante, vel praue docente, pestifer languor ad plebes subditas transit. Deteriores sunt, qui sine doctrinis, sine exemplis vitam moresque bonorum corrumpunt, his qui substantias aliorum prædiaque diripiunt. Hi enim ea quæ extra nos, sed tamen quæ nostra sunt, auferunt. Corruptores vero morum, proprie nos ipsos decipiunt: quoniam diuitiæ hominum, mores eorum sunt. Multum ergo distant damna morum, à damnis temporalium rerum, dum ista extra nos sint, mores vero in nobis.

Item ISIDORVS *De præpositis carnalibus.*

Cap. XXXI.

PRouidentia plerunque diuini consilii ordinantur præpositi, mundana & exteriora sectantes, vt dum temporalibus rebus se totos impendunt, spiritales tutiorem vitam contemplationis exerceant. Quia dora sunt, quiete viuere, prouidet sæpe Deus curis deditos secularibus ad susceptionem regiminis, vt dum hi exteriora sine tædio procurant, spiritales rebus interioribus sine impedimento rerum terrenarum deseruiant. Dei ergo ordinem accusat, à quo instituuntur, qui Episcopos contemnunt, dum minus spiritalia, sed magis terrena sectantur. Ex diuini enim tabernaculi dispositione, ob iniurias mundi ferendas & turbines, quosdam institui Episcopos, secularibus curis insistentes; ut hi qui interius superna desiderant, nullo terreno obsistente negocio, liberius hoc quod amant intendant. Non est itaque iudicandus, à plebe rector inordinatus, dum magis nouerint populi sui fuisse meriti, peruersi regimen suscepisse pontificis. Nam pro meritis plebium, disponitur à Deo vita rectorum, exemplo Dauid peccantium, ad comparationem principum, qui ex merito plebis præuaricantur. Sententia damnantur Cham filii Noæ, qui suorum præpositorum culpas in publico produnt, sicut Cham qui patris pudenda non operuit, sed deridenda monstrauit. Habituri Sem meritum & Iaphet qui reuerenter operiunt, quæ patres suos excessisse cognoscunt, si tantum patrum facta non diligant, sed tantum operiant, nec imitentur. Nam sunt qui præpositos suos peruerse iudicant, dum terrenis studiis eos plus viderint esse intentos, si vel parum iam ipsi de spiritalibus cognouerint. Rectores ergo iudicandi à Deo sunt, à suis autem subditis nequaquam iudicandi sunt, exemplo domini, qui per se vendentes columbas & nummulariorum mensas proprio euertit flagello, & proiecit à templo, vel etiam sicut dicit, *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos discernit.* Quod si à fide exorbitauerit rector, tunc erit arguendus à subditis. Pro moribus vero reprobis tolerandus magis, quam distringendus à plebe.

PROSPERI *Luctuosa descriptio carnaliter viuentium sacerdotum.*

Cap. XXXII.

SEd nos præsentibus delectati, dum in hac vita commoda nostra & honores inquirimus, non vt meliores, sed vt ditiores: nec vt sanctiores, sed vt honoratiores simus, cæteris præesse festinamus. Nec gregem domini, qui nobis pascendus tuendusque commissus est, sed nostras voluntates, dominationem, diuitias, & cætera blandimenta carnaliter cogitamus. Pastores dici volumus, nec * tantum esse contendimus. Officii nostri vitamus laborem, appetimus dignitatem. Immundorum spirituum feras à grege dilacerando non pellimus: & quod eis remanserit, ipsi consumimus, quando peccantes diuites vel potentes, non solum non arguimus, sed etiam veneramur, ne nobis aut munera solita offensi non dirigant, aut obsequia desiderata subducant. Ac sic muneribus eorum & obsequiis capti, imo per hæc illis addicti, loqui eis de peccato suo aut de futuro iudicio formidamus, & ideo minaciter superbiam nostram diuinus sermo contundit, sed noster auditus nihil, vnde proficiamus, admittit: quia præsentis vitæ capti dulcedine, quæ pœna negligentiæ nostræ maneat in æternum, nolumus cogitare. In pastores ergo ista dicuntur, de quorum nobis inani appellatione blandimur: *Hac dicit Dominus Deus, væ pastoribus Israel, qui semetipsos. Nonne greges pascuntur a pastoribus? Lac comedebatis, & lanis operiebamini. Quod crassum erat occidebatis, gregem autem meum non pascebatis: quod infirmum fuit, non consolidastis: & quod ægrotum, non sanastis: quod fractum est, non alligastis: & quod abiectum, non reduxistis: quod perierat, non quæsistis: sed cum austeritate imperabatis eis, & cum potentia: & dispersæ sunt oues meæ, eo quod non esset pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri.* Et paulo post: *Propterea pastores audite verbum domini. Viuo ego, dicit dominus Deus quia pro eo quod facti sunt greges mei in rapinam, & oues meæ in deuorationem omnium bestiarum agri, eo quod non esset pastor: neque enim quæsierunt pastores gregem meum, sed pascebant pastores semetipsos, & gregem meum non pascebant: Propterea pastores audite verbum domini: Hac dicit dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum, & cessare eos faciam, vt vltra non pascant gregem, nec pascant amplius pastores semetipsos.*

* tamen

Quis ad hæc non contremiscat? Quis ista sine intolerabili metu futuræ examinationis accipiat,

nisi qui non intelligit, aut futuram non credit? Sed omnia quæ Deus obseruari voluit, tam aperte posuit, & ita sui ominis authoritate firmauit, vt ea facilius (quod dictu quoque nefas est, contemnamus, quam nos intelligere vel non credere tam aperta & diuina fingamus. Quando audimus, *Hæc dicit dominus*, quis futurum esse non credat quod dicit dominus, nisi qui Deo non credit? Quod autem dicit, *væ pastoribus:* istud væ pro maledicto poni, & pastorum nomine nos significari, quis non intelligat, nisi qui futurum non cogitat? Greges domini pascendos, pastores facti, suscipimus: & non ipsos pascimus, quando non gregum vtilitati prospicimus: sed quod foueat & augeat nostras voluntates, attendimus. Lac & lanas ouium Christi, oblationibus quotidianis ac decimis fidelium gaudentes, accipimus: & curam pascendorum gregum ac reficiendorum, à quibus peruerso ordine volumus pasci deponimus. Non sanamus spiritali consilio peccatis infirmum: non sacerdotali ope consolidamus ac reficimus diuersis tribulationibus fractum: non ad viam salutis reuocamus erroneum: non requirimus solicitudine pastorali, veniæ desperatione iam perditum, ad hoc tantum potentes effecti, vt nobis in subiectos dominationem tyrannicam vindicemus, vt non afflictos contra violentiam potentum, qui in eos ferarum more sæuiunt, defendamus. Inde est quod tam à potentibus huius mundi, quam à nobis (quod peius est) nonnulli grauiter fatigati, depereunt: quos se de manu nostra dominus requisiturum terribiliter comminatur, dicens: *Requiram eues meas de manu pastorum, & cessare eos faciam, vt vltra iam non pascant greges meos.* Quod quid est aliud, quam pastores, qui semetipsos, non greges meos pascunt, sublimitate suæ dignitatis expoliem, & inter reprobos, quia honorem suum noluerunt custodire, proiiciam? Horum & his similium consideratione perterritus, timor & tremor venerunt super me, & contexerunt me peccatorum meorum tenebræ. Et dixi, quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo, & requiescam? Et hoc totum, propter quod imperitiæ meæ ac futuri finis recordatus ingemui, & volui sarcina Episcopatus mei deposita, elongare fugiens, & manere in solitudine, & ibi expectare dominum, qui saluum me faceret à pusillanimitate mea, & ab ipsa intolerabilium nimis solicitudinum tempestate.

. ISIDORVS *De iracundis doctoribus.*

Caput XXXIII.

IRacundi doctores, per rabiem furoris, disciplinæ modum ad immanitatem crudelitatis conuertunt: & vnde emendare subditos poterant, inde potius vulnerant. Ideo sine mensura vlciscitur culpas præpositus iracundus: quia cor eius dispersum in rerum curis, non colligitur in amorem vnius deitatis. Mens enim soluta in diuersis, catena charitatis non adstringitur: sed male laxata, male ad omnem occasionem mouetur.

GREGORIVS *De zelo Pastoralis officii erga subditos.*

Caput XXXIV.

OMnis spiritalis zelus, doctoris animum pungit: quia valde cruciatur, dum infirmos quosque æterna deserere, & rebus temporalibus oblectari conspicit. Nullum quippe omnipotenti Deo tale est sacrificium, quale est zelus animarum, sicut psalmista ait: *Zelus domus tuæ comedit me.* Paulus apostolus zelo animarum cruciatus, dicebat: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* Ipsum suum cor, quod animarum zelo succenderat, quid aliud quam quasi sartaginem fecerat, in quo amore virtutum contra vitia ardebat? Quod enim vrebatur, sartago erat. Inardescebat enim & coquebatur, quia incendebatur amaritudine, sed virtutum alimenta præparabat ex sua afflicta cogitatione. Quid est quod Ezechiel propheta sartaginem inter se & ciuitatem murum ferreum ponit, nisi quod idem fortis zelus, qui nunc in mente doctoris agitur, in die extremi iudicii inter eum & animam quam à vitiis zelatur, testis est, vt si & audire is qui docetur, noluerit, doctor tamen pro zelo quod exhibet, de authoris negligentia reus non sit? Murum ferreum propheta inter se & ciuitatem ponit: quia in vltionis tempore, inde doctor à damnationis periculo munitur, vnde nunc per zelum custodiæ, cordis frixuram patitur. Quantum frixura cordis, quæ per spiritalem zelum agitur, omnipotenti domino placeat, aperte ostenditur, cum offerri per legem similia in sacrificium iubetur. Scriptum quippe est: *In sartagine oleo conspersa frigetur offeretque eam calidam in odorem suauissimum domino sacerdos, qui patris iure successerit, & tota cremabitur in altari.* Tunc similia in sartagine frigitur, cum munda mens iusti, per zeli sancti ardorem crematur. Quæ conspergi oleo præcipitur, id est, charitas misericordiæ misceri, quæ in conspectu omnipotentis Dei ardet & lucet. Conspergatur ergo Deo mens, quæ in sartagine frigitur: quia sancti zeli districtio necesse est, vt ex misericordiæ virtute & ardeat & clarescat. Amat enim eundem ipsum, quem insequi videtur, vnde calida in odorem suauissimum domino offerri præcipitur: quia si amorem zelus non habet, ea quæ de sartagine offertur, calorem similia amisit. Notandum valde est, quis similam offerre præcipitur, videlicet sacerdos qui patris iure successerit. Ille enim sacerdos patris iure succedit, qui se esse omnipotentis domini filium moribus demonstrat, atque à nobilitate intima, operum suorum ignobilitate non discrepat. Quæ in altari tota cremari præcipitur, vt videlicet holocaustum fiat.

Simila itaque in sartagine, est munda mens iusti in zeli spiritalis afflictione, quæ per solicitudinem

tudinem animarum frangitur: non ſolum ſacrificium, ſed etiam holocauſtum domino eſſe deputatur. Sumamus igitur ſartaginem ferream, & ponamus eam murum ferreum inter nos & ciuitatem, id eſt, aſſumamus zelum fortem, vt inter nos & auditoris noſtri animus, inueniamus hanc poſtmodum fortem munitionem. Tunc enim hunc murum ferreum inuenturi ſumus, ſi nunc eum fortiter tenemus, videlicet docendo, cuſtodiendo, ſuadendo, increpando, mulcendo, terrendo, aliquando & ſeuerius agendo. De qua ſeueritate per Ezechielem recte ſubditur: *Et obfirmabis faciem tuam ad eam, & erit in obſidionem.* Quid eſt, obfirmare faciem ad Ieruſalem in latere deſcriptam, niſi vt ei animæ, cui cæleſtis pacis viſionem doctor denunciat, ſi adhuc eam infirmari in ſuis actibus conſpicit, remiſſiorem & clementiorem ſe minime oſtendat? Scriptum eſt: *Filiæ tibi ſunt: ſerua corpus illarum, & non oſtendas hilarem faciem tuam ad illas.* Infirmæ quippe animæ, atque ad appetitum mundi deditæ, aliquando melius ex ſeueritate ſeruantur, vt obfirmata facies, per ſeueritatis cuſtodiam ab omni ſpe friuolæ remiſſionis obducta, inconſtantem animam terreat, atque à delectatione vitiorum, diſtrictionis vigore conſtringat.

Quod cum à doctore agitur, ſemper neceſſe eſt, vt dulcedo & humilitas in corda teneatur, quatenus & multum amet, & nunquam contra eum per elationem ſuperbiat: cui tamen amorem ſuum & humilitatem, pro vtilitate eius prodere recuſat. Circumdat doctor auditoris animam, cum omne quod in hac vita agitur, in tentationum laqueos apponi poſſe denunciat, vt dum vbique ſit mens pauida, vbique circumſpecta, quanto timidior, tanto vigilantior viuat. Ipſe enim zelus rectitudinis, dum inquietudine mentem agitat, eius mox aciem obſcurat, vt altiora in commotione non videat, quæ bene prius tranquilla cernebat. Sed inde ſubtilius ad alta reducitur, vnde ad tempus, ne videat, reuerberatur. Nam ipſa recti æmulatio, æterna poſt paululum in tranquillitate largius aperit, quæ hic interim per commotionem claudit: & vnde mens turbatur ne videat, inde proficit, vt ad videndum verius clareſcat. Sic infirmanti oculo cum collyrium immittitur, lux penitus negatur. Sed inde eam poſt paululum veraciter recipit, vnde hanc ad tempus ſalubriter amittit. Nunquam commotioni contemplatio iungitur: nec præualet mens perturbata conſpicere, ad quod vix tranquilla valet inhiare: quia nec ſolis radius cernitur, cum commotæ nubes cæli faciem obducunt, nec turbatus fons reſpicientis imaginem reddit, quam tranquillus propriam oſtendit: quia * quo eius vnda palpitat, in ſe ſpeciem ſimilitudinis obſcurat. *quando Cum per zelum animus mouetur, curandum ſummopere eſt, ne hæc eadem, quæ inſtrumento virtutis aſſumitur, menti ira dominetur: nec quaſi domina præeat, ſed velut ancilla ad obſequium parata, à rationis tergo nunquam recedat. Tunc enim robuſtius contra vitia erigitur, cum ſubdita rationi famulatur. Quantumlibet ira ex zelo rectitudinis ſurgat, immoderatam mentem dilacerat, rationi protinus ſeruire contemnit. Et tanto ſe impudentius dilatat, quanto impatientiam vitiorum, virtutem putat. Neceſſe eſt, vt hoc ante omnia, qui zelo rectitudinis mouetur, attendat, ne ira extra mentis dominium tranſeat, ſed in vltione peccati tempus modumque conſiderans, ſurgentis animi perturbationem ſubtilius retractando reſtringat, animoſitatem reprimat: & motus feruidos ſub æquitate diſponat. vt eo fiat iuſtior vltor alienus, quo prius extitit victor ſuus. Qui zelo rectitudinis mouetur, ſic culpas delinquentium corrigat: vt ante ipſe qui corrigit, per patientiam creſcat, vt feruorem ſuum tranſcendendo diiudicet, ne intemperanter excitatus, ipſo zelo rectitudinis, longe à rectitudine aberret.

PROSP. *Quod ſacerdotes nihil proprium habeant & Eccleſiæ facultates tanquam communes, vtpote de quibus Deo rationem redditurs ſunt.*

Caput XXXV.

EXpedit facultates Eccleſiæ poſſideri, & proprias perfectionis amore contemni. Non enim propriæ ſunt, ſed communes, Eccleſiæ facultates: & ideo quiſquis omnibus quæ habuit, dimiſſis aut venditis, fit rei ſuæ contemptor, cum præpoſitus fuerit factus Eccleſiæ, omnium quæ habet Eccleſia, efficitur diſpenſator. Denique ſanctus Paulinus, vt ipſi melius noſtis, ingentia prædia quæ fuerunt ſua, vendita pauperibus erogauit. Sed cum poſtea factus eſſet Epiſcopus, non contempſit Eccleſiæ facultates, ſed fideliſſime diſpenſauit. Quo facto, ſatis oſtendit, & propria debere ex perfectione contemni, & ſine impedimento perfectionis, poſſe Eccleſiæ facultates, quæ ſunt profecto communia, poſſidere. Quid ſanctus Hilarius? Nonne & ipſe omnia ſua aut parentibus reliquit, aut vendita pauperibus erogauit? Is tamen cum merito perfectionis ſuæ fieret Eccleſiæ Arelatenſis Epiſcopus, quod illa tunc habebat Eccleſia, non ſolum poſſedit, ſed etiam acceptis fidelium numeroſis hæreditatibus, ampliauit. Iſti ergo tam ſancti, tamque perfecti pontifices, factis euidentibus clamant, poſſe & debere fieri quod fecerunt. Qui vtique homines tam ſecularium, quam diuinarum literarum ſine ambiguitate doctiſſimi, ſi ſcirent eas Eccleſiæ debere contemni, nunquam eas haberent, quia omnia ſua reliquerant. Vnde datur intelligi, quod tanti ac tales viri, qui volentes fieri Chriſti diſcipuli, renunciauerunt omnibus quæ habebant, non vt poſſeſſores, ſed vt procuratores, facultates Eccleſiæ poſſidebant. Et idcirco ſcientes, nihil aliud eſſe res Eccleſiæ, niſi vota fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperũ, nõ eas vendicauerunt in vſus ſuos, vt proprias: ſed vt cõmendatas, pauperib. diuiſerunt.

Hoc est possidendo contemnere, non sibi, sed aliis possidere: nec habendi cupiditate ecclesiæ facultates ambire, sed eas pietate subueniendi suscipere. Quod habet ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune. Nec aliud inde eis, qui sibi de suo sufficiunt, erogat: quando nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere.

ISIDORVS *De disciplina Sacerdotum in his qui delinquunt.*

Caput XXXVI.

SAcerdotes pro populorum iniquitate damnantur, si eos aut ignorantes non erudiant, aut peccantes non arguant; testante domino ad prophetam: Speculatorem domui Israel dedi te. Si non fueris locutus, vt se custodiat impius à via sua, ille iniquitate sua morietur, sanguinem vero eius de manu tua requiram. Sic enim Heli sacerdos pro filiorum iniquitate damnatus est, & licet eos delinquentes admonuit, sed tamen non vt oportebat, redarguit. Sacerdotes exquirere debent peccata populorum, & sagaci solicitudine vnumquenque probare, iuxta testimonium domini, ad Ieremiam loquentis: Probatorem, inquit, dedi te in populo meo robustum: & scies, & probabis vias eorum. Sacerdotes, studio corrigendi, facta perscrutari debent subiectorum, vt emendatos lucrifacere possint. Sicut autem peccatorem conuenit argui, ita iustum non exulcerari. Sacerdotes curam debent habere de his qui pereunt, vt sacerdotali redargutione aut corrigantur à peccatis, aut si incorrectibiles existunt, ab ecclesia separentur. Atrociter arguuntur, qui decipiendo peccantes, non solum quia non arguunt pro peccato, sed etiam adulanter decipiunt, dicente propheta: *Et erunt qui beatificant populum istum, seducentes: & qui beatificantur, præcipitati.* Atrociter iterum arguuntur, qui peccantem non recipiunt, sed despiciunt & spernunt, nec alterius delictum, tanquam proprium, ingemiscunt. De talibus per Esaiam dominus comminans, dicit: *Qui dicunt, recede à me: non appropinquans mihi, quia immundus es, isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die.* Inde est quod & Apostolus *omnibus omnia factus est*, non imitatione erroris, sed compassionis miseratione, scilicet vt ita vitia aliena fleret, quemadmodum si tali & ipse implicaretur errore. Boni pastores populi debent delicta deflere, & totos se planctibus tradere, imitantes Ieremiam prophetam, dicentem: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo die ac nocte interfectos populi mei?* Tanquam propria igitur delicta, plebis peccata sacerdos flere debet: sed affectu compatiendi, non actione commissi. Nonnulli præsules gregis, quosdam pro peccato à communione eiiciunt, vt pœniteant: sed quali sorte viuere debeant, ad melius exhortando non visitant. Quibus congrue increpans sermo diuinus comminatur: *Pastores qui pascunt populum meum, vos dispersistis gregem meum: eiecistis, & non visitastis eos. Ecce ego visitabo super vos malitiam studiorum vestrorum.* Bonorum studia sacerdotum, multa diligentia etiam praua plebium facta perquirunt: vt dum in minimis subditorum peccatis se acerrimos præstant, maiores malos, cautos sibi, subditosq; ac solicitos faciant. Sicut medici morbos imminentes curandos suscipiunt, futuros vero, ne incipiant, medicinæ obiectu quadam præscientia antecedunt: ita & doctores boni sic ea quæ male acta sunt, resecant, vt ea quæ admitti possunt, ne perpetrentur, doctrina succurrente præueniant. Qui blando verbo castigatus non corrigitur, durius necesse est arguatur. Cum dolore enim abscindenda sunt, quæ leniter sanari non possunt. Qui admonitus secreto, corrigi de peccato negligit, publice arguendus est: vt nullus quod occulte sanari nescit, manifeste debeat emendari. Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda. Palam enim sunt arguendi, qui palam nocent, vt dum aperta obiurgatione sanantur, hi qui eos imitando deliquerant, corrigantur. Dum vnus corripitur, plurimi emendantur. Necesse est enim, vt pro multorum saluatione vnus condemnatur, quàm per vnius licentiam multi periclitentur. Ita erga delinquentem sermo est proferendus, sicut eius qui corripitur, expostulat salus. Quod si opus est aliquam medicamenti salutem increpationis aspergere, lenitatem corde opus est tenere. Doctores nonnunquam duris ferlunt increpationibus subditos, qui tamen à charitate eorum quos corripiunt, non recedunt. Sæpe ecclesiæ censura, arrogantibus videtur esse superbia: & quod à bonis pie fit, crudeliter fieri putatur à prauis: quia non discernunt recto oculo, quod à bonis recto fit animo. Notandum omni pontifici vehementer, vt tanto cautius erga commissos agat, quanto durius à CHRISTO iudicari formidat. Nam sicut scriptum est, *in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Quotidie namque omnes delinquimus, & in multis erroribus labimur. Qui enim in nostris delictis clementes sumus, in alieno peccato rigorem tenere nequaquam debemus. Multi aliorum vitia cernunt, sua non aspiciunt. Et cum ipsi maximis criminibus obnoxii teneantur, minora peccata fratribus non dimittunt. Hypocritæ trabem in oculo suo consistentem non sentiunt, & hærentem festucam in lumine fratris intendunt. Facilius reprehendimus vitia aliena, quam nostra. Nam quæ sæpe peruersa in aliis iudicamus, in nobis nocibilia esse minus sentimus: & quod in aliis reprehendimus, agere ipsi non erubescimus, facilius vitia vniuscuiusque, quam virtutes, intendimus: nec quid boni quisque gesserit agnoscere, sed quod male gerit, perscrutamur.

De collata Episcopi potestate ligandi atque soluendi.

Caput XXXVII.

PRAEDICATORES sancti, qui districtum Dei iudicium metuunt, animarum iudices fiunt: & alios damnant & liberant, qui semetipsos damnari metuebant. Horum profecto nunc in Ecclesia Episcopi locum tenent: soluendi atque ligandi authoritatem suscipiunt, qui gradum regiminis sortiuntur. Grandis honor pontificalis, sed graue pondus istius est honoris. Durum quippe est, vt qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, iudex vitæ fiat alienæ. Plerunque contingit, vt ipse iudicii locum teneat, cui ad locum vita minime concordat. Et sæpe agitur, vt vel damnet immeritos, vel alios ipse ligatus soluat. Sæpe in soluendis ac ligandis subditis suæ voluptatis motus, non autem causarum merita sequitur. Vnde fit, vt ipsa & ligandi & soluendi potestate se priuet, qui hanc pro suis voluptatibus, & non pro subiectorum meritis, exercet. Sæpe fit, vt erga quemlibet proximum odio vel gratia moueatur pastor. Iudicare autem digne de subditis nequeunt, qui in subditorum causis sua vel odia, vel gratiam sequuntur. Vnde recte per prophetam dicitur: *Mortificabant animas quæ non moriuntur, & viuificabant animas quæ non viuunt.* Non morientem quippe mortificat, qui iustum damnat: & non victurum viuificare nititur, qui reum à supplicio absoluere conatur. Dominus omnipotens vt nos à præcipitante sententiæ prolatione compesceret, cum omnia nuda & aperta sunt oculis eius, mala tamen Sodomæ noluit in audita iudicare, qui ait: *Descendam & videbo, vtrum clamorem qui venit ad me, opere compleuerint, an non est ita, vt sciam.* Omnipotens itaque Dominus, & omnia sciens, cur ante probationem quasi dubitat, nisi vt grauitatis nobis exemplum proponat, ne mala hominum ante præsumamus credere quam probare? Quid hoc exemplo nisi nos admonemus, ne ad proferendam sententiam vnquam præcipites esse debeamus, ne temere indiscussa iudicemus, ne quælibet mala audita nos moueant, ne passim dicta, sine probatione credamus? Causæ videlicet pensandæ sunt, & tunc ligandi atque soluendi potestas exercenda. Videndum, quæ culpa, aut quæ sit pœnitentia secuta post culpam: vt quos omnipotens Deus per compunctionis gratiam visitat, illos pastoris sententia absoluat. Tunc vera est absolutio præsidentis, cum interni arbitrium sequitur iudicis. Quod bene quatriduani mortui resuscitatio illa significat, quæ videlicet demonstrat, quia prius mortuum Dominus vocauit & viuificauit, dicens: *Lazare, veni foras.* Et postmodum is qui viuus egressus fuerat, à discipulis est solutus, sicut scriptum est: *Cumque egressus esset qui fuerat ligatus institis, tunc dixit discipulis suis: Soluite eum, & sinite abire,* scilicet vt pastores Ecclesiæ ei pœnam debeant amouere quam meruit, qui non erubuit confiteri quod fecit. Sub magno moderamine pastores Ecclesiæ ligare vel soluere studeant. Sed vtrum iuste an iniuste obliget pastor, pastoris tamen sententia gregi timenda est, ne is qui subest, & cum iniuste forsitan ligatur, obligationis suæ sententiam ex alia culpa mereatur. Pastor quisque vel absoluere indiscrete timeat, vel ligare. Is autem qui sub manu pastoris est, ligare timeat iuste vel iniuste: nec pastoris sui iudicium temere reprehendat, ne & si iniuste ligatus est, & ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat.

GREGORIVS *De Episcopis qui pro ordinatione sacerdotii, munera libenter accipiunt.*

Caput CXXXVIII.

NOnnulli Episcoporum, donum accepti spiritus in vsum solent negociationis inflectere, & miraculorum ad auaritiæ obsequium declinare. Hinc est enim quod Simon per impositionem manus edita miracula concupiscens, percipere donum spiritus pecunia voluit; scilicet vt deterius spirituale venderet, quod male comparasset. Redemptor noster flagello de resticulis facto, de templo turbas eiecit, cathedras vendentium columbas euertit. Columbas quippe vendere, est, impositione manus, qua spiritus sanctus accipitur, non ad vitæ meritum, sed ad præmium dare. Sunt nonnulli, qui nummorum quidem præmia ex ordinatione non accipiunt, & tamen sacros ordines pro humana gratia largiuntur, atque de largitate eadem laudis solummodo retributionem quærunt. Hi nimirum, quod gratis acceptum est, gratis non tribuunt: quia de impenso officio sanctitatis, nummum fauoris expetunt. Cum iustum virum describeret Esaias propheta, ait: *Qui excutit manus suas ab omni munere.* Neque enim dicit, *Qui excutit manus suas à munere:* sed adiunxit, *ab omni:* quia aliud est munus ab obsequio, aliud munus à manu, aliud munus à lingua. Munus ab obsequio, est subiectio indebite impensa. Munus à manu, pecunia. Munus à lingua, fauor. Qui ergo sacros ordines tribuit, tunc ab omni munere manus excutit, quando in diuinis rebus non solum vllam pecuniam, sed etiam humanam gratiam non requirit. Plerunque fit, vt quisque eorum vel bona corporalia ab hominibus accipere contemnat: sed quia hæc non accipit, maiores ab eis recipere laudes quærat. Et fortasse munus se accepisse non æstimat, qui bona corporalia accipere recusat, sicut scriptum est superius. Aliquando munus à manu, aliquando vero ab ore porrigitur. Nam qui nummum tribuit, munus ex manu dedit. Qui autem verbū laudis impendit, munus ab ore protulit. Plerunq; sacerdos etsi exteriora dona quæ terrenæ fortitatis

fitati

situm necessitati congruunt, pro impositione manuum accipere recusat: plus est, quod sibi retribui appetit, cum vltra meritum laudare desideraos, munus ab opere quærit.

Incipit Canon *ex Niceno Concilio, de subintroductis mulieribus.*

Caput XXXVIII.

INterdixit per omnia magna synodus, non Episcopo, non Presbytero, non Diacono, nec alicui omnino qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem: nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quæ suspiciones effugiunt.

Item in eodem concilio de clericis vsuras accipientibus.

Caput XXXIX.

DE clericis vsuras accipientibus, quoniam multi sub regula constituti, auaritiam & turpia lucra sectantur, obliti que diuinæ scripturæ, dicentis: *Qui pecuniam suam non dedit ad vsuram*, mutuum dantes, centesimos exigunt: iuste censuit sancta & magna synodus, vt si quis inuentus fuerit post hanc diffinitionem vsuras accipiens, aut ex inuentione aliqua, vel quolibet modo negocium transigens, aut hemiolia, id est, sexcupla, exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans, turpis lucri gratia, deiiciatur à cleru, & alienus existat à regula.

Item de priuilegiis presbyterorum.

Caput XL.

PEruenit ad sanctum magnumque concilium, quod in quibusdam locis & ciuitatibus presbyteris gratiam sacræ communionis diaconi porrigant, quod nec regula, nec consuetudo tradidit, vt ab his qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant. Necnon & illud innotuit, quod quidam diaconi ante Episcopos sacra oblata contingant. Hæc igitur omnia resecentur, & in sua diaconi mensura permaneant, scientes quod Episcoporum quidem ministri sunt, inferiores autem presbyteris habeantur. Per ordinem ergo, post presbyteros gratiam sacræ communionis accipiant, aut episcopo eis, aut presbytero porrigente. Sed nec sedere in medio presbyterorum diaconis liceat: quia si hoc fiat, præter regulam & ordinem probatur existere. Si quis autem etiam post has diffinitiones obedire noluerit, à ministerio cessare debebit.

De excommunicatis in eodem Concilio.

Cap. XLI.

DE his qui communione priuantur, seu ex clero seu ex laico ordine, ab episcopis, per vnamquamque prouinciam sententia regularis obtineat, vt hi qui abiciuntur, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet episcopi vitio, videatur à congregatione seclusus. Vt hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit annis singulis per vnam quamque prouinciam bis in anno Concilia celebrari, vt communiter omnibus simul Episcopis congregatis prouinciæ, discutiantur huiusmodi quæstiones: & sic qui suo peccauerunt euidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, vsquequo vel in communi vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia vero celebrentur: vnum quidem ante quadragesimam paschæ, vt omni dissensione sublata, munus offeratur Deo purissimum: secundum vero circa tempus autumni.

Item ex eodem Concilio, quod non oporteat demigrare.

Cap. XLII.

PRopter multam perturbationem & seditiones, quæ fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quæ præter regulam in quibusdam partibus videtur admissa, ita vt de ciuitate ad ciuitatem, non Episcopus, non presbyter, non diaconus, transferatur. Si quis autem post diffinitionem sancti & magni Concilii, tale quid agere tentauerit, & se huiuscemodi negocio mancipauerit, hoc factum prorsus irritum ducatur, & restituatur Ecclesiæ, qui fuit Episcopus, aut presbyter, aut diaconus ordinatus.

In Concilio Chalcedonensi, Non transmigrandum de ciuitate in ciuitatem.

Caput XLIII.

DE his, qui transmigrant de ciuitate in ciuitatem, Episcopis aut clericis placuit, vt Canones, qui de hac re à sanctis patribus statuti sunt, habeant propriam firmitatem.

In

In Concilio Niceno *de his, qui in ecclesiis, in quibus prouecti sunt, minime perdurarunt.*

Cap. XLIV.

QVicunque temere ec periculose, neque timnrem Dei pro oculis babentes, nec agnoscentes ecclesiasticam regulam, discedunt ab ecclesia presbyteri aut diaconi, vel quicunque sub regula prorsus existunt, hinequaquam debent in aliam ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem conuenit illic imponi, vt ad suas patrchias reuertantur. Qund si nnn fecerint, opnrtet eos cnmmunione priuari. Si quis autem ad alium pertinentem audacter inuadere, & in sua Ecclesia ordinare tentauerit, non consentiente Episcopu, à quo discessit is qui regulæ mancipatur, ordinatio huiuscemodi irrita comprnbetur.

Item in eodem Concilio de flectendo genu.

Cap. XLV.

QVnniam sunt quidam in die dominico genu flectentes, & in diebus pentecostes, vt omnia in vniuersis locis consonanter obseruentur, placuit sancto concilio stantes domino vota persoluere.

In Antiocheno *Concilio, De damnatis & ministrare tentantibus.*

Cap. XLVI.

SI quis Episcopus damnatus à synodo, vel presbyter eot diaconus à suo Episcopo, ausi fuerint de ministerio sacro contingere, siue Episcopus, iuxta præcedentem consoetudinem, siue bresbyter aut diaconus, nulla modo liceat ei nec in alia synodo, restitutionis spem aut locum babere satisfactinnis. Sed & communicantes ei omnes abiici de ecclesie, & maxime si posteaquam didicerint, aduersus memnratos prnlatam fuisse seotentiam, eisdem communicare tentauerunt.

In Africano *Concilio de clericis damnatis.*

Cap. XLVII.

ET illud petendom, vt statuere dignetur, vt si quis cuiuslibet honnris clericus, iudicio episcoporum quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum siue ab ecclesiis, quibus præfuit, siue à qnnlibet homine defensari, interposita pœna damni pecuniæ atque honoris, quo nec ætatem, nec sexum excusandum esse percipiant.

In Antiocheno *concilio, de peregrinorum susceptione.*

Caput XLVIII.

NVllus peregrinorum sine pacificis, id est, commendatitiis suscipiatur epistolis.

In Chalcedonensi *concilio, quod non liceat clerico in duarum ciuitatum ecclesiis ministrare.*

Caput XLIX.

NOn licere clericum in duarum ciuitatum conscribi simul ecclesiis, & in qna initio ordinatus est, & ad quam confugit quasi ad potiorem, nb inanis gloriæ cupiditatem. Hnc eutem facientes, reuocari debere ad suam Ecclesiam, in qua primitus ordinati sunt, & ibi tantummodo ministrare. Si vero quis iam translatus est ex alia in aliam ecclesiam, prinris ecclesiæ vel mertyrinrum quæ sub ea sunt, ant ptochiorum, aut xenodochiorum rebus in nulln communicet. Eos vero, qui ausi fuerint post difinitionem magnæ & vniuersalis huius synodi, quicquam ex his, quæ sunt prohibita, perpetrare, decreuit sancta synodus, à proprio huiusmodi gradu tecedere.

Item in eodem, quod non oporteat peregrinos clericos sine commentatitiis ministrare.

Caput L.

PEregrinos clericos & lectores in alia ciuitate, præter commendatitias literas sui Episcopi, nusquam penitus ministrare debere.

In Laudacensi *Concilio quod sine literis sacro ministerio seruientes proficisci non debeant.*

Cap. LI.

QVod non oporteat sacerdotem vel clericum sine literis proficisci canonicis.

In

In Concilio Sardicensi, *De clericis à communione summotis, ab alio non recipiendis Episcopo.*

Cap. LII.

OSius Episcopus dixit: Hoc quoque omnibus placet, vt siue diaconus, siue presbyter, siue quis clericorum ab Episcopo suo communione fuerit priuatus, & ad alterum perrexerit Episcopum, & scierit, ad quem confugit, eum ab Episcopo suo fuisse abiectum, non oportet vt ei communionem indulgeat. Quod si fecerit, sciat se conuocatis Episcopis causas esse dicturum. Vniuersi dixerunt: Hoc statutum & pacem seruabit, & concordiam custodiet.

In Carthaginensi *Concilio. Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationem protulit.*

Caput LIII.

ITem placuit vniuerso Concilio, vt qui excommunicatus fuerit pro suo neglectu, siue Episcopus, siue quilibet clericus, & tempore excommunicationis suæ ante audientiam communionem præsumpserit, ipse in se damnationis iudicetur protulisse sententiam.

De non solicitandis clericis alienis.

Caput LIV.

IAnuarius Episcopus dixit: Illud quoque statuat sanctitas vestra, vt nolli Episcopo liceat alterius Episcopi ciuitatis ministrum Ecclesiasticum solicitare, & in suis parochiis ordinare. Vniuersi dixerunt, Placet: quia ex his contentionibus solet nasci discordia, & ideo prohibet omnium sententia, ne quis hoc facere audeat.

In Concilio Africano, *De his qui semel legerunt in Ecclesia, ab aliis non posse promoueri.*

Cap. LV.

ITem placuit, vt quicunque in Ecclesia vel semel legerit, ab alia Ecclesia ad clericatum non teneatur: & subscripserunt: Aurelius Episcopus Ecclesiæ Carthaginensis, huic decreto consensi, & perlecto subscripsi. Similiter & cæteri Episcopi subscripserunt.

In Concilio Carthaginensi, *Si qui clerici ab Episcopis suis promoti contempserint, nec illic maneant vnde recedere noluerunt.*

Cap. LVI.

ITem placuit, vt quicunque clerici vel diaconi, pro necessitatibus Ecclesiarum, non obtemperauerint Episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua Ecclesia promouere: nec illic ministrent in gradu suo, vnde recedere noluerunt.

In decretali Leonis *Papæ, vt nullum alienum clericum solicitare vel tenere præsumat suo Episcopo, non præueniente consensu.*

Cap. LVII.

ALienum clericum, inuito Episcopo ipsius, nemo suscipiat, nemo solicitet, nisi forte ex placito charitatis id inter dantem accipientemque conueniat. Nam grauis iniuriæ reus est, qui de fratris Ecclesia id, quod est vtilius aut preciosius, audet vel abiicere, vel tenere. Itaque si intra prouinciam res agatur, transfugam clericum de Ecclesia sua metropolitanus redire compellet. Si autem longius recessit, sui præcepti authoritate reuocabitur, vt nec cupiditati, nec ambitioni occasio relinquatur.

In Africano *Concilio, vt in Ecclesiis conuiuia minime celebrentur.*

Cap. LVIII.

VT nulli Episcopi vel clerici in Ecclesia conuiuentur, nisi forte transeuntes hospitiorum necessitate illic reficiant. Populi etiam ab huiusmodi conuiuiis, quantum fieri potest, prohibeantur.

In Laudacensi *Concilio, quod nullus Ecclesiasticorum in tabernis comedere debeat.*

Cap. LIX.

QVod non oporteat sacro ministerio deditos, à presbyteris vsque ad diaconos, & reliquum Ecclesiasticum ordinem, id est, vsque ad subdiaconos, lectores, cantores, exorcistas, & ostiarios, & ex numero continentium & monachorum, ingredi tabernas.

In Car-

In Carthaginensi concilio De auaritia.

Cap. 60.

AVrelius Episcopus dixit: Auaritiæ cupiditas, quam rerum omnium malarum matrem esse nemo qui dubitet, protode inhibenda est, ne quis alienos fines vsurpet, aut per præmium terminos patrum statutos transcendat. Nec omnino cuiquam clericorum liceat da qualibet re fœnus accipere, quanquam nouellæ suggestiones, quæ vel obscuræ sunt, vel sub genera latent, inspectæ, à nobis formam accipient. Cæterum de quibus apertissime diuinitus scriptura sanxit, non est differenda sententia, sed potius exequenda. Proinde quod in laicis reprabenditur, id multo magis debet in clericis prædamnari. Vniuersum concilium dixit: Nemo contra propbetas, nemo contra Euangelica facit sine periculo.

In Decretali Papa Leonis, *quod vsuram non solum clerici exigre non debent, sed nec laici Christiani.*

Cap. 61.

NEc hoc quoque prætereundum esse duximus quosdam lucri turpis cupiditate captos, vsurariam axcercere pecuniam, & fœnore velle ditescere, quod nos nisi dicam in eos qui sunt in clericali officio constituti, sed in laicos cedere, qui Christianos se dici cupiunt, condolemus. Quod vindicari acrius in eos qui fuerint confutati, decernimus, vt omnis peccandi opportunitas adimatur.

In Anquyritano conc. De his qui esum carnium in clero constituti diffugiunt.

Cap. 62.

HI qui in clero sunt presbyteri & diaconi, & à carnibus abstineat: placuit eas quidem contingere, & ita si voluerint, continere. Quod si in tantum eas abominantur, vt nec olera quæ cum ais coquuntur, existiment comedenda, tanquam non consentientes regulæ, ab ordine cessare debebunt.

In concilio Neocæsatiensi, *decimotertio, De numero certo diaconorum.*

Cap. 63.

DIaconi septem esse debent iuxta regulam, licet & valde magna sit ciuitas. Idipsum autem & Actuum Apostolorum liber insinuat.

In Gangrensi concilio, V. De his qui abominantur eos qui carnibus vescuntur.

Cap. 64.

SI quis carnes edentem, præter sanguinem & idolis immolatum, & suffocatum, cum religione & fide contemnat, velut spem propter huiusmodi perceptionem non habentem, anathema sit.

Item in eodem concilio octauo, De his qua in vsum pauperum conferuntur.

Cap 65.

SI quis dederit vel acceperit oblata præter Episcopum, vel eum, qui constitutus est ab eo, ad dispensandom misericordiam pauperibus: & qui dat, & qui accipit, anathema sit.

Item in eodem conc. de his qui pro virginitate superbiunt.

Cap. 66.

SI quis ex his qui virginitatem propter dominum seruant, extollitur aduersus coniugatos, anathema sit.

Item in eodem concilio, vicesimo quarto De his qui in dominica die ieiunant, tanquam nihil præ cæteris differente.

Cap. 67.

SI quis propter continentiam, quæ putatur, aut contumaciam in die dominico ieiunat, anathema sit.

In eodem concilio, decimo nono, De his qui ecclesiastica ieiunia absque necessitate dissoluunt.

Cap. 68.

SI quis eorum qui continentiæ studant, absque necessitate corporea tradita in commune ieiunia, & ab ecclesia custodita, supetbiando dissoluit, stimulo suæ cogitatioois impulsus anathema sit.

In Antiocheoo *concilio, V. de his qui se à perceptione sancta communionis auertunt, & qui excommunicatis per domos communicant.*

Cap. 69.

OMnes qui ingrediuntur ecclesiam Dei, & scripturas sacras audiont, nec communicant in oratione cum populo, sed pro quadam intemperantia se à perceptione sanctæ communionis auertunt, hi de ecclesia remoueantur, quamdiu per confessionem pœnitentiæ fructus ostendant, & precibus indulgentiam consequantur.

Item in eodem concilio III. de his qui ab alia parochia præter conscientiam Episcoporum suorum, in aliis commorantur.

Cap. 70.

SI quis presbyter aut diaconus, & omnino quilibet ex clero, parochiam propriam deserens, ad aliam properauit, dein omnino demigrans, in aliam parochiam, per multa tempora nititur immorari, vlterius ibidem non ministrat, maxime si vocanti suo Episcopo, & regredi ad propriam parochi-

am

am commonenti, obedire contemſerit. Quod ſi in hac indiſciplinatione perdurat, à miniſterio modis omnibus remoueatur, ita vt nequaquam locum reſtitutionis inueniat. Si vero pro hac cauſa damnatum alter epiſcopus ſuſcipiat, hic etiam à communi coerceatur ſynodo, velut qui eccleſiaſtica conſtituta diſſoluat.

Item in eodem Concilio, VI. de clericis excommunicatis vel laicis.

Cap. 71.

SI quis à proprio epiſcopo communione priuatus eſt, non ante ſuſcipiatur ab aliis, quam ſuo reconcilietur epiſcopo: aut certe ad ſynodum, quæ congregatur, occurrens, pro ſe ſatisfaciat.

Item in eodem de epiſcopis & clericis adeuntibus Imperatorem.

Cap. 72.

SI quis epiſcopus, aut presbyter, aut quilibet regulæ ſubiectus eccleſiæ, præter conſilium & literas epiſcoporum prouinciæ, & præcipue metropolitani, adierit Imperatorem, hunc reprobari & abiici oportere non ſolum à communione, verum & ab honore cuius particeps videtur exiſtere, quia venerandi principis auribus moleſtiam tentauit inferre contra leges eccleſiæ. Si igitur adire principem neceſſaria cauſa depoſcit, hoc agatur cum tractatu & conſilio metropolitani, & cæterorum Epiſcoporum, qui in eadem prouincia commorantur. Qui etiam proficiſcentem ſuis proſequantur epiſtolis.

Item in eodem concilio, XII. de damnatis epiſcopis aut clericis, adeuntibus Imperatorem.

Cap. 73.

SI quis à proprio epiſcopo presbyter aut diaconus, aut à ſynodo fuerit Epiſcopus forte damnatus, & imperatoris auribus moleſtus extiterit, oportet ad maius Epiſcoporum conuerti Concilium: & quæ putauerint habere iuſta, plurimis epiſcopis ſuggerant, eorumque diſcuſſiones ac iudicia præſto lentur. Si vero hæc paruipendentes, moleſti fuerint imperatori, hos de nulla venia dignos eſſe nec locum ſatisfactionis habere, nec ſpem futuræ reſtitutionis penitus opperiri.

Item in Laodicenſi concil. VI. vt hi qui in ſacrario ſeruiunt, vſuras non exigant.

Cap. 74.

* ſex cuplum QVod non oporteat ſacerdotes & clericos fœnerantes vſuras, vel quæ dicuntur * ſexdupla, id eſt, & ſumptoam capitis, & dimidium ſummæ percipere.

Item in eodem concilio, 15. de his qui debeant in ambone, id eſt, in pulpito pſallere.

Cap. 75.

QVod non oporteat amplius præter eos qui regulariter cantores exiſtunt, qui & de codice canunt, alios in pulpitum conſcendere, & in eccleſia pſallere.

Item in eodem conc. 20. de honore quem presbyteris diaconi, qui ſub ipſis ſunt, debeant exhibere.

Cap. 76.

QVod non oporteat diaconum coram presbytero ſedere, ſed iuſſione presbyteri ſedeat. Similiter autem & diaconus in honore habeatur ab obſequentibus, id eſt, ſubdiaconis & omnibus clericis.

Item in eodem conc. 25. quod ſubdiaconi non debeant benedicere vel benedictionem tribuere.

Cap. 77.

QVod non oporteat ſubdiaconos panem dare vel calicem benedicere.

Item in eodem conc. 26. de exorciſtis qui non ſunt ab epiſcopis ordinati.

Cap. 78.

QVod hi qui non ſunt ab epiſcopis ordinati, tam in eccleſiis quam in domibus, exorcizare non poſſint.

Item in eodem conc. 28. in eccleſia prandia fieri non debere.

Cap. 79.

QVod non oporteat in dominicis, id eſt, in domini eccleſiis conuiuia, quæ vocantur agapæ, fieri, nec intra domum Dei comedere vel accubitus ſternere.

Item in eodem conc. 40. quod præter epiſcopum clericus proficiſci non debeat.

Cap. 80.

QVod non oporteat ſacerdotem vel clericum, præter iuſſionem ſui proficiſci pontificis.

Item in eodem conc. 44. vt ad ſacrarium mulieres non introeant.

Cap. 81.

QVod non oporteat ingredi mulieres ad altare.

Item in eodem conc. 54. non licere clericis lubricis ſpectaculis intereſſe.

Cap. 82.

QVod non oporteat ſacerdotes aut clericos ex collatis vel commeſſationibus conuiuia celebrare. Hoc autem nec laicis poſſe congruere.

Item

Item in eodem conc. LVII. Oblationes offerri in domibus non oportere.

Cap. LXXXIII.

QVod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis vel à presbyteris.

Item in conc. Chalcedonensi *VII. de clericis & monachis non manentibus in suo proposito.* *Cap. LXXXIV.*

QVi semel in clero deputati sont, aut monachotum vitam expetiuerunt, statuimns, neque ad militiam, neque ad dignitatem aliquam venire mundanam: aut hoc tentantes, & non agentes pœnitentiam, quo minus redeant ad boc, quod propter Dominum primitus elegetunt, anathemaozari.

Item in eodem concilio, VIIII. quod oporteat clericos habentes aduersus inuicem negocia, proprium Episcopum relinquere, & ad secularia iudicia conuolare.

Cap. LXXXV.

SI quis clericus adnersus clericnm babet negocium, non deserat Episcopum proprium, & ad secularia percurrat iudicia: sed prius actio ventiletur apud Episcopum proprium, vel certo consilio eiusdem Episcopi apud quos vtræque partes voluerint, iudicium obtinebunt. Si quis autem præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subiacebit. Quod si clericus habet causam aduersus Episcopum proprium, vel aduersus alterum, apud synodum prouinciæ iudicetur. Quod si aduersus eiusdem prouinciæ metropolitanum Episcopus vel clericus habet querelam, petat primatem diœceseos, aut sedem regiæ vrbis Constantinopolitanæ, & ad ipsum iudicetur.

In eodem concilio, XX. quod minime clericos transmigrari conueniat.

Cap. LXXXVI.

CLeticos in Ecclesia ministrantes, sicut iam coostituimus, in alterius cinitatis Ecclesiam statutos fieri non oportet, sed conteotus esse, in quibus ab initio ministrare meruerunt, exceptis illis, qui proprias amittentes ptouincias, ex oecessitate ad aliam Ecclesiam transierunt.

Item in eodem concilio XXII. quod non liceat clericis post mortem sui Episcopi, res ad eum pertinentes diripere.

Cap. LXXXVII.

NOn licere clerici post obitum sui Episcopi, res ad eum pertinentes diripere, sicut antiquis quoque est canonibus constitutum. Quod si hoc facere tentauerint, gtaduum suorum periculo sobiacebnnt.

Item in concil. Carthaginensi, *XXXII si quis clericorum pauper promotus in ordine postea habuerit aliquid, Ecclesiæ potestati subiiciat.* *Cap. LXXXVIII.*

ITem placuit, vt Episcopus, presbyteri, diaconi, vel quicunqoe clerici, qui nihil habentes otdinantur, & tempore Episcopatus vel clericatus sui agros, vel quæcunque prædia oomine suo comparant, tanquam rerum dominicarum inuasionis crimine teneantur, nisi admoniti, in Ecclesia eadem ipsa contulerint. Si autem ipsis proprie aliquid liberalitate alicuius, vel successione cognationis obuenerit faciant inde quod volunt. Si quis eorum à proposito retrorsum exorbitauerint, honote Ecclesiastico indigni, tanquam reptobi, iudicentur.

Item in Africano *conc. VII. vt clerici tabernas, nisi in peregrinis non ingrediantur.* *Cap. LXXXIX.*

VT clerici, edendi vel bibendi causa tabernas non ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compolsi.

Item in eodem conc. XXI. vt alienus clericus minime suscipiatur ab alio.

Cap. XC.

EPigonim Episcopus dixit: In multis conciliis hoc statutum est, etiam nunc hoc confirmatum est à vestra prudentia beatissimi fratres, vt clericum alienum nullus sibi priuet Episcopus, ptæter eius arbitrium cuius fuerit clericus.

In decretali Leonis *Papæ* **, *vt clericus nec suo, nec alieno nomine fænus exerceat.*

Cap. XCI.

ILlud etiam duximus ptæmonendum, vt sicot non suo, ita non alieno nomine aliquis clericorum exercere fœnus attentet. Indecens enim est, crimen suum commodis alienis impendere, fœnus autem hoc solum aspicere & exercere debemus, vt hic misericorditer tribuimus, ab eo Domino, qui multipliciter & io perpetuum mansura retribuet, recipere valeamus.

In decretali Gelasii *Papa I.* * 15. *Vt clerici nullas negociationes inhonestas & turpia lucra sectentur.* *Cap. XCII.*

COnsequeos fuit, vt illa quoque quæ de Nicenis patribus nuper ad nos missa relatio nuoclauit, nonprætereunda putatemus, id est, plusimos clericorum negociationibus inhonestis & lucris turpibus imminere, oullo pudore cernentes Euangelicam lectionem: quia ipse Dominus noster negociatores, templo verberatos flagellis asseritut expulisse, nec Apostoli verba tecolentes, quibus ait: *Nemo militans Deo, implicat se negociis secularibus.* Psalmistam quoqua Dauid susda dissimulantes autec antantem: *Quoniam non cognoui negociationes, introibo in potentias Domini.* Proinda huiusmodi vt ab indignis post hæc quæstibus nouerint abstinendum, & ab omnibus cuiuslibet negociatioois ingeniis cupiditateque cessaodum, aut in quounque gradu sint positi, mox à claricalibus officiis abstinere cogantur: quoniam domus Dei, domus orationis & esse debet & dici, ne officina negociationis & spelunca potius sit latronum.

Excerptum ex Epistola S. Hieronymi *presbyteri ad Nepotianum de vita clericorum.* *Cap. XCIII.*

PEtis à me, ò Nepotiana charissime, literis transmarinis, & crebro petis, vt tibi breui volumine digetam præcepta viuendi: & qua ratione is, qui seculi militia derelicta, cœperit esse clericus, rectum Christi tramitem teneat, na ad diuarsa vitiorum diuerticula rapiatur. Scio quidam ab auunculo tuo B. Haliodoro, qui nunc pontifex Christi est, te & didicilla quæ sancta sunt, & quotidie discere, normamq; te eius exemplo habere virtutum. Sed & nostra, qualiacunq; sunt, suscipe: & libellum hunc, libello illius copulato, vt cum ille te monachum etudierit, hic clericum doceat assa perfectum. *Igitur* clericus qui Christi seruit Ecclesiæ, interpratetur primo vocabulum suum: & nominis diffinitione prolata, nitatur esse quod dicitur. Si n. cleros græce, latine sots eppallatur: propterea vocantur clerici, quia da sorte sunt Domini, vel quia Dominus ipse sors, i. pars clericorum est. Et quia vel ipsa pars Domini est, vel Dominũ partem habet: talem se exhibere debet, vt ipsa possideat Dominum, & ipse possideatur à domino. Qui possidet Dominum, & cum propheta dicit, *Pars mea Dominus*, nihil extra dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars eius non erit Dominus. Verbi gratia: Si aurum, si argentum, si possessionas, si variam supallectilam, cum istis partibus dominus pars eius fieri pon dignatur. Si autam ego pars domini sum, & funiculus hæreditatis eios: nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi Leuita & sacerdos, viuo da decimis: & altari seruiens, altaris oblatione sustentor: habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaque te, & rapetens iterum monebo, ne officiom clericatus, genus antiquæ militiæ putes: i. ne lucra seculi in Christi quæras militia: nec plus habeas, quam quando clericus esse cœpisti & dicatur tibi. Clerici eorum non prodarunt eis. Mensulam tuam pauperes & peregrini, & tu cum illis Christum conuiuum oouerit. Negociatotam clericum, & ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. *Corrumpunt mores bonos confabulationes pessima.* Tu aurum contemnis, alius diligit. Tu calcas opes, ille sectatur. Tibi cordi est mansuetudo, silentium secretum: illi loquacitas, attrita *frons*, fora placent & plateæ & medicorum tabernæ. In tanta motum discordia, quæ potest asse concordia? hospitiolum tuum eut raro, aut nonquam mulierum pedes terant. Omnes puallas & virgines Christi eut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto manseris, ne in præterita castitata confidas. Nec Dauid sanctior, nec Salomone potes esse sapientior. Memento semper, quod paradisi colonum de possessione sua mulier eiecerit. Ægrotanti tibi sanctus quilibet frater assistat, & germana vel mater, aut probata quælibet apud omnes fida. Quod si huiuscemodi non fuarint consanguinitatis aastimoniæque personæ, multas anus nutrit Ecclesia, quæ & officium præbeant, & beneficium accipiant ministrando, vt infirmitas quoque tua fructum habeat eleemosynæ. Scio quosdam conualuisse corpore, & animo ægrotare cœpisse. Periculose tibi ministrat, cuius vultum frequenter attendis. Si propter officium clericatus aut vidua visitatur, aut virgo: nunquam domum solus introeas, talesque habeto socios, quorum contubernio non infamaris. Si lector, si acolytus, si psaltes saquitur: non ornetur veste, sed motibus: nec calamistro crispant comas, sad pudicitiam habitu polliceantur. Solus cum sola secrete & absque arbitro vel teste, non sedeas. Si familiarius est aliquid loquendum, habet nutricem maiorem domus, virginem, viduam, maritatam: non est tam inhumana, vt nullum prætar te habeat cui se debeat credere. Caueto omnes suspiciones: & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur, ante deuita. Crebra munuscula & sudariola & fasciolas & vestes ori applicitas ac oblatas, ac degustatos cibos, blandasq; ac dulces literas, sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meumq; desiderium Christus est. Natus in paupere domo, & in tugurio rusticano, qui vix milio & cibario pane rugiantem satiare ventram poteram, nunc similam & mella fastidio. Noui & genera & nomine piscium: in quo littore conchæ lectæ sint, calleo: saporibus auium discerno prouincias: & ciborum me raritas, ac nouissime damna ipsa delectant. Tu quidem diuinas scripturas sæpius lega, imo nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur. Disce quod doceas, obtine eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sarmonem, vt possis exhortari in doctrina sana, & contradicentes reuincera. Permane in his quæ didicisti, ac credita sunt tibi, sciens à quo didiceris, paratus semper ad satisfactionam omni poscenti à te rationem de ea, quæ in ta est, spe. Non confundant opera sermonem tuum, nec cum in Ecclesia loqueris, tacitus quilibet respondeat: Cur ergo hæc quæ dicis, ipse non facis? Delicatus magister est, qui pleno ventre de ieiuniis disputat. Accusare auaritiam & latro potast. Sacerdotis Christi os cum mente concordat. Esto subiectus pontifici tuo, & quasi animæ parentem suscipe. Amare, filiorum; timare, seruorum est. Si pater sum, inquit, vbi est honor meus? Si dominus ego sum, vbi timor meus est? Melius charissime, non habere quod tribuas, quam impudentar petere quod des. Sed & genus arrogantiæ est, clementiorem velle videri, quam pontifex Christi, esse.

Non

Non omnia possumus omnes. Alius in Ecclesia oculus est, alius lingua, alius manus, alius pes, auris, venter, & cætera. Lege Paulum ad Corinthios, ubi diversa membra unum corpus efficiunt. Nec rusticus & simplex frater inde se sanctum putet, si nihil noverit: nec peritus & eloquens in lingua existimet sanctitatem: multoque melius est e duobus imperfectis, rusticitatem habere sanctam, quam eloquentiam peccatricem. Multi ædificant parietes, & columnas Ecclesiæ substruunt, marmora nitent auro, splendent laquearia, gemmis altare distinguitur, & ministrorum Christi nulla electio est. Nec vero portemus crucem Christi, & divitias lutum non putemus. Quid miramur quod Christus vocat iniquum mamona? Quid suscipimus & amamus, quod Petrus se non habere testatur? Convivia tibi detestanda sunt secularium, maxime horum qui honoribus tument. Turpe est, ante fores Domini sacerdotis crucifixi & pauperis, & qui cibo quoq; vescebatur alieno, lictores consulum & milites excubare: Iudicemq; provinciæ melius vis apud te prandere, quam in palatio. Quod si obtenderis facere te hæc, ut roges pro miseris atq; subiectis: iudex seculi plus defert clerico continenti, quam diviti: & magis sanctitatem tuam venerabitur, quam opes. Aut si talis est, qui non audiat clericos nisi inter phialas, libenter carebo huiuscemodi beneficio, & Christum rogabo pro Iudice, qui magis potest citius subvenire. Melius est enim, in Domino, quam confidere in homine. Melius est sperare in Domino, quam sperare in principibus. Nunquam vinum redoleas, ne audias illud Philosophi: *Hoc non est osculum porrigere, sed propinare*. Vinolentos sacerdotes & Apostolus damnat, & vetus lex prohibet. *Qui altario serviunt vinum & siceram non bibant*. Sicera, Hebræo sermone, omnis potio nuncupatur, qua inebriari potest, sive illa quæ frumento conficitur, siue pomorum succo, aut favi decoquuntur in dulcem & barbaram potionem, aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem: coctisq; frugibus, aqua pinguior coloratur. Quicquid inebriat, & statum mentis evertit, fuge similiter ut vinum. Nec hoc dico, quod Dei creatura à nobis damnetur. Siquidem & Dominus vini potator est appellatus. Et Timotheo dolenti stomachum, vini modica sorbitio relaxata est. Sed modum ætatis & valetudinis, pro corporis qualitate exigimus in potando. Quod si absque vino ardeo, & adolescentiæ inflammor calore, & tenuato sanguine succulento, validoque sum corpore, libenter cavebo poculum, in quo suspicio veneni est. Pulchrè dicitur apud Græcos, sed nescio utrum apud nos æque resonet, *pinguis venter non gignit sensum tenuem*. Tantum tibi ieiuniorum impone, quantum ferre potes. Sint tibi ieiunia pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa. Quid prodest oleo non vesci, & molestias quasdam difficultatesque ciborum quærere, caricas, piper, nuces, palmarum fructus, similam, mel, pistacia: Tot hortorum cultura vexatur, ut cibario non vescamur pane. Audio præterea quosdam contra rerum hominumque naturam, aquam non bibere, nec vesci pane, sed sorbitiunculas delicatas, & contrita olera, betarumque succum non calice sorbere, sed concha. Fortissimum ieiunium est aqua & panis. Sed quia gloriam non habet, & omnes pane & aqua vivimus, quasi publicum & commune ieiunium non putatur. Cave ne hominum rumusculis aucuperis, ne in offensam Dei, populorum laudem commutes. *Si adhuc*, inquit Apostolus, *hominibus placerem, Christi servus non essem*. Desivit placere hominibus, & servus factus est Christi. Per bonam & malam famam, à dextris & à sinistris Christi miles graditur: nec laude extollitur, nec vituperatione frangitur: non divitiis tumet, non contrahitur paupertate: & læta contemnit & tristia. Per diem sol non urit eum, neque luna per noctem. Nolo te orare in angulis latebrarum, ne rectum iter precum tuarum frangat aura popularis. Nolo te dilatare fimbrias & ostentui habere phylacteria: & conscientia repugnante, pharisaica ambitione circondari. Inde pendet Evangelium, inde Crux ac Prophetæ. Fidelis mecum lector intelligis, quid taceam, & quid magis tacendo loquar. Tot regulæ, quot species gloriarum. Quanto melius erat, hæc non in corpore, sed in corde gestare? Dominum habere fautorem, non aspectus hominum? Vis scire, qualesquales quærat Dominus ornatus? habeto iustitiam, prudentiam, temperantiam, fortitudinem. His cœli plagis includere, hæc te quadriga velut aurigam Christi, ad metam concitum ferat. Nihil hoc monili preciosius, nihil hac gemmarum varietate distinctius. Ex omni parte decoraris, cingeris, atque protegeris, & ornamento tibi sunt, & munimini: gemmæ vertuntur in scuta. Cave quoque, ne aut linguam aut aures habeas prurientes, id est, ne aut ipse aliis detrahas, aut alios audias detrahentes. *Sedens* (inquit) *adversus fratrem tuum loquebaris detrahendo, & adversus filium matris tuæ ponebas scandalum, &c.* Parce à detractione linguæ, custodi sermones tuos, & scito quia cuncta quæ de aliis loqueris, tua sententia iudicaris: & in his ipse deprehendendus eris, quæ in aliis arguebas. Neque vero illa iusta est excusatio, referentibus aliis iniuriam facere non possum. Nemo invito auditori libenter refert. Officii ergo tui sit, charissime, non solum oculos castos servare, sed & linguam. Nunquam de mulierum formis disputes, nec quid in cuiusquam domo agatur, alia domus per te noverit. Omnium Christianorum domos, quasi proprias ama. Facilius contemnitur clericus, qui sæpe vocatur ad prandium, & non recusat. Nunquam petentes, raro accipiamus rogati. Beatius est magis dare quam accipere. Nescio enim quo modo etiam ipse qui deprecatur, ut tribuat, cum acceperis, viliorem te iudicat. Et mirum in modum, si eum rogantem contempseris, plus te potius veneratur. Procuratores atque dispensatores domorum alienarum atque villarum, quomodo esse possunt clerici, qui proprias iubentur contemnere facultates? Amico rapere quippiam, furtum est. Ecclesiam fraudare, sacrilegium est. Accepisse pauperibus erogandum & esurientibus plurimis, vel cautum esse velle, vel timidum, aut (quod apertissimi sceleris est) exinde aliquid subtrahere, omnium prædonum crudelitatem superat. Alter fame torquetur, & tu iudicas, quoniam ventri eius satis sit. Aut divide statim, quod accipis: aut si timidus dispensator es, dimitte largitori, ut sua ipse distribuat. Nolo, sub occasione mea, sacculus cuius plenus sit. Nemo mea melius me servare potest. Ipse est optimus dispensator, qui nihil sibi reservat. Coegisti me Nepotiane charissime, talia scribendo, omnium me lin-

guis prodere. Aut enim nihil scribendum fuit ne hominum judicium subiremus, quod tu facere voluisti: aut scribentem nosse, aduersum nos cunctorum maledicorum tela esse torquenda. Quos obsecro, uut quiescant, & desinant maledicere. Non n. vt aduersariis, sed vt amicis scripsimus. Nec inuecti sumus in eos qui peccant, sed ne peccent, monemus, neq; in illos tantum, sed in nos ipsos seueri iudices fuimus, volentesque festucam de oculo alterius tollere, nostram prius trabem eiiciamus. Nullum læsi, nullius nomen de mea scriptura designatum est. Neminem specialiter meus sermo pulsauit. Generalis de vitiis disputatio est, sed qui mihi irasci voluerit, prius ipse de se, quod talis est, confitebitur.

Excerptum Beati Hieronymi *De institutione clericorum, ex epistola ad Paulinum presbyterum.*

Cap. 94.

OBsecro charissime, vt multitudines hominum & officia & salutationes & conuiula, veluti quasdam catenas fugias voluptatum. sit vilis tibi vespertinus cibus. Olera & legumina, interdumque pisciculos, pro summis ducas deliciis. Qui Christum desiderat, & illo pane vescitur, non quærat magnopere, quam de preciosis cibi stercus conficiat. Quicquid post gulam non sentitur, idem tibi sit quod panis & legumina. Semper in manu tua sacra lectio sit. Frequenter orandum, & flexo corpore mens erigenda ad dominum. Crebræ vigiliæ, & ventre vacuo sæpius dormiendum. Rumusculos & gloriolas, & palpantes adulatores quasi hostes deuita. Pauperibus & fratribus refrigeria sumptuum manu propria distribue: humilitatem vestium tumenti animo non appetas. Secularium, & maxime potentium, consortium deuita. Habeto simplicitatem columbæ, ne cuiquam machineris dolos: & serpentis astutiam, ne aliorum supplanteris insidiis. Non multum distat in vitio, vel decipere posse, vel decipi. Templum Christi, anima credentis est, illam exorna, illam vesti, illi offer donaria, in illa Christum suscipe. Nescio enim quomodo plus placeat mundo, qui Christo displicet.

Item ex eodem ad Rusticum. *Cap.* 95.

DIco autem, si clericatus titillat te desiderium, disce quod possis docere, & rationalem hostiam offer Christo. Ne sis miles antequam tyro: ne prior magister sis, antequam discipulus. Non est humilitatis meæ neq; mensuræ judicare de cæteris, & de ministris ecclesiarum sinistrum quippiam dicere. Habeant illi ordinem & gradum suum. Quem si tenueris, quomodo tibi vivendum sit, editus ad Nepotianum liber docere te poterit. Volo ergo, ut sine intermissione oratio & vigil tibi sit sensus, nec vagis cogitationibus patens, corpus pariter animusque tendatur ad dominum. Iram vince patientia. Ama scientiam scripturarum, & carnis vitia non amabis, nec vacet mens tua variis perturbationibus. Quæ si pectori insederint, dominabuntur tui & te deducent ad delictum maximum. Fac aliquid operis, ut semper te diabolus inveniat occupatum. Memento quia apostoli Christi, habentes potestatem de evangelio vivere laborabant manibus suis, ne quem gravarent: & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia. Ita ergo age, & vive in monasterio, ut clericus esse merearis, ut adolescentiam tuam nullius ore commacules, ut ad altare Christi quasi de thalamo virgo procedas, & habeas de foris bonum testimonium. Fœminæ quæ nomen tuum noverint, vultum nesciant. Cum ad perfectam ætatem veneris, si tamen vita comes fuerit, & te vel populus vel pontifex civitatis ad clericum adlegerint, agito quæ clerici sunt, & inter ipsos sectare meliores: quia in omni conditione & gradu optimis mixta sunt pessima. Multo tempore disce quod doceas. Ne credas laudatoribus tuis, imo irrisoribus autem ne libenter accommodes.

Item ejusdem, ex epistola ad Heliodorum, quid distet inter monachum & clericum.

Cap. 96.

MOnachum autem perfectum esse nolle, delinquere est: sed de hoc gradu pulsus, provocabis ad clericos. An de his aliquid audeam dicere, qui certe in suis urbibus commorantur? Absit autem, ut quicquam de his sinistrum loquar, qui apostolico gradui succedentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per quos nos etiam Christiani sumus, qui claves regni cælorum habentes, ante judicii diem judicant, qui sponsam domini sobria castitate conservant. Sed & alia, quæ ante perstrinxi, monachi causa est, alia clericorum. Clerici oves pascunt, ego pascor. Illi de altari vivunt: mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si munus ad altare non defero: nec possum obtendere paupertatem, cum in evangelio anum viduam duo, quæ sibi sola supererant, æra mittentem laudat dominus, mihi ante presbyterum sedere non licet. Illi si peccavero, licet tradere me satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die domini Jesu. Et in veteri quidem lege quicunque sacerdotibus non obtemperasset, aut extra castra positus lapidabatur à populo, aut gladio cervice subjecta, contemptum expiabat cruore. Nunc vero inobediens, spiritali animadversione truncatur: aut ejectus de ecclesia, rabido dæmonum ore discerpitur.

Item ejusdem ex epistola ad Oceanum, de vita clericorum. *Cap.* 97.

DEprecatus es ut tibi breviter exponerem, qualiter clerici victitare debeant. Hinc me plerique è maledictis æmulis præstolantur, quia non sileo veritatem. Prima quidem tentamenta sunt clericorum, fœminarum frequentes accessus. Isti sexus irreprehensibiles exhibent clericos, quid tibi revera cum fœminis, qui ad altare cũ domino fabularis? Te cuncti in publico, te in agro rustici aratores ac vinitores quotidie gravius lacerabunt, si contra dispositum fidei, cum fœminis habitare contendis. Et quia (ut arbitror) concupiscis irreprehensibilis inveniri, testimonio bono munire. Nunquid in choro apostolorũ fœminæ affuerunt? Prohibe virgines tecum cõmorari, quæ de genere tuo non sunt. Diligis eas? exterius ordina, frequenter visita, junctus obsequio clericorum ne cum secretaliter ac solus ingrederis, macules testimonium tuum. Aliter namque coniugati, aliter continentes edocentur ecclesiasticum subire ministerium. Onus fœminarum cum clericis, nullo pacto conjuncta præcipitur conversatio.

Janua

Janua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussus, nociuumq; genus fœmina. Cum proximat stipula, incendit ignem. Flammigero igne percutit fœmina conscientiam pariter habitantis, exuritque fundamenta montium. Ego iudico, si cum viris fœminæ habitant, * visiarium non deerit diaboli, qui ex aisaucupatus est ab initio peccatum. Ferreas mentes libido damnat. Si alligat quis ignem in sinum suũ, vestimenta eius non comburentur? Aut si quis ambulauerit super carbones ignis, pedes suos non comburentur? Mihi crede, non potest toto corde habitare cũ domino, qui fœminarum accessibus copulatur, sed dici: *Qui ambulat* (inquit) *simpliciter, ambulat confidenter*. Bene & argute, sed oportet testimoniũ bonum habere ab his, qui foris sunt, licet coram domino incedas, tamen astutiores sunt filii tenebrarum super filios lucis. Cum à te hoc genus non amputatur, das reprehendentibus te locum. Ipse te detrahentium morsibus tradidisti, si agapetarum consortium non dimiseris. Benignus es? gaudeo, pudicus? falsum est. Si pudicitiam quæris, fœminam quã videris bene conversantem, mente dilige, non corporali frequentes * ornatu. Non vestis tenera clericum facit aut sacerdotem, sed casta mentis intentio. Hæc enim deuotionem honoris in re custodit. Honorem quidem gloriosius boni operis fama conseruat Sacerdotes quippe decet vel gradus cæteros clericorum eidem, vt supradictum est, a fœminis segregari. Si igitur generis gratia iudicas easdem nullo pacto dimittere, memento, quod Thamar ab Amnon fratre suo corrupta sit. Idipsum persequor, dilectissime: tibi vnius est tabernaculi conuersatio, carnis non facile sollicitus delectatio. De duobus enim quod vnus desiderat, si loqui non potest, vel sentatur. Remotio igitur viri, castitatis collocat arma: construit in melioribus castra, pudoris honorem consolatur. Potuit enim & Maria mater Domini de choro Apostolorum non discedere, si liceret. Tecla post tentationem passionis Antiochiæ, à Paulo prohibetur pariter pergere. Nemo miles cum vxore pergit ad bellum. Non inuideo charitati, si tibi cum castis virginibus longæua dilectio, tunc in bono meritum collocabis, & famam meliorabis. Sed quod ad congregationes puellarum pertinet, pulchre censeo, in hebdomada secunda visitatione ad benedicendam congregationem conuenies, sed non solos, ne rumigeruli linguis se lacerantibus macerent. Alienam enim cupiunt vicini discutere vitam, non suam. Propterea digne accipe nostrorum præcepta verborum, & monita humilitatis, quæ fraterno affectu calamo impetante expressimus, dulciter lege. Iam vero, vt reprehensibilis diuini altaris non sit sacerdos, pauca de reliquis Apostoli testimoniis, quantum Dominus donat, exponam. Sufficiant superiores causæ, quæ dictæ sunt. Verum ne aliquis minus intelligens, ad Episcopos sentiat Apostolum fuisse locutum, quid de diaconibus præceptum est ad Timotheum? quid de presbyteris ad Titum commemorari delectet? Sed prætereundum non est, superioris explanare sententiam, *Vnius uxoris virum*, & noua & vetus præceptio sacerdotem censuit eligendũ: quia digamos ad ministerium plerique episcopi applicauerunt, sic asseruerunt: Concubina fuit illa, hæc vxor, quasi non sint commercia fidelitatis in illa, quæ in hac exercentur quæ vxor asseritur. Hæc quia coniugii tabulas non fecit, concupiscentia alia fuit. Nullo pacto digamos, vel concubinarum catenis insertos, decet subire ministerium. In Leuitico scriptum est ac præfinitum, quales eligi debeant sacerdotes. Si ergo clericus monogamus fuerit, & vxor eius digama, noli eum ad ministerium applicare. Hæc Tito præcepta, idem Apostolus de ordinandis clericis dedit. Et quia liber finem expectat, nec si duæ aut tres pariter Dei ancillæ morentur, solum ad eas decet ingredi sacerdotem. Si quis hæc præcepta non obseruauerit, hostis est animæ suæ. Quod si post nostra monita aliquis clericus agapetas amplius quæsierit amare quam Christum, secundum synodalem regulam conuenjatur, & præcepta patrum in Nicea diffinita, ei legantur. Iam vero si conuentus, prædicta fugerit & reliqueris, consecuti sumus maximum lucrum. Alioquin talis ab Ecclesia anathematizandus sit. Germinant enim fœminæ cum viris habitantes spinas, & arcana mentium acuto mucrone percutiunt. Proh nefas, dolor est dicere, sed præterire non decet. Christo istæ voverunt mulieres, non clericis. Clericum solitudo facit, non publicum. Lege quia talis debet esse solitarius, qualem Ieremias descripsit: *Sedebit solitarius & tacebit*. Et quia Iesus, relictis Apostolis, solus ibat orare. Mariam in penetralibus Angelus solam inuenit, non cum agapeta loquentem, & illa virilem introitum trepidauit. *Hospitalem* præcepit Apostolus clericum ordinandum. Hoc præcepto pater Abraham & Loth Angelos susceperunt, quia hospites dilexerunt: sic & Onesiphorus, Paulum doctrinæ fontem suscepit. Hæc imitationes sint vestræ, & ne sinatis incolam præterire, qui apud vos non comederit panem. Sequitur: *Non percussorem*. Non enim pugilem describit Apostolus, sed qui conscientias non percutiat singulorum. Sit modestus, non infletur, non inebrietur, suæ domui bene præsit. Perquam erit horribile, si domui clerici detrahatur. Lædet sacerdotis opinionem in plebe, quando de proximis eius male loquitur populus. Super omnia hæc præcepit boni testimonii clericos fundamenta componere, vt bonorum operum testificatio casto contineatur effectu.

Ex libro officiorum Isidori *De Clericis.* *Cap. XCVIII.*

ITaque omnes qui in Ecclesiastici ministerii gradibus ordinati sunt, generaliter clerici nominantur. Cleros autem vel clericos hinc appellatos, doctores nostri dicunt, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. Sic & omnes quos illis temporibus ecclesiarum principes ordinabant, sorte eligebant. Nam cleros sors interpretatur. Vnde & hæreditas, græce cleronomia appellatur, & hæres cleronomus. Proinde ergo clericos vocari aiunt, eo quod in sorte hæreditatis domini dentur, vel pro eo quod ipse dominus sors eorum sit, sicut de eis scriptum est, loquente domino, Ego hæreditas eorum. Vnde oportet vt qui dominum hæreditate possident, absque vllo impedimento seculi, Deo seruire studeant, & pauperes spiritu esse contendant, vt congrue illud Psalmistæ dicere possint: *Dominus pars hæreditatis meæ.*

Item eiusdem De Regulis clericorum. *Cap. XCIX.*

HIs igitur lege patrum cauetur, vt à vulgari vita seclusi, à mundi voluptatibus sese abstineant. Non spectaculis, non pompis intersint, conuiuia publica fugiant, priuata non tantum pudica, sed & sobria colant. Vsuris nequaquam incumbant, neq; turpium occupationes lucrorum, neq; fraudi suæ cuiusquam studium appetant: amorem pecuniæ, quasi materiam cunctorum criminum, fugiant, secularia officia negociaque abiiciant, honorum gradus per ambitiones non subeant, pro beneficiis medicinæ Dei, munera non accipiant. Dolos & congregationes caueant, odium & æmulationem, obtrectationem atque inuidiam fugiant, non vagis oculis, non infreni lingua, aut petulanti tumidoq; gestu incedant, sed pudorem ac verecundiam mentis simplici habitu incessuq; ostendant, obscænitatem etiam verborum, sicut & operum, penitus execrentur, viduarum ac virginũ visitationes frequentissimas fugiant. Contubernia extranearum fœminarum, nullatenus appetant. Castimoniam quoque inuiolati corporis perpetuo conseruare studeant, aut certe vnius matrimonii vinculo fœderentur. Senioribus quoque debitam præbeant obedientiam, neque vllo iactantiæ studio semetipsos attollant. Postremo in doctrina, in lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, exercitio iugi incumbant. Tales etiam esse debent, quicunque diuinis cultibus sese mancipandos student, scilicet vt dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.

Item ejusdem De generibus clericorum. *Cap. C.*

DVo sunt genera clericorum: unum ecclesiasticorum, sub regimine episcopali degentium: alterum acephalorum, i. sine capite, qui quem sequantur ignorant. Hos neque inter laicos secularium officiorum studia, neque inter clericos religio retentat diuina, sed solutos atq; oberrantes, sola turpia vita complectit & vaga, quasi quidem nullum metuentes, explendæ voluptatis suæ licentiam consectantur, quã si animalia bruta, libertate ac desiderio suo feruntur, habentes signum religionis, non religionis officium, hippocentauris similes, qui nec equi nec homines, mixtumque, vt ait poëta, genus, prolesque biformis, quorum quidem sordida atque infami numerositate, satis superque nostra pars occidua pollet.

GREGOR. *Quales oporteat esse clericos.*

Cap. CI.

CLericus admonendus est, quatenus sic vivat, ut bonum exemplum vitæ suæ secularibus præbeat. Et in clerico si quid juste reprehenditur, ex ejus vitio ipsa religionis nostræ æstimatio gravatur. Clerici discant, ut quæ à senioribus suis jubentur, impleant, ut humiliter eorum imperiis subjaceant, ut non subjectio eos conterat, nec locus superior extollet. Clerici discant, quomodo ante oculti arbitri oculos, per humilitatem & obedientiam suam interiora componant, quatenus non cum reprobis puniantur, sed cum electis æterna præmia sortiantur. Admonendi sunt clerici, ut tanto circa se solicit s vivant quanto eos aliena cura non implicat. Dicendum est clericis, ne præpositorum suorum vit u temere judicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne unde recte mala redarguunt, inde per elationis impulsum, in profundiora mergantur. Admonendi sunt clerici, ne cum culpam suorum præpositorum considerent, contra eos audaciores fiant. Sed sic eorum prava apud semetipios dijudicent, ui tamen divino timore constricti, ferre sub eis jugum reverentiæ non recusent quia facta præpositorum, oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda judicantur. Plerosque clericos impudentiæ vitio, non nisi increpatio dure compescit: quia dum se delinquere nesciunt, necesse est ut à plurimis increpentur.

Item ejusdem de subjectis bonis. sub pastorali regimine constitutis.

Cap. CII.

ADmonendi sunt subditi, ne præpositorum suorum vitam temere reprehendant, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne unde recte mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt subditi, ne cum culpas præpositorum considerent, contra eos audaciores fiant: sed sic, si qua valde sunt eorum prava, epud semetipsos dijudicent, ut tamen divino timore constricti, ferre sub eis jugum reverentiæ non recusent. Quod melius ostendimus, si Davidis factum ad medium deducamus. Saul quippe persecutor, cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis David inerat, qui jam tam longu tempore persecutionis, ejus mala toletabat. Cumq; eum viri sui ad feriendum Saul accenderent, fregit eos responsionibus, quia manum mittere in Christum domini non deberet. Qui tamen oculte surreait, & oram chlamydis ejus abscidit. Quid per Saul, nisi mali rectores? Quid per David, nisi boni subditi designantur? Saulem igitur ventrem purgare, est, pravos præpositos conceptam in corde malitiam usque ad opera miseri odoris ostendere, & cogitata apud se noxia, factis exterioribus exequendo monstrare. David nanque Saulem ferire metuit, quia piæ subditorum mentes, ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de perfectione reprehendunt. Boni subditi, quando pro infirmitate sese abstinere vix possunt, ut extrema quædam atque exteriora præpositorum mala, sed tamen humiliter, loquantur, quasi oram chlamydis silenter incidunt. Qui videlicet dum prælatæ dignitati, saltem innoxie & letenter derogant, quasi regis superpositi vestem secant. Sed tamē ad semetipsos redeunt seque vehementissime vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Unde bene & illic scriptum est: *Post hæc David percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamydis Saul.* Facte præpositorum, oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda judicantur. Si quando vero contra eos vel in minimis lingua labitur, necesse est ut per afflictionem pœnitentiæ cor prematur, quatenus ad semetipsum redeat. Et cum quis præpositæ potestati deliquerit. ejus contra se judicium, à quo sibi prælatus est, perhorrescat. Nam si cum præpositis delinquimus, ordinationi qui eos nobis prætulit, obviamus. Unde Moses cum contra se & Aaron conqueri populum cognovisset, ait: *Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra dominum.* Admonendi sunt benevoli subditi, ut sic alienis bonis congruant, quatenus habere & propria concupiscant. Sic proximorum facte diligendo laudent, ut etiam imicand o multiplicent, ne si in hoc præsentis vitæ stadio ad certamen sine bravio remaneant, quo nunc in certamine non laborant: & tunc eorum palmas afflicti respiciant, in quorum nunc laboribus ociose perdurant. Valde peccamus, si aliena bene gesta non diligimus: sed nihil mercedis egimus, si ea quæ diligimus, in quantum possumus, non imitamur. Dicendum est benevolis subditis, quia si imitari bono minime festinant, quæ laudantes approbant: sic eis virtutum sanctitas sicut stultis spectatoribus ludicrarum artium vanitas placet. Illi nanque aurigarum ac histriorum gesta favoribus efferunt: nec tamen tales esse desiderant, quales illos conspiciunt esse quos laudant. Mirantur eos placita egisse, sed tamen similiter devitant placere. Dicendum est benevolis subditis, ut cum proximorum facta conspiciunt, ad suum cor redeant: & de alienis actibus non præsumant, ne bona laudent, & agere recusent. Gravius quippe extrema ultione feriendi sunt quibus placuit quod imitari noluerunt.

Item ISIDORVS *De subditis.*

Cap. CIII.

PRopter peccatum primi hominis, humano generi pœna divinitus illata est servitutis, ita ut quibus adspicit non congruere libertatem, his misericordius irroget servitutem. Et licet omnes per peccatum humanæ originis æquales sumus, tamen æquus Deus ideo discrenit hominibus vitam, alios

servos

seruos constituens, alios dominos, vt licentia male agendi seruorum, potestate dominantium restringatur. Nam si omnes sine metu fuissent, quis esset qui à malis quempiam prohiberet? Inde & in gentibus reges principesque electi sunt vt terrore suo populos à malo coercerent, atque ad recte viuendum legibus subderent. Quantum attinet ad rationem, non est personarum acceptio apud dominum. Qui mundi elegit ignobilia & contemptibilia & ea quæ non sunt, vt ea quæ sunt, destrueret, ne glorietur omnis caro: hoc est, carnalis potentia coram illo. Vnus enim dominus æqualiter & fert consulem, & seruos. Melior est subiecta seruitus, quam elata libertas. Multi enim inueniuntur Deo libere seruientes, sub dominis constituti flagitiosis. Qui etsi subiecti sunt illis corpore, prælati tamen sunt mente.

Gregorius *De inuidis vel proteruis subditis.*

Cap. CIV.

PLerunque subditi sub pastorali regimine constituti, dum valde de se elati præsumunt, exprobrando cæteros dedignantur, dum singulariter summa existimant cuncta quæ agunt. Subtiliter itaque ab arguente discutienda sunt opera proteruorum, vt in quo sibi placent, ostendantur, quia Deo displicent. Tunc proteruos melius corrigimus, cum ea quæ bene egisse se credunt, male acta monstramus: Et vnde adepta gloria creditur, inde vtilis confusio subsequatur. Nonnunquam subditi, cum se vitium proteruiæ minime perpetrare cognoscunt, compendiosius ad correptionem veniunt, si alterius culpæ manifestioris, & ex latere requisitæ, improperio confunduntur, vt ex eo quod defendere nequeunt, cognoscant se tenere improbe quod defendunt. Cum proterue Paulus, Corinthios aduersum se temere inuicem videret inflatos, vt alius Apollo, alius Pauli, alius Cephæ, alius Christi se esse diceret, incestus culpam in medium deduxit, quæ apud eos & perpetrata fuerant, & incorrepta remanebant, dicens: *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris quis habeat. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis, vt tolleretur de medio vestrum qui hoc opus fecit.* Ac si aperte dicat: Quid vos per proteruiam huius vel illius dicitis, qui per dissolutionem negligentiæ nullius vos esse monstratis? Admonendi sunt inuidi subditi, vt perpendant, quantæ cæcitatis sint, qui alieno profectu deficiunt, aliena exaltatione contabescunt: quantæ infelicitatis sint, qui melioratione proximi deteriores fiunt: & dum augmenta alienæ prosperitatis aspiciunt, apud semetipsos anxie afflicti, cordis sui peste moriuntur. Quid inuidis infelicius, quos dum conspecta felicitas afficit, pœna nequiores reddit? Aliorum vero bona quæ habere non possunt, si diligerent, sua fecissent. Nostra nimirum sunt bona aliorum, quæ etsi imitari non possumus, amamus in aliis: & amantium fiunt, quæcunq; amantur in nobis. Hinc ergo pensent inuidi, charitas quantæ virtutis est, quæ alieni laboris opera, nostra sine labore facit. Dum se inuidi à liuore minime custodiunt, in antiquam versuti hostis nequitiam demerguntur. De illo namque scriptum est: *Inuidia diaboli mors intrauit in orbem terrarum.* Quia enim ipse cœlum perdidit, condito hoc homini inuidit: & damnatione sua perditus, adhuc alios perdendo cumulauit. Cognoscant inuidi, quantis lapsibus subcrescentis ruinæ subiaceant: quia dum liuorem à corde non proiiciunt, ad apertas operum nequitias deuoluuntur. Nisi enim Cain inuidisset acceptam fratris hostiam, minime peruenisset ad eius extinguendam vitam. Vnde scriptum est: *Et respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, ad Cain autem & ad munera eius non respexit. Iratusq; est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* Itaque liuor sacrificii, fratricidii seminarium fuit. Nam quem meliorem se esse doluit, ne vtcunque esset, amputauit. Dicendum est inuidis, quia dum se ista intrinsecus peste consumunt, etiam quicquid in se aliud boni habere videntur, interimunt, vnde scriptum est: *Vita carnium, sanitas cordis: Putredo ossium inuidia.* Per liuoris vitium ante Dei oculos pereunt, etiam quæ humanis oculis fortia videntur. Ossa quippe per inuidiam putrescere, est, quædam etiam robusta deperire. Ille est vere humilis subiectus in bonis, qui non est defensor in malis. Nam dum de malis suis subiectus arguitur, & contra verba arguentis accenditur, quando de bonis suis quasi humiliter titubat, per humilitatis vocem ornari appetit, non doceri.

Prosper. *Quod secundum sermonem Prophetæ, culpa sua pereant, qui sacerdotum increpationes peruersa voluntate contemnunt.*

Cap. CV.

AD hæc ego tunc sic (inquam) ista inuidiosis questibus iactas, & in suggillationem pontificum, vel certe ipsius pontificatus exaggeras, quasi non vbi ista legisti, quibus rationabiliter promoueris: ibi etiam illa, quæ à vobis prætermissa, breuiter in excusationem officii sacerdotalis attingemus; post illa verba, quibus negligentium finis sacerdotum ostenditur. De pontifice officium suum curante, Propheta sic loquitur: *Si autem annunciante te ad impium, vt à viis suis conuertatur, non fuerit conuersus à via sua ipse impius in iniquitate sua morietur, & tu animam tu liberasti.* Hic certe satis euidenter ostenditur, quod siue proficiant, siue non proficiant auditores, tacere eis non debeant sacerdotes. Nec ideo rei sint, si forte eorum verba populi non audiunt, vel audita contemnunt, sed si ab eis corrigendis absistunt: quia si nec exemplo vitæ præpositorum suorum, nec verbo doctrinæ populi contumaces emendati proficiunt, ipsi sibi causa suæ perditionis existunt, & doctores suos, quorum exempla simul ac verba despiciunt, inuoluere criminibus suis omnino non poterunt. Quod idem Propheta euidentius alio loco prosequitur, dicens: *Speculator cum viderit gladium venientem super terram, & cecinerit buccina, & annunciauerit populo: audiens autem, quisquis ille est, sonum buccinæ, & non se obseruauerit, veneritq; gladius & tulerit eum, sanguis ipsius super caput eius erit. Sonū buccinæ qui audiuit, & non se obseruauit, sanguis eius in ipso erit. Si autē custodierit, animā suam saluabit.* Hic quoque quid agere debeat, qui fungitur

Ipse

ſpeculatoris officio, diuinus ſermo ſatis oſtendit, vt quando viderit venientem gladium ſuper terram, iram ſcilicet Dei ſuper peccatores, operibus terrenis addictos, omnino non taceat, atque eis, quandiu inhæſerint iniquitatibus ſuis, imminere diuinæ indignationis interitum denunciare non deſinat, ſed clare ac publice arguat: quia hoc buccinæ nomen inſinuat, vt ſe à ſuis criminibus emendantes, ſupplicium futuræ damnationis effugiant. Quod ſi corripientem, ſi iram futuram, quæ contemptoribus imminet, nunciantem homines terreni deſpiciunt: ſanguis eorum in ipſis erit, & ſacerdos qui eis peccata eorum non tacuit, pœnitereque eos expectat, eſſe non particeps poterit.

Proſper. *Cum quo damno animæ ſuæ ab Eccleſia quæ pauperes paſcit, accipiunt illi, qui ſibi de ſuo ſufficiunt.*

Cap. CVI.

NEc illi qui ſua poſſidentes, dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato ſuo, vnde pauper victurus erat, accipiunt. De clericis quidem Spiritus ſanctus dicit: *Peccata populi mei comedunt.* Sed ſicut nihil habentes proprium, non peccata, ſed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt: ita poſſeſſores non alimenta quibus abundant, ſed aliena peccata ſuſcipiunt. Ipſi quoque pauperes, ſi ſe poſſunt ſuis artificiis aut laboribus expedire, non præſumant, quod debet debilis & infirmus accipere: ne forte Eccleſia, quæ poteſt omni ſolatio deſtitutis neceſſaria miniſtrare, ſi omnes, etiam nihil indigentes, accipiant, grauata, illis quibus debet, ſubuenire non valeat. Qui autem Eccleſiæ ſeruiunt, & labore ſuo velut debita reddi oportere credentes, ea quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt, nimis carnaliter ſapiunt, ſi putant, quod Eccleſiæ fideliter ſeruientes ſtipendia terrena ac non potius præmia æterna percipiant. Secularis quippe militia, quia cæleſtia non habet, terrena ſtrenuo militantibus præſtat. Vnde ſatis indignum eſt, ſi fidelis & operoſa deuotio clericorum, propter ſtipendium temporale præmia ſempiterna contemnat. Quod ſi quilibet miniſter Eccleſiæ non habeat vnde viuat, non ei reddat hic: ſed neceſſaria præſtet Eccleſia, vt in futuro præmium laboris recipiat, quod in hac vita iam ſpe dominicæ promiſſionis expectat. Illi quoque qui velut idonei, nihil ſibi quidem dari velut debitum poſcunt, ſed tamen Eccleſiæ ſumptibus viuunt: non eſt meum dicere, quali peccato cibos pauperum præſumendo ſuſcipiant, qui Eccleſiam, quam iuuare de propriis facultatibus debuerant, ſuis expenſis inſuper grauant, propter hoc fortaſſis in congregatione viuentes, ne aliquos pauperes paſcant, ne aduenientes excipiant, aut ne ſuum cenſum ex penſis quotidianis imminuant. Quod ſi aliquid de fructibus ſuis, Eccleſiæ velut pro ipſa expenſa ſua contulerint, non ſe præferant inani iactantia illis, quos nihil habentes paſcit & veſtit Eccleſia: quia perfectior eſt ille, qui ſe mundi rebus expoliat, aut qui cum nihil habuerit, nec habere deſiderat, quam ille qui ex multis quæ poſſidet, Eccleſiæ aliquid præſtat: ac ſe de eo quod præſtiterit, forſitan iactat. Dura ſunt, ſed obſeruare nolentibus. Cæterum ſi fiant iſta, quæ difficilia non facientibus ſunt, ſtatim facilia facientibus fiunt. Non ergo ea quæ nouimus obſeruare, impoſſibilitas nobis facit dura, ſed nouitas. In vſum veniant, & neminem frequentata conturbabunt. Nam quæro, quid ſit eorum, quæ dixi, difficile, vt homo id quod opus non habet, ab Eccleſia non accipiat: an, vt quod habet, ſine cauſa contemnat. Si propter hoc non vult ſua relinquere, vt habeat vnde viuat: vt quid accipit, vnde rationem reddat? vt quid peccatis alienis ſua multiplicat?

Proſper. *Qui ſint, qui etiam cum profectu animæ ſuæ, opibus ſuſtentantur Eccleſiæ.*

Cap. CVII.

ITaque ſacerdos cui diſpenſationis cura commiſſa eſt, non ſolum ſine cupiditate, ſed etiam cum laude pietatis accipit à populo diſpenſanda, & fideliter diſpenſat accepta, quia omnia ſua aut reliquit, aut Eccleſiæ rebus adiunxit, & ſe in numero pauperum paupertatis amore conſtituit, ita vt vnde pauperibus ſubminiſtrat, inde & ipſe tanquam pauper voluntarius viuat. Clerici quoque, quos pauperes aut voluntas, aut natiuitas fecit, cum perfectione virtutis, vitæ neceſſari, ſiue in domibus ſuis, ſiue in congregatione viuentes, accipiant: quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, ſed cogit viuendi neceſſitas.

Proſper. *Quid facere debeant clerici, quorum infirmitas non poteſt ſua contemnere.*

Caput CVIII.

ILli autem qui tam infirmi ſunt, vt poſſeſſionibus ſuis renunciare non poſſint, ſic ea quæ accepturi erant, diſpenſatori relinquant, nihil habentibus conferenda, ſine peccato poſſident ſua: quia & ipſi quodammodo ſua relinquunt, quando propriis contenti rebus, nihil eorum quæ labori vel ordini ſuo deberi arbitrantur, accipiunt. Quod ſi putant ideo accipi debere eorum quæ conferuntur Eccleſiæ, portionem, ne eam videantur abiicere, ſe vero non poſſe ſua relinquere, quod eis deforme ſit inter ſuos pauperes reddi: noverint eſſe deformius, poſſeſſores de eleemoſynis pauperum paſci.

Proſper.

Prosper. *Quæ sint vera gaudia vel veræ diuitiæ, & quid impedimenti afferant bona præsentia amatoribus futurorum.*

Cap. 109.

HEu quam subtiliter nos ille decipiendi artifex fallit: quanta cæcitate oculos nostræ mentis obducit, ne discernamus gaudendi auidi, vnde iustius gaudeamus: aut ne cupientes augeri diuitiis, nouerimus quas quibus incomparabiliter præferamus. Nam gaudere quidem bonum est: sed qui gaudet, si non inde gaudet vnde debet, non potest bonum esse quod gaudet. Siquidem gaudet & raptor, cum desiderata rapuerit. Gaudet & ebriosus, cum exoptatæ occasionem potationis inuenerit. Gaudet & adulter, cum ad delectationem fruendi corporis concupiti peruenerit. Sed cum sit gaudere bonum, de his atque de huiuscemodi gaudere, grande est malum. Hæc & his similia sunt, vnde nos gaudere vult mundus, cum suis amatoribus periturus. Hæc sunt quæ repudiare debemus, vt de bona conscientia, de sanctitate morum, de acquisitione virtutum, de dono DEI, & de promissione futuri regni, ineffabiliter gaudeamus. Ditati quoque diuitiis, grande est bonum. Sed inde ditari vnde non debeas, non est habenda facultas, sed detestanda calamitas. Nihil est enim calamitosius, nihilque miserius eo, qui iniquis acquisitionibus crescit, quem locupletem fraudes faciunt ac rapinæ. Illæ nobis sunt ambiendæ diuitiæ, quæ nos ornare possunt & munire. Quas nec acquirere possumus inuiti, nec perdere: quæ nos contra impetus hostiles armant, à mundo disterminant, Deo commendant, ditant animos nostros atque nobilitant. Nobiscum sunt, intra nos sunt, diuitiæ nostræ credendæ sunt, Pudicitia, quæ nos pudicos: iustitia, quæ iustos: pietas, quæ pios: humilitas, quæ humiles: mansuetudo, quæ mansuetos: innocentia, quæ innocentes: puritas quæ puros: prudentia, quæ prudentes: temperantia, quæ temperantes: & charitas, quæ nos facit Deo & hominibus charos, virtutum potentes, seculi contempores, ac bonorum omnium sectatores. Hæc sunt non omnium, sed sanctorum sanctæ virtutes: non diuitum superborum, sed humilium pauperum facultates: patrimonium cordium, diuitiæ incorruptibiles morum: quibus non abundant, nisi qui illis carnalibus ex corde renunciant. Quæ quamuis & ipsæ sint bona, vtpote à bono Deo creata, tamen quia sunt bonis malisque communia, student eas spiritales viri contemnere, quo possint ad illa incomparabiliter meliora, quæ sunt bonorum omnium propria, peruenire. Quoniam non est tale bonum quod habent & mali, quale illud est, quod non habent, nisi boni. Corporale bonum quando habent iniqui, ipsorum est præmium: quando habent iusti, non est eorum præmium, sed temporale solatium. Item boni temporalis amissio, fit exercitium iusti, & iniusti supplicium: quia & iustus desiderio cælestium captus, omnia temporalia, siue habeat, siue amittat, omnino non sentit: & iniquus id, quod cum delectatione habuit, sine dolore non perdit. Propterea igitur eis qui militant Deo, fugiendæ sunt ex toto corde diuitiæ. Quas qui habere volunt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inueniunt, sine cura non seruant, sine anxia dilectione non possident, sine dolore non perdunt. Apostolus autem Christi militibus dicit: *Volo vos sine sollicitudine esse.* Et, *Radix omnium malorum auaritia. Quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis*, ac sic census iste terrenus eis, à quibus ociose diligitur, non est voluptatum materia, sed dolorum. Quapropter expedit facultates Ecclesiæ possideri, vt inde viuant, qui non seculo, cuius gaudia fugitiua repudiant, sed Deo deseruiunt, cuius ineffabilia bona desiderant.

Prosper. *Qualiter intelligatur quod dicit Apostolus, Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt edant.*

Cap. 110.

DE talibus dicere videtur Apostolus, *Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altario deseruiunt, cum altari participant.* Qui nisi hoc de contemptoribus facultatum suarum velit intelligi, nunquam secutus adiungeret: *Ita & Deus ordinauit his qui euangelium annunciant, de euangelio viuere.* De euangelio viuunt, qui nihil habere proprium volunt, qui nec habent, nec habere aliquid concupiscunt, non suorum, sed communium possessores. Quid est aliud de euangelio viuere, nisi laborantem inde vbi laborat, necessarie vitæ percipere? Apostolus tamen qui sic euangelium prædicauit, vt nec de euangelio viueret, sed necessaria sibi suis manibus ministraret, de se confidenter eloquitur: *Ego autem nullo horum vsus sum*, & quare hoc dixerit, secutus aperuit, dicens: *Expedit mihi mori, magis quam vt gloriam meam quis euacuet.* Euacuari dicit gloriam suam, si ab eis quibus prædicabat, voluisset accipere vitæ temporalis expensam. Nolebat quippe in præsenti laboris sui fructum, sed in futuro, recipere. Si ergo ille qui nihil habebat, noluit de euangelio, in quo laborabat, sed suis manibus viuere, ne gloriam suæ mercedis emitteret: quid nos qui propria nolumus, amore possidendi, non viuendi necessitate, relinquere & accipere insuper volumus, non vnde viuamus, sed vnde censum nostrum incrementis damnabilibus augeamus?

Augustinus *De vita & moribus clericorum.* *Cap.* 111.

PRopter quod volui & rogaui hesterno die, vt hodie frequentius conueniretis: hoc autem est quod dicturus sum: Vobiscum hic viuimus, & intentio votumq; nostrum est, vt apud Christum vobiscum sine fine viuamus. Credo enim ante oculos vestros esse conuersationem nostram, vt & nos dicere fortassis audeamus, quamuis multum illi impares, quod dixit Apostolus: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi.* Et ideo nolo, vt aliquis de nobis inueniat male viuendi occasionem. *Prouidemus enim bo-*

bona, ait idem Apostolus, *non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus*. Propter nos conscientia nostra sufficit nobis: propter vos fama nostra non pollui, sed pollere debet in vobis. Tenete quod dixi, atque distinguite. Duæ res sunt, conscientia & fama. Conscientia tibi, fama proximo tuo. Qui fidens conscientiæ suæ negligit famam suam, crudelis est, maxime in loco isto positus, de quo dicit Apostolus, scribens ad discipulum suum: *Circa omnes te ipsum bonorum operum præbens exemplum*. Vt ergo non vos diu teneam, præsertim quia ego sedens loquor, vos stando laboratis. Nostis autem omnes aut pene omnes, sic nos viuere in ea domo, quæ dicitur domus episcopi, vt quantum possumus, imitemur eos sanctos, de quibus loquitur liber Actuum Apostolorum: *Nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia*: quia forte aliqui vestrum non sunt tam diligentes vitæ nostræ scrutatores, vt hoc sic nouerint, quomodo volo vos nosse. Dico quid sit, quod breuiter dixi: Ego, quem Deo propitio videtis episcopum vestrum iuuenis veni ad istam ciuitatem, multi vestrum nouerunt, quærebam vbi constituerem monasterium, & viuerem cum fratribus meis. Spem quippe omnem seculi reliqueram, & quod esse potui, nolui: non quæsiui tamen quod sum. Elegi in domo Dei abiectus esse, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ab eis qui diligunt seculum, secreui me: sed eis qui præsunt populis, non me coæquaui, nec in conuiuio domini mei superiorem locum elegi, sed inferiorem & abiectum. Et placuit illi dicere mihi: Ascende sursum. Vsq; adeo autem timebam episcopatum, vt quoniam cœperat esse iam alicuius momenti inter Dei seruos fama mea, in quo loco sciebam non esse episcopum, non illo accederem. Cauebam hoc, & agebam, quantum poteram, vt in loco humili saluarer, ne in alto periclitarer. Sed vt dixi, domino seruus contradicere non debet. Veni ad istam ciuitatem, propter videndum amicum, quem putabam me lucrari posse Deo, vt nobiscum esset in monasterio quasi securus, quia locus habebat episcopum. Appræhensus, presbyter factus sum, & per hunc gradum ad episcopatum perueni. Non attuli aliquid, non veni ad hanc ecclesiam, nisi cum his indumentis, quibus illo tempore vestiebar. Et quia hoc disponebam esse in monasterio cum fratribus, cognito instituto & voluntate mea, beatæ memoriæ senex Valerius dedit mihi hortum illum, in quo nunc est monasterium, cœpi boni propositi fratres colligere compares meos, nihil habentes, sicut nihil habebam, & imitantes me, vt quoniam ego tenuem paupertatulam meam vendidi, & pauperibus erogaui, sic facerent & illi qui mecũ esse voluissent, vt de communi viueremus. Commune autem vobis esset magnum & vberrimum prædium ipse Deus. Perueni ad episcopatum: vidi necesse habere episcopum, exhibere humanitatẽ assiduam quibusq; venientibus siue transeuntibus. Quod si non fecisset episcopus, inhumanus diceretur. Si autem ista consuetudo in monasterio missa esset indecens esset: & volui habere in domo ista episcopi mecum monasterium clericorũ. Ecce quomodo viuimus. Nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium. Sed forte aliqui habent, nulli licet, Si qui habent, faciunt quod non licet. Bene autem sentio de fratribus meis, & semper bene credens, ab hac inquisitione dissimulaui: quia & ista quærere, quasi male sentire mihi videbatur. Noueram enim & noui omnes qui mecum viuerent, nosse propositum nostrum, nosse legem vitæ nostræ. Venit ad nos etiam presbyter Ianuarius, quod videbatur habere honeste, erogando quasi consumsit, & non consumsit. Remansit illi quædam pecunia, id est, argentum, quod diceret esse filiæ suæ. Filia ipsius, Deo propitio, in monasterio fœminarum & bonæ spei est, gubernet illam dominus, vt impleat quod de ille speramus, in illius misericordia, non in eius meritis. Et quia infra annos erat, & de sua pecunia nihil facere poterat: quamuis enim videremus fulgorem professionis, tamen lubricum timebamus ætatis: factum est vt ipsum argentum quasi puellæ seruaretur, vt cum ad legitimos annos veniret, faceret inde quod virginem Christi deceret, quando optime iam facere posset. Dum hæc expectantur, cœpit ille morti propinquare. Qui diu tanquam de suo viuens, quia ipsius erat, non filiæ, testamentum fecit. Testamentum inquam, fecit presbyter seruus noster, nobiscum manens, de Ecclesia viuens, communem vitam profitens. Testamentum fecit hæredem instituit. O dolor illius societatis, o fructus natus, non de arbore quem plantauit dominus. Sed ecclesiam scripsit hæredem. Nolo munera ista, non amo amaritudinis fructum. Ego illum Deo quærebam, societatem professus erat, hanc teneret, hanc exhiberet. Nihil habebat? testamentum non faceret. Habebat aliquid? non se nostrum socium, quasi Dei pauperem fingeret. Magnus mihi inde dolor est fratres. Dico charitati vestræ: propter hunc dolorem statui hæreditatem ipsam in ecclesia non suscipere. Filiorum ipsius sit, quod reliquit. Ipsi inde faciant quod voluerint. Videtur enim mihi, quia si eam suscepero, in isto facto quod mihi displicet, & quod doleo, eius particeps ero. Hoc volui non latere charitatem vestram. Filius ipsius, in monasterio virorum est, ambo exhæredauit. Illam cum laude suam cum elogio, id est, cum vituperatione. Commendaui autem ecclesiæ, vt non accipiat ipsas portiunculas, quæ pertinent ad exhæredatos, nisi cum ad legitimam ætatem peruenerint. Hoc eis reseruat ecclesia. Deinde litem dimisit inter filios suos, in qua laboro. Puella dicit, Meum est, Nostis quia hoc dicebat semper pater meus. Puer dicit, Credatur patri meo, quia moriens mentiri non potuit. Et ista contentio, quale malum est? Sed si pueri ipsi serui Dei sunt, litem hanc inter illos cito finimus. Audio illos vt pater, & forte melius quam pater ipsorum. Video quid sit, & sicut dominus voluerit, cum paucis fratribus fidelibus honoratis, Deo propitio, de numero vestro, id est, de plebe ista, audio inter illos causam, & si dominus donauerit, finio. Tamẽ rogo vos, nemo me reprehendat: quia eius hæreditatem nolo suscipiat ecclesia. Primo, quia factum illius detestor. Deinde, quia institutum meum est. Multi laudant quod dicturus sum, sed aliqui & repræhendunt, vtrisque satisfacere valde difficile est. Audistis modo cum euangelium legeretur, Cantauimus vobis, & non saltastis: planximus, & non luxistis. *Venit Ioannes Baptista non manducans neq; bibens, & dicunt, dæmonium habet. Venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt, Ecce homo vorax, potator vini, & amicus publicanorum*. Quid ergo facio inter illos, qui pe-

ratit

rant me repræhendere, & dentes in me ducere, si suscepero hæreditates eorum, qui filios suos irati exhæredant? Iterum quid sum facturus eis, quibus canto, & nolunt saltare: qui dicunt, ecce quare nemo donat Ecclesiæ Hipponiensi aliquid? Ecce quare non eam faciunt, qui moriuntur, hæredem, quia Episcopus Augustinus? De bonitate sua laudando eum mordent, labiis mulcent, & dentem figunt: donat totum, nõ suscipit: plane suscipio. Profiteor me suscipere oblationes, oblationes sanctas. Si quis autem irascitur in filio suo, & moriens exhæredat eum: si viveret, non eum placare, non ei filium reconciliare deberem? Quomodo ergo, cum filio suo volo ut habeat pacem, cuius appeto hæreditatem? Sed plane faciat quod sæpe hortatus sum, unum filium habet? putet Christum alterum: duos habet? putet Christum tertium: decem habet? undecimum faciet, & suscipio. Quia ergo feci hoc in quibusdam rebus, iam volunt bonitatem meam vel commendationem famæ meæ in aliud vertere, ut in alio modo me repræhendant, quia oblationes devotorum hominum nolo suscipere. Considerent quam multa susceperim. Quid opus ea numerare? Ecce unam dico, filii Viliani hæreditatem suscepi. Quare? quia sine filiis defunctus est. Bonifatii, id est, fati, hæreditatem suscipere nolui. Non misericordia, sed timore. Naviculariam nolui esse Ecclesiam Christi. Multi sunt quidem, qui etiam de navibus acquirunt. Tamen una tentatio si esset, si iret navis, & naufrageret, homines ad tormenta daturi eramus: ut de subversione navis secundum consuetudinem quæreretur, extorquerentur à iudice, qui essent de fluctib. liberati. Sed non eos daremus. Nullo pacto enim hoc facere deceret Ecclesiam. Onus ergo fiscale persolveret, sed unde persolveret? enthecam nobis habere non licet. Non est Episcopi servare aurum, & revocare à se mendicantis manum; quotidie tam multi petunt, tam multi gemunt, tam multi nos inopes interpellant, ut plures tristes relinquamus, quia quod dare omnibus non habemus. Non habemus ergo enthecam. Propter naufragium ergo hoc vitando feci, non donando. Nemo ibi me laudet, sed nemo & vituperet; plane, quando donavi filio, quod iratus pater moriens abstulit, bene feci. Laudent, qui volunt: parcant, qui laudare nolunt. Quid pluribus fratres mei? Quicunque vult, exhæredato filio, hæredem facere Ecclesiam: quærat alterum qui suscipiat, non Augustinum: imo, Deo propitio, neminem inveniat. Quam laudabile factum sancti & venerandi Episcopi Aurelii Carthaginensis, quomodo implevit omnibus qui sciunt omnes laudibus Dei. Quidam cum filios non haberet, neque speraret, res suas omnes, retento sibi usufructu, donavit Ecclesiæ. Nati sunt illi filii, & reddidit Episcopus nec opinanti, quæ illi donaverat. In potestate habebat Episcopus non reddere: sed iure fori, non iure cœli. Sane etiam hoc noverit charitas vestra, dixisse me fratribus meis, qui mecum manent, ut quicunque habet aliquid, aut vendat aut eroget, aut donet, aut cõmune illud faciat. Ecclesiam habet, per quam nos dominus pascit; & dedi dilationem usque ad Epiphaniam, propter eos qui vel cum fratribus suis non diviserunt, & dimiserunt quod habent, apud fratres suos. Vel nondum re sua aliquid egerunt, quia expectabatur ætas legitima. Faciant inde quod volunt, dum tamen sint pauperes mecum, simul expectemus misericordiam Dei. Si autem nolunt, qui forte nolunt, certe ego sum, qui statueram, sicut nostis, nullum ordinare clericum, nisi qui mecum vellet manere; ut si vellet discedere à proposito, recte illi tollerem clericatum, quia desereret sanctæ societatis promissum, cœptumque consortium. Ecce in conspectu Dei & vestro muto consilium. Qui volunt habere aliquid proprium, quibus non sufficit Deus & Ecclesia eius, maneant ubi volunt, & ubi possunt; non eis aufero clericatum, nolo habere hypocritas. Malum est, quis nesciat? malum est, cadere à proposito: sed peius est, simulare propositum. Ecce dico, audite: qui societatem communis vitæ iam susceptam, quæ laudatur in Apostolorum Actibus, deserit: à voto suo cadit, à professione sancta decidit. Observet iudicem, sed Deum, non me: ego ei non aufero clericatum, quantum sit periculum, ante oculos eius posui, faciat quod vult. Novi etiam, quia si aliquem hoc facientem degradare voluero, non ei deerunt suffragatores & hic & apud Episcopos, qui dicant: Quid mali fecit? non potest tecum tolerare vitam istam, extra episcopium vult manere, de proprio vivere: ideo non debet perdere clericatum. Ego scio, quantum mali sit profiteri sanctum aliquid, nec implere. *Vovete* (inquit) *& reddite domino Deo vestro.* Et, *Melius est non vovere, quam vovere, & non reddere.* Virgo est, si nunquã fuit in monasterio, & virgo sacra est: nubere illi non licet, esse in monasterio non compellitur. Si autem cœpit & deseruit, & tamen virgo est, dimidia ruit. Sic & clericus duas res professus est & sanctitatem & clericatum interim sanctitatem. Nam clericatum per populum suum Deus imposuit cervicibus ipsius. Magis onus est, quam honor. Sed quis sapiens, & intelligit hoc? Ergo professus est sanctitatem, professus est communiter vivendi societatem: professus est quam bonum & quam iocundum habitare fratres in unum. Si ab hoc proposito ceciderit, & extra manens, clericus fuerit, dimidius & ipse cecidit. Quid ad me? Non eum iudico. Si foris servat sanctitatem, dimidius cecidit. Si intus habuerit simulationem, totus cecidit. Nolo habeat necessitatem simulandi. Scio quomodo homines ament clericatum. Nemini eum tollo, nolenti mecum communiter vivere: habet Dominum, qui mecum manere vult. Si paratus est pasci à Deo per Ecclesiam ipsius, non habere aliquid proprium, sed aut erogare pauperibus, aut in commune mittere, maneat mecum. Qui hoc non vult, habeat libertatem: sed videat, utrum habere possit felicitatis æternitatem. Sufficiant hæc nunc interim charitati vestræ, quod egero cum fratribus meis. Spero enim bona, quod omnes mihi libenter obediant, nec inventurus sum aliquos habere aliquid, nisi aliqua necessitate religionis, non occasione cupiditatis. Quod ergo egero, post Epiphaniam charitati vestræ in Domini voluntate nunciabo. Et quomodo litem finiero inter duos fratres, filios presbyteri Ianuarii, non vobis tacebo. Multa loquutus sum, date veniam loquaci senectuti, sed timidæ infirmitati. Ego, sicut videtis, per ætatem modo senui; per infirmitatem

corporis, olim sum senex: tamen si DEO placet, quod dixi, modo ipse det vires, non vos deseto: orate pro me, ut quantum inest animæ in hoc corpore, & qualescunque vires suppetunt, in verbo Dei serviant, Amen.

Item Sermo secundus, de vita & moribus clericorum.

Cap. 22.

CHaritati vestræ hodie de nobis ipsis sermo reddendus est. Quod enim ait Apostolus, *Spectaculum facti sumus mundo & Angelis & hominibus.* Qui nos amant, quærunt quod laudent in nobis: qui autem nos oderunt, detrahunt nobis. Nos autem in utroque medio constituti, adiuvante domino Deo nostro, & vitam nostram & famam sic custodire debemus, ut non erubescant detractoribus, laudatores. Quomodo autem vivere velimus, quomodo Deo propitio iam vivamus, quanvis de scriptura sancta multi noverius, tamen ad commemorandos vos, ipsa de libro Actuum Apostolorum vobis lectio recitabitur, ut videatis ubi descripta sit forma, quam desideramus implere. Dum ergo recitatur, vos intentissimos volo, ut post eius recitationem quod institui, loquar domino donante, intentioni vestræ. Cumque diaconus Lazarus legeret, *Cum orassent, motus est locus in quo erant congregati, & impleti sunt omnes spiritu sancto, & loquebantur verbum DEI cum fiducia omni volenti. Multitudinis autem credentium erat anima una & cor unum: & nemo eorum quæ possidebat, dicebat aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant testimonium Apostoli resurrectionis domini Iesu, gratiaque magna erat super illos. Neque enim egens quisquam fuit inter illos. Quotquot enim possessores prædiorum vel bonorum erant, vendentes afferebant precia illorum, & ponebant ante pedes apostolorum, distribuebantur autem unicuique prout opus erat.* Cumque Lazarus diaconus recitaret, & episcopo codicem tradidisset, Augustinus episcopus dixit: Et ego legere volo, plus enim me delectat huius verbi esse lectorem, quam verbi mei disputatorem. *Cum orassent, motus est locus in quo erant congregati, & impleti omnes spiritu sancto, loquebantur verbum Dei cum fiducia omni volenti. Multitudinis autem credentium erat anima una & cor unum. Et nemo eorum quæ possidebat, dicebat aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia. Et virtute magna reddebant testimonium apostoli resurrectionis domini Iesu, gratiaque magna erat super omnes illos. Neque enim egens quisquam fuit inter illos. Quotquot enim possessores prædiorum vel bonorum erant, vendentes afferebant precia eorum, & ponebant ante pedes apostolorum, distribuebantur autem unicuique prout opus erat.* Cumque episcopus legeret, dixit: Audistis quid velimus, orate ut possimus. Contingit autem quædam necessitas, ut hæc diligentius agerem. Quoniam sicut iam nostis, presbyter in nostra societate constitutus, quali societati perhibet testimonium lectio, quam modo cum recitaremus audistis: moriens, testamentum fecit, quia habuit unde faceret. Erat quod diceret suum, cum in ea societate viveret, ubi nemini licebat dicere aliquid suum, sed esse illis omnia communia. Si quis dilector & laudator noster apud detractorem nostrum prædicaret istam societatem, & diceret, cum episcopo Augustino sic vivunt omnes cohabitatores eius, quomodo scriptum est in actibus apostolorum, continuo ille detractor caput movens, dentem promovens, diceret: Ita vero sic ibi vivitur, quomodo dicis? Quare mentiris? quare falsa laude honoras indignos? Nonne ibi modo in eorum societate positus presbyter testamentum fecit: & quod habuit, quomodo voluit, disposuit & reliquit? Certe omnia ibi sunt communia. Certe nemo dicit aliquid suum. Sub his verbis quid ageret laudator meus? Nonne os eius quasi plumbo oppilaret ille detractor? nonne illum laudasse pœniteret? nonne reverentia perfusus, & illius sermone confusus, vel nobis vel testatori illi malediceret? hæc fuit necessitas, ut ad istam diligentiam veniremus. Nuncio ergo vobis unde gaudeatis. Omnes fratres & clericos meos, qui mecum habitant, presbyteros, diaconos, subdiaconos, Patricium nepotem meum, tales inveni, quales desideravi. Sed qui de sua qualicunque paupertate quod statuerant, nondum fecerant, hi duo sunt, Valens subdiaconus, & paulo ante dictus nepos meus subdiaconus, & matris vita impediebat, quia inde vivebat. Expectabatur in illos etiam legitimæ ætatis accessus, ut quod faceret, firmissime faceret. Nondum autem fecit, quia ipsos agellos habet cum suo fratre communes, & sub indivisos possident. Si autem eos cupit ecclesiæ conferre, ut inde alantur, qui sunt in proposito sanctitatis, quousque in hac vita degunt. Scriptum est enim, & hoc Apostolus loquitur: *Quisquis autem suis & maxime domesticis, non providet, fidem denegat, & est infideli deterior.* Hæc autem mancipia sunt ei simul et cum fratre communia, nondum divisa. Disponit ea manu mittere, non potest antequam dividantur. Qui enim ad quem pertinent, adhuc ignorat. Ad ipsum sane, quia ad majorem pertinet divisio: & ad fratrem eius electio, & ipse frater eius Deo seruit. Subdiaconus est cum sancto fratre meo, & coepiscopo Severo in ecclesia Mileviana. Hoc agitur, hoc sine dilatione peragendum est, ut illis servuli dividantur, manu mittantur, & sic det ecclesiæ, ut eorum excipiat alimentum. Nepos autem meus ex quo conversus est, & mecum esse cœpit, impediebatur & ipse aliquid de agellis suis agere. Vita usufructuaria mater sua hoc anno defuncta est. Inter ipsum & sorores eius sunt quædam, in Christi adiutorio cito finienda, vt & ipse faciat quod Dei servum decet. quod ipsa professio & ista exigit lectio. Diaconus Faustinus (sicut pene omnes nostis) hic de militia seculi ad monasterium conversus est. Hic baptizatus, inde diaconus ordinatus. Sed quia exiguum est, quod videtur possidere, sicut viri periti loquuntur, iure non opere reliquerat illud, & id eius fratrib. tenebatur. Nunquam inde cogitavit, ex quo conversus est, nec ipse aliquid quæsivit à fratribus suis, nec ab illo aliquid est quæsitum. Modo quia ventum est ad hunc articulum temporis, cū consilio meo divisit ipsam rem: & dimidiam donavit fratribus suis, dimidiam ecclesiæ pauperi in loco eodem constitutæ. Diaconus Severus sub qua Dei disciplina & flagello sit, nostis: lumen tamen non perdidit mentis. Vnam domum hic emerat propter matrem & sororem suam, quas de sua patria huc desiderabat adducere. Emerat autem non sua pecunia, quam non habebat, sed ex consolatione religio-

religiosorum virorum, quos mihi quærenti etiam nominans indicavit. De ipso non possum dicere quid fecerit, aut quid disponat, nisi quia totum & ipse in mea posuit voluntate, ut quicquid ipse vellem, hoc inde fieret. Sed habet quasdam causas cum matre sua, quarum causarum me iudicem poscit: ut cum illæ causæ fuerint terminatæ, fiat de ipsa domo quod ego voluero. Quid autem velle potero, Deo regente, nisi quod iustitia iubet, & pietas postulat? habet etiam in patria sua aliquos agellos: disponit eos sic distribuere, ut etiam illic in ipso loco positæ pauperi largiatur Ecclesiæ. Diaconus Hipponiensis homo pauper est, quid alicui conferat, non habet: tamen de laboribus suis antequam esset clericus, emerat aliquos servulos, hodie illos in conspectu vestro manu missurus est Episcopalibus gestis. Diaconus Heraclius ante vestros oculos versatur; opera eius lucent coram oculis nostris; de opere eius expensam pecuniam memoriam sancti martyris habemus. De pecunia sua emit etiam possessionem ex consilio meo. Nam ipsam pecuniam volebat per manus meas erogari, sicuti mihi placeret; ego si pecuniæ avidus essem, aut necessitates ipsas meas, quas pro pauperibus habeo, in hac causa plus curarem, pecuniam accepérem. Quare, dicit aliquis? quia possessio illa, quæ ab illo empta, & Ecclesiæ donata est, adhuc nihil præstat Ecclesiæ. Mirum enim ad precium. Et quia mutuatus fuerat, hoc de eius adhuc fructibus redditur. Homo sum senex, quantus mihi de illa possessione potest fructus accidere? Nunquid promitto mihi tot annos esse victurum, donec suum precium illa persolvat? Quod ergo vix diu partibus reddit, de proximo haberem totum, si accipere voluissem. Non feci, aliud attendi. Fateor enim vobis, & ipsa suspecta mihi adhuc eius ætas fuit, ac verebar, ne forte ut sunt homines, matri eius hoc displiceret, & diceret, inductum à me fuisse adolescentem, ut bona eius paterna consumerem, & eum egentem relinquerem, ideo volui eius pecuniam in illa possessione servari, ut si aliquid (quod Deus avertat) aliter quam voluimus evenisset, redderetur illa, ne culparetur Episcopi fama. Scio enim quantum vobis sit necessaria fama mea. Nam mihi sufficit conscientia mea. Emit enim spatium ab ista postera Ecclesiæ, notum vobis, & sua pecunia ædificavit domum; & hoc nostis ante paucos dies priusquam sermonem de hac re haberem vobiscum, eam donavit ecclesiæ. Expectabat enim ut eam perficeret, & perfectam donaret. Fabricandi autem Domum necessitas illi nulla erat, nisi quia cogitavit matrem suam huc esse venturam. Si ante venisset, in re filii habitaret; modo si venerit, in opere filii sui habitabit. Testimonium ei perhibeo; pauper remansit, sed in charitatis possessione permansit. Aliqui servuli & reliqui fuerant, iam quidem in monasterio viventes, quos tamen gestis Ecclesiasticis manu missurus est hodie. Nemo ergo dicat, dives est, nemo existimet, nemo male loquatur, nemo seipsum & animam suam suis dentibus laniet. Pecuniam nullam habet servatam. Vineam quam debet, restituat. Cæteri, id est, subdiacones pauperes sunt, Deo propicio, misericordiam Dei expectant. Unde ipsi faciant, non habent: nullas habentes facultates, fixerunt mundi cupiditates. Vivunt nobiscum in societate communi nemo eos distinguit ab eis qui aliquid attulerunt. Charitatis unitas præponenda est terrenæ commodo hæreditatis. Restant presbyteri, sic enim ad eos gradatim ascendere volui. Cito dixerim, pauperes Dei sunt, nihil ad domum societatis nostræ attulerunt, nisi ipsam, qua nihil est charius, charitatem. Veruntamen quoniam scio natos fuisse rumores de divitiis ipsorum, non à me ad aliquid compellendi, sed vobis meo sermone purgandi sunt. Vobis dico, qui forte nescitis. Nam vestrum plurimi sciunt presbyterum Leporium, quamvis seculi natalibus clarum & apud suos honestissimo loco natum, tamen iam Deo servientem, cunctis quæ habebat relictis, inopem suscepi. Non quia nihil habuit, sed quia iam fecerat, quod lectio ista persuadet. Hic non fecit, sed nos scimus & ubi fecit. Unitas Christi est, ecclesia una est. Ubicunque fecit opus bonum, pertinet & ad nos, si congaudeamus. Hortus est unus, ut nostis. ibi monasterium suis constituit, quia & ipsi Deo serviunt. Ille hortus ad ecclesiam non pertinet, nec ad ipsum & ad quem? dixerit aliquis ad illud, quod ibi est, monasterium: sed quod verum est, usque ad hoc tempus curam pro illis ita gerebat, ut sumpticulos, quibus sustentantur, apud se haberet, & eis ipse (ut videbatur) impenderet. Sed ne propter hoc daretur locus hominibus suspiciones suas rodentibus, & ventrem non implentibus, hoc placuit & mihi & ipsi, ut sic se illi transigant, quasi iste iam de seculo exierit. Nunquid enim cum obierit ipse, illis dispensator est aliquid? melius est ut videat illos bene versantes, regente Deo, in disciplina Christi sic viventes, ut de illis tantummodo gaudeat, non eorum necessitatibus occupetur. Pecuniam non habeat, quam suam dicere possit. Habeat xenodochium ædificandum, quod modo videtis ædificatum. Ego illi iniunxi, ego iussi: obtemperavit mihi libentissime, & sicut videtis, operatus est. Quomodo meo iussu etiam basilicam ad octo martyres fabricavit, de his quæ per vos Deus donat. Cœpit enim de pecunia, quæ data erat ecclesiæ propter xenodochium. Et eum cœpisset ædificare, ut sunt religiosi, desiderantes opera sua in cœlo scribi, adiuverunt, prout quisque voluit, & fabricavit. Opus ante oculos habemus. Omnis homo quid factum sit videt, de pecunia, quia non habet, mihi credat, dentem compescant, ne frangant. Emerat de ipsa pecunia xenodochii quandam domum in carraria, quam ipse existimabat propter lapides profuturam. Sed lapides eius domus, fabricæ necessarii non fuerunt. quoniam aliunde provisi sunt. Domus ergo ipsa sic remansit. Pensionem præstat, sed Ecclesiæ, non presbytero, nemo amplius dicat, in domum presbyteri, ad domum presbyteri, ante domū presbyteri. Ecce ubi est domus presbyteri: ubi est domus mea, ibi est domus presbyteri. Alibi non habet domum, sed ubicunque habet Deum. Quid amplius quæritis, nisi quia me illud memini etiam promisisse, ut ad vos perferrem, quid egissem inter duos, fratrem videlicet & sororem, filios Ianuarii presbyteri, quia orta inter illos fuerat controversia pecuniaria: sed tamen sicut inter fratres, salva Deo propicio charitate promiseram. Ego audirem inter illos, & quicquid esset iudicando finirem. Paraveram me iudicem, sed antequam iudicarem, ipsi, unde iudicaturus fueram, finierunt. Non inveni unde iudicarem, sed unde lætarer. Acquieverunt omnino concorditer volun-

tati meæ & consilio meo, ut pares essent in pecunia, quam reliquit pater eorum, Ecclesia renunciante, post sermonem meum locuturi sunt homines, sed & quodlibet homines loquantur, qualecunque aura flante perducetur inde aliquid ad aures meas, & si tale fuerit, ut sit nos iterum necesse purgare, respondebo maledicis. Respondebo detractoribus, respondebo incredulis, non nobis credentib. præpositis suis. Respondebo, ut potero, quod Dn̄s dederit. Interim modo non est necesse, quia nihil forte dicturi sunt. Qui nos amant, libere gaudeant: qui nos oderunt, tacite dolebunt: tamen si linguas exercuerint, audient Deo propitio vobiscum responsionem meam, non litem meam. Non enim homines nominaturus sum & dicturus, ille hoc dixit, ille sic detraxit: cum fortasse etiam ad me falsa, quia & hoc potest fieri, perferantur. Verum tamen quæcunque perlata fuerint, si oportere videbitur, loquar inde charitati vestræ. Ante oculos vestros volo sit vita nostra. Scio quia quærentes licentiam male faciendi, quærunt sibi exempla male viventium, & multos infamant, ut socios invenisse videantur. Ideo quod nostrum est, plus quid faciamus, non habemus. Ante vestros oculos sumus, nullius aliquid desideramus, nisi bona opera vestra. Et vos exhortor fratres mei, si aliquid vultis clericis dare, sciatis quia non debetis quasi vitia eorum fovere contra me. Omnibus offerte, quod vultis offerre de voluntate vestra. Quod comune erit, distribuetur unicuique prout cuique opus erit. Gazophylacium attendite & omnes habebimus. Valde me delectat, si ipsum fuerit præsepe nostrum, ut nos simus iumenta Dei, vos ager Dei. Nemo det birrum, lineam tunicam, nisi in comune. De comuni accepi & mihi ipsi, cum sciam comune me velle habere quicquid habeo. Nolo talia offerat sanctitas vestra, quib. ego solus, quasi decentius utar. Offeratur mihi, verbi gratia, birrum preciosum. Forte decet Episcopum, quanvis non deceat Augustinum, i. hominem pauperem de pauperib. natum. Modo dicturi sunt homines, quia inveni preciosas vestes, quas non possem habere vel in domo patris mei, vel in illa seculari professione mea non decet. Talem debeo, qualē possim, si non habuerit, fratri meo dare: qualem potest habere decenter diaconus & subdiaconus, talem volo accipere, quia in comune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo: quod & facere soleo, ut quando non potest vestis esse commune, vendo & erogo pauperibus. Si hoc eum delectat, ut ego habeam: talem det, de qua non erubescam. Fateor n. vobis, de pretiosa veste erubesco: quia non decet hanc professionem, non decet hanc admonitionem, non decet hæc membra, non decet hos canos. Etiam illud dico, si forte in nostra domo, in nostra societate æger est aliquis, vel post ægritudinem, ut necesse sit eum ante horam prandii reficere, non prohibeo religiosos vel religiosas mittere eis, quod eis videtur ut mittant. Prandium tamen & cœnam extra nemo habebit. Ecce dico, audistis, audiunt. Qui habere voluerit proprium, & de proprio vivere, & contra ista præcepta nostra facere, parum est ut dicam. Non mecum manebit, sed clericus non erit. Dixeram enim, & scio me dixisse, ut si nollent suscipere socialem vitam meam, non illis tollerem clericatum seorsum manerent, seorsum viverent, quomodo possent, Deo viverent, & tamen ante oculos posui, quantum mali sit, à proposito cadere. Malui enim habere vel claudos, quam plangere mortuos. Qui n. hypocrita est, mortuus est. Quomodo quicunq; voluisset extra manere, & de suo vivere, non ei tollerem clericatum: ita modo, quia placuit illis, Deo propitio, socialis hæc vita, quisquis cum hypocrisi vixerit, quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto, ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula clericorum. Interpellet contra me *mille* concilia, naviget contra me quo voluerit, sicerte ubi potuerit. Adiuvabit me dn̄s, ut ubi ego ipse sum, ille clericus esse non possit. Audistis, audierunt, sed spero in dn̄m nostrum & misericordiam eius, quia sicut dispositionem meam istam hilariter acceperunt, sic eam pure fideliterq; servabunt. *Dixi aliquid* suum habere presbyteros cohabitatores meos, inter quos est & presbyter Barnabas. Sed & de illo audivi quædam fuisse iactata. Ante omnia, quia emit villam à dilecto & honorabili filio meo Eleusino. Hoc falsum est: monasterio donavit ille, non vendidit, ego sum testis. Donavit ille, non vendidit. Sed dum non creditur donare potuisse, creditus est vendidisse Beatus homo qui tam bonum opus fecit, ut non crederetur. Tamen vel modo credite, & detractores audire libenter desinite. Iam dixi, ego sum testis. *Dictum* est de illo, quod año præposituræ suæ per industriam debita fecerit, ut dum volo ego reddi debita, darem illi poscenti fundum Victorianensem, & hoc falsum est sed fuit unde rumor nasceretur. Fecit debita, reddenda à nobis reddita sunt partim unde potuerunt. Remansit aliquid quod non debebatur etiam monasterio illi, quod per ipsum dn̄s instituit. Cum ergo remansisset, cœpimus quærere unde debitum reddere-
* 40 remus. Ad conductionem ipsius fundi nullus accessit, nisi * 13. solidos offerens pensionem. Sed vidimus fundum amplius posse dare, ut celerius debitum redderetur, & comisi fidei eius, ut de ipsa conductione lucra non requirerent fratres. Sed quicquid daret fundus, de ipsis fructib. imputarent ad debitum, fide agitur. Paratus est presbyter, ut alium constituam qui de fructib. reddat Ex numero vestro sit aliquis cui hoc comittam, ex numero ipsorum qui ad nos talia pertulerunt. Sunt n. in vobis homines religiosi, qui eum rumorem falso reprehensum esse doluerunt, & tamen crediderunt factum. Ex ipsis ergo aliquis veniat ad nos, suscipiat possessionem. Omnes fructus preciis suis fideliter vendat, ut reddi possit facilius quod debetur, & hodie recedit inde cura presbyteri. Locus etiam ipse, ubi monasterium constitutū est, à memorato honorabili filio meo Eleusino, ipsi presbytero Barnabæ donatus est. Antequam ordinaretur presbyter, in ipso loco monasterium instituit. Sed tamen quia nomine ipsius donatus erat locus, mutavit instrumenta, ut nomine monasterii possideatur. De fundo Victorianensi ego rogo, ego peto, ut si quis religiosus est, fide agat, & exhibeat Ecclesiæ istam operam, ut cito debitum reddam. Quod si nemo de laicis fuerit inventus, ego præpono alium, iste illuc non accedet. Quid vultis amplius? Nemo laceret servos Dei, quia non expedit lacerantib. servos Dei: quidem merces falsis detractionib. crescit, sed crescit etiam pœna detrahentium. Nam non sine causa dictum est: gaudete & exultate, quando detrahunt de vobis dicentes falsa, quia merces vestra magna est in cœlis. Nolumus cum detrimento vestro magnā habere mercedem, minus ibi habeamus, & tamen vobiscum ibi regnemus.

INCI-

Incipit Præfatio de Regula Clericorum.

QUia ergo constat, sanctam Ecclesiam prædictorum patrum exempla sequi debere, quorum noscitur documenta post Apostolica instituta ubertim coruscare: debent non solum prælati imitando, verumetiam subditi obsequendo, usquequaque studere qualiter eorum exemplis & doctrinis parentes, ad felicitatis gaudia, quo illi præcesserunt, valeant pervenire. Quoniam sicut hi qui eorum doctrinis & exemplis summa devotione obediunt, æternis gaudiis inseruntur: ita nimirum ea sectari nolentes, æternis suppliciis mancipantur. Memoratas itaque sanctorum patrum sententias, quibus clericalis ordo ad bene vivendum instruitur, sedule perlegat & diligenter pertractet, quisquis canonicam professus est vitam. Quas cum bene perscrutatus fuerit, patenter inveniet, quod illi non enervate, sed religiose vivendum sit.

Quæ præcepta specialiter monachis, quæ generaliter cæteris conveniant Christianis.

Cap. I.

PRopter quorundam simplicium verba, qui religiosis & eruditis viris se admonentibus ac redarguentibus plerunque obiicere solent, solos monachos sanctarum scripturarum præcepta observare debere: operæ precium duximus, quædam Evangelica atque Apostolica quam brevissime ad medium deducere præcepta, ut hæc huiusscemodi imperiti homines audientes, hisque aurem cordis accommodantes, intelligant quæ sibi, quæ monachis conveniant observare præcepta. Qui enim mente & corpore vult contemnere seculum, & pauperem sequi Christum, audiat ipsum dicentem in Evangelio: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes & da pauperibus: & veni, sequere me.* Et iterum, *Omnis qui reliquerit domum aut fratres, aut patrem, aut matrem, aut agros propter me: centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Ad discipulos autem: *Vos* (inquit) *qui reliquistis omnia, & secuti estis me, sedebitis super sedes duodecim, iudicantes 12. tribus Israel.* Hæc & huiusmodi præcepta specialiter solis congruunt monachis: & quanto singularia, tanto & præcipua. Dicit etiam idem salvator generaliter omnibus: *Omnis qui venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorē, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam non potest meus esse discipulus.* Et iterum: *Qui non renunciaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Et iterum: *Qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus.* Et iterum: *Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis* Et iterum: *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis, alioquin mercedem non habebitis.* Item: *Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur.* Item, *Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula & ebrietate, & curis huius vitæ.* Item, *dico vobis: Nolite resistere malo, & diligite inimicos vestros. Benefacite his qui vos oderunt, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos.* Item, *omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui dixerit racha, reus erit concilio. Qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.* Item, *Nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram. Sit autem sermo vester, est est, non non.* Item, *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines reddent de eo rationem in die iudicii.* Item, *si quis te percusserit in dextera maxilla, præbe illi & alteram.* Item, *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est.* Item, *Si peccaverit in te frater tuus, dimitte ei septies: & non solum septies sed usque septuagies septies.* Item, *Si non remiseritis hominibus de cordibus vestris, nec pater vester cœlestis dimittet vobis peccata vestra.* Item, *Quærite primum regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.* Et cuidam diviti: *Si* (inquit) *vis ad vitam ingredi, serva mandata, id est, non homicidium facies, non adulterabis, non furtum facies, non falsum testimonium dices, non concupisces rem proximi tui: honora patrem tuum & matrem tuam, & diliges proximum tuum sicut teipsum.* Et cuidam legis doctori se interroganti, quod esset mandatum magnum in lege, ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua: hoc est maximum & primum mandatum. Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ.* Paulus quoque Apostolus dicit: *Qui diligit proximum suum, legem implevit. Nam non adulterabis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces, & si quod est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur, Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Item idem: *Patientes estote ad omnes, ne quis malum pro malo alicui reddat, sed semper quod bonum est, sectamini invicem & in omnes. Hæc enim est voluntas Dei. Omnia autem probate, quod bonum est, tenete, ab omni specie mala abstinete vos.* Item idem: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & avaritiam.* Item idem: *Nunc autem deponite & vos iram, indignationem, malitiam, blasphemiam, & turpis sermo de ore vestro non procedat.* Item idem: *Induite vos viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam supportantes invicem.* Item idem: *Nolite mentiri invicem.* Item idem: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite.* Item idem: *Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem sicut & Deus in Christo donavit vobis.* Item idem: *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia.* Item idem: *Fornicatio, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas.* Item idem: *An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt? Nolite errare, Deus non irridetur, quia neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt.*

bunt. Item idem: *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei*. Item idem: *Imitatores mei estote, sicut & ego Christi*. Item idem: *Pacem sequimini cum omnibus & sanctimoniam, sine qua nemo videbit dominum*. Item idem ad Timotheum: *Discedat* (inquit) *omnis ab iniquitate qui nominat nomen domini*. Apostolus quoque Ioannes ait: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt: quia si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo*. Item idem: *Qui dicit se in Christo manere, debet quo ille ambulavit, & ipse ambulare*. Item ipse: *Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem*. Iacobus autem Apostolus ait: *Quicunque voluerit amicus esse huius seculi, inimicus Dei constituitur*. Multa quidem & innumerabilia legalia, Prophetica, & Evangelica atque Apostolica poterant proferri documenta, quibus infatigabiliter atque inexcusabiliter devotio famulari debet Christiana: sed propter eos quos supra memoravimus, hæc pauca breviter adnumerare studuimus, qui insipienter asserunt, solos monachos arctam sectari debere viam, cum utique dominus arctam & angustam viam dicat esse quæ ducit ad vitam, & nemo nisi per eam in vitam ingredi possit æternam. Non solum igitur monachis & clericis, verumetiam omnibus qui Christiano censentur vocabulo, per hanc arctam & angustam intrandum est viam. Quid ergo arctius, quam id quod præcipitur, *Diligite inimicos vestros, & nolite resistere malo*: &, *qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio*: &, *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo*: & cætera talia? Hæc quippe arcta sunt, sed saluberrima: & quanto arctiora, tanto potiora & eminentiora. Oportet itaque omnes qui iuxta Apostolum in Christo baptizati sumus, Christumque induimus, in novitate vitæ ambulare, semperque ante oculos ponere pactum, quod cum Deo in baptismate fecimus, ubi abrenunciavimus satanæ & omnibus pompis eius, & omnibus operibus eius. Quod pactum tunc irritum fit, cum in fide quis permanendo, vitiis, aut à fide exorbitando, idolorum cultibus, aut hæresum erroribus implicatur. Quia ergo (sicut scriptum est) *corpus quod corrumpitur, aggravat animam*, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem, & fragilitas humana post baptismi gratiam peccatorum sordidatur illecebris, eademque peccata baptismatis iteratione nequaquam deleri possunt: necesse est, ut pœnitentiæ lamentis & eleemosynarum largitionibus, & cæteris bonorum operum executionibus, quam celerrime deleri procurentur. Et quia unus est Pater noster & magister & dominus, una fides, unum baptisma, una mater sancta Ecclesia, instanter & vigilanter ab omnibus certandum est, quanquam diversorum donorum modis curratur, qualiter una ad sanctam & supernam Hierusalem matrem nostram tendamus, quo sine fine cum domino vivere mereamur. Illud quoque sciendum, quia quanto quisque se in præsenti seculo pro Christi amore abiectiorem fecerit, tanto magis in futuro feliciorem remunerationem percipiet.

Quod canonica institutio, Evangelica & Apostolica authoritate fulta cæteris supereminea institutionibus.

Cap. 2.

QVia evidenti authoritate liquet, canonicam institutionem cæteris præstare institutionibus: debent, necesse est, qui huius professionis censentur nomine, procurare qualiter in semetipsis eandem institutionem vita & moribus exornent potius quam dehonestent. Quoniam qui tantæ authoritatis institutione pollent, & se aliis imitabiles præbere debent, verendum est, ne si (quod absit) à proposito exorbitaverint, regno Dei indigni fiant. Quanquam enim canonicis, quia in sacris canonibus illis prohibitum non legitur, liceat linum induere, carnibus vesci, dare & accipere, propria & ecclesiæ cum humilitate & iustitia habere, quod monachis, qui secundum regularem institutionem arctiorem ducunt vitam, penitus inhibitum est: non tamen in cavendis vitiis & amplectendis virtutibus eorum à monachorum distare debet vita. Monachi nanque qui evangelicum præceptum sequentes, distractis atque renunciatis patrimoniis, sua Christo dedere, merito de facultatibus Ecclesiæ subsidium accipiunt temporale: ut quia toto mentis desiderio cælestia appetunt, sic in hac peregrinationis via sumptibus dominicis sustententur, quatenus ad ea quæ contempserunt, minime redire qualibet necessitatis causa compellantur. Et quia nihil sibi proprium reliquerunt, manifestum est, illos copiosius Ecclesiæ sumptibus quam canonicos, qui suis & Ecclesiæ licite utuntur rebus, indigere. *Vnusquisque enim*, ut ait Apostolus, *proprium donum habet à Deo*.

Quid sint res Ecclesiæ. *Cap. 3.*

RES Ecclesiæ, sicut à sanctis patribus traditur, & superioribus capitulis continetur, *vota sunt fidelium, precia peccatorum, & patrimonia pauperum*. Fideles nanque fidei ardore & Christi amore succensi, ob animarum suarum remedium & cælestis patriæ desiderium, suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut his & ministri Christi alerentur, & Ecclesiæ exornarentur: pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur. Quapropter vigilanti ac solerti cura providendum est his, qui eius facultates administrant, ne eas in suos solummodo usus convertant, sed magis iuxta possibilitatem rerum, Christo famulantium, imo eorum in quibus Christus pascitur & vestitur, curam gerere penitus non negligant. Sed & sententia B. Hieronymi, non solum prælatis, sed etiam cæteris qui reb utuntur Ecclesiæ, vigilanter perpendenda est, qui ita in commentario Matthæi Evangelistæ ait: *Omnes igitur qui stipe templi & his quæ conferuntur ad usus Ecclesiæ, abutuntur in aliis rebus, quibus suam expleant voluntatem, similes sunt scribarum & sacerdotum, redimentium mendacium & salvatoris sanguinem*. Ergo res ec-

clesiæ pauperibus & militibus Christi stipendiariæ debent intelligi. Unde totis nisibus prælatis satagendum est, ut sanctorum patrum dictis & exemplis obsequentes, detebus sibi commissis (ut præmissum est) & subditos gubernent, & pauperes foveant, cunctisque utilitatibus ac necessitatibus ecclesiæ fideliter administrando consulant, quatenus de fideli administratione ab ipso cujus ministri esse noscuntur, ineffabiliter remunerari mereantur.

Quod diligenter munienda sint claustra canonicorum.

Cap. 4.

PRæpositorum officii est, ut subditorum mentes sanctarum scripturarum lectionibus assidue muniant, ne lupus invisibilis aditum inveniat, quo ovile domini ingredi & aliquam ovium surripere valeat. Et quanquam ab his hoc instantissime spiritaliter fieri oporteat, necesse est tamen, ut claustra in quibus clero sibi commisso canonice vivendum est, firmis undique circundent munitionibus, ut nulli omnino intrandi aut exeundi, nisi per portam, pateat aditus. Sint etiam interius dormitoria, refectoria, cellaria, & cæteræ habitationes, usibus fratrum in una societate viventium necessariæ. Qui vero hæc, quæ præmissa sunt, juxta quod possibilitas suppetit, agere tenuerit, impar minusque idoneus ad cætera ecclesiastica officia peragenda habendus est. Et quanquam divina ultione sit dignus, synodali tamen est sententia feriendus.

Ut in congregandis canonicis, modus discretionis sit tenendus.

Cap. 5.

CAveodum summopere præpositis ecclesiarum est, ut in ecclesiis sibi commissis, non plures admittant clericos, quam ratio sinit & facultas ecclesiæ suppetit: ne si indiscrete & extraordinarie plures aggregaverint, nec ipsos gubernare, nec cæteris ecclesiæ necessitatibus, ut oportet, valeant adminiculari. Sunt nanque nonnulli vanam gloriam ab hominibus captantes, qui numerosam cleri congregationem volunt habere, cum nec animæ nec corporis curant solatia exhibere. Hi nanque taliter aggregati dum à prælatis stipendia necessaria non accipiunt, neque canonicum servant ordinem, nec divinis officiis insistunt, claustra societatemque cæterorum relinquentes, efficiuntur vagi & lascivi: gulæ & ebrietati & cæteris suis voluptatibus dediti. Quicquid sibi libitum est, licitum faciunt. Proinde præpositis solerter providendum est, ut in hoc negotio modum discretionis teneant, scilicet ut nec plusquam oportet, & possibilitas ecclesiæ suppetit, in congregationem admittant nec eis quod rationabiliter gubernare possunt, causa avaritiæ excludant.

De his qui in congregatione sibi commissa solummodo ex familia ecclesiæ clericos aggregant.

Cap. 6.

SUnt nonnulli, qui tantum ex familia ecclesiastica clericos in sibi commissis congregant ecclesiis: & hoc ideo facere videntur, ut si quando eis aliquod incommodum fecerint, aut stipendia opportuna subtraxerint, nihil querimoniæ contra se objicere præsumant, timentes scilicet, ne aut severissimis verberibus afficiantur aut humanæ servituti denuo crudeliter addicantur. Hoc autem ideo non dicitur, ut ex familia ecclesiæ probabilis vitæ in congregatione non sint admittendi, præsertim cum apud dominum non sit personarum acceptio; sed potius, ut propter quam intulimus occasionem, nullus prælatorum, seclusis nobilibus, viles tantum in sua congregatione admittant personas.

Qui clerici in congregatione canonica constituti, ecclesiastica accipere debeant stipendia.

Cap. 7.

QUia sanctorum patrum supra notatæ sententiæ docent, clericos non divitiarum sectatores esse, nec res ecclesiarum inofficiose accipere debere, non ab re putavimus, nonnulla capitula libri Prosperi ad medium, & exempli causa deducere, in quibus ita legitur: *Qui ecclesiæ serviunt, & ea quibus opus non habent, aut libenter accipiunt, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt.* Item ibi: *Satis quippe indignum est, si fidelis & operosa devotio clericorum, propter stipendium seculare, præmia sempiterna contemnat.* Item ibi: *Si propter hoc non vult sua quæque relinquere, ut habeat unde vivat: ut quid accipit, unde rationem reddat? Ut quid peccatis alienis sua multiplicat?* His igitur & cæterorum sanctorum patrum dictis diligenter animadversis, studeant necesse est clerici in accipiendis ecclesiasticis sumptibus suum vitare periculum. Proinde qui & suas & ecclesiæ habent facultates, & utilitatem ecclesiæ aut interius aut exterius conferunt accipiant in congregatione cibum, & potum, & partes eleemosynarum, ut his contenti sint, ne plus accipientes pauperes gravare videantur, perpendentes sententiam Prosperi qua dicitur: *Qui sua possident & dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo, unde pauper victurus erat, non accipiunt.* Hi vero qui nec suis rebus abundant, nec ecclesiæ habent possessiones, & magnam utilitatem ecclesiæ conferunt, accipiant in canonica congregatione victum & vestitum, & eleemosynarum partes quia de talibus ita libro Prosperi scribitur: *Clerici quos voluntas aut nativitas pauperes fecit, in congregatione viventes necessaria vitæ accipiant, quia ad ea accipienda non eos habendi ducit cupiditas, sed cogit vivendi necessitas.* Porro si tales fuerint, qui nec suas, nec ecclesiæ velint habere possessiones, horum necessitatibus providentissima gubernatione de facultatibus ecclesiæ debent subvenire prælati, attendentes illud Prosperi: *Quod habet,* inquit, *ecclesia, cum omnibus nihil habentibus commune habet.*

Sed & illorum curam nihilominus gerere debet, quos aut infirmitas, aut senectus aggravat, quos etiam constat olim in utilitatibus ecclesiæ desudesse.

Ut in congregatione canonica æqualiter cibus & potus accipiatur.

Cap. VIII.

SOlet in plerisq; canonicorum congregationibus irrationabiliter atq; indiscrete fieri, ut nonnulli clerici, qui & divitiis affluunt, & aut parum aut nihil utilitatis Ecclesiæ conferunt, majorem cæteris, divinum strenue peragentibus officium, annonam accipient: cum hoc ita fieri debere nusquam nec in authoritate scripturarum, nec in traditionibus sanctorum patrum possit quoquo modo sancitum reperiri. Sed quia hujuscemodi factum nulla autoritate fulcitur: sed magis gulæ, imo avaritiæ causa constat esse molitum: restat ut falce justitiæ resecetur, & æquitatis censura ab eisdem locis in quibus fit, prorsus abdicetur. Nempe rationabile justumque coram Deo & hominibus, ut in unaquaque canonica congregatione, à minimo usque ad maximum, cibum & potum omnes æqualiter accipiant, hi videlicet, qui propter aliquam utilitatem in numero canonicorum fuerint admissi. Quanquam enim plerique subditorum à prælatis, rebus quibuslibet aliis plus, cæteris merito soleant honorari, in hac tamen societate, seclusa personarum acceptione, una debet cibi & potus æqualitas esse.

De mensura cibi & potus. Cap. IX.

ILlud quoq; congruentissime & rationabiliter tenendum esse censuimus, ut in singulis locis in quibus socialiter canonice domino militatur, panem & pulmentum & eleemosynarum partes æqualiter canonici accipient. Et quanquam decentissimum foret, ut similiter æque potum acciperent, non tamen id æqualiter in omnibus locis: nec ecclesiarum diversissimæ facultates, nec terrarum qualitates, nec eventuum sinunt fieri posse varietates. Unde necessarium duximus, ut in hoc negocio modum discretionis tenendum describeremus. Quapropter communi voto communique consensu, sacro conventui statuere placuit, ut in omnibus locis, majoribus scilicet & minoribus, accipient singuli canonici per singulos dies quatuor libras panis. In locis vero ubi majores facultates sunt ecclesiæ, v. g. tria aut quatuor aut certe octo & eo amplius millia mansi, si eadem regio vini ferax fuerit accipiant per singulos dies quinq; libras vini, si tamen sterilitas impedimento non fuerit temporis. Si vero undique plene non fuerit, tres libras vini, & tres cervisiæ. Et si penitus vini ferax non fuerit, accipiant libram vini, & quinque libras cervisiæ. In mediocribus enim locis mille, aut mille quingentos, vel certe duo millia mansos habentibus, si regio (ut præmissum est) vini ferax fuerit, quatuor libras vini. Et si plene vini ferax non fuerit, duas libras vini, & tres potus ex diversis materiis confecti. Quod si etiam vini ferax minime fuerit, quatuor libras memorati potus, & libram vini accipient. Porro in minoribus locis ducentos aut trecentos mansos habentibus, accipiant duas libras vini. Quod si & eadem regio (ut jam dictum est) vineis caruerit, tribuantur eis tres libræ cervisiæ: & si facultas suppetit, libra vini. Licet enim in nonnullis provinciis copia desit vini, satagendum est tamen prælatis, ut ex circumjacentibus viniferis provinciis vinum habeant. Quoniam quanquam in plerisque *regionibus* vineæ non sint, abundat tamen sancta Dei ecclesia, domino attribuente, aliarum rerum copiis, è quibus industrie prælatorum ex aliis provinciis vinum adipisci, sibique subditis juxta facultatem, pocula conferre possunt. In locis igitur ubi permodicæ sunt res ecclesiæ, aut forte quorundam abstractu valde attenuatæ, pauci numero, magni tamen constituantur officio: quibus saltem præmissa minor mensura sine difficultate dari possit. Diebus vero festis, sicut moris est ecclesiæ, juxta quod melius prælati possunt, fratribus cibum potumque ministrent. In his itaque locis, ubi forte nonnulli prælati, piorum prælatorum imitantes exemplum, magis subditis dare soliti sunt, nullatenus bonum quod faciunt, obmittant. Sed & sicut ob æternam retributionem magis subditis supererogare libuerit, hilariter quod poterit, tribuet. Sin autem nullatenus mensuram prædictam absque inevitabili causa eis subtrahat. Quando tempus sterilitatis vini extiterit, sicut crebro peccatis præpedientibus evenire solet, & prælati, quantum debent, dare vinum canonicis nequiverint, id quod dederint, sic discrete & temperate distribuant, ut omnes communiter eo utantur. Non autem id murmuranter, sed magis cum gratiarum actione, quod dari potest, accipiant, & socialiter in sancto proposito perseverent. Idcirco prospicere sibi debent canonici, ut vinum aut quemlibet alium potum in eleemosyna sibi datum, in communi recondant cellario, quatenus imminente hujuscemodi sterilitatis tempore, suis eo suffragentur communiter necessitatibus, non tamen eis propter hoc à prælatis potus debitus penitus subtrahatur, si est unde detur. Qui vero & suis & ecclesiæ abundant rebus, instante sterilitatis tempore eis, quos pauperes pascit ecclesia suis facultatibus cum charitate & humilitate suffragari procurent, ut juxte Apostolum, *Frater fratrem adjuvet & ambo consolentur.* Non tamen ob id se superbiendo, extollant, quia sicut in libro Prosperi scribitur. *non se debent hujuscemodi inani jactantia præferre his, quos nihil habentes pascit ac vestit ecclesia.* Illud interea semper caveant prælati ne id quod dare debent aut possunt, qualibet dissimulatione aut tenacitate subditis subtrahant, ne paupertatis occasione compulsi, per diversa vagari ac turpibus se implicari negotiis cogantur: relictoq; ecclesiastico officio incipiant indisciplinatè vivere, & propriis voluptatibus deservire: & prælati, qui eis necessaria largiendo, à domino remunerari poterant districte & severe judicentur. Dent quippe eis pulmentum, juxte quod vires suppetant, & loco eis congrue attribuant, in quibus nutrimina fiant, unde necessarie pulmenta habeant, exceptis his quæ de ecclesiæ villis vel oblationibus fidelium accipiunt. Habeant itaque iidem canonici hortos olerum, unde cum

cæteris

cæteris redditamentis aliquod pulmentum quotidie in refectorio sibi vicissim ministrent Propter diversitates nanq; & inæqualitates mensuratum, quæ apud plerosque non æque secundum domini legem, sed secundum uniuscujusque provinciæ usum habentur, mensuram cibi & potus, ponderis ratione canonicis dandam esse censuimus: & hoc ideo, quia cum hujuseemodi mensuræ diversissimæ & inæquales soleant haberi, publicum tamen pondus provinciis, civitatibus, metallisque inditum, nihil diversitatis aut inæqualitatis pati debet, quatenus sicut idem pondus æquum permanet, ita etiam eadem mensura æque illis tribuatur. Noverint tamen generaliter omnes, libram non amplius quam duodecim unciis constare debere.

Quod à prælatis Gemina pastio sit subditis impendenda.

Cap. 10.

SOlerter prælatis satagendum est, ut eos quibus præsunt, verbis & exemplis ad bene vivendum informent, fixoq; corde tenendum, ne eos quasi proprios, sed ut domini sui gregem tractare meminerit, juxta illud quod Petro dicitur: *Si diligis me, pasce oves meas*: Meas, inquit, non tuas. Et hoc ideo dicimus, quia sunt nonnulli, qui oves Christi, non amore Christi, sed suæ vel gloriæ vel dominationis vel quæstus gratia, pascunt. Sed & hoc vigilanter perpendere debent, quod eadem pastio gregis dominici, non uniformi, sed multimoda est sollicitudine gerenda, scilicet quia & terrena subsidia diligenter illis præbere, & exemplo virtutis simul cum verbo prædicationis debent solicite impendere. Quapropter studeat unusquisque prælatus, ut familiæ Christi annonam spiritalem, carnalemque fideliter subministret, ut effici mereatur ille evangelicus, de quo dicitur: Fidelis servus & prudens, quem constituit dominus super familiam totam, ut det illis in tempore tritici mensuram. Ergo, sicut subditis necessaria corporis tribuunt, ita nihilominus studere debent, ut idem religiosissime ordinem canonicum servent & prælatis suis ac magistris honorem debitum humiliter impendant, ut horis canonicis divinum officium devotissime expleant, intus forisque, non solum habitu & actu, sed etiam ipso incessu repræhensibiles existant: ut non ocio vacent, non vaniloquiis inserviant, non detractionibus & cæteris vitiorū illecebris incumbant, sed potius aut orationi, aut lectioni aut quibuslibet ecclesiæ aut certe propriis utilitatibus vacent, aut etiam doctrinis sanis, & diversarum artium erudiantur disciplinis, ita videlicet, ut nullus in congregatione inutilis aut ociosus existens stipendia ecclesiæ inofficiose accipiat, ut quotidie ad collationem veniant, ubi & hanc institutionem & aliarum scripturarum sanctarum lectiones perlegant, & pro admissis veniam postulent, & sententiam pro qualitate admissi suscipiant: ubi etiam de communi profectu & utilitate ecclesiæ pertractent, ut omnes in dormitorio, nisi quem infirmitas aut senectus id facere prohibuerit, dormiant: in refectorio quotidie una reficiantur: nisi forte quem necessitas abesse compulerit, & hoc sine licentia magistri non fiat: illis quoque comedentibus, & silentium religiose tenentibus, continuatim legatur lectio, & ab his intentissime audiatur, ut vicissim in refectorio, & cæteris communibus necessitatibus sibi fraternitatis officio serviant, ut nullus foras, nisi per licentiam egrediatur, egressus quoque nullum de se tractioni locum det, sed magis imitabilem se cunctis exhibeat. Hanc igitur geminam pastionem, prælati sibi commissis ovibus impendere instanter procurent, utpote pro animabus eorum domino rationem reddituri, quatenus eas pastori omnium Christo, videlicet summo pontifici, secum in tremendi examinis die illæsas præsentantes, non cum reprobis & divina ultione feriendis damnentur, sed potius cum electis pastoribus perpetua felicitate à domino remunerentur.

Ut canonici, sicut in cæteris, ita etiam in cultu vestium modum teneant discretionis.

Cap. 11.

QVærere potius dominum cultum cordis quam corporis, evidentibus scripturæ sanctæ patet indiciis. Proinde canonicis totis viribus elaborandum est, ut & indumenta virtutum habeant interius, & per immoderatum cultum caveant dehonestare religionis dignitatem exterius. Quantum etiam à superfluo & immoderato cultu vestium se compescere debeant, multis sanctorum patrum documentis perdoceri potest. Dicit enim beatus Hieronymus in epistola ad Eustochium: *Sunt quidam mei ordinis, quibus omnis cura est de vestibus, si bene oleant, si pes laxa pelle non folleat, crines calamistri vestigio rotant, digiti de annulis radiant, & ne plantas humidior via spargat, vix imprimunt summa vestigia, tales, inquit, cum videris, sponsos magis æstimato, quam clericos.* Et beatus Gregorius: *Nemo,* inquit, *æstimet in luxu atque in studio vestium peccatum deesse: quia si hoc culpa non esset, nullo modo Joannem dominus de vestimenti sui asperitate laudasset. Si cultus vestium culpa non esset, nequaquam Petrus apostolus per epistolam fœminas a preciosarum vestium appetitu compesceret, dicens: Non in veste preciosa.* Pensandum nobis summopere est de cultu vestium, quæ culpa sit, hoc etiam viros appetere, à quo curavit pastor ecclesiæ & fœminas prohibere. Quapropter oportet canonicos sanctarum scripturarum authoritati parere, sanctorum patrum documenta vigilanter perpendere, ut humilitate quam corde gestant, actu, habitu, incessu, ipsa etiam equitatione, religiosissime demonstrent plusque velint sancta conversatione, eximiisque moribus quam ornatu vestium fulgere. Si enim more conjugatorum in se ornandis, more vestium, faleris equorum, cæterisque humanæ vanitatis rebus abusi fuerint, scilicet, ut se similibus uti debere contendant, in quo eorum conversatio à laicorum distare videbitur? Decet porro, ut eorum talis sit vestium cultus, qui occasione vanitatis careat, & nihil novitatis, nihil superfluitatis redoleat, nihilq; repræhensionis aut detractationis habeat. Non n. specialiter præsumi debet ab aliquo, quod nō generaliter teneatur ab omnibus, i. nec plus justo cultior vestis, nec insolita atq; deformis quia in utroq; illorū aut elationis, aut certe simulationis noxa patescet. Inter utrumq; n. virtus discretionis moderatissime tenenda est. Quæ plenissime in vita B. August. in laudem illius prolata, ita legitur:

Vestis

Vestitus ejus & calceamenta, vel lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium nec abjecta plurimum: quia hic plerique vel jactare sese insolenter homines solent, vel abjicere, ex utraque non qua Iesu Christi, sed quæ sua sunt, quærentes. At iste ut dixi, medium tenebat, neque ad dexteram, neque ad sinistram declinans.

Ut canonici cucullas monachorum non induant.

Cap. 12.

REprehensibilem, & ecclesiastica emendatione dignum apud plerosque canonicos inolevisse, comperimus usum, eo quod contra morem ecclesiasticum, cucullas, quibus solis monachis utendum est, induant, cum utique illorum habitum penitus usurpare non debeant, à quorum proposito quodammodo distant: quia sicut indecens est, ut arma militaria more laicorum gestent, ita nimirum inhonestum & valde indecorum est, ut alterius propositi indumenta sibi imponant. Habitus singulorum ordinum idcirco in ecclesia ab invicem discreti sunt, ut his visis, cujus propositi sit gestans, vel in qua professione domino militet, liquido cognoscatur. Nam & domini lege vir muliebrem, & mulier virilem prohibetur induere vestem, scilicet ut uterque sexus sibi convenienti veste indutus incedat. Sicut enim turpe est, virum vestem muliebrem, & mulierem vestem virilem induere: ita valde indecorum est, canonicum vestem monasticam induere, nisi tamen cum veste etiam propositum voluerit assumere. Et quia hujuscemodi usus nulla authoritate approbatur, sed potius ab his qui sanum sapiunt, merito reprehenditur & repudiatur, oportet ut abhinc, ne fiat penitus, inhibitum sit.

Excerptum ex libro officiorum Isidori, qua autoritate horæ canonicæ celebrantur, quas scire ac religiose observare canonicos oportet.

Cap. 13.

HOram tertiam, sextam, & nonam, Daniel & tres pueri supplicationibus devoverunt, scilicet ut ab ortu diei in tempus supplicationis tres horæ porrectæ, Trinitatis nobis reverentiam declararent, pariter à tertia & sexta usque inde ad nonam, per lucis intervalla satis dimensionibus terminata Trinitas, ter die rogata coleretur, illud etiam occurrens ad probationem venerabilis Trinitatis, quod Spiritus sanctus hora tertia, hoc est, suo loco & numero & tempore descendit ad terras, impleturus gratiam quam Christus promisit. Nam & sexta hora Christus passus, in nona in patibulo cruciamenta porrexit. Tali enim sacramento legitimis ad precem temporibus per ternas horas, Trinitatis perfectio aut laudatur celebritatibus, aut precibus impetratur, licet & computetur diurna celebritas, per quam ternarium usque in vespertinum officium, hoc est, quaternis significatur mundus, quadrifario divisus, in Trinitate salvatus, siquidem & in nocte stationes vigiliæ militaris in quatuor partes divisæ, ternis horarum spatiis secernuntur, ut & in ipsis nocturnis mundialibusque officiis Trinitatis mysterium venetetur.

De vespertinis. Cap. 14.

VEspertinum diurni finis officium, & alternæ lucis occasus est. Cujus ex veteri testamento solennis est celebratio. Denique hoc tempore veterum sacrificia offerri adolerique altario aromata & thura mos erat. Testis est hymnidicus ille, regio ac sacerdotali perfunctus officio dicens: *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* In novo quoque testamento eo tempore Dominus & salvator noster cœnantibus Apostolis, mysterium sui corporis & sanguinis initio tradidit, ut tempus ipsum sacrificii, vesperum ostenderet seculi. Proinde in honore ac memoria tantorum sacramentorum, his temporibus adesse non decet Dei conspectibus & personare, in ejus cultibus orationum nostrarum illi sacrificium offerentes, atque in ejus laudibus pariter exultantes. Vesperum autem nominatum à sidere, quod vesper vocatur & decidente sole exoritur. De quo propheta dicit: Et vesperum super filios hominum producere facit.

De completis. Cap. 15.

DE completis autem celebrandis, id etiam in patrum invenitur exemplis, David propheta dicente: *Si ascendero in lectum strati mei, si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inveniam locum domino, tabernaculum Deo Iacob.* Quis non stupeat tantam in Dei amore animi devotionem, ut somnum sibi, sine quo utique corpora humana deficiunt, penitus interdixerit, donec locum ac templum domino fabricandum in pectore suo regius propheta reperiret? Quæ res nos debet fortiter admonere, ut si ipsi locus domino esse volumus, & tabernaculum ejus aut templum cupimus haberi, in quantum possumus exempla sanctorum imitemur, ne de nobis dicatur quod legitur, *dormierunt somnum suum, & nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis.*

De vigiliarum antiquitate. Cap. 16.

ANtiqua est vigiliarum devotio, familiare bonum omnibus sanctis. Esaias denique propheta exclamat ad dominum, dicens: *De nocte vigilat spiritus meus ad te Deus, quia lux præcepta tua sunt super terram.* Item David: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi super judicia justitiæ tuæ.* Hoc namque tempore vastator angelus transiens, primogenita Ægyptiorum percussit. Unde & nos vigilare oportet, ne periculo Ægyptiorum admisceamur, iisdem etiam horis venturum se esse in evangelio salva-

salvator asseruit. Unde ad vigilandum auditores suos exuscitans, dicit: *Beati servi illi, quos, cum venerit, dominus invenerit vigilantes. Et si vespertina* (inquit) *hora venerit, & si media nocte, & si galli cantu, & invenerit eos vigilantes, beati sunt servi illi. Itaque & vos estote parati, quia nescitis qua hora filius hominis venturus est.* Si quidem nec verbis solum docuit vigilias, sed etiam confirmavit exemplo. Nam testatur Evangelium, quia erat Jesus pernoctans in oratione Dei. Paulus quoque & Silas in custodia publica circa medium noctis orantes, hymnum audientibus cunctis, dixisse memorantur: ubi repente terræ motu facto, & concussis carceris fundamentis, & januæ sponte apertæ, & omnium vincula sunt soluta. Unde oportet his horis psallendi orandique frequentiam nos in sanctis habere officiis, finemque nostrum, vel (si advenerit) sub tali actu expectare securi. Est autem quoddam genus hæreticorum, superfluas æstimantium sacras vigilias, & spiritali opere infructuosas, dicentium jura temerari divina, qui noctem fecit ad requiem, sicut diem ad laborem. Qui hæretici Græco sermone Hypnotici, hoc est, somniculosi vocantur.

De Matutinis. Cap. 17.

DE Matutinorum antiquitate & authoritate testis est idem David Propheta dicens: *In matutinis meditabor in te, quia fuisti adjutor meus.* Et alibi: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo, ut meditarer eloquia tua.* Cassianus autem dixit: *Matutina solennitatis officio, novo adhuc tempore instituto primitus in Bethleem monasterio, ubi Dominus noster JESUS CHRISTUS pro redemptione humana salutis, ex virgine nasci dignatus est, sicque ex illo per universum mundum ejusdem celebrationis inva luit consuetudo.* Diluculo autem proinde oratur, quod resurrectio Christi celebretur. Matutina autem luce radiante, dominus, & salvator noster ab inferis resurrexit, quando cœpit oriri fidelibus lux, quæ moriente Christo occiderat peccatoribus. Siquidem & eodem tempore cunctis spes futuræ resurrectionis creditur, cum justi & omnes ab hac temporali morte quasi à sopore somni resurgentes, evigilabunt.

Ut horas canonicas canonici religiose observent. Cap. 18.

STudeant summopere canonici prædictas horas vigilantissima cura custodire, & in his divinum officium humiliter ac devote persolvere. Mox enim ut datum fuerit signum, festinato omnes ad Ecclesiam conveniant. Quam non pompaticæ aut inhoneste vel incomposite, sed cum reverentia & Dei timore ingrediantur. Nec cum baculis in choro, exceptis debilibus, sed religiosissime illis standum & orandum est. Sunt etenim quidam clericorum, qui in secularibus negociis & disceptationibus pene totum infatigabiliter deducunt diem, & mox ut Ecclesiam ad divinum officium peragendum intraverint, ita fatigati videntur, ut nec orationi vacare, nec ad psallendum stare queant: sed ponus sedentes, non divinis, sed vanis solent instare loquelis, ac secularia verba, & (quod dictu nefas est) turpia & obscena invicem proferunt. Oportet itaque ut ab his qui faciunt, & ab illis qui eos forte imitari volunt, iste execrabilis usus radicitus evellatur: quia secundum domini sententiam, domus ejus, domus orationis vocanda est. Omnes igitur ab ociosis sermocinationibus auditum pariter castigent & linguam, & in Ecclesia cum timore & veneratione stantes, aut orent, aut cantent, aut legant, aut audiant: verba vero turpia & livida ac secularia, nec ipsi proferant, nec alios proferre sinant, quinimo laudes Deo in commune persolventes, pro suis ac populorum, quorum oblationibus vivunt, delictis dominum exorent. *Debent*, quoque, juxta Apostolum, *primo omnium ab his fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate sunt constituti, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate. Hoc enim*, inquit Apostolus, *bonum est & acceptum coram salvatore nostro Deo.* Caveant etiam, ne pro requie sibi in locis divino cultui mancipatis concessa, ocio torpeant: sed magis in persolvendis divinis laudibus promptiores ac devotiores existant, ut per hanc quietem bene operantes, ad eam quæ fine caret, pervenire valeant. Qui vero has horas frequentare, & in his, ut dignum est, cæleste neglexerit officium persolvere, digna invectione corripiatur, ut & ipse emendetur, & cæteri timorem habentes hujuscemodi negligentiam caveant. Sed quoniam aliud est ex toto amittere, aliud pigre occurrere: qui segniter aut tarde ad matutinum aut aliud quodlibet divinum obsequium peragendum occurrerit, dignum est, ut non cum aliis in choro, sed omnium ultimus, aut certe, ut erubescere discat, in loco hujuscemodi negligentibus à prælatis constituto, stet: foris vero nullatenus remanere præsumat, ne ocio & fabulis vacet, & à Dei laudibus penitus existat. Custodes præterea Ecclesiæ harum horarum distinctiones bene norint, ut scilicet signa certis temporibus pulsent. Luminaria vero cum omni diligentia concinnanda provideant, sitque eorum studii, ut nihil de sibi commissis rebus Ecclesiæ pereat.

Quod psallentibus Domino, Angelorum assit præsentia. Cap. 19.

PSallentium in Ecclesia domino mens concordare debet cum voce, ut impleat illud Apostoli: *Psallam spiritu, psallam & mente*, quoniam quanvis ubique Dominum per potentiam divinitatis noverimus esse, præcipue tamen eum, cum divino assistimus officio, per gratiam nobis credimus adesse. De qua re Beda venerabilis presbyter, in expositione Evangelii Lucæ ita dicit: *Non latet Angelos crebro electis invisibili adesse præsentia, ut eos vel ab hostis callidi defendant insidiis, vel majori cælestis desiderii gratia sustollant, Apostolo attestante, qui ait: Nonne omnes administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capiunt salutis? Maxime tamen Angelici nobis spiritus adesse credendi sunt, cum divinis specialiter mancipamur obsequiis, i. cum Ecclesiam ingressi, vel lectionib. sanctis aurem accommodamus, vel psalmodiæ operam damus, vel orationi incubimus, vel etiam Missarum solennia*

celebra

celebramus. Unde ait Propheta: In conspectu angelorum psallam tibi. Nec dubitari licet, ubi corporis & sanguinis dominici geruntur mysteria, supernorum civium adesse conventus. Unde studendum solerter, ut cum ecclesiam vel ad divinæ laudis debita solvenda vel ad agenda Missarũ solemnia intramus, semper angelicæ præsentiæ memores, cum timore & veneratione competenti, cæleste compleamus officium, ne si (quod absit) id negligenter aut inhoneste vel tepide expleverimus, & ad perficiendum pigri advenimus, in sententiam qua dicitur, *Maledictus homo qui opus Dei fecerit negligenter*, miserabiliter labamur. Ergo solerti industria nobis observandum est, ne quid in ecclesia Dei ineptum, ne quid perversum, ne quid indecens aut cogitatione, aut verbis aut actibus perpetremus, quatenus & conspectu angelorum digni efficiamur, & dominus ad nos veniens, non quod contemnat in nobis, sed potius quod remuneret, inveniat.

Quales ad legendum & cantandum in ecclesia constituantur.

Cap. 20.

TAles ad legendum, cantandum & psallendum in ecclesia constituantur, qui non superbe, sed humiliter debitas domino laudes persolvant, & suavitate lectionis ac melodiæ & doctos demulceant, & minus doctos erudiant: plusque velint in lectione vel cantu populi ædificationem, quam popularem vanissimam adulationem. Qui vero hæc docte peragere nequeunt, erudiantur prius à magistris, & instructi, hæc adimplere studeant, ut audientes ædificent.

Qui modus sit correptionis. *Cap. 21.*

QVanquam contemptores canonicarum institutionum, *episcopali præcipue judicio plectendi sint, qua pœna* (ut ait beatus Augustinus) *in ecclesia nulla major esse potest*, demonstrandum tamen est, qualem cæteri prælati, qui illis dignitate inferiores esse noscuntur, in locis sibi commissis, in quibus canonice vivitur, erga subjectos quosque delinquentes & ea quæ proprie ad eorum propositum pertinent, observare nolentes, adhibere debeant correptionis modum. Sed quia omnis ætas vel uniuscujusque intelligentiæ capacitas, proprias debet habere mensuras, & juxta modum culparum mensura extendenda est correptionum, & hæc omnia jure in prælatorum pendent judicio, quo & discretissime temperanda sunt: necesse est, ut idem prælati circa delinquentes, medici peritissimi imitentur factum, scilicet ut adhibita magnæ discretionis cura, quid cuique congruat quidve conveniat, adhibeant: hoc summopere perpendentes, ut juxta quantitatem vulnerum, exhibeant fomenta curationum, quatenus nec alteri dent quod noceat, nec alteri subtrahant quo vivat. Omissis igitur his, quorum ætati delinquenti parcendum non est, sed potius juxta Salomonem, *eorum latera ne indurescant, virgis assidue tundenda sunt*, qualiter erga cæteros delinquentes, juxta authoritatem divinam & sanctorum patrum exempla traditionesque id fieri oporteat, strictim breviterque ostendatur. Si quis frater in congregatione canonica constitutus, horas canonicas frequentare neglexerit, ecclesiamq; non religiosè, sed pompatice vel incomposite intraverit, & opus Dei negligenter executus fuerit, ad collationem venire distulerit, obedientiam à magistris sibi injunctam agere recusaverit, in legendo vel cantando vel in *cæteris* ecclesiasticis disciplinis, juxta vires studium non exhibuerit, ad mensam non necessitate, sed vitio tarde occurrerit, e claustris sine licentia exierit, per licentiam vero egressus, extra constitutum sibi placitum moras fecerit, in plateas ire aut in biviis residere tentaverit, in dormitorio aliquid indecens, aut inhonestum verbis aut actibus perpetraverit, alicubi nisi in dormitorio cum cæteris absque causa inevitabili dormire præsumpserit, fratribus charitatis officio obedienter servire neglexerit, *discordiam, quam* (dicente scriptura *Dei anima detestatur*, inter fratres seminaverit, & huic institutioni contumax, aut superbus, aut murmurans, aut in aliquo contrarius extiterit, & cætera cujuscemodi agere tentaverit: hic primo secundum DEI præceptum non solum semel, & secundo ac terno, quinimo crebrius admoneatur & si his admonitionibus non cesserit, publica objurgatione corripiatur. Quod si & his renisus fuerit, cæteris sibi alimentis interdictis, pane tantum usque ad dignam satisfactionem utatur & aqua. Si vero nec sic se correxit, separetur à mensa, & à societate fratrum in choro psallentium removeatur, & seorsum in loco hujuscemodi negligentibus à prælatis constituto, stare cogatur, ut saltem rubore sequestrationis emendetur. Dein si his modis correptus incorrigibilis extiterit, & ætas permiserit, quia juxta Salomonis vocem, stultus verbis non corrigitur, congrua ei verborum adhibeatur castigatio, quibus utpote filius verberetur, quatenus secundum beati Gregorii sententiam, *qui jubentis verba non audiunt, verberibus admoneantur, ut ad bona desideria pœna trahant, quos præmia non invitant.* Cæterum si talis fuerit, quem aut ætas, aut qualitas personæ verberari non siverit, publica objurgatione, & jejuniorum continua afflictione, & sequestrationis rubore, hujusmodi corripiatur, usque dum digna pœnitentiæ satisfactione veniam consequatur. Si vero uterque & qui flagellatur, & quem flagellari ætas aut qualitas personæ prohibent, adhuc incorrigibiles extiterint: sit locus intra claustra canonicorum, sicut multis in locis noscitur esse, quo ad tempus retrudantur, & secundum modum culpæ castigentur, ut juxta Apostolum *traditi satanæ in interitum carnis spiritus salvus sit in die Domini.* Quod si etiam tot saluberrimis admonitionibus & castigationibus nec dum paruerint, fiat pro eis ab omni congregatione communis oratio, ut à domino sanentur. Postremo si prorsus inemendabiles & incorrigibiles apparuerint, ne per plures eorum dira serpant contagia, necesse est, ut à cæterorum societate, utpote oves morbidæ, secreti, ante præsentiã deducantur Episcopi, ut ab eo canonica authoritate publice damnentur. Si vero quis in collegio canonicorum culpam criminalem admiserit, huic nulla est danda dilatio, quin aut sponte pœnitentiam pro admisso crimine gerat, aut si id agere refutaverit, coram episcopo deducatur, ut ab eo publica mulctatus pœnitentia.

Memi-

Meminisse n. oportet rectores, quia columba est in divinis scripturis Ecclesia appellata, quæ non ungulis lacerat, sed alis pie percutit. Vnde etiam illis summopere observandum est, ut (sicut præmissum est) iuxta modum culparum, & personarum atque ætatum, omnino ipsa temperata sit correptio, ut nec virium desidiæ molescat, *nec correptio mansuetudinis modum excedat, ne* (ut ait beatus Maximus) *aut so utior lenitas conniventiam præbeat peccanti, aut immoderata severitas à lapsu non revocet delinquentem.* Sed hoc nihilominus illis cavendum est, ne errata delinquentium alicuius rei livore feriant, sed potius (ut ait beatus Augustinus) *sint criminum persecutores, & hominum liberatores. Oderint vitia, diligant homines. Oderint quod instinctu diaboli ingestum est, diligant quod Dei bonitate creatum est.* Teneant in manu baculum & virgam: baculum videlicet, quo aliorum virium imbecillitates spiritaliter sustentent virgam vero, qua vitia delinquentium, zelo rectitudinis feriant. Delinquentibus interea & excommunicatis fratribus, nequaquam cæteri fratres debent fovere, aut eos suis adulationibus decipere, aut eorum errata defendere: sed potius opem ferre, ut æquitatis censure districte corrigantur.

Vt erga pueros, qui nutriuntur vel erudiuntur in congregatione canonica tutissima sit adhibenda custodia.

Caput XXII.

SOlerter rectores Ecclesiarum vigilare oportet, ut pueri & adolescentes, qui in congregatione sibi commissa nutriuntur vel erudiuntur, ita iugibus Ecclesiasticis disciplinis constringantur, ut eorum lasciva ætas & ad peccandum valde proclivis, nullum possit reperire locum, quo in peccati facinus proruat. Quapropter in huiuscemodi custodiendis, & spiritaliter erudiendis, talis à prælatis constituendus est, vitæ probabilis frater, qui eorum curam summa gerat industria, eosque ita arctissime constringat, qualiter Ecclesiasticis doctrinis imbuti, & armis spiritalibus induti, & Ecclesiæ utilitatibus decenter parere, & ad gradus Ecclesiasticos quandoque digne possint promoveri. Libuit præterea ob ædificationem congruam, & instructionem negocii, de quo agitur, quandam sanctorum patrum sententiam huic operi inferre, quæ ita se habet: *Prona est omnis ætas ab adolescentia in malum. Nihil incertius quam vita adolescentium Ob hoc constituendum oportuit, ut si quis in clero puer est, aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii commorentur, ut lubrica ætatis annos, non in luxuria, sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissimo seniori, quem & magistrum doctrinæ, & testem vitæ habeant, &c.* His ite præmissis, oportet ut probatissimo seniori pueri ad custodiendum, licet ab alio erudiantur, deputentur. Frater vero cui hæc cura committitur, si eorum curam parvipenderit, & aliud quam oportet, docuerit, aut eis in aliquo, cuiuslibet læsionis maculam ingesserit, severissime correptus, ab officio amoveatur: & fratri alii id committatur, qui eos & innocentis vitæ exemplis informet, & ad opus bonum peragendum excitet.

Vt ab omnibus canonicis ad Completorium veniatur.

Caput XXIII.

EXpletis religiosissimo obsequio horis competentibus diurnis officiis, ab omnibus canonicis, dato signo, devotissime ad completorium celebrandum veniendum est. Quo completo, oportet, ut non epulis & potationibus, vanisque inserviant loqueis, sed his penitus postpositis, humiliter & honeste dormitorium petant: & nequaquam duo in uno, sed singulis in singulis lectis quiescant. Lucerna quoque in eodem dormitorio noctis tempore iugiter ardeat. Nihil denique inhonestum aut indecens in dormitorio geratur ab aliquo, nec quispiam aliquem inquietare præsumet, nec ad verba inutilia & otiosa prorumpere coget. Huius vero capituli contemptor, specialiter à prælatis & magistri severissime castigetur.

De Cantoribus. Cap. XXIV.

STudendum summopere cantoribus est, ne donum sibi divinitus collatum, vitiis fœdent, sed potius illud humilitate, castitate, & sobrietate, & cæteris sanctarum virtutum ornamentis exornent: quorum melodia animos populi circunstantis ad memoriam amoremq; cælestium, non solum sublimitate verborum, sed etiam suavitate tonorum, quæ dicuntur, erigat. *Cantorem* autem, sicut traditum est à sanctis patribus, *& voce & arte præclarum illustremq; esse oportet, ita ut oblectamenta dulcedinis, animos incitent audientium* &c. Cantores itaque non propter donum sibi collatum, sed cæteris superbiendo, præferant, sed humiliter socios exhibeant. Et providendum est illis, quando temperate, quandoque submisse divinum agatur officium: scilicet ut secundum numerum clericorum & officii qualitatem & temporis prolixitatem, cantum protendant, & voces moderentur cæterorum, sonum etiam vocalium literarum, bene & ornate perstrepant. His vero qui huius artis minus capaces sunt, donec erudiantur, melius convenit ut sileant, quam cantare volendo quod nesciunt, aliorum voces dissonere compellant. Psalmi namque in Ecclesia non cursim & excelsis atque inordinatis intemperatisque vocibus, sed plane ac dilucide & cum compunctione cordis recitentur, ut & recitantium mens, illorum dulcedine pascatur. & audientium aures, illorum pronunciatione demulceantur, quoniam quamvis cantilenæ sonus in aliis officiis excelsa soleat edi voce, in recitandis tamen Psalmis huiuscemodi vitanda est vox. Constituantur interea seniores fratres probabilioris scilicet vitæ, qui tempore statuto vicissim cum cantorum schola sint, ne hi qui discere debent, aut ocio vacent, aut inanibus & supervacuis fa-

cuis fabulis instent. Si vero cantores superbi extiterint, & artem quam divinitus adiuti didicerint, aliis insinuare renuerint, graviter ac severe iudicantur, ut emendati atque correcti, talentum sibi à Deo collatum, aliis erogare procurent. Huiuscemodi autem correptionis modus erga eos, qui quarum liber artium disciplinis erudití sunt, & de talento sibi divinitus collato, magis se aliis superbiendo præferre, quàm id cum charitate insinuare gestiunt, à prælatis oboxie tenendus est.

Quales vice Prælatorum in congregatione canonica fungi debeant.

Cap. XXV.

OPortet Ecclesiæ prælatos, ut de congregatione sibi commissa tales eligant boni testimonii fratres, in quibus onera regiminis secure possint partiri. Quibus etiam talem conferant potestatem, ut vice illorum fungentes, & inobedientes canonica censura corripere, & obedientes hortando ad meliora valeant provocare. Non enim constituendi sunt personaliter, aut eo ordine, quo in collegio fratrum admissi sunt, sed secundum vitæ meritum & spiritalium donorum prærogativam, qui *& in* congregatione assidui sunt, & fratrum curam pervigili studio gerant: & sicut alios præcedunt magisterio, ita nimirum innocentis vitæ informent exemplo, ut iuxta Apostolum, *exemplo sint cæteris in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate.* &c. Qui etiam, si prioratus sui causa intumescere cœperint, & curam fratrum nihil penderint, si crebro admoniti, incorrigibiles extiterint, à ministerio propellantur, aliique in loco illorum, qui id strenue peragere possint, substituantur.

De præpositis.

Cap. XXVI.

QVamvis omnes qui præsunt, præpositi rite dicantur, usus tamen obtinuit, eos vocari *præpositos*, qui quandam prioratus curam sub aliis prælatis gerunt. Hi tamen qui iuxta hunc morem præpositi vocantur, tales & tam strenui constituendi sunt, qui & vitæ probabilis sint, & ea, quæ sibi iniuncta sunt, fideliter humiliterque expleant, & pro eo quod aliis prælati sunt, nequaquam parvipendant canonica instituta; sed quanto plus implicantur in fratrum curis, tanto magis studeant cœlestibus obtemperare monitis. Debent igitur cunctæ congregationi utiles esse, & de ministerio sibi commisso fideliter prodesse. Ea vero quæ fratribus dare debent, cum charitate tempore opportuno incunctanter præbeant, quatenus à domino de fideli administratione gradum bonum acquirant. Erga huiuscemodi vero delinquentes, & obedientiam sibi commissam bene non administrantes, modus superius compræhensus tenendus est.

Qualis Cellarius sit constituendus.

Caput XXVII.

DEbet procurare prælatus, ut fratribus cellerarium, non vinolentum, non superbum, non tardum, non prodigum, sed moribus honestum, ac Deum timentem constituat, qui & stipendia fratrum fideliter servet, & diligenti cura administret, & in administrando nullatenus fratres contristet. *Cui* etiam pistrinum fratrum committendum est, ut illud ita vigilantissima cura custodiat, ne ministri *ibidem* deputati, annonam fratrum aut furtim subripiendo, aut alio quolibet modo negligenter vivendo dissipent. Hi vero famuli eligantur de fidelissima ecclesiæ familia, & his officiis diligenter erudiantur, ut scilicet & pistoria arte, & fidei puritate necessitatibus fratrum opportunissime valeant suffragari. Eadem quoque forma de cocis servanda est. Inutiles denique atque inobedientes cellarii, secundum superius compræhensum tenendi sunt.

Cui committi debeant stipendia pauperum.

Caput XXVIII.

EVangelicis atque apostolicis instruimus documentis, in colligendis hospitibus ante omnia operam dari deberet, merito de nobis à domino dicatur: *Hospes fui, & collegistis me,* &c. Proinde oportet, ut prælati ecclesiæ præcedentium patrum exempla sectantes, aliquod præparent receptaculum ubi pauperes colligantur, & de rebus ecclesiæ tantum ibidem deputent, unde sumptus necessarios iuxta possibilitatem rerum habere valeant, exceptis decimis, quæ de ecclesiæ villis ibidem conferuntur. Sed & canonici tam de frugibus, quàm etiam de omnibus eleemosynarum oblationibus, in usus pauperum decimas libentissime ad ipsum conferant hospitale, & boni testimonii frater constituatur, qui hospites & peregrinos adventantes, utpote Christum in membris suis suscipiat, eisq; necessaria libenter pro viribus administret, qui etiam ea quæ in usus pauperum cedere debent, nequaquam in usus suos reflectat: ne cum Iuda loculos domini furante, sententiam damnationis excipiat. Sed & prælatorum debet vigilare industria, ne eum, cui hospitale pauperum committitur, res pauperibus deputatas in aliquo minuere, aut his quasi beneficiario munere concessis sinant uti, quod à prælatis quibusdam, curam pauperum parvipendentib. fieri comperimus. Clerici namq; si aliis temporib. nequeunt, saltem quadragesimæ tempore pedes pauperum in competenti lavent hospitali, iuxta illud evangelicum: *Si ego dominus & magister lavi vobis pedes, quanto magis vos debetis alter alterius lavare pedes?* &c. Quapropter expedit, ut in competenti loco hospitale sit pauperum, ubi perfacilis ad illud veniendi conventus possit fieri fratrum. Quod si is, cui hospitale commissum est, curam pauperum neglexerit, eorumque res in suos usus retorserit, quanquam divina ultione dignus sit, severius tamen quàm cæteri delin-

quen-

quentes à præpoſitis iudicandus, & à miniſterio removendus eſt: Nec immerito: quippe qui & precia peccatorum, & alimenta pauperum, & theſaurum cœlo recondendum, ſuis (quod fas non fuit) aptavit uſibus.

De infirmorum ac ſenum cura fratrum.

Caput XXIX.

QVanvis canonicis proprias licitum ſit habere manſiones, debet tamen à prælato manſio infirmorum & ſenum intra clauſtra canonicorum fieri, ut qui ſuam forte non habent, in eadem ſuam aptiſſime poſſint tolerare imbecillitatem, quatenus ibidem & ſubſidiis Eccleſiaſticis quibus indigent, & fratrum adminiculis miſericorditer ſuſtentur: erga quos oportet ut cæteri fratres magnam exhibeant charitatem, ſcilicet ut eis compatiendo ſubveniant, aſſiduis viſitationibus & ſcripturarum ſanctarum conſolationibus, nec non & propriarum rerum facultatibus adminicula neceſſaria præbeant, ut impleatur in eis illud evangelicum: *Infirmus fui, & viſitaſtis me.*

Qualiter porta canonicorum cuſtodiatur.

Cap. XXX.

ELigatur neceſſe eſt à prælato, ex congregatione ſibi commiſſa frater probabilis vitæ, cuius officii ſit portam canonicorum cum ſumma obedientia & humilitate competenti tempore claudere ac reſerare, ut nulli per eam niſi per licentiam aditus pateat intrandi aut exeundi, cui etiam obſervandum eſt, ne eis quibus cordi eſt plus ociis vacare, quam divinis obſequiis incubare, foras evagandi locum præbeat, & eorum nugarum, quod nefas eſt, particeps fiat. Debet præterea advenientes quosque cum charitate ſuſcipere, & Priori adventum eorum cauſamque nunciare. Expleto nanque veſpertino & completorio officio, obſeratisque portis, claves earum idem portarius ei qui vicem prælati tenet, ferat, ut nulli horis incompetentibus intrandi aut exeundi maneat facultas, quas etiam ab eodem in craſtinum tempore accipiat conſtituto. Si vero inobediens atque protervus idem repertus fuerit portarius, ſicut de aliis miniſtris negligentibus ſuperius dictum eſt, iudicetur.

Vt clauſura Canonicorum cuſtodiatur, Cap. XXXI.

OPortet clauſtra canonicorum ita diligenter cuſtodiri, ut grex dominicus fraterna concorditer fruatur pace: & ſi quemlibet prælatus, aut qui eius vice fungitur, aut forte quilibet alius ſpiritalis frater intra clauſtra quempiam inhoneſte agentem, aut extra, ibique aut in plateis ocio vaniſque confabulationibus vacantem, repererit, primo ſecreta admonitione eum corripiat, & poſt, ſi neceſſe fuerit, coram fratribus idem negligens acrius iudicetur, ut deinceps emendatus in melius proficiat. Fœminis nanque non ſolum in manſionibus & clauſtris canonicorum prandendum aut requieſcendum non eſt, quin potius nec in ea intrandi, excepto in Eccleſiam, ulla tribuenda facultas, quia valde hoc à ſanctis patribus legitur inhibitum. Si quid vero charitatis officio illis attribuendum eſt, extra clauſtra conſtituatur locus, in quo id accipiant: nullus tamen fratrum cum ipſis, niſi teſtes coram fuerint, loquatur. Qui vero ſecus quam præmiſſum eſt, agere tentaverit, ita ſeveriter à prælatis & magiſtris corrigatur, ut cæteris, ne quid tale agere pertentent, exemplo correptionis ſibi exhibitæ terrorem incutiant.

Epilogus breviter digeſtus.

QVanquam à ſanctis patribus in ſuperioribus huius libelli partibus ſatis ſit dilucidatum qualiter clerici vivere debeant, adeo ut qui habet quæ ſuperius comprehenſa ſunt, ac ſedula meditatione perlegat, perſpicue in his reperire valeat, qualis eius debeat eſſe fida devotio, actuum morumq; exornatio, ac divinorum cultuum executio: propter pleroſq; tamen ſimplices, minusq; capaces, hæc ſtrictim breviterq; replicanda pernéceſſarium duximus: ut qui hæc aut legere, aut forte ab aliis lecta, plene intelligere nequiverint, utantur hac defloratiuncula, ut pote calatho diverſorum florum vernantium nectare referto, & diſcant quid illis agendum, quid ve vitandum ſit. Legalibus interea inſtitutis, & evangelicis ſaluberrimis monemur præceptis, ut dominum *Deum noſtrum totis præcordiis diligamus, & proximum tanquam nos ipſos* &c. Si igitur ab omnibus fidelibus, his ſalutiferis præceptis totis niſibus eſt favendum, quanto magis ab his qui divinis cultibus mancipati ſunt, & aliis exemplo virtutũ condimentum eſſe debent? Proinde oportet, ut primo omnium *dominum diligant ex toto corde, ex tota anima, ex tota virtute, & proximos tanquam ſeipſos*, & noſſe quia *in his duobus præceptis tota lex pendet & prophetæ.* Non occidant, neq; fratrem oderint. Qui autem (ut ait Apoſtolus) *fratrem ſuum oderit, homicida eſt.* Non adulterent, non faciant furtum, non concupiſcant rem alienam, nõ falſum teſtimonium dicant, & quod ſibi nolunt fieri, alteri ne faciant. Non ſint ſuperbia tumidi, non detractionibus aſſueti, non ebrietati ſervientes, non luxuria enervati, non iracundia turbidi, non quibuslibet aliis vitiis ſubſtrati, non vaniloqui, non invidi, non ſomnolenti, non pigri, non murmuratores, non ſuſurrones, non vinolenti, non multum edaces, fraudes & doloſitates caveant. Vſuris nequaquam inſerviant, non iurent, ne forte periurent, malum pro malo non reddant. Cum in ſe aliquid boni viderint, Deo: & malum cum viderint, ſibi deputent, diſcordiam fugiant, & quos diſcordantes invenerint, ad charitatis concordiam revocent, & iuxta vocem Pſalmiſtæ, *declinent à malo, & faciant bonum:* attendant & Apoſtolum prohibentem: *Non*, inquit, *in commeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione, ſed induimini dominum Ieſum Chriſtum.* Animadvertant etiam quod ab his vi-

 tiis

tiis ab Apostolo prohibitis, omnium vitiorum seges emergat: & quod horum morborum mater, superbia sit. Oportet etiam, ut animam corpusque suum ab omni inquinamento carnis & spiritus custodiant, ut iuxta Apostolum, *integer spiritus eorum & anima & corpus, sine querela in adventu domini nostri Iesu Christi servetur.* Sobrie, iuste, & pie vivant, secularia negocia prorsus abiiciant: quia iuxta eundem Apostolum, *nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus*, ut ei placeat cui se probavit. Ieiunium ament, hospites colligant, pauperes recreent, & nudos vestiant, infirmos visitent, mortuos sepeliant, in tribulatione positis opem ferant, dolentem consolentur. Amori Christi nihil præponant, charitatem non derelinquant: pacem, si fieri potest, cum omnibus hominibus habeant: diem iudicii timeant, vitam æternam spiritaliter concupiscant. Spem suam Deo committant, proprio Episcopo in omnibus secundum canonicam institutionem obtemperent, magistros suos non temere reprehendant. Postremo in doctrinis spiritalibus operam dent. Lectionibus, Psalmis, hymnis, canticis, & cæterorum bonorum operum exercitiis iugiter incumbant: in dormitorio, nisi quem infirmitas detinuerit, omnes dormitant: in refectorio pariter reficiantur, quotidie ad collationem veniant, mox ut signum datum fuerit, ad Ecclesiam omnes festinato veniant, & horas canonicas non negligenter, sed cum omni religione pariter celebrent. Ecclesiam non pompatice, sed reverenter ingrediantur. In choro non cum baculis stent, vaniloquiis nequaquam insistant, sed cum omni devotione & veneratione divinæ servitutis opus peragant, scientes Angelorum præsentiam semper illic adesse; è claustris non nisi per licentiam egrediantur: egressi, irrepræhensibiliter vivant, ut ab his qui foris sunt, bonum testimonium habeant, & religionem ac propositum suum, actibus illicitis nequaquam maculent, sed potius omnes quibus se coniunxerint, sale sapientiæ & bonorum operum exemplis condiant. Contubernia fœminarum nullatenus appetant, non vanis oculis aut petulanti tumidoque gestu ac dissolutis renibus incedant, non spectaculis, non pompis secularibus intersint, non aleæ, non quibuslibet venationibus inserviant. Apostoli namque instructi documento, quo ait, *Non in veste preciosa*, nequaquam preciosis delectentur vestibus, caveant summopere, ne extra claustra moras faciant, nisi prout sibi à Priore constitutum fuerit, & opportunitas temporis dictaverit, intra claustra positi, non ocio vacent, sed aut divinis officiis, aut propriis utilitatibus, aut certe magistrorum iussionibus pareant, ne ocio torpentes, ab Apostolo audiant: Qui non vult operari, nec manducet. Seniores, spiritaliter iuniores diligant. Iuniores, senioribus obsequium dignum exhibeant, doctiores, minus doctis nequaquam se præferant, sed magis eos cum charitate ædificent: neque hi qui nobilitate generis aut virtutum donis pollent. cæteris se tumide superextollant. Omnes in congregatione vicissim sibi charitatis officio serviant, quibus etiam in refectorio comedentibus, & religiose silentium tenentibus, continuatim legatur lectio, delinquentes zelo rectitudinis pariter arguant & castigent, pueros & adolescentes negligentes, verberum disciplinis corripiant, singulis iuxta capacitatem suam, diversarum artium erudiantur disciplinis, ut nullus in collegio canonico inutilis appareat, nec vota fidelium otiosus comedat. Tales quippe esse & immortaliter conversari decet omnes, qui divinis se manciparunt. Quapropter studeant hæc breviter collecta sedula meditatione perlegere, & memoriæ commendare, & divina adiuvante gratia, iuxta vires adimplere, quo facilius & liberius maiora à sanctis patribus edita exequi valeant. Vocatione enim qua vocati sunt, nec ad dexteram, nec ad sinistram declinantes, ambulent, quatenus divinis iussionibus obtemperantes, ad Christum, in cuius sorte esse noscuntur, qui via, veritas, & vita est, eo opitulante, pervenire mereantur.

Anno Christi 817.

Ludovici Pii Imperatoris Augusti

Reformatio Monachorum.

Anno incarnationis Domini nostri Iesu Christi Dccc. xvii. Imperii vero gloriosissimi principis Ludovici IV. vi. idus Iulii, cum in domo Aquisgrani palatii, quæ Lateranis dicitur, Abbates complures una cum suis resedissent monachis, quæ subsequuntur Capitula communi consilio ac pari voluntate inviolabiliter regularibus conservati decreverunt.

I. De Abbatibus mox ut ad monasteria sua remeaverint, ut regulam discutiant, & efficaciter legant & quod legerint & intellexerint, cum suis observent monachis.

VT Abbates mox ut ad monasteria sua remeaverint, regulam per singula verba discutientes pleniter legant, & intelligentes, Domino opitulante efficaciter cum monachis suis implere studeant.

2. De monachis regulam sancti Benedicti, qui voluerint, memoriter discant.

Vt monachi omnes qui possunt, regulam memoriter discant.

3. De regulari officio, ut iuxta preceptum sancti Benedicti celebretur inter alia.

Vt officium quod in regula Sancti Benedicti continetur celebrent monachi.

4. Vt tam in coquina, quam & in cunctis monasteriis officinis monachi operentur, & ut ipsi vestimenta sua lavent.

Vt in coquina, in pistrino & in cæteris officinis propriis operentur manibus, & vestimenta sua oportuno tempore lavent.

5. De monachis ut post matutinalem expletionem, nisi ante constitutam surrexerint horam denuo ad lectos suos non præsumant causa dormiendi redire.

Vt nullo unquam tempore post vigilias causa dormiendi, nisi contigerit eos ante horam constitutam surgere, ad lectos redeant suos.

6. Vt monachi nisi in sabbato sancto Pascha per totam quadragesimam non radantur. Alio tempore post finitos xv. dies licite radantur tam in sabbatis quam & in octavis Pascha.

Vt in quadragesima nisi in sabbato sancto non radantur: in alio autem tempore semel per xv. dies radantur, & in octavis Paschæ.

7. De balnearum usu.

Vt balnearum usus in arbitrio Prioris consistat.

8. De non edendis volatilibus monachis intus forisve, nisi infirmitatis causa.

Vt volatilia intus forisve, nisi pro infirmitate, nullo tempore comedant.

9. Ne Episcopi monachis volatilia comedere præcipiant.

Vt nullus Episcoporum monachis volatilia comedere præcipiat.

10. Ne à monachis poma & lactuca, nisi quando alius cibus sumitur, manducentur.

Vt poma & lactucæ, nisi quando alius sumitur cibus, non comedantur.

11. De certo tempore phlebotomandi observando, & ut monachis tunc ibi cibus potusque magis in supplementum largiatur.

Vt certum phlebotomiæ tempus non observent, sed unicuique secundum quod necessitas expostulat concedatur; & specialis in cibo & in potu tunc consolatio præbeatur.

12. Vt si necessitas postulaverit, monachis post vespertinam cibum ante lectionem completorum potus tribuatur: similiter quadragesimali tempore, vel quando mortuorum officium egerint.

Vt, si necessitas poposcerit, ob operis laborem, post refectionem vespertinam etiam & in quadragesima pari modo, & quando officium mortuorum celebretur, priusquam lectio completorii legatur, bibant.

13. De monacho à Priore suo increpato.

Vt cum à quocunque priore suo increpatus quis eorum fuerit, *Mea culpa* primò dicat: dehinc prosternens se illius pedibus cum cappa, si habuerit, veniam petat & tunc iubente priore surgat, & unde interrogatus fuerit, rationem humiliter reddat.

14. Ne nudi coram aliis vapulent.

Vt nudi pro qualibet culpa coram fratrum obtutibus non flagellentur.

15. Ne soli in itinere dirigantur monachi.

Vt soli & sine alio fratre in via non dirigantur.

16. Ne sibi compatres vel commatres monachi faciant.

Vt sibi compatres commatresve non faciant, neque osculentur fœminas.

17. Vt non murmurent monachi tempore legendi & meridiano occupati ad colligendas fruges.

Vt si necessitas fuerit eos occupari in fruges colligendo, constitutum legendi & meridie pausandi tempus præmittatur, & operantes non murmurent.

18. De monachis quarta & sexta feria ieiunantibus.

Vt quarta & sexta feria ieiunantes, ante nonam aut post nonam, si necessitas fuerit, iuxta prioris arbitrium, levia opera exerceant.

19. Vt in quadragesimali tempore, monachi libros accipiant.

Vt in quadragesima libris de bibliotheca secundum prioris dispositionem acceptis, alios nisi prior decreverit expedire, non accipiant.

20. De vestimento monachis nec satis pretioso nec satis vili dando.

Vt eis vestimenta nec multum vilia, nec multum pretiosa, sed mediocria dentur.

21. De cuculla mensura.

Vt mensura cucullæ duobus consistat cubitis.

22. De potestate Abbatis, si extra mensuram infrapositam aliquid addendum decreverit.

Vt si infra positæ mensuræ quantitatem decreverit Abbas causa necessitatis quippiam augeri, in illius maneat potestate: Alioquin hoc omnino provideat ut camisas duas & tunicas duas, & cucullas duas & cappas duas unusquisque monachorum habeat, quibus vero necesse est, addatur & tertia, & pedules v. paria, & femoralia ii. paria, roceum, i. pellicias usque ad talos ii. fasciolas ii. quibus autem necesse est itineris causa, alias duas. Vvantos in æstate, muffulas in hyeme vervecinas: Calciamenta diurna paria ii. Subtalares per noctem in æstate ii. in hyeme vero soccos. Saponem & uncturam sufficienter. Pinguedinem ad esum excepto vi. feria & xx. diebus ante nativitatem Domini, & septima, illa quæ ante quadragesimam, vocatur quinquagesima. Vbi autem vinum non est unde emina detur, duplicem mensuram de cervisia bona. Et quæcunque præter hæc regula iubet, singuli cum necessitas postulaverit, absque dilatione accipiant.

23. De pedibus fratrum vicissim lavandis.

Vt in quadragesima, sicut & in alio tempore vicissim sibi pedes lavent, & antiphonas huic officio congruentes decantent: In cœna vero Domini pedes fratrum, si valet, Abbas lavet & osculetur, & demum propria manu poculum eis porrigat.

24. De mandato post cœnam faciendo.

Vt mandatum si tempus cœnæ est, tam fratrum quam etiam peregrinorum post cœnam fiat.

25. De mensura monachorum ut ea Abbates illorum sint contenti.

Vt ea quam monachi sui habent mensura sint Abbates contenti, in manducando, in bibendo in dormiendo, in vestiendo, in operando, si in aliis utilitatibus non fuerint occupati.

26. De villis fratrum ut eas non circumeant monachi.

Vt illas frequenter & nisi necessitas coegerit, non circumeant, neque suis illas monachis custodiendas committant: & si eos ire ad eas necessitas fuerit, expleto necessitatis negocio, ad sua mox monasteria redeant.

27. De Abbate vel quolibet monacho ne ad portam monasterii cum quocunque hospite manducare præsumat.

Vt Abbas vel quispiam fratrum ad portam monasterii cum hospitibus non reficiantur: In refectorio autem omnem eis humanitatem manducandi ac bibendi exhibeat, ipse tamen ea cibi potusque mensura contentus sit, quam reliqui fratres accipiunt. Si vero propter hospitem voluerit ad solitam mensuram fratribus sibique augere aliquid, in sua maneat potestate.

28. Ne servitores fratrum post refectionem eorum ad unam mensam, sed in propriis sedeant locis.

Vt servitores non ad unam mensam, sed in propriis locis post refectionem fratrum reficiantur, quibus eadem lectio quæ fratribus recitetur.

29. De lectore, ut nihil nisi quod regula decernit accipiat.

Vt lectori nihil nisi quod regula iubet, detur.

30. De Alleluya in Septuagesima dimittendo.

Vt Alleluya in Septuagesima dimittatur.

31. De præposito, ut maiorem quam cæteri habeat potestatem.

Vt præpositus intra & extra monasterium post Abbatem, maiorem reliquis Abbatis subditis habeat potestatem.

32. De præposito monachis non constituendo, nisi & ipse monachus sit.

Vt monachis non nisi monachus constituatur præpositus.

33. De senioribus fratribus monasterium circumeuntibus.

Vt de iunioribus monasterium circumeuntibus quidam cum fratribus in obedientiam exeant, quidam in monasterio propter custodiam remaneant.

34. De novitio fratre, ut non facilis ei in monasterium tribuatur ingressus.

Vt novitio non facilis in monasterium tribuatur ingressus, & ut in cella hospitum probationis causa hospitibus serviat paucis diebus: Res vero quas habet, parentibus suis committat. Expleto autem probationis suæ anno, secundum quod regula præcipit inde faciet: Ipse vero non tondeatur, nec vestimenta pristina immutet, priusquam obedientiam promittat.

35. De monacho quam professionem faciat.

Vt monachus professione facta, tribus diebus cuculla coopertum habeat caput.

36. De puero, ut pater & mater eum ad altare offerant.

Vt puerum pater aut mater tempore oblationis offerant altari, & petitionem pro eo coram laicis testibus faciant, quam tempore intelligibili ipse puer confirmet.

37. De infantibus oblatis, ut carnem non comedant.

Vt infantes oblati carnem non nisi causa infirmitatis manducent.

38. De fratribus post sextam dormientibus.

Vt quando fratres post sextam dormiunt, si quis eorum voluerit legere, in Ecclesia aut in lecto suo legat.

39. De fratribus ut usque ad nonam in quadragesima operentur.

Vt in quadragesima usque ad nonam operentur fratres, quatenus missa celebrata congruo tempore reficiantur.

40. De

40. De his fratribus qui quolibet modo, tamen graviter delinquunt.

Ut domus semota habeatur hujusmodi, his qui fugere aut pugnis baculisve inter se voluerint confligere, aut quibus ex integro factæ sunt regulares disciplinæ, qua in hyeme ignis possit accendi, & atrium juxta sit, in quo valeant quod eis injungitur, operari.

41. De eo qui in refectorio negligenter coram fratribus aliquid excesserit.

Ut si quis negligenter sonitum fecerit, aut aliud quid excesserit, in refectorio, mox à priore veniam petat.

42. De plebeio non recipiendo in monasterio, nisi prius monachus fi[eri] voluerit.

Ut nullus plebeius seu clericus secularis in monasterio ad habitandum [re]cipiatur, nisi voluerit fieri monachus.

43. Ne monachus jurando sermonem ferat, nisi sicut sancti patres consueverunt loqui.

Ut nemini liceat sermonem juramenti aut affirmationis proferre, nisi sicut sancti patres soliti fuerunt loqui.

44. De Abbatibus cellulas monachorum vel canonicorum habentibus.

Ut Abbatibus liceat habere cellas, in quibus aut monachi sint aut canonici, & Abbas provideat ne minus de monachis ibi habitare permittat quam sex.

45. De schola in monasterio non habenda, nisi de his qui oblati fuerint.

Ut schola in monasterio non habeatur: nisi eorum qui oblati sunt.

46. De præcipuis solemnitatibus sanctorum, ut plenarium in eis officium fiat, & bis monachi edant.

Ut in præcipuis solemnitatibus, id est in Natali, & in octavis Domini, in Epiphania, in Pascha quoque & Ascensione Domini, in Pentecoste, & in sanctorum festivitatibus, id est, sancti Stephani & B. Joannis Evangelistæ, & in Natale infantium, in Purificatione & Assumptione sanctæ Mariæ; Similiter & in Beatorum Apostolorum festis, & in sancti Joannis Baptistæ nativitate, sancti quoque Laurentii atque Martini, seu in natalitiis cujuslibet sancti, cujus honor in qualicunque parrochia pecialiter celebratur, plenarium officium agatur, & bis reficiatur.

47. De jejunio Parasceve.

Ut in parasceve non aliud nisi panis & aqua sumatur.

48. De benedictione post completorium.

Ut benedictio post completorium à sacerdote dicatur.

49. De decimis dandis tam Ecclesiæ quam pauperibus.

Ut de omnibus in eleemosynam datis tam Ecclesiæ quam fratribus, decimæ pauperibus dentur.

50. De specialibus Psalmis pro eleemosynariis & defunctis cantandis.

Ut prætermissis parturionibus Psalterii Psalmi speciales pro eleemosynariis & defunctis cantentur.

51. De Pentecoste, ut per hebdomadam non flectantur genua, neque jejunetur, nisi dies jejunii extiterint.

Ut in hebdomada Pentecostes, non flectantur genua & non jejunetur, nisi statuti fuerint dies.

52. De laicis in refectorium monachorum manducandi vel bibendi causa non ducendis.

Ut laicus causa manducandi ac bibendi in refectorium non ducatur.

53. De vestimentis & calciamentis, ut fratribus quoties expedit dentur.

Ut quoties exposcit necessitas, vestimenta & calciamenta, & omnia necessaria fratribus dentur.

54. De his qui præponuntur ut nonni vocentur.

Ut qui præponuntur, nonni vocentur.

55. De seniore Decano.

Ut senior decanus reliquis decanis præponatur, & Abbate vel præposito præsente locum proprium teneat.

56. De Præposito, Decano, & Cellario.

Ut Præpositus, Decanus, Cellarius de eorum ministerio, nisi causa utilitatis aut necessitatis, non removeantur.

57. De libra panis ut triginta solidos penset antequam coquatur.

Ut libra panis triginta solidis per duodecim denarios ponderetur.

58. De dormitorio hospitum.

Ut dormitorium juxta oratorium constituatur, ubi supervenientes monachi dormiant.

59. De Abbatibus ut secum monachos in itinere non nisi ad synodum ducant.

Ut Abbates monachos secum in itinere, nisi ad generalem synodum, non ducant.

60. De duobus signis ad tertiam, sextam & nonam pulsandis.

Ut duo tantum signa ad tertiam, sextam, nonamque pulsentur.

61. De monachis, ut disconsutas cappas non habeant, nisi tantum villosas.

Ut monachi cappas disconsutas præter villosas non habeant.

62. De Abbatibus & præpositis atque decanis, ut benedictionem lectoribus tribuant, licet presbyteri non sint.

Vt Abbas, præpositus vel decanus quamvis presbyteri non sint, lectoribus benedictionem tribuant.

63. Ut è fratribus docti eligantur qui supervenientibus monachis loquantur.

Ut docti fratres eligantur, qui cum supervenientibus hospitibus loquantur.

64. De incerto furto, ut oratio & excommunicatio non fiat, quousque qui culpabilis existit manifestetur.

Ut de furto ince[illegible] oratio & communicatio à corpore & sanguine Christi non fiat, quousque culpabilis confitea[illegible]

65. De monacho qui adversus aliam monachum testimonium protulerit.

Ut si frater adversus fratrem pro qualibet culpa testimonium protulerit, fratri perfectiori credatur.

66. De psalmo invitatorio & Gloria pro defunctis non cantando.

Ut psalmus invitatorius, & Gloria pro defunctis non canietur.

67. De lectore ut stans benedictionem petat.

Ut lector stando benedictionem postulet.

68. De eulogiis in refectorio fratribus à presbyteris dandis.

Ut eulogiæ fratribus à presbyteris in refectorio dentur.

69. Quod ad capitulum primo martyrologium legendum sit, & versus postea dicendus, inde regula.

Ut ad capitulum primitus martyrologium legatur & dicatur versus, deinde regula aut homilia quælibet legatur, deinde, *Tu autem Domine*, dicatur.

70. De lectione in capitulo exponenda.

Ut ad capitulum lectio tradatur; similiter ad collationem si tempus fuerit opportunum.

71. De jejunio fratrum æstivo tempore.

Ut quando fratres æstivo tempore jejunant, post sextam dormiant.

72. De eo, qui culpa noxa tenetur, ut die dominico remissius habeat.

Ut is, qui noxæ culpa tenetur, die dominico remissius habeat, & veniam non petat.

73. De anniversaria die pro defuncto Abbate celebranda.

Ut pro Abbate defuncto anniversarium fiat officium.

74. De eo, ut ad Missam inclinati Sanctus dicant, & ad Pater noster genu flectant.

Ut ad Missam *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, stantes, & *Pater noster*, genu flectentes dicant.

75. Non debet aliquis pro munere in monasterio recipi.

Ut nullus pro munere recipiatur in monasterio, nisi quem bona voluntas & merita commendant.

76. De mensura cibi ac potus, quæ monachis separatim debet tribui.

Ut unicuique fratri in cibo & potu sua mensura separatim detur, & de tota mensura sibi alicui nihil tribuat.

77. De fratrum pinguedine, quam accipere debeant in victu quotidiano.

Ut fratres aliquid pinguedinis in victu quotidiano habeant, excepta sexta feria, & diebus octo ante natale Domini, & à quinquagesima usque ad Pascha.

78. In Domini natali & festivitate Paschæ monachis volatilia sumere octo diebus concessum est.

Ut volatilia in natali Domini & in Pascha tantùm octo diebus, si est unde comedant; si vero non fuerit unde, non requiratur per debitum: Si autem Abbas aut monachi abstinere se voluerint, in eorum sit arbitrio.

79. De mussulis monachis dandis.

Ut mussulæ monachis dentur.

80. De disciplinæ modo.

In doctrina sua Abbas Apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicit, *Argue obsecra, increpa*, id est, indisciplinatos & quietos debet durius arguere, obedientes autem & mites, ut in melius proficiant obsecrare, negligentes & contemnentes ut increpet & corripiat, admonemus, neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox ut cœperint oriri, radicitus ea, ut prævalent, amputet, memor periculi Heli sacerdotis de Silo, improbos autem & duros ac superbos vel inobedientes verberum vel corporis castigatione in ipso initio peccati coerceat sciens scriptum; *Stultus verbis non corrigitur.* Et iterum! *Percute filium tuum virga & liberabis animam ejus à morte.* In omnibus igitur omnes magistram sequantur regulam, neque ab ea temere declinetur à quoquam, nullus in monasterio proprii cordis sequatur voluntatem: neque præsumat quisquam cum Abbate suo proterve infra monasterium aut foris contendere, quod si præsumpserit, regulari disciplinæ subjaceat. Si quis frequenter correptus pro qualibet culpa; si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio, id est, verberum vindictæ in eum procedant. Similiter & qui præsumpserit claustra monasterii egredi vel quocunque ire, vel quippiam, quamvis parum, sine jussione Abbatis facere, vindictæ regulari subjaceat. Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut cæteri metum habeant.

RECES-

RECESSUS SIVE DECRETA

Anno Christi 818.

Comitorium Aquisgranensium.

Quæ LUDOVICUS PIUS Imperator habuit Anno Domini DCCCXVIII.

Hæc capitula proprie sunt ad Episcopos vel ad ordines Ecclesiasticos pertinentia, quæ non solum observari, sed etiam sibi subjectos, vel commissos facienda perdocere debent.

1. *De his, qui à proprio Episcopo non accipiunt chrisma.*

SIquis de alio chrismate, quàm de illo novo quod proprii Episcopi largitione vel concessione accepit, baptizare nisi præoccupante morte, tentaverit, pro temeritatis ausu ipse in se suæ damnationis protulisse sententiam manifestatur.

2. *Ut nullus nisi justo judicio expolietur.*

Non est privilegium quo spoliari possit jam nudatus, ideo, nisi justo judicio decernente, nullus expolietur.

3. *De eo, qui post veritatem repertam aliquid deinceps discutit.*

Quisquis enim post veritatem repertam aliquid ulterius discutit, mendacium quærit: Idcirco ab omnibus caute agendum est.

4. *Ut oblationes in domibus ab Episcopis vel presbyteris non fiant.*

Quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis vel à Presbyteris.

5. *Quod posteriore pacto omne pactum dissolvatur.*

Omne pactum, posteriori dissolvitur pacto, homo vero liber statum suum & pejorare & meliorare potest.

6. *De accusatoribus de inimici domo prodeuntibus.*

Accusatoribus de inimici domo prodeuntibus non est credendum.

7. *De fratrum provisione ne irrationabiliter fiat.*

Ita consulendum est fratribus, ut non videamur destruere quod ædificatum est. Si enim quod ædificavi, destruo, prævaricatorem me ipsum constituo.

8. *De clericis, qui in seditione arma sumpserint.*

Clerici, qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint, reperti, amisso ordinis sui gradu in monasterium pœnitentiæ contradantur.

9. *Quod lex Imperatorum non sit supra legem Dei.*

Lex Imperatorum non est supra legem Dei, sed subtus.

10. *Quod spiritalis examinet omnia, ipse autem à nemine judicetur.*

Spiritalis judicat omnia, ipse autem à nemine judicatur.

11. *Ut tempore menstruo ab uxoribus abstineatur.*

Quod tempore menstruo, ab uxoribus omnino sit abstinendum.

12. *De his, qui erga Episcopos vel erga actores Ecclesiæ aliquam querelam justam habuerint.*

Si qui erga Episcopum vel actores Ecclesiæ quamlibet querelam habere justam crediderint, non primates aut alios adeant judices, priusquam ipsos conveniant familiariter, non semel, sed sæpissime, ut ab eis aut suam justitiam aut justam recipiant excusationem: Si autem secus egerint, ab ipsis & aliis communione priventur tanquam Apostolorum patrumque aliorum contemptores, De quibus ait Propheta: *Erunt quasi non sint, & peribunt viri qui contradicunt.*

13. *De potestate ligandi, atque solvendi concessa sacerdotibus à Christo.*

Quod nosse oporteat, sacerdotibus laicos ligandi atque solvendi potestatem à Domino esse collatam, & quod eorum monitis parere atque excommunicationi humiliter succumbere debeant.

14. *Presbyteri, qui sine præcepto Episcoporum ad externas Ecclesias transierint, à communione separentur.*

Presbyteri, qui sine jussione proprii Episcopi de Ecclesiis ad alias Ecclesias migraverint, tamdiu à communione habeantur alieni, quamdiu ad easdem redierint Ecclesias, in quibus primitus sunt instituti.

15. *De pace & concordia & unanimitate.*

Ut pax & concordia sit atque unanimitas in populo Christiano: quia unum Deum patrem habemus in cœlis, & unam matrem Ecclesiam, unam fidem, unum baptisma, ideo in una pace & unanimitate concorditer vivere debemus, si ad unam & veram hæreditatem regni cœlestis cupimus pervenire, quia non est dissensionis Deus, sed pacis, ut ipse ait: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur.*

16. *De potestate Episcoporum pro rebus ecclesiasticis, & de convenientia Episcoporum cum laicis.*

Ut Episcopi potestatem habeant res Ecclesiasticas providere, regere & gubernare atque dispen-

dispensare secundum canonum auctoritatem. Volumus ot & laici in eorum ministerio obediant Episcopis ad regendas Ecclesias Dei, viduas & orphanos defensandos, & oi obedientes sint eo ad eorum Christianitatem servandam; & Episcopi consentientes sint comitibus & judicibus ad justitias faciendas: & ut nullatenus per aliquorum mendacium vel falsum testimonium, neque per perjurium aut per præmium lex justa in aliquo depravetur.

17. De intestato Episcopo.

Si quiscumque ex gradu Ecclesiastico sine testamento & sine cognatione discesserit, hæreditas ejus ad Ecclesiam ubi servivit, devolvatur. Similiter de sanctimonialibus.

18. De Episcopis & Abbatibus, ut ante se joca turpia fieri non permittant.

Ut Episcopi & Abbates ante sa joca turpia facere non permittant, sed pauperes & indigentes secum ad mensam habeant, & lectio divina ibi personet, & sumant cibum cum benedictione & laude Domini secundum Apostolum; *Sive manducatis, sive bibitis, omnia in laude Dei facite.*

19. De justis judiciis à presbyteris agendis.

Ut Episcopi & jodices judicia justa discarnant, quia sunt quædam judicanda modo, quædam Dei judicio reservanda. Scriptum est enim: *Nolite judicare ante tempus, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc laus erit unicuique à Deo.* Et illud memores sint: *In quo enim judicio judicaveritis, judicabitur de vobis.*

20. De monachorum & canonicorum militia cum consilio utiliter implenda.

Ut monachi & canonici pleniter consilium habeant qualiter Deo militare animasque eorum melius valeant custodire, ne propter aliquam necessitatem, occasionem quærant vagandi, & inter ipsos propter hoc locus tentandi detur Diabolo.

21. Viduas in deliciis non oportere vivere.

Ut viduæ non sint in deliciis, sed secundum Apostolum, sub potestate Episcopi vivant sicuti decet.

22. De eo qui res Ecclesiæ per falsam precariam vel fraude adipiscitur.

Ut si quilibet hominum res Ecclesiæ per mendacia vel mala ingenia in precariam sibi adquirere & habere voluerit, & post factas precarias eadem mendacia ad aures ejusdem rectoris Ecclesiæ delata fuerint, ipsa Ecclesia res suas quæ ei mendaciter abstractæ fuerunt, pleniter absque ullius contradictione, omnimodis recipiat. Ille vero qui res suas per eadem mendacia propter cupiditatem ipsius precariæ, eidem Ecclesiæ tradidit, simili modo in suam recipiat dominationem.

23. Quod antiquus mos pœnitendi, qui juxta canonicam auctoritatem agendus est, jam ab usu recesserit.

Pœnitentiam agere juxta antiquam canonum institutionem in plerisque locis ab usu recessit: & neque excommunicandi, neque reconciliandi antiqui moris ordo servatur. Ut à domno Imperatore impetretur adjutorium, qualiter si quis publice peccat, publica mulctetur pœnitentia; & secundum ordinem canonum pro merito suo excommunicetur & reconcilietur.

24. De clerico ad tutelam vocato.

Si Episcopus, presbyter, diaconus, subdiaconus ad tutelam vel curationem vocentur, tantum munus administrationis in hoc conceditur suscipere; si tamen intra quatuor menses par competentem judicem in scriptis manifestaverit, quod hujusmodi munus sua sponte recepit, & tunc circa aliam tutelam præjudicium non patiatur.

25. De Ecclesiis in rebus propriis constitutis & inter hæredes divisis.

Perlatum ad nos est, quod inter hæredes Ecclesiæ in rebus propriis constitutæ dividantur, & tanta per eandem divisionem simultas oriatur, ut unius altaris quatuor partes fiant, & singulæ partes singulos habeant presbyteros: quod sine discordia & simultate nullo modo geri potest. Unde nobis visum est, quod hujuscemodi Ecclesiæ inter hæredes dividi non debeant; & si in contentionem venerint, & simultates inter eos surrexerint, per quas sacerdos suo ibi officio canonice fungi non possit, præcipiatur ab Episcopo civitatis, ut nullo modo ibi Missarum solemnia celebrentur, donec illi ad concordiam redeant, & pari voto atque consilio Ecclesia illa sacerdotem canonice habeat, qui libere suum ministerium ibi peragere possit.

26. De his qui bis aut ter ab Episcopis confirmantur, ignorantibus tamen eisdem Episcopis.

Dictum nobis est, quod quidam de plebe bis aut ter ab Episcopis, ignorantibus tamen, confirmentur. Unde nobis visum est eandem confirmationem, sicut nec baptismum iterari minime debere, quia qui bis vel amplius baptizantur vel confirmantur, non seculo sed soli Domino sub habitu regulari vel clericali religiosissime famulari decretum est.

27. De clericis ad tabulas ludentibus.

Si quis clericus ad tabulas ludat, vel spectaculis attendat, per tres annos à sacro ministerio prohibeatur, & si dignam pœnitentiam fecerit, reconcilietur.

28. De his qui servorum matrimonia dirimunt.

Dictum nobis est, quod quidam legitima servorū matrimonia potestativa quadam præsumptione dirimant, non attendentes illud Evangelicum, *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Unde nobis visum est, ut conjugia servorum non dirimantur, etiam si diversos dominos habeant, sed in uno conjugio

jugio permanentes dominis suis serviant. Et hoc in illis nbservandum est, ubi legalis conjunctio fuit, & per voluntatem dominnrum.

29. De his qui pleniter peccata non confitentur.

Sed & hoc emendaoone indigere perspeximus, quod quidam dum confitentur peccata sua sacerdotibus, non piene id faciunt. Que ergo constat hominem ex duabus esse substantiis, anime videlicet & corpore, & interdum enimi motu, interdum carnis fragilitate peccatur, solerti indegatione debent inquiri ipsa peccete, ut ex utrisque plena sit confessin, scilicet ut & ea confiteantur quæ per corpus gesta sunt, & ea quibus in sola cogitaonne delinquitur. Instruendus est itaque peccerurum suorum confessor, ut docta principalibus vitiis, sine quibus in hac vite difficile vivitur, confessionem faciat, quia aut congregatione, aut quod est gravius, opere eorum instinctu peccavit. Odium etenim, invidie, superbia vel certe hujuscemodi enimæ pestes tanto periculosius lædunt, quanto subtilius serpunt.

30. De sanctis Ecclesiis.

Nulli sub Romana ditione constitutæ Ecclesiæ, vel Xenodochii, vel monesterii rectori earum rem immobilem liceat alienare, id est, agrum, domum, mancipium: panes civiles, neque creditori obligare. (Alienatin enim est venditio, donatio, permutatio, emphiteuseos perpetuus contractus) & omues omninn conveuit se ab hujusmodi elienatione abstinere. Tabellio vern quia talia instrumenta conscripserit, perpetuo exilin tradatur. Magistratus vern judices, qui talia instrumenta consenserint, & dignitatem & facultates emittant.

31. De his qui Deo solummodo confiteri peccata deberi dicunt.

Quidam Den solummodn confiteri debere dicont peccata, quidam vero sacerdntibus confitenda esse percensent. Quod utrumque nnn sine magno fructu intra sanctam fit Ecclesiam, ita duntexat ut & Deo qui remissor est peccetorum, confiteamur peccata nostra, & cum David dicamus, *Delictum meum cognitum tibi feci, & justitiam meam abscondi: Dixi, confitebor, adversum me injustitias meas Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei:* Et secundum Apostoli institutionem; *Confiteamur alterutrum peccata nostra, & oremus pro invicem ut salvemur.* Confessio itaque quæ Deo fit, purgat peccata, ea vero quæ sacerdoti fit, docet qualiter ipsa purgentur peccata: Deus namque salutis & senitetis auctor & largitor, plerumque hanc præbet suæ potentiæ invisibili administratione, plerumque medicorum nperatione.

32. Quod personarum acceptio in omnibus cavenda sit judiciis.

Quia igitur Apostolo teste, *non est personarum acceptio apud Deum*, & in omnibus judiciis cavende est: multn magis in hoc pœnitenoæ judicin præcaveri debet, ut nullos secerdotum unquam aut gratia aut odio alicujus personæ secus judicet, quam qund in canonibus sacris invenerit, aot quod illi secundum sanctarum Scriptuarum auctoritatem & Ecclesiasticam consuetudinem rectius visum fuerit. Si ergo medici qui corporibus medicinam inferre cnnantur, neq iaquam propter persnnæ cujuslibet acceptationem, his quos sanare cupiunt cauterin, aut ferro, aut duris aliis quibuslibet rebus parcunt, multo magis his nbservandum est, qui non corporum, sed animarum medici existunt. Neq; pensenda est pœnitentie quantitate temporis, sed erdore mentis, & mortificatinne corpnris. *Cor autem contritum & humiliatum Deus non consperuit.*

33. Quod multi in pœnitentia deliciis indulgeant.

Multi (quod non sine dolnre dicendum est) in pœnitentia non tam peccati remissionem, quam temporis constituti expectant expletinnem, & si carnium & vini usus eis interdictus est, mutata non voluntate, sed ejusdem cibi aut potus perceptione, in tantum deliciis suis indulgent, ut deliciosius his interdictis aliorum ciborum vel potinnum eppetitu vivere cognnscantur. Spiritalis autem abstinentie quæ lo pœnitentibus potissimum vigere debet, & quorumdam ciborum ac potionum perceptiones & desiderium fugere debet. Ille, inquam, ille magis parsimoniæ servire censendus est, qui sibi non solum quarumdam rerum perceptiones, sed delectatinnes corporis penitus interdicit.

34. De his qui ex industria peccant.

Sed nec hoc prætereundum putamus, quod quidem ex indnstria peccantes propter eleemnsynarum largitionem quandem, sibi promittunt impunitatem: *Eleemosyna extinguit peccata:* juxta illud; *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna extinguit peccata:* Sed ea quæ aut necessitate, aut casu, aut qualibet fiunt fragilitate. ea vero quæ ex industria ad cujnslibet libidinem explendam idcirco fiunt, ut eleemnsynis redimantur; nequaquem eis redimi possunt; Quia qui hnc perpetrant, videntur Deum mercede conducere, ut eis impune peccare liceat. Non ergo idcirco quis peccare debet, ut eleemosynam faciet, sed ideo eleemnsynam facere debet quia peccavit. Meotem enim & corpus quæ libido traxit ad culpam, afflictin & contritio debet reducere ed veniam.

35. Quod pœnitentia secundum canonum statuta agi debeat.

Mndus eutem pœnitentiæ peccata sua confiteotibus eut per entiquorum canoomm Institutionem, aut per senctarum scripturarum auctontatem, aut per Ecclesiasticam consuetudinem, sicut superius dictum est, imponi debet, repudiatis ac penitus elimioatis libellis qnos pœnitentiales vocant, quorum sunt certi errnres, incerti euctores, de quibus rite dici potest, *Mortificabant animas quæ non moriebantur, & vivificabant animas quæ non vivebant!* qui dum prn peccatis gravibus leves quosdam & inusitatos impnnunt pœnitentiæ modos, consuunt pulvillos secundum propheticum sermonem, sub omni cubito manus, & faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas.

36. Quod

36. *Quod quidam presbyteris absque consensu Episcoporum Ecclesias dent vel auferant.*

Inventum est, quod multi arbitrii sui temeritate, & quod est gravius, ducti cupiditate, presbyteris quibuslibet absque consensu Episcoporum Ecclesias dant vel auferunt. Unde oportet ut canonica regola servata, nullus absque consensu Episcopi cuilibet presbytero Ecclesiam det, quam si juste adeptus fuerit, hanc non nisi culpa sua, coram Episcopo canonica severitate omittat.

37. *De Scotis, qui se Episcopos esse dicunt, & quosdam absque licentia Dominorum suorum ordinant.*

Sunt in quibusdam locis Scoti, qui se dicunt Episcopos esse, & multos negligentes absque licentia dominorum suorum sine magistrorum, presbyteros & diaconos ordinant. Quorum ordinationem, quia plerumque in simoniacam incidit hæresem, & moltis erroribus subjacet, modis omnibus irritam fieri debere omnes uno consensu decrevimus.

38. *De his, qui in cœna Domini eucharistiam negligunt.*

In cœna Domini à quibusdam Eucharistia negligitur, quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, exceptis his, quibus pro gravibus criminibus inhibitum est, percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis Dominici sacramenta reconciliat.

39. *Quod infirmi & ægroti oleo benedictionis perungendi sint.*

Secundum beati Jacobi Apostoli documentum, cui etiam documenta Patrum consentiunt, infirmi oleo, quod ab Episcopis benedicitur, à presbyteris ungi debent. Sic enim ait; *Infirmatur aliquis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungueutes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei salvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Non est itaque parvipendenda hujuscemodi medicina, quæ animæ corporisque medetur languoribus.

40. *De sponso vel sponsa in monasterium ingressa.*

Si sponsus vel sponsa intravetit monasterium id, quod arrarum nomine datum est, in simplum tantum reddatur.

41. *De locis, in quibus Missa celebranda sunt.*

In quibus locis & quo apparatu Missarum solemnia, exceptis basilicis, celebrari debeant, & utrum celebrari debeant in Concilio Laodiceensi ita scribitur; *Quod non oporteat in domibus oblationes celebrari ab Episcopis vel presbyteris.*

42. *De his, quæ ad aurium & oculorum pertinent oblectamentum; quæque sacerdotes vitare debent.*

Quæcunque ad aurium & oculorum pertinent illecebras, unde vigor animi emolliri posse credatur, ut de aliquibus generibus musicorum aliisque nonnullis rebus sentiri potest, ab omnibus Dei sacerdotes se abstinere debent: quia per aurium oculorumque illecebras, vitiorum turba ad animum ingredi solet. Histrionum quoque turpium & obscœnorum insolentias locorum & ipsi animo effugere cæterisque sacerdotibus effugienda prædicare debent.

43. *Ut sacerdotes à ludis secularibus se caveant.*

Sacerdotibus non expedit secularibus & turpibus quibuslibet interesse locis; venationes quoque ferarum vel avium minime sectentur.

44. *De presbyteris & diaconis, ut Episcoporum suorum in bonis operibus vestigia sectentur.*

Presbyteri quoque & diaconi in omnibus bonorum operum exhibitionibus sui Episcopi vestigia sectentur, & in bonorum morum probitate, quæ Episcopo observanda sunt, eadem & sibi observanda esse cognoscant.

45. *Quantam curam Episcopi circa indigos habeant.*

Episcopi quidem maximam curam & solicitudinem circa pauperes habeant, & res Ecclesiasticas Ecclesiis collatas, cauta circumspectione dispensent, quasi Dei ministri, non quasi turpis lucri sectatores, illisque utantur, non ut proprijs, sed ut sibi ad dispensandum commissis.

46. *Quod liceat Episcopis præsentibus presbyteris & diaconis, thesauros Ecclesiæ pauperibus erogare.*

Licitum sit Episcopis præsentibus presbyteris & diaconibus de thesauro Ecclesiæ, familiæ & pauperibus ejusdem secundum canonicam institutionem, juxta quod indigueriat erogare.

47. *De Diaconissa.*

Si diaconissa nupserit, gladio ultore sternatur, & facultas ejus Ecclesiæ ei obi fervivit, addicatur. Corruptores earum similiter puniantur: bona vero eorum fisci juribus vindicentur.

48. *De presbytero non ordinando ante legitimum tempus.*

Presbyterum ordinari non debere ante legitimum tempus, hoc est, trigesimum ætatis annum, sed priusquam ad consecrationem presbyteratus accedat, maneat in Episcopio discendi gratia officium suum tandiu donec possint & mores & actus ejus animadverti: Et tunc, si dignus fuerit, ad sacerdotium promoveatur.

49. *De presbyteris, qualiter parrochias suas diligenter perscrutentur.*

Ut unusquisque Episcoporum parrochiam suam diligenter perscrutari nitatur, ne aliquis presbyter ab alterius parochia in suam commigrans, officium celebrare præsumat sine literis commendatitiis, sicut olim multis in locis actum esse repertum est.

50. Ne

50. Ne quilibet presbyter de titulo minori ad majorem transeat.

De titulo minori ad mejorem migrare nulli presbyterio licitum sit, sed in eo permaneat ed quem ordinatus est. Quod si inventus fuerit contra statuta id facere, eadem feratur sententia qua & Episcopus qui de minori ed majorem transmigreverit.

51. Ut decima semper consultu Episcoporum dispensentur.

Ut decimæ quæ singulis dabuntur Ecclesiis, per consulta Episcoporum à presbyteris ed usum Ecclesiæ & pauperum summe diligentia dispensentur.

52. De blasphemia in Deum.

Si quis quolibet modo blasphemiam in Deum jactaverit, è præfecto urbis ultimo supplicio subjiciatur: Qui vero talem cognoscens non manifestaverit, similiter coerceatur. Si præfectus urbis hæc punire neglexerit, post Dei judicium nostram indignationem incurrat.

53. De viduis juvenibus ne cito velentur.

Ut juvenes viduæ cito nequaquam velentur, usque dum probetur illarum religio, & bone eis eis nota sit conversatio, ne forte de eisdem dici possit; *Quæ autem in deliciis sunt, viventes mortuæ sunt.*

54. Ut comites & judices Episcopis suis consentiant, ipsique eos honorifice recipiant.

Comitibus, judicibus, reliquoque populo expedit, ut suis sint Episcopis consentientes & obedientes propter Dei emorem, suique gredus honorem, & semper eh eis utile quærent consilium, illorumque salubria non spernant monita, sed intenta cordis aure eudiant. Similiter veto & Episcopi prædictas personas bumiliter suscipieot, honorificeque erga eos in omnibus agant, & sese mutuis studeant sublevere consolationibus.

55. De herede qui piam dispositionem non implet.

Si hæredes jussa testatoris non impleverint, eb Episcopo loci illius, omnes res quæ his relictæ sunt, euferantur cum fructibus & cæteris emolumentis, ut vota defuncti impleantur.

56. Ut comites & judices viles personas non admittant ad testimonium.

Summopere admonendi sunt comites & judices; ne viles & indignas personas corem se permittant ad testimonium eccedere, quoniam multi sunt qui perjurare pro nihilo ducunt, in tantum ut pro unius diei satietate eut pro quolibet parvo pretio ad jurementum conduci possint, enimeque suas perjurio perdere minime formidant. Quamobrem leles nequaquam ad quodlibet testimonium admittendi sunt. Et hoc notandum, quod non solum illi qui perjurant, sed etiam qui perjuris consentiunt, simili plectendi sunt damnatione.

57. Nullus Christianus munera exigat pro quolibet placito.

Nullus Christianus pro quolibet placito vel judicio à quelibet persona munera exigere eut eccipere debet, quoniam id divinæ Scripturæ multis in locis magne interdicit euctoritate, testante Scriptura quæ eit: *Munera excæcant oculos sapientum, & subvertunt verba justorum.*

58. De rebus quæ paganis non conceduntur.

Non liceat Christienis Judæorum neque paganorum vel hæreticorum res emphiteuseos vel conductionis titulo habere, neque suorum similiter eis eccommodare.

59. De placitis secularibus ne in Ecclesia fiant.

Plecita quidem seculerie in Ecclesiis vel in etriis Ecclesiarum è comitibus vicariisque usque modo multis in locis habite, sed ne ultra fiant interdicendum est cum euctoritate Dominica, quæ eepulsis de templo negotiatoribus adserit debere domum Dei domum esse orationis.

60. De magicis artibus & incantationibus.

Admoneant sacerdotes fideles populos, ut noverint magices ertes incantationesque quibuslibet infirmitatibus bominum nihil posse remedii conferre: non animelibus languentibus, claudicantibus, vel etiam moribundis quicquam mederi, non ligaturas ossium vel herbarum cuiquam mortalium adhibitas prodesse, sed hæc esse laqueos & insidias entiqui hostis, quibus ille perfidus, genus humanum decipere nititur.

61. Ne nomen Domini in vanum jurando assumatur.

Omnes homines edmonemus, ne per singula verba quasi ad confirmationem suæ edsertionis nomen Domini in venum essumant; quod ipse Dominus interdicit faciendum ubi ait; *Ne assumas nomen Dei tui in vanum:* In venum etenim nomen Dei assumitur, quendo aliquis ad singula verba quibus vult, ut sibi ab alio credatur, Deum omnipotentem testem rei, de qua ait, invocat, eumque sibi ita esse edjutorem, sicut ea vere sunt quæ loquitur. Nam & ipse Dominus in Evengelio hoc modo prohibens omne geous jurementi, *Nolite,* inquit, *omnino jurare, neq; per cælum, neq; per terram, neq; per caput tuum,* & cætera.

62. De laicis ne munera à presbyteris exigant.

Ut leici omnino à presbyteris non eudeant munere exigere propter commendetionem Ecclesiæ, quia propter cupiditatem plerumque à laicis talibus presbyteris Ecclesiæ dantur, qui ad peregendum sacerdotale officium indigni sunt.

63. De pace & concordia.

De pacis bono atque concordia ut ab omnibus omnino indisrupta teneatur inter Episcopos & comites, inter clericos & monechos & omnem populum Christianum, ut B. Apostolus Paulus docuit dicens: *Sectamini charitatem & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum.* Et idcirco quicquid illud est quod nos ad veræ pacis studium & charitatis perfectionem provocat, totis viribus nostris sectandum est: quicquid vero nos eb illa disjungit ut venenum mortiferum à nobis cavendum est.

64. *De comitibus & judicibus ut obedientes suo sint Episcopo.*

Ut comites & judices reliquusque populus obedientes sint Episcopo, ut invicem consentiant ad faciendas justitias, & munera pro judicio non accipiant, nec falsos testes; ne per hoc pervertant judicia justorum, quia scriptum est; Justitia elevat gentem, injustitia vero miseros facit populos. Et Psalmista; *Beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitias in omni tempore.*

65. *Ut Episcopi semel in anno parochias suas circumeant.*

Ut unusquisque Episcopus semel in anno circumeat parochiam suam; noverint sibi curam populorum & pauperum in protegendis ac defendendis impositam, ideoque dum conspiciunt judices ac potestates pauperum oppressores existere, prius eos sacerdotali admonitione redarguant, & si contempserint emendari, eorum insolentia Regis auribus intimetur: ut quos sacerdotalis admonitio non flectit ad justitiam, regalis potestas ab improbitate coerceat.

66. *De eo qui infamis furto efficitur.*

Furti quocumque genere condemnatus, infamis efficitur.

67. *De eo qui absens fuerit, minime damnando.*

Jubemus ut in causa capitali absens nemo damnetur, quia neque absens per alium accusare aut accusari potest.

68. *De omnibus possessionibus à præceptore possessori reddendis.*

Omnes possessiones & omnia sibi sublata atque fructus cunctos ante litem contestatam præceptor possessori restituat.

In duob. Vetustiss. exemplaribus notatum est hoc loco deesse quædam capitula.

69. *De incestis, quod non sint legitimi hæredes.*

Omnes nosse volumus, quod incesti non sint legitimi hæredes, sed infamia sint notatæ utræque personæ: Ideoque proximorum copula vel stupra quasi quædam turpissima pestis cavenda est, quoniam incesti usque ad canonicam separationem, Ecclesiæque per publicam pœnitentiæ satisfactionem; magis inter energuminos vel audientes, quam inter Christianos catholicos utrique cum omnibus suis sunt habendi.

70. *De oratione obedientis.*

Sciendum sane est omnibus, quia citius exauditur una obedientis oratio, quam decem millia contemptoris.

71. *Ut unaquæq; provincia à judicibus propriis judicetur.*

Præcipimus ut non degradetur unaquæque provincia, sed apud semetipsam habeat judices Episcopos; & quicumque causam habuerit, à suis judicibus judicetur, & non ab alienis, id est, à suæ justis judicibus provinciæ, & non ab externis, nisi fuerit appellatum.

72. *Quod unumquemq; juste & pie vivere oporteat.*

Notum esse omnibus volumus quam juste, quam sobrie, quam etiam pie vivere debeant. Juste enim vivere oportet secundum sermonem dominicum præcipientem; *Luceat*, inquit, *lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona & glorificent patrem vestrum qui in cælis est:* hoc est, sic juste vivite, ut filii lucis nominari valeatis. Quod vero sobrie vivere debeat quisque, monet Evangelium dicens: *Videte ne graventur corda vestra crapula & ebrietate & curis hujus vitæ.* Pie etiam vivere vel patienter monet Paulus exhortando dicens: *In omni patientia doctrina & cum pietate regere domum* monet, & ne ipsa pietas indiscreta videatur, præmittit sententiam dicens: *Argue cum omni imperio.*

73. *De graphii prolatore ut eum affirmet.*

Statutum est ut scripturam prolator affirmet: Nam si is qui scripturam protulit, ejus non adstruxerit veritatem, ut falsitatis reum esse detinendum.

74. *Quod sacerdos in habitu religionis persistere debent.*

Studendum sane omnibus est, ut in habitu religionis quisque sacerdos permaneat, & ore prophetico sibimet præcipi constat dicente: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. Quando dixit: *Clama ne cesses*, omne tempus exclusit, quod nemo potest excusare: Etenim de libris officialibus ut novimus patet ratio, quia nequaquam corporeo usu hæc requirenda ab illis erat qui spiritualiter vivebant, dicente Psalmographo: *In me sunt Deus vota tua, quæ reddam laudationes tibi?* Nos tamen qui in medio positi sumus, scilicet inter spiritalem & corporalem intellectum, necesse nobis quærere officialem intellectum, ut in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, ut non vituperetur ministerium nostrum: Et propheticum sermonem impleamus dicentem: *Justitiam discite qui habitatis terram.* Et, quod avertat Deus à nobis, idem Propheta dicit: *Zelus apprehendit populum ineruditum.* Et item alius Propheta: *Sacerdotes ignoraverunt intelligentiam.* Et idem Propheta: *Sacerdotes non dixerunt: Ubi est Dominus, & tenentes leges meas nescierunt me.* Qua ergo fronte, qua conscientia sacerdotem nominari se fateatur, quem Dominus per Prophetam nescire se dicit.

75. *De eo qui causam habuerit, ut à propriis judicibus judicetur.*

Quicunque causam habuerit à propriis judicibus judicetur, & non ad alienos causa vagandi & proterviæ dimittens suam patriam transeat, sed apud Metropolitanum & reliquos Episcopos suæ provinciæ judicetur.

76. *De canonicis clericis, qui in civitatibus vel monasteriis degunt.*

Volumus atque præcipimus, sicut synodali atque canonica auctoritate à pastoribus sanctæ Ecclesiæ sæpissime admoniti sumus, ut canonici clerici qui in civitatibus vel in monasteriis degunt, qui beneficia habent unde victum & vestimentum habere possunt, ut his juxta Apostolum contenti sint, & stipendia fratrum unde pauperiores & hi qui assidue in prædictis locis Domino famulantes excubant,

atque

atque ibi assiduum divinum explent officium, vitam sustinent, nequaquam assumant, aut in suis usibus convertant: Scimus enim quia absque periculo atque dispendio animarum suarum, hoc nullatenus facere possunt. Si quis hæc statuta contempserit, utrisque careat, id est, & beneficio & præbenda, atque si gradibus fruitur Ecclesiasticis, ipsis privetur.

78. *De communicatione Ecclesiæ cum nihil habentibus.*

Quod habet Ecclesia, cum omnibus nihil habentibus habet commune, ne aliquid inda eis qui sibi de suo sufficiunt, convenit erogare: quando nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere.

79. *De his qui sua possident, & sibi aliquid dari volunt.*

Nec illi qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato, unde pauper victurus erat, accipiunt.

LVDOVICI PII IMPERATORIS AVGVSTI

CAPITVLA,

Anno Christi 819.

In generali conventu Imperii in Inghilhem habito, Apostolica auctoritate & Synodali sanctione, omnium, videlicet Clericorum ac Laicorum generaliter consensu decreta, Anno Domini DCCCXIX.

1. *De his, qui rapinas infra regnum faciunt.*

SI quis infra regnum rapinam fecerit, aut cuiquam nostro fideli, atque homini aliquid vi abstulerit in triplo, cui aliquid abstulerit, legibus componat, & insuper bannum nostrum, id est, LX. solid. nobis persolvat, postmodum vero ante nos à comite adducatur, ut in bastonico retrusus, usque dum nobis placuerit, pœnas luat. Nam si publice actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam juxta sanctorum canonum sanctionem. Si vero occulte, sacerdotum consilio ex hoc agat pœnitentiam, quoniam raptores ut ait Apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, regnum Dei non possidebunt. Qui vero de rebus Ecclesiarum aliquid abstulerit, gravius inde judicetur, quia sacratum rerum ablatio sacrilegium est, & sacrilegus vocatur, qui ex his aliquid aut abstulerit, aut rapuerit. Infames quoque tales personæ usque ad satisfactionem Ecclesiæ, quam læserint, sunt habendæ.

2. *De sacerdotibus, & Levitis, atque monachis interfectis, vel debilitatis.*

Si quis sacerdotem vel Levitam aut monachum interfecerit, vel debilitaverit juxta statuta priorum capitulorum, quæ legi Salicæ sunt addita, componat: & insuper bannum nostrum, id est, LX. sol. nobis persolvat. Et arma relinquat, atque in monasterio diebus vitæ suæ sub ardua pœnitentia Deo serviat, nusquam postmodum seculo vel secularibus militaturus, neque uxori copulaturus.

3. *De his, qui Episcopo aliquam injuriam vel dehonerationem fecerint.*

Si quis Episcopo aliquam injuriam aut injustam dehonorationem fecerit, de vita componat: & omnia quæ habere visus fuerit, Ecclesiæ, cui præesse dinoscitur, integerrime socientur: & nobis in triplo bannus noster, id est, LX. solidi persolvantur. Aut ipse in servitio fisco nostro serviturus semper societur, usque se redimere in triplo juxta Wirgildum suum potuerit. Sancta vero Ecclesia in sacerdotibus constat, idcirco magna pœna plectendi sunt, qui Episcopis vel reliquis sacerdotibus injuriam vel contumeliam fecerint. Nam detractio sacerdotum ad Christum pertinet, cujus vice legatione in Ecclesia funguntur.

4. *De religiosa muliere decepta, id est, veste mutata vel religionem professa.*

Si quis rapuerit, aut sollicitaverit, vel corruperit religiosam fœminam, bona amborum Ecclesia vindicet, in qua talis mulier habitavit: ipsi tamen capitali periculo subjiciantur. Quod si hoc mulier non consensit, cum suis rebus monasterii ditionibus tradatur. Si vero comes ipsius pagi una cum concilio sui Episcopi, in cujus parochia tale scelus commissum est, hoc vindicare neglexerit, honore careat, & cingulum amittat, atque publica pœnitentia mulctetur: & insuper Wirgildum suum fisci juribus dare compellatur.

5. *De blasphemia in Deum.*

Si quis quolibet modo blasphemiam in Deum jactaverit, ab Episcopo vel comite pagi ipsius carceri usque ad satisfactionem tradatur: & publica pœnitentia mulctetur, donec precibus proprii Episcopi publice reconcilietur, Ecclesiæque gremio canonice reddatur.

6. *De his qui in domo sua oratorium fecerint.*

Qui in domo sua oratorium habuerit, orare ibidem potest: missas tamen in eo celebrare non audeat, nec agere cuiquam permittat sine permissu vel dedicatione Episcopi loci illius. Quod si fecerit, domus illius fisci juribus addicatur. Comes vero qui hoc cognovit, & non prohibuit, publica pœnitentia mulctetur, vel honore privetur.

7. *De privilegiis Ecclesiarum & clericorum non corrumpendis.*

Ut privilegia, quæ Ecclesiis & clericis ab antecessoribus nostris, vel nobis concessa sunt, semper maneant incorrupta.

& ipse per se fidejussionem faciat ejusdem vestituræ, nec hæredi ulla occasio remaneat hanc traditionem immutandi, sed potius necessitas incumbat illam perficendi. Et si nondum res suas cum cohæredibus suis divisas habuit: non ei hoc sit impedimento: sed cohæres ejus, si sponte noluerit, aut per comitem, aut per missum ejus distringatur, ut divisionem cum illo faciat, ad quem defunctus hæreditatem suam voluit pervenire. Et si cuilibet Ecclesiæ eam tradere rogavit, cohæres ejus eam legem cum illa Ecclesia de prædicta hæreditate habeat, quam cum alio cohærede suo habere debebat. Et hoc observetur erga patrem, & filium, & nepotem, usque ad annos legitimos. Postea ipsæ res ad immunitatem ipsius Ecclesiæ redeant.

8. *De homicidiis prohibendis.*

Quicunque hominem aut ex levi causa, aut sine causa interfecerit, Uvirgildus ejus his, ad quos ille pertinet, componatur. Ipse vero propter talem præsumptionem in exilium mittatur, ad quantum tempus nobis placuerit: res tamen suas non amittat.

9. *De hoc, quod in compositionem Wirgildi dari debeat.*

In compositionem Wirgildi volumus, ut ea dentur, quæ in lege continentur, excepto accipitre & spata, quia propter illa dum aliquoties perjurium committitur, quando majoris pretii, quam illa sint, esse jurantur.

10. *De raptu alienarum sponsarum.*

Si quis sponsam alienam rapuerit, aut patri ejus, aut ei qui legibus ejus defensor esse debet, cum sua lege eam reddat: & quicquid cum ea tulerit, semotim unamquamque rem secundum legem reddat. Et si hoc defensor ejus perpetrari consenserit, & ideo raptori nihil quærere voluerit, comes singulariter de unaquaque re freda nostra ab eo exactare faciat. Sponso vero legem suam componat, & insuper bannum nostrum, id est, LX. solid. vel in præsentiam nostram comes eum advenire faciat, & quanto tempore nobis placuerit, in exilio maneat, & illam fœminam ei habere non liceat.

11. *De falsis testibus convincendis.*

Si quis cum altero de qualibet causa contentionem habuerit, & testes contra eum per judicium producti fuerint, si ille falsos esse suspicatur, liceat ei alios testes, quos meliores potuerit, contra eos opponere, ut veracium testimonio falsorum testium perversitas superetur. Quod si ambæ partes testium ita inter se dissenserint, ut nullatenus una pars alteri cedere velit, eligantur duo ex ipsis, id est, ex utraque parte unus, qui cum scutis & fustibus in campo decertent, utra pars falsitatem, utra veritatem suo testimonio sequatur. Et campioni, qui victus fuerit, propter perjurium, quod ante pugnam commisit, dextera manus amputetur. Cæteri vero ejusdem partis testes, qui falsi apparuerunt, manus suas redimant. Cujus compositionis duæ partes ei, contra quem testati sunt, dentur, tertia pro fredo solvatur. Et in seculari quidem causa hujuscemodi testium diversitas campo comprobetur. In Ecclesiasticis autem causis, ubi de una parte seculare, de altera vero Ecclesiasticum negotium est, idem modus observetur. Ubi vero ex utraque parte Ecclesiasticum fuerit, rectores earundem Ecclesiarum, si se familiariter pacificare velint, licentiam habeant. Si autem de hujuscemodi pacificatione inter eos convenire non possint, advocati eorum in mallo publico ad præsentiam comitis veniant, & ibi legitimus terminus eorum contentionibus imponatur. Testes vero de qualibet causa non aliunde quærantur, nisi de ipso comitatu, in quo res, unde causa agitur, positæ sint: quia non est credibile, ut vel de statu hominis, vel de possessione cujuslibet per alios melius rei veritas cognosci valeat, quam per illos, qui viciniores sunt. Si tamen contentio, quæ inter eos exorta est, in confinio duorum comitatuum fuerit, liceat eis de vicina centena adjacentis comitatus ad causam testes habere.

12. *De proprio in bannum misso.*

Cujuscunque hominis proprietas ob crimen aliquod, quod idem habet commissum, in bannum fuerit missa, & ille re cognita, ne justitiam faciat, venire distulerit, annumque ac diem in eo banno illam esse permiserit, ulterius eam non adquirat: sed ipsa fisco nostro societur. Debitum vero, quod is, cujus ea fuit, solvere debuit, per comitem ac ministros ejus juxta æstimationem damni de rebus mobilibus, quæ in eadem proprietate inventæ fuerint, his quibus idem debitor fuit, exsolvatur. Quod si rerum mobilium ibidem inventarum quantitas ad compositionem non suffecerit, de immobilibus suppleatur: & quod superfuerit, sicut dictum est, fiscus noster possideat. Si nihil super compositionem remanere potuerit, totum in illud expendatur. Si autem homo ille nondum cum suis coheredibus proprium suum divisum habuit, convocet eos Comes, & cum eis legitimam divisionem faciat, & tunc, sicut jam dictum est, partem ejus fisco nostro addicat: & compositionem de ea juxta modum superius comprehensum, his, ad quos illa legibus pertinet, exsolvat. Quod si non de alia re, sed de ipsa proprietate, quæ in bannum missa fuit, ac per hoc in nostram potestatem redacta fuerat, interpellatur, comes, in cujus ministerio eam esse constiterit, hoc ad notitiam nostram perferre curet, ut nos eandem proprietatem, quæ secundum supradictum modum in nostrum dominium redacta est, per præcepti nostri auctoritatem in jus & potestatem hominis, qui eam quærebat, si sua debet esse, faciamus pervenire.

13. *De mannire.*

Si quis de statu suo, id est, de libertate vel de hæreditate compellendus est, juxta legis constitutionem manniatur. De cæteris vero causis, unde quis rationem est redditurus, non manniatur, sed per comitem banniatur. Et si post unam & alteram comitis admonitionem aliquis ad mallum venire noluerit, rebus eius in bannum missis venire & justitiam facere compellatur.

14. *qualiter de statu suo pulsatus evindicet libertatem suam.*

Homo de statu suo pulsatus, si is, qui eum pulsat, ad convincendum illum procinctum habuerit, adhibeat sibi octo conjuratores legitimos ex ea parte unde pulsatur, sive illa paterna sive materna sit: & quatuor aliunde non minus legitimos, & jurando vindicet libertatem suam. Quod si procinctus defuerit, adsumat undecunque XII. liberos homines, & jurando ingenuitatem suam defendat. Omnis controversia coram centenario definiri potest, excepta redditione terræ & mancipiorum, quæ non nisi coram comite fieri potest.

15. *De faidis coercendis.*

Si quis aliqua necessitate cogente homicidium commisit, comes, in cujus ministerio res perpetrata est, & compositionem solvere, & faidam per sacramentum pacificare faciat. Quod si una pars ei ad hoc consentire noluerit, id est, aut ille qui homicidium commisit, aut is qui compositionem suscipere debet, faciat illum comes, qui ei contumax fuerit, ad præsentiam nostram venire, ut eum ad tempus, quod nobis placuerit, in exilium mittamus, donec ibi castigetur, ut comiti suo inobediens esse ulterius non audeat, & majus damnum inde non adcrescat.

16. *De sacramentis, ubi juranda sint.*

Ubi antiquitus consuetudo fuit de libertate sacramenta adrhamire vel jurare, ibi mallum habeatur, & ibi sacramenta jurentur. Mallus tamen neque in Ecclesia, neque in atrio ejus habeatur. Minora vero placita comes sive intra suam potestatem, vel ubi impetrare potuerit, habeat. Volumus utique, ut domus à comite in loco ubi mallum tenere debet, constituatur, ut propter calorem solis, & pluviam publica utilitas non remaneat.

17. *De his, qui de furto accusati fuerint.*

Si liber homo de furto fuerit accusatus, & res proprias habuerit, in mallo ad præsentiam comitis se adhramiat. Et si res non habet, fidejussores donet, qui eum adhramire, & in placitum adduci faciant: & liceat ei prima vice per sacramentum se secundum legem idoneare, si potuerit. At si alia vice duo vel tres eum de furto accusaverint, liceat ei contra unum ex his cum scuto & fuste in campo contendere. Quod si servus de furto accusatus fuerit, Dominus ejus pro eo emendet, aut eum sacramento excuset, nisi tale furtum perpetratum habeat, propter quod ad supplicium tradi debeat.

18. *De despectu literarum Dominicarum.*

Si quis literas nostras despexerit, id est, tractoriam, quæ propter missos recipiendos dirigitur, aut honores quos habet amittat, aut in eo loco, ubi prædictos missos suscipere debuit, tandiu resideat, & de suis rebus legationes illuc venientes suscipiat, quousque animo nostro satisfactum habeat. Qui vero Epistolam nostram quocunque modo despexerit, jussu nostro ad palatium veniat, & juxta voluntatem nostram congruam stultitiæ suæ castigationem accipiat. Et si homo liber vel ministerialis comitis hoc fecerit, honorem, qualemcunque habuerit, sive beneficium amittat. Et si servus fuerit, nudus ad palum vapulet, & caput ejus tondeatur.

19. *De injustis theloneis, & consuetudinibus.*

Ut ubi tempore avi nostri Domini PIPINI consuetudo fuit tholoneum dare, ibi & in futurum detur. Nam ubi noviter inceptum est, ulterius non agatur. Et ibi necesse non est, fluvium aliquem per pontem transmeare, vel ubi navis per mediam aquam aut subter pontem ierit, & ad ripam non appropinquaverit, neque ibidem aliquid emptum vel venundatum fuerit, ulterius tholoneum non detur. Et nemo cogat alium ad pontem ire, ubi juxta pontem aquam transmeare potest. Et qui ulterius in talibus locis, vel de eis, qui ad palatium seu in hostem pergunt, tholoneum exactaverit, cum sua lege ipsum tholoneum reddat, & bannum nostrum, id est, LX. solid. componat.

20. *De his, qui bonos denarios accipere nolunt.*

Quicunque liber homo denarium merum & bene pensantem recipere noluerit, bannum nostrum LX. solid. componat. Si vero servi Ecclesiastici, aut comitum, aut vassalorum nostrorum hoc facere præsumpserint, LX. ictibus vapulent. Aut si magister eorum, vel advocatus, qui liber est, eos vel comiti vel misso nostro jussus præsentare noluerit, prædictum bannum LX. solid. componat.

21. *De adulteratoribus monetæ.*

De falsa moneta jubemus, ut qui eam percussisse comprobatus fuerit, manus ei amputetur. Et qui hoc consensit, si liber est, LX. solid. componat. Si servus est, LX. ictus accipiat.

22. *De proprio dominico sine jussione illius reddito.*

Si quis proprium nostrum, quod in vestitura genitoris nostri fuit, alicui quærenti sine nostra jussione reddiderit, aliud tantum nobis de suo proprio cum sua lege componat. Et quicunque illud scienter per malum ingenium adquirere tentaverit, pro infideli teneatur, quia sacramentum fidelitatis, quod nobis promisit, irritum fecit: & ideo secundum nostram voluntatem & potestatem dijudicandus est,

23. *De pueris invitis parentibus detonsis, aut puellis velatis.*

Si quis puerum invitis parentibus totonderit, aut puellam velaverit, legem suam in triplo componat, aut ipsi puero vel puellæ, si jam suæ potestatis sunt, aut illi, in cujuslibet potestate fuerint. Illi vero potestatem habeant capitis sui, ut in tali habitu permaneant, qualis eis complacuerit.

LUDO-

LUDOVICI PII IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 819.

CAPITULARIUM, DE HOSTE FACIENDO.

Brevis Capitulorum, quam Missi Dominici habere debent ad exercitum promovendum.

VT omnis liber homo, qui quatuor mansos vestitos de proprio suo, sive de alicujus beneficio habet, ipse se præparet, & ipse in hostem pergat, sive cum Seniore suo. Qui vero tres mansos de proprio habuerit huic adjungatur unus, qui unum mansum habeat, & det illi adjutorium, ut ille pro ambobus ire possit. Qui autem duos mansos tantum de proprio habet, jungatur illi alter, qui similiter duos mansos habeat, & unus ex eis, altero illi adjuvante, pergat in hostem. Qui etiam unum tantum mansum de proprio habet, & adjungantur ei tres, qui similiter habeant, & dent ei adjutorium, & ille tantum pergat: tres vero, qui illi adjutorium dederint, domi remaneant.

2. Volumus atque jubemus, ut iidem Missi nostri diligenter inquirant, qui anno præterito de hoste bannito transissent, super illam Ordinationem, quam modo superius comprehenso de liberis & pauperibus hominibus fieri jussimus. Et quicunque fuerit inventus, qui nec parem suum ad hostem faciendum secundum nostram jussionem adjuvit, neque perrexit, heribannum nostrum pleniter rewadiet, & de solvendo illo secundum legem fidem faciat.

3. Quod si forte talis homo inventus fuerit, qui dicat: Quod jussione Comitis vel Vicarii, aut Centenarii sui, hoc quoque ipse semetipsum præparare debeat eidem Comiti, vel Vicario, aut Centenario, vel quibuslibet hominibus eorum dedisset, & propter hoc illuditer dimisisset; & Missi nostri hoc ita verum esse investigare potuerint, is, per cujus jussionem ille remansit, bannum nostrum rewadiet atque persolvat, sive sit Comes, sive Vicarius, sive Advocatus Episcopi, atque Advocati.

4. De hominibus Comitum casatis, isti sunt excipiendi, & bannum rewadiare non jubeantur: Duo, qui cum uxore illius domi dimissi fuerunt; & alii duo, qui propter ministerium ejus custodiendum, & servitium nostrum faciendum remanere jussi sunt. In qua causa modo præcipimus, ut quanta ministeria unusquisque Comitis habuerit, totiens duos homines ad ea custodienda domi dimittat; præter illos duos, quos cum uxore sua: cæteros vero omnes secum pleniter habeat, vel, si ipse domi remanserit, cum illo, qui pro eo in hostem proficiscitur, dirigantur. Episcopus vero vel Abbas duos tantum de casatis & laicis hominibus suis domi dimittat.

5. De hominibus nostris, & Episcoporum, & Abbatum, qui vel beneficia vel talia propria habent, ut ex eis secundum nostram jussionem in hostem bene possunt pergere, exceptis his, quos eis secum domi remanere permisimus. Si aliqui inventi fuerint, qui vel pretio se redimissent, vel dominis suis permittentibus domi remansissent, bannum nostrum, sicut superius dictum est, & fidem faciant ac persolvant. Domini vero eorum, qui eos domi remanere permiserunt, vel ministeriales eorum, qui ab eis precium acceperunt, similiter bannum nostrum rewadient, & fidem faciant, usque dum nobis fuerit annunciatum.

6. Volumus, ut Missi nostri diligenter inquirant, in quibus locis hoc factum sit, quod ad nos pervenit: quod quidam homines, postquam secundum nostram jussionem sociis suis, qui in hostem perrexerunt, de stipendiis suis adjutorium fecerunt, jubente Comite, vel ministerialibus ejus, propter se redimendum precium dederunt, ut eis domi remanere licuisset, cum illi in hostem ire non deberent, quia jam sociis suis constitutum à nobis adjutorium dederunt: hoc fiat investigatum, & nobis nunciatum.

7. Volumus, ut isti Missi nostri, qui hac legatione fungi debent, ab his hominibus conjectum accipiant, qui in hostem pergere debuerunt, & non perrexerunt. Similiter & à Comite, vel Vicario, vel Centenario, qui ad hoc consenserunt, ut illi domi remansissent, necnon & ab omnibus prædictum conjectum accipiant, qui anno præterito constitutam à nobis exercitalis itineris jussionem irritam fecerunt.

8. Istius Capitularii exemplaria quatuor volumus ut scribantur, & unum habeant Missi nostri: alterum Comes, in cujus ministeriis hæc facienda sunt, ut aliter non faciant, neque Missus noster, neque Comes, nisi sicut à nobis Capitulis ordinatum est: tertium habeant Missi nostri, qui super exercitum nostrum constituendi sunt: quartum habeat Cancellarius noster.

9. Volumus, ut homines fidelium nostrorum, quos nobiscum ad servitium nostrum domi reservare jussimos, in exercitum ire non compellantur; sed & ipsi domi remaneant, vel in servitio dominorum suorum: neque heribannum rewadiare jubeantur illi homines, qui anno præterito nobiscum fuerunt.

PRINCIPVM ECCLESIASTICORVM S. ROMANI IMPERII,

CAPITVLA,

Anno Christi 820.

Ex mandato LVDOVICI PII IMP. in Comitiis in Attiniaco celebratis conscripta, & per Missos Imperiales in Imperio promulgata.

Capitula quæ sunt generaliter per Parochias populis denuncianda.

Vt fidei Sacramento baptizandi imbuantur, & ut parvuli de sacris fontibus ab his non suscipiantur, vel homines ad confirmationem teneantur, qui in publica pœnitentia adhuc canonice irreconciliati manserunt.

HOc ad monendum vel denunciandum fidelibus necessarie prævidimus, ut hi, qui fidem Christi expetunt, & provectæ ætatis sunt, priusquam ad baptismum accedant, instruantur & de fidei & baptismatis sacramento. Similiter & illi instruendi sunt qui parvulos de sacro fonte suscipere voluerint, ut intelligant & vim ejusdem sacramenti, & quid pro aliis spoponderint, vel pro quo fidejussores extiterint. Illos tamen specialiter ab his officiis removendos judicamus, ne alios de sacrosancto fonte baptismatis suscipiant, nec etiam ad percipiendum sancti Spiritus donum aliorum patroni existant, qui & communione canonica privati, & pœnitentiæ publicæ sunt subabacti, donec per pœnitentiæ satisfactionem reconciliationem mereantur. Quos enim lex divina & auctoritas canonica ab Ecclesiarum liminibus, & à castris militaribus, ne ruina sint populi, sequestrat, multo magis ab his sacris officiis usque ad tempus pœnitentiæ, ut jam dictum est, peractum sunt sequestrandi.

2. *Quo tempore baptisma celebrari oporteat.*

Ut extra statuta tempora canonum baptismata non celebrentur: quia sacri canones hoc modis omnibus, nisi aliquod periculum institerit, fieri prohibent, in tantum, ut etiam eos qui alio tempore baptizantur, à gradibus Ecclesiasticis arceant.

3. *Ut pactum in baptismate factum cum Deo à baptizatis observetur.*

De eo etiam instruendos fideles necessario prævidimus, ut intelligant pactum quod cum Deo in baptismate fecerunt. Pactum quod cum Deo in baptismate fit à multis ex toto, à multis ex parte transgreditur. Ex toto quippe transgreditur, quando quis post acceptam baptismatis gratiam, aut ad infidelitatem, aut hæresim, aut certe ad scisma prolabitur. Ex parte vero, quando quis aut ad superbiam, aut ad invidiam, aut ad cætera vitia spiritalia, quæ ex radice superbiæ prodeunt, labitur.

4. *Quid sit abrenunciatio in baptismo, & quomodo observanda.*

Quid sit abrenunciare Diabolo, operibus & pompis ejus, valde omnes fideles intelligere oporter. Quapropter necesse est, ut prædicatores in admonendo, & auditores in discendo & opere complendo ab hinc, ut suum cavere possint periculum, magis adhibeant studium. Abrenunciare igitur Diabolo, est penitus eum respuere, spernere, rejicere, eique contradicere, seque unumquemque ab eo alienare, sive aliud quid quod hoc verbo in hoc sensu exprimi potest. Opera ejus sunt, quæ utique operibus salvatoris contraria existunt. Primum superbia, cujus ille auctor est, & quæ eum ex Angelo dæmonem fecit, quæ est etiam initium omnis peccati, & cætera vitia, quæ ex radice prodeunt superbiæ. Pompa diaboli hæc est, quæ & pompa mundi, id est, ambitio, arrogantia, vana gloria omnisque cujuslibet rei superfluitas in humanis usibus; Unde crescit elatio, quæ multoties honestati solet ascribi, & cætera hujusmodi, quæ de fonte superbiæ procedere noscuntur. Hæc & his similia sunt, quæ unusquisque fidelis tempore baptismatis à se rejecit, Christoque se mancipavit, pactumque cum Deo fecit, ne penitus ad ea, quibus abrenunciavit, rediret. Verum si jura humanæ pactionis firmiter conservantur, fixius tamen atque ferventius jura tanti pacti, quæ cum Deo facta sunt, inviolabiliter sunt observanda.

5. *De Scholis per singulas urbes habendis.*

Inter nos pari consensu decrevimus, ut unusquisque Episcoporum in scholis habendis & ad utilitatem Ecclesiæ militibus Christi præparandis & educandis, ab hinc majus studium adhiberet, & in hoc uniuscujusque studium volumus probare, ut quando ad provinciale Episcoporum concilium ventum fuerit, unusquisque rectorum scholasticos suos eidem concilio adesse faciat, quatenus & cæteris Ecclesiis noti sint, & ejus solers studium circa divinum cultum omnibus manifestum fiat.

6. *Quod ab Episcopis jejunis impositio manuum fieri oporteat.*

Ut Episcopi non nisi jejuni per impositionem manuum Spiritum sanctum tradant, exceptis infirmis & morte periclitantibus. Sicut autem duobus temporibus, Pascha videlicet & Pentecoste, baptismum, ita etiam traditionem sancti Spiritus à jejunis pontificibus convenit celebrari.

7. *Ut nullus presbyterorum missam solus celebrare præsumat.*

Visum etiam nobis fuit illud inhibendum, ut nullus presbyterorum solus Missam celebrare præsumat, quia ita nec verba Domini saluatoris, quibus mysteria corporis & sanguinis suis Discipulis celebranda contradidit, nec Pauli documenta declarant, nec etiam in ipsis actis Apostolorum, si enu-

cleatim legantur, ita fieri debere ullo modo invenitur. Unde conveniendus, imo interrogandus nobis videtur hujusmodi corporis & sanguinis Domini solitarius consecrator, quibus dicat *Dominus vobiscum* & à quo illi respondeatur, *Et cum spiritu suo*: vel pro quibus supplicando Domino inter cætera, Memento Domine & omnium circum astantium, cum nullus circumstet, dicat. Quæ consuetudo, quia Apostolicæ & Ecclesiasticæ auctoritati refragatur, & tanto mysterio quandam dehonorationem irrogare videtur, omnibus nobis in commune visum est, ut deinceps hujuscemodi usus inhibeatur.

8. *Ut in unaquaque Ecclesia, proprius presbyter habeatur.*

Sæpe namque in aliis conciliis, & nunc in nostris conventibus constitutum est, ut unaquæque Ecclesia, si facultas suppetit, proprium habeat presbyterum; & unusquisque presbyter una tantum sit contentus Ecclesia.

9. *Ut in die Dominica rurale opus non fiat.*

Inter cætera vero admonitionis nostræ officia, satis illud necessarium visum est, ut populis fidelibus terribiliter denuncietur, ut diem Dominicam, in qua auctor vitæ resurrexit à mortuis, honorabiliter & venerabiliter colant. Nam si pagani ob memoriam & reverentiam Deorum suorum dies colere, & Judæi more carnali Sabbatum carnaliter observare satagunt, quantomagis Christianæ religionis devotio ob memoriam Dominicæ resurrectionis eundem diem venerabiliter atque honorabiliter colere debet? Multi namque nostrorum visu, multi etiam quorundam relatu didicimus quosdam in hoc die opera ruralia exercentes, fulmine interemptos, quosdam artuum contractione multatos, quosdam etiam visibili igne absumptos subito in cinerem resolutos pœnaliter occubuisse. Proinde necesse est, ut primum sacerdotes, reges & principes, cunctique fideles huic diei debitam observationem atque reverentiam devotissime exhibeant.

10. *De missarum celebrationibus in locis incongruentibus minime agendis.*

Illud etiam quanquam sæpe admonitum sit iterum inculcandum populisque denunciandum summopere visum fuit, ut missarum celebrationes in locis incongruentibus fieri omnino non debeant. Et necesse est ut unusquisque Episcoporum hujuscemodi temerariam consuetudinem à parochia sua penitus amoveat. Et si quis presbyterorum ab hinc, excepto quando in itinere pergitur, & locus basilicæ procul est, & ideo in altaribus ab Episcopo consecratis fieri necessitas compellit, ne populus Dei sine missarum celebratione & corporis & sanguinis Dominici perceptione maneat: missarum celebrationes in hujusmodi illicitis locis post tot tantasque prohibitiones facere attentaverit, dignum est ut gradus sui periculum incurrat. Satius igitur est Missam non audire, quam eam, ubi non licet nec oportet, celebrare aut audire.

11. *Quod presbyteri inconsultis Episcopis viduas velare non debeant.*

Quia ergo quod sæpe in nostris conciliis prohibitum est, Viduas inconsultis Episcopis velari non debere, & eandem constitutionem à quibusdam prævaricari nunc cognovimus, prorsus ne deinceps fieret, interdiximus; Ut si quispiam presbyterorum deinceps hujus constitutionis contumacitor transgressor extiterit, scilicet ut aliquam viduam inconsulto Episcopo velare præsumat, gradus sui periculum incurrat.

12. *De puellis virginibus à presbyteris non velandis.*

Similiter & de puellis virginibus à presbyteris non velandis inhibuimus, in qua re hactenus multos presbyterorum partim temeritate deliquisse deprehendimus.

13. *Quod quædam fœminæ sibi velum absque sacerdotum consensu imponunt.*

Deprehendimus & aliam negligentiam, eo quod quædam fœminæ sine consensu sacerdotum velum sibimet imponant, quod similiter ne ulterius fieret, inhibuimus.

14. *De Abbatissis & sanctimonialibus, quæ contra canones viduis & puellis velum imponunt.*

Nihilominus etiam in quibusdam locis inolitum invenimus usum stultitiæ plenum, & Ecclesiasticæ auctoritati contrarium, eo quod videlicet nonnullæ abbatissæ & aliquæ ex sanctimonialibus, viduis & puellis virginibus contra fas velum imponere præsumant, & ideo nonnullæ taliter velatæ, putant liberius suis carnalibus desideriis posse vacare & suas voluntates explere. Quapropter statuimus, ut si aut abbatissa aut quælibet sanctimonialis post hanc diffinitionem in tantam audaciam proruperit, ut aut viduam aut puellam virginem velare præsumat, judicio canonico usque ad satisfactionem subdatur.

15. *De fœminis nobilibus quæ post mortem virorum suorum, statim capita velant.*

De nobilibus fœminis, quæ amissis viris repente velantur, & in propriis domibus diversas necessitates opponentes residere delectantur, de quibus in aliis conventibus jam dudum ventilatum & definitum est, majori solertiqoe studio admonendas esse & instruendas ab Episcopis statuimus, quatenus suæ saluti consulant, ne sic indiscrete vivendo & propria noxiaque libertate utendo, & per diversa vagando periculum animarum suarum incurrant, semper illud Apostolicum ante oculos habentes quo dicitur: Vidua quæ in deliciis est, vivens mortua est.

16. *Ut nullus canonicorum vel monachorum. nisi prædicationis aut alicujus certæ necessitatis causa, & hoc, licentia Episcopi, vel qui ab eo sua vice fungitur, monasterium monacharum aut canonicarum adire præsumat.*

Quia etiam comperimus quosdam canonicos & monachos postposito religionis suæ pudore monasteria sanctimonialium tam monacharum quam canonicarum inconsulto Episcopo suo imprudenter atque irreverenter adire, qui obtendere solent se non ob aliud illuc accedere, nisi aut propinquitatis, aut familiaritatis, aut certe nescio cujus collocutionis gratia: Quod factum quia nec canonico nec

monastico

monastico congruit proposito, prorsus interdicimus, nisi forte causa prædicationis, aut certe inevitabilis necessitas id facere coegerit: & hoc nullatenus sine licentia Episcopi aut illius qui vice illius fungitur, fieri præsumatur. Quod si sermo prædicationis faciendus est, congruo in loco coram omnibus fiat: Si vero colloquendum cum aliqua sanctimonialium ratio expostulat, id non alibi nisi in constituto loco, id est, in auditorio, sub testimonio virorum religiosorum & religiosarum fœminarum fiat. Quando vero sacerdotibus in monasteriis puellaribus Missarum celebrationes faciendæ sunt, cum ministris sibi deputatis illuc ingrediantur: quibus rite peractis non ad secretas collocutiones sanctimonialium se ullo modo divertant, sed cum ministris suis illico egrediantur. Porro si sacerdotibus sanctimoniales peccata sua confiteri voluerint, id non nisi in Ecclesia coram sancto altari, adstantibus haud procul testibus, faciant. Si autem infirmitas præpedierit, aut in Ecclesia eadem confessio fieri nequeat, in quacumqualibet domo facienda est, non nisi testibus similiter haud procul adstantibus fiat. Nullo modo quippe videtur nobis convenire, ut monachus relicto monasterio suo idcirco sanctimonialium monasteria adeat, ut confitentibus peccata sua modum pœnitentiæ imponat.

17. *Quod pecunia à paupere non sit exigenda cum usura.*

Quia ergo in multimodis usurarum adinventionibus quosdam clericos & laicos oblitos præceptionis Dominicæ, qua dicitur, Pecuniam tuam non dabis ad usuram; & frugum superabundantiã non exiges, ego Dominus Deus vester; in tantam turpissimi lucri rabiem exarsisse cognovimus, ut in multiplicib. atque innumeris usurarum generibus sua adinventione & cupiditate repertis, pauperes affligant, opprimant & exhauriant, adeo ut multi fame confecti pereant, multi etiam propriis derelictis alienas terras expetant, in quibuscunque locis hoc fieri didicimus, ne ulterius fieret cum ingenti protestatione modis omnibus inhibuimus: attendentes illud, quod in libro Exodi Dominus per legislatorem dicit: Si pecuniam tuam dederis populo meo pauperi qui habitat tecum, non urgeas eum quasi exactor, nec usuris opprimas. In libro quoque Levitici; Si attenuatus fuerit frater tuus & infirmus manu & susceperis eum quasi advenam & peregrinum, & vixerit tecum, non accipias ab eo usuram, nec amplius quam dedisti. Time Dominum deum tuum, ut vivere possit frater tuus apud te. Et in libro Deuteronomii; Si unus, inquit, de fratribus tuis qui morantur intra portas civitatis tuæ in terra quam Dominus Deus daturus est tibi, ad paupertatem venerit, non obdurabis cor tuum, nec contrahes manum, sed aperies eã pauperi, & dabis mutuum quo indigere eum perspexeris. Item in eodem: Cave ne forte subrepat tibi impia cogitatio, & dicas in corde tuo, Appropinquat septimus annus remissionis, & avertas oculos à paupere fratre tuo, nolens ei mutuum quod postulat, commodare, ne clamet contra te ad Dominum, & fiat tibi in peccatum, sed dabis ei, nec ages quidpiam callide in ejus necessitatibus sublevandis, ut benedicat tibi Dominus Deus tuus in omni tempore in cunctis ad quæ manum miseris. Amos Propheta ait, Audite hoc qui conteritis pauperem & deficere facitis egenos terræ dicentes: Quando transibit messis & venundabimus merces, & sabbatum & aperiemus frumentum ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos, & pauperes pro calciamentis, & quisquilias frumenti vendamus. Hieronymus in expositione Ezechielis Prophetæ: Putant quidam usuram tantum esse in pecunia, quod prævidens Scriptura, omnis rei aufert superabundantiam, ut plus non recipias quam dedisti. Solent in agris frumenti & milii, vini & olei cæterarumque specierum usuræ exigi, sive, ut appellat sermo divinus, superabundantiæ, verbi gratia, ut hyemis tempore demus decem modios, & in messe recipiamus quindecim, hoc est, amplius parte media, qui justissimum si putaverit quartam plus accipiet portionem. Et solent argumentari ac dicere: Dedi unum modium, qui satus fecit decem modios, nonne justum est ut medium modium de meo plus accipiam, cum illa mea liberalitate novem & semis de meo habeat. Noli errare, inquit Apostolus, Deus non irridetur. Respondeat enim nobis breviter fœnerator misericors, utrum habenti dederit, an non habenti; habenti utique dare non debuerat: sed dedit quasi non habenti: ergo quare plus exigit quasi ab habente? Alii pecunia fœnerata solent munuscula accipere diversi generis, & non intelligunt usuram appellari & superabundantiam quicquid illud est, si ab eo quod dederint plus acceperint. De mensuratum namque iniquæ qualitate & modiis injustis & sextariis quæ Domini lege habere prohibentur, qualiter res ad certam correctionem perduci possit, non satis perspicue nobis patet, eo quod in diversis provinciis, diversæ ab omnibus pene habeantur. hoc tamen modis omnib. optamus & admonemus, ut saltem nullus duplices mensuras in sua dominatione aut habeat aut haberi permittat: quoniam hac occasione multos pauperes affligi in plerisque locis cognovimus.

18. *De diversis malorum flagitiis.*

Sunt sane diversorum malorum patratores, quos & lex divina improbat & condemnat, pro quorum etiam diversis sceleribus & flagitiis populus fame & pestilentia flagellatur, & Ecclesiæ status infirmatur, & regnum periclitatur. Contra quos nos eorum malitiam exaggerantes, quanquam in sacris eloquiis satis sint execrata, necessarium prævidimus iterum nostra admonitione & exhortatione præcaveri omnino oportere: sicut sunt diversarum pollutionum patratores, quas cum masculis & pecoribus nonnulli diversissimis modis admittunt, quæ incomparabilem dulcedinem piissimi Creatoris ad amaritudinem provocantes, tanto gravius delinquunt, quanto contra naturam peccant: pro quo etiam scelere igne cœlesti conflagratæ infernique hiatu absorptæ sunt civitates, necnon & quadraginta & eo amplius millia stirpis Benjaminæ mucrone fraterno confossa sunt. Hæc porro judicia & evidentes vindictæ declarant, quam detestabile & execrabile apud divinã majestatem hoc vitium extet. Extat & alia perniciosissima mala, quæ ex ritu gentiliũ remansisse nõ dubiũ est, ut sunt magi, arioli, sortilegi, venefici, divini, incantatores, somniorum conjectores, quos divina lex irretractabiliter puniri jubet.

set. De quibus in lege dicitur: Anima quæ declinaverit ad magos, & ariolos, & fornicata fuerit cum eis ponam faciem meam contra eam, & interficiam illam de medio populi sui. Sanctificamini & estote sancti, quia ego sanctus sum Dominus Deus vester, custodite præcepta mea, & facite ea, quia ego Dominus qui sanctifico vos. Et alibi: Magos, & ariolos, & maleficos terræ vivere ne patiamini. Dubium etenim non est, sicut multis est notum, quod quibusdam præstigiis atque diabolicis illusionibus ita mentes quorundam inficiont poculis amatoriis, cibis, vel philacteriis, ut in insaniam versi à plerisque judicentur, dum proprias non sentiunt contumelias. Fuerunt enim suis maleficiis aera posse conturbare & grandines immittere, futura prædicere, fructus & lac auferre, aliisque dare, & innumera à talibus fieri dicuntur. Qui ut fuerint hujusmodi reperti viri seu fœminæ in tantum disciplina & vigore principis acrius corrigendi sunt, in quantum manifestius ausu nefando ac temerario servire Diabolo non metuunt. De his quoque in concilio Ancyritano titulo XXIII. ita scriptum est: Qui divinationes expetunt, & more gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujuscemodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica aut expiandi causa, sub regula quinquennii jaceant secundum gradus pœnitentiæ definitos. Oportet enim hæc in omnibus, & maxime in his locis ubi licite & impune multi se posse aut perpetrare hoc confidunt, ut studiosius & diligentius admoneantur, & severius corrigantur.

19. *De aliis vitiis quæ in usu quasi per naturam habentur.*

Sunt & alia detestanda vitia quæ ita habentur quasi naturaliter in usu, ut ea perpetrantes quanti sunt discriminis non advertant, sicut sunt ea quæ Apostolus apertè enumerat, id est, ebrietates, comessationes, contentiones, iræ, rixæ, dissensiones, detractiones, invidiæ, inimicitiæ, quæ homines, juxta eundem Apostolum, à regno Dei excludunt, ita loquentem: Qui enim talia agunt, regnum Dei non consequuntur. In tantum enim ea impudenter & fidenter quidam committunt, ut merito de illis dici possit, Lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis. Unde oportet ut omnes Christiani hæc & subtiliter intelligant, & studiosissime caveant; ne forte ea perpetrantes, & alia bona quæ agunt perdant, & propter hoc à regno Dei se alienos faciant. Similiter etiam de ocioso sermone pro quo juxta Domini vocem omnes reddituri sumus in die judicii rationem. De scurrilitate & stultiloquio & maledictionibus, quoniam juxta Apostolum, maledicentes regnum Dei non possidebunt. De mendacio, de periculoso noxio, assiduoque juramento & obscœnis turpibusque canticis, omnibus Christianis intelligendum & observandum est, ut summopere ab his se caveant, ne his studentes per negligentiam detrimentum, quod absit, suarum patiantur animarum. Hæc igitur quæ breviter præmissa sunt primum adjuvante divina gratia à nobismetipsis abdicando, formam & exemplum aliis præbere volumus, & fidelibus nostris humiliter innotescere, & fideliter denunciare necessario judicavimus; sed & per parochias nostras omnes admonendo instruere cupimus, ne, quod absit, per suam ignorantiam & nostram negligentiam hujuscemodi mortiferis subjaceant vitiis.

20. *Ut laici uxores sola causa filiorum habere debeant.*

Congessimus etiam in opere conventus nostri nonnulla alia capitula ad laicorum fidelium observationem & salutem pertinentia, quorum hic omissâ prolixitate mentionem tantum facimus, scilicet, quod nosse eos oporteat conjugium à Deo esse constitutum, & quod non sit causâ luxuriæ sed causa potius filiorum appetendum: & ut virginitas, sicut doctores nostri tradunt, usque ad nuptias sit custodienda, & ut uxores habentes, neque pellicem neque concubinam habere debeant. Quomodo etiam in castitate uxores suas diligere, eisque ut pote vasi infirmiori honorem debitum debeant impendere, & quod commixtio carnalis cum uxoribus gratia fieri debeat prolis, non voluptatis, & qualiter à coitu prægnantium uxorum viris abstinendum sit, nec non & qualiter menstruo tempore viris ab uxoribus suis abstinendum sit, & quod nisi causa fornicationis, ut Dominus ait, non sit uxor dimittenda, sed potius sustinenda, & quod hi qui causa fornicationis dimissis uxoribus suis alias ducunt, Domini sententia adulteri esse notentur, sive etiam qualiter incesta Christianis cavenda sint, & quod loca Deo dicata frequentius devotiusque à fidelibus ad Deum exorandum; sibique propitium faciendum sint adeunda. Et quod in basilicis Deo dicatis non sit fabulis otiosis, turpibusque & obscœnis sermocinationibus vacandum, & negotia secularia publicaque placita habenda, & quod qui hæc in Ecclesiis Dei faciunt, majora sibi peccata accumulent. De justo judicio judicando & munerum acceptione, cavenda. De falso testimonio vitando, & de detractione vitanda. Necnon & cæteris quæ longum est dinumerare. Sunt etiam alia plura flagitia pernecessario corrigenda, quæ nos ideo hic inserere non necessarium duximus, quoniam satis evidenter in vestris capitulis ea comprehensa esse scimus, quæ vos vestra auctoritate & fidelium consultu per strenuos missos vestros corrigenda esse censuistis. Hæc nos fideles & devotissimi famuli & oratores vestri, juxta parvitatem sensus nostri, prout brevitas temporis permisit, secundum sanctam ordinationem vestram, de his quæ ad nostram & consacerdotum, subjectorumque nostrorum correctionem & emendationem pertinere perspeximus, necnon & de his, quæ populis necessario annuncianda & admonenda prævidimus, illud etiam, quod vestræ pietati deposcendum modo judicavimus, pauca de multis quæ in nostris conventibus gesta sunt, excerpentes, in unum redigendo succincte & ordinatim adnotavimus: sed quamquam ordine præpostero de his quæ præmissa sunt, vestro ardentissimo desidero prius satisfacere elegerimus, illud tamen quod in capite prius ponendum fuerat, & ad vestram specialiter personam ministeriumque pertinere cognovimus, nullatenus oblivioni tradidimus, sed potius vestræ saluti prospicientes

ſpicientes, nonnulla capitula neceſſaria fideliter collegimus, & vobis familiatiter admonitionis gratia porrigenda devovimus, ut aperte atqoe diſtincte inſpiciendo, legendo, & audiendo veſtra cognoſcere poſſit ſolertia, de quibus & pro quibus in memoratis cooventibus noſtris ſecundum virium poſſibilitatem ooſtrarum fideliter egerimus.

21. *De Regis vocabulo, & qualis eſſe debeat ipſe.*

Ut quid Rex dictus ſit, Iſidorus in libro Sententiarum ſcribit: Rex enim, inquit, à recte agendo vocatur, ſi enim pie & juſte & miſericorditer agit, merito Rex appellatur: ſi his caruerit, non Rex, ſed tyrannus eſt. Antiqui autem, ut idem Iſidorus in libro Etymologiarum ſcribit, omnes Reges tyrannos vocabant, ſed poſtea pie & juſte, & miſericorditer regentibus, Regis ſunt nomen adepti: impie vero, injuſte, crudeliterque principantibus non Regis, ſed tyrannicum aptatum eſt nomen. Unde & Beatus Gregorius ait in Moralibus: viros nanque ſanctos proinde Reges vocari in ſacris eloquiis didicimus, eo quod recte agant ſenſusque proprios bene regant, & motus reſiſtentes ſibi rationabili diſcretione componant. Recte igitur illi Reges vocantur, qui tam ſemetipſos, quàm ſubjectos bene regendo pacificare noverunt. Ad quid eriam conſtitutus ſit imperaror, Fulgentius in libro de veritate prædeſtinationis & gratiæ ſcribit. Clementiſſimus quoque Imperator, non ideo eſt vas miſericordiæ præparatum in gloria, quia apicem terreni principatus accepit, ſed ſi in imperiali culmine recta fide vivat, & vera cordis humilitate præditus, culmen regiæ dignitatis ſanctæ religioni ſubjiciat, ſi magis in timore ſervire Deo, quàm in timore dominari populo delectetur, ſi in eo levitas iracundiam mitigat, ornat benignitas poteſtatem, ſi ſe magis diligendum quàm metuendum cunctis exhibeat, ſi ſubjectis ſalubriter conſulat, ſi juſtitiam ſic teneat, ut miſericordiam non relinquat, ſi præ omnibus ita ſe ſanctæ matris Eccleſiæ Catholicæ meminerit filium, ut ejus paci atq; tranquillitati per oniverſum mundum prodeſſe ſuum faciat principatum. Magis enim Chriſtianum regitur ac propagatur imperium dum Eccleſiaſtico ſtatui per omnem terram conſulitur, quàm cum in parte quacunque terrarum pro temporali ſecuritate pugnatur. Unde & Iſidorus ſcribit: Principes namque ſæculi nonnunquam intra Eccleſiam poteſtatis adeptæ culmina tenent, ut per eandem poteſtatem diſciplinam Eccleſiaſticam muniant. Cæterum intra Eccleſiam poteſtates neceſſariæ non eſſent, niſi ut quod non prævalet ſacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas hoc imperet per diſciplinæ terrorem. Sæpe per regnum terrenum cœleſte regnum proficit, ut qui intra Eccleſiam poſiti contra fidem & diſciplioam Eccleſiæ agunt, rigore principum conterantur, ipſamque diſciplinam, quam Eccleſiæ utilitas exercere non prævalet cervicibus ſuperborum poteſtas principalis imponat. Salomon in Proverbiis, Miſericordia & veritas cuſtodiunt Regem, & roborabitur clementia thronus ejus.

22. *De miniſterio regalis quale ſit.*

Regale namque miniſterium ſpecialiter eſt, populum Dei gubernare & regere cum æquitate & juſtitia, & ut pacem & coocordiam habeant, ſtudere. Ipſe enim debet primo defenſor eſſe Eccleſiarum & ſervorum Dei, viduarum, orphanorum, cæterorumque pauperum, necnon & omnium indigentium. Ipſius enim terror & ſtudium hujuſmodi in quantum poſſibile eſt, eſſe debet primo, ut nulla injuſtitia fiat, deinde ſi evenerit, ut nullo modo eam ſubſiſtere permittat, nec ſpem deliteſcendi ſive audaciam male agendi cuiquam relinquat: ſed ſciant omnes, quoniam ſi ad ipſius notitiam pervenerit quidpiam mali quod admiſerint, nequaquam incorrectum aut inultum remanebit, ſed juxta facti qualitatem erit & modus correctionis. Unde oportet, ut ipſe, qui judex eſt judicum, cauſam pauperum ad ſe ingredi faciat, & diligenter inquirat, ne forte illi, qui ab eo conſtituti ſunt, & vicem ejus agere debent in populo, injuſte aut negligenter pauperes oppreſſiones pati permittant. Scire autem & unumquemque cujuslibet ſit ordinis oportet, quia ſi de otioſo ſermone Deo rationem redditurus eſt, multo magis de miniſterio ſibi divinitus commiſſo. De miniſterio autem Regis ita Job loquitur, Quomque ſederem quaſi Rex circumſtante exercitu, eram tamen mærentium conſolator, auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi, quod liberaſſem pauperem vociferantem & pupillum cui non eſſet adjutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Juſtitia indutus ſum, & veſtivit me ſicut veſtimento & diademate judicio meo. Oculus fui cæco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Salomon Rex qui ſedet in ſolio judicii, diſſipat omne malum intuitu ſuo. Item idem in libro Sapientiæ: Diligite juſtitiam qui judicatis terram, ſentite de Domino in bonitate: in ſimplicitate cordis quærite illum. Item ibi: Audite ergo Reges & intelligite, diſcite judices finium terræ. Præbete aures vos qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data eſt à Domino poteſtas vobis, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur, quoniam cum eſſetis miniſtri ejus, non recte judicaſtis neque cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis, horrende & cito apparebit vobis Dominus, quoniam judicium duriſſimum in his qui præſunt, fiet. Exiguo enim conceditur miſericordia, potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Dominus, nec reverebitur cujuſquam magnitudinem: quoniam puſillum & magnum ipſe fecit, & æqualiter pro omnibus cura eſt illi. Extant & alia innumera ſanctarum Scripturarum teſtimonia, regio nomini & officio convenientia, ſuper quibus colligendis veſtra ſancta devotio idcirco magnum nobis ademit laborem, eo quod divina gratia adeo tot virtutum prærogativis veſtrum repleverit animum, & exornaverit dignitatem, ut non ſit neceſſe ſacerdotibus Domini copioſioribus exemplis qualibet exaggeratione veſtrum animum onerare. Quare

Deo

Deo omnipotenti gratias uberrimas ac moltiplices referimus, qui ita vos pia religione, sancta devotione, benigna humilitate, amore justitiæ, operibus misericordiæ, cæterarumque sanctarum virtutum perfectione sua gratuita pietate ditavit, ut merito ab omnibus amandi & imitandi sitis. Verum quod nos si hæc vobis cælitus attributa non fuissent, cum temporali periculo propter auctoritatem ministerii nostri vos ad ea peragenda admonere, imo admonendo exigere à vobis quoquo modo debueramus. Vos è contra propter divinum amorem & honorem & admonendo nos ad potiora provocatis, & piom oportunumque adjutorium nobis ferre devotissime curatis. Proinde humillimis precib. specialiter pietati vestræ suggerimus, ut bonum quod cœpistis Deo opitulante indesinenter perficere non gravemini, & adimplendis operib. justitiæ & pietatis ac misericordiæ nullatenus deficiatis: quoniam non inchoantibus, sed perficientibus præmium æternæ vitæ datur. Et juxta veritatis vocem: Qui perseveraverit usque in finem hic saluus erit.

23. *Quod in eligendis & constituendis Ecclesiæ rectoribus Regem magnam diligentiam adhibere oporteat.*

Iterum monendo magnitudini vestræ suppliciter suggerimos ut deinceps in bonis pastoribus rectoribusque in Ecclesiis Dei constituendis magnom studium atque solertissimam adhibeatis curam, Quia si aliter factum fuerit, & ordo Ecclesiasticus suam non habebit dignitatem & religio Christiana in multis labefactando damna detrimenti sui patietur, & animæ vestræ, quod non optamus, periculum generabitur.

24. *De Abbatissis constituendis.*

Similiter deposcimus ut in Abbatissis constituendis vestrum specialiter caveatis periculum, sicut vobis sæpe est admonitum, & per divinam auctoritatem crebrius manifestatum.

25. *De adjutoribus reipublicæ & ministris eligendis.*

Sed & hoc obsecramus, ut in eligendis adjutoribus vestris & reipublicæ ministris qui vice vestra populum Dei regere & gubernare atque judicare debent, solertissimam providentiam habeatis, semper illod attendentes quod in libro Exodi ad Moysen dicitur, Provide, inquit, de omni populo viros potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas & qui oderint avaritiam, & constitue ex eis tribunos & centuriones & quinquagenarios qui judicent populum omni tempore. Quicquid autem majus fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo judicent, leviusque tibi sit partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Domini & præcepta ejus poteris sustentare. Vnde & in libro Deuteronomii: judices, inquit, & magistros constitues in omnibus portis tuis, quas Dominus Deus tuus dederit tibi per singulas tribus tuas, ut judicent populum justo judicio, nec in aliquam partem declinent. Item ibi: Dixique vobis in illo tempore: Non possum solus sustinere vos, quoniam Dominus Deus vester multiplicavit vos & estis hodie sicut stellæ cœli plurimæ: Dominus Deus patrum vestrorum addat ad huoc numerum multa millia, & faciat vobis sicut locutus est. Non valeo solus vestra negotia sustinere, & pondus & jurgia, date è vobis viros sapientes & gnaros & quorum conversatio sit probata in tribubus vestris. Sed & io libro Paralipomenon ita legitur: Constituitque Rex Josaphat judices terræ in cunctis civitatibus Juda munitis per singula loca, & præcipiens judicibus, Videte, ait, quid facitis, non enim hominis exercetis judicium, sed Domini: & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit, sit timor Domini vobiscum & cum diligentia cuncta facite. noo enim est apud Dominum Deum vestrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec copido munerum. Rogamus etiam vestram pietatem propter divinam misericordiam, vestramque salotem ac totius populi utilitatem, nec non & regoi honorem atque stabilitatem, ut vestra pietas solertissimam vigilantiam adhibeat, quatenus consiliarii & dignitatis vestræ ministri costodesque animæ vestræ & corporis, qoi debent esse intra regnum aliis decus & bonitatis exemplum, & in exteris nationibus bonæ opinionis condimentum, charitatem, pacem atque concordiam omni simulatione & calliditate postposita adinvicem habeant ut secundum Dei voluntatem & vestram honestatem atque totius regni profectum communiter decertent & viri vobis adjutores io omnibus concorditer existant: Tunc enim veri consiliarii verique adjutores vestri & totius regni salubriter esse poterunt, si unanimes extiterint, & invicem dilectionem habuerint, decet quippe ut sacra domus vestra cunctis spectabilis appareat & imitabilis existat, & fama suæ bonæ opinionis sive alios imperii vestri subjectos, sive exteras nationes abundantissime perfundat. Ubi igitur omnes dissensiones & discordiæ dirimendæ, & omnis militia imperiali auctoritate est comprimenda, necesse est, ut quod in aliis corrigere decernit, in ea minime reperiatur. Nam & hoc humiliter obsecrando admonemus, ut liberos vestros quos vobis divina pietas largiri voluit, in timore Dei jugiter diligenterque erudiatis, sicuti & facitis, & ut in mutuæ dilectionis charitate & fraternitatis amore atque uoanimitatis concordia vicissim consistant sedula paternaque admonitione insistatis, & ne illicitis actibus creatoris sui offensam incurrant, provida solertique circumspectione nihilominus invigiletis, attendentes beatum Job cujus studium, ut Beatus Gregorius in moralibus libris scripsit, circa filios erudiendos tale extitit, ut non solum eos externus perfectos opere & sermone efficeret, verum etiam eorum borda sacrificii oblatione mundaret. Attendite etiam & David instru-

entem Salomonem filium suum, de quo in primo libro Malachim legitur: Ego (inquit) ingredior viā universæ terræ, confortare & esto, vir fortis, & observa custodias Domini Dei tui, ut ambules in viis ejus & custodias ceremonias ejus, & judicia ejus, & præcepta & testimonia, sicut scriptum est in lege Moysi. & in libro Paralipomenon: Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui, & servi ei corde perfecto, & animo voluntario. Attendite etiam Tobiam de quo legitur, quod cum factus esset vir accepit uxorem Annam ex tribu sua, & genuit ex ea filium, nomen suum imponens ei, quem ab infantia timere Deum docuit & abstinere ab omni peccato. Item idem alloquens eundem filium suum: Omnibus (inquit) diebus vitæ tuæ habeto Deum in mente, & cave ne aliquando peccato consentias & prætermittas præcepta Dei nostri. Ex substantia tua fac Eleemosynam, & noli avertere faciem tuam ab ullo paupere: Ita enim fiet, ut nec à te avertatur facies Domini. Quomodo potueris, ita esto misericors, &c. Item paulo post: Attende tibi fili ab omni fornicatione, & præter uxorem tuam nequaquam patiaris crimen scire, superbiam nunquam in tuo sensu aut in tuo corde dominari permittas. Ex ipsa enim initium sumpsit omnis perditio. Et idem non post multa: Consilium semper à sapiente perquire, omni tempore benedic Deo, & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant. Item idem: Audite ergo filii mei patrem vestrum, servite Domino in veritate, & inquirite ut faciatis quæ sunt placita illi, & filiis vestris mandate ut faciant justitias & eleemosynas, & ut sint memores Dei & benedicant eum in omni tempore in veritate & in tota virtute sua. His omnibus prælibatis notescimus vobis quod ea quæ in capitulis vestris nobis tractanda commisistis, scilicet, quid à principibus & reliquo populo vel ita ut divina auctoritas doceat aut aliter teneatur, vel quid inde ex parte aut ex toto dimissum sit & non teneatur, fatemur quia in his capitulis quæ superius continentur, necnon & in his quæ præsenti anno conscribi, & per missos vestros ob vitia comprimenda per imperium vestrum direxistis multa demonstrata sunt quæ à pastoribus Ecclesiarum & à principibus & à reliquo populo hactenus neglecta extiterunt & aliter quam divina auctoritas se habet, in his eos egisse & agere novimus. Sed si hæc nostra sacerdotalis admonitio effectum Deo operante per vestrum bonum studium ab hinc obtinuerit, credimus quod multa quæ à multis aliter quam divina auctoritas se habeat dimissa sunt, quæ non tenebant, corrigentur. Nam & illud quod in eisdem capitulis continetur, ut manifestum fieret quæ causæ id effecerint ut sacerdotes & principes à recto tramite deviassent, exceptis præmissis capitulis in quibus, sicut diximus, multa negligebantur, specialiter tamen unum obstaculum ex multo tempore jam inolevisse cognovimus, id est, quia & principalis potestas diversis occasionibus intervenientibus, secus quam auctoritas divina se habeat in causas Ecclesiasticas prosilierit, & sacerdotes partim negligentia partim ignorantia in cupiditate, in secularibus negotiis & sollicitudinibus ultra quam debuerant se occupaverint, & hac occasione aliter quam divina auctoritas doceat, in utraque parte actum extitisse dubium non est. Sed quia Deo miserante à progenitoribus & genitore vestro, & à vobis multa correcta gratulamor, si ea quæ admonemus prosperum successum habuerint, credimus quod ad perfectionis statum, vestra intentio nostraque devotio, Deo cooperante pervenire possit. Veruntamen quia novimus statum hujus regni sub tali conditione & tenore crevisse atque dilatatū esse, à prudentissimis sanctisque prædecessoribus vestris, sive scilicet ab Episcopis, sive à principibus hanc causam ex toto correctam non fuisse propter hæc quæ suo tempore dici possunt, & pondus tantæ considerationis parvitatis nostræ vires excessit, quoniam nec otium nec spatium temporis, nec plenitudinem consacerdotum nostrorum, sicut ipsa necessitas exposcebat, habuimus. Ideo hæc congruentiori & aptiori tempori, vita comite, si Deus ita annuerit, tractanda ac consideranda distulimus, quoniam tantæ considerationis perfectio indiget assensu & adjutorio principum & multitudine atque devotione necnon & studio sacerdotum & obedientia vel concordia populi & congruentia loci temporisque spacio. Porro de Episcopali libertate quam Deo annuente vestroque adminiculo suffragante adipisci ad Dei servitium peragendum cupimus, suo in tempore vobis dicenda atque vobiscum conferenda reservavimus, quatenus ita fit ut & nosmetipsos saluare populoque nobis subjecto utiliter prodesse, atque pro vobis & stabilitate imperii vestri liberius valeamus exorare, & de vestris obsequiis & regni adjutorio solatium debitum minime subtrahatur, sed si possibile fuerit, potius augeatur.

LUDO-

LUDOVICI PII IMPERATORIS AUGUSTI, ET LOTHARII CÆSARIS

CAPITULARE,

Statutum in Comitiis Theodonis villanis Anno DCCCXXI.

Anno Christi 821.

PRÆFATIO.

Omnibus vobis aut visu aut auditu notum esse non dubitamus, quia genitor noster, & progenitores postquam à Deo ad hoc electi sunt, in hoc præcipue studuerunt, ut honor sanctæ Dei Ecclesiæ, & status regni decens maneret. Nos etiam juxta modum nostrum eorum sequentes exemplum, sæpe vestram devotionem de his admonere curavimus, & Deo miserante multa jam emendata & correcta videmus. Unde & Deo justas laudes persolvere, & vestræ bonæ intentioni multimodas debemus gratias referre.

2. *De divina providentia in constitutione Domini Imperatoris, & de conservatione trium Capitulorum.*

Sed quoniam complacuit divinæ providentiæ nostram mediocritatem ad hoc constituere, ut sanctæ suæ Ecclesiæ & regni hujus curam geremus, ad hoc certare & nos & filios ac socios nostros diebus vitæ nostræ optamus, ut tria specialiter capitula, & à nobis & à vobis, Deo opem ferente, in hujus regni administratione specialiter conserventur, id est, ut defensio & exaltatio vel honor sanctæ Dei Ecclesiæ, & servorum illius congruus maneat: & pax & justitia in omni generalitate populi nostri conservetur. In his quippe maxime studere, & de his in omnibus placitis, quæ vobiscum Deo auxiliante habituri sumus, vos admonere optamus, sicut debitores sumus.

3. *De hoc quod admonitor fidelium Dominus Imperator sit, & omnes fideles adjutores ipsius.*

Sed quanquam summa hujus ministerii in nostra persona consistere videatur, tamen & divina auctoritate, & humana ordinatione ita per partes divisum esse cognoscitur, ut unusquisque vestrum in suo loco & ordine partem nostri ministerii habere cognoscatur. Unde apparet, quod ego omnium vestrum admonitor esse debeo, & omnes vos nostri adjutores esse debetis. Nec enim ignoramus quid unicuique vestrum in sibi commissa portione conveniat, & ideo prætermittere non possumus, quin unumquemque juxta suum ordinem admoneamus.

4. *De sacro ministerio Episcoporum, & de admonitione domni Imper. ad Episcopos.*

Sed quoniam scimus quod specialiter pertineat ad Episcopos, ut primum ad sacrum ministerium suscipiendum juste accedant, & in eodem ministerio religiose vivant, & tam bene vivendo, quam recte prædicando populis sibi commissis iter vitæ præbeant, & ut in monasteriis, in suis parochiis constitutis sancta religio observata fiat, unusquisque juxta suam professionem veraciter vivat, curam impendant: Omnes vos in hoc sacro ordine constitutos, & officio pastorali functos monemus atque rogamus, ut in hoc maxime elaborare studeatis, & per vosmetipsos, & per vobis subjectos, quantum ad vestrum ministerium pertinet, nobis veri adjutores in administratione ministerii nobis commissi existatis, ut in judicio non condemnari pro nostra & vestra negligentia, sed potius pro utrorumque bono studio remunerari mereamur. Et ubicunque per negligentiam abbatis aut abbatissæ, vel comitis sive vassi nostri, aut alicujus cujuslibet personæ, aliquod vobis difficultatis in hoc apparuerit obstaculum, nostræ dignoscentiæ id ad tempus insinuare non differatis, ut nostro auxilio suffulti, quod vestra auctoritas exposcit, famulante, ut decet, potestate nostra, facilius perficere valeatis.

5. *De admonitione Domni Imperatoris ad Episcopos de sacerdotibus ad eorum curam pertinentibus & de scholis.*

De sacerdotibus verò ad vestram curam pertinentibus magnum adhibete studium, ut qualiter vivere debeant, & quomodo populis ad suam portionis curam pertinentibus exemplo & verbo prosint, à vobis cum magna cura edoceantur & admoneantur, & id ut facere studeant vestra pontificali auctoritate constringantur. Quicquid autem in illis à populis juste reprehenditur in exemplo propriæ

conversationis, vestra providentia corrigere non neglegat. Ne vero Ecclesiæ illis commissæ in restauratione, aut in luminaribus juxta possibilitatem rerum ab illis negligantur, vestra nihilominus invigilare debet solertia. Et sicut alios prohibetis ne de mansis ad Ecclesiæ luminaria datis aliquid accipiant, sic & vos, & vestri archidiaconi de eisdem mansis nihil accipiendo aliis exemplum præbeatis: sed potius ad id, ad quod data sunt servire concedatur, ut totum sicut dictum est, in restauratione Ecclesiarũ & luminaribus vestra auctoritate & studio celere possit. Scholæ sane ad filios, & ministros Ecclesiæ instruendos vel edocendos, sicut à nobis præterito tempore ad Attiniacum promisistis, & vobis injunximus, in congruis locis, ubi necdum perfectum est, ad multorum utilitatem & profectum à vobis ordinari non neglegantur.

6. *De admonitione ad comites pro utilitate Sanctæ Dei Ecclesiæ.*

Vobis vero comitibus dicimus, vosque commonemus, quia ad vestrum ministerium maxime pertinet, ut reverentiam & honorem sanctæ Dei Ecclesiæ exhibeatis, & cum episcopis vestris concorditer vivatis, & ejus adjutorium ad suum ministerium peragendum præbeatis, & ut vos ipsi in ministeriis vestris pacem & justitiam faciatis, & quæ nostra auctoritas publice fieri decernit, in vestris ministeriis studiose perficere studeatis. Proinde monemus vestram fidelitatem, ut memores sitis fidei nobis promissæ, & parte ministerii nostri vobis commissi, in pace scilicet & justitia facienda, vosmetipsos coram Deo & coram hominibus tales exhibeatis, ut & nostri veri adjutores, & populi conservatores juste dici & vocari possitis: & nulla quælibet causa aut munerum acceptio, aut amicitia cujuslibet, vel odium, aut timor, vel gratia ab statu rectitudinis vos deviare compellat, quin inter proximum & proximum semper juste judicetis. Pupillorum vero & viduarum & cæterorum pauperum adjutores, & defensores, & sanctæ ecclesiæ vel servorum illius honoratores, juxta vestram possibilitatem sitis. Illos quoque qui temeritate & violentia in furtis & latrociniis, sive rapinis communem pacem populi perturbare moliuntur, vestro studio & correctione, sicut decet, compescite. Et si aliqua persona in aliquo vobis impedimento fuerit, quin ea, quæ dicimus facere non valeatis nobis ad tempus illud notum fiat, ut nostra auctoritate adjuti, ministerium vestrum digne adimplere possitis.

7. *De admonitione ad laicos pro honore Ecclesiastico conservando.*

Omnes vero laicos monemus, ut honorem Ecclesiasticum conservent, & dignam venerationem episcopis & Dei sacerdotibus exhibeant, & ad eorum prædicationem cum suis devote accurrant, & jejunia ab illis communiter indicta reverenter observent, & suos observare doceant & compellant: & ut etiam dies dominicus, sicut decet, & honoretur & colatur, omnes studeant: & ut liberius fieri possit, mercata & placita à comitibus, sicut sæpe admonitum fuit, illo die prohibeantur.

8. *De admonitione ad abbates & laicos pro monasteriis ex regali largitate sibi commissis.*

Abbatibus quoque & laicis specialiter jubemus, ut in monasteriis, quæ ex nostra largitare habent, episcoporum consilio & documento ea, quæ ad religionem canonicorum, monachorum, sanctimonialium pertinent, peragant: & eorum salubrem admonitionem in hoc libenter audiant & obediant.

9. *De admonitione ad Episcopos, abbates & ad omnes fideles pro Comitum adjutoriis.*

Episcopis iterum, abbatibus & vassis nostris, & omnibus fidelibus laicis dicimus, ut comitibus ad justitias faciendas adjutores sitis.

10. *De admonitione ad episcopos, vel comites pro concordia adinvicem, & cum cæteris fidelibus.*

Episcopi vero vel comites & ad invicem & cum cæteris fidelibus concorditer vivant, & ad sua ministeria peragenda vicissim sibi adjutorium ferant.

11. *De admonitione ad omnes generaliter pro charitate & pace adinvicem.*

Omnibus etiam generaliter dicimus, ut charitatem & pacem adinvicem habeatis: & generalem jussionem nostram generaliter observare decertetis: & missis nostris pro qualicunque scilicet aut Ecclesiastica aut publica utilitate vel opportunitate à nobis directis, nostri honoris causa honorẽ exhibeatis, & nostræ propter auctoritatis venerationem, ea quæ per illos injungimus, agere non neglegatis.

12. *De hoc, quod unusquisque Episcoporum vel comitum partem ministerii regalis habeat & testimonio ipsorum adinvicem.*

Et quoniam, sicut diximus, unusquisque vestrum partem ministerii nostri per partes habere dinoscitur, volumus studere & per clamatores, & per alia quælibet certa indicia, & per missos nostros,

quos

quos ad hoc ordinaverimus, qualiter unusquisque ad hoc certare studuerit, & per commune testimonium, id est, Episcoporum de comitibus, comitum de episcopis comperire, qualiter scilicet comites justitiam diligant & faciant, & quam religiose Episcopi conversentur & prædicent: & amborum relatu de aliorum fidelium in suis ministeriis consistentium æquitate & pace atque concordia cognoscere. Similiter etiam volumus, ut omnes illis, & illi omnibus de communi societate & statu à nobis interrogati, verum testimonium sibi mutuo perhibere possint.

13. *De causa orta ad inhonorationem regni pertinente.*

Et si talis causa in qualibet provincia, aut in aliquo comitatu orta fuerit, quæ aut ad inhonorationem regni, aut ad commune damnum pertineat, quæ etiam sine nostra potestate corrigi non possit, nos diu latere non permittatis, qui omnia, Deo auxiliante, corrigere debemus: quia quicquid hactenus in his, quæ ad pacem & justitiam totius populi pertinent, & ad honorem regni & communem utilitatem, aut à nobis aut à vobis neglectum est, debemus Deo auxiliante certare, qualiter ab hinc nostro & vestro studio emendatum fiat.

14. *De pace in itinere exercitali custodienda.*

De pace vero in exercitali itinere servanda usque ad marcham, hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicunque auctorem damni sibi præterito anno illati nominatim cognoscit, ut justitiam de illo quærat & accipiat.

15. *De denunciatione, ut qui in hostem pergunt, suos, qui in suo obsequio sunt, unusquisq; cognoscat.*

Deinceps tamen omnibus denunciare volumus, ut cognoscat unusquisque omnes, qui in suo obsequio in tali itinere pergunt, sive sui sint, sive alieni, ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum: & quicquid ipsi in pace violanda deliquerint, ad ipsius debet pluvium pertinere: ea scilicet conditione, ut pacis violator primum juxta facinoris qualitatem, sive coram nobis, sive coram misso nostro dignas pœnas persolvat: & senior qui secum talem duxerit, quem aut constringere noluit, aut non potuit, ut nostram jussionem servaret, & insuper in regno nostro prædas facere non timeret, pro illius negligentia, si ante eum de his non admonuerit, & postquam negligentia contemptoris ad ejus notitiam pervenerit, eum corrigere sicut decet, neglexerit, honore suo privetur, ut scilicet neuter illorum sine justa vindicta remaneat.

16. *De inhonoratione Regis propter negligentiam eorum, qui legationes male recipiunt.*

De inhonoratione quoque regis & regni & mala fama in exteras nationes dispersa propter negligentiam eorum qui legationes ad nos directas in suis mansionibus aut male recipiunt, aut constitutam à nobis expensam non tribuunt, aut paraureda dare nolunt, aut furto aliquid eis subripiunt, aut (quod perpessimum est) apertas violentias, eos cædendo & res eorum diripiendo, in ipsis exercere non pertimescunt, hoc omnibus notum esse volumus, quod quicunque ex his, qui honores nostros habent, abhinc negligentiam hanc emendare non certaverit, & suos homines qui ejus vice hoc agere debent, ut id bene perficiant, non instruxerit aut constrinxerit, ut ulterius illud neglegere non præsumant, & honorem nostrum, & regnum nobis commissum custodire contempserit, nec nostrum nec regni nostri honorem ulterius volumus ut habeat, sed volumus, ut unusquisque fidelium nostrorum procuratores rerum suarum de his specialiter instruat, ut quandocumque & undecunque legatio advenerit, & aut literas aut missum viderint, honorifice illam in omni loco imperii nostri propter nostrum & totius regni honorem omnes suscipere valeant.

17. *De locis in quibus legationes recipiendæ sunt.*

In illis vero locis, ubi modo via & mansionatici à genitore nostro, & à nobis per capitulare ordinati sunt, missos ad hoc specialiter constitutos, qui hoc jugiter prævideant, habeant, ut omnia, quæ ad easdem legationes suscipiendas pertinent, fideles nostri ad hoc constituti ad tempus præparare studeant, ut non tunc sit necesse de longe quærere vel adducere, quando tempus est illa dare vel persolvere. In cæteris vero locis per totum imperium nostrum unusquisque fidelium nostrorum, & per se & per ministros suos, sicut diximus, sedulam vigilantiam adhibeat.

18. *De admonitione unius monetæ.*

De moneta vero, unde jam per tres annos & admonitionem fecimus, & tempus, quando una teneretur, & aliæ omnes cessarent, constituimus, hoc omnibus notum esse volumus, quoniam ut absque ulla excusatione cito possit emendari, spatium usque ad Missam S. Martini dare decrevimus, ut unusquisque comitum in suis ministeriis de hoc jussionem nostram tunc possit habere adimpletam; quatenus ab illa die non alia, sed illa sola per totum regnum nostrum ab omnibus habeatur juxta illam constitutionem, sicut in capitulis, quæ de hac re illis comitibus dedimus, in quorum ministeriis moneta percutitur, constitutum est: quia tunc volumus missos nostros hujus rei gratia dirigere per singulos comitatus, qui diligenter inquirant, qualiter comites in hoc nostram jussionem adimplere certaverint: & quicunque neglegens inde inventus fuerit, volumus, ut ante nostram præsentiam quantocius venire jubeatur: & rationem reddat, utrum hoc, quod jussimus, facere noluerit, aut non potuerit: aut si aliqua re præpediente id facere non potuit, cur nobis ipsam impossibilitatem ad tempus non

annunciavit. Quia si ipse aut non voluit, aut suæ negligentiæ causa non potuit, nos talem invenire volumus, qui hoc, quod jubemus, servare velit & possit. Ut autem jussio nostra in hac re citius impleatur, volumus, ut quicunque ab illa die alium denarium negotiandi causa protulerit, à comite & ministris ejus auferatur ab eo.

19. *De injustis Tholoneis.*

Similiter quoque de injustis Tholoneis, de quibus qualiter ab omnibus observandum esset, & capitulis constituimus, & creberrimas admonitiones fecimus, prædicti Missi nostri volumus ut inquisitionem faciant, à quibus nostra jussio in hoc adimpleta, à quibus quoque sit neglecta, & eum qui implere neglexit aut distulit, ad nostram volumus ut veniat jussus præsentiam: ut cito rationem de his, sicut superius diximus, reddat, & si culpabilis inventus fuerit, dignam correctionem accipiat, ut cæteris negligentibus exemplum terroris præbeat.

20. *De pontibus, ubi antiquitus fuerunt, renovandis.*

Ut ubi pontes antiquitus fuerunt, & in his locis, ubi tempore genitoris nostri ipso jubente diversarum necessitatum causa facti, omnino absque ulla dilatione ab his, qui eos tunc fecerunt, restituantur & renoventur, ita ut ad Missam S. Andreæ restaurati fiant: nisi forte aut ipsa operis magnitudo, aut aquarum in quolibet inundatio hoc prohibeat. Aliter vero nullus qualibet occasione hoc neglegere, aut differre præsumat, quin ad prædictum tempus completum fiat: & missi nostri, quorum superius mentionem fecimus, volumus ut renuntient, in quibus locis nostra jussio impleta, in quibus neglecta est: aut aliqua impossibilitate, vel certa ratione dilata.

21. *De nonis & decimis.*

De nonis quidem & decimis, unde & genitor noster, & nos frequenter, & in diversis placitis admonitionem fecimus, & per capitularia nostra qualiter hæc observentur ordinavimus, volumus atque jubemus, ut de omni conlaborato, & de vino, & fœno fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur. De nutrimine vero pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen Episcoporum fuerit, qui argentum pro hoc accipere velit, in sua maneat potestate, juxta quod ei & illi, qui hoc persolvere debet, convenerit.

22. *De operibus in restaurationem Ecclesiarum adimplendis.*

Similiter quidem de operibus in restaurationem Ecclesiarum, sive in faciendo sive in redimendo, Episcopalis potius sequatur voluntas. Nullatenus tamen remaneat, quin sicut à nobis sæpe jussum est, hoc aut illud partibus Ecclesiarum persolvatur. Et hoc omnibus notum sit, quia quicunque neglegenter exinde egerit, & coram nobis exinde neglegens repertus fuerit, illud volumus omnino ut subeat, quod in nostro capitulari de hac re communi consultu fidelium nostrorum ordinavimus.

23. *De Comitibus, ut ministris Ecclesiæ in suis ministeriis adjutores sint.*

Comites vero ministris Ecclesiæ in eorum ministeriis, ut hoc plenius & de nostris, & de se, & de suis hominibus obtinere possint, adjutores in omnibus fiant, & quiconque prima & secunda vice de his à comite admonitus non se correxerit, volumus ut per eundem comitem ejus neglegentia ad nostram notitiam perferatur, ut nostra auctoritate, quod in nostro capitulari continetur, subire cogatur.

24. *De capitulis à Cancellario palatii ab Archiepiscopis & comitibus accipiendis.*

Volumus etiam, ut capitula, quæ nunc & alio tempore consultu fidelium nostrorum à nobis constituta sunt, à Cancellario nostro Archiepiscopi, & comites eorum de propriis civitatibus modo aut per se aut per suos missos accipiant, & unusquisque per suam diocesim cæteris Episcopis, Abbatibus, Comitibus & aliis fidelibus nostris ea transcribi faciant, & in suis comitatibus coram omnibus relegant, ut cunctis nostra ordinatio & voluntas nota fieri possit. Cancellarius tamen noster nomina Episcoporum & comitum, qui ea accipere curaverint, notet: & ea ad nostram notitiam perferat, ut nullus hoc prætermittere præsumat. Vassi quoque & Vassalli nostri nobis famulantes, volumus, ut condignum apud omnes habeant honorem, sicut à genitore nostro, & à nobis sæpe admonitum est.

25. *De nominibus locorum, in quibus missi Dominici legatione funguntur.*

In Vesontio, quæ est diocesis Bernoini Archiepisc. Heiminus Episc. & Monogoldus comes. In Mogontia, quæ est diocesis Heistulfis Archiepisc. idem Heistulfus Episc. & Rhuotbertus comes. In Trevens Hetti Archiepisc. & Adalbertus comes. In Colonia Hadaboldus Archiepisc. & Ecmundus comes. In Remis Ebo Archiepiscopus, quando potuerit & quando ei non licuerit, Rhuothadus Episcopus ejus vice & Rhoofridus comes sint super sex videlicet comitatus, id est, Remos, Cathalaunem, Suessionem, Sylvanectem, Belvacum, & Laudunum; super quatuor vero Episcopatus, qui ad eandem diocesim

diocesim pertinent, id est, Noviomacensem, Ambianensem, Teruanensem, & Cameracensem Rangarius episcopus, & Berengarius comes. Senones Hieremias Archiepiscopus, & Donatus comes, Rothomagum Willebertus Archiepiscopus, & Ingobertus comes. Turonem Landrannus Archiepiscopus, & Rhuotbertus comes. Lugdunum, Tarentasia, & Vienna, Albericus episcopus, & Richardus comes.

26. *De commemoratione ad legationem prædictorum missorum pertinente.*

Commemoratio, quid ad prædictorum missorum legationem pertineat. Primo ut conventum in duobus aut tribus locis congregent, ubi omnes ad eorum legationem pertinentes convenire possint: & omnibus generaliter notum faciant, qualis sit eorum legatio. Scilicet ad hoc esse se à nobis missos constitutos, ut si quilibet episcopus aut comes ministerium suum propter quodlibet impedimentum implere non possit, ad eos recurrat: & cum eorum adjutorio ministerium suum adimpleat. Et si talis causa fuerit, quæ per eorum admonitionem emendari non possit, per eos ad nostram notitiam deferatur. Et si forte episcopus aut Comes aliquid neglegentius in suo ministerio egerit; per istorum admonitionem corrigatur, & omnis populus sciat ad hoc eos esse constitutos, ut quicunque per neglegentiam aut incuriam vel impossibilitatem Comitis, justitiam suam adquirere non potuerit, ad eos primum querelam suam possit deferre, & per eorum auxilium justitiam adquirere. Et quando aliquis ad nos necessitatis causa reclamaverit, ad eos possimus relatorum querelas ad definiendum remittere. Ipsi vero missi non sine certissima causa vel necessitate huc illucque discurrant, nisi forte quando tale aliquid in cujuslibet ministerio ad legationem suam pertinente ortum esse cognoverint, quod eorum præsentia indigeat, & sine illorum consilio vel adjutorio emendari non possit. Inde tamen debent esse soliciti, ut propter illorum neglegentiam nihil in sua legatione incorrectum remaneat. Sed ubi certam & veram necessitatem cognoverint, nostram jussioonem adimplere non neglegant.

27. *De hoc quod per missos dominicos ea, quæ per capitula statuta sunt, omnibus nota fieri debeant.*

Volumus etiam, ut omnibus notum sit, qui ad hoc constituti sunt, ut ea, quæ per capitula nostra generaliter de quibuscunque causis statuimus, per missos nota fiant omnibus: & in eorum procuratione consistant, ut ab omnibus adimpleantur. Et ubi forte aliquo tali impedimento, quod per eos emendari non possit, aliquid de his, quæ constituimus ac jussimus, remanserit imperfectum, eorum relatu nobis ad tempus indicetur, ut per nos corrigatur quod per eos corrigi non potuit.

28. *Admonitio ad eos, qui legatione funguntur.*

Nosse vos credimus, quanti sit ponderis legatio, quam vobis commisimus: & quam sit periculosum tantæ rei curam neglegere, quam vos pro nostra omnium communi salute ex nostra obligatione suscepisse non ignoratis. De qua re cum vos interrogassemus, non sic nobis responsum est, ut in eo responso sufficere potuisset ad eam dispositionem, quam rerum necessitas ad communem utilitatem pertinentium poscere videbatur: vel qua nobis aliquod securitatis solatium afferri potuisset. Et hoc ideo evenisse perspeximus, quia anno præterito, quando capitula legationis vestræ vobis dedimus, caute vos observare jussimus, ne sine causa his, quos honoratos esse volumus, aliqua fieret injuria. Quapropter volumus vobis notum facere, qualiter nunc Domino adjuvante eandem jussionem nostram debeatis adimplere. Volumus ut missi nostri (quos ad hoc constitutos habemus, curam & sollicitudinem habeant, quatinus unusquisque, qui rector à nobis populi nostri constitutus est, in suo ordine officium sibi commissum juste ac Deo placite ad honorem nostrum ac populi nostri utilitatem administret) in hunc modum cognoscendi diligentiam adhibeat, si ea, quæ in capitulari nostro, quod eis anno præterito dedimus, continentur, secundum voluntatem Dei ac jussionem nostram fiant adimpleta. Itaque volumus, ut medio mense Majo conveniant iidem missi unusquisque in sua legatione cum omnibus episcopis, abbatibus, comitibus ac vassis nostris, advocatis nostris ac vicedomnis, abbatissarum, nec non & eorum, qui propter aliquam inevitabilem necessitatem ipsi venire non possunt, ad locum unum. Et si necesse fuerit propter opportunitatem conveniendi in duobus vel tribus locis, vel maxime propter pauperes populi, idem conventus habeatur, qui omnibus congruat: & habeat unusquisque Comes vicarios, & centenarios suos secum, nec non & de primis scabinis suis tres aut quatuor. Et in eo conventu primum Christianæ religionis & ecclesiastici ordinis collatio fiat, deinde inquirant missi nostri ab universis, qualiter unusquisque illorum, qui ad hoc à nobis constituti sunt, officium sibi commissum secundum Dei voluntatem ac jussionem nostram administret in populo, & quam concordes atque unanimes ad hoc sint, vel qualiter vicissim sibi auxilium ferant ad ministeria sua peragenda. Et tam diligenter ac studiose hanc investigationem faciant, ut omnem rei veritatem per eos cognoscere valeamus. Et si aliqua talis causa ad eorum notitiam perlata fuerit, quæ illorum auxilio indigeat, secundum qualitates causarum, quæ in nostro capitulari continetur, tunc volumus, ut illuc pergant, & ex nostra auctoritate illud corrigere studeant.

29. *De rebus ad venerabiles locos pertinentibus non alienandis.*

Nulla ſub Romana ditione conſtituta Eccleſia, vel Xenodochium, vel Ptochotrophium, vel Noſocomium, vel Orphanotrophium, vel Gerontocomium, vel Brephotrophium, vel monaſterium tam monachorum quam ſanctimonialium Archimandritam habens, vel Archimandritiſſam, contra hæc agere præſumat. Ergo his omnibus non liceat alienare rem immobilem, ſive domum ſive agrum, ſive hortum, ſive ruſticum mancipium, vel panes civiles neque creditoribus ſpeciales hypothecæ titulo obligare. Alienationis autem verbum contineat venditionem, donationem, permutationem, & Emphiteuſeos perpetuum contractum: ſed omnes omnino ſacerdotes hujuſmodi alienatione abſtineant, pœnas timentes quas Leoniana conſtitutio minatur, id eſt, ut is quidem, qui comparaverit, rem loco venerabili reddat, cujus & antea ſuerat, ſcilicet, cum fructibus aliisque emolumentis, quæ in medio tempore ſacta ſunt: œconomum autem Eccleſiæ præſtare omne lucrum, quod ex hujuſmodi prohibita alienatione ſenſent, vel Eccleſiam damno affecerit, ita ut in poſterum œconomus non ſit. Non ſolum autem ipſe, ſed etiam ſucceſſores ejus hac lege teneantur, ſive ipſe Archiœconomus alienaverit, ſive reſpiciens alienantem Epiſcopum non prohibuerit: multo magis ſi conſenſerit. Tabellionem autem, qui talia interdicta inſtrumenta conſcripſit, perpetuo exilio tradi oportet. Magiſtratus autem, qui eadem inſtrumenta admiſerunt, & ad officiales copiam dederunt, ut & monumentis intimentur donationes, vel cæteræ alienationes actis intervenientibus confirmentur, non ſolum magiſtratu, ſed etiam dignitate & facultatibus ſuis cedant. Remittit autem conſtitutio ea, quæ in præterito tempore acta ſunt. Excepit autem quoſdam contractus, quos in ſequentibus exponit capitulis, per quos & Eccleſiarum immobiles res alienari poſſunt. Xenodochium, id eſt, locus venerabilis in quo peregrini ſuſcipiuntur. Ptochotrophium, id eſt, locus venerabilis in quo pauperes & infirmi homines paſcuntur. Noſocomium, id eſt, locus venerabilis in quo ægroti homines curantur. Orphanotrophium, id eſt, locus venerabilis in quo parentibus orbati pueri paſcuntur. Gerontocomium, id eſt, locus venerabilis in quo pauperes & propter ſenectutem ſolam infirmi homines curantur. Brephotrophium, id eſt, locus venerabilis in quo infantes aluntur.

30. *De hoc quomodo liceat ad Imperatorem res ſancti loci transferri.*

Si princeps voluerit rem immobilem ſancto loco præſtare, & accipere ab eo aliam immobilem rem, & eo modo permutationem contrahere, liceat hoc facere ei divina pragmatica ſanctione ab eo promulgata.

31. *Orphanis exhæredatis ſubveniendum.*

Propter iſtius itaque pacis concordiam conſervandam, placuit nobis de Orphanis & pauperib. qui debite vel indebite dicuntur amiſiſſe hæreditatem paterni vel materni juris ad ſe legibus pertinentem, ſi alicubi inventi ſuerint, quos patres vel matres propter traditiones illorum exhæredes fecerunt aliorum ſcilicet ſuaſionibus aut petitionibus vel aliquo ingenio, omnino volumus atque decrevimus emendari, quantum ad nos vel ad noſtram pertinet poteſtatem juxta voluntatem Dei & veſtram ſanctam admonitionem & conſiderationem: ut ſi forte extra officium noſtrum alicubi inventum ſuerit, admonere veſtram clementiam audeamus, ut emendetur.

32. *De rebus pauperum minus potentum mala occaſione non emendis.*

Propter proviſiones pauperum, pro quibus curam habere debemus, placuit nobis, ut nec Epiſcopi, nec Abbates, nec Comites, nec vicarii, nec judices, nullusque omnino ſub mala occaſione vel malo ingenio res pauperum vel minus potentum nec emere, nec vi tollere audeat, ſed quisquis ex iis aliquid comparare voluerit, in publico placito coram idoneis teſtibus, & cum ratione hoc faciat. Ubicunque autem aliter inventum fuerit factum, hoc omnino emendetur per juſſionem noſtram.

33. *Qualiter juſtitia fiant pauperibus.*

De cauſis viduarum, pupillorum, orphanorum, vel reliquorum pauperum, ut in primo conventu ante medium diem illorum ratio vel querela audiatur & definiatur: & poſt mediam diem cauſa regia, & Eccleſiarum, vel potentum hominum: quia ipſi pauperes non habent facultatem, unde ſubſtentare ſe poſſint, donec ad eorum perveniatur juſtitiam: & ideo tantos clamores faciunt ad aures noſtras.

34. *De illis hominibus, qui injuſtas querelas habent.*

De illis hominibus, qui injuſte ſuper alios homines querelas faciunt, de quibus volumus, ſi inventus fuerit aliquis, qui non habeat juſtitiam cauſandi vel reclamandi, & revictus fuerit, propter illam calumniam, quam fecit, ſecundum legem & æquitatem juſtitiam reddat.

35. *De festivitatibus anni.*

Festos dies in anno celebrare sanximus, hoc est, diem dominicum Paschæ cum omni honore & sobrietate venerari, simili modo totam hebdomadam illam observare decrevimus. Diem ascensionis Domini pleniter celebrare. In Pentecoste similiter ut in Pascha. In natali Apostolorum Petri & Pauli diem unum, nativitatem S. Joannis Baptistæ, assumptionem S. Mariæ, dedicationem S. Michaelis, natalem S. Remigii, S. Martini, S. Andreæ. In natali Domini dies 4. Octavus Domini, Epiphaniam Domini, Purificationem S. Mariæ, & illas festivitates Martyrum, vel confessorum observare decrevimus, quorum in unaquaque parochia sancta corpora requiescunt.

36. *De antiquis ecclesiis, ut honorem suum habeant.*

Ecclesiæ antiquitus constitutæ nec decimis, nec aliis possessionibus priventur, ita, ut novis oratoriis tribuantur.

37. *De hoc ut sacerdotes inreprehensibiles sint.*

Ut juxta Apostoli vocem sacerdotes inreprehensibiles sint, & moribus ornati, & nequaquam turpibus lucris deserviant, juxta illud qood ait scriptura, *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat cui se probavit.* Et à turpibus lucris, & usuris non solum ipsi abstineant, verum etiam plebes sibi subditas abstinere instruant.

38. *De hoc, ut ab incestuosis, & ab his qui decimas non dant, & à presbyteris negligenter viventibus vuadii non dentur, nec accipiantur.*

Dictum est nobis, quod in quibusdam locis Episcopi & comites ab incestuosis & ab his qui decimas non dant vuadios accipiant, & à presbyteris pro quibusdam neglegentiis, & inter se pecuniam dividant: quod penitus abolendum decrevimus, ne forte avaritiæ locus detur; & constituimus, ut incestuosi juxta canonicam sententiam pœnitentia multentur. Qui vero decimas post crebras admonitiones & prædicationes sacerdotum dare neglexerint, excommunicentur. Juramento vero eos constringi nolumus propter periculum perjurii.

39. *De spiritualibus filiolis.*

Deinde præcipimus, ut unusquisque compater, vel proximi spiritales filios suos catholice instruant.

LVDOVICI PII IMPERATORIS AVGVSTI

Anno Christi 822.

CAPITVLARE DE LEGATIONE MISSORUM DOMINICORUM.

1. *De legatione Missorum Dominicorum, de quibus videlicet causis agere debeant.*

Legatio omnium missorum nostrorum hæc est. Primo ut sicut jam aliis missis injunctum fuit, justitiam faciant de rebus & libertatibus injuste ablatis: & Episcopus, aut abbas, aut vicarius, aut advocatus, aut quislibet de plebe hoc fecisse inventus fuerit, statim restituantur. Si vero vel comes, vel actor Dominicus, vel alter missus palatii nostri hoc perpetravit, & in nostram potestatem redegerit, res diligenter investigata & descripta ad nostrum judicium reservetur.

2. *De illis libertatibus & rebus reddendis, quæ in Dominica vestitura sunt, qualiter inquirantur.*

Volumus autem, ut de his libertatibus & rebus reddendis, quæ in nostra vestitura sunt primo per optimos quosque inquiratur. Et si per illos inveniri non possit, tunc per eos, qui post illos in illa vicinia meliores sunt. Et si nec per illos rei veritas inveniri potest, tunc liceat litigantibus ex utraque parte testes adhibere. Et si discordaverint, secundum constitutionem à nobis promulgatam examinentur.

3. *De oppressione pauperum, viduarum, & pupillorum.*

De pauperibus, viduis & pupillis injuste oppressis volumus, ut adjuventur & releventur.

4. Di

4. *De injustis consuetudinibus noviter institutis.*

De injustis occasionibus & consuetudinibus noviter institutis, sicut sunt tributa & tholonei in media via, ubi nec aqua, nec palus, nec pons, nec aliquid tale fuerit, unde injuste census exigi possit, vel ubi naves subter pontes transire solent, sive in medio flumine, ubi nullum obstaculum est, ut auferantur. Antiquæ autem ad nostram notitiam deferantur.

5. *De honore ecclesiarum.*

De honore ecclesiarum, ut per omnia eis exhibeatur, sicut nuper à nobis cum consensu omnium fidelium nostrorum constitutum est: & ut hoc missi nostri omnibus in sua legatione constitutis notum efficiant.

6. *De nonis & decimis.*

De nonis & decimis, ut secundum jussionem nostram dentur.

7. *De locis ad claustra canonicorum facienda.*

De locis dandis ad claustra canonicorum facienda, sit terra de ejusdem ecclesiæ rebus fuerit, reddatur ibi. Si de alterius ecclesiæ, vel liberorum hominum, commutetur. Si autem de fisco nostro fuerit, nostra libertate concedatur.

8. *De observatione præceptorum Dominicorum.*

De observatione præceptorum nostrorum, & immunitatum, ut ita observentur, sicut à nobis & ab antecessoribus nostris constitutum est.

9. *De his qui occasione immunitatis justitiam facere renuunt.*

De his qui per occasionem immunitatis justitiam facere renuunt, ut hoc observetur, quod à nobis constitutum est.

10. *De locis jamdudum sacris, & nunc spurcitia fœdatis.*

De locis jamdudum sacris, & nunc spurcitia fœdatis, ut juxta possibilitatem in antiquum statum reformentur.

11. *De beneficiis dominicis destructis.*

De beneficiis nostris, quæ destructa inveniuntur, hoc impleatur, quod nuper à nobis constitutum est.

12. *De falsa moneta, & de aliis diversis causis prohibendis.*

De nova moneta & de falsa moneta, & de despectu literarum nostrarum, & de latronibus coercendis, vel puniendis, & de faidis pacandis, de homicidiis prohibendis, de perjuriis & falsis testibus compescendis, de his omnibus vel cæteris his similibus hoc, quod modo constituimus, omnibus annuncietur, & in futurum observetur.

13. *De missorum dominicorum observatione.*

Hoc volumus, ut missi nostri observent, ut quicquid de his causis, vel simul, vel singulatim emendare potuerint, emendent: & ea, quæ emendaverint, diligenter scriptis notent: & hoc sic peragere curent, quatenus juste reprehendi à quoquam nullatenus possint. Et quæ facere debeot, aut possunt, nullatenus prætermittant: caveant, ne, quod absit, imo aut gratia alicujus, aut honoris, aut timoris sive odii causa illud, quod agere debent, omittant. & summopere studeant, ut hoc quod per se efficere non possunt, nobis notum faciant: & omnimodis prævideant, ut per singula capitula tam verbis, quam scriptis de omnibus, quæ illic peregerint, nobis rationem reddere valeant.

14. *De placitis à liberis hominibus observandis.*

De placitis siquidem, quos liberi homines observare debent, constitutio genitoris nostri penitus observanda atque tenenda est, ut videlicet in anno quatto solum modo generalia placita observent, & nullus eos amplius placita observare compellat, nisi forte quilibet aut accusatus fuerit aut alium accusaverit, aut ad testimonium perhibendum vocatus fuerit. Ad cætera vero quæ centenarii tenent, non alius venire jubeatur, nisi qui aut litigat, aut judicat, aut testificatur.

15. *De debito ad opus dominicum revuadiato.*

Ut de debito, quod ad opus nostrum fuerit, revuadiatum, talis consideratio fiat, ut is qui ignoranter peccavit, non totum secundum legem componere cogatur: sed juxta quod possibile visum fuerit. Is vero, qui tantum mala volontate peccavit, totam legis compositionem cogatur exsolvere.

16. *De his, qui ad palatium, vel in hostem pergunt, vel inde redeunt.*

Ut nullus ad palatium, vel in hostem pergens, vel de palatio vel de hoste rediens, tributum quod trasturas vocant, solvere cogatur.

17. *De pontibus publicis.*

Ut pontes publici, qui per bannum fieri solebant, anno præsente in omni loco restaurentur.

18. *De*

18. *De clericis, monachis, & servis fugitivis.*

Ut clerici & monachi, & servi fugitivi ad loca sua redire jubeantur.

19. *De advocatis Episcoporum, abbatum, comitum, & abbatissarum.*

Ut nullus Episcopus, nec abbas, nec comes, nec abbatissa centenarium comitis advocatum habeat.

20. *De vicariis vel centenariis, si latrones celaverint.*

Ut vicarii vel centenarii, qui fures & latrones vel celaverint vel defenderint, secundum sibi datam sententiam dijudicentur.

21. *De comitibus & vicariis admonendis de constitutione legis.*

Ut comites & vicarii & centenarii de constitutione legis admoneantur, qua jubetur, ut propter justitiam pervertendam munera non accipiant.

22. *De forestibus Dominicis.*

De forestibus nostris, ut ubicunque fuerint, diligentissime inquirant, quomodo salvæ sint & defensæ: & ut comitibus denuncient ne ullam forestem noviter instituant, & ubi noviter institutas sine nostra jussione invenerint, dimittere præcipiant.

23. *De missis Dominicis, & de his qui justitiam facere renuunt.*

Ut ubiconque ipsi missi aut episcopum, aut abbatem, aut alium quemlibet quocunque honore præditum invenerint, qui justitiam facere vel noluit, vel prohibuit, de ipsius rebus vivant, quamdiu in eo loco justitias facere debent.

24. *De missis Dominicis, ubi diutius non debeant immorari.*

Ut in illius comitis ministerio, qui bene justitias factas habet, idem missi diutius non morentur: neque illuc multitudinem convenire faciant, sed ibi moras faciant, ubi justitia vel minus vel negligenter facta est.

25. *De missis Dominicis, & de comite in aliquod Missaticum directo.*

Ut in illius comitis ministerio idem missi nostri placitum non teneant, qui in aliquod Missaticum directus est, donec ipse reversus fuerit, ut causa, quæ adhuc coram comite non fuit, & is qui se reclamat propter suam stultitiam aut contumaciam, comitem inde appellare noluit, iterum comiti commendetur.

26. *De missis Dominicis, qualiter conjectum accipere debeant.*

Ut missi nostri, qui vel Episcopi, vel abbates vel comites sunt, quamdiu prope suum beneficium fuerint, nihil de aliorum conjecto accipiant. Postquam vero inde longe recesserint, tunc accipiant secundum quod in sua tractoria continetur. Vassi vero nostri & ministeriales, qui missi sunt, ubicunque venerint, conjectum accipiant.

27. *De vassis dominicis, & episcoporum, vel reliquorum qui in hoste non fuerunt.*

Ut vassi nostri, & vassi episcoporum, abbatum, abbatissarum, & comitum, qui anno præsente in hoste non fuerunt, heribannum rewadient, exceptis his, qui propter necessarias causas & à domino ac genitore nostro Karolo constitutas domi dimissi fuerunt, id est, qui à comite propter pacem observandam, & propter conjugem ac domum ejus custodiendam, & ab episcopo vel abbate vel abbatissa similiter propter pacem conservandam, & propter fruges colligendas, & familiam constringendam, & missos recipiendos dimissi fuerunt.

28. *De episcopis, abbatibus, & comitibus, & de placito Missorum dominicorum.*

Ut omnis episcopus, abbas, & comes, excepta infirmitate, vel nostra jussione, nullam excusationem habeat, quin ad placitum Missorum nostrorum veniat: aut talem vicarium suum mittat, qui in omni causa pro illo reddere rationem possit.

29. *De non exigendo heribanno antequam jussio dominica nota fiat.*

Ut missi & unusquisque in suo ministerio hæc capitula relegi faciant coram populo, & nota fiant omnibus, ne aliquis excusationem habere possit. Et non prius bannum exigant à quoquam homine, donec omnibus hæc nota fiant.

30. *De dispensa Missorum Dominicorum.*

De dispensa Missorum nostrorum, qualiter unicuique juxta suam qualitatem dandum vel accipiendum sit, videlicet episcopo panes XL. friscingæ tres, de potu modii tres, porcellus unus, pulli tres, ova XV. annona ad caballos modii quatuor. Abbati, comiti, atque ministeriali nostro unicuique detur cotidie panes triginta, friscingæ duæ, de potu modii duo, porcellus unus, pupilli tres, ova XV. annona ad caballos modii tres. Vasallo nostro panes X. & septem, friscinga una, porcellus unus, de potu modius unus, pulli duo, ova decem, annona ad caballos modii ij.

LUDO-

LVDOVICI PII IMPERATORIS

Anno Christi 823.

CAPITVLARE,

Sancitum in Comitiis Compendianis
Anno DCCCXXIII.

1. *Decretale precum quorundam Episcoporum.*

CAPITULARE qualiter institutum est in hoc Episcoporum conventu, id est, ut unusquisque Episcopus tres missas & tria psalteria, unum pro domno rege, & alium pro exercitu Francorum, tertium pro præsenti tribulatione faciat. Presbyter missas III. Monachi & monachæ & canonici unusquisque psalteria III. & biduanas omnes faciant tam Episcopi, monachi & monachæ, atque canonici, atque eorum infra casati homines, vel qui potentes sunt. Et unusquisque Episcopus, Abbas & Abbatissa, qui facere potest, libram donet de argento aut eam valente in eleemosyna. Mediocres vero dimidiam libram: minores vero, sol. V. Episcopi, abbates, & abbatissæ pauperes famelicos IV. pro ista strictitate nutrire debent usque tempore messium. Et qui tantum non possunt, juxta quod possibilitas est, aut III. vel II. aut I. Comites fortiores libram de argento aut valente donent in Eleemosyna. Mediocres vero mediam libram. Vassus dominicus de casatis CC. mediam libram. De casatis C. solid. V. de L. unciam I. & faciant biduanas, & eorum homines atque eorum casati, vel qui hoc facere possunt, Et qui redimere ipsam triduanam voluerit, fortiores comites uncias III. minores denarios XXX. minores sol. I. & de pauperibus famelicis, sicut suprascriptum est, ipsi faciant. Hæc omnia si Domino placuerit, pro domino rege, & exercitu Francorum, & præsenti tribulatione missa S. Joannis sint completa.

2. *Ut nullus presbyter aliqua cupiditate quemquam tonsurare suadeat.*

Statutum est, ut nullus in canonica aut regulari professione constitutus aliquem tonsurare propter res adipiscendas deinceps persuadeat. Et qui hoc facere tentaverit, synodali vel imperiali sententia modis omnibus feriatur.

3. *De concordia Episcoporum & Comitum.*

Ut Episcopi cum comitibus stent, & comites cum Episcopis, ut uterque pleniter suum ministerium peragere possit.

4. *De latronibus, homicidis, adulteris, & incestuosis sub magna districtione coercendis.*

Ut latrones seu homicidæ, seu adulteri vel incestuosi sub magna districtione & correctione sint correpti.

5. *De invasione alienarum rerum.*

De rebus propriis, ut ante missos & comites & judices nostros veniant, & ibi accipiant finitivam sententiam, & antea nullus præsumat alterius res proprindere, sed magis suam causam quærat ante judices nostros, ut diximus, & ibi recipiant quod justum est.

6. *Pro qua re in præsentiam regis venire quis debeat.*

Ut si aliquis voluerit dicere quod juste ei non judicetur, tunc in præsentiam nostram veniat, Aliter vero non præsumat in præsentiam nostram venire, pro alterius justitia dilatanda.

7. *Quid de his agendum sit qui gratia fugiendi debitum servitium seculum relinquunt.*

De his, qui seculum relinquunt propter servitium impediendum, & tunc neutrum faciunt, ut unum è duobus eligant, aut pleniter secundum canonicam, aut secundum regulæ institutionem vivant: aut servitium dominicum faciant.

8. *Ut oratio dominica, symbolum, lex, & capitula regum diligenter ab omnibus intelligantur.*

Ut laici symbolum & orationem Dominicam pleniter edifcant. Comites quoque & centenarii & cæteri nobiles viri legem suam pleniter discant, sicut in alio loco decretum est. Præcipimus autem missis nostris, ut ea quæ à multis jam annis per capitularia nostra in toto regno nostro mandavimus, agere, discere, observare vel in consuetudinem habere debeant, ut hæc omnia nunc diligenter inquirant, & omnino ad servitium Dei & ad utilitatem nostram, vel ad omnium Christianorum hominum profectum innovare studeant, & quantum Domino donante prævalent ad perfectum usque perducant, & nobis omnino annuncient, quis inde certamen bonum hoc adimplere habuisset, ut à Deo & à nobis gratiam habeat. Qui autem neglegens inde fuerit, ut talem disciplinam percipiat, qualem talis sit contemptor recipere dignus, ita ut cæteri metum habeant amplius.

9. De

9. *De Ecclesiis destructis.*

De Ecclesiis destructis, ut Episcopi & missi inquisitionem faciant, utrum per neglegentiam aut impossibilitatem destructæ sunt: & ubi neglegentia inventa fuerit, Episcopali auctoritate emendare cogantur ab his, qui eas restaurare debuerunt. Si vero per impossibilitatem contigit, ut aut plures sint quã necesse sit, aut majoris magnitudinis quam ut ex rebus ad eas pertinentibus restaurari possint Episcopus modum inveniat qualiter congrue emendari & consistere possint.

10. *De his, qui nonas & decimas dare neglexerunt.*

De his, qui nonas & decimas jam per multos annos aut ex parte aut ex toto dare neglexerunt, volumus, ut per missos nostros constringantur, ut secundum capitularem priorem soluant nonas & decimas cum sua lege, & insuper bannum nostrum. Et hoc eis denuncietur, quod quicunque hanc neglegentiam iteraverit, beneficium unde hæc nona & decima persolui debuit, amissurum se sciat. Ita enim continetur in capitulari bonæ memoriæ genitoris nostri in libro primo cap. CLXIII. Quicunque decimam abstrahit de Ecclesia, ad quam per justitiam dari debet & eam præsumptuose vel propter munera, aut amicitiam, vel aliam quamlibet occasionem ad alteram Ecclesiam dederit, à comite vel à Misso nostro distringatur, ut ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.

11. *De his, qui restaurationes Ecclesiarum facere neglegunt.*

Quicunque de rebus Ecclesiarum, quas in beneficium habent, restaurationes earum facere neglexerint, juxta auctoritatis nostræ capitularem, in quo de operibus ac nonis & decimis constitutum est, sic de illis adimpleatur, sicut in lib. IV. cap. XL. continetur. De opere & restauratione Ecclesiarum constitutum est, ut de frugibus terræ, & animalium nutrimine, & cunctis censibus exceptis hortilensibus persolvantur. De opere vero & restauratione Ecclesiarum &c.

12. *De his qui agros dominicatos idem neglegunt, ut nonas exinde non perso-vant.*

De his, qui agros dominicatos propterea neglexerunt excolere, ut nonas exinde non persoluant, & alienas terras ad excolendum propter hoc accipiunt, volumus ut de tribus annis ipsam nonam cum sua lege persoluant. Et si quis contemptor aut comitum aut vassallorum nostrorum propter hoc extiterit, per fidejussores ad palatium venire compellatur.

13. *Ut intelligatur, in quo facto immunitas frangatur.*

Pervenit ad nos, quod quædam Ecclesiæ ac monasteria nostra ac prædecessorum nostrorum immunitates habentia, multa præjudicia & infestationes à quibusdam patiantur, & nec per easdem immunitates ullam defensionis tuitionem habere valeant, propter hoc quod ab eisdem immunitatum temeratoribus dicatur, non plus immunitatis nomine complecti, quam claustra Monasterii: Cætera quoque quamvis ad easdem Ecclesias vel Monasteria pertineant, extra immunitatem esse. Propter hoc volumus atque decernimus, ut omnes intelligant non solum claustra monasterii vel Ecclesiæ atque castitia Ecclesiarum sub immunitatis defensione consistere, verum etiam domus & villas & septa villarum & piscatoria manu facta, & quicquid fossis aut sepibus, vel etiam alio clausarum genere præcingitur, eodem immunitatis nomine contineri. Et quicquid intra hujusmodi monumenta ad jus earundem Ecclesiarum vel monasteriorũ pertinentia à quolibet homine nocendi vel damnum inferendi causa spontanea voluntate committitur, in hoc facto immunitas fracta judicatur. Quod vero in agros & campos ac sylvas, quæ sine laborantibus sunt, & nullo modo munitione cinguntur, casu, sicut fieri solet, à quibuslibet hominibus aliquid damnum factum fuerit, quamvis idem ager aut campus vel sylva ad Ecclesiam vel monasterium præceptum immunitatis pertineat, non tamen in hoc immunitas fracta judicanda est. Et ideo non sexcentorum solidorum compositionem, sed secundum legem quæ in eodem loco tenetur, is mulctandus est, qui scandalum vel damnum in tali loco convictus fuerit.

14. *De eo, qui propriam dereliquit uxorem, vel sine culpa interficit, & aliam ducit.*

Quicunque propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta, aliam duxerit, armis depositis publicam habeat pœnitentiam: & si contumax fuerit, comprehendatur à comite, & ferro vinciatur, & in custodiam mittatur, donec res ad nostram notitiam deducatur.

LVDOVICI PII IMPERATORIS AVGVSTI

ORDINATIO

Anno Christi 825.

DE BENEDICTIONE VEL EXORCISMO AQUÆ CALIDÆ SEU FRIGIDÆ, IN QUA MANUS AD JUDICIUM MITTITUR.

Benedictio aquæ calidæ.

EXorcizo te creatura aquæ nomine Dei Patris omnipotentis, & in nomine JESU CHRISTI *filii* ejus Domini nostri, ut fias aqua exorcizata ad effugandam omnem potestatem inimici, & omne phantasma Diaboli, ut si hic homo manum suam in te missurus est innocens unde reputatur, pietas Dei omnipotentis liberet eum: & si, quod absit, culpabilis est, & præsumtuose in te manum mitterea-sus fuerit, ejusdem Omnipotentis virtus super eum hoc declarare dignetur: ut omnis homo timeat & cootremiscat nomen sanctum gloriæ Domini nostri, qui vivit & regnat Deus per, &c.

Domine JESU CHRISTE, qui es judex justus, fortis & patiens, & multum misericors, per quem facta sunt omnia, Deus Deorum & Dominus Dominantium, qui propter nos homines, & propter nostram salotem, de sinu Patris descendisti, & ex virgine Maria carnem assumere dignatus es, & per passiooem tuam mundum in Cruce redemisti, & ad inferos descendisti, & Diabolum in tenebris exterioribus conligasti, & omoes justos, qui originali peccato ibidem detinebantur, magna potentia exinde liberasti. Tu Domine quæsumus mittere digneris Spiritum tuum sanctum ex summa cæli arce super haoc creaturam aquæ, quæ ab igne fervescere atque calescere videtur, quæ rectum per eam judicium super hunc hominem nomine illo comprobet ac manifestet. Te Domine Deus supplices deprecamur, qui in Cana Galilææ signo admirabili tua virtute ex aqua vinum fecisti, & tres pueros Sydrac, Misac & Abdenago de camino ignis ardentis illæsos eduxisti, & Susannam de falso crimine liberasti, cæco nato oculos aperuisti, Lazarum quatriduanum à monumento suscitasti, & Petro mergenti manum porrexisti. Ne respicias peccata nostra in hac oratione, sed tuum verum & sanctum judicium coram hominibus in hoc manifestare digneris, ut si hic homo pro hac reputationis causa, furto videlicet, vel homicidio, aut adulterio, vel luxuria, aut pro qualibet causa culpæ modo ad præsens manum suam in hanc aquam igne ferventem miserit, & culpabilis ex hac causa non est, hoc ei præstare digneris, ut nulla læsio vel macula in eadem manu appareat, per quam sine culpa calumniam incurrat.

Iterum te Deus omoipotens nos indigni & peccatores famuli tui suppliciter exoramus, ut sanctum verum & rectum judicium nobis in hoc etiam manifestare digneris, quatenus hic homo ex hac reputatus causa, si per aliquod maleficium Diabolo instigante, aut cupiditate, vel superbia, culpabilis est, in facto vel consensu, & hoc comprobationis judicium subvertere aut violare volens malo confisus ingenio, manum suam in hanc aquã præsumptuose mittere ausus fuerit, tua pietas taliter hoc declarare dignetur, ut in ejus manu dignosci queat quod injuste egit, ut & ipse deinceps per veram confessionem pœnitentiam agens ad emendatiooem perveniat, & judicium tuum sanctum & verum in omnibus declaretur gentibus, per te Redemptor mundi qui venturus es, &c.

Judicium aquæ frigidæ.

CUm homines vis mittere ad judicium aquæ frigidæ ob comprobationem, ita facere debes: Accipe illos homines, quos vis mittere in aquam, & deduc eos in Ecclesiam, & coram omnibus illis cantet Presbyter Missam, & fac eos ad ipsam missam offerre. Cum autem ad commuoionem venerint, antequam communicent, interroget eos Sacerdos cum adjuratione, & dicat: Adjuro vos homines per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per vestram Christianitatem quam suscepistis, & per unigenitum Dei filium, & per sanctam Trinitatem, & per sanctum Evangelium, & per illas sanctas reliquias, quæ in ista Ecclesia, ut non præsumatis ullo modo communicare, neque accedere ad altare, si hoc fecistis, aut consensistis, aut scitis qui hoc egerit. Si autem omnes tacuerint, & nullus confessus fuerit, accedat Sacerdos ad altare, & communicet, separatis illis qui examioandi sunt. Postea vero communicent illi, quos vult in aquam mittere. Cum autem communicant, dicat Sacerdos per singulos ante altare: Corpus hoc & sanguis Domini nostri JESU CHRISTI sit tibi ad probationem hodie, ad laudem & gloriam nominis sui, & ad Ecclesiæ suæ utilitatem. Expleta missa faciat Sacerdos aquam benedictam, & deferat eam ad locum examinis, ubi homines probantur: cum autem venerit ad ipsum locum, letaniam faciens, omnibus pro eadem causa Dominum deprecantibus, det examinandis bibere de aqua illa benedicta. Cum autem dederit unicuique, dicat: Hæc aqua Domini fiat tibi ad probationem hodie per Dominum nostrum JESUM CHRISTUM qui est verus judex & justus. Deinde conjuret aquam ubi mittendi sunt. Post conjurationem autem aquæ exuat illos vestimentis suis, & faciat illos per singulos osculari sanctum Evangelium, & Crucem Christi. Et posthæc de ipsa aqua benedicta aspergat super unumquemque hominem, & projiciat eos statim per singulos in aqua. Hæc autem omnia facere debet jejunus, neque illi antea comedant, qui ipsos mittant in aqua.

Conju-

Conjuratio aquæ.

ADjuro te aqua in nomine Dei patris omnipotentis, qui te in principio creavit, quique te segregavit ab aquis superioribus, & jussit deservire humanis necessitatibus. Adjuro te etiam per invisibile & ineffabile nomen CHRISTI JESU filii Dei vivi omnipotentis, sub cujus pedibus te calcabilem præbuisti, qui etiam in te baptizari dignatus est, & suo baptismate consecravit. Adjuro etiam te per Spiritum sanctum, qui super Dominum in te baptizatum descendit, qui te invisibili sanctificatione sacratam ad animarum purgationem inenarrabile constituit sacramentum: per quam olim & populus Israëliticus siccis pedibus transivit, & ex aqua ferrum, quod casu ceciderat, Heliseus divina virtute contra naturam natans, in suo manubrio te dire fecit, ut nullo modo suscipias hunc hominem, si in aliquo culpabilis est ex hoc qood illi objicitur, scilicet aut opere, aut consensu, seu conscientia, vel quolibet ingenio, sed per virtutem Domini nostri JESU CHRISTI rejice ex te, & fac illum natare super te, quatinus cognoscant fideles Christi nullum maleficium, nullum præstigium divinæ virtuti posse resistere, quod non detectum fiat & omnibus manifestum. Adjuro etiam te per virtutem ejusdem Domini nostri JESU CHRISTI, ut ad laudem illius, cui omnis creatura servit, & cui cœlestis exercitus famulatur clamans, *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Exercituum*, ut nobis adjurantibus & ejus misericordiam obsecrantibus obedias, qui regnat & dominatur per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Hominis conjuratio.

ADjuro te homo & contestor per Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & per sanctam & individuam Trinitatem, & per omnes Angelos & Archangelus, & per omnes principatus & potestates, dominationes quoque & virtutes, & per Dei sedilia Cherubin & Seraphin, & per diem tremendum judicii Dei, nec non & XXIV. Seniores, qui cotidie laudant Deum, & per quatuor Evangelistas, & per sanctos quoque Apostolos, Martyres & Confessores: necnon & per sanctam genitricem Dei Mariam, omnesque virgines, & per cunctum populum sanctum Dei, vel per sanctum baptismum in quo renatus es, si tu hoc malum fecisti, ex quo culparis, vel assensum præbuisti, aut bajulasti, aut in domum tuam recepisti, aut inde conscius aut consentaneus extitisti, coram omnibus dicito. Quod si Diabolo suadente celare disposueris, & colpabilis exinde es, evanescat cor tuum incrassatum & induratum, & non suscipiat te aqua incredolum & seductum, ut dicat populus, quia Deus noster judex est, cujus potestas in sæcula sæculorum. Amen.

Post conjurationem aquæ, exuat illos vestimentis illorum, & osculari sanctum Evangelium & sanctam Crucem faciat, & sanctificatis omnibus aqua benedicta cum timore & reverentia fidus de ejus clementia projiciat in aquam.

Hoc judicium autem petente Domino LUDOVICO Imperatore constituit beatus a Eugenius, b præcipiens ut omnes Episcopi, Comites, Abbates, omnisque populus Christianus, qui infra ejus Imperium est, hoc judicio defendant innocentes, & examinent nocentes, ne perjuri super reliquias Sanctorum perdant suas animas malum consentientes.

a Papa ejus nominis Secundus
b sc. Imperator.

LUDOVICI PII IMPERATORIS AUGUSTI, ET LOTHARII CÆSARIS

CAPITULARE,

Anno Christi 826.

Sequentia quædam Capitula ex Sanctorum Patrum Decretis, & Imperatorum Edictis, colligere curavimus, atque inter nostra Capitula lege firmissima tenenda, generali consultu, Erchembaldo Cancellario nostro inserere jussimus.

DE NUPTIIS.

Ex sacrarum institutione legum lib. 12. Tit. 3. Cap. 15.

NUlli Christianorum vel Judæorum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris suæ atque etiam virorum juxta legem, quæ in Christianis est lata, usque ad septimi generis gradum coonubia ducere, vel incesti maculam operari. Hujus igitur permixtionis illecebra' tali multabitur pœna, ot separati ab invicem, & centena publice decalvati flagella suscipiant, & exilio relegati sub publica pœnitentia remaneant, eorumque bona, ad filios quos de præcedenti conjugio habuerint, redeant, si tamen & ipsos aut in nullo Judaicæ prævaricationis maculaverit noxa, aut nulla incestivæ nationis sordidaverit macula. Quod si aut multos habuerint filios, aut habitos, ut dictum est vel Judaicus involverit error, vel incesti fœdaverit natio, tunc facultas prædictorum omnimoda in principis potestate consistat, qualiter principali discretione res ipsa aut in Christianis eorumve hæredibus concessa permaneat. Qood si hæredes hujusmodi dignitatis defuerint, fisco nostro sociata deserviat. Illud tamen modis omnibus observandum fore præcipimus, ut si quis Christianus vel Christiana, aut Judæus vel Judæa noviter nuptiale festum celebrare voluerint,

non aliter quam cum præmisso dotis titulo, quo in Christianis salubri institutione præceptum est, vel sa-cerdotali benedictione intra sinum sanctæ Ecclesiæ perceptæ conjugium cuiquam ex his adire permit-timus. Quod si absque benedictione sacerdotis quisquam Christianorum, vel Hebræorum noviter con-jugium duxerit, vel solennitatem legis pro dotali titulo in quocunque transcenderit, aut centum principi solidos coactus exsoluat, aut centum publice verberatus flagella suscipiat: Hæc scilicet damna vel ver-bera sigillatim unusquisque percipiat, videlicet tam ille qui nupsit, quam ea quæ nupta est, vel etiam consentanei parentes eorum unusquisque pro se jacturam legis hujus suscipiat.

2. *De accusatione episcoporum. Ex libro 7. Tripartita Historia cap. 12.*

Igitur Valentinianus cum ita saperet sicut Niceni Patres, similia profitentibus proderat, aliter vero sapientibus non erat importunus: Qui dum initio regni de urbe Constantinopolitana per Thracias pro-peraret ad Romam, tunc episcopi recte sapientes legatum miserunt Hypatianum episcopum, quatenus dignaretur ad emendationem dogmatis interesse. Is cum adiisset Imperatorem, & episcoporum legatio-nem intimasset, respondens Imperator ait: Mihi quidem cum unus de populo sim, fas non est talia per-scrutari: Verum sacerdotes quibus hæc cura est, apud semetipsos congregentur ubi voluerint. Cum hæc itaque respondisset princeps, in Lampsacum convenerunt episcopi: cumque duos menses tractas-sent, inter cætera juxta priores canones episcopos electos atque suis rebus expoliatos ad sedes proprias recepi & primo suo omnia eis reddi decreverunt: Et si quis post hac eos accusare vellet, æquo periculo facere sanciverunt, judices esse decernentes episcopos recte sapientes in ecclesia convenientes, ubi testes essent singulorum, qui dicebantur oppressi; & reliqua.

3. *De eadem Re. Ex epistola Stephani Papa scripta generaliter omnibus episcopis.*

Quicquid in sacratis Deo rebus & episcopis injuste agitur, pro sacrilegio deputabitur, quia sacra sunt & violari à quoquam non debent. Nullus enim episcoporum dum suis fuerit rebus exspoliatus, aut à sede propria qualibet occasione pulsus debet accusari aut à quoquam ei potest crimen objici, priusquam inte-gerrime restauretur, & omnia quæ ei ablata quoquo sunt ingenio, legibus redintegrentur, & ipse pro-priæ sedi & pristino statui regulariter reddatur, ita ut omnes possessiones & cuncta sibi injuste sublata, atque fructus omnes ante cœptam accusationem, per primates & Synodi episcopos funditus restituantur, quia hoc non solum Ecclesiasticæ, sed etiam seculi leges fieri docent.

5. *Ut post pœnitentiam nemo fiat Clericus, Ex Augustino ad Bonifacium de lapsorum restitutione.*

Ut constitueretur in ecclesia, ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum acci-piat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat: non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ: alioquin, contra claves datas ecclesiæ disputabitur, de quibus dictum est: *Quæ solueritis in terra, soluta erunt & in cœlo.* Sed ne forsitan etiam de cæteris criminibus spe honoris ecclesiastici ani-mus intumescens superbe tegeret pœnitentiam, severissime placuit ut post actam de crimine damnabili pœnitentiam nemo sit clericus, ut desperatione temporalis altitudinis medicina major & verior esset hu-militatis. Nam & sanctus David de criminibus mortiferis egit pœnitentiam, & tamen in honore super-stitit: Et Beatum Petrum quando amarissimas lachrimas fudit, utique Deum negasse pœnituit, & ta-men Apostolus mansit. Sed non ideo supervacua putanda est posteriorum diligentia, qui ubi saluti nihil detrahebatur, humilitati aliquid addiderunt, quo salus tutius muniretur: experti credo aliquorum fictas pœnitentias, per affectatas honorum potentias: Cogunt enim multas invenire medicinas multorum ex-perimenta morborum.

6. *De præsidentia, Ex epistola Leonis Papa Aquiliensi Episcopo directa.*

Illam partem ecclesiasticæ disciplinæ qua olim à sanctis patribus & à nobis sæpe decretum est, ut nec in presbyteratus gradu, nec in diaconatus, nec in subsequenti ordine clericorum ad ecclesiam transi-re cuiquam sit liberum, ut in integrum revoces, admonemus ut unusquisque non ambitione illectus, non cupiditate seductus, non persuasione hominum depravatus, ubi ordinatus est perseveret, ita ut si quis sua quærens, non quæ Jesu Christi, ad plebem & ecclesiam suam redire neglexerit, & ab honoris privilegio, & à communionis vinculo habeatur extraneus.

7. *Ut nullus*

7. *Ut nullus derogetur aut temere accusetur Episcopus, nec à primatibus facile eorum suscipiatur accusatio, quia injuria Episcoporum ad Christum pertinet cujus vice-legatione funguntur. ex Decretis Anastasii Papæ capitulo VI.*

Placuit ut nullus temere accuset episcopum, neque à primatibus passim aut indifferenter super quibuslibet impetitionibus audiatur, dicente Domino; Non suscipias vocem mendacii: & ipsa veritas ait: Quod tibi non vis, alteri ne facias, & reliqua. Et alibi scriptum est: Quid prodest illi suo errore non pollui qui consensum præstat erranti? Proculdubio contra mandata dimittit qui habet peccatum proprium, & qui sequitur alienum, & reliqua. Sed si quis in episcopum causam habuerit, primitus eum charitative conveniat, & ei aut suam inculcet injuriam, aut ejus correctionem, dicente Domino, Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum: Si autem te non audierit, adhibe denuo duos aut tres tecum, & reliqua. Prius ergo quam hæc fiant, nemo præsumat episcopum accusare manifeste: Quia nemo contra Evangelium vel contra apostolum aut decreta patrum facit aliquid absque periculo. Paulus quoque Apostolus præcipit dicens: Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem. Et alibi scriptum est: Si quis fidelis est, videat ne falsa aut nociva loquatur, aut cuiquam insidias ponat. Et alibi: Sapiens non est qui nocet. Et Dominus in lege: Non facias calumniam proximo tuo. Et idem: Non eris criminator aut susurro in populis: non stabis contra sanguinem proximi tui leges meas custodite, ego Dominus. Si hæc de omnib. dicta sunt quanto magis super episcopis sunt custodienda? de quibus Salvator ait: Qui vos contristavit, me contristavit: qui vos tangit, tangit pupillam oculi mei, & cætera. Item, Qui facit injuriam eis, recipiat id quod inique gessit. Et in Daniele legitur, Confundantur omnes qui ostendunt servis tuis mala: confundantur in omni potentia, & robur eorum conteratur, ut sciant quia tu es Dominus Deus solus, & gloriosus super orbem terrarum. Et juxta antiquæ institutionis edictum, Plus erga corrigendos agere debet benevolentia quam severitas, plus cohortatio quam commotio, plus charitas quam potestas. Et Dominus per Prophetam monet dicens: Cohibe linguam tuam à malo & fac bonum: Nemo enim bonum faciens, alteri verbo aut facto nocere vult. Si quis hæc non observaverit, hostis est animæ suæ: Si quidem clerici fuerint, gradu proprio decidant, si vero monachi vel laici fuerint, amplius pelli debent, vel extorres fiant.

8. *Qualiter episcopus ad Synodum convocetur, & qualiter in ea de illo agatur.*

Sancta Synodus Romana dixit: Hæc sunt quæ deinceps propter multorum hominum insidias, qui in ecclesiam & in ecclesiasticos indifferenter sæviunt viros, conservari firmissime volumus in secula. Si quis episcopus ab illis accusatoribus qui recipiendi sunt, fuerit accusatus, postquam ipse ab eis charitative conventus fuerit, ut ipsam causam emendare debeat, & eam corrigere noluerit, non olim, sed tunc ad summos primates causa ejus canonice deferatur: Qui in congruo loco infra ipsam provinciam tempore in canonibus præfixo Nicenis, concilium canonice convocare debebunt, ita ut ab omnibus ejusdem provinciæ episcopis in ea audiatur. In quam & ipse convocatus, si eum aut infirmitas aut alia gravis necessitas non detinuerit, adesse debebit, quia ultra provinciæ terminos accusandi ante licentia non est, quam audientia rogetur. Nam si suis fuerit rebus expoliatus, quod absit, aut quod alienum ab omnibus esse debet fidelibus, à sede propria ejectus, aut in detentione aliqua à suis ovibus fuerit sequestratus, tunc canonice antequam in pristinum restituatur honorem, & sua omnia quæ ab insidiis inimicorum suorum ei ablata fuerint, redintegrentur, nec convocari nec judicari poterit, nisi ipse pro sua necessitate, minime tamen judicandi, advenire sponte elegerit, nec omnino à quoquam respondere rogetur, antequam integerrime omnia, quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati ejus ab honorabili concilio redintegrentur, & præsul prius statui pristino reddatur, & ipse dispositis ordinatisque libere ac secure suis, tunc canonice convocatus ad tempus synodo in legitima & canonica veniat ad causam: & si ita juste videtur, accusantium propositionibus respondeat. Nam hoc summopere providendum est: non ante quam hæc omnia fiant coactus respondeat, quia contentio semper vitanda est; Adimi namque episcopo episcopatum antequam causæ ejus exitus appareat, nulli Christiano videri jure potest. Quod si ægrotans fuerit episcopus, aut aliqua eum gravis necessitas detinuerit, pro se legatum ad Synodum mittat, nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam electorum judicium die statuta litteris evocatus minime occurrerit: hoc est, nisi alia præoccupaverit necessitas, infra spatium duorum vel trium mensium, & eo amplius prout causa dictaverit. Quod si ex utraque parte ad causam dicendam venerint, quia unus absque altero audiri non debet, quærendum est in judicio, cujus sint conversationis & fidei atque suspicionis accusatores, aut qua intentione hoc faciant: quia ad hoc admitti non debent, nisi bonæ conversationis & rectæ fidei viri & qui omni suspicione careant, & bona vita clareant, neque infames existant. Quod si accusatorum personæ in judicio episcoporum culpabiles apparuerint, ad arguendum non admittantur, nisi proprias causas, non tamen criminales vel ecclesiasticas, objecerint: infamis etiam enim persona nec procurator potest esse nec cognitor. Absente vero adversario non audiatur accusator, nec sententia absente parte alia à judice dicta, ullam obtinebit firmitatem, neque absens per alium accusare aut accusari potest, nec affinis testis admitti. Neminem ergo exhiberi de provincia ad provinciam, vel ad comitatum oportet, nisi ad relationem judicis, ad quem fuerit appellatum, id est,

 ut actor

ut actor rei semper forum sequatur. Si quis autem judicem adversum sibi senserit, vocem appellationis exhibeat, quam nulli, oporter negari & reliqua.

9. Ut accusatio clericorum intra Provinciam fiat, nisi forte accusatus majorem appellaverit auctoritatem.

Si quis clericus super quibuslibet criminibus pulsatus fuerit in provincia qua consistit, ille qui pulsatur suas exerat actiones, nec æstimet eum accusator suus alibi aut longius pertrahendum ad judicium: Illi vero qui pulsatus fuerit, si judicem suspectum habuerit, liceat appellare.

10. Ut nullus Metropolitanorum aliquorum Pontificum, suorumque clericorum aut Ecclesiarum causas audiat absq; omnium comprovincialium Episcoporum præsentia, ex Synodo Romana tertia, Capitulo XV.

Nullus Metropolitanus Episcopus absque cæterorum omnium comprovincialium Episcoporum instantia aliquorum, audiat causas eorum: quia irritæ erunt, immo & causam in synodo pro facto dabunt. Nec reliquorum aliquis Episcoporum suorum sacerdotum causas audiat absque præsentia clericorum suorum, quia irrita erit sententia Episcopi, nisi præsentia clericorum confirmetur.

11. De rimandu accusatoris persona, ex decretis Sixti Papæ. Capitulo VII.

Placuit ut semper primo in accusatione clericorum, persona, fides, conversatio & vita blasphemantium perscrutetur. Nam fides omnes actus hominis debet præcedere, quia dubius in fide infidelis est. Nec eis omnino esse credendum qui veritatis fidem ignorant, nec rectæ conversationis vitam ducunt. Quoniam tales facile & indifferenter lacerant & criminantur recte & pie viventes: ideo suspicio eorum discutienda est primo & corrigenda.

12. De primatu sedis Apostolicæ, cui Episcoporum finitiva judicia, & congregandarum synodorum privilegia sunt reservata: & de canonica Episcopi vocatione, ex synodis Romanis capitulo XLIX. & ex decretis Julii Papæ.

Nullus Episcopos nisi canonice vocatus, & in legitima Synodo suo tempore Apostolica auctoritate convocata, (cujus jussione Domini & meritis B. Petri Apostoli singularis congregandorum conciliorum auctoritas, & sanctorum canonum ac venerandorum Patrum decretis multipliciter privata tradita est potestas) super quibuslibet criminibus pulsetur, i. judicetur, audiatur vel impetretur. Sin aliter præsumptum à quibuslibet fuerit, in vanum deducatur quod egerint, nec inter ecclesiastica ullo modo reputabitur, nec ullas habebit vires quicquid ei obviaverit: quoniam eadem sedes testante veritatis voce primum primatum obtinuit, nec prima diceretur, si aliam super se haberet; quæ etiam caput est omnium Ecclesiarum, à qua omnes sumpsere originem. Primatum enim non synodalibus aut aliquibus commentis meruit institutis, sed Domino largiente, qui ait; Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam, & his similia. Quibus si aliquis superbo spiritu obviaverit præceptionibus, non exeat impunitus, sed gradus sui periculo subjacebit.

13. Ut si quis Metropolitanum suspectum habuerit, apud primatem audiatur: ex Concilio Calcedonensi. Capitulo.

Si quis putaverit se à proprio Metropolitano gravari, apud primatem dioceseos aut apud Constantinopolitanæ civitatis sedem agat judicium, Et reliqua.

14. De accusato vel judicato Episcopo, si bonam putaverit habere causam & voluerit à Romano audiri pontifice, à nullo prohibeatur, sed libere hoc ei, & absq; ullo impedimento concedatur. Ex quibus supra: cum quibus & Sardicense concilium, & alia decreta canonum & sanctorum patrum concordant.

Ut accusato vel judicato in aliqua causa Episcopo liceat iterare judicium; & si necesse fuerit aut ipse voluerit, absque ulla detentione aut impeditione Romanum adire pontificem. Et dum iterato judicio Pontifex causam suam agit, sua non privetur sede aut dignitate: quoniam dudum à sanctis patribus statutum est, ut accusati nullus usurpet sedem Episcopi. Et alibi: Adimi Episcopo Episcopatum antequam causæ ejus exitus appareat, nulli Christiano jure videri potest. Et reliqua.

15. Ut dum accusatus vel judicatus Episcopus Romanum appellaverit Pontificem, nulla ei læsio fiat, neq; aliquis ejus arripiat sedem, aut in ejus loco ordinetur Episcopus, antequam ejus causa Romani Papæ sit terminata judicio. Ex quibus supra: cum quibus & multa sanctorum patrum decreta consentiunt.

Placuit ut accusatus vel judicatus à comprovincialibus in aliqua causa Episcopus, licenter appellet

pellet & adeat Apostolicæ sedis pontificem, qui aut per se aut per vicarios suos, ejus retractari negotium procuret: Et dum iterato judicio Pontifex causam suam agit, nullus alius in ejus loco ponatur, aut ordinetur Episcopus. Quoniam quamquam comprovincialibus Episcopis accusati causam Pontificis scrutari liceat, non tamen definiri inconsulto Romano Pontifice permissum est cum B. Petro Apostolo non ab alio quam ab ipso Domino dictum est, Quæcunque ligaveris super terram erunt ligata & in cœlis, & quæcumque solveris super terram erunt soluta & in cœlis.

16. *De Episcoporum appellatione ad Romanam Ecclesiam, quotiens necessitas exposcerit, cui Episcoporũ & summarum causarum negotia spiritali privilegio à patribus reservata sunt. Ex quibus supra, cum quibus maxime cuncta canonum & sanctorum patrum decreta concinunt.*

Ut omnes Episcopi, qui in quibusdam gravioribus pulsantur vel criminantur causis, quotiens necesse fuerit, libere Apostolicam appellent sedem, atque ad eam quasi ad matrem confugiant, ut ab ea sicut semper fuit profulciantur, defendantur & liberentur, cujus dispositioni omnes majores Ecclesiasticas causas & Episcoporum judicia, antiqua Apostolorum eorumque successorum atque canonum auctoritas reservavit. Quoniam culpantur Episcopi qui aliter erga fratres egerint, quam ejusdem sedis Papæ fieri placuerit: Canonibus quippe jubentibus in talibus absque Romano nil decerni pontifice, nec ad Synodum Episcopum convocari debere: Et quicquid ex his eo inconsulto præsumptum fuerit, viribus carere.

17. *De causa Lupicini Episcopi, ex Epistola Leonis Papæ Africanis Episcopis directa.*

Causam Lupicini Episcopi, quia sic nobis placuit, illic jubemus audiri, cui multum & sæpius postulanti communionem hac ratione reddidimus, quoniam cum ad nostrum judicium provocasset, immerito eum pendente negotio à communione videbamus fuisse suspensum: Adjectum etiam illud est, quod huic temere superordinatus esse cognoscitur, qui non debuit ordinari priusquam Lupicinus in præsenti positus, aut confutatus, aut certe confessus justæ possit subjacere sententiæ, ut vacantem locum, quemadmodum disciplina Ecclesiastica exigit, is qui consecrabatur, acciperet: Si quæ vero aliæ emerserint causæ, quæ ad statum Ecclesiarum & ad concordiam pertineant sacerdotum, illic sub timore Domini volumus ut modo ventilentur. Et de componendis atque compositis omnibus ad nos relatio plena mittatur: ut ea quæ juxta Ecclesiasticum morem juste & rationabiliter fuerint definita, nostra quoque sententia roborentur. Ex his enim possumus cognoscere qualiter de cæteris agatur, qualiter nos nil contra statuta majorum egisse pœniteat. Data III. id August.

18. *Ex libro* XVI. *Theodosii Imperatoris, de his qui super religione contendunt.*

Imperatores Valentinianus, Theodosius, & Archadius A A A. Thratiano præfecto prætorii. Nulli egresso ad publicum disceptandi de religione vel tractandi, vel consilii aliquid deferendi patescat occasio: Et si quis post hac casu gravi atque damnabili, contra hujusmodi legem veniendum esse crediderit, vel insistere motu pestiferæ perseverationis andebit, competenti pœna & digno supplicio coerceatur. Data XVI. Kal. Julii. Theodosio Augusto II. & Cynegio Coss.

19. *Ut Nullus audeat prædicare, nisi sacerdos ab Episcopo loci electus, ex Epistola Leonis Papæ ad Theodoricum Cyri Episcopum directa.*

Illud quod nobis propter improbitatem quorumdam monachorum verbo mandasti, specialiter prædictorum patrum statuta firmantes, statuimus, ut præter Domini sacerdotes ab Episcopo ejusdem videlicet loci electos nullus audeat prædicare, sive sit monachus sive laicus, qui cujuslibet scientiæ nomine glorietur.

20. *Clerici accusatores fratrum ad communionem recipiantur, non ad clerum: ex Concilio Carthaginis.*

Ut episcopi accusatores fratrum excommunicent, & si emendaverint vitium, recipiant eos ad communionem, non ad clerum.

21. *De præsidibus vel cæteris Rempublicam agere volentibus, ne sine literis Episcopi sui communicent, & cum contra disciplinam egerint, excommunicentur: ex concilio Arelatensi.*

De præsidibus qui fideles ad præsidatum prosiliunt, ita placuit, ut cum promoti fuerint, literas accipiant ecclesiasticas, id est, communicatorias: ita tamen ut in quibuscunque locis gesserint, ab episcopo ejusdem loci cura illis agatur, ut cum cœperint contra disciplinam publicam agere tunc demum à communione excludantur. Similiter & de his qui Rempublicam agere volunt.

22. *Ut clerici vel laici in aliena Ecclesia non communicent sine literis Episcopi sui ex Concilio Carthaginis.*

Cassianus Velenensis Episcopus dixit, Statoat gravitas vestra ut unusquisque clericus vel laicus non communicet in alia plebe sine literis Episcopi sui.

23. *De honore & pace sanctæ Ecclesiæ.*

Ut honor & pax atque justitia sanctæ Dei Ecclesiæ & servorum ejus, inlæsus ab omnibus conservetur.

24. *De Dei sacerdotibus & ministris altaris.*

Ut Dei sacerdotibus & ministris altaris contra canonicam auctoritatem, à nulla læsio à quoquam fiat.

25. *De concordia Episcoporum & comitum.*

Ut episcopi & comites concordes sint, & comites eorumque ministri episcopis atque eorum ministris in omnibus adjutores existant.

26. *De incendio & rapina.*

Ut incendium vel rapinam in nostro regno nullus faciat, & fures vel raptores fortiter constringantur, ut nulli sua auferre audeant, nisi gratis tribuantur aut justo censu exigantur.

27. *De pace custodienda.*

Ut pax in nostro regno secundum morem parentum nostrorum omnibus conservetur.

28. *De puella virgine vel vidua.*

Ut puellam virginem, vel viduam nullus rapiat, nec facere volentibus consentiat.

29. *De banno persolvendo.*

Ut ex his singulis bannus noster persolvatur, si à quoquam frustrata hæc fuerint, & fidejussores usque ad nostram præsentiam fidissimos comitibus vel missis nostris horum corruptores singuli tribuant, ut juxta Romanam legem hæc corrigantur.

30. *De his qui servos suos extra judicem necant.*

Si quis servum proprium sine conscientia judicis occiderit, excommunicatione vel pœnitentia biennii reatum sanguinis emendabit.

31. *De his qui ad pacem non revertentur.*

Placuit ut, sicut plerumque fit, quicumque odio aut longinqua inter se lite discesserint,& in pacem revocari diuturna intentione nequiverint, à civitatis primitus sacerdotibus arguantur. Qui si inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de Ecclesiæ cætu justissima excommunicatione pellantur.

32. *De his qui intrant in Ecclesiam, & propter nimiam luxuriam suam à Sacramento se abstinent.*

Si quis intrat in Ecclesiam Dei & sacras Scripturas non audit, & pro luxoria sua avertit se à communione sacramenti, & in observandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ, istum talem projiciendum de Ecclesia Catholica esse decernimus, donec pœnitentiam agat & ostendat fructum pœnitentiæ suæ, ut possit, communione percepta, indulgentiam promereri.

33. *De clericis vel laicis.*

De clericis vel laicis à communione summotis, ab aliis non recipiendis Episcopis.

34. *De clericis adversus invicem negotia propria habentibus.*

Non oportet clericos habentes adversus invicem negotia, proprium Episcopum relinquere, & ad secularia judicia convolare.

35. *De eo qui excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit.*

Si quis excommunicatus ante audientiam communicare præsumpserit, ipse in se damnationem protulit.

36. *De potente qui aliquem expoliaverit.*

Si quis potentium quemlibet expoliaverit, & admonente episcopo non reddiderit, excommunicetur.

37. *Quod Ecclesiarum omnium dotes ad Episcopi ordinationem debeant pertinere.*

Multi contra canonum constituta sic ecclesias, quas ædificarint, postulant consecrari, ut dotem quam ei ecclesiæ contulerint, censeant ad episcopi ordinationem non pertinere: Sed omnia secundum constitutionem antiquam ad episcopi ordinationem & potestatem pertineant.

38. De

38. *De his quæ à fidelibus in parochianis basilicis offeruntur.*

De his quæ parochiis in terris, vineis, mancipiis atque peculiis quicunque fideles obtulerint, antiquorum canonum instituta serventur & omnia in Episcopi potestate consistant. De his tamen quæ altario accesserint tertia fideliter Episcopis deferatur.

39. *De quatuor portionibus ecclesiasticis.*

Quod in unaquaque Ecclesia cui Episcopus præest, quatuor tam de reditibus quam de oblationibus fidelium fieri debeant portiones, ut una sit Episcopi, alia clericorum, alia pauperum & quarta fabricis Ecclesiasticis applicetur.

40. *Ex epistola Papæ Gelasii, De eo qui anathematis pœnam parvi duxerit.*

Ut si quis anathematis pœnam parvi duxerit etiam documento quo se putat prædium possidere, frustretur, liceatque cuilibet ecclesiasticæ personæ vocem contradictionis adferre, & cum fructibus prætenti temporis eadem prædia alienata reposcere.

41. *De laicis qui contemptores canonum extiterint.*

Ut laici contemptores canonum excommunicentur, clerici honore priventur.

42. *Ut populus ante completam missam, & benedictionem acceptam egredi non præsumat.*

Cum ad celebrandas missas in Dei nomine convenitur, populus non ante discedat quam missæ solemnitas compleatur, & ubi Episcopus fuerit, benedictionem accipiant sacerdotis, sacerdote autem verbum in Ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.

43. *De his qui Ecclesiastica jejunia absque necessitate dissolvunt.*

Si quis eorum qui continentiæ student absque necessitate corporea, tradita in commune jejunia & ab ecclesia custodita, superbiendo dissolvit tumulo suæ cogitationis impulsus, anathema sit.

44. *De his qui rebaptisati vel reconfirmati sunt, quid sit agendum.*

De his qui rebaptizati sine aliqua necessitate vel tormento lapsi sunt, placuit ut circa eos illa Nicenæ synodi statuta serventur, quæ de prævaricatoribus constituta esse noscuntur, id est, ut annis septem inter Catechumenos orent, & duobus inter Catholicos: Et postea moderatione & clementia Episcopi fidelibus in oblatione & Eucharistia communicent. Quam formam sequantur & reconfirmati.

45. *De clericis qui ad secularium defensionem confugiunt propter districtionem Episcopi.*

Placuit ut clericus, si relicto officio suo propter districtionem ad secularem forte confugerit, & is ad quem recurrit, solatium defensionis impenderit, cum eodem de Ecclesiæ communione pellatur.

46. *De turpiloquiis.*

Clericos scurriles & verbis turpibus joculares ab officio detrahendos.

47. *De clericis qui in convivio cantare præsumpserint.*

Clerici inter epulas cantantes supradictæ sententiæ severitate coerceantur.

48. *Ne clericus per creaturas juret.*

Clericum per creaturas jurantem acerrime objurgandum: si perstiterit in vitio, excommunicandum.

49. *Ne ante horam diei tertiam quis ad convivium pergat, nec ante benedictionem manducet.*

Non oportet clericos vel laicos religiosos ante sacram horam diei tertiam inire convivia, neque aliquando clericos, nisi hymno dicto edere panem, & post cibos gratias auctori Deo referre.

50. *Ut presbyter, si inconsulto Episcopo agendam celebraverit, honore privetur.*
Ex Concilio Carth.

Numidius Episcopus Masilitanus dixit: In quibusdam locis sunt presbyteri, qui aut ignorantes simpliciter, aut dissimulantes audaciter præsente & inconsulto Episcopo, cum pluribus in domiciliis agunt agendam, quod disciplinæ incongruum esse cognoscit sanctitas vestra. Genetlius episcopus dixit: Fratres & coepiscopi nostri dignæ suggestioni respondere moremur. Ab universis episcopis dictum est: Quisquis presbyter inconsulto episcopo agendam in quolibet loco voluerit celebrare, ipse honori suo contrarius existit.

51. *Ne presbyter benedictionem, vel pœnitentiam in Ecclesia dare præsumat.*

Benedictionem super plebem in ecclesia fundere, aut pœnitentiam in ecclesia benedicere presbytero penitus non licebit.

52. Si

52. Si qui clerici ab episcopis suis promoti contempserint, nec illic maneant, unde recedere noluerint: ex concilio Carthag.

Placuit ut quicunque clerici vel diaconi pro necessitatibus Ecclesiarum non obtemperaverint episcopis suis, volentibus eos ad honorem ampliorem in sua ecclesia promovere, nec illic ministrent in gradu suo unde recedere noluerunt.

53. De incestis, ex decretis Papa Gregorii junioris, & ex dictis Episcoporum & Imperatorum.

Si quis consobrinam duxerit in conjugium, anathema sit. Et paulo post infert & dicit, Si quis de propria cognatione, vel quam cognatus habuit, duxerit uxorem, anathema sit. Et Dominus in lege divina ait: Omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, ut revelet turpitudinem ejus. Et paulo post: Nec accedat ad uxorem ejus qui sibi affinitate conjungitur. Item unde supra: *Nullus* certi gradus consanguineam in conjugium accipiat, aut sibi sceleratis nuptiis desideret copulari. Item ex dictis Episcoporum & Imperatorum Theodosii & aliorum. In septem gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, ultra quos nec affinitas invenitur, nec successio potest amplius prorogari.

54. Item de incestis, ex epistolis Gregorii III. Papa, sancto Bonifacio Moguntia Archiepiscopo missis.

Progeniem suam unumquemque usque ad septimam observare decernimus generationem, & quandiu se cognoscunt affinitate propinquos, ad hujus copulæ non accedere societatem. Et in sanctis Canonibus spiritu Dei conditis de incestis habetur insertum; Incestis conjunctionibus nihil prorsus veniæ reservamus, nisi cum adulterium separatione sanaverint: incestos verò nullo conjugii nomine appellandos sancimus, sed quibus illicita conjunctio interdicitur, nisi hi sunt quos sanctorum patrum decreta conjugio copulari prohibent, habebunt ineundi melioris conjugii libertatem.

55. De his qui solo convivio gentilium vel escis immolaticiis usi sunt, aut quod hi qui homicidia vel alia capitalia perpetrant flagitia, non nisi per publicam pœnitentiam sanari possunt.

Qui convivio solo gentilium & escis immolaticiis usi sunt, possunt jejuniis, & manus impositione purgari, ita ut deinceps ab idolotitis abstinentes, sacramentorum Christi possint esse participes. Si autem aut idola adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ad communionem eos nisi per pœnitentiam publicam non oportet admitti.

56. De familiaritate extranearum mulierum.

Ut nullus familiaritatem extranearum mulierum præsumat habere; & qui inventus fuerit severius corrigatur.

57. Ne mulieres monasterium monachorum ingrediantur.

Ut mulieres in monasterium monachorum nullatenus ingrediantur.

58. Ut omnibus vespertinis & matutinis horis oratio Dominica dicatur.

Placuit ut omnibus diebus post matutinas & vesperas, oratio Dominica à sacerdote proferatur.

59. De his qui sibi quacumque negligentia mortem inferunt, ut eorum commemoratio non fiat: Similiter de his qui pro suis sceleribus puniantur.

Placuit ut qui sibi ipsis aut ferro, aut veneno, aut præcipitio, aut suspendio, vel quolibet modo violenter inferunt mortem, nulla illis in oblatione commemoratio fiat, neque cum psalmis ad sepulturam eorum cadavera deducantur. Multi enim sibi per ignorantiam usurparunt. Similiter & de his placuit, qui pro suis sceleribus puniuntur.

60. De eo qui hominem peremerit.

Qui occiderit hominem juxta canonicam pœniteat sanctionem, & ab Ecclesia prius projiciatur, ubi prostratus in terram in cinere & cilicio in introitum & exitum populi semper jaceat humiliter postulans ut pro se orare non dedignentur, & hoc usque ad satisfactionem ecclesiæ & sacerdotum agat, pane tantum & aqua fruens, nisi humanius erga eum episcopo agere placuerit cujus ditioni subsistit.

61. De sartatectis Ecclesiarum qua ex donis fiunt eisdem collatis, ut in potestate episcopi revocentur, quacumque colligata fuerint.

Quæcumque pro sartatectis Ecclesiis fuerint conlata, in potestate Pontificis aut presbyteri vel servientium sanctorum locorum, secundum voluntatem conferentis, ad se debeant revocare. Quod si aliquis hæc inde abstraxerit, rapuerit, furatusve fuerit, vel ea fraudaverit aut vastaverit, seu quocumque commento alienaverit, sciat se esse canonice excommunicatum quousque ea quæ abstulerit studeat reformare.

62. *Ne*

62. Ne presbyterum, diaconum, aut clericum aliquem ullus judex secularis absque consensu episcopi sui distringat.

Ut nullus judex neque presbyterum, oeque diaconum, aut clericum, aut juniorem ecclesiæ sine scientia Pontificis per se distringat, aut condemnare præsumat.

63. De libertis, ut à sacerdotibus defensentur.

Liberti quorumcumque ingenuorum à sacerdotibus defensentur, oec ad publicum ullatenus revocentur.

64. Ne aliquis clericus pro quacumq; occasione extraneam mulierem in domo sua habeat.

Nullus deinceps clericorum pro occasione necessitatis vestes faciendi, aut causa ordinandæ domus, extraneam mulierem in domo sua habere præsumat.

65. De viduis, ex epistola beati Gregorii Papæ Bonifacio Archiepiscopo missa, in qua inter cætera ita legitur.

Viduas à proposito discedentes viduitatis, super quibus nos consulere voluit dilectio tua, frater charissime, credo te nosse à sancto Apostolo, & à multis sanctis patribus, nisi convertantur, olim esse damnatas: quas & nos Apostolica auctoritate damnandas, & à communione fidelium atque à liminibus ecclesiæ arcendas fore censemus, usquequo obediant episcopis suis, & ad bonum, quod cœperunt, invite aot voluntane revertantur. De virginibus autem non velatis, si deviaverint, à sanctæ memoriæ prædecessore Papa Innocentio taliter decretum habemus: Eæ vero quæ necdum sacro velamine tectæ tameo in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licet velatæ non fueriot, si sumpserint, his agenda aliquanto tempore pœnitentia est, quia sponsio earum à domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit? & cætera. Nam si virgines nondum velatæ taliter pœnitentia publica puniuntur, & à cœtu fidelium usque ad satisfactionem excluduntur, quanto potius viduæ quæ perfectionis ætatis & maturioris sapientiæ atque consilii existunt, virorumque coosortio multoties usæ sunt, & velari se permiserunt habitumque religionis assumpserunt, & deniaum apostaverunt atque ad priorem vomitum sunt reversæ, à nobis & ab omnibus fidelibus, à liminibus ecclesiæ & cœtu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandæ, & carceribus tradendæ, qualiter, juxta beatum Apostolum Paulum tradeotes hujusmodi hominem Satanæ in ioteritu carnis, ut salvus sit spiritus in die Domini? De talibus enim & Dominus per Moysem loquitur dicens: Auferte malum de medio vestri. De quibus & per Prophetam ait: Lætabitur justus cum viderit vindictam, manus suas lavabit in sanguine peccatoris. De talibos namque eorumque similibus atque eisdem consentientibus, (quia oon solum qui faciunt, sed etiam qui facientibos consentiunt, rei sunt) Dominus per euodem Prophetam David loquitur dicens, Videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas. Et multa talia eorumque similia. Tales vero persooæ indubitanter adulteræ esse manifestantur: quoniam relicto immortali sponso ad anteriorem ut canes ad proprium sunt reversæ vomitum, & apostatæ factæ, illicita & sacrilega se contagiooe polluentes, viris mortalibus se conglutinaverunt. Quæ etiam, juxta eundem Apostolum Paulum: eo quod viduitatis propositum dimiserunt, & fidem quam cum Deo pepigerunt, frangere præsumpserunt, atque primam fidem prævaricaverunt sunt damnandæ, à nobisque & à vobis atque à reliquis nostri ordinis viris, à singulis videlicet sua in diocesi à liminibus ecclesiæ & à cœtu fidelium usque ad satisfactionem, ut prædictum est, sunt eliminandæ. A talium autem consortio & societate omnes fideles io omnibus abstinere mandamus. Super quibus etiam placuit quousque in ipso detestando & illicito atque sacrilego carnis contubernio perseverant, ut nullus Christianorum, nisi quibus proprius studio corrigendi jusserit episcopus, cum eis in quoquam communicet, aut ad domum in qua sunt accedat. Cum quibus etiam, ut jam dictus sanctus præcipit Apostolus, nulli fidelium cibum sumere licet. Quod si quis ex his quicquam tentare aut temerare præsumpserit, pari cum eis excommunicationis sententia feriatur, &c.

66. De decimis quæ ecclesiis dantur, ne eas presbyteri vendere præsumant.

Ut ulterios non præsumant presbyteri decimas vendere, quæ in pauperum & ecclesiarum usibus dantur, sicut hactenus, mirabile dictu, in horreis veterata sunt ad thesaurorum cumulum: In cujus rei testimonio multi pauperum de manibus sacerdotum requirendi moriuntur. Sed ubi Deo largiente abundaverint, ad susteotationem pauperum parentur famis tempore.

67. De pauperibus à presbyteris colligendis.

Ut presbyteri quotidie duos vel tres pauperes colligant ad lavandos pedes.

68. De prædiis quæ per ordinationem suam presbyteri emerint.

Ut presbyteri post ordinationem suæ paupertatis prædia comparantes testamenta ecclesiis confirment: sin aliter ut fraudatores removeantur.

69. Ut

69. Ut presbyteri ad tractanda eorum ministeria ad civitatem veniant.

Ut presbyteri sigillatim sub dispositione episcopi in civitates veniant suas ad tractanda ministeria.

70. De his qui communicaverint, ut tribus horis suspendantur propter cibi commixtionem.

Ut doceant communicantes duabus vel tribus suspendere horis, propter admixtionem cibi.

71. De satisfactione quotidiana.

Ut sicut sine culpa nemo quotidie existit: ita sine quotidiana satisfactione nullus esse debet etiam sacerdotum vel Christianorum.

72. De eo qui sine consensu episcopi presbyterum de ecclesia ejecerit vel constituerit.

De his qui sine consensu episcopi Presbyteros in ecclesiis suis constituunt, vel de ecclesiis ejiciunt, & ab episcopo vel à quolibet misso dominico admoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum rewadiare cogantur, & per fidejussores ad placitum nostrum venire jubeantur: Et tunc nos decernimus, utrum nobis placeat, ut aut illum bannum persolvant, aut etiam armiscaram sustineant,

73. De eo qui decimam dare neglexerit ecclesiæ, cujus esse debet, alterique ecclesiæ eam dederit.

Quicunque decimam abstrahit de ecclesia, ad quam per justitiam dari debet, & eam præsumptuose vel propter munera aut amicitiam, vel aliam quamlibet occasionem ad alteram ecclesiam dederit, à comite vel à misso nostro distringatur, ut ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.

74. De malis scabinis ejiciendis.

Ut missi nostri ubicunque malos scabinos inveniunt, ejiciant, & totius populi consensu in locum eorum bonos eligant, & cum electi fuerint, jurare faciant, ut scienter injuste judicare non debeant,

75. De melioribus & veracibus eligendis.

Ut in omni comitatu hi, qui meliores & veraciores inveniri possunt, eligantur à missis nostris ad inquisitiones faciendas & rei veritatem dicendam, & adjutores comitum sint ad justitias faciendas.

76. De scabinis qui propter munera aut amicitiam injuste judicaverint.

Volumus ut quicunque de scabinis deprehensus fuerit propter munera aut propter amicitiam vel inimicitiam juste judicasse, ut per fidejussores missus ad præsentiam nostram veniat. De cætero omnibus scabinis denuncietur, ne quis deinceps etiam justum judicium vendere præsumat.

77. De eo qui comprobatus fuerit testes in perjurium scienter induxisse.

Quicunque comprobatus fuerit de eo quod scienter testes in perjurium induxisset, sub fidejussione ad palatium nostrum venire compellatur, ut ibi cum fidelibus nostris consideremus, quid de tali homine faciendum sit.

78. Ut bonos nummos nullus respuat.

De bonis denariis quos populus recipere non vult, volumus ut hoc observetur & teneatur quod in priori capitulare nostro conscriptum est, id est, in libro IIII. de eo qui emptione vel debiti solutione denarium merum recipere non voluerit. Et ad hanc constitutionem nostram adimplendam Episcopi & Abbates sive qui nostra beneficia habent, adjuvent Comites in suis hominibus distringendis. Et si comites hanc nostram constitutionem neglexerint, hoc per missos ad nostram notitiam perferatur.

70. De collectis malis omnimodis inhibendis.

Collectæ ad male faciendum fieri omnimodis prohibeantur, & ubicumque hujusmodi præsumptiones factæ fuerint, digna emendatione corrigantur. Et si per negligentiam comitis vel factæ sunt vel inemendatæ remanserunt, hoc ad nostram notitiam perferatur. Auctor verò facti si fuerit præpositus vel advocatus, sive centenarius, vel qualibet alia dignitate præditus, libera persona per legalem emendationem in loco factam sub fidejussoribus ad nostram præsentiam veniat: Multitudo vero sive de servis sive de liberis sit, legitima emendatione multetur.

80. Ut pontes publici, qui destructi fuerint, iterum extruantur.

De pontibus publicis destructis nobis si qui jussionem nostram in reparandis contempserint, volumus ac jubemus ut omnes homines nostri in nostram veniant præsentiam rationes reddere, cur nostram jussionem ausi sunt contemnere. Comites autem reddant rationem de eorum pagensibus, cur eos aut non constrinxerunt ut hoc facerent, aut nobis nunciare neglexerunt: Similiter & de injustis teloneis ubicumque accipiuntur, sciant se exinde nobis rationem reddituros.

81. *De examine aqua frigida.*

Ut examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, à missis omnibus interdicatur, ne ulterius fiat.

82. *De reversione Comitis & pagensium de hostili expeditione, ut ex eo die super quadraginta dies sit bannus recisus.*

Postquam comes & pagenses de qualicumque expeditione hostili reversi fuerint ex eo die super XL. noctes sit bannus recisus, quod lingua Teodisca Scaft legi, id est, armorum depositio vocatur.

83. *De audientia regis.*

Hoc missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quod nos in omni hebdomada unum diem ad causas audiendas & judicandas sedere volumus. Comites autem & missi nostri magnum studium habeant, ne forte propter eorum negligentiam pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, si nostram gratiam habere velint. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis causis ad nos reclamare, nisi de quibus aut missi nostri aut Comites eis justitias facere noluerint.

84. *De Inferenda à vicariis vel aliis missis Comitum exigenda.*

Quicumque vicarii vel alii ministri tributum quod inferenda vocatur, majoris pretii à populo exigere præsumpserit, quam à missis bonæ memoriæ genitoris nostri constitutum fuit, hoc est, duos solidos pro una vacca, Quod injuste superposuit atque abstulit, sibique retinuit, his quibus hoc tulit cum sua lege restituat, & insuper fredum nostrum componat, & ministerium amittat.

85. *De eo qui propter cupiditatem rerum quemcumque propinquorum suorum interfecerit.*

Si quis propter cupiditatem rerum, patrem, aut matrem, aut sororem, vel alium propinquum suum interfecerit, hæreditas interfecti ad alios suos legitimos hæredes perveniat, interfectoris autem hæreditas in fiscum redigatur, ipse vero ordinante Episcopo publicæ pœnitentiæ subdatur.

86. *De eo qui res alienas cuilibet homini vendiderit.*

Quicumque res alienas cuilibet homini vendiderit, & ipse homo easdem res alicui alteri dederit sive vendiderit, & ipse qui tunc easdem res comparatas habet per malum ingenium, pro filio aut alteri cuilibet necdum legitimos annos habenti justitiæ tollendæ causa tradident, volumus atque firmiter præcipimus, si pater ejusdem parvuli vixerit, ipse intret in suam rationem reddendi pro filio suo: Si aut pater mortuus est tunc legitimus ejus propinquus, qui juste ei tutor aut defensor esse videtur, pro ipso rationem reddere compellatur. Similiter de aliis omnibus institutis ad eum pertinentibus, excepta sua legitima hæreditate, quæ ei per successionem parentum suorum legitime evenire debuit. Quod si quis hanc nostram jussionem contempserit vel neglexerit, sicut de cæteris contemptoribus, ita & de eo agatur. Is vero qui easdem res primus invaserit, & injuste vendidit, nec non & emptores, excepta sola persona parvuli, hoc quod fraudulenter admiseruot intra patriam emendare cogantur. Et postea sicut contemptores jussionis nostræ sub fidejussoribus ad nostram præsentiam venire compellantur.

LUDOVICI PII IMPERATORIS AUGUSTI, ET LOTHARII CÆSARIS

CAPITULA.

Decreta Aquisgrani in Palatio Regio.

I.

BEnedictus de sua reclamatione in perpetuum sileat.

II.

De manso, quem Gehirfredus Episcopus à Liutrico Comite requirit, ut si missi nostri invenerint eum justitiam habere, non permittant Liutricum per vestituram Domini KAROLI justitiam ejus impedire.

III.

De foreste, quam Autharius Comes habere vult, ubi ea prius non fuisse dicitur, ut Missi nostri rei veritatem inquirant, & juxta quod justum invenerint, ex nostra auctoritate definiant.

IV.

De causa Rothmundi Comitis, ut ei liceat hic in Palatio sacramentum suum jurare, quia propter nostrum servitium sibi constitutum placitum intra patriam observare non licuit.

V.

De duabus fœminis, quæ indiculos attulerunt, interrogandi sunt Heiminus & Monoaldus, utrum Ecclesiasticæ, an fiscalinæ fuissent.

VI.

Odo Buticularius de foreste sua interrogandus est.

VII.

De rebus quas Marchio tradidit filio Bosonis vel aliis hominibus, volumus, ut hi, quibus traditæ fuerunt, vestituram suam accipiant, & insuper confirmationem.

VIII.

De tebus, quas quædam fœmina Hildegatdi reginæ tradidit, & portionem quam sibi reservavit, injuste amisisse dicitur, volumus, ut charta traditionis quætatur, & inspiciatur, & tunc quid illa habere debeat, definiatur.

IX.

Querelam, quam Helizachar & Heiminus contra Maginarium habent, volumus, ut missi nostri secundum justitiam & æquitatem definiant.

X.

De quetela Hildebtandi comitis, quod pagenses ejus parauredra dare recusant, volumus, ut hoc missi nostri ab his hominibus, qui in eodem comitatu manent, & ea dare non debent, necnon & à vicinis comitibus inquirant, & si invenerint, quod ipsi ea dandi debitores sunt, ex nostra jussione dare ptæcipiant.

Anno Christi 832.

LUDOVICI PII IMPERATORIS AUGUSTI, ET LOTHARII CÆSARIS

CAPITULARE.

* sc. Lotharii Cæsaris, cui in Leg. Longobard. attribuuntur.

Hæc sunt Capitula, quæ aliqui ex Missis nostris ad * nostram notitiam detulerunt Anno XVI. Imperii nostri.

Cap. I. De Presbyteris.

DE his, qui sine consensu Episcopi Presbyteros in Ecclesiis constituunt, vel de Ecclesiis ejiciunt, & ab Episcopo, vel à quolibet Misso Dominico admoniti obedire noluerint, ut bannum nostrum reuadiate cogaotur, & per fidejussores ad placitum nostrum venire jubeantur: & tum nos decernamus, utrum nobis placeat, ut aut illum banoum persolvant, aut aliam harniscaram sustineant.

Cap. 2. De Ecclesiis inter heredes divisis.

DE Ecclesiis, quæ inter heredes divisæ sunt, consideratum est, quatenus, si secundum providentiam & admonitionem Episcopi ipsi coheredes eas voluerint tenere, & honorare faciant. Sin autem hoc contradixerint, ut Episcopus potestatem teneat, utrum eas ita consistere permittat, aut teliquias exinde auferat. Et ubi ad nostrum beneficium Ecclesiæ pertinentes ita divisæ inv[illegible]æ fuerint, ut describatur, & nobis tenuncietur.

Cap. 3. De Ecclesiis destructis.

DE Ecclesiis destructis, & Episcopi & Missi inquisitionem faciant, utrum per negligentiam aut impossibilitatem destructæ siot: & ubi negligentia inventa fuerit, Episcopali auctoritate emendare cogantur, qui eam restaurare debuerant. Si verò impossibilitate contigit, aut plures sint, quam necesse sit, aut majoris magnitudinis, quam ut ex tebus ad eas pertinentibus restaurari possint, Episcopus modum inveniat, qualiter coogrue emendari, & consistere possiot.

Cap. 4. De manse ad Ecclesiam date.

DE uno manso ad Ecclesiam dato, de quo aliqui homines contra statuta sibi servitium exigunt, Quicumque pro hac causa accusatus fuerit, Comes vel Missus hoc, quod deinde subtractum est, Presbyteris cum sua lege restituere faciant.

Cap. 5. De nonis & decimis.

DE his, qui nonas aut decimas jam pet multos annos aut ex parte aut ex toto dare neglexerunt, volumus, ot per Missos nostros constringantut, ut secundum Capitularem priorem solvant unius anni nonam & decimam cum sua lege, & insuper bannum nostrum. Et hoc eis denuncietur, quod, quicumque haoc negligentiam iteraverit, beneficium suum, unde hæc nona & decima persolvi debuit, amissurum se sciat. * Ita enim continetur in Capitulare bonæ memoriæ genitoris nostri in lib. 1.

* hæc verba referenda sunt ad sequens Capitulum.

Cap. 6. Item de nonis & decimis.

VT qui Ecclesiarum beneficia habent, nonam & decimam ex eis Ecclesiæ, cujus tes sunt, donent; & qui tale beneficium habent, & ad medietatem labotant, & de eorum portione proprio Presbytero decimas donent. * Item in Capitulare nostro in lib. 2, cap. 21. de eadem re.

* ad sequentia pertinet.

Cap. 7.

Cap. 7. De nonis & decimis.

DE nonis & decimis, unde genitor noster & nos frequenter & in diversis placitis admonitionem fecimus, & in Capitularia nostra, qualiter quæ observentur, ordinavimus, volumus atque jubemus, ut de omni collaborato, & de vino, & fœno, fideliter & pleniter ab omnibus nona & decima persolvatur. De nutrimine vero pro decima, sicut hactenus consuetudo fuit, ab omnibus observetur. Si quis tamen episcoporum fuerit, qui argentum pro hac accipere velit, in sua maneat potestate, juxta quod ei, & illi, qui hoc persoluere debet, convenerit.

Cap. 8. Qui decimam fraudat.

QUicunque decimam abstrahit de Ecclesia, ad quam per justitiam dari debet, & eam præsumptione, vel propter munera, aut amicitiam, vel aliam quamlibet occasionem ad alteram Ecclesiam dederit, à Comite vel à Misso nostro distringatur, & ejusdem decimæ quantitatem cum sua lege restituat.

Cap. 9. De decimis, quas populus recusat.

DE decimis, quas populus dare non vult, nisi quolibet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est, ne fiat. Et si quis contemptor inventus fuerit, & nec Episcopum nec Comitem audire velit, si noster homo fuerit, ad præsentiam venire compellatur. Cæteri vero distringantur, ut inviti Ecclesiæ restituant, qui voluntarie dare neglexerunt.

Cap. 10. De restauratione Ecclesiarum.

QUicumque de rebus Ecclesiarum, quas in beneficium habent, restaurationes earum facere neglexerint, juxta Capitulare, in quo *De operibus, nonis & decimis* constitutum est, sic de illis adimpleatur. * Item in libro 4. Cap. 38. *De opere & restauratione Ecclesiarum.* * pertinent ad seq. cap.

Cap. 11. Super eadem re.

COnsiderandum est, ut de frugibus terræ, & animalium nutrimine persolvantur.

2. De opere vel restauratione Ecclesiarum Comes & Episcopus vel Abbas, una cum Misso nostro, quem sibi ipsi ad hoc elegerint, considerationem faciant, ut unusquisque eorum tantum inde accipiat ad operandum, & restaurandum, quantum ipse de rebus Ecclesiarum habere cognoscitur. Similiter & Wassi nostri in commune tantum operis accipiant, quantum rerum Ecclesiasticarum habent, vel unusquisque per se juxta quantitatem, quam ipse tenet, aut, si inter eos convenerit, ut pro opere faciendo argentum donet, juxta æstimationem operis in argento persolvant, cum quo precio Rector Ecclesiæ ad prædictam restaurationem operis & materiam operis conducere valeat. Et qui nonas & decimas dare neglexerit, primum quidem illas cum sua lege restituat, insuper bannum nostrum solvat, ut ita castigatus caveat, ne sæpius iterando beneficium amittatur.

Cap. 12. De nonis.

DE illo, qui agros Dominicos propterea neglexit colere, ut nonas exinde non persolvat, & alienos scintas ad excolendum propter hoc accipit, volumus, ut de tribus annis ipsam nonam cum sua lege persolvat. Et si quis contemtor aut Comitis aut Missorum nostrorum propter hoc extiterit, per fidejussores ad placitum venire compellatur.

Cap. 13. De præscriptione 30. annorum.

DE rebus Ecclesiarum, quæ ab eis per 30. annorum spacium sine ulla interrogatione possessæ sunt, testimonia non recipiantur, sed eo modo contineantur, sicut res ad fiscum pertinentes contineri solent.

Cap. 14. De beneficiis destrictis.

DE beneficiis destructis hoc observetur, quod in Capitulare priori continetur, id est, in lib. 4. cap. 36. Quicumque suum beneficium occasione proprii desertum habuerit, & intra annum, postquam à Comite vel Misso nostro notum factum fuerit, illud emendatum non habuerit, ipsum beneficium amittat.

Cap. 15. De malis Scabinis.

VT Missi nostri, ubicunque malos Scabinos inveniunt, ejiciant, & totius populi consensu in locum eorum bonos eligant, & cum electi fuerint, jurare faciant, ut scientes injuste judicare non debeant.

Cap. 16. De inquisitoribus.

VT in omni Comitatu Inquisitores meliores & veraces inveniri possint, eligantur à Missis nostris ad inquisitiones faciendas, & rei veritatem dicendã, & adjutores Comitũ sint ad justicias faciendas.

Cap. 17. De Scabinis munera acceptantibus.

VOlumus, ut quicumque de Scabinis deprehensus fuerit propter munera, aut propter amicitiam, injuste judicasse, per fidejussores Missus noster ad præsentiam nostram venire faciat. De cætero vero omnibus Scabinis denuncietur, ne quis deinceps etiam justum judicium vendere præsumat.

Cap. 18. De commutationibus ecclesiarum.

VOlumus, ut ubicumque commutationes tam de proprio nostro quam de genitoris nostri, legitimæ & rationabiles atque utiles Ecclesiis Dei factæ sunt, permaneant. Ubicumque vero inutiles & incommodæ atque irrationabiles factæ sunt, dissolvantur, & recipiat unusquisque quod dedit. Ubi vero mortua manus interiacet, aut alia quælibet causa, quæ irrationabilis esse videatur, inventa fuerit, diligenter describatur, & ad nostram notitiam perferatur.

Cap. 19. De eo qui testes fecit perjurare.

QUicunque comprobatus fuerit de eo, quod scienter testes in perjurium induxisset, sub fidejussione ad placitum nostrum venire compellatur, ut ibi cum fidelibus nostris consideremus, quid de tali homine faciendum sit.

Cap. 20. De pacis turbatoribus.

DE his, qui discordiis & contentionibus studere solent, & in pace vivere nolunt, volumus, ut sub fidejussoribus ad nostrum placitum veniant, & ibi cum fidelibus nostris consideremus, quid de talibus faciendum sit.

Cap. 21. De denariis.

DE bonis denariis, quos populus recipere non vult, volumus, ut hoc observetur & teneatur, quod in priori Capitulari nostro constitutum est in lib. 4. cap. 30.

Quicumque liber homo vel in emptione, vel in debiti solutione denarium merum & bene pensantem recipere noluerit, bannum nostrum, id est, LX. solidos componat. Si vero Ecclesiastici vel fiscalini nostri, aut comitum, aut vassallorum nostrorum hoc facere præsumpserint, LX. ictus vapulentur. Et si actores nostri, aut aliorum, vel Advocati, eos à Missis nostris vel à Comitibus jussi præsentare noluerint, prædictum bannum componant. Et ad hanc nostram constitutionem adimplendam Episcopi, & Abbates, sive reliqui, qui beneficia nostra habent, adjuvent Comites in suis hominibus distringendis. Et si Comites hanc nostram constitutionem neglexerint, hoc per Missos nostros ad nostram notitiam perferatur.

Cap. 22. De homicidiis, vel injustitiis.

DE homicidiis, vel aliis injustitiis, quæ à fiscalinis nostris fiunt, quia impune se ea committere posse existimant, nos actoribus nostris præcipiendum esse decernimus, ne ultra impune fiant, ita ut ubicumque facta fuerint, solvere cum disciplina præcipiemus.

Cap. 23. De collecta malefactorum.

COllectam ad malefaciendum fieri omnimodis prohibeatur: & ubicumque hujusmodi præsumptiones factæ fuerint, digna emendatione corrigantur. Et si per neglegentiam Comitis vel factæ fuerint, vel inemendatæ remanserunt, hoc ad nostram noticiam perferatur: author vero facti, si fuerit Præpositus, vel Advocatus, sive Centenarius, vel qualibet alia dignitate prædita libera persona, post legem emendatam in loco factam sub fidejussoribus ad nostram præsentiam veniat, multitudo verò sive de liberis, sive de servis sit, legitima emendatione multetur.

Cap. 24. De pontibus publicis.

DE pontibus publicis destructis placuit nobis, ut hi, qui jussionem nostram in reparandis pontibus contempserunt, volumus ac jubemus, ut omnes homines nostri in nostram veniant præsentiam rationes reddere, cur nostram jussionem ausi sint contemnere. Comites autem reddant rationem de eorum pagensibus, cur eos aut non constrinxerunt, ut hoc facerent, aut nobis nunciare neglexerunt.

2. Similiter & de injustis tolo eis, ubicumque accipiuntur, sciant se exinde nobis rationem redituros.

Cap. 25. De judicio aqua frigida.

UT examen aquæ frigidæ, quod hactenus faciebant, à Missis nostris interdicatur, ne ulterius fiat.

Cap. 26. De Inferenda.

QUicumque Vicarii, vel alii ministri Comitum tributum, quod inferenda vocatur, majoris precii à populo exigere præsumpsit, quam à Missis bonæ memoriæ genitoris nostri constitutum fuit, hoc est, duos solidos pro una vacca: hoc, quod injuste superposuit, atque abstulit, sibique retinuit, bis, quibus hoc abstulit, cum sua lege restituat, & insuper fredum nostrum persolvat, & ministerium amittat.

Cap. 27. De Scatlegi.

POstquam Comes, & pagenses de qualibet expeditione hostili reversi fuerint, ex eo die super XL. noctes sit bannus recisus, quod in lingua Teutisca Scatlegi, id est, armorum depositio, vocatur.

Cap. 28. De audientia Regis.

HOc Missi nostri notum faciant Comitibus, & populo, quod nos in omni hebdomada unum diem ad causas audiendas sederevolumus.

Comites autem & Missi nostri magnum studium habeant, ne forte propter eorum negligentias pauperes crucientur, & nos tædium propter eorum clamores patiamur, si nostram gratiam habere velint. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis causis se ad nos reclamare, nisi de quibus aut Missi nostri, aut Comites eis justiciam facere noluerunt.

LOTHARII I. IMPERATORIS AUGUSTI

CONSTISTUTIO,

DE DECIMIS.

DE decimis, ut dentur, & dare nolentes, secundum quod anno præterito denunciatum est, à ministris Reipublicæ exigantur, id est, eligantur quatuor sive octo optimi homines, vel prout opus fuerit, de singulis plebibus juxta qualitatem uniuscujusque plebis, ut ipsi inter sacerdotem & plebem testes existant, ubi datæ vel non datæ fuerint. Hoc ideo, ne ibi juramentum aliquod faciendi necessitas contingat. Non tamen ideo tantos testes mittendos dicimus, ut ipsi semper omnes in dandis decimis præsentes esse pariter necesse sit, sed ut, dum pluribus committitur, minus gravetur. In duobus autem, si adfuerint, sufficere credimus.

2. Negli-

2. Negligentes autem amoveantur à Presbyteris Ecclesiarum usque ad tertiam vicem, ut ipsam decimam dent. Quod si contempserint, ab introitu Ecclesiæ prohibeantur: & si hoc non emendaverint, à ministris Reipublicæ districti singuli per caput sex solidos Ecclesiæ componant, & insuper decimam dare cogantur. Nam si iterum contemptores extiterint, tunc per publicam auctoritatem domus vel casæ eorum hiusentur, quousque pro ipsa decima, sicut supradictum est, satisfaciant. Quod si denuo rebelles vel contradictores esse voluerint, & super ipsam hiusam sua auctoritate intrare præsumpserint, tunc à ministris Reipublicæ in custodia mittantur, usque dum ad judicium publicum producantur, & ibi secundum legem contra Comitem vel partem publicam componant. Reliqua autem, ut supradictum est de decimis, & vi. solidis contra Ecclesiam, satisfaciant.

LOTHARII I. IMP. AUG.

CAPITULA,

Quæ pro Lege habenda sunt.

Cap. 1. *De homicidiis.*

DE homicidiis in Ecclesiis, vel in atriis eorum commissis, hoc observetur & teneatur, sicut in Capitulari priore constitutum, noluerit prædictum bannum LX. solid. componat.

Cap. 2. . . . .

Cap. 9. *De falsa moneta.*

DE falsa moneta jubemus, ut quicumque percusserit, aut probatus fuerit, manus ei amputetur; & qui hoc consenserit, si liber est, LX. solid. componat.

Cap. 10. *De testibus.*

DEcernimus, ut quisquis aliter testes habere non potuerit, aut per Comitis jussionem, quos in suo testimonio necessarios quosque habuerit, veritatem perlaturi publico conventui adducantur, ut per ipsos rei veritas cum juramento valeat inquiri. Quod si de duabus partibus fuerit inquisitio facta, idcirco quod nullus eorum possit habere testes, antequam jurent, fiat inquisitio facta. Quod si omnes ad unam partem dixerint testimonia, jurent, verum dixisse testimonium. Et si dissenserint, aut quædam pars uni præbuerit testimonium, & alia alteri, tunc interrogentur, si audent per pugnam illorum testimonia approbare. Quod si nulla pars alteri cesserit, jurent, & per pugnam probetur illorum testimonium. Et si una pars se subtraxerit, tunc ille, quæ ausa fuerit contendere, recipiatur ad testimonium.

Cap. 11. *Quando servus non possit liberari.*

UT per 30. annos servus liber fieri non possit, si pater illius servus, aut mater illius ancilla fuit.

Cap. 12. *De Cancellariis & notariis.*

UT nullus cancellarius pro ullo judicato aut scripto aliquid amplius accipere valeat, nisi dimidiam libram argenti de majoribus scriptis.

2. De minoribus autem infra ipsam dimidiam libram, quantum res exposcit, & judicibus rectum videatur, accipiat.

3. De orphanis autem, vel cæteris pauperibus, qui exsolvere hoc non possunt, in providentia Comitis fiat, ut nequaquam inde accipiat aliquid.

4. Notarii autem hoc jurare debent per singula loca, quod nullum scriptum falsum faciant, nec inocultum. Nec scriptum aliquod faciant de uno Comitatu in aliom, nisi per licentiam illius Comitis, in cujus Comitatu stare debet. Quod si aliter fecerit, sit inanis.

5. Si verò necessitas itineris aliquem compulerit, aut infirmitas gravis, secundum Capitulare Domini & genitoris nostri faciat.

Cap. 13. *De observantia Capitulorum.*

PLacuit nobis, ut Capitula sanctæ memoriæ avi nostri KAROLI, ac Domini nostri HLUDOVICI Imperatoris, ab omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ seu nostris fidelibus in Regno Italiæ consistentibus pro lege teneantur, & conserventur. Et quicumque eorum contemptor extiterit, LX. solid. componat, sicut in Capitulis prædicti Domini avi.

RECESSUS
COMITIORUM ROMANORUM IMPERIALIUM
LOTHARII I. IMPERATORIS
AUGUSTI, ET LUDOVICI II.
CÆSARIS

DE SUPERIORITATE IMPERATORIS ET OBEDIENTIA PAPÆ ET URBIS ROMÆ.

Anno Christi 844.

CUm Papa Sergius Secundus inconsulto Imperatore electus & consecratus fuisset; & pessime suum Pontificatum administraret, & ad defectionem ac rebellionem quandam ab Imperio spectare videretur, Invictissimus Imperator LOTHARIUS Augustus excellentissimum Ludovicum

CUM REGEM filium suum cum Drogone Metensis Ecclesiæ Archiepiscopo, magnoque exercitu Francorum Romam direxit, ut Papam & Romanos ad obedientiam Imperii retraherent, & de aliis quoque delatis criminibus eum redarguerent. Cum quibus etiam Archiepiscopos, pluresque Episcopos, Abbates & Comites proficisci præcepit. Ipsi vero, vi & armis omnia occupantes, Papam & Romanos perterritos coegerunt se Romam intromittere. Ubi habito Episcoporum & Optimatum conventu per dies singulos summi certaminis de obedientia & superioritate, quod sc. Papa sit modis omnibus Cæsari subjectus, nec sine ejus nutu consecrari, multo minus regnare debeat, cum sanctissimo Præsule, omnibusque Episcopis & Optimatibus nostris atque Proceribus, ipse Drogo Archiepiscopus Metensis Ecclesiæ commovebat, tam ipse quàm omnes Archiepiscopi & Episcopi, qui cum eo contra universalem Episcopum, & caput cunctarum ecclesiarum, Domini sive Metropolitani confessione atque vocatione, convenerant. Ii sunt:

Gregorius Archiepiscopus ecclesiæ Ravennensis.
Aogelbertus Archiepiscopus ecclesiæ Mediolanensis.

Ecclesiarum Episcopi:
Joseph Eporediensis
Aginus * Vergonensis
Amalricus Cumensis
Northebaudus Vercellensis
Sigifridus Regensis
Toringarius Concordiensis
Odelbertus Aquensis
Ambrosius Lucensis
Joannes Pisensis
Petrus Volaterrensis
Gausbrandus Pistoriensis
Cantio Senensis
Lupus Textini
Sifimundus Aprunensis
Piceo Scholavensis
Fratellus Camerinensis
Bisus Firmanæ
Racipertus Nucerinensis
Amadeus Pinnensis
Donatus Fesolanæ

* Jo. Veronensis.

Et cæteri, cum quibus etiam

Boso Comes,	Vuldo Comes,
Adalgisus Comes,	Bernhardus Comes,
Joannes Comes,	Winefridus Comes,

atque Maurinus Comes, & cæteri pariter contendebant.

* Inclusa sunt præter Historiarum fidem quæ in his Comitiis superatam Pontificis pervicaciam asserunt.

(* Sed divina gratia inspirante, nec sermones ipsius almi Pontificis, neque prudentiam superare valuerunt. Tantaque ei superna aderat virtus, ut nulli sermone eum concludere vel constringere potuissent. Et ab eo superati pudore, & operti confusione discesserunt.)

Papa Imperatori fidelitatem promittit cum Romanis.

Illis igitur peractis, à prædicto postulaverunt Pontifice, ut omnes Primates Romani fidelitatem ipsi LUDOVICO REGI per sacramentum promitterent. Quod prudentissimus Præsul fieri nequaquam concessit: sed sic orsus est illis: Quia, si vultis, Domino LOTHARIO magno Imperatori hoc sacramentum ut faciant, solummodo consentio atque permitto. Nam LUDOVICO ejus filio, ut hoc peragatur, nec ego nec omnis Nobilitas Romanorum consentit. Tunc demum in eadem ecclesia sedentes pariter tam beatissimus Pontifex, quàm magnanimus REX, & omnes Archiepiscopi atque episcopi, stantibus reliquis Sacerdotibus, & Romanorum ac Francorum Optimatibus, fidelitatem LOTHARIO magno Imperatori semper Augusto promiserunt.

Anno Christi 846.

CAROLI II. CALVI REGIS

CAPITULA SPARTACANA.

HÆc quæ sequuntur Capitula, excerpta sunt à Domno Rege Karolo Domni Hludovici Imper. Filio & Principib. ejus ex capitulis, quæ anno DCCCXLVI. ediderant episcopi in * synodis, a Wenilo scil. cum suffraganeis suis, b Guntboldus cum suffraganeis suis, c Ursmarus cum suffraganeis suis, d Hincmarus cum suffraganeis suis, e Amalo cum suffraganeis suis: & oblata sunt eidem Principi, sicut ipse jusserat, collecta ad relegendum in Sparnaco villa Remensis ecclesiæ. Et quia factione quorundam motus est animus ipsius Regis contra episcopos, dissidentibus regni sui primoribus ab eorundem episcoporum ammonitione & remotis ab eodem concilio episcopis, ex omnibus illis capitulis hæc tantum observanda & complacenda sibi collegerunt, & episcopis scripto tradiderunt, dicentes, non amplius de eorum capitulis acceptasse quam ista, & ista se velle cum principe observare.

* Meldensi anno 845. & Parisiensi 846.
a Archiepis. Senonensis.
b Rothomagensis.
c.
d Rhemensis.
e Turonensis.

De honore & cultu ecclesiarum.
De honore episcoporum & veneratione servorum Dei.
De justitiis.

Ut

Ut cantela fiat erga eos, qui causa juventutis aut insipientiæ, in aliquo fallunt, sive contemnunt ammonitionem episcoprum, ne subito, aut incaute damnentur anathemate.
De his, qui contra regiam potestatem contumaces esse moliuntur.
De precariis.
De hospitalibus.
De rapacibus.
Ut episcopis tempus conguum observetur ad ministerium suum peragendum.
Ut clerici arma militaria non contingant.
Ut missi dirigantur, qui inquirant, si præcepta à nobis de reb. ecclesiarum ad proprium sint facta.
De hæresi simoniaca.
Ut à nullo sedes episcopalis proprio infirmante episcopo usurpetur.
Ut Canonici infra dormitorium dormiant.
Ut monachi ad palatium non veniant, nisi causa obedientiæ, exceptis Abbatibus.
Ut laici decimas de ecclesiis non contingant.
De sanctimonialibus contra auctoritatem nuptis.
De sponsis aliorum.
De sepulturis infra ecclesiam.

Plenitudo autem capitulorum, quæ in plenitudine Synodalium actionum habentur, unde hæ Commemorationes excerptæ sunt, ita per loca continentur.

DE honore & cultu Dei atque sanctarum ecclesiarum, quæ auctore Deo sub ditione & tuitione regiminis nostri consistunt, commuuiter, Deo mediante, decernimus, ut sicut tempore beatæ recordationis Domini ac genitoris nostri excultæ & honoratæ atque rebus ampliatæ fuerunt, salua æquitatis ratione, ita permaneant; Et quæ à nostra liberalitate honorantur atque ditantur, de cætero sub integritate sui serventur, & sacerdotes ac servi Dei vigorem ecclesiasticum & debita privilegia juxta reverendam auctoritatem obtineant. Eisdem vero Regalis potestas & illustrium virorum strenuitas, seu Reipublicæ administratores, ut suum ministerium competenter exequi valeant, in omnibus rationabiliter & juste concurrant.

2. Honor etiam Regius & potestas regali dignitati competens, atque sinceritas & obtemperantia seniori debita, remota omni socordia & calliditate, seu qualibet indebita quorumcunque conjunctione contra honorem & potestatem atque salutem nostram, sive regni nostri soliditatem nobis in omnib. & ab omnib. sicut tempore antecessorum nostrotum consueverat, exhibeatur. Et si quis quemcunque contra nos, & contra hanc pactam sinceritatem aliquid moliri manifeste cognoverit, si eum convertere nequiverit, aperte prodat atque denotet, & sic consilio atque auxilio episcopalis auctoritas, & fidelium unanimitas, ut noster honor & potestas regia inconvulsa permaneat, totis nisib. decertare & adjuvare procuret.

3. Qoia vero debitum esse cognoscimus, ut à quibus honorem suscipimus, eos juxta dictum dominicum honoremus, volumus, ut omnes fideles nostri certissimum teneant, neminem cujuslibet ordinis, aut dignitatis, deinceps nostro inconvenienti libitu, aut alterius calliditate vel injusta cupiditate promerito honore debere privari, nisi justitiæ judicro & ratione atque æquitate dictante. Legem vero unicuique competentem, sicut antecessores sui tempore meorum prædecessorum habuerunt, in omni dignitate & ordine favente Deo, me observaturum perdono.

4. Quod ut facilius atque obnixius nostra auctoritas valeat observare, omnes, ut in vestra bene memorabili convenientia pepigistis, conservare studebitis; Immo etiam cuncti id postmodum solicitè præcavebunt, ne aliquis pro quacunque privata commoditate, aut rejicienda cupiditate, sive alicujus consanguinitatis vel familiaritatis seu amicinæ conjunctione nobis inmoderatius suggerat, vel postulationibus aut quolibet modo illiceat, ut contra justitiæ rationem & nostri nominis dignitatem ac regiminis æquitatem agamos.

5. Et si forte subreptum nobis quippiam, ut homini fuerit, competenter & fideliter, prout sublimitati regiæ convenit, & necessitatibus subjectorum expedit, ut hoc rationabiliter corrigatur, vestra fidelis devotio ammonere curabit.

6. Et ne magnificentiam vestram illuc vestræ dignitati indecens & inhonesta impellat necessitas, quo non trahit voluntas. Et partim necessitate, partim etiam subreptione, quia aliter quam se rei veritas habeat nobis dictum vel postulatum fuit, maxime quod ad rempublicam pertinuit, aut præreptione in beneficiario jure, aut in alode assumptum habetur, videtur nobis utile & necessarium, ut fideles & strenuos missos ex utroque ordine per singulos comitatus regni vestri mittatis, qui omnia diligenter inbrevient, quæ tempore avi ac patris vestri, vel in regio specialiter servitio, vel in vasallorum dominicorum beneficiis fuerint, & quid vel qualiter, aut quantum exinde quisque modo retineat, & secundum veritatem renuntietur vobis, & ubi invenietis, quia ratio & utilitas, ac ordo seu veritas in absumptis vel donationibus habeatur, in statu permaneant: Ubi autem inrationabilitas, vel potium fraus inventæ fuerint una cum consilio fidelium vestrorum hoc taliter corrigite, ut ratio atque utilitas seis justitiis non deserantur, & dignitas magnificentiæ vestræ per necessitatem ita vilis non fiat, sicut vos non decere cognoscitur, quoniam domestica domus vestra aliter obsequiis domesticorum repleri non poterit, nisi habuentis, unde eis meritis respondere, & indigentiæ solatium ferre possitis: & sic demum respublica vestra de suo suffragetur sibi & Ecclesiæ, à quibus non expedit, habeantur immunes.

7. Ut nemo Episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati causa communione privet Ecclesiastica. Anathema autem sine consensu Archiepiscopi, aut coepiscoporum, prolata etiam Evangelica ammonitione nulli imponat, nisi unde canonica docet auctoritas, quia anathema æternæ est mortis damnatio, & non nisi pro mortali debet imponi crimine, & illi qui aliter non potuerit corrigi.

8. Ut precariæ & commutationes tempore viduatarum Ecclesiarum factæ ab his, qui loca Episcoporum occupaverant, rescindantur: & cum auctoritate Ecclesiastica vel civili denuo si fiendæ sunt, fiant.

9. Precariæ autem à nemine de rebus Ecclesiasticis fieri præsumantur, nisi quantum de qualitate convenienti datur ex proprio: duplum accipiatur ex rebus Ecclesiæ in suo tantum qui dederit nomine. Si autem res proprias ad præsens dimiserit, ex rebus Ecclesiasticis triplum fructuarii usu in suo tantum quis nomine firmat, quia sic eas quemque tractare oportet ut alienarum dispensatorem, non propriarum largitorem, & à nulla potestate quis cogatur facere precariam de rebus proprie Deo & sanctis illius dicatis, cum ratio & usus obtineat, neminem, cui non vult, contra utilitatem & rationem præstitum de proprio facere beneficium. Præcepta autem regalia super precariis Ecclesiasticis fieri nec ratio sinit, nec auctoritas quolibet modo permittit, quoniam præcepta in jure Ecclesiastico firmare indignum judicet necesse est majestas regia, nisi ab Ecclesiastico rectore petantur. Idem autem custos Ecclesiæ solertissime caveat, ne sui ordinis & Ecclesiasticæ communionis forte immemor contra auctoritatem præceptum regium pro quacumque adsentatione fieri petat. Qui etsi fecerit, non audiatur: Si autem obtinuerit, regia discretione & Episcopali id rescindatur: & petitor injustus pro principis injusta suggestione digne corripiatur, & precariæ secundum antiquam consuetudinem & auctoritatem quinquennio in quinquennium renoventur.

10. Ut contra deprædatores, & oppressores Ecclesiarum, & rerum ad easdem pertinentium defensores secundum ministerium vestrum quantum Deus posse dederit, existatis, & præcepta, quæ avus & pater vester ecclesiis ditioni vestræ subjectis fecerunt ac firmaverunt, & stabilia conservaverunt, quæque vos confirmastis, de cætero rata in omnibus conservetis.

11. Ut regia munificentia liberiorem libertatem episcopis ad suum peragendum in eorum parrochiis ministerium, quam hactenus propter diversas perturbationes habuissent, maxime in sacratissimis temporibus, quadragesimæ scilicet, & adventus Domini, tribuat, quatenus & periculum & ipsi Episcopi & regia dignitas salubrius pro ministerio sibi commisso & neglecto possint evadere, & pro strenue executo divinam misericordiam sibi conciliare prævaleant. Ipsi autem episcopi concessum sibi otium non in suas voluptates, sed in divinum & officiosum convertant negotium: quatenus studentes prædicationi atque confirmationi, quod hactenus per parrochias fuit neglectum solerter & devotissime de cætero sit correctum & emendatum: & non propter suam quietudinem episcopi ad remotiora loca secedentes, & suum ministerium neglegentes proprias deserant civitates, sed ut parrochias suas cum officii efficacia circumeant, aut cum religione in suis civitatibus canonice cum suis filiis degant, & hospitalitate ornati, quæ jam pene propter diversas rapacitates annullata est, non solum in oculis Domini propter inobedientiam mandati divini reddantur conspicui, verum & bonum testimonium secundum sanctum adquirant Apostolum. Presbyteros etiam sibi commissos & doctrinæ castitate, & sobrietate atque hospitalitate, secundum eorum ministerium ornari compellant.

12. Ut quicumque ex clero esse videntur arma non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus, & religioso habitu præbeant. Quod si contempserint tamquam sacrorum canonum contemptores, & ecclesiasticæ sanctitatis profanatores proprii gradus amissione multentur, quia non possunt simul Deo & sæculo militare.

13. Ammonenda est regia magnitudo de hospitalib. quæ tempore prædecessorum suorum & ordinata, & excolta fuerunt: & modo ad nihilũ sunt redacta. Sed *& hospitalia Scottorum* quæ sancti homines gentis illius in hoc regno construxerunt, & rebus pro sanctitate sua adquisitis ampliaverunt, ab eodem hospitalitatis officio funditus sunt alienata: & non solum supervenientes in eadem hospitalia non recipiuntur, verum etiam ipsi qui ab infantia in eisdem locis sub religione domino militaverunt, exinde ejiciuntur, & ostiatim mendicare coguntur. Unde pertimescenda est canonica sententia, & maxime decretalis Symmachi Papæ definitio; quia ut necator pauperum, & Christi traditor Judas, id est, qui hujus sceleris auctor & perpetrator esse dignoscitur, præsenti & perpetuo anathemate feriendus. Qui reiculam, inquit, Symmachus Papa, vel quicquid fuerit ecclesiæ, petunt à regibus, & corrumpendæ pietatis instinctu egenuum substantiam rapiunt, irrita habeantur si qua obtineant, & à communione ecclesiæ cujus facultatem auferre cupiunt, excludantur. Item in canone Aurelianensi: Si quis quolibet tempore contra hanc constitutionem nostram venire tentaverit, aut aliquid de consuetudine vel facultate xenodochii abstulerit, ut xenodochium quod avertat Deus, esse desinat, ut necator pauperum irrevocabili anathemate feriatur.

14. Cavendum & summopere præcavendum, ac per virtutem Christi sanguinis interdicendum, & episcopis & regibus & omnibus sublimioribus potestatibus, atque cunctis fautoribus & electoribus quorumcumque atque consensoribus seu ordinatoribus in gradu ecclesiastico, ut nemo per symoniacã hæresim regiminis locũ obtineat quacumque factione, calliditate, promissione seu cõmoditate, aut donatione, per se aut per emissam personam: cum spiritus sanctus inter cætera documenta ecclesiastica per os sancti dicat Gregorii: Cur nõ perpenditur, quia benedictio illi in maledictionẽ convertitur qui adhoc ut fiat

ut fiat hæreticus promovetur? & item; Ementes quippe atque vendentes par pœna constringit; cum liqueat hanc hæresim in ipsa sua origine Apostolica esse detestatione damnatam, & Apostolus docet: Non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt digni sunt morte; & item beatus Gregorius: dolens inquit dico, gemens denuncio: quia sacerdotium, quod apud vos intus cecidit, foris diu stare non poterit. Item: Ideo adversarius animarum callida specie suadet quasi debere ab habentib. accipi, ut sit quod possit non habentibus erogari. Sed scriptum est: hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere.

15. Ut nemo Episcopo veniente Ecclesiam illius aut res ad eam pertinentes invadere, aut dominari præsumat, neque sub voluntariæ cleri ac populi electionis obtentu præter voluntatem Episcopi quisquam quacumque seculari potestate præditus, quasi œconomum constituat: Sed si Episcopus ministerium Ecclesiasticum propter infirmitatem corpoream exhibere non potuerit, in Archiepiscopi hoc cum voluntate Episcopi ejusdem Ecclesiæ maneat ordinatione, qualiter debitum officium non remaneat. Obsequium vero ad rempublicam pertinens, qualiter exsequatur per tales ex subditis & Ecclesiasticis ministris cum consensu Archiepiscopi propter pacis charitatisque custodiam Episcopus ordinet & disponat, quos succedendi in Episcopatu appetitus indebitus non elevet, neque vexet, nisi moratus ita extiterit, ut secundum instituta beati Gregorii in libro Epistolarum, & similiter in subdito prosit, & post humiliter conveniens sanctis regulis præsit; quia ob hoc in multis Ecclesiis scandalum magnum conspeximus. Si autem in Archiepiscopo talis necessitas acciderit, similiter ipse consilio Episcoporum suorum hujusmodi ordinationem exhibeat.

16. Ut Canonici in Civitate vel monasteriis, sicut constitutum est, in dormitorio dormiant, & in refectorio comedant, & in domo infirmorum necessario subleventur; & tam sani quam & infirmi canonice vestiantur, atque in claustris congruis horis degant; & sub custodia canonica lectionis & cæteris divinæ institutionis insistant officiis. Qui verò Episcoporum loci convenientiam aut facultatem non habuerit, ut hoc perficere & ordinare possit, Princeps secundum constitutionem Domini Imperatoris Hludovici annuat. Id est, si vicina Episcopio terra de eadem Ecclesia esse reperta fuerit, & ab alio possidetur, Ecclesiæ rectori ad claustra clericorum, vel alia quælibet ecclesiæ commoda facienda reddatur. Si autem de fisco fuerit, regia liberalitas, eandem terram ad servorum Dei habitacula construenda largiri dignetur. Si autem de alia causa Dei aut de cujuslibet proprio fuerit, ex convenientia commutandi licentia tribuatur. Et si paupertas loci ad ædificandas domos necessarias non suffecerit, eos ad adjutorium ædificandi potestas regia cogat, qui res de eadem ecclesia in beneficiis retinent.

17. Ut monachi quibus monasteriorum cura commissa non est, passim & sine auctoritate palatium non adeant, nec in eo immorentur, vel ibi discurrere ac pervagari acephali præsumant. Sed si tales quilibet fuerint ut utiles & necessarii ecclesiæ ac principi reperiantur; cum auctoritate episcopi canonice ac religiose pergant: Sin autem in monasteriis suis sicut canonica & regularis docet institutio, religiosa resideant, hos etiam nec Episcopus, nec Abbas vel quilibet alius veredariorum more in missaticis instanter transmittat: quia per quosdam illorum contra canonicam auctoritatem; & ecclesiastica & civilia perturbantur negotia, nec sub prætextu obedientiæ diutius villicationibus inserviant; sed regulariter obedientiam vicissitudine sua peragentes secum, ut de S. Benedicto legitur, in monasterio habitent, atque seipsos recolligant. Hæc autem transgredientes, sive prælati in favendo; sive subditi in obediendo excommunicentur.

18. Hi vero, qui ex rebus ecclesiasticis nonas & decimas persolvere, & sartatecta Ecclesiæ secundum antiquam auctoritatem, & consuetudinem restaurare debent, & hoc non solum negligunt, verùm & per contemptum dimittunt, atque clericos fame & penuria; ecclesiastica quoque ædificia dissolutione annullari permittunt; tandiu ab ecclesiastica communione separentur, usque dum diligentia emendare studeant quod socordia neglexerunt; Quod si iterum iteraverint, post excommunicationis satisfactionem, regia potestate compulsi, juxta legale & antiquum dictum, *Qui negligit censum, perdat agrum*. Servi autem Ecclesiarum quibuscunque potestatibus subditi, unde melior consuetudo vel devotior commendatio ex tempora & jussione domini Ludovici; vel certe domini Karoli; seu etiam Pipini non existit saltem viginti diebus in anno eidem Ecclesiæ ad reficiendas ipsius ruinas absque molestia servire sinantur. Ubi autem & amplior commendatio, & melior consuetudo inde habetur pro hac nostra necessitudinis consideratione non decidat.

19. Qui sanctimoniales virgines vel viduas rapiunt, & progressu etiam criminis in conjugium sumunt, publicæ pœnitentiæ, juxta modum quod prævidérit Episcopus, subigantur. Ipsæ vero locis congruis pœnitentiæ retrudantur, & ad habitum religionis redire cogantur: Utrique autem sine ulla spe uxoriæ copulationis perenniter maneant. Si autem, quod absit; conjugia iterare præsumpserint, acriori subdantur vindictæ; & amplius propellantur. Qui forte obedire monitis salutaribus noluerit, anathematizentur.

20. De his, qui sponsas alienas rapiunt, vel consensu parentum accipiunt; antiqua & synodalis sententia observetur; Quod & si forte in Ecclesia eventus talis reperiri dignoscitur; ut pro salutis, & religionis competentia humanius quiddam debeant tractare pontifices, sicut canonica, ut eisdem verbis utamur, docet auctoritas, quia prior quidem, inquiens, diffinitio durius, posterior autem quiddam tractavit humanius, nullo modo, ut ad maximam indulgentiam descendamus, alterius sponsæ acceptor sine publica transeat pœnitentia, & sponso legaliter multa componat. Quod si his obedire renuerit, sine ulla refragatione anathematizetur, fautores vero illius, juxta modum culpæ, Episcopali decreto pœniteant. Si vero, quod non optamus, quis de gradu ecclesiastico talibus nuptiis sit consensorem; vel interventorem manifeste prodiderit, à gradu proprio repellatur: Et si verisimilibus a vinda suspicionibus fuerit propulsatus, & canonice nequiverit approbari, secundùm sanctorum patrum statuta se purgare cogatur.

21. Ut

21. Ut nemo quemlibet mortuorum in Ecclesia, quasi hæreditario jure, nisi quem Episcopus aut presbyter pro qualitate conversationis & vitæ dignum duxerit, sepelire præsumat. Nec quisquam ossa cujuslibet mortui de sepulchro suo ejicere, aut sepulturam cujusquam temerario ausu quoquo modo violet, sed unumquemque in loculo sibi ideo præparato atque concesso adventum sui judicis præstolari concedat: maxime cum non solum divinæ leges, sed etiam & humanæ apud humanam rempublicam sepulchrorum violatores reos mortis dijudicent. Sed & neque pro loco sepulturæ, ut verbis sancti Gregorii utamur, pretium de terra putredini concessa quærere, & de alieno luctu facere compendium aliquo modo temptet. Si quando autem proximi vel hæredes sponte aliqoid offerre Ecclesiæ voluerint in eleemosyna defuncti, accipere non vetamus: Peti verò, aut aliquid exigi omnimodo prohibemus, ne (quod valde inreligiosum est) aut venalis, quod absit, dicatur Ecclesia, aut de humanis mortibus videamur gratulari, si compendium exinde studemus quolibet modo quærere.

Anno Christi 852.
* Hic regnavit in Orientali Francia, Lotharii Imp. frater.

LUDOVICI II. *REGIS
DECRETUM
DE ADVOCATIS.

Decrevimus, ut nullus Præfectus in sua Præfectura, aut Quæstionarius infra quæsturam suam, alicujus causam Advocati nomine suscipiat agendam. In alienis verò Præfecturis vel Quæsturis singuli pro sua voluntate, aliorum causis agendis habeant facultatem. Dat. apud Erpesfurt habito Conventu.

CAROLI II. CALVI
REGIS FRANCORUM
CAPITULARE

DE STATU ECCLESIARUM ET RERUM ECCLESIASTICARUM CORRIGENDO.

Sancitum ac promulgatum in Comitiis Suessionensibus Anno DCCCLIII.

Anno Christi 853.

Ista sunt Capitula à Domno CAROLO *in Synodo apud Suessionis civitatem, in monasterio S. Medardi facta, anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo tertio, in Mense Aprili.*

Caput 1.

VT Missi nostri per civitates & singula monasteria tam Canonicorum, quàm Monachorum sive Sanctimonialium unà cum Episcopo parochiæ uniuscujusque in qua consistunt, cum consilio etiam & consensu ipsius, qui monasterium retinet, quem volumus & expresse præcipimus, ut præsens sit, vitam ibi degentium & conversationem inquirant, & ubi necesse est, corrigant, & ubi defunt, congruas officinas construere jubeant; & ubi sunt factæ, & per negligentiam sunt destructæ, instaurari præcipimus; & victum ac potum & vestitum, atque cætera necessaria pro qualitate ac possibilitate loci, & inhabitantium necessitate ordinent, & hospitalem supervenientium hospitum, receptionem pauperum ibidem ponant & ordinent: & thesaurum ac vestimenta seu libros diligenter inbrevient, & breves nobis reportent; inbrevient etiam quid unusquisque Ecclesiarum Prælatus, quando Prælationem Ecclesiæ suscepit, ibi invenerit, & quid modo exinde ibi minus sit, vel quid & quantum sit superadditum. Quid etiam Northmannis per nostram commendationem, sive sine nostra commendatione datum sit, quidve relictum, vel quid à quoquam ibi in eleemosynam datum, numerum etiam Canonicorum & Monachorum sive Sanctimonialium uniuscujusque loci describant, & nobis referant, ut secundum qualitatem & quantitatem loci, cum consilio Episcoporum & fidelium nostrorum, ubi minor numerus fuerit, nostra auctoritate addamus, ubi verò indiscretione Prælatorum superfuerit, ad mensuram redigamus.

Caput 2.

INquirant quoque quot tempore avi nostri CAROLI, & Domni genitoris nostri HLUDOVVICI, in unoquoque in loco fuerint, & quot modo sint, & ubi loca à Northmannis, sive à quibuslibet aliis destructa sunt, & penitus annullata, quot ibi nunc propter paucitatem rerum, & devastationem earundem constitui vel ordinari possint, ut inde cum consensu fidelium nostrorum ordinemus, quid de cætero agendum sit, & qualiter Abbatiarum Prælati, & in locis sacris inhabitantes de his, quæ Missi nostri præceperint, obedierint, nobis diligentissime & capitulatim referri procurent.

Caput 3.

VT Missi nostri diligenter investigent per singulas Parochias simul cum Episcopo, de monasteriis, quæ Dominum timentes in suis proprietatibus ædificaverunt. Et ne ab hæredibus eorum divi-

detentur, parentibus & prædecessoribus nostris sub immunitatis defensione tradiderunt, & postea in alodem sunt data, ut describant quæ sint, & à quo vel à quibus in proprietatem data sint, & nobis renunciare procurent; ut cum Episopis & cæteris fidelibus nostris consideremus, quid & qualiter secundum Dei voluntatem, & nostram salutem agere debeamus.

Cap. 4

UT Missi nostri per singulas Parochias una cum Episcopo Parochiæ ipsius requirant de cappellis & abbatiolis & casis Dei in beneficium datis, qualis census inde exeat, ut Ecclesia, de qua supra, exinde vestituram habere possit, & nobis renuncient, ut hoc nostra auctoritate commendetur & firmetur, & secundum qualitatem & quantitatem loci Clericos & luminaria ibi ordinent, & loca instaurari faciant.

Cap. 5.

DEnunciandum est omnibus, & à Missis nostris ordinandum, ut omnes Ecclesiæ Presbyteri sub immunitate & privilegio & ordinatione atque dispositione Episcorum singularum parochiarum, quibus consistunt, secundum auctoritatem canonicam & capitularia Domini KAROLI Imp. avi nostri, & pii Augusti HLUDOVICI Domni & genitoris nostri permaneant.

Cap. 6.

UT Missi nostri diligenter investigent cum Episcopo & Prælatis monasteriorum, & per fideles & strenuos viros in unaquaque parochia de rebus Ecclesiasticis in alodem datis, & sicut evidentibus & veris indiciis ac auctoritatibus conspexerint diligenter, à quo & quibus dati sunt, vel quantum exinde percepturi sint, describant, & nobis renuncient.

Cap. 7.

UT Missi nostri expresse & cum omni diligentia cum Episcopo & Prælatis monasteriorum per singulas parochias requirant de rebus Ecclesiasticis, unde nonæ & decimæ solui debent, & non solvuntur, & persolui ab easdem res tenentibus faciant. Et si aliqua contradictio, quæ rationabilis videatur, oborta fuerit, describatur. Et Prælatus ipsius casæ Dei, unde res esse noscuntur, & ille qui easdem tenet, & nonam ac decimam soluere detrectat, simul cum Missis nostris ad nostram jubeantur venire præsentiam, & tunc veritate comperta, & definitione decreta, quod rationabiliter invenerimus, inde percipiamus. Volumus etiam ut investigent Missi nostri, qualiter illi, qui easdem res Ecclesiasticas, unde decimæ dantur, sive non dantur, possident, illas saluas habeant, & in casticiis, & siluis custodiris; & si terræ aut mancipia inde perdita sint, vel aliquid hujusmodi, aut si familia oppressa sit contra legem. Et omnia per breves renuncient Missi nostri.

Cap. 8.

UT Missi nostri per singulas parochias Comitibus, & Reipublicæ ministris ex banno nostro præcipiant, ne malla vel placita, in exitibus & in atriis Ecclesiarum, & Presbyterorum mansionibus, neque in Dominicis & festivis diebus tenere præsumant. Sed comes convenientem locum consideret, & convenientem stationem ad mallum tenendum constituat. Quia nefas est, ibi reos puniri, ubi respectu divinæ reverentiæ misericordiam consensu fidelium & decreto prædecessorum nostrorum consequuntur.

Cap. 9.

UT Missi nostri Comitibus & omnibus Rei publicæ ministris firmiter ex verbo nostro denuncient atque præcipiant ut à quarta feria ante initium Quadragesimæ, neque in ipsa quarta feria usque ad octavam Paschæ mallum vel placitum publicum, nisi de concordia & pacificatione discordantiam tenere præsumant: similiter etiam quartam feriam ante Nativitatem Domini usque ad consecratos dies observent, nec non & jejuniis quatuor temporum, & in rogationibus simili observatione eosdem feriatos dies venerari omnimodis studeant.

Cap. 10.

UT Missi nostri omnib. per singulas parochias denuncient, quia si Episcopus & ministri episcoporum pro criminibus colonos flagellaverunt cum virgis propter metum aliorum, & ut ipsi criminosi corrigantur cum tali discretione sine ulla occasione indebita, sicut in Synodo collocutum est, ut vel inviti pœnitentiam corporaliter & temporaliter agant, ne æternaliter pereant: si seniores ipsorum colonorum indigne tulerint, & aliquam vindictam inde exercere voluerint; aut eosdem colonos ne distringatur, contendere præsumpserint: sciant quia & bannum nostrum component, & simul cum excommunicatione ecclesiastica nostram armiscaram durissime sustinebunt.

Cap. 11.

VT Missi nostri omnibus Reipublicæ ministris denuncient, ut comites & Reipublicæ ministri simul cum episcopo uniuscujusque parochiæ sint, ut ministeriis illorum, quando idem episcopus suam parochiam circumiret, cum episcopus eis notum faceret, & quos per excommunicationem episcopus adducere non potuerit, ipsi Regia auctoritate & potestate ad pœnitentiam & rationem atque satisfactionem adducant.

Cap. 12.

SCiant etiam fideles nostri, quia concessimus in Synodo venerabilibus episcopis, ne super beneficia ecclesiastica vel præsentatorias, etiamsi episcopus aut quilibet monasteriorum Prælatus irrationabiliter petierit, præcepta confirmationis nostræ ullo modo faciamus. Et ideo ab irrationabili petitione se unusquisque compescat.

Cap. 13.

Cap. 13.

UT Missi nostri omnibus per illorum Missaticum denuncient, ne commutationes rerum ac mancipiorum quilibet Prælatus earundem rerum Ecclesiasticarum sine licentia & consensu nostro facere præsumat, neque mancipia Ecclesiastica quisque nisi ad libertatem commutet, videlicet ne mancipia, quæ pro Ge. . . . . dabuntur, in Ge. . . . servitute permaneant, ut Ecclesiasticus homo perpetua libertate fruatur.

CAROLI II. CALVI REGIS FRANCORVM EDICTUM

Anno Christi 856.

DE RAPTORIBUS ET PRÆDONIBUS.

Promulgatum in Conciliis Carisiacis, Anno Domini DCCCLVI.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis CAROLUS Dei gratia Rex illustris, Episcopis & dilectis ac fidelibus Missis, Illustribus Comitibus nostris Salutem.

1. Notum sit fidelitati vestræ, quia decimo quinto Kalend. Martii, secundum sacram auctoritatem Synodum venerabilium Episcoporum, ac conventum fidelium nostrorum apud Carisiacum fecimus convenire. Cum quibus inter cætera Ecclesiastica utilitatis ac Regni necessitatis negotia consideravimus, qualiter rapinæ, & delationes, quæ partim occasione superirruentium Paganorum, partim mobilitate quorumdam fidelium nostrorum in Regno nostro, per eos etiam, qui Ecclesiam Dei defendere & tueri, & Regni soliditatem & quietem debuerant providere, grassantur, aliquo modo, annuente Domino, sedari valeant & amoveri.

2. Quorum consultu decrevimus, ut quia peccata, quæ in suo initio, ut sunt, magni ponderis æstimantur, pernicioso processu ipso etiam exitiabili supta jus mentibus loquantur, & quasi insensibiles: ac si quando resipiscere noluntur, cassibus suis obligent, ut si resurgere velint, non possint. Antequam censura Ecclesiastica, ac legales sententiæ hujusmodi prædatores terribiliter & damnabiliter teneant, Episcopi quidem in suis parochiis, & Missi in illorum Missaticis, Comitesque in eorum Comitatibus pariter placita teneant, quo omnes Reipublicæ ministri & Vassi Dominici, omnesque quicumque vel quorumcumque homines in iisdem parochiis & comitatibus, sine ulla personarum acceptione & excusatione aut dilatione conveniant. Et Episcopi illius parochiæ breviter annotatas sententias de ejusmodi causa, Evangelicæ videlicet & Apostolicæ & Propheticæ auctoritatis, necnon & decreta Apostolica atque canonica omnibus relegant, & aperto sermone cunctis, quale quantumque peccatum sit, & qualem quantamque pœnitentiam, & quam immanem severissimamque vindictam exposcat, cum aliis debitis & necessariis atque utilibus prædicationibus innotescere curent.

3. Missi quoque legales sententias, sicut eas cognitas habent, annotent, & prædecessorum nostrorum Regum atque Imperatorum, nostraque Capitula de hac causa in unum collecta omnibus nota fiant. Et Episcopi Dei & Apostoli auctoritate tales deprædationes omnibus interdicant, & Missi & Comites nostri cunctis ex Regio nostro banno prohibere firmiter studeant, & cognoscant omnes, quia si abhinc inante in Regno nostro talia facere aliquis præsumpserit, secundum divinas sententias specialiter excipiet sententiam, & secundum leges ac Capitula Regia emendari cogetur, & secundum judicium fidelium nostrorum condignam vindictam suscipiet.

4. Et si talis persona fuerit, ut Episcopi & Missi nostri ac Comites in illorum ministeriis, quod pravum actum fuerit potueriot emendare, secundum præfixa monita illud emendare studeant, aut per fidejussores ad nostram præsentiam venire faciant. Si autem aliquis quiscunque inobediens extiterit, cum summa festinatione nobis notum facere curent, ut quanto citius ad nostram præsentiam illum venire jubeamus, & dignam ultionem secundum judicium fidelium nostrorum sustineat. Et si, quod absit, talis emerserit, qui Dei timorem postponat, & Ecclesiasticam auctoritatem contemnat, ac Regiam potestatem refugiat, sciat, quiscumque ille fuerit, quia & secundum Canonicam auctoritatem ab omnium Christianorum cœtu, & sanctæ Ecclesiæ consortio, & in cœlo & in terra alienus efficietur, & Regali potestate atque omnium Regni fidelium unanimitate, sicut Dei & Ecclesiæ inimicus & Regni devastator persequetur, usque dum à Regno exterminetur.

5. Et si aliquis Comes fuerit, qui hoc in suo Comitatu fecerit, aut ibi talia increscere permiserit, & ipse illa noo emendet, aut nota nobis non fecerit, ut nostra auctoritas talia corrigat, sciat, quia talem sententiam inde sustinebit, sicut tempore antecessorum nostrorum consuetudo fuit.

6. Et si aliqui itinerantes deprædatioues & rapinas per Regnum nostrum fecerint, & Episcopi seu Missi & Comites hoc emendare non potuerint, quam citius possint, nobis notum facere curent, ut jubeamus ipsos deprædatores per eandem viam cum Misso nostro redire, & illa omnia, quæ alis egerunt, legaliter emendare, & talem armiscaram, sicut à nobis jussum fuerit, aut judicium, sicut cum fidelibus nostris consideraverimus, sustinere. Si autem dilecti [a] fratris nostri, ac

[a] Ludovici Germaniarum Regis.

[b] nepotum

b nepotum nostrorum homines fuerint, qui talia egerint, & hoc nobis innotescat, ut illis nota faciamus. Et illi suos homines, sicut illis melius visum fuerit, de talibus castigare procurent, sicut & nos nostros homines castigare volumus, si in illorum Regnis indecentia & aliqua noxia (quod absit) facere præsumpserit.

7. Admonendi sunt, qui aliena rapere contendunt, ut solicite audiant, quod veniens in judicio Dominus dicat: *c Esurivi & non dedistis mihi manducare*, &c. quibus dicit: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis ejus.* Hinc ergo colligendum est, quanta damnatione plectendi sint qui aliena rapiunt, si tanta animadversione feriuntur, qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendant, quo eos obliget reatu res capta, si tali subjicit pœnæ non tredita. Perpendant quo demeretur injustitia illata, si tanta percussione digna est pietas non impensa.

8. Audiant raptores, *qui multiplicant non sua usquequaque, & aggravant contra se densum d lutum.* Densum lutum contra se aggravate, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare.

9. Audiant quid Christus dicat: *e Quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* id est, quid prodest homini, si totum quod est extra se, congregat, & hoc solum quod ipse est, damnat.

10. Audiant illi, qui rapiunt in hoc sæculo, deficient entem & in sæculo dimittent, sed secum ad judicium causas rapinæ, id est, damnationem secum ferent, ut alibi scriptum est.

11. Audiant quia Propheta Isaias dicit: *Rapina a pauperis in domo vestra, & causa viduæ non ingreditur ad eos, & lacryma viduæ usque ad maxillam descendit; & Dominus non delectabitur in illis.*

12. Audiant quia in cujus domo rapina, sive in domo corporis, sive in domo mansionis, non habitat in illa domo Spiritus sanctus, sed spiritus malignus. Et si accedit ad communionem corporis & sanguinis Christi ante dignam satisfactionem, non mundatur per illam communionem à peccato, sed plenius, sicut Judas quando in cæna plenus rapina & iniquitate communicare præsumpsit de manu Christi possidetur à Diabolo, unde & suspensus crepuit medius. Ad quem causa viduæ non ingreditur, nec ipse si digne non satisfecerit, in cælestem Ecclesiam intrare valebit.

13. Audiant raptores quid iterum Propheta dicat: *b Qui prædaris, nonne & ipse prædaberis?* Videlicet quia ille, qui prædatur res pauperum & Ecclesiarum ac servorum Dei, deprædatur à Diabolo, & præda illius fit.

14. Audiant quid sanctus Apostolus dicat, per quem locutus est Christus, & qui raptus fuit usque ad tertium cœlum, & qui raptus fuit in paradisum, & audivit talia secreta verba, quæ non licebat hominibus loqui, ait namque; *c Quia rapaces, neque homicidæ, neque adulteri regnum Dei possidebunt.* Ille intendat quale quantumque peccatum est rapina, quam cum adulterio & homicidio sanctus comparavit Apostolus. Item ipse dicat: *Si quis fornicator, aut adulter, aut rapax aut homicida est, cum hujusmodi nec cibum sumere Christi discipulo*, id est, Christiano, *licet ante satisfactionem*, id est, correctionem ac emendationem, & dignam pœnitentiam.

15. Audiant quod sanctus Joannes Apostolus electus & dilectus Christi, qui in cæne supra pectus ejus recubuit, talem hominem salutare vetat, dicens: *a Nec ave dixeris, nec in domum receperis.*

16. Audiant quid in Toletano Concilio sancti Episcopi, qui in cœlo & cum Deo regnent, & in terris miraculis coruscant, de totius mundi partibus congregari decreverunt: *b Si quis de Potentibus Clericum aut quemlibet pauperem, aut religiosum expoliaverit, & mandaverit ad ipsum Episcopus ut eum audiat, & si contempserit, in vicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ Episcopos, quoscumque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur, donec audiat, & reddat aliena.* Ecce de pauperum raptoribus.

17. Audiant raptores & prædones rerum Ecclesiasticarum quod S. Anacletus Papa ab ipso Petro Apostolo Presbyter ordinatus cum totius mundi Sacerdotibus indicavit. Dicit namque: *c Qui abstulerit aliquid patri vel matri, homicida particeps est. Pater noster sine dubio Deus est, qui nos creavit: mater vero nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo regeneravit. Ergo qui Christi pecunias & Ecclesiæ rapit, vel fraudat, homicida est, utque homicida ante conspectum justi judicis deputabitur. d Qui rapit pecuniam proximi sui, iniquitatem operatur: qui autem pecuniam vel res Ecclesiæ abstulerit, sacrilegium facit, & ut sacrilegus judicandus est.* Item S. Urbanus Papa & Martyr: *Res & facultates Ecclesiæ oblationes appellantur, quia Domino offeruntur, & vota sunt fidelium & pretia peccatorum, & patrimonia pauperum. Si quis illa rapuerit, reus est damnationis Ananiæ & Sapphiræ, & oportet hujusmodi tradi Satanæ, ut spiritus salvus fit in die Domini.* Item S. Lucius Papa *Rerum e Ecclesiasticarum & facultatum raptores, à liminibus sanctæ Ecclesiæ anathematizatos Apostolica auctoritate pellimus & damnamus, atque sacrilegos esse judicamus, & non solum eos, sed etiam omnes consentientes, quia non solum qui faciunt, rei judicantur, sed etiam qui facientibus consentiunt. Par enim pœna agentes & consentientes comprehendit.*

18. Et S. Augustinus in Sermone Evangelii S. Joannis ita dicit: *Fur sacrilegus loculorum sacrorum & Dominicorum est Judas, & qui aliquid de Ecclesia furatur, & rapit, Judæ perdito comparatur.* Item in sacris Canonibus à sancto Spiritu dictatis, & Christi sanguine confirmatis scriptum est: *Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere & dare voluerit præter conscientiam Episcopi & ejus, cui hujusmodi officia commissa sunt, nec cum ejus voluerit agere consilio, anathema sit.* Episcopus autem omnibus dicere debet, quid anathema sit, & ne desperent, ostendere debet, quamdiu duret anathema, id est, quamdiu quisque errorem non corrigit, & digna satisfactione non emendat, ut reconciliationem & indulgentiam valeat promereri. Si quis vero ante satisfactionem & reconciliationis indulgentiam in peccatis suis perseverans, mortuus fuerit, jam anathema perpetuum illi erit & peccatum ad mortem, pro quo non dicit a Apostolus ut oretur. Sed plane, si necesse fuerit, Episcopus quisque colligere & dicere procurabit.

b Ludovici II. Imperatoris, Lotharii Regis Austrasiæ, & Caroli Regis Provinciæ seu Arelatensis.
c Matth. 25.
d Habac. 2.
e Matth. 16.
a Isai. 3.
b Isai. 33.
c 1. Corinth. 6.
a 2. Johan.
b 24. 4. 3. c. 21.
c cc. 12. q. 2. cap. 6.
d 17. q. 4. cap. 18.
e 17. q. 4. c. 5.
a 1. Joan. 5.

Anno Christi 856.

LUDOVICI* II. IMPERATORIS AUGUSTI,

*Hic regnavit in Italia, Lotharii Imp. filius.

CONSTITUTIONES.

I.

Leg. Longob. lib. 3. tit. Qualiter diversar. leg. hom. &c.

DE Observatione præceptorum nostrorum in immunitate. Si ita observetur, sicut à nobis & ab antecessoribus nostris constitutum est.

II.

Ut omnis ordo Ecclesiarum lege Romana vivat: & sic inquirantur & defendantur res Ecclesiasticæ, ut empbiteoseos contractus, unde Ecclesia damnum patitur, non observentur, sed secundum legem Romanam destruantur, & pœna non solvatur.

III.

Et Missi nostri, qui vel Episcopi vel Abbates sunt; aut Comites, usqueqno infra suem judiciariam vel terminum fuerint, nihil de aliorum conjectu accipiant, secundum quod in sue tractatoria continetur. Vassi vero nostri & Ministri alii, qui Missi sunt, ubicumque venerint, inde conjectum accipiant.

CAROLI CALVI REGIS a NEUSTRIÆ, LOTHARII REGIS b AUSTRASIÆ, CAROLI REGIS c PROVINCIÆ

Anno Christi 859. a vulgò Francia. b Regnum Lothariense. c Regnum Arelatense.

DECRETA PER SYNODUM DEFINITA IN *conventu Tullensi.*

HÆc ventilata, definita atque obtenta sunt in Synodo duodecim Provinciarum, quæ habita est anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo quinquagesimo nono, indictione septima, in territorio Tullensi, sub Principibus CAROLO, LOTHARIO, & item CAROLO. Ut charitas fraterna & concordia pacis reformetur inter fratres, Principes scilicet ac gloriosos Reges nostros d LUDOVICUM et CAROLUM.

d Germaniarum Regem, cujus tamen Episcopi ad Synodum non venerunt.

1. Qualiter schisma, quod ortum est nuper in Ecclesia, ad unitatem benignitatis valeat redintegrari, status Ecclesiæ pene collapsus restitui, & pax & justitia in populo Christiano valeat procurari; & qui à fidelitate debita defecerunt, judicio & justitia per rectam rationem & rationabilem misericordiam possint salvari, & à perverso conamine ad salubriorem converti.

2. Episcopi namque secundum illorum ministerium ac sacram auctoritatem uniti sint, & mutuo consilio atque auxilio Reges, Regumque Primores, atque populum sibi commissum in Domino regant, & corrigant; & nemo se solatio mutuo subtrahat, sed Synodales Conventus secundum jussionem Canonicam frequentare procurent, quatenus ordo Ecclesiasticus, qui quasi obliteratus jam fuerat, quoniam Synodi propter discordiam Regum frequentari non poterant, Episcopali collatione ad necessarium et debitum statum reduci prævaleat. Unde etiam consensum apud Reges expetitum obtinuerunt.

3. Reges nihilominus ac Principes nostri CAROLUS, LOTHARIUS, atque item CAROLUS, ad Dei voluntatem, atque sanctæ Ecclesiæ statum, suamque salutem & populi sublevationem, gratias Deo, uniti & in eadem salutari unitate firmati sint.

4. Perventum est ante Conventum Episcoporum, quendam Diaconum, cui Tortoldus nomen est, Episcopalem dignitatem in urbe Bajocensium occupasse, & pollicitationibus atque minis sollicitare multos ac perturbare. Unde definivit sancta Synodus, ut Wenilo Senonum Archiepiscopus, cujus Diaconus fuit, adjunctis secum tribus aliis, memoratum Diaconum evocatum audiant, & secundum auctoritatem Canonicam de eo definiant. Si autem refugerit eorum cognitionem, annitente Principali potestate, venire ad audientiam compellatur. Quod si hanc quoque declinaverit, anathemate feriatur.

5. De quodam etiam Subdiacono Anscario, qui vivo & incolumi Episcopo, civitatis Lingonum sedem pervasit, simili est sententia definitum. Sed intervenientibus Legatis ejusdem Subdiaconi, humanior est prolata sententia: videlicet ut sacramento confirmet, se numquam talia hujusmodi præsumptione facturum. Cujus sacramenti tenorem huic capitulo subnectere dignum existimavimus.

Ego

Ego Anscarius Subdiaconus confiteor coram Domino, & sanctis Angelis ejus, reverentia sanctæ paternitatis vestræ, contra Dei voluntatem, & contra canonica statuta, temere me fecisse in Isaac venerabilem Pontificem, usurpando sedem Ecclesiæ sanctæ sibi commissæ Lingonicæ, & sollicitando Clericos & Vassallos ejus, omnemque familiam. Atque ideo pro tanta præsumptionis excessu, per sacri ministerii vestri vobis largitam à Domino potestatem, veniam mihi pœnitenti largiri suppliciter deprecor. Deinceps vero nec in eundem Antistitem, nec in alium quemlibet, nec in illa, nec alia Ecclesia hujusmodi præsumptionem facere tentabo. Et neque illi, aut alicui suorum Clericorum aut Laicorum in aliqua re impedimentum faciam pro hac causa: quia me graviter deliquisse confiteor. Nec insidias ei ullius inquietudinis parabo, neque per me, neque per aliquem meorum propinquorum, neque per quemcunque hominem, sed adjutor pro viribus & intelligentia ipsi suisque ero, prout sibi placuerit. Et qui sibi hoc ipso inimici sunt, quos ipse voluerit, si potuero, colligare eidem procurabo. Sic me Deus adjuvet, & istæ sanctæ Sanctorum reliquiæ.

6. Statuit etiam sancta Synodus, ut numquam ad eamdem Lingonensem Ecclesiam, sive ad Lanuacensem, quam jam pridem pari modo afflixerat, debeat adspirare. Et si ita, ut præmisimus, jussis Episcopalibus obedire refugerit, sententiam superius Diacono datam incurrat.

7. Deindegloriosus Rex Dominus CAROLUS sacræ Synodo libellum appellationis, electorumque judicium inter se & Wenilonem Senonum Archiepiscopum, qui ab eo defecerat, & damnationis diploma porrexit. Unde secundum sacram auctoritatem & induciæ & dierum prolatio per Episcopos & synodicas litteras præfato Archiepiscopo est intimata atque concessa, secundum regulas divinitus promulgatas.

8. Mota est etiam quæstio de Attone Virdunensium Episcopo, quod oblatione regulari (unde petitio ibidem est præsentata) in monasterio S. Germani Antisiodorensium extiterit, & contra regulas Ecclesiasticas inde discedens, minus provise quam sacra auctoritas doceat, ad ordinem Episcopalem pervenerit. Unde etiam definitum est dari sibi commeatus veniendi ad aliam Synodum, sicut sacra sanxit auctoritas.

9. Ad Episcopos siquidem Britonum, qui se contra auctoritatem à * Metropoli sua moliuntur discindere, Synodus litteras secundum auctoritatem sacram direxit, quatenus ad suam Metropolim redeant, eique debito jure se subdant; nec à Canonica & Episcopali congregatione se segregent. Excommunicatis etiam, sicut sacræ decernunt regulæ, Britones communicantes ipsi se sacra communione non privent. * Turonensi.

10. Ad memoratos quoque excommunicatos sancta Synodus litteras direxit, eisque usque ad futuram proximam Synodum corrigendi spacium tribuit, monens Ecclesiastica pietate, ut convertantur & vivant: quia nisi se correxerint ad futuram Synodum, generali unanimitate anathemate terribili ferientur.

11. Relicta sunt denique in eadem Synodo quædam Capitula, super quibus quorundam fratrum sensus dissentire probantur. Unde convenit inter Episcopos, ut Deo favente, pace & tranquillitate impetrata, simul conveniant, & prolatis sanctarum Scripturarum atque Catholicorum Doctorum sententiis, quæ saniora sunt, concordi unanimitate sequantur.

12. Tandem postulavit humiliter Synodus generalis, se ad terram usque prosternens ante CAROLUM Regem, & Rodulphum Biturigum Archiepiscopum, obsecrans & adjurans per Crucem & Christi sanguinem, ut privilegium monasterii * S. Benedicti, quod annuente Rege præfato firmaverat, quodque idem Rodulphus subscripserat, inconvulsum servare studerent. Quod si Abbas negligens, & sacris regulis inconveniens per directos Missos inventus fuerit, ab eadem paternitate removeatur, & alius, qui dignus repertus fuerit, substituatur, & privilegii regularis auctoritas in eodem monasterio quacumque occasione non destituatur. * Floriacensis.

13. Hæc de præcipuis in eadem sacra Synodo fuere statuta. Ceterum specialia de quibusque parochiis, prout visum fuit, secundum Ecclesiasticam auctoritatem definita, & Episcopis in propriis parochiis sunt ad exequendum commissa.

14. Placuit omnibus (ut creditur) instinctu divino, qui ad universale Concilium in viciniam Tullensium confluxerunt, quoniam calamitatum tædio laborabant, quo invenirent aliquid, ubi consolationis gratia respirarent. Statuerunt itaque ut pro se invicem omnes, dum adviverent, preces in ejusmodi frequentarent, scilicet ut singuli pro cunctis per singulas hebdomadas feria quarta Missam celebrarent. Post vocationem autem cujuslibet eorum, superstites obtineant, ut pro eo qui decesserit in sedibus septenæ Missæ, totidemque Vigiliæ Domini persolvantur: à Presbyteris autem monasteriorum sive villarum totidem Vigiliæ dependantur. Exitus autem uniuscujusque vicissim piis currentibus litteris innotescat. Præsentes etiam Abbates in tam profutura societate recepti, eadem se conditione junxerunt.

CAROLI REGIS
PROCLAMATIO.

Libellus Proclamationis Domini CAROLI Regis adversus Wenilonem Archiepiscopum Senonum, electis judicibus

Remigio Lugdunensi,
Eirardo Turonensi,
Wenilone Rothomagensi,
& Rodulpho Biturigum,
} Archiepiscopis,

 in

in sancta Synodo XII. Provinciarum apud Tullensem Parochiam, in suburbano ejusdem urbis, quod dicitur Saponarias, propria ipsius manu porrectus, Anno incarnationis Domin. DCCCLIX. Indict. XI. XVIII. Kal. Jul.

Cap. 1.

* Turonensis Episcopus Histor. l. 2. c. 9.

QUia, sicut dicit sanctus *Gregorius, & ex consuetudine olitana cognoscitis, in Francorum regno Reges ex genere prodeunt, mihi è Domino & genitore meo piæ memoriæ LUDOVICO Augusto pars Regni inter fratres meos Reges divina dispositione est tradita, in qua parte Regni vacabat tunc pastore Metropolis Senonum, quam juxta consuetudinem prædecessorum meorum Regum, Weniloni tunc Clerico meo in Capella mea mihi servienti, qui more liberi Clerici se mihi commendaverat, & fidelitatem sacramento promiserat, consensu sacrorum Episcoporum ipsius Metropolis ad gubernandam commisi, & apud Episcopos, quantum ex me fuit, ut eum ibidem Archiepiscopum ordinarent, obtinui.

Cap. 2.

† al. altercatio.
a in Occidentali Francia sive Gallia.
b in Orientali Francia sive Germania.

POsthæc de divisione Regni inter me & fratres meos † ratio est exorta notissime, unde a partem divisionis cum mutuis nostris scilicet nostrorumque fidelium sacramentis, sicut etiam primores Regni totius invenerant, tenendam & gubernandam suscepi. Quam divisionem inter me & fratres meos de cætero à me substantialiter tenendam, sicut & aliqui ibi adserunt Episcopi, Wenilo mihi fratribusque meis propria manu juravit: pacem etiam & mutuum adjutorium inter me & præfatum fratrem b LUDOVICUM Wenilo sacramento firmavit.

Cap. 3.

SEd & post hoc electione sua aliorumque Episcoporum ac cæterorum fidelium Regni nostri voluntate, consensu & acclamatione cum aliis Archiepiscopis & Episcopis Wenilo in diocesi sua apud Aurelianis civitatem in basilica sanctæ Crucis me, secundum traditionem Ecclesiasticam, Regem consecravit. & in Regni regimine chrismate sacro perunxit, & diademate atque regni sceptro in Regni solio sublimavit. A qua consecratione vel Regni sublimitate supplantari vel projici à nullo debueram, saltem sine audientia & judicio Episcoporum, quorum ministerio in Regem sum consecratus, & qui throni Dei sunt dicti, in quibus Deus sedet, & per quos sua decernit judicia, quorum paternis correptionibus & castigatoriis judiciis me subdere fui paratus, & in præsenti sum subditus.

Cap. 4.

c fo. in Bajerna villa.

DEnique cum seditiones in Regno nostro per homines irreverentes cœperunt crebrescere, consensu episcoporum ac cæterorum fidelium nostrorum chirographum invicem conscripsimus, qualiter ego erga eos cooperante Domino agere vellem, & qualiter mihi consilio & auxilio idem fideles nostri abinde postmodum solatium ferre debuissent. Cui scripto Wenilo c Baiernam villam propria manu subscripsit, sicut in præsenti videre potestis.

Cap. 5.

DEinde cum contra Paganos ad insulam loci, qui Oscellus dicitur, cum fidelibus nostris in terreno ac navigio, sicut scitis, perrexi, quidam à nobis deficientes fuga lapsi sunt. Wenilo autem se pro infirmitate sua illuc ire non posse dicens, ad sedem suam reversus est. Dum autem in procinctu eo infirmi degeremus, frater noster LUDOVICUS, sicut scitis, cum manu hostili & seditiosis hominibus ex Regno suo Regnum nostrum irrupit. Ad cujus colloquium, sine mea voluntate atque licentia, Guenilo venit, quem supplantatorem meum esse cognovit, quod nemo Episcoporum ex Regno nostro alius fecit.

Cap. 6.

DE cætero cum contra prædictum fratrem meum & inimicos meos ac vastatores Ecclesiæ, & depopulatores Regni, qui cum illo erant, cum fidelibus Dei ac nostris perrexi, nec per se ipsum, nec per debitum solatium, quod antecessores mei Reges & ego ipse ex Ecclesia illi commissa habere solitus eram, aliquid adjutorii præbuit, præsertim cum hoc devote ab illo petierim.

Cap. 7.

* Lotharium Lotharii Imp. filium.

CUm autem ratio & necessitas mihi accidit de villa Bierne, ut à prædicto fratre meo secederem. Et ipse frater meus LUDOVICUS ad hoc redit in partem Regni mei, ut mihi meum * nepotem subriperet, & homines meos mihi subtraheret, ac fideles meos vastanter imprimeret, Guenilo, cum quo potuit solatio, ad prædictum fratrem meum LUDOVICUM in meam contrarietatem venit, cum quo erant excommunicati istius Regni & seditiosi, de quorum excommunicatione Coëpiscoporum suorum litteras accepit, & missas publicas fratri meo, cum quo ipsi seditiosi erant, in Palatio meo Attiniaco, & parochia & provincia alterius Archiepiscopi fidelis nostri sine sua licentia ac Coepiscoporum consensu Guenilo excommunicatis vel excommunicatorum participibus celebravit. Et in eo concilio atque consilio fuit, quo nepos meus LOTHARIUS per mendacia quantum ex deductoribus suis subriperetur, & debitum ac sacramento promissum solatium ac adjutorium ex illo mihi subtraheret.

Cap. 8.

PRædicti nihilominus fratris mei consiliariis & publicis ac secretis tractatibus Guenilo cum specialibus familiaribus & inter primores ejus familiariter cum Episcopali judicio, ut diximus, excommunicatis & judicio Regni dijudicatis interfuit, quatenus partem Regni, quam idem frater meus & Guenilo mihi juraverant, & in qua Guenilo me Regem sacraverat, sæpefatus frater meus obtineret, & ego illam perderem.

Cap. 9.

WEnilo in eo consilio & tractatu fuit, ut Episcopi, qui mihi fidei promissæ debitores erant, & consilium atque auxilium manu propria confirmatum ferre debuerant, deficerent, & ad fratris mei LUDOVICI obsequium & subditionem se verterent.

Cap. 10.

DE Abbatia S. Columbæ, & rebus vel honoribus Regni mei apud LUDOVICUM fratrem meum, præceptum obtinuit, & literas ad Missos, qui eandem Abbatiam revocarent, Echardum & Theodoricum impetravit.

Cap. 11.

SEd in eisdem literis ad præfatos Missos jussionem fratris mei LUDOVICI Guenilo obtinuit, ut de muro castelli Meloduni, quod jus Regiæ est potestatis, petras haberent licentiam ptendere. unde constat quæ in plebe istius Regni mihi à Deo collati eum studebat colere, & satagebat tenere.

Cap. 12.

GUenilo in eo consilio & tractatu cum præfatis excommunicatis fuit, ubi consideratum est, quatenus illi homines, qui mihi fideles erant, & mihi sacramento fidelitatem promiserant, sive nolentes sive volentes fratri meo LUDOVICO jurarent, ut ei adjutorium ferrent, qualiter Regnum meum contra me obtinere potuisset: & non solum consilio Guenilo interfuit, sed & ipse hoc idem consilium fratri meo LUDOVICO contra meam fidelitatem, quam mihi promisit sacramento, donavit.

Cap. 13.

WEnilo per se & per familiares suos supradictos scilicet excommunicatos apud fratrem meum LUDOVICUM obtinuit, ut vacans Episcopatus Bajocacensis scilicet civitatis propinquo suo, clerico meo, nomine Toutoldo, qui mihi se commendavit, & fidelitatem sacramento promisit, donaretur, qui eundem episcopatum in mea fidelitate & contra fidelitatem mihi promissam consensu LUDOVICI fratris mei accepit.

Cap. 14.

TAndem postquam mihi Deus vires recuperandi mei per solatium fidelium meorum contra fratrem meum donavit, perrexi prope de civitate Guenilonis, qui meh contra fratrem meum ad recuperandum Regnum meum pergere scivit, & nullum adjutorium vel per se promisso ac subscripto consilio, vel per militiam, quæ ex ecclesia sibi commissa solet exire, adjutorium aliquod præstitit.

SYNODALIS EPISTOLA AD WENILONEM.

Dilecto ac venerabili Weniloni Senonum Metropolitano,

Remigius Lugdunensis Mettopolitanus episcopus,
Rudolphus Biturigum Metropolitanus episcopus,
Guntharius Agrippinensium Metropolitanus episcopus,
Ardoicus Vesontionum Metropolitanus episcopus,
Hincmarus Rhemorum Metropolitanus episcopus,
Teutgandus Treuirorum Metropolitanus episcopus,
Wenilo Rothomagensis Metropolitanus episcopus,
Erardus Turonum Metropolitanus episcopus,
Himmo Nouiomagorum episcopus,
Ionas a Heduorum episcopus,
Vngerus Traiectensis episcopus,
Ebbo Gratianopolitanus episcopus,
Fredebertus Basiliensis episcopus,
Arnulphus Tullensis episcopus,
Rhotadus Suessionum episcopus,
Ermenfridus Bellovacensis episcopus,
Aduentius Metensis Episcopus,
Abbo Autisiodorensis episcopus,
Æneas Parisiensis episcopus,
Ratoldus Argentarius episcopus,
Erpuinus Siluanectensis episcopus,
Gilbertus Catnotensis episcopus,
Guntbertus Ebtoicensis episcopus,
Ratbertus Valeotinensis episcopus,
Franco Tungrensis episcopus,
Aius Aurelianorum episcopus,
Hildegarus Meldensis episcopus,
Hincmarus Laudunensis episcopus,
Rotbertus Cenomanensis episcopus,
Erloinus Constantiæ episcopus,
Abbo Manrogensis episcopus,
Hildebrandus Sagiensis episcopus,
Aicardus Luxoniensis episcopus,
Waltbertus Abrincentensis episcopus,
Godelsadus Cabillonensis episcopus,
Isaac Lingonensis episcopus,

a Augustodunensis.

Erchembertus Bajocensis Episcopus,
Gilmeradus Ambianensis Episcopus,

Et multi alii, qui ad universale Concilium in suburbano Tullensi convenerunt, in Domino Salutem.

De instauratione pacis, totiusque status, Ecclesiastici redintegratione conferentibus nobis, gloriosus Rex Dominus noster CAROLUS decimo octavo Kalend. Jul. submisse unanimitatem nostram adiit, implorans, ut quæ à vobis vehementer indebite passus esset, cognosceremus, & maculam nostri ordinis justo judicio tergeremus, &c.

(*Enumer. singula accusationis capita, in recitato CAROLI libello posita. sequuntur deinceps.*)

Elegit autem terminandæ querelæ judices me Remigium Lugdunensem, & Wenilonem Rothomagensem, & Erardum Turonum, & Rodulphum Biturigum Episcopos, ceteris nostrum judicium sua sponte approbaturis. Proinde, frater charissime, à tempore quo litteras has acceperis, post diem tricesimum quocunque evocatus fueris, ita canonice instructus occurreris, ut defensionis tempore ac loco accepto, sic conscientiæ (quod plurimum optamus) confidis, suffragante veritate, probabiliter objecta dissolvas. Sin autem in defensione defeceris, sententias à majoribus institutas accipias, &c.

(*Subjiciuntur diversorum Conciliorum antiqui Canones de accusationibus Episcoporum editi.*)

SYNODALIS EPISTOLA AD BRITANNIÆ EPISCOPOS.

SYnodus universalis collecta ex Gallia & Germania in suburbio Tullensi villa Saponarias,

Remigius Lugdunensium,
Wenilo Rothomagensium,
Erardus Turonum,
Rodulphus Biturigum,
Hincmarus Remorum,
Guntharius Agrippinensium,
Arduicus Vesontionis,
} Metropolitani Episcopi,

Cum multis aliis Episcopis, *a* Festcario, *b* Wernario, *c* Gaturbrio, *d* Felici, in Domino salutem.

a Dalensi Archiepiscopo. *b* Alethensi Episcopo. *c* Briocensi Episcopo. *d* Trecorensi Episcopo.

Quo plura emergunt in populo Dei noxia & Episcopali diligentia recidenda, ad hoc plures & frequentius necesse est convenire Pontifices, ne ministerii Sacerdotalis nomen frustra comprobentur gestare. Hac intentione confluximus ad memoratum locum, ut fida collocutione quid nobis in tantis periculis & tribulationibus agendum sit, sollicite quæreremus, & S. Spiritu demonstrante inveniremus. Ad hanc conlocutionem vos, præsertim evocatos, non occurrisse molestius tulimus. Decuerat enim us quorum est unum officium, par studium probaretur. Sacris instituti canonibus non ignoramus, Metropolitano vestro carissimo fratri nostro Erardo competentem reverentiam vos debere, ita ut præter ejus præsentiam aut consensum nullus in regione vestra canonice possit ordinari episcopus, nec vos generale aliquid sine ejus consensu posse sanciare. De qua reverentia salubriter à vobis & à gente vestra Metropolitano impendenda tempore domine Placis & Reverendissimi Papæ Leonis & successoris ejus Benedicti scripta docuerunt, & refragantibus Apostolicæ auctoritati dignam excommunicationis protulerunt sententiam. Monet etiam nos, quod iis, quos vester Metropolitanus cum aliis Episcopis propter diversa crimina excommunicavit, indifferenter vos communicare comperit. In canonibus autem divinitus institutis socii excommunicatorum, eorundem sententia feriuntur. Proinde monemus sanctam nobisque amabilem fraternitatem vestram, ut ab his excessibus ulterius temperetis, & vestra instantia, opitulante Dei gratia, gentem vestram ad olim traditæ disciplinæ ac totius Ecclesiasticæ religionis observantiam invitetis, & unanimiter & constanter absque dilatione reducatis. Siquidem illi observandum est, ne damnatorum illicita societate certam sententiam damnationis incurrant. Quæ autem à nobis diligentiore tractatu reperta sunt atque decreta, Venerabilis Coëpiscopi Erardi relatione discetis. Verum si, quod non optamus, ab ejusdem Metropolitani sollicitudine ulterius resilieritis, & nostris ex charitate manantibus exhortationibus vos constiterit reluctari, ministerii necessitate canonicam in vos cogemur proferre sententiam. Bene valete & orate pro nobis.

Placuit universali Concilio, ut Salomoni, qui Britannorum tenet regionem, suggeratis, ut quæ pro ejus salute mandamus, obedienter audiat, si Deum vult habere propitium, & nostræ unanimitatis tenere consortium. Ut permittat totius Britanniæ Episcopos debitam reverentiam Metropolitano infarre. Ut facultates Ecclesiasticas nec ipse Deo auferat, nec aliis auferre permittat. Ut consideret quanto animæ suæ periculo Britannorum dominationem invaserit, cum Domino nostro Regi CAROLO fidelitatem prius juraverit. Ut recordetur gentem Britannorum Francis ab initio fuisse subjectam, & statutum dependisse tributum, ac per hoc non dedignetur ad nuper obmissam reverti consuetudinem. Ut proprietates à parentibus relictas vel quolibet modo rationabiliter adquisitas, justos possessores habere permittat. Nisi enim ab hac audacia & impietate se traxerit, & divina plenitudine deleverit, quod deliquit, nostræ auctoritatis affectu nobis admonentibus, cito ei Deus usurpatam auferet potestatem, & debitam inferet ultionem. Ut pro diversis criminibus canonice excommunicatos ne recipiat, suadete, ostendentes divino judicio, si id præsumpserit, patrem vindicta constringi.

LUDO-

LUDOVICI II. *RE-GIS DECRETUM

* in Orientali Francia.

DE LIBERTATE ECCLESIASTICA, Factum in Comitiis Wormatiensibus Anno Domini DCCCLXII.

Anno Christi 863.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

HLUDOVICUS divina favente gratia Rex, &c. Notum esse volumus omnibus Sanctis Dei fidelibus, nostrisque præsentibus & futuris, qualiter beatæ memoriæ præcellentissimus Rex, avus noster KAROLUS, tempore prædecessorum nostrorum, divino afflatus Spiritu, gentem Saxonum sacro cultui subdidit, jugumque Christi, quod suave ac leve est, usque ad terminos Danorum sive Sclavorum, corda ferocia perdomens, docuit, ultimamque Regni ipsius partem Transalbeam, inter mortifera Paganorum pericula constitutam, videlicet ne ad ritum relaberetur Gentilicium, vel quia lucrandis adhuc gentibus aptissima videbatur, proprio Episcopali vigore fundare decreverat.

2. Sed quia effectum mors prohibuerat, succedente ejus filio HLUDOWICO Imperatore Augusto, pium studium sacri genitoris sui efficaciter implevit. Cujus etiam auctoritate in Nordalbingorum populo sedes constituta est Archiepiscopalis, in castello Hammeburg nuncupato, in eadem sede Archiepiscopus, accepto à sede Apostolica pallio, primus est nominatus Ansgarius, cui delegata cura seminandi verbi Dei, & animas lucrandi Deo. Delegavit etiam genitor noster eidem Archiepiscopo quandam cellam Turholt vocatam, quetenus eidem loco periculis undique circumdato fieret supplementum.

3. Cumque ego, quem divina clementia in sedem Regni ejus asciverat, in multis regni disponendis negotiis insisterem, hoc quoque prædictum patris mei studium, velut Regni in finibus peractum, minus caute attendi. Unde contigit, ut peccatis populi exigentibus, Deoque permittente, occulto judicio, ipsa metropolis Hammeburg penitus devastaretur.

4. Cumque prædictus Archiepiscopus in multis esset pressuris & calamitatibus, & fratres congregationis ejus unà cum sanctis pignoribus per varia loca circumeundo huc illucque vagarentur, & nusquam sedem haberent quietam, matrona quædam nomine Ikia, divino amore tacta, ex sue hæreditate possessiunculam tradidit, in sylva Ramesloa nominata, in pago Bardengoa, in Episcopatu Waldagari Verdensis Ecclesiæ Episcopi, ubi & cellam construxit, & reliquias Sanctorum unà cum fratribus, qui supererant, collocavit.

5. Quamobrem edit Celsitudinem nostram, miseriarum suarum ordinem lacrimabiliter exponens; unicum namque refugium, monasterium videlicet Turholt nuncupatum, quod illi genitor noster ad supplementum & victum sibi suisque Clericis dederat, ex parte fratris nostri Karoli Regis ablatum non sine magno dolore conquestus est: unde & nos paterna simul & Regali potestate commoti, quærere cœpimus, quomodo ei solatium subsistendi faceremus, quò Legationis suæ mandatum perficere posset.

6. Et quia in eadem provincie cellam nullam huic Legationi habebamus congruam, suggerere studuimus prædicto Waldagario Verdensis Ecclesiæ Episcopo, ut ejus permissione ei liceret in supradicto loco Ramesloa monasterium ex suis impensis construere, ubi & fratres, qui tantæ cladi superfuerant, nostro cæterorumque Dei fidelium auxilio sustentarentur, & ipse locum respirandi, & si unquam facultas suppeteret, propter vicinitatem ejusdem loci, Hammaburgensem Ecclesiam restaurandi haberet, sub suo successorumque ejus regimine mansuram. Cui quidem rei ipse admodum contrarius extitit.

7. Postmodum vero Wormatiæ habito generali Conventu, in nostra nostrique fratris LOTHARII Regis præsentia, præsentibus Archiepiscopis, Ebone Remensi, Necti * Tremensi, & Otgario Moguntinensi, cum pluribus aliis utriusque Regni Præsulibus, hæc eadem res, nostro jussu diligentissima ventilata est.

* f. Trevirensi.

8. Quæ cum ab omnibus licita & concedenda probarentur, ut prædictus Pontifex Waldagarius hoc ipsum sua auctoritate concederet & confirmaret, cuncti rogavimus. Qui primum quidem fortiter reniti cœpit, non esse justum multipliciter asserens, ut honorem suæ sedis in aliquo minueret: Postremo tamen & nobis ipsis, & cunctis Episcopis ibi aggregatis pro hoc ipso eum rogantibus, & omnino causa necessitatis id licitum fore dicentibus, evictus concessit & conscripsit.

9. Quapropter consulto fidelium nostrorum, tam nostra quam sanctæ Romanæ Sedis authoritate, per hoc nostræ Regiæ dignitatis præceptum præcipimus firmiter atque jubemus, ut prædicta cellula Ramesloa nuncupata, sub potestate ac regimine Ansgarii Hammaburgensis Ecclesiæ Archiepiscopi, ejusque successorum, absque omni contradictione perpetualiter maneat,

16. Homines quoque, qui eidem cellulæ servire videntur, ob amorem Dei & sancti Sixti Confessoris ejus, ad nostram nostræque sobolis perpetuam mercedem, ab omni expeditione vel militia, seu qualibet occupatione absolvimus, ut idem venerabilis Archiepiscopus ad hanc dignam Deo peragendam in provisis temporibus Legationem, nullum in hoc patiatur impedimentum.

11. Res quoque Sedis & præscripti Monasterii, sub plenissima defensione, & immunitatis tuitione volumus ut consistant ac tueantur, ita ut nullus judex publicus, aut alia quælibet potestate publica prædita persona, de eorum rebus frede, tributa, mansionaticos, vel paratas, aut teloneum, vel † fidejussores tollere, aut homines ipsorum tam litos quam & ingenuos, super terram eorum commorantes, distringere, nec ullas publicas functiones aut redhibitiones, vel illicitas occasiones requirere vel exigere præsumat.

† i. e. subditos pignorare.

12. Sed liceat venerabili Archiepiscopo suisque successoribus, ac omni clero sub eodem regimine constituto, quiete in Dei servitio degere, ac pro nobis proleque nostra atque statu totius Regni nostri divinam misericordiam exorare. Et ut hæc authoritas sui vigoris perpetuam habeat firmitatem, manu nostra propria subter eam firmavimus, & annulli nostri impressione assignari jussimus. Datæ VI. Idus Junii, Anno Dominicæ incarnationis DCCCLXII. Indict. VI. HLUDOWICI Serenissimi Regis. Actum in Francofurdt palatio Regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

CAROLI II. CALVI REGIS FRANCORUM

PRÆCEPTUM

DE SEDIS APOSTOLICÆ POTESTATE IN EPISCOPOS.

Anno Christi 863.

SAnctissimo ac reverendissimo Patri Nicolao Catholicæ & Apostolicæ Sedis summo Pontifici & universali Papæ, KAROLUS gratia Dei Rex & spiritalis filius vester.

Palpum hunc assentationis Regi extorsit avaritia simul & ambitio, qua in Regna Lotharingiæ & Provinciæ & Monarchiam Francorum inhiabat, quam ope ac ministerio Papæ assequi posse sperabat.

1. Quia sicut devotio nostra erga sanctam Sedem Apostolicam omniumque Ecclesiarum matrem atque Magistram, & erga sancti Apostolatus vestri honorem in istis Cisalpinis regionibus longe lateque (gratias Deo) cognoscitur, ita & colendæ cum summi amoris veneratione paternitatis vestræ benignitas, erga filialem nostram dilectionem non solum nostris benevolis, sed & æmulis auctore Deo certis indiciis, veluti sanctitatem vestram scilicet religionis culmen decet, innotuit. Adventius Metensium venerabilis Episcopus hunc fratrem, nomine Bettonem, nobis fidelem, ut credimus, in monasterio Regni nostri ab infantia regulariter educatum, & nostra munificentia, sicut inter nos convenit, sibi concessum, ad nos misit, petens à nobis vestræ amantissimæ paternitati pro eo literas mitti, quas profuturas, & non modice sibi apud auctoritatem vestram credidit suffragari: Mandavit etiam mihi, quod professionem suam, subreptionum præteritarum correctionem, & futurarum cautelam continentem, sicut regulæ sanctæ præcipiunt, manu sua subscripta, vestro Apostolatui per hunc fratrem vellem dirigere, quatenus & excessuum veniam, & Apostolicæ Sedis communionem, & vestri Apostolici vigoris gratiam, valeat obtinere.

2. Unde quoniam venerandus & amantissimus patruus noster Drogo, qui licet in Regno fratris nostri HLOTHARII quondam Imperatoris post obitum Domini & patris nostri degisset, eo quod sedes in partem Regni ipsius devenerat, nobis tamen unice dulcissima dilectione, & obnixa fidelitate conjunctissimus fuit, eundem venerabilem Adventium nutrivit, & domestica familiaritate habuit, & ipse Adventius nobis fidelis & amicus extitit, ac si vestigia sanctissimæ paternitatis vestræ deosculantes, cum omni devotione deposcimus, ut nostra petitione, sicut credit, apud auctoritatem vestram se sentiat adjuvari, ne ipse, & sedes ejus in illo, modo quodlibet (quod absit) dehonoretur, quæ postulatione avi nostri divæ memoriæ KAROLI Imperatoris honorari ac Apostolica Sede meruit, ut Engelramus prædecessor istius, summus Capellanus ejus, & Apocrisiarius Apostolicæ Sedis in istis regionibus aliquamdiu fieret, & postea deprecatione sanctæ recordationis Pii Augusti, Domini & genitoris nostri, excellentigenio à Sede Apostolica in præfato patruo nostro Drogone venerando episcopo fuerat honorata, ut una cum prædicto monasterio & Imperatoris & Apostolicæ Sedis, etiam usu pallii potiretur.

Metensis Ecclesiæ prærogativa & dignitas.

3. Nam etsi hic vir venerabilis Adventius, aut Principis sui aut magistrorum superstitione actus, aut favore ac consensu plurimorum attractus, vel alio quolibet modo subreptus, vel interceptus in aliquo minus quam debuerat, providus extitit; quoniam, ut Augustinus dicit, *amat Deus confitentibus parcere, & eos qui semetipsos judicant, non judicare, cessatq; divina vindicta, si conversio præcurrat humana*: vestri Apostolatus mitissima & præstabilis cunctis conversis benignitas, in eo sententiam prædecessoris sui Leonis sequetur, quæ dicit; *Sedis*, inquiens, *Apostolica moderatio hanc temperantiam servat, ut & severius agat cum obduratis, & veniam cupiat præstare correctis*; quatenus venia concedatur, si error aboletur. Petimus siquidem, ut istum non modo suum, verum & nostrum Legatum Bettonem religiosum monachum, & litterarum scientia bonique ingenii capacitate, Dei gratia, & sedulo studio imbutum benigne & familiariter recipiatis, quo ea quæ sibi injuncta sunt, mansuetudini vestri Apostolatus domestica suggestione valeat enarrare. Deus omnipotens orantem pro nobis Sanctitatem vestram ævo longiore conservare in voluntate sua dignetur, sanctissime & reverendissime pater in Domino.

RECES-

RECESSUS sive CAPITULARE

COMITIORUM TURISSIACORUM

à LUDOVICO II. ORIENTALIS, ET CAROLO CALVO Occidentalis Franciæ Regibus celebratorum, Anno Domini DCCCLXV.

Anno Incarnationis Dominicæ octingentesimo sexagesimo quinto, Kal. Martii, hæc quæ sequuntur Hludouicus & Karolus Reges in Turissiaco villa populo * denunciarunt.

CAPITULUM I.

Desunt quinque Capitula, quæ exstant in Manuscripto Codice Bibliothecæ Trevirensis.

Cap. 6.

VOs scitis, qualiter nepos noster Lotharius per suam juventutem, & per levium hominum consensum & hortamentum, & etiam per eorum favorem, qui illum salvare debuerant, fecit & facit contra illam legem, quam *a* Deus primo in Paradiso primis hominibus dedit, & quam in *b* Evangelio per præsentiam carnis cum hominibus habitans renovavit & confirmavit, quæ ad omnes homines pertinet, qui secundum Deum legitime utuntur conjugio. Unde universalis Ecclesia Dei pulsatur, & Sacerdotes sunt dehonorati, & populus Christianus sicut mali morbi contagio est maculatus. Propterea quod Deus dixit; *c Diliges proximum tuum sicut teipsum*: & sicut scriptum est, *d Ipse os nostrum & caro nostra est, & populus & Christianitas una est*: consideravimus ut ad illum Missos nostros mitteremus, & ei tale consilium mandaremus, qualiter ipse coram Deo salvus, & coram seculo honoratus esse valeat, & Ecclesia & Regnum, quod illi ad salvationem commissum est, solidum esse possit, & populus Dei salvus sit, & legem & justitiam & pacem & tranquillitatem habeat. Quia etiam ipse suos Missos ad nos transmisit quasi consilium quærens: per nostros Missos, ut Deus ubi nobis mandavit, quantum nobis Dominus dederit, ei verum & sincerum consilium remandamus, & talem voluntatem nostram esse erga eum sicut nos, dicere illi per eosdem Missos nostros mandamus.

Anno Christi 865.

* hinc Denunciationes vocantur publicationes decretorum imperialium, cum finitis Comitiis, audiente populo, recitantur.

a Gen. 2.
b Matth. 19.
c Matth. 5.
d Gen. 29.

LOTHARII II. * REGIS RESCRIPTUM

DE MAJORITATE REGIS IN TEMPORALIBUS, ET obedientia in spiritualibus,

Ad Nicolaum I. Pontificem Romanum.

SAnctissimo & perbeatissimo Summo Pontifici & Universali Papæ Nicolao Hlotharius divina præveniente Clementia Rex, summæ felicitatis & præsentis prosperitatis pacem & gloriam.

1. Postquam nobis gratuita misericordia Dei Regni gubernaculum commisit, more prædecessorum nostrorum, Christianissimorum videlicet Principum, semper & in omnibus sublimandam beati Petri Apostolorum Principis Sedem, vestrique Pontificii Deo dignum apicem, ut dignum est, reverenter dileximus, atque instanter illam exaltare, quantum in nobis, paratissimi sumus; & de vestro tanquam spiritalis patris regimine spiritalia ac salubria inhianter audire desideravimus: imo quasi de Paradisiaco fonte, vitæ pocula in posterum haurire parati sumus, quippe puram nostræ mentis aciem, quasi ad æthereum jubar, & totius sanctæ Dei Ecclesiæ Pharum ad custodiam gregis Christi in eminentissimo apice constitutum confidenter & humiliter direximus. Sed quod non modice plangimus, vestræ piæ paternitatis circumspecta solicitudo ultra quam nobis necesse esset æmulorum vocibus credula, paternas increpationes nuperrime & inopinate excepimus. Reveta quia meliora sunt vulnera diligentis quam oscula inimici, quidquid nobis à vestra pia paternitate dirigitur, ultra quam credi potest omni melle dulcius, omni thesauro charius in palato nostræ mentis dulciter saporatur, & in arca nostri pectoris reverenter amplexamur.

2. Denique Principem pastorum vos diligere declaratis, & veram pascendarum ovium Christi curam gerere testamini, qui vobis in Petro loquitur: *Si diligis me, pasce oves meas.* Libenter n. vestra pia monita audimus, & quia Deo placita sunt, nostræque saluti congrua, desideranter amplectimur: multo magis cupientes vestro documento instrui, & ad meliora provehi, quam juxta æmulorum diffamationem in pravitate delectari. Quod lucidissime claruit, cum coram vestro Legato, vestris parendo jussis humiliter colla submisimus, confidentes apud vestram paternitatem esse susceptos, cum semper optemus ad vestram dilectionem pertingere

Anno Christi 866.

* in Austrasia, Lotharii Imp. filius. Hanc Epistolam scripsit contra falsas delationes & accusationes Caroli Calvi patrui sui, quem inhiavisse universi Francorum Regni Monarchiæ pluribus evidentioribus signis ostenderat: quod & post mortem ipsius Lotharii re ipsa omnib. patefecit, ut habent verba Baronii Annal. tom. 10. hoc anno, n. 42. Hujus ergo ambitione & arrogantia & dominandi libidine ad quæstum suum abusus Papa, eum adversus Lotharium nepotem concitavit, ipsique Lothario Regni jacturam minitabatur, nā bullis suis pareret, & incestuosam conjugem dimitteret, veniamque Romæ in persona peteret. Rescribit hisce Lotharius, se quidem mandatis ejus spiritualib. libenter pariturum, at in temporalib. nullius se hominis superioritatē nec recognoscere nec recogniturum, sed vim vi, si intentetur, repulsurum. Hæc est mens hujus Rescripti sic satis adulatorii, ne dicam, abjecti & ab Episcopis timidis dictati.

tingere, ac devotis obsequiis ad vestram gratiam propinquare. Siquidem magno desiderio accendimur, ad beatorum Apostolorum limina, & ad vestram charissimam paternitatem, nostram præsentiam exhibere; sed variæ incommoditates nostram devotionem hactenus prohibuerunt, sperantes nimiu sique volentes hoc citius, Domino donante, implere.

3. Interea prudentissima sanxit antiquitas, & sanctorum Patrum spiritu Dei conditæ regulæ evidentissime testantur, quod accusatoris & accusati voces veraciter audiri debeant, ut sub introducto veritatis testimonio, nocens & innocens justo judicio examinentur. Quapropter quamvis non corpora, spiritu tamen præsentes, solotenus ad vestra sacra vestigia provoluti humiliter precamur, ut accusatores nostros, qui non manifeste, sed occulte nostram Serenitatem, quantum in ipsis est, lacerare in vestris auribus avidissima cupiditate illecti non cessant, ex divina & vestra auctoritate accersiri placeat, ut in vestra præsentia rei veritas probabiliter ac legaliter pateat. Quippe non erit difficile vestræ auctoritati in tanto temporis intervallo accusatores ad rationem invitare, quos importunos atque infestos in nostra infamia patienter ferre dignamini, & secundum sapientiam vobis cœlitus collatam de incertis ac dubiis longanimiter justi judicis patientiam imitamini.

4. Interim ergo humiliter vestræ paternitati ac bonæ fidei nos committimus, ut nullo modo dubitetis, quoniam quicquid nobis mandare † curastis, pro viribus annuente misericordia Dei observare decernimus; nec vos aliter omnino à veracibus invenietis, præveniente misericordia Dei. Nam si fallaces & invidi aliquo modo vobis aliter significare conantur, & sinistrum aliquid falsa interpretatione invenerint, nequaquam mendosis suspicionibus acquiescatis, quia nos, sicut scribimus, credibilibus ac certis indiciis approbabimus. Unde, siquidem vos per idoneos Legatos certificabimus, mittentes illos ex nostro generali Concilio, quod unà cum Episcopis ac reliquis fidelibus nostris, mediante Julio mense celebrabimus. Nam uti antecessores nostri sanctissimorum prædecessorum vestrorum monitis obedierunt, ita nos etiam coram Excellentia Apostolatus vestri nos humiliare, atque in omnibus vestris paternis monitis, absentibus seu præsentibus, promptissimo parere cupimus animo, quod olim secundum vestram voluntatem coram Legatis vestris egimus. Perpendite itaque, quod nullus coæqualium nostrorum vestræ paternitatis unquam diligentius atque honorificentius tractaverit Missos, quàm nos fecimus, dumque spiritus nostros vegetaverit artus, Deo propitio, faciemus.

† curabitis.

4. Quamobrem cernuo lumine vestram affatim deposcimus paternitatem, ut dum nos vobis Missisque vestris, ut ita dicamus, majoribus, seu minoribus, per omnia, super omnes coæquales nostros obedire volumus, non aliquem nostri, Deo miserante, consimilem super nos extollere, aut terræ præponere vestræ libeat paternitati: ne forte ipsi talem contra nos moliri velint causam, quam tolerare non valentes, pro Regio munimine, inter nos aliquod scandalum evenire possit. Nam si vestra paternitas aliquid nobis nuntiare decreverit, Legatos aut certe literas mittere placeat; præsertim cum nunquam vestræ Beatitudinis jussa despexerimus; sed modis omnibus veneramur atque diligimus, nulli prorsus homini subjecti esse volentes, nisi Deo & sancto Petro, ac cæteris Sanctis, vestræque paternitatis culmini, mi Pater & Domine, in quo, ut prætulimus, post Deum & Sanctos ejus nostræ salutis spes multipliciter maneat: quodcunque significaveritis, aut per vestros aut per nostros Legatos seu per litteras, pro amore Dei & Apostolica reverentia libenter obedire volumus propter vos, † nisi quantum & ipsi nobis. Scimus nimirum qua intentione, nec latere poterit quorundam invidia, atque potestas contra nos desudat, omnia argumenta occasionesque inquirens accusandi atque nocendi. Sed absit à mea Christianitate, ut talis sit nostra intentio, tam prava conscientia, & iniqua studia, sicut à talibus mendosè narratur, quia licet me peccatorem esse recognoscam, tamen pravæ voluntatis fore non permittet bonitas omnipotentis Dei, de cujus misericordia & auxilio nequaquam diffido. Præterea, quicunque vobis hoc dixit, quod ego, postquam Arsenius à nobis separatus est, cum Waldrada in aliquo loco conversatus fuerim, aut postquam ab Italia reversa est, ullum mutuum accessum, tactum vel visum inter nos habuerimus, penitus mendacium est.

† pro: sed quatenus & vosipsi nobis exhibueritis, h. e. ego ita me erga vos geram, ut filium par & æquum est, sed si vos quoque ita erga me gesseritis, ut patrem decet, nec me inimicis prædæ aut ludibrio exponatis.

5. Sed ut experiatur paternitas vestra, velle in omnibus nos vestræ obsequi voluntati, hoc ipsum pro vestro beneplacito præsens Legatus noster, Grimlandus nomine ac dilectus Cancellarius Regiæ dignitatis coram vobis approbare poterit. Agat igitur vestra Sanctitas circa nos, ut credimus, cum omni benignitate ac moderatione, ut non nobis aliquando improperare ullus possit, quod vobis nostrum negotium cum tanta fiducia semper commisimus. Optamus sanctissimi Apostolatus vestri sublimissimum apicem semper & in omnibus vigere feliciter.

EPISCO-

EPISCOPORUM ET COMMUNIUM ORDINUM

Anno Christi 866.

†GERMANIÆ TRANSRHENANÆ *EDICTUM*

† i, e, Regni Lotharienfis.

DE UNITATE REGUM ET ORDINUM * UTRIUSQUE Franciæ considetanda, & ne alter alterius homines ad defectionem sollicitet,

* Orientalis & Occidentalis i, e, Germanicæ & Gallicæ,

In Carolingiam transmissum ex Comitiis Virdunensibus Anno Domini DCCCLXVI.

SAnctissimis ac Venerebilibus in Christo fratribus & Coepiscopis in Regno præstantissimi Principis Caroli habitantibus, unanime Episcoporum Concilium in Regno gloriosi Regis Hlotharii degentium, copiosam in Salvatotis nostri gratia felicitatem atque perpetuam Salutem.

1. Novit vestra veneraoda fraternitas, quod aonis noper præteritis, crebrescentibus in hoc Regno tam intrinsecus quam extrinsecus discordiarum tumultibus, omnis status nostræ Reipublicæ, & omnis pax & securitas pene in ruinam fuerit sublapsa, Ubique luctus & calamitates, ubique dispendia, & vastationes, homicidie quoque & incendia etque innumerabiles scelerum facies inoleverunt, proptet deissensiones, & injustissimas ambitiones, propter quosdam in populo susurrones, melorumque inventores, facibus eupiditatis atque invidiæ stimulis exardescentes. Sed instantibus piæ devotionie atque erdoris ed Dominum precibus, & condolentibus orationum gemitibus, misetrus est plebis suæ Dominus, ac tenebras afflictionis convertit in claritatem exoptatæ utcumqne serenitatis. Quid ergo retribuemus Domino pto tantæ misericordiæ beneficio, nisi coodignas gratiarum actiones, ipsius inæstimabilem deprecantes clementiam, nt pacem & concordiam, quam in populo suo quantulumcumque flotere concessit, arescere non sinat, quetenus electum sibi populnm per pacem transitoriam ed æternæ pacis gaudia perducat? Erenim inimici pacis & impugnatores Christianæ concordiæ ac securitatis orandnm est, ut à lequeis Dieboli resipiscant, & viam pacis cognoscant ac firmiter teneant.

2. Audivimus enim, quod quidam in his partibus vestro Principi nitantur persuadere, ut Regis nostri Regnum quolibet modo ecquiret, ipsumque nostrum Principem, quasi desperatum & à suo populo derelictum, patrio Regno expellet. Sic & de vestro Domino Rege Carolo perfidi & maligni homines voluerunt, confingentes, quod etiam ipsi Episcopi eum deserere, ac Regno expellere voluissent; sed mentite est vox vana sibi: Nem ille Princeps eximius eb Omnipotente sublevatus, & è fidelibus adjutus, non solum Regnum non amisit, sed & suos inimicos judicio Dei tepulsos, & confusione plenos inde effugevit.

3. Porro fatemur, quia nostro Regi fideles sumus, & esse cupimus, cui videlicet fidem de manu patris in Regem recepto constanter promisimus. Qui nimirum sicuti ceusa fragilitatis ec juventutis erravit, quod suæ ætatis hominibus frequentet accidit, hoc totum meliori consilio, nt confidimus, emendare concupiscit, quem nos quoque procul dubio salubriter correctum etque directum magis optamus rennere & hebere Principem, quam amittete vel deserere. Et si forte sunt aliqui frande & infidelitate sive cupiditate decepti, qui suo Seniori cogitent vel machinentur mala, vobis tamen non convenit jugum ducere cum infidelibus. Numquid igitur pro nihilo sunt ducenda illa Statuta, pacte & juramenta, inter ipsos Reges toties confirmata? Absit, absit, ut coram Deo & Sanctis ejus atque coram omni Ecclesia Catholica tantum offendamus, nt Angelis Satanæ tale gaudium faciemus. Noo ergo jnra fidei atque Christiani sacramenti erga nostrum Seniorem & Regem frangere possumus, ne cum mundo æterne supplicia persolvamus. Præsertim cum ipse Rex adolescentie, mobilitate, & astutie hominum aliquando seductns, nunc eutem ad meliora conversus se totum, Domino præstante, Episcopalibus dectetis, ac salubribus monitis, bonorumque coosiliis aptare festinet. Unde oos omnes in divina misericordia spem propter tantæ devotionis auspicium habentes, ac firmissime scientes, quod potens sit in ipso juvene implere, qui operatus est bene velle, vestræ sanctitatis reverentiam unanimiter admonemus, atque concorditer obsecramus, quatenus notetis & corrigatis eos cum omni auctoritate, qui scandale & discordiarum semina in Dei moliuntur populo. Mementote, Domini fratres, quomodo parati fuimus aliquando une vobiscum ire contra omnia pericula, & mox facere quod vos voluissetis inchoare.

4. Nolumus itaque vestram latere præstantiam, quie quisquis incentor malorum, quisquis seminator discordiarum, quisquis Ecclesiasticæ discotdiæ disruptor fuerit, quisquis denique hanc tantulam pacem in his partibus Regni Domini pietate hactenus conservetam perturbare tentaverit, horrendi anathematis ignominiæ subjacebit, & ioduetur sicut diploide coofusione, & dies ejus ebbreviabuntur, etq; æternum væ non evadet, nisi cito digna satisfactione semet emendaverit. Bonũ nobis videtur, Desiderantissimi fratres, ut hæc omnia nullatenus ebscondamus, neq; sileamus, sed inseparabili atq; indlu-

ineluctabili Sacerdotali auctoritate, qua ligandi atque solvendi potestatem à summo Sacerdote Christo Domino percepimus, freti anticipemus iniquam quorundam intentionem, malisque votis ac pravis studiis tota virtute resistamus. Ita ut in his omoibus nil aliud reperiant in nobis aut sentiant homines, quàm cor unum & animam unam; quatenus mala, quæ cogitant, taoto minus iniqui homines se posse implere cognoscant, quanto nos in nullo illicito sibi favere perspexerint. Proh dolor! cur infelix homioum audacia, quia statim non punitur, semet contra Omnipotentis dispositiones cœlo dinationes extollit; nec recogitat, quoniam ab ipso & per ipsum & in ipso est omnis potestas in cœlo & in terra, cujus præscripta & prædestioata nullus mortalium, nec etiam totus mundus immutare potest? Et nunc, charissimi, nos omnes unanimiter atque devotissime pro pace Ecclesiastica & Regum nostrorum inviolabili concordia, summopere altissimi clementiam imploremus, ne charissimi principes malignantium consiliis decipiantur, ne (quod absit) à mutua societate ac dilectione, sive consanguinitatis jure exorbitent, inde ineffabilia mala longe lateque, imo ubique, proveniant; sed miserante Deo, de illorum pacifica concordia, & quæ sunt noxia, evanescant, & omnia profutura succedant. Quod ipse præstare dignetur, qui in Trinitate unus & omnipotens Deus vivit & regnat per omnia secula seculorum, Amen.

TRANSACTIO PROCASPIDANA

SUPER DIVISIONE REGNI LOTHARIENSIS INTER CAROLUM CALVUM FRANCIÆ OCCIDENTALIS, ET LUDOVICUM II. FRANCIÆ ORIENTALIS REGES.

Anno Christi 870.

Anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXX. Regni Karoli XXIII Indict. III. * VI. Id. Aug. fuit hæc divisio Regni facta in Procaspide super fluvium Mosam inter gloriosos Reges Karolum & Hludouicum.

* al. V. Kal. Aug.

Et hac est portio, quam sibi HLUDOVICUS accepit.

Coloniam. Treveris. Utrech. Strasthurch. *a* Basulam. Abbatiam *b* Suestre. Berch. Nin Monasterium. Castellum. Indam. Saocti Maximini. Ephterniacum. Horream. Sancti Gangulfi. Faverniacum. Polemniacum. Luxovinm *c* Luteram. Balmam. Offonis villam. *d* Megeni. Monasterium Sancti Deodati. Bosonis monasterium. *e* Stivarium. Romerici montem. *f* Morbarch.

a al. Basileam. *b* al. Silvestre. *c* al. Lauream. *d* al. Meieni *e* al. Stiuagium. *f* Morbachum.

Hic in MS. relictum est spatium quoddam purum: sequitur in altera pagina.

Sancti Gregorii, Mauri monasterium. Eboresheim. Homouna. Masonis monasterium. Homburch. Sancti *g* Stephani Strastburch. Erenstein. Sancti Ursi in Salodoro. Grandivallem. Altam petram. Justinam. Vallem Clusæ. Castellum Carnones. Heribodesheim. Abbatiam de Aquis. Hoerichirche. Augustchirche. Comitatum *h* Trestebant. Batua. Hattuaris. Masau subterior de ista parte. Item Masau superior, quod de ista parte est. Liugas quod de ista parte est. Districtum Aquense. Districtum *i* Testis. In Ripuarias Comitatus V. Megenensium. Bedagouua. Nirchouua. Sarauchouuia subterior. Blesitchouua. Seline. Albechouua. *k* Suetisium. Calmontis. Sarachauua superior. Odormeose quod Bernhardus habuit Solocense. Basiniacum. Elischouue. Vvarasch. Scudingum. Emaus. Basalchouua. In Elisano Comitatus II. De Frisia duas partes. De regno quod Hlotarius habuit, super istam divisionem propter pacis & caritaris custodiam superaddimus istam adjectionem. Ciuitatem Mettis cum Abbatia S. Petri, & S. Martini, & Comitatu *l.* Moslensi, cum omnibus villis in eo consistentibus, tam dominicatis quàm & vasallorum. De Ardnenna sicut flumen *m* Urta surgit inter Bislanc & Tumbas, ac decurrit in Mosam, & sicut recta via pergit in Bedensi, secundum quod communes fideles nostri rectius inveoerunt, excepto quod de *n* Coodustro est ad partem Orientis trans Urtam, & Abbatias Prumiam & *o* Stabolata, cum omnibus villis dominicatis & vasallorum.

g al. Stagni. *h* al. Testebrant, Baviam. Hattuarias. *i* al. Trectis. *k* al. Suentensium. *l* al. Mosensi al. Mosiensi. *m* al. Urca. *n* al. Condrusto. *o* al. Stabolas.

Et hac est portio, quam KAROLUS de eodem Regno sibi accepit.

Lugdunum. Vesontium. Viennam. Tongris. Tullum. Viriduoum Cameracum. Vivarias. *a* Vcetia. Montem Falconis. Sancti Michaëlis. *b* Culdini monasterium. Sancta Maria in Bisinciono. Sancti Marrini in eodem loco. Sancti Augentii. Sancti Marcelli. Saocti Laureotii. Leudensi. Sennonem. Abbatiam Mellam. Molbarium. Lanbias. Sancti *c* Gaugerici. Saocti Saluii. Crispinno. Fossas Marilias. *d* Hunulcurt. Sancti *e* Gervasii. Maalinas. Ledi *f* Sumniacum. Antonium. Condatum. Merrebecchi. Ticliuinni. Luitosa. Calmontis. Sancta Maria in Deonant. Echa. Andana. *g* Vuasloi. Altum montem. Comitatum Texandrum. In Brachanto Comitatus IIII. Cameracensium. Hanioum. *h* Lomensem. In Hasbanio Comitatus IIII. Masau superior quod de ista parte est. Lingas quod de ista parre Mosæ est, & pertinet ed - Velsatum Scarponinse. Viriduninse. Dulminse. Arlon. Vuaurense Comitatus

a al. Uzotias *b* al. Suldum. al. Gildini. *c* al. Gaudetici. al. Laudetici. *d* al. Homulfiurt. *e* al. Servatii *f* al. Sunivacum. *g* al. Vuaslaos. *h* al. Lonicensem. al. Versaum.

tus

tus duos. Mosminse. Castricium, Condrust. De Arduenna sicut flumen Vrta surgit inter Bislanc & Tumbas ac decurrit ex hac parte in Mosam, & sicut recte via ex hac parte Occidentis pergit in Budensi, secundum quod missi nostri rectius invenerint. Tullense. aliud Odornense, quod Tetmarus habuit. Berrense. Portense, Salmoringum. Lugdunense. Viennense. Viverias. Vcetium. De Frisia tertiam partem.

Cætera pacta desunt.

CAROLI II. CALVI REGIS MANDATU

Anno Christi 871.

CONGREGATÆ SYNODI DUCIACENSIS

DECRETALIS.

De auctoritate Synodorum, & ut singularum Provinciarum Episcopi suas causas finaliter dijudicent, nec cogantur eas ad Papam mittere judicandas.

DOmino Sanctissimo ac Reverendissimo Patri Hadriano, sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Romanæ primæ Sedis Papæ, Episcopi diversarum provinciarum, qui in Synodo apud Duziacum provinciæ Remensis in nomine Christi convenimus, quorum nomina & subscriptiones in gestorum ejusdem Synodi serie continentur, quam per venerabilem Consacerdotem nostrum Actardum vobis direximus, & quibus exinde per eum paternitatis vestræ literas remisistis.

CAP. I.

VEniens ad nos prædictus venerabilis frater & Consacerdos noster Actardus, tradidit nobis epistolam à vestra paternitate filialitati vestræ directam, quam cum in Conventu nostro fecimus recenseri, quædam in ea invenimus, quæ stuporem mentibus nostris non mediocriter induxerunt, feceruntque nos non modicum dubitare utrum aliter putaremus, an illa ita essent posita quemadmodum personabant: quæ cum sæpius repeti jussimus, præfati fratris & Coëpiscopi nostri relatione, impedimenta vestræ sanctitatis & occupationes ministrorum Sedis Apostolicæ, pro diversis & maximis negotiis audivimus, gesta Synodi ab exiguitate nostra sublimitati vestræ per eundem fratrem nostrum secundum canones sacros directa ab eo, cui nobis inde jussistis, sicut ipsæ literæ monstrant, rescribere, ex integro relecta non fuisse advertimus. Sed & epistolam nostram de eisdem actionibus Autoritati vestræ transmissam studio necessario eum non relegisse comperimus. Scriptum est enim in epistola Sanctitatis vestræ nobis directa, hoc modo: *Igitur de Hincmari Laudunensis Ecclesiæ episcopi depositione pontificio nostro scripsistis, quatenus de eo secundum quod Canonicum est vobis rescribere jubemus. Primo denique vestra respondimus charitate, quia cum clamet in Synodo, se ad Sedem Apostolicam velle incunctanter venire atque in præsentia ejus pro objectis sibi ab adversario criminibus respondere, damnationis in eum non est proferenda sententia. Tamen sicut in ipsis Concilii actionibus legitur, qui salvo in omnibus judicio Sedis Apostolicæ illum ab episcopis fuisse judicatum asseritis: nos autem non aliqua contra quoslibet commoti invidia nec alterius culpam in alterum retorquere cupientes, volumus & auctoritate Apostolica (quia nullius partis favorem aut obsequium, sed rei gestæ veritatem magis invenire cupientes) jubemus ipsum Hincmarum Laudunensem episcopum ad limina sanctorum Apostolorum nostramque venire præsentiam, quo sane veniente, veniat pariter accusator idoneus, qui nulla possit auctoritate legitima respui, & tunc in præsentia nostra, & totius Sedis Romanæ synodali Collegio, causa illius prudenti ventilata examine, ac diligenter inquisita, secundum Deum & sacrorum canonum constitutiones Spiritu Dei prolatas sine protelatione aliqua finietur.* A qua reprehensione nostra, quod accusemur, quia cum clamaret in Synodo, se ad Sedem Apostolicam velle incunctanter venire atque in præsentia ejus pro objectis sibi ab adversario criminibus respondere, damnationis in eum non erat proferenda sententia, beati Petri Apostolorum primi pro modulo nostro imitantes exemplum, per quem sumpsimus religionis exordium, nos minores apud vos potiorem humiliter excusare satagimus, quia ille (ut in sacra Historia legimus) repræhensus à minoribus suis cur ad Gentiles intrasset, & comedisset cum eis & cur eos in baptismate recepisset, querelam minorum suorum humili ratione placuit atque in causa reprehensionis suæ etiam testes adhibuit dicens; *Venerunt autem mecum sex fratres isti.* Quam excusationis nostræ satisfactionem tanto vos placabilius acceptare confidimus, quanto nos in ea ipsius exemplum sequi velle cognoscetis, cujus Sedi divino consilio præsidetis. Unde nunc nobis non esset necessarium excusare, si is, quem nobis jussistis rescribere, ad locum in gestorum Synodalium serie legisset, quod ibi antequam damnationis in Hincmarum profertur sententia, scriptum est ita; *Tunc lecta sunt in Synodo ab Adalgario Diacono sententia canonum, ita eo dicente:* Sardicenses canones decreverunt, *ut si aliquis Episcopus judicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere, ut iterum Concilium renovetur. Si vobis placet, sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur*

ab his,

ab his, qui causam examinarunt; Julio Romano Episcopo, & si judicaverit, renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. Si autem probaverit talem causam esse, ut non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decrevit, confirmata erunt. Et Innocent. tunc Papa decrevit, *ut si majores causæ in medio fuerint devolutæ, ad Sedem Apostolicam, sicut Synodus statuit, & vetus consuetudo exigit, post judicium Episcopale referatur.* Et Bonifacius Papa dicit: *Nos per omnes provincias literas dirigemus, ne excusationem sibi ignorationis, qui * maximus est, obtendat, ut ad provinciam venire cogatur, & illic se constituto præsentare judicio: Quicquid autem charitas de hac causa duxerit decernendum, cum ad nos relatum fuerit, nostra, ut decet, necesse est auctoritate confirmetur.* Et S. Leo Papa decrevit; *Si quæ*, inquiens, *aliæ emerserint causæ, quæ ad statum Ecclesiarum, & ad concordiam pertineant Sacerdotum, illic sub timore Domini volumina ventilentur, & de componendis atque compositis omnibus ad nos relatio plena mittatur, ut ea quæ juxta Ecclesiasticum morem juste & rationabiliter fuerint definita; nostra quoque sententia roborentur.* . . . .

* for. accusatus.

Cætera desiderantur.

Anno Christi 873.

Karoli II. Calvi Imperatoris Augusti Ordinationes

De Juramentis Fidelium.

I. Ordinatio.

SACRAMENTUM FIDELITATIS; quod juraverunt omnes Franci, Missis Domini KAROLI Regis secundum Capitula facta apud Attiniacum anno incarnationis Dominicæ DCCCCLIV. mense Junio.

Ego Ille Karolo HLudowici filio ab ista die inante fidelis ero secundum meum savitum, sicut Francus homo per rectum esse debet suo Regi: sic me Deus adjuvet & istæ reliquiæ.

Quod juramentum juratum est in mallo Remis V. Non. Julii eodem anno.

II. Ordinatio.

ACta sunt hæc seqnentia apud Carisiacum palatium anno incarnatioois Domini DCCCLVIII. Regni autem Domini Karoli XVIII. Indictione VI, XII. Kal. April, in Dei nomine feliciter.

Juramentum fidelium tam Ecclesiasticorum quam Laicorum.

QUantum sciero & potuero, Domino adjuvante, absque ulla dilositate aut seductione, & consilio & auxilio secundum meum ministerium & secundum meam personam, fidelis vobis adjutor ero, ut illam potestatem, quam in Regio nomine & Regno vobis Deus concessit; ad ipsius voluntatem, & ad vestram ac fidelium vestrorum salvationem, cum debito & honore & vigore tenere & gubernare possitis, & pro ullo homine non me inde retraham, quantum mihi Deus intellectum & possibilitatem donaverit.

Juramentum Regis.

ET ego quantum sciero & rationabiliter potuero, Domino adjuvante, unumquemque vestrum secundum suum ordinem & personam honorabo & saluabo, & honoratum ac saluatum absque ullo dolo ac damnatione vel deceptione conservabo, & unicuique competentem legem & justitiam conservabo, & qui illam necesse habuerit, & rationabiliter petierit, rationabilem misericordiam exhibebo, sicut fidelis Rex suos fideles per rectum honorare & salvare, & unicuique competentem legem & justitiam in unoquoque ordine conservare, & indigentibus ac rationabiliter petentibus rationabilem misericordiam debet impendere. Et pro nullo homine ab hoc, quantum dimittit humana fragilitas, per studium aut malevolentiam vel alicujus indebitum hortamentum deviabo, quantum Deus intellectum & possibilitatem donaverit. Et si per fragilitatem contra hoc mihi subreptum fuerit, cum hoc recognovero, voluntarie illud emendare curabo.

III. Ordinatio.

ANno incarnationis Dominicæ DCCCLXXIII. Indictione quinta, V. Idus Septembr. in placito generali aput Gundulfi villam, Ingelberga Regina & legatis Sedis Apostolicæ Formoso & Gaderico præsentibus, tempestate urgente, Episcopi omnes ex Regno gloriosi Regis Karoli hanc professionem infrascriptam, & omnes Laici hoc sacramentum similiter infrascriptum juraverunt.

Professio Episcoporum.

QUantum sciero & potuero, adjuvante Domino, consilio & auxilio secundum meum ministerium fidelis vobis adjutor ero, ut Regnum quod vobis Deus donavit vel donaverit, ad ipsius voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ & debitum Regium honorem vestrum, & vestram fideliumque vestrorum saluationem habere & obtinere & continere possitis.

Sacramentum Laicorum.

QUantum sciero & potuero, adjuvante Domino, consilio & auxilio fidelis vobis adjutor ero, ut Regnum, quod habetis, ad Dei voluntatem, & sanctæ Ecclesiæ & vestrum honorem atque ad vestram salvationem continere possitis, & quod Deus adhuc vobis concesserit, adquirere & contra omnes homines defendere valeatis.

Genera-

Generale omnium fidelium.

SIc promitto Ego, quia de isto die inantea isti Seniori meo, quamdiu vixero, fidelis & obediens & adjutor quantumcunque plus & melius sciero & potuero, & consilio & auxilio secundum meum ministerium in omnibus ero absque fraude & malo ingenio, & absque ulla dolositate vel seductione seu deceptione, & absque respectu alicujus personæ: & neque per me, neque per missum, neque per literas, sed neque per emissam seu intromissam personam, vel quocunque modo ac significatione contra suum honorem & suam Ecclesiæ atque Regni illi commissi quietem & tranquillitatem atque soliditatem machinabo vel machinanti consentiam, neque umquam aliquod scandalum movebo, quo illius præsenti vel futuræ saluti contrarium vel nocivum esse possit. Sic me Deus adjuvet ZASV patrocinia.

CAROLI II. CALVI IMPERATORIS AUGUSTI ET EPISCOPORUM

Anno Christi 876.

SYNODUS PONTIGONENSIS.

De electione Imperatoris, Primatu per Gallias & Germanias, & appellatione Presbyterorum ad Romanam Sedem.

ANno Dominicæ Incarnationis DCCCLXXVI. mense Julio Dominus Carolus Imperator generalem Synodum, auctoritate Apostolica & sanctione sua apud Pontigonem indixit. Undecimo Kalend. Jul. Indictione IX. Episcopis & cæteris quibusque Clericis, vestibus Ecclesiasticis indutis & domo ac sedilibus palliis protensis, atque in gremio Synodi & prospectu Imperialis Sedis, lectorio suppositis sacro-sanctis Evangeliis, venit Dominus Imperator Carolus in vestitu deaurato, habitu Francisco, cum Legatis Apostolicæ Sedis in Synodum: & cantoribus antiphonam, *Exaudi nos Domine*, cum versibus & *Gloria Patri* cantantibus, post *Kyrie eleison*, & data oratione à Joanne Luscanensi Episcopo, resedit Dominus Imperator in Synodo, & legit Joannes Luscanensis Episcopus epistolas à Domino Apostolico missas: cum quibus & legit epistolam de primatu Ansegisi Senonensis Archiepiscopi, ut quotiens utilitas Ecclesiastica dictaverit, sive in evocanda Synodo, sive in aliis negotiis exercendis, per Gallias & Germanias Apostolica vice fruatur: & decreta Sedis Apostolicæ per ipsum Episcopis manifesta efficiantur: & rursus quæ gesta fuerint, ejus relatione, si necesse fuerit, Apostolicæ Sedi pandantur, & majora negocia ac difficiliora quæq; suggestione ipsius à Sede Apostolica disponenda & enucleanda quærantur. Petentibus autem Episcopis, ut eis permitteretur ipsam legere epistolã, quib' erat directa, non adquievit Imperator, sed responsum quæsivit ab eis, quid de his jussis Apostolicis responderent? Quorum responsio talis fuit, ut servato singulis Metropolitanis jure privilegii secundum sacros Canones & juxta Decreta Sedis Romanæ Pontificum ex eisdem sacris Canonibus promulgata, Domini Joannis Papæ Apostolicis jussionibus obedirent. Et cum Imperator & Legati Apostolici satagerent, ut absolute Archiepiscopi responderent, se obedituros de primatu Ansegisi, sicut Apostolicus scripsit, aliud, nisi quod prædictum est, responsum ab eis extorquere non potuerunt: excepto quod Frotharius Burdegalensis Archiepiscopus, quoniam à Burdegala ad Pictavos, indeque ad Bituri cum favore Principis contra regulas se contulit, per adulationem respondit, quod Imperatori placere cognovit. Tunc motus Imperator dixit, quod Dominus Apostolicus ei suas vices commisit in Synodo, & quod iisdem præcepit, ille exequi studeret: & accepit ipsam epistolam involutam, una cum Joanne Toscanensi & Joanne Aretino, & dedit illam Ansegiso, & jussit sellam plectilem poni ante omnes Archiepiscopos Cisalpini Regni sui, juxta Joannem Tuscanensem, qui ad dextram illius sedebat: & præcepit Ansegiso, ut supergrederetur omnes ante se ordinatos, & sederet in eadem sella Remorum Archiepiscopo reclamante, audientibus omnibus, hoc factum sacris regulis obviare. Imperator tamen in sententia sua permansit. Et petentibus episcopis ut liceret eis saltem exemplar sibi de epistola directa sumere, nec hoc ullo modo impetravere: & sic soluta est Synodus in die illa.

Primatus à Papa institutus non recipitur.

Confirmatio electionis Imperatoræ, frustra petitur.

2. Decimo Kalend. præfati mensis iterum convenerunt episcopi: in quo conventu lectæ sunt epistolæ à Domino Apostolico laicis missæ, & lecta est electio Domini Imperatoris, ab episcopis & cæteris Italici Regni firmata: sed & capitula, quæ in palatio Ticinensi constituit, & ab omnibus confirmari fecit, quæ & episcopis Cisalpinis confirmare præcepit: & hic soluta est Synodus in illa die.

Appellatio Presbyterorum ad sedem Romanam improbatur.

3. Quinto Nonis Julii convenerunt iterum episcopi sine Imperatore: & habitæ sunt contentiones de presbyteris ex diversis parochiis, clamantibus ad legatos Apostolici: & sic soluta est Synodus in hac die.

4. Quarto Non. Ejusdem mensis iterum convenerunt episcopi: & Imperator in Synodo residens audivit Oratores fratris sui Ludovici Regis, Willebertum Archiepiscopum Coloniæ, & Adalardum ac Menigardum Comites: per quos petiit partem de Regno Ludovici Imperatoris, filii Lotharii fratris eorum, sicut ei competeret ex hæreditate, & illi firmatum erat sacramento. Et legit Joannes Tuscanensis epistolam à Joanne Papa Episcopis Regni Ludovici directam, & dedit exemplar Willeberto Archiepiscopo, ut deferret illud præfatis episcopis: & sic soluta est præfata Synodus in die illa.

Oratores Ludovici Regis Germaniæ partem Imperii postulant.

5. Sexto Idus Julii convenerunt Episcopi, & circa horam nonam venerunt Legati Domini Apostolici, Leo Episcopus & Apocrisarius ac nepos Apostolici, atque Petrus Forisempronij Episcopus, deferentes epistolas Imperatori & Imperatrici, & salutationes Apostolici ad Episcopos: & sic soluta est Synodus in illa die.

6 Quinto Idus Julii convenientibus Episcopis, lecta est epistola Apostolici de damnatione Formosi Episcopi (Gregorii Nomenclatoris) & consentientium eis: & præsentata sunt Imperatori ab Apostolico missa dona: inter quæ fuerunt præcipue sceptrum & baculus aureus. Sed & Imperatrici dona sunt ab eo missa, pallia & armillæ cum gemmis: & sic soluta est Synodus in illa die.

Appellatio Presbyterorum denuo improbata. Capitula synodalia à Legatis Papalibus concepta ab Episcopis rejiciuntur.

7. Pridie Idus Julii convenerunt Episcopi, & misit Imperator Vicarios Apostolici, increpare durius Archiepiscopos & Episcopos, qui pridie non venerant, sicut præcepit. Illis autem canonice rationabilem reddentibus rationem, sopita est increpatio. Et lecta est à Joanne Tuscanensi iterum epistola, jubente Imperatore, pro primatu Ansegisi, & quæsita est ab Episcopis denuo inde responsio. Et respondentibus singulis Archiepiscopis, quod veluti sui antecessores illius antecessoribus regulariter obedierunt, ita ejus Decretis vellent obedire: tunc facilius est illorum admissa responsio, quam fuerat in Imperatoris præsentia. Et sic iterum post multas contentiones de Presbyteris diversarum Parochiarum reclamantibus. Ad Legatos Apostolici lecta est proclamatio Frotharii Burdegalensis Archiepiscopi, quia non poterat consistere propter infestationem Paganorum in civitate sua, ut liceret ei Bituricensem metropolim occupare. Cujus petitionibus unanimitas Episcoporum nullatenus adquievit.

8. Et jubentibus Legatis Apostolici, ut 17. Kal. Aug. convenirent Episcopi mane: circa horam nonam venit Imperator Græcanico more paratus, & coronatus, deducentibus Eum Apostolicæ Sedis Legatis more Romano vestitis, ed Episcopos ecclesiasticis vestimentis indutos: & cæteris secundum modum primæ horæ diei (quando inchoata est Synodus) præparatis, ut prius cantata antiphona, *Exaudi nos Domine*, cum versibus, & *Gloria*, post *Kyrie eleison* data oratione à Leone Episcopo, resederunt omnes: & legit Joannes Aretinus quandam scedulam ratione & auctoritate carentem. Post quam legit Odo Belgivagorum Episcopus quædam Capitula à Legatis Apostolici & ab Ansegiso & eodem Odone sine conscientia Synodi dictata, inter se dissona, & nullam utilitatem habentia, verum & ratione & auctoritate carentia: & ideo hic non habentur subjuncta.

9. Iterum mota est interrogatio de primatu Ansegisi. Et post multas ab Imperatore & Legatis Apostolici contra Episcopos querimonias habitas, tantum in novissimo quantum & in principio Synodi exinde Ansegisus obtinuit.

Confirmatio electi Imperatoris proclamata sine consensu Episcoporum.

10. Post hæc perrexit Petrus Episcopus Forisempronii & Joannis Tuscanensis ad cubiculum Imperatoris: & adduxerunt Imperatricem Richildem coronatam in Synodum: & stante illa juxta Imperatorem, surrexerunt omnes, & stantes quique in gradu suo, incœperunt laudes Leo Episcopus & Joannes Tuscanensis episcopus: & post laudes actas in Dominum Apostolicum & Dominum Imperatorem & Imperatricem, & cæteros, juxta morem, data oratione à Leone Gaumensi episcopo, soluta est Synodus.

Anno Christi 877.

CONCILII ROMANI SYNODICA CONFIRMATIO ELECTIONIS CAROLI IMPERATORIS.

Anno DCCCLXXVII.

Hoc anathema exsufflarunt Ludovicus Germaniæ Imperator, ejusque filii Carolomannus & Carolus Crassus Nobilissimi Cæsares, qui Papam Roma expulsum in Galliam profugarunt Anno Christi 877.

SUmma ejusdem Synodi, post multas & multiplices laudes Imperatoris, hæc est: ut electio, & promotio ad imperialia sceptra anno præterito Romæ celebrata, ex tunc & nunc & in perpetuum firma & stabilis maneat. Quam si quis perturbare aut violare tentaverit, cujuscumque sit ordinis, dignitatis, aut professionis, anathemate usque ad satisfactionem teneatur omni tempore adnoxius. Patratores & incitatores hujus consilii, si quidem Clerici fuerint, deponantur: Laici vero & Monachi, perpetuo anathemate feriantur. Ut quia Synodus anno præterito apud Pontigonem, hinc habita secus Andranacum, nil profuit, ulquequaque ista debeat prævalere.

CAROLI II. CALVI IMPERATORIS REGESSUS COMITIORUM COMPENDIANORUM

Anno DCCCLXXVII.

IN Placito generali apud Compendium Kalend. Junij habito, Dominus Carolus Imperator per Capitula, qualiter Regnum Franciæ filius suus Ludovicus cum fidelibus ejus & Regni Primoribus regeret, usque dum ipse Roma rediret, ordinavit.

Tributum pro expeditione Romana.

2. Et quomodo tributum de parte Regni Franciæ, quam ante mortem Lotharii habuit, sed & de Burgundia exigeretur, disposuit: scilicet ut de mansis indominicatis solidus unus: de unoquoque manso ingenuo quatuor denarii de censu Dominico, & quatuor de facultate mansuarii: de manso vero servili duo denarii de censu Dominico, & duo de facultate mansuarii. Et unusquisque episcopus de Presbyteris suæ Parochiæ secundum quod cuique possibile erat: à quo plurimum, quinque solidos: à quo minimum, quatuor denarios episcopi de singulis Presbyteris acciperent, & Nunciis Dominicis redderent. Sed & de Ecclesiarum thesauris, prout quantitas extitit loci, ad idem tributum exsolvendum acceptum fuit. Summa vero tributi fuerunt quinque millia libræ argenti ad pensem.

Tributum Normannis pensum.

3. Illi vero tam episcopi quam & alii, qui trans Sequanam sunt de Neustria, tributum illis Normannis, qui in Ligeri erant, secundum quod sibi ab eis fuit impositum, undecumque valerent, reddere procurarent.

RECES-

RECESSUS SIVE DECRETA

COMITIORUM FURONIENSIUM

Anno Christi 879.

à Ludovico III. Balbo, Imperatore, sed II. Occidentalium, & Ludovico III. Orientalium Francorum Rege, primum apud † Marsinam Kal. Novembr. conventa, dein ad Gundulphi villam iu PurificatiooeS. Mariæ facta, tandem Futoni confirmata & publicata Auuo Domini DCCCLXXIX.

† al. Marsuam.

CONVENTIO, *qua inter gloriosos Reges Ludovicum filium * Caroli Imperatoris, itemque Ludovicum filium Ludovici Regis, in loco qui vocatur Furonis Kalend. Novembr. ipsis & communibus fidelium ipsorum faventibus & consentientibus facta est.*

* ejus nominis 2. cognomine Calvi.

1. Anno DCCCLXXIX. Indictione duodecima. Sicut inter patrem meum Carolum & patrem vestrum Ludovicum regnum Lotharij divisum fuit, volumus ut ita consistat. Et si aliquis nostrorum fidelium de regno, patris sui purprisum habet, jussu nostro illud dimittarot. De regno vero quod Ludovicus imperator in Italia habuit, quia nondom ex illo aliqua divisio facta est, quicunque modo illud tener, ita teneat, donec (Domino voleote) simul venientes cum communibus fidelibus oostris inveniamus, quod ex hoc melius & justius visum fuerit. De regno Italiæ, quia modo nulla ratio esse potest, omnes sciaot, quia partem nostam de illo regno & tequisivimus & requirimus, & Domino auxiliaote requiremus.

Ista die sequenti statuta sunt.

2. * Quod, quia firmitas amicitiæ & coujunctionis nostræ modo quibusdam præpedientibus causis esse oon potuir, usqua ad illum Placitum, quo simul ut conveniamus statutum habemus, talis amicitia inter nos maneat, Domino auxiliante de corde puro & conscientia bona & fide noo ficta, ut oemo suo pari vitam, regnum aut fideles suos, vel aliquid quod ad salutem sive prosperitatem ac honorem regni pertinet, discupiat aut fors consiliet. * al. Et quia.

3. Ut si in alterutrius nostrum regnum, Pagani seu Pseudochristiani insurrexerint, uterque veracitet suum parem, ubicunque necessitas fuerit, si ipse rationabiliter potuerit, aut per semetipsum aut per suos fideles & consilio & aoxilio, ut optime possit, adjuvet.

4. Quod si ego vobis superstes fuero, filium vestrum Ludovicum adhuc parvulum & alios filios vestros, quos Dominus vobis donaverit, ut regnum paternum hæreditario jure qoiete tenere possint, & consilio & auxilio, prout melius potuero, adjuvabo: si autem vos mihi superstites fueritis, filios meos Ludovicum & Carlomannum & alios, quos mihi divina pietas donare voluerit, ut tegnum paternum quiete tenere possint, similiter & coosilio & auxilio, quam optime potueritis, adjuvabitis.

5. Ut si aliqui susurtones, detractores & qui paci nostræ invident, & quietum regnum esse non permittuot, inter oos lites & contentiones & discordias seminare voluerint, neuter nostrum recipiat aut libenter * recepiet: nisi forte hoc ad rationem coram nobis utrisque & fidelibus oostris perducere voluerit. Si vero hoc noluerit, cum neutro nostrum aliquam societatem habeat, sed uterque illum, sicut mendacem & falsarium, & inter fratres voleotem seminare discordias, communiter à nobis abiiciamus, ne de cætero quisque talia mendacia auribus nostris inserere audeat. * accepter.

6. Ut communiter, quo citius potuerimus, Legatos nostros ad Carlomannum & Carolum gloriosos Reges dirigamus, qoi eos ad Placitum, quod VIII. Idus Februar. statutum habemus, inviteot, &, ut nullatenus venire differant, obsecrent. Et si, secuodum quod optamus, venire voloerint, communiter nos ad Dei voluntatem & sanctæ Ecclesiæ salvationem ac communem honorem nostrum, & profectum ac salvamentum totius populi Christiani nobis commissi, Domino cooperante, ita conjungamus, ut de cætero in eo, qoi unus est, unum simus, & unum velimus, & idipsum dicamus, secundum Apostolum, & faciamus nmnes, & nnn sint in nobis ulla schismata.

7. Si autem illi obsecratione nostra vocitati & invitati, aut Legati eorum ad præfatum Placitum venire distulerint, nos, secundum quod statutum habemus, illic omoino venite, & nos secundum Dei voluntatem conjungere omnimodo non omittemus, nisi forte inevitabilis necessitas evenerit, pro qua id fieri nullatenus possit. Et si hoc acciderit, ad tempus uterque pari suo hoc rescire faciat: & propterea amicitia nostra nec minuatur, nec immutetur, donec (Domino volente) congruo tempore perfecte confirmetur.

8. Ut res Ecclesiarum, in cujuscunque regno caput fuerit tam da Episcopatibus quam de Abbatiis, sine ulla contradictione Rectores ipsarum ecclesiarum illas possideant: & si aliquid ibi iojustum factum à quoquam est, in cujuscunque regno illæ res consistunt, legaliter exinde secundum justitiam reddere faciaot.

9. Et quia pet vagos & in tyrannica consuetudine irreverentes homines, pax & quies tegni perturbari solent, volumus ot ad quemcunque nostrum talis venerit, ut de his, quæ egit, rationem & justitiam subterfugere non possit, neuter nostrum illum ad aliod recipiat vel retineat, quam ut ad re-

* al. uterque. ctam rationem & debitam emendationem perducat : & si rationem rectam subterfugerit * omnes in commune, in cujus regnum venerit, illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno expellatur vel deleatur.

10. Volumus ut ij, qui merito proprietatem suam in regno nostro perdiderint, ita judicentur, sicuti temporibus antecessorum nostrorum inventum fuit. Qui vero dicunt se injuste proprietatem suam perdidisse, veniant in nostram præsentiam : &, sicut justum est, ita illis judicemus, & sua recipiant.

Anno Christi 882.

CAROLI III. CRASSI IMPERATORIS AUGUSTI CONSTITUTIONES.

I. Ne ad Regem venientibus injuria fiat.

Leg. Longob. & lib. 2. h. t.

SI quis libet super Missum Dominicum cum collecta & armis venerit, & Missaticum illi junctum contradixerit, aut contradicere voluerit, & hoc ei approbatum fuerit, quod se sciente esse Missum Dominicum, ad resistendum venisset, de vita componat. Et si negaverit, cum duodecim sacramentalibus suis se idoneum faciat, & pro eo quod cum collecta esse Missum Dominicum armatus venerit ad resistendum, bannum Dominicum componat. Simili modo Dominus Imperator de suis Vassis judicavit. Et si servus hoc fecerit, disciplinæ corporali subjaceat.

II. De Successionibus.

Leg. Long. lib. 2. h. t. in fin.

QUicunque ex quacunque natione legitimam uxorem accepit, vel acceperit, si eam mori contigerit sine filiis ambutum eorum, vir uxori suæ succedat & omnia bona sua percipiat.

Anno Christi 891.

GUIDONIS IMPERATORIS AUGUSTI CAPITULARE.

I. De Conviciis.

SI quis judicibus nostris in judicio residentibus minas aut convicia intulerit, eosque verbis aut factis turpiter dehonestaverit, guydrigild illi quem læserit componat.

2. Si vero aliquis ex ipsis judicibus nostris pro ipso judicio fallidicos dixerit, aut pro ipsa intentione ex hac causa quemlibet hominem interfecerit, quinquaginta libras auri optimi componat, medium Regi, & medium heredibus defuncti.

II. De Invasionibus.

DE cartis vero interdicimus, ut nemini liceat alienas res præsumptive invadere, occasione cartulæ ab eo factæ, qui investituram legitimam non habens dinoscitur evasisse.

2. Sed si quis acquisitor extiterit, non antea invadere alienas res Ecclesiæ, vel cujuspiam liberi hominis præsumat, antequam author cartulæ legali & judiciali diffinitione eas vendicet. Et tunc demum, cui vult, liberam habeat tradendi facultatem.

3. Et si quis ipsas res sine lege invaserit, non solum ipsas res amittat, sed insuper bannum nostrum componat.

III. De potestate mulieris in rebus suis.

COncedimus, ut sicut mulieres cum viris suis res donare aut venondare possunt, ita & commutare valeant, ac familiam suam liberam facere.

IV. De Successione.

* fort. adjiciendum, liberos. † reliquerint.

VOlumus prætereа atque sancimus, ut si quis liber homo legitimæ uxori suæ, dum advixerit, res suas per scriptum ad usumfructum dederit, & plures * habuerit, & unus ex ipsis vel duo mortui fuerint, & filios & filias † reliquerit, æqualiter ipsas res, quas usufructuario modo prædicta uxor habuerit, filii defuncti cum patruis, sicut cæteram hæreditatem, ita usumfructum dividant.

V. De Subsidiis Regni.

PLacuit etiam nobis statuere summopere, ut episcopi & Comites uniti sint, in suis parochiis & comitatibus, pro pace & salvatione in omnibus suis hominibus habitantibus, ita ut nullum prædonem, raptorem, vel incestum, in suis sedibus vel concessis honoribus permittant morari.

2. Etsi

2. Et si intellexerint, ex aliqua parte, per eorum terminos velle aut debere transire extraneos ad istius Regni vastationem, dirigant eis Missus, ut in pace & sine præda per eorum transeant terram. Vendere autem eis, quæ necessaria sunt, faciant, non plus carum, sed secundum consuetudinem terræ.

3. Si vero noluerint acquiescere, sed prædas & rapinas exercuerint, quicquid alter rapuerit, legaliter cum banno nostro, ab Episcopo & Comite ejusdem loci dare cogantur. Quod si eas exequi noluerint, statim ab episcopo loci excommunicentur.

4. Postea vero si contigerit, ut Comes loci populusque terræ supra ipsos prædones venerint, & eos impediarint, & fuerint mortui, neque faida inde crescat, neque compositio aliqua requiratur pro his, qui ibidem occubuerint.

5. Et si Comes ejusdem loci hoc implere neglexerit, proprio honore privetur.

6. Et si oportuerit, & necesse fuerit, in ipso auxilio vicinum suum Comitem advocet. Et si ille se subtraxerit, similiter proprio privetur honore, & insuper XXX. libras argenti Comiti componat.

VI. Ne liberi opprimantur.

NEmo Comes, neque loco ejus præpositus, neque Sculdasius, ab arimanois suis aliquid per vim exigat, præter quod constitutum legibus est; sed neque per suam fortunam in mansione arimanni se applicet, aut placitum teneat, aut aliquam violentiam faciat. Si vero de prædictis personis publicis hoc irritum fecerit, honore proprio sive ministerio privetur, & secundum legem emendet.

VII. Ut se quis ab hoste salvet.

QUicunque igitur ex laicali ordine, tam liberi quam servi homines, in comitatu manentes, & proprio Comite, vel à publica parte, quæ ab his, qui Rempublicam agunt, ammoniti fuerint, si se subtraxerint ab adjutorio sui proprii Comitis, & cum non adjuvaverint infra ipsum Comitatum contra prædones venientes in suo comitatu, tertiam partem liberi ex suis mobilibus componant: servi autem LX. ictus à propriis dominis accipiant, si probatum fuerit, quod eis fuisset renunciatum.

2. Si igitur præcepto Imperiali Comes loci defensionem patriæ suos arimannos hostiliter præparare monuerit, aut per se aut per Missos suos: si aliquis eorum remanserit, exceptis his, quos episcopus elegerit in sua necessitate, aut comes dimittere voluerit, nisi sonnis aut cæteris impedimentis, quæ legibus continentur, detentus fuerit, Widrigild suum componat. Et hoc nullus Comitum publicus potestatem habeat exigendi, nisi cum Misso Palatii Imperatoris. Dat. Papiæ, Kalendis Maij. anno Imperii nostri primo.

WIDONIS IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Chri. 892.


CONSTITUTIO

De jure principum in civitates ab Imperatore in feudum acceptas.

COncedimus eisdem episcopie ac Principibus, ut quemadmodum loca, in quibus dictæ civitates constructæ fuerant, sicut antecessorum nostrorum auctoritate concessa sunt, ita nostræ auctoritatis præcepto firma remaneant.

2. Concedimus etiam aisdem vias, pontes, portas, & quidquid ex antiquo jure, in columibus civitatibus, de his Regiæ auctoritate per Procuratores Reipubl. solvebatur.

3. Item ut ubicumque vias, pontes portas in suis terris habuerint, loco nostrum, liberam exigendi debitum ex eis vectigal habeant potestatem: & ut liceat eis fossas fodere, molendina construere, portas exigere, & ultra mille passus in circuitu munire ad salutem sanctæ Ecclesiæ, & Reipublicæ, & aquam aperire, & claudere: Atque cum omnibus suis rebus, & ad eas pertinentibus quietam sub defensione vitam traducere. Dat. Lignaci, X. Kalend. Decembris, anno Imperii nostri primo.



WIDONIS IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 892.

ORDINATIO

DE VOTO PRO NATO FILIO LAMBERTO FACIENDO.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis WIDO Imperator Augustus divina clementia. Cum Augustalis sublimitas in omnibus rebus non solum terrenis, verum etiem Ecclesierum Monasteriorumve cura, ut perficiantur, Deo favente, sedula intentione oportet ut sit pervigil, quatenus dignis digna tribuamus, cum etiam præcepto divino inimicis bona præbere dignum est. Et ideo notum sit omnibus, tam præsentibus quam absentibus nostris fidelibus, quia à Benevento redeuntes nostra cum conjuge, tandem pervenimus Balbam, cui instabat pariendi tempus. Angebetur etenim maxime, quo loco diverteretur. Tandem vero per suggestionem Leonis venerabilis Abbatis nostri fidelissimi in cellam sui Monasterii à Deo opulentam devenimus, quæ in honorem S. Rufini constructa est in loco, qui dicitur Campus de Rocca. Post tertium diem dilectissimus filius noster Lembertus natus est nobis. Quocirca ut superna clementia nobis illum ad Imperij gubernacula concedet, per rogationem nostræ conjugis pro merito concedimus Monasterio B. Vincentij Martyris Christi Ecclesiem S. Marcelli, quæ est constructa in loco Florinæ, cum servis & ancillis, & omnibus suis pertinentiis. Insuper offerimus in præfato Monasterio auri puri libras, quantum idem charissimus noster penset filius. Et ut hæc nostra concessio robur perpetuum habeat, & ut ab omnibus observetur, veriusque credetur, ennulo nostro subter sigillari jussimus. Data Idus Novembris, Indictione decima. Actum in Balba.

ARNULPHI IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 895.

CONSTITUTIO

DE EXCOMMUNICATIS,

Sancita in Concilio Triburiensi Anno Domini DCCCXCV.

NOs, quibus Regni cura & solicitudo Ecclesiarum Christi commisse est, aliter Regnum & Imperium jure Ecclesiastico regere, & gubernare non possumus, nisi hos, qui Ecclesiem Christi, non hebentem (ut *a* Apostolus ait) maculem, neque rugam, conturbant, zelo fidei persequamur, de quo Rex David testatur: *b Nonne qui oderunt te Deus, oderam illos, & super inimicos tuos tabescebam? perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi.* Et cum Evangelium legeretur, audivimus: *c Si te non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus.* Et alibi: *d Qui percutit malos in eo, quod mali sunt, minister Domini est.* Idcirco non potentiam ostendentes, sed justitiam exhibentes, præcipimus, & euthoritate nostra injungimus omnibus Regni nostri Comitibus, postquam ab Episcopis anathemate excommunicationis percelluntur, & tamen ad pœnitendum non inclinantur, ut ab ipsis compræhendantur, & ante nos perferantur: ut qui divina judicia non verentur, humana sententia feriantur. Unde per quendam Sapientem dictum est: *e Rex, qui sedet in solio judicii, dissipat omnes malos intuitu suo.* Si enim tam rebelles extiterint, ut comprehendentibus repugnare studuerint, & in tali temeritate interfecti fuerint, judicio Episcoporum interfectoribus nulla imponatur pœnitentia: & præcepto nostro, Weregeldi nulla ab eis extorqueatur compositio. Constringenturque proximi, & eorum cognati cum juremento, ne in illis eos vendicent, sed pacem ad eos & concordiam servent.

a Ephes. 5.
b Psal. 138.
c Matt. 18.
d Rom. 13.
e Prov. 20.

LAM-

LAMBERTI IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 906.

CONSTITUTIO DE ELECTIONE ROMANI PONTIFICIS, ET JURISDICTIONE EPISCOPORUM

Facta præsente Joanne IX. PP. in Concilio Ravennensi, Anno Domini DCCCC VI.

QUie sancta Romana ecclesia, moriente Pontifice, multas patitur violentias, quod Inscienter Imperatore, aut Legatis ejus absentibus, Pontifex consecretur, neque canonico ritu misso eb Imperatore intersint Nuncii, qui vim & scandale in ejus consecratione prohibeant, volumus, ut posthac Pontifex, convenientibus episcopis, & universo Clero, Senatu & populo expetente, legatur; atque ita in conspectu omnium celeberrime electus ab omnibus, præsentibus Legatis Imperatoris consecretur. Nemoque sine periculo sacramenta, aut promissa nova arte ab eo audeat extorquere, nisi quod antiqua contineatur consuetudine, ne quid scandeli aut detrimenti ecclesia petiatur.

2. Quoniam perniciosa inolevit consuetudo, ut judices populi flagitia populi, quæ eb episcopis essent inquirenda, inquirant, & si in possessione ecclesiæ eut Clerici, feminas deprehendant, tanquam adulteras capiant ac vexent, donec à dominis aut parentibus eorum pretio redimantur; ex quo propinquorum inopie & mulierum fornicandi licentie sequitur, quod nihil pertinere ad episcopum asserant, quæ semel à megistratu judicata & libereta sit: ob hæc statuimus, ut episcopi habeant in sua dioecesi liberam potestatem, scelere & adulteria inquirendi judicaodi & puniendi, prout sacri Canones habent; &, cum opus fuerit, ad coercendos contumaces Magistratus opem implorent.

CAPITULA SIVE DECRETA CONCILII RAVENNATIS

Anno Christi 906.

à LAMBERTO IMPERATORE AUGUSTO ET JOANNE IX. PAPA CELEBRATI, Anno Domini DCCCCVI.

Prælocutio Pontificis.

QUia divina inspirante misericordia, vestra nobiscum convenit fraternitas, ut nutu Sancti Spiritus, qui suis nunquam deest fidelibus, communi omnium vestrûm consultu, Fratres charissimi, ea quæ necessaria sanctæ Dei Ecclesiæ prævidimus, una cum spirituali filio nostro, gloriosissimo, videlicet Imperatore Lamberto & vestro sancto collegio, & quæ nocivo surculo pullulare conabantur in egro sanctæ ecclesiæ, canonico sarculo eradicare studeamus, quæ capitulatim annotata sunt, si omnibus placent, in conspectu omnium legantur, examinentur, & examinata manibus omnium pro futura memoria robotentur, ne ulli unquam sine status sui periculo eadem violere licest, sed reta & firma in perpetuum consistant ad statum & munimen sanctæ Dei ecclesiæ, ad salvationem omnium fidelium per Dei misericordiam.

Responsio Synodi.

IMmensas Dei Salvatori nostro laudes referimus qui talem vos suæ præfecit Ecclesiæ ejus opportunitatem decernere, ut omne ab ea zizanium eradicare conemini, prout in hac sancta Synodo cunctis nationibus apertis declaratur indiciis. Capitula etiam, quæ pro generali omnium cautela ad robur & munimen sanctæ ecclesiæ conscripta sunt, si vestræ plecet pietati, legantur, qualiter per ea omnes doceamur, quæ observare, vel quæ cavere debeamus, ne in aliquo à Regulis sanctorum Patrum (quod Deus avertat) deviare inveniamur.

CAP. I.

SI quis sanctorum Patrum Regules contempserit, & gloriosissimorum Imperatorum, Caroli videlicet Magni Imperatoris, & Ludovici, atque Lotharii, nec non & filiis ejus Ludovici, quæ de ecclesiasticis decimis in eorum Capitularibus statuta atque sancita sunt, non observaverit: & qui dat & qui recipit, auctoritate sanctæ sedis Apostolicæ, & sanctione Synodi excommunicationi subjaceat.

Impe-

Imperator autem ista servanda proposuit.

CAP. 2.

SI quis Romanus cujuscunque sit ordinis, sive de clero sive de Senatu, seu de quocumque ordine gratis ad nostram imperialem majestatem venire voluerit, aut necessitate compulsus ad nos voluerit proclamare, nullus ei contradicere præsumat, & neque eorum res quisquam invadere vel deprædari, aut eorum personas in eundo, vel redeundo, vel morando inquietare præsumat, donec liceat Imperatoriæ potestati eorum causas aut personas, per nos aut per missos nostros deliberare. Qui autem eos inquietare, eundo, redeundo vel morando tentaverit, vel eorum quidpiam rerum auferre: postquam per nostram misericordiam se proclamaverint, Imperialis ultionis indignationem incurrat.

CAP. 3.

VT Privilegium S. Romanæ ecclesiæ, quod à priscis temporibus per piissimos Imperatores stabilitum est atque firmatum, ita nunc à nobis firmetur, & diebus nostris (sicut condecet) immutilatum servetur, & sancta Romana ecclesia mater nostra exaltetur, protegatur, ac defendatur, quoad Imperii nostri est.

Pontifex his subiicit ista.

CAP. 4.

VT * Synodus, quæ vestris temporibus in basilica B. Petri Apostoli pro nonnullis malis eradicandis, & maxime pro causa Domini Formosi sanctissimi Papæ acta est, vestro Imperiali consensu, & venerabilium Episcoporum & optimatum vestrorum soboretur, ac perpetualiter stabilita servetur. Quæ non invidiæ zelo, sed rectitudinis gratia canonice peracta.

* in qua acta Stephanij VII. PP. contra Formosum PP. habita rescinduntur & improbantur, hoc, eodem Anno 904 celebrata.

CAP. 5.

VT tantæ impietates, pro quibus nos & vos venissemus, quas etiam per territoria nostra vidimus in tractationibus, deprædationibus, incendiis, rapinis & violentiis, à vobis diligentissime inquirantur, & prout necesse est, legaliter emendentur. Quoniam tanto dolore perculsi sumus talia contemplantes, quod magis mori cuperemus, quam talia in nostris diebus cerneremus, de quibus si emendata non fuerint, vos & nos à summo judice † distincte quæremur. Ideo petimus, & per Christum Dominum adjuramus, ut talia impunita non dimittatis.

† leg. districte.

CAP. 6.

VT Pactum, quod à beatæ memoriæ vestro genitore Domino Widone, & à vobis piissimis Imperatoribus, juxta præcedentem consuetudinem factum est, nunc reintegretur, & inviolatum servetur.

CAP. 7.

DE locis atque rebus, quæ in eodem Pacto continentur, præcepta nonnulla illicita facta sunt, quæ petimus ut in eadem Synodo terminentur, & quæ non recte facta præcepta sunt, corrumpantur.

CAP. 8.

VT patrimonia, seu suburbana, atque massæ & coloniriæ, nec non civitates, quæ contra rationem, quasi per præcepta largita sunt, petimus reddantur, ipsaque, ...

CAP. 9.

VEstræ igitur majestati non maneat incognitum, qualiter illicitas conjunctiones Romani & Longobardi simul & Franci, contra Apostolicam & Imperialem voluntatem facere præsumpsere in territoriis B. Petri Apostolorum principis: petimus ut sicut à vestris antecessoribus Imperatoribus prohibitum est, ne quoque modo fierent, ita amodo vestro Augustali decreto omnibus prohibeantur, & Synodaliter, ne amodo ac deinceps fieri tententur, in perpetuum firmiter statuatur atque firmetur.

CAP. 10.

DE hoc sane præ omnibus condolemus, quia ad tantum Apostolicum culmen gratia Christi provecti, cum ecclesiam Domini salvatoris, quæ Constantiniana vocatur, destructam cerneremus, direximus pro illius aliqua restauratione ad trabes incidendas; sed qui directi sunt à nobis, quæ necessaria erant, ad malitiosorum hominum infestationem facere nullo modo valuerunt. Super quibus omnibus, Charissime fili, videte nobiscum, & quantum sit indecens, quantamque violentiam sancta mater Romana ecclesia sit passa, medullitus considerare: & ut amodo & deinceps vestro Imperiali studio ad optatum vigorem perducatur, sicut dilectissimus ejus filius & Imperator sublimissimus, operam date. Sed hoc scire vos volumus, quoniam sancta Romana ecclesia tantum est ad nihilum deducta, quod eleemosynæ, quæ pauperibus pro sospitate vestri imperii distribui solebant, & stipendia Clericorum ac famulorum ejus omnimodis sunt evacuata. Pro quibus vero ad stabilitatem Imperii vestri magis vos oportet cum vestris fidelibus prudenter tractare, ut sicut prædiximus, alicui restaurationi ipsius, quæ nimium est afflicta, operam detis.

His

His lectis, Papa ad Episcopos conversus sic perorat.

Quia vestra omnium Fraternitas concordi voce sibi placere profitetur, quæ Christi Dei nostri gratia inspirante præfiximus: hortamur ut secundum debitam solicitudinem commissæ sibi à Deo Ecclesiæ curam unusquisque vestrum agere studeat, & gregem Christi sanguine redemptum bonis exemplis ac salutaribus documentis instruat, habens semper præ oculis illum tremendum judicem, qui suum sacratissimum sanguinem pro omnibus fudit, ut cum ante ipsius tribunal steteritis, unicuique vestrûm dicat: *Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25.

Cumque, Deo auxiliante, ad propria veneritis, jejunium indicite, litaniam celebrate, rogantes & obsecrantes pium & misericordem Dominum, ut furorem mitiget, pacem tribuat, schismata & seditiones comprimat, discordiam auferat, retroacta peccata tergat & miserando aboleat: quatenus indultis omnibus delictis, misericordiam rogantibus largiatur, & ad protectionem & exaltationem sanctæ suæ Ecclesiæ spiritualem filium nostrum, Excellentissimum scilicet Imperatorem Lambertum conservet, & superbatum gentium illi colla subjiciat sua potenti dextera Jesus Christus, Dominus noster, cui est cum Patre & Spiritu Sancto honor & gloria in sæcula sæculorum, Amen.

LUDOVICI IV. IMPERATORIS AUGUSTI,

Anno Christi 901.

CONSTITUTIONES DE CONFIRMATIONE PRÆCEPTORUM AC PRIVILEGIORUM À SUPERIORIBUS Imperatoribus editorum.

Hic filius fuit Bosonis Provinciæ Regis, Ludovici II. Imp. ex forore nepos. i.e. Crasso.

Omnia à Regibus, Aistulfo, Desiderio, Adalgiso, & Imperatoribus, *Carolo Majore, Ludovico Majore, Lothario, Ludovico Pissimo, Carlomanno, Carolo à Juniore, Arnulfo, Vidone, & Lamberto,* facta, concessa, donata & constituta, auctoritate nostra Imperiali, rata esse omnia jubemus. Dat. Papiæ, Kalend. Juliis, Anno Christi nongentesimo primo, anno Imperii primo.

I. De Testibus.

Constitutum est, ut nullus laicus crimen Clericis audeat inferre. Testimonium Clerici adversus laicum nemo recipiat. Nemo enim Clericus, vel Diaconus vel Presbyter pro qualibet causa intret in Curiam, nec ante judicem causam dicere præsumat: quoniam omnis Curia à cruore dicitur, & immolatione simulacrorum. Et si quis Clericus Clericum accusans in Curiam introierit, anathema suscipiat.

Leg. Longob. lib. 4. h. t, sed magis est, ut ad Ludovicum II. referamus.

BERENGARII I. IMPERATORIS AUGUSTI CAPITULARE.

Statutum in Conventu Episcoporum ac Optimatum in civitate Ticina, Anno Domini DCCCCIII.

Anno Christi 903.

CAP. 1.

Ut Comes inter honores suos, rapinam exercitus legi subjiciat.

CAP. 2.

Ut Imperiales homines ad colloquium sive servitium Imperatoris properantes, suis stipendiis sint contenti.

CAP. 3.

Ut nullus Comitum † arimanorios in beneficia suis hominibus tribuat.

† f. herimannos.

CAP. 4.

Ut homines Comitum nullatenus in domibus arimanniorum resideant, sed domos Reipublicæ instaurent, ibique resideant.

CAP. 5.

Ut scriptoribus publicis nullatenus interdicatur res arimanniorum transcribere, si quando eis foret opportunum. Quod si occasione † vitandi exercitus, aut placitum venditæ fuerint, & ipsi eas pendere supersederint, exigatur ab eis utrumque, sicut ante transcriptionem.

† al. vitandi.

CAP.

CAP. 6.

VT ipsi arimanni frequentius, quam in lege statutum est, ad placitum ire non cogentur, nec à Comitibus nec à Sculdaisiis.

CAP. 7.

VT bannum Missi exercitus Imperialis solummodo exigant.

CAP. 8.

VT pastus Imperatoris eb Episcopis & Comitibus, secundum entiquam consuetudinem, solvatur. Quod si novo tempore Fiscus Comitialis in jus Ecclesiasticum conversus est, augeetur stipendium Imperiale ab Ecclesie, juxta quod res publicæ fuerint minoratæ.

CAP. 9.

VT omnis decimetio ab Episcopis, vel his, qui eb eo substituti sunt, præbeatur, nullusque eam ad suam Capellam, nisi forte concessione Episcopi, conferat. Quod si fecisse contigerit, primum legibus subjeceat humanis, postea excommunicatione populi constrictus, ed ultimum ipse Capella, quæ magis contentionem quam utilitarem aliquam præstat, destruatur.

CAP. 10.

VT plebes Ecclesiæ nullatenus aut Comitibus, eut Episcoporum vasallis, eut ullis laicis in beneficia tribuantur.

CAP. 11.

VT in domibus Ecclesiarum, neque Missus, neque Comes, vel Judex quasi pro consuetudine neque placitum, neque hospitium vendicent; sed in publicis vicis domos coostituant, in quibus plecitum teneant, & secundum entiquam consuetudinem hospitentur.

CAP. 12.

VT singulæ plebes Archipresbyterum habeant, propter essiduam ergo populi Dei curam singulis plebibus Archipresbyteros præesse volumus, qui non solum imperiti vulgi sollicitudinem gerant, verum etiam eorum Presbyterorum, qui per minores titulos habitent, vitam jugi circumspectione custodient, & qua unusquisque industrie divinum opus exerceat, Episcopo suo renuntient, nec obtendet Episcopus, nonegete plebem Archipresbytero. Quod si ipse gubernare valeet; quie est valde idoneus, decet tamen ut pertietur onera sua, & sicut ipse Matrici præest, ita Presbyteri præsint plebibus, ut in nullo titubet Ecclesiastica solicitudo. Cuncte tamen ad Episcopum referant, nec aliquid contre ejus decretum ordinere præsumant.

Anno Christi 906. * Hic filius fuit Arnulfi Imp. sed Romam non accessit.

HLUDOWICI IV. *IMPERATORIS AUGUSTI

EDICTUM

De Ritu manumissionis.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

HLUDOVICUS divina favente gratia Rex. Noverint omnes fideles nostri, præsentes scilicet, & futuri, quia nos rogatu Purucherti dilecti Comitis nostri, quendem proprium servum nostrum Johan nominatum, in præsentia fidelium nostrorum, per excussionem denarii de manu illius, juxta Legem Salicam, in eleemosynem nostrem liberum dimisimus, & ab omni jugo servitutis ebsolvimus: ejus quoque ebsolutionem hoc scripto firmevimus, quem in omni tempore firmam inviolabilemque mensurem esse volumus. Præcipientes ergo jubemus, ut sicuti reliqui manumissi, qui per hujus modi titulum absolutionis à Regibus vel Imperatoribus noscuntur esse relaxati ingenui, ita deinceps memoratus Johan bene ingenuus etque securus existat.

Ernustus Cancellarius ad vicem Theomari Archicapellani recognovi.

Data II. Kal. Jun. Anno Incarnationis Domini DCCCCVI. Indict. IX. Anno Regni Domini Hludovici VII. Actum in Rotvvila feliciter, Amen.

LUDO-

LUDOVICI IV. IMPERATORIS AUGUSTI

CONSTITUTIO

DE AUCTORITATE INSTRUMENTORUM.

Anno Christi 909.

SI quis contre cartam precarii aliquem fraudem tempteverit agere, sive ille ipse, qui fecit, sive alius quispiem, ed ærarium Regis multam persolvat, id est, auti uncias tres, argenti pondere quinque, & nihilominus ipsa carta precarii firma & stabilis permaneet. Dat. anno Incatnetionis Domini DCCCCIX, Regni nostri anno X.

CHUNRADI I. FRANCI IMPERATORIS AUGUSTI

CONSTITUTIONES.

Anno Christi 915.

I. De Pace publica.

QUicumque pacem nostram turbere præsumpserit, ita ot adversus Edictum nostrum aliquem in boois eut corporibus nostris aggrederit, vel captivaverit, vel læserit, nec ed eum justitiem habuerit, præcipimus ut debeat capitali sententia ferri.

II. De Desertoribus.

QUicumqoe absque permissione Principis de exercitu eufugerit, quod factum Franci herischlizdicunt, aut castra deseruerit, aut clamores fecerit, ut ad terrorem elu fugerent, aut stationem & vigiliem suam non habuerit, jubemus ut capitelis sententia in eum sine venia detur.

2. Quicumque Regale habens beneficium, Parem suum contre Regni nostri inimicos commones in exetcitu prodiderit, ita ut is damnum petiatur ab inimicis: si de culpa certum erit, volumus ut caput perdat, sicut proditoribus statutum est.

3. Quicumque beneficierius parem suum in exetcitu proficiscentem dimiserit, & cum eo ire vel stare noluerit, hoourem suum & beneficium perdat.

Ex hoc decreto Erchenger & Bertholdus fratres, Duces Sueviæ, Anno 918. decollati fuerunt, quod contra Pacis edictum Salomoném Episcopum cepissent.

HENRICI I. AUCUPIS IMPERATORIS AUGUSTI

CONSTITUTIO

De Jure Primogenitura.

Anno Christi 931.

QUilibet primogenitus, qoi Curiæ Priocipis contra hustes in necessitete servierit, absolute & præ aliis ejus fratribus & sororibus, defuncto patre, illius vestes & arnesie, quasi ex quodem prælegato, reportare debet, nec illa in hæreditatem divisionis pateroæ ei computari debent.

ALBERICI REGIS ROMANORUM

Anno Christi 933.

EDICTUM

De Depositione Regis tyrannice Dominantis.

ALbericus Princeps & Marchio Tusciæ, cuncto populo Romeno. Romanæ Urbis dignitas ad tantam est stultitiam ducta, ut meretricum etiam imperiu pareat. Quid enim fœdius, quidve turpios, quam ot onlus *a* mulieris incestui *b* Romene civitas pereat? Romenorum aliquendo servi, scilicet Burguudiones, Romanis impereot? Si meam Rex Hugo privigoi scilicet soi faciem cæcidit, cum præsertim oovus hebeatur hospes, quid vobis jam inveteratum facturum creditis? Quare Hugunem Regem deserite, atque me à vobis electum Dominum agooscite.

a Maroziæ, quæ duobus fratribus nupsit, Alberico Marchioni Tusciæ & Hugoni Comiti Arelatensi, Imperatori Romanorũ.

b Præsentavit hæc Marozia typum ac figuram meretricis Babyloniæ jam tum libere mœchantis.

ALBERICI REGIS ROMANORUM

CONSTITUTIO DE USU PALLII EPISCOPIS GRÆCIÆ CONCESSO.

Anno Christi 934.

Luitprandus in Relatione sua Legationis Orientalis.

CUm Albericus Romanam civitatem sibi usurparet, Dominumque Apostolicum quasi servum proprium in conclavi teneret, Romanus Imperator Græcorum filium suum Theophylactum eunuchum Patriarcham constituit. Cumque eum Alberici cupiditas non lateret, missis eo muneribus satis magnis, effecit, ut ex Papæ nomine Theophylacto Patriarchæ litteræ mitterentur, quarum auctoritate tum ipse, tum successores absque Paparum permissu palliis uterentur. Ex quo mos inolevit, ut non solum Patriarchæ, sed etiam Episcopi totius Græciæ palliis utantur.

HUGONIS IMPERATORIS AUGUSTI ET LOTHARII CÆSARIS

CONSTITUTIONES

Anno Christi 941.

I. De restauratione Ecclesiarum.

SI fervore Charitatis accensi de statu & restauratione Ecclesiarum Dei diligenti cura & indagatione tractamus, Regnum nostrum stabilire, ac feliciter nos regnare cum Christo, nequaquam ambiguimus, &c.

Gesebrandus Camerarius ad vicem Bosonis Episcopi Archicancellarii recognovit. Data XIII. Kal. Augusti, anno Incarnationis nongentesimo quadragesimo primo, Regni vero Domini Hugonis decimoquinto, Lotharii vero decimo, Indict. decimaquarta, in Campania juxta oppidum Rom. feliciter.

II. De Pœna prævaricatorum mandati Regii.

Anno Christi 945.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Hugo & Lotharius divina clementia Reges. Si quis nostri & antecessorum nostrorum præcepti de privilegiis & bonis Ecclesiarum statutum aliquando, quomodocunque, instigante Diabolo, infringere conatus fuerit, sciat se compositurum auri optimi libras mille, medietatem Cameræ, & medietatem Ecclesiæ læsæ. Dat. Papiæ, Idus Augusti, anno Incarnationis Domini DCCCCXLV. Regni vero Domini Hugonis XX. Lotharii XV. Indict. III.

Giseprandus Episcopus & Cancellarius ad vicem Bosonis & Archicancellarii recognovit.

LOTHARII II. IMPERATORIS AUGUSTI

CONSTITUTIONES

Anno Christi 948. Leg. Long. lib. 2. tit. 1.

I. De testibus.

QUamquam Sacerdotis testimonium credibile habeatur, tamen ipsi in secularibus negociis pro testimonio aut conficiendis instrumentis non rogentur: quia eos in talibus rebus esse non convenit. Si autem causa eventus aliquid audierint aut viderint, ubi nullæ idoneæ seculares personæ inveniantur, ne veritas occultetur, & malum in bonum æstimetur, in providentia Episcopi proprii sit, ita ut coram se & competentibus indicibus aut aliter veritatem honorifice tollant.

Leg. Long. lib. 3. tit. 1.

II. De Episcopis & Clericis.

* Olonæ etiam Ludovicus IV. Leges promulgavit, mense Octobri, Anno 901. a Hugonis Imp.

DE Ecclesiis emendandis, Volumus ut ita observetur, ut in Capitulari nostro continetur, quod ad * Olonam fecimus: & si in uno loco plures Ecclesiæ sint, quam necesse est, destruantur. Quod si forte in alio loco Ecclesia sit constructa, quæ tamen necessaria sit, & nihil dotis habuerit, volumus ut secundum jussionem Domini ac *a* genitoris nostri unus mansus cum duodecim vicatiis de terra arabili ibi detur, & mancipia duo à liberis hominibus, qui in eadem Ecclesia officium audire deberant, ut Sacerdotes ibi possint esse, & divinus cultus fieri. Quod si hoc populus facere noluerit, destruatur.

III. Sta-

III.

Statutum est, ut si quis liber homo per consensum Episcopi Ecclesiam in sua construxerit proprietate, fontesque ab Episcopo in ea fuerint consecrati, ideo non perdat suam proprietatem; sed si Episcopus voluerit officium sacri baptismatis, in suam Ecclesiam transferat: ipsa verò Ecclesia, quæ transfertur, in constructum maneat jure.

BERENGARII II. IMPERATORIS ET ADELBERTI CÆSARIS

Anno Christi 950.

EDICTUM
DE ECCLESIARUM ET POPULI CONTRIBUTIONE ad bellum contra infideles.

Luitprandus lib. 5. cap. 15.

TAxis Ungarorum Rex magno cum exercitu in Italiam venit. Cui Berengarius ex Ecclesiarum ec populi collectione decem modios nummorum dedit. Nam per edictum in omni ætate omnisque sexus, tamque eblactatus, quam lactens pro se nummum dare coactus fuit.

Subscriptio Edicti.

Hubertus Cancellerius ad vicem Bruningi Episcopi & Archicancellarii recognovi & subscripsi. Dat. 6. Kal. Octobris anno Dominicæ incarnationis nongentesimo quinquagesimo; Regni vero Domini Berengerii atque Adelberti piissimorum Regum primo.

OTTONIS I. MAGNI IMPERATORIS AUGUSTI CONSTITUTIONES.

Anno Christi 967.

I. De Raptu.

VIR qui virginem rapuit & eam sibi postea matrimonio copulavit, etiamsi essent iu simul concordati raptor & filia, & matrimonialiter insimul copulati, mandamus tamen eum coram nobis aut justitierio nostro edduci propter taorum nefas, & ibidem confessum decollari: quia matrimonia libere & non per raptum virginum, nec violentiam fieri oportet.

II. De Moneta falsificatione. Anno 966.

MEdiolanensibus, qui falsificarunt imperialem nostram monetam auream & argenteam, mandemus & injungimus hac imperialis nostræ sententiæ condemnatione, ut nulla moneta, nisi de conio facta, in posterum utantur.

III. De Latronibus persequendis & puniendis. Anno 962.

INsignes latrones omni die ferieta quæstionibus subjici possunt, ot sic tolletur eis dilatio temporis componendi mendacia, per quæ possent se in peccatis forte talitet qualiter excusare, dicente Propheta; Beati qui faciunt judicium & justitiam omni tempore.

IV. De successione nepotum cum patruis. Anno 942.

ORta dissensione inter Principes de varietate legis, utrum avis superstitibus filii filiorum post patres defunctos edire hæreditatem, an exhæredatis fratruelibus (fratrum mortuorum liberis) hæreditas ad viventes patruos redire deberet: Nos ex omnium Principum sententia cognitionem veritatis commisimus gladiatorio judicio, cessitque victoria his, qui censebant mortuorum fratrum filios venire ad hæreditatem cum * patribus debere. Anno Imperii piissimi Ottonis Regis quarto.

* f. patruis

V. De Warendatione. Anno 948.

QUi alteri bona donaverit eut vendiderit, & elter in eorum per ipsum judicem præsentetur possessionem, cum ea primos adhuc personaliter ouu possedit, possidens huic licite contradicat, dummodo pro eisdem bonis in primo judicii termino se præbeat responsurum: quia possessionem suam nullus tenetur relinquere, nisi ipsa ei veris actionibus & sententiis prohibeatur.

2. Donata viro vel mulieri, per tres dies possideri oportet. Quæ vero per querelam evincuntur, eut hæreditario per successionem veniunt, non est necesse possessoru obdiere.

3. Qui alteri feudele prædium confert eut dimiserit, per annum & diem illius varendator esse debet. Qui vero proprium aut res mobiles vendiderit, quousque vixerit, illorum varendator esse tenetur: res tamen ille, pro qua litigatur, ad manus tradi debet venditoris, ad defendendum vel perdendum, quamdiu illud defendere tenetur.

4. Cui autem quid donatum est, in eo donatarius probare non poterit, nisi donationem. Datum in Maydeburg, prima mensis Junii, Anno Imperii decimo.

VI. De violenta occupatione, & cade possessorum.

QUi bona alterius violenter aufert seu occupat ante mortem ejus, seu sic occupata violenter tenet usque in ipsius mortem omne jus perdit, quod habere debuit in bonis illis post decessum spoliati.

2. Vasallus, si interficit Dominum suum in vita, honore & bonis, cum quibus ab ipso fuerit infeudatus, condemnetur.

3. Idem etiam de domino censendum est, si occidat vasallum. Et superior Dominus; sic occisi vasalli natos, ad prædictum Dominum, cum investitura dicti feudi, dirigere non valebit, ut sibi servitio astringantur.

4. Qui occiderit patrem, matrem, fratrem, aut alium quemcumque, de cujus morte proprietatis aut feudi successionem expectet, hanc se noscat perdidisse: nisi forte id ignoranter, vel causa necessariæ defensionis accidisse, prout juris fuerit, super mortuum comprobetur.

Anno 961. *VII. De jurisdictione Ecclesiarum imperii.*

OTto divina propitiante clementia Rex. Præcipientes jubemus, ut nullus judex publicus, vel quislibet ex judiciaria potestate, in Ecclesias sub nostro & antecessorum nostrorum Regum receptas mundeburdo, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones dictarum Ecclesiarum, quas nunc infra ditionem Regni nostri legibus possideant, vel quæ deinceps in jura earum divina pietas voluerit augeri, ad causas judiciario more audiendas, vel freda exigenda, mansiones vel paradas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsarum Ecclesiarum contra rationem distringendos, nec ullas redibitiones vel inusitatas occasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea quæ supra memorata sunt, penitus exigere præsumat, hominibus quoque famulatum earundem Ecclesiarum facientibus, qui saxonice Malman dicuntur, mundeburdum & tuitionem nostræ Imperialis potestatis constituimus, ut etiam coram nulla judiciaria potestate examinentur, nisi coram præsulibus ipsarum Ecclesiarum, aut advocatis, quos earundem locorum Præsules elegerint, aut à nobis acceperint. Et ipsi præsules cum omnibus rebus suis nostro fideliter pateant Imperio, & sub nostra consistant defensione. Fratres autem, quibus à nostra aut antecessorum nostrorum liberalitate concessum est, habeant licentiam eligendi Pastorem inter se qualemcunque voluerint, ita tamen si talis inter eos inveniatur, qui vita & moribus probatus habeatur, salva in omnibus dispositione nostra Imperiali.

Liudulfus Cancellarius ad vicem Brunonis
Archicapellani recognovit.

Dat. Burchen, VII. Idus, Anno Dom. incarnat. DCCCCLXI. Indict. IV. Anno regni nostri XXII.

VIII. De Ecclesiarum prædiis non concedendis Laicis.

Anno 940. OTto Rex Comiti Abbatiam Laureshey mensem suis suorumque usibus concedi petenti. Obedire oportet Deo magis quam hominibus, scriptum est: *nolite sanctum dare canibus*. Quod quamvis spiritualiter intelligendum prædicetur, ego tamen sanctum me canibus dare judico, si Ecclesiarum & monasteriorum prædia, quæ à religiosis viris tradita sunt Deo militantibus tulero, & seculo militantibus tradidero. In castris apud Brisach, Anno DCCCCXL.

IX. De Re intertiata.

SI quis equum suum, vel cætera animalia, sive rem suam super aliquem repetierit, & ipse se varentem dare dixerit, statim ut ad certum varentem eum conducat, & super tertium varentem, & tertium Comitatum procedat. Et si hoc facere noluerit, rem perdat, & secundem legem componat.

X. De Advocatis.

LAicorum vero nullum præter Comitem in solis Ecclesiasticis rebus advocatum habere permittimus.

XI. De Feriis.

* male, esse adiicimus. QUotidie contra leges agitur, quotidie malum mali facere non verentur. Ideo hanc legem per omne ævum divinitate propitia valituram * edicimus, ut toto anni tempore liceat Judicibus causas agere, lites dirimere, tumultum quæstionum determinare, & diffinire, ut qui quotidie legem offendunt, quotidie legis sententia feriantur.

2. Nec enim tempore messis, vel vindemiarum, legis edictum effugere debent, qui in nullo tempore peccare desierunt. Bene enim facere, verum dicere, justitiam armare, rectum judicare omnibus temporibus licuit, semperque licebit, quia à bonis nunquam, à malis autem operibus semper requiescendum esse, Catholice didicimus. David autem Rex & Propheta dicit: *Beati qui custodiunt judicium, & faciunt justitiam in omni tempore.*

3. In Na-

3. In nativitate vero Domini, in Epiphania, & in statutis Jejuniorum diebus, in diebus Quadragesimalibus, in Pasche & in Ascensione Domini, in Pentecoste, in Dominicis diebus in festis præcipuis, judiciarios motus exequi, publicas quæstiones eppeti, ut hæ solemnitates, quæ sunt Christianorum, cum omni vigilantia celebrentur, penitus * inhibemus. * prohibemus.

12. *Quibus honoribus filii Diaconorum & Presbyterorum removeantur.*

Dieconorum, Episcopotum, Presbyterorum filios, Notarios, Sculdasios, Comites, Judices fieri, omnibus modis prohibemus.

13. *Quo pacto unus defendere se debet ut in extraneo non respondeat judicio.*

HOmo extraneus in alieno judicio respondere minime tenetur elteri, qui in uno secum residet judicio. Quod si inde in damnum induxerit eundem, id resarcire sibi tenetur, nisi forsan judicium illic sibi denegatum sit.

14. *De Donatione seu accessione bonorum, in quibus veram possessionem solus non habuerat.*

QUi bona alteri in ejus tradiderit potestatem, in quibus nullam solus habuerat possessionem. Si elter jure mediante in eadem bona introductus sit, is qui possessionem habet, intromissioni licite jore contradicere potest & illum sic introductum removere. Tenebitur tamen possessionem jure defendere in proximo assignato judicio.

2. Nullus etenim possessionem dimittere cogitur, nisi judicialiter eccusatus per veras sententias repulsam patiatur. Quod cum factum fuerit, iste tandem judicialiter introducitur, & exinde eundem nullus expellere poterit, nisi accusatus veris sententiis repellatur.

15. *De Donationibus vel abscessionibus coram judicio factis.*

DOnata viro vel mulieri jure municipali, tribus diebus ille possidere oportet.

2. Quæ vero per querelem evincuntur præscribi possessione non cogitur.

3. Bona feudalia si quis alteri dimiserit, illa varendere oportet anno & die.

4. Qui vero proprium vel mobilia in municipio vendiderit, illorum varendator esse tenetur quoed vixerit: res tamen illa, pro qua litigatur, ad manus tradi debet venditoris, ad commodum vel demnum, quamdiu illem defendere valeet.

5. Cui autem donatum quid est, in eo donatarius probare non poterit, nisi donationem, nec varendare eum oportebit.

OTTONIS I. IMPERATORIS AUGUSTI

STASTUTA ECCLESIASTICA IN COMITIIS Ingelenhemensibus.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Anno ab incarnatione Domini nongentesimo quadragesimo octavo, Indictione VII. Idus Januarii: Anno Serenissimi Regis Ottonis XIII. ipso quoque cum illustrissimo Rege Ludovico in præsentia manente, Sancta ac generalis Synodus epud Engilenhem in Ecclesie S. Remigii Confessoris Christi in pago Negavve dicto collecta est, præsidente videlicet Domini Agapiti Papæ Apocrisario venerabili *a* Polimarcensis Ecclesiæ Episcopo Marino, & considentibus Archiepiscopis Anno Christi 948. *a* Corrupte, pro Narniensis vel Sutriensis.

Wichfredo Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopo,
Frithurico Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopo,
Rhotberto Sanctæ Trevirensis Ecclesiæ Archiepiscopo,
Ardoldo Sanctæ Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscopo,
Adaldego Sanctæ Hammeburgensis Ecclesiæ Archiepiscopo,
Richauuone Wangionensis Ecclesiæ Archiepiscopo,
Keroldo Senctæ Juvavensis Ecclesiæ Archiepiscopo,
Udalrico Augustensis Ecclesiæ Episcopo,
Bernardo Habalrestadensis Ecclesiæ Episcopo,
Thiedardo Hildinesheimensis Ecclesiæ Episcopo,
Dudone Pedebrunensis Ecclesiæ Episcopo,
Cuonrado Constantiensis Ecclesiæ Episcopo,
Starcando Eistettensis Ecclesiæ Episcopo,
Reginbaldo Nemetensis Ecclesiæ Episcopo,
Bobbone Wirciburgensis Ecclesiæ Episcopo,
Adelberone Metensis Ecclesiæ Episcopo,
Gochlino Tullensis Ecclesiæ Episcopo

Berengero Virdunensis Ecclesiæ Episcopo,
Baldrico Trajectensis Ecclesiæ Episcopo,
Wichardo Basilensis Ecclesiæ Episcopo,
Duodona Osnaburgaosis Ecclasiæ Episcopo,
Eberiso Mimidonensis Ecclesiæ Episcopo,
Hildiboldo Mimigardiuurdensis Ecclasiæ Episcnpo,'
Varaberto Tungrensis Ecclesiæ Episcopo,
Volgberto Camaracensis Ecclesiæ Episcopo,
Rudolfo Lugdunensis Ecclesiæ Episcopo,
Michaëla Radesbonensis Ecclesiæ Episcopo,
Adalberto Lanriacensis Ecclesiæ Episcopo,
Linpdago *b* Ripuensis Ecclasiæ Episcopo,
Oredo *c* Suewicensis Ecclasiæ Episcnpo,
Reginbrando Arusuensis Ecclesiæ Episcopo,

b Ripensis. *c* Slesvvicensis,

Cum cœtu Abbatum, Cannnicorum, necnon & Monachorum, unius Spiritus amore ferventium, quatenus cœlitus adminiculati zizania divioi cultusagro ab inimica manu superfita, Canonicarum sarculis santentiarum radicitus ex tirparentur.

2. Igitur recitato primitus Evangelio, oramineque finito, & sanctorum Canonum quamplurimis institurionibus linguarum clavibus coram reclusis, Missus Apostolicæ Sedis chartam suæ legationis honorifice protulit: in qua pro debitæ reverentiæ dono Romano Pontifici exhibendo commoniti sunt, ut univarsalis Ecclasiæ puppis exoptatæ tranquillitatis portui sacura succedat, seque procellosa tribulationum turbine vaxari diutius non timeat. Significatum est autem in ajusdem recitaminis sententia prædictum Præsulam Marinum ab ipso universali Papa, tali tenore ad oostros fines directum fuisse, quo in omni Ecclesiasticarum legum discussione ipsius axistens Vicarius, quæcumque liganda assent, Apostolica auctoritate ligarat: & quæ solvenda viderentur, parili solveret potestate. Hujusmodi procul dubio affaminis tam salubri missatico gloriosissimi Reges præfati cum Pontificibus, omniumqua Clero congratulantes, ut dignum fuit, sa in omnibus consentira & obedira professi sunt. A quibus auctorante & confirmante Legato Apostolico Capitula subsequentia statuta sunt.

3. Dahinc ax sassionis suæ loco sa subrigens inclytus Rax Ludovicus ad præsantiam Serenissimi Regis Ottonis, totiusque Sanctissimi Concilii unanimitatem satis lacrymosi conquestus protulit querimoniam, vidalicet quod Regia privaretur auctoritate à quodam Principe Hugone nominato, quondamque sibi subjecto. Cujus anxietati & multimodæ reclamationi condolentes in unitate Spiritus coadunati sanctissimi Patres ejusmodi super hac re santentiam protulere.

* Ex Ducum Saxoniæ familia, Othonis Imp. aguatus, cujus etiam interposita auctoritate in ordinem redactus est. Hic enim Otho, ut scribit Adamus Bremens. l. a c. 2. omnia Regna, quæ post mortem Caroli Magni defecerant, suo Imperio subjugavit, ut Lotharingium, Burgundicum, Gallicum, Danicum, Hungaricum, &c. Carolus V. Imp. in Rescript. ad Paulum III. P. R. anno 1542. de Gallorum Rege Francisco: Majores illius occuparunt Provinciam Galliam, quæ ditionis est Imperii.

*Reclamatio Ludovici, qualiter * Hugo Comes illum de Regno suo privavit.*

CAP. 1.

NUllus deinceps Regiam potestatem præsumat populari, sau aliquam perfidiæ maculam sibi fallaciter axhibera. Dacravimus anim Toletani Concilii judicium axequendo, Hugonem Regis Ludovici Regni invasotem & raptotem axcommunicationis gladio feriendom, nisi forte tempore statuto Synodale Concilium veoiat, & à tam nefaria protervitate satisfaciando resipiscat.

Item reclamatio Ardoldi Episcopi, qualiter Hugo Pseudoepiscopus Sedem suam illicite invasit.

CAP. 2.

ARdoldus Rhemensis Ecclesiæ Archiepiscopus propria de sede expulsus ex Canonica auctoritate in pristinum honorem inthronizatus: Hugo autem, qui ajus Sedem contra fas sibi usurpat, anathematis est mucrone multatus, ajusque ordinatores, & qui ab eo sunt ordinati, nisi VI. Idus Septembris Trauiris veniant, & ibi pro erratibus dignam faciendo pœnitentiam subeant, similem excommunicationis sententiam sustineant.

Item reclamatio Rudolfi Lugdunensis Ecclesia Episcopi.

CAP. 3.

DE antedicto Hugone Comite, qui Ruodolphum Lugdunensis Ecclasiæ Episcopum propria de Sada, non causa alicujus criminis, sed pro fidelitata Ludovici præfati Regis proprii senioris axpulit, decrevimus in sancta Synodo eum pro hac re, sicut de præscripta, axcommunicandum, nisi veniendo satisfecerit.

CAP. 4.

VT laici sine Episcopali licentia Presbyteris Ecclesias dare vel dimittere non præsumant.

CAP. 5.

VT nullus laicorum Presbyterum flagitare seu fatigare, vel aliquam sibi injuriam inferre audeat.

CAP, 6.

CAP. 6.

VT Peſchalis hebdomade feſtive tota celebretur, & in Pentecoſte II, III. IV, feriæ non minus quam dies dominicus ſolemniter honorentur.

CAP. 7.

IN Letania majore jejunium, ſicut in Rogationibus ante aſcenſionem Domini, exerceatur.

CAP. 8.

VT oblationes fidelium *a* quater alteri deferantur, nihil omnino ad laicalem pertineant poteſtatem, dicente Scriptura; Qui altario deſerviunt, de altario participentur.

a ſc. quæ ſacro altari offeruntur.

CAP. 9.

VT decimæ, quas Dominus præcepit in horreum ſuum deferri, ſi Eccleſiis Dei non fuerint redditæ, ſed nefaria cupiditate, quæ ſævior Aetnæ ignibus ardet, è ſæcularibus fuerint retentæ, ſecularie ſuper hoc non exerceantur judicia, nec in forenſibus diſcutiatur cauſis, ſed in ſancta Synodo ab ipſis Sacerdotibus, quorum deputatæ ſunt uſibus, quid exinde debeat actitari certis diffiniatur promulgationibus.

CAP. 10.

VT Evangelica auctoritate, & ſacrorum Canonum inſtitutione, pœnasque proponere divini judicii, ut noſtra ſit abſoluta conſcientia, & illarum pro ſe rationem Deo reddat intentio. Cavendum eſt quippe, quod de earum moribus actibusque B. Paulus teſtatur Apoſtolus. Quod planius exponere præterimus, ne ſexus inſtabilis non tam deterreri, quam admoneri videatur.

OTTHONIS I. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Chriſti 952.

STATUTA ECCLESIASTICA IN COMITIIS AUGUSTANIS.

CUM excellentiſſimus piiſſimusque Otto Rex, ſuperna attractus clementia non minus de negotio ſpiritali, quam de ſtatu Chriſtiani Imperii tractaret, in primis Pontificum, aliorumque primatum ſuorum communi conſilio fretus, anno incarnationis DCCCCLII. Indictione x. Anno vero Regni ejus XVII. ſub die VII. Id. Aug. placitum conventumque Synodalem Auguſtæ fieri decrevit, quatenus concordi diligentia, tam ſancti Cleri, quam populi Eccleſiæ ſtabilitatis profectus, & totius Chriſtianitatis utilitates tractarentur. Cujus rei diſpoſitionem per reverendiſſimi atque prudentiſſimi Frithurici Maguntinæ Sedis Archiepiſcopi induſtriam maxime gubernari deliberavit.

Heroldn etiam Juuanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo,
Manaſſe quoque Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo,
Petro Ravennate Archiepiſcopo: cæteriſque Italiæ, Galliæ, Garmaniæ, ſub notatis Pontificibus huic diſcuſſioni operam exigentibus:

Udalrico Auguſtenſis Eccleſiæ epiſcopo,
Annone Wangionenſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Stercando Eichſtetenſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Conrado Conſtantienſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Poponi Werziburgenſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Godefrido Nemetenſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Harberto Curienſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Vudone Argentinenſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Lantperto Friſingenenſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Hugone Aritienſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Michaële Radesborienſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Adelberto Patauenſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Luidfrido Ticinenſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Giſibrando Terdonenſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Antonio Brioſienſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Vukone Cumano Epiſcopo,
Deodato Parmenſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Vuittone Mutinenſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Adelhardo Regenenſis Eccleſiæ Epiſcopo,
Sigolfo Placentinæ Eccleſiæ Epiſcopo,
Adalgiſo Aquenenſis Eccleſiæ Epiſcopo,

Hoc anno Auguſti menſe, Auguſtæ Rhetiæ provinciæ publicus habetur conventus Epiſcoporum, nec non principum Francorum, Saxonum, Bauarorum, Alemannorum & Longobardorum, ubi Berengarius Rex cum filio Adalberto ſeſe ſubiiciens Ottoni, ab eo, ut ſubditus, recipit regendam Italiam &c. Hæc Baronius Annal. tom. 10.

Cum eorum unanimis diligentia, huic Eccleſiaſtico negotio vigilanter inſtaret, omnib. tatum putabatur, Principem regni beatæ matris Eccleſiæ devotum filium poſtulare quatenus ibidem divina diſcutientibus intereſſe dignaretur. Tum die præfinito eo veniens dulciſona modulationum jocunditate, honorifice, uti Regiam dignitatem decuerat, ab omnibus acceptus, Miſſæ celebratione finita, ſatisfa-

tisfaciendo Pontificum petitioni cum insigni privatim turba Synodum intrevit. Interim reverendus Moguntinæ Sedis Archiepiscopus Frithuricus se è solio erigens, humiliter strenueque sermonem regulari studio congruentem protulerat: deinde cuncta, quæ de jure Ecclesiastico juxta Canonicam euctoritatem & imitanda sanctorum Petrum Decreta erant ventileta, pronuncians, in hisce omnibus huic rei necessariis se in commune ejus præsidium sentire postulabat. Quibus Rex superni amoris igne succensus, & zelo divini amoris animatus, mentis corporisque nisu Ecclesiasticarum rerum euxiliatorem, defensorem promptissimum se esse promittendo certificavit. Hac videlicet promissione eudita Regali, prælibatus Archiepiscopus residens, communi cæterorum ellensu, Capitula subsequentia titulari præcepit.

Contra hoc capitulum exstat Epistola Vdalrici Episcopi Augustani ad Papam scripta.

CAP. I.

SI quis Episcoporum, Presbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorumque oxorem acceperit, è sibi injuncto officio deponendus est, sicut in Concilio Carthaginensi tenetur cap. xxv.

CAP. 2.

EPiscopos, Presbyteros, vel aliquem de Clero canes, venandi emore vel accipitres habere non licet, sicut in Concilio legitur Toletano cap. x. Quisquis eutem personarum hujusmodi in hac voluptate denudatus fuerit, quamdiu in illa detestabili voluptate detinetur, ab omni Ecclesiastico officio cesset.

CAP. 3.

EPiscopus, Presbyter aut Diaconus aleæ vacens, si ab hoc interdicto opere cessare noluerit, velut in Canone Apostolorum habetur capitulo XLII. deponendus erit.

CAP. 4.

NUllus in Clericatus officio manens mulierem subintroductam secum habitare permittat. Si vero aliqua suspicionum maculis adspersa contra hæc agere tentaverit, ab Episcopo vel ejus Misso virgis cæsa detondeatur. Si eutem sæcularis potestas hæc fieri prohibuerit, Regia potestate fœmina coacta prælatæ sententiæ subjaceat.

CAP. 5.

DIversa sæcularis vitæ negocia fugientes, & Monasticæ institutionis normam aggredientes, extra claustrum sine licentia proprii Abbatis ire non licet, sed tantummodo jejunio & orationi vacare in locis, quibus renunciaverunt sæculo, permanentes, sicut in Concilio Chalcedonensi præcipitur.

CAP. 6.

OPortet etiam Episcopum, in cujus dioecesi Cœnobium situm est, Monachorum providentiam gerere: & si aliquod correctione dignum repperit, corrigere festinet.

CAP. 7.

CLericis Monachicum habitum sequi cupientibus, & pro remuneratione divina sæcularibus spretis arctiorem vitam adire volentibus, ullatenus introeundi aditus ab Episcopo denegetur, sed potius eum in tali conversatione perstare exhortari conetur, sicut in Concilio Toletano habetur capitulo primo.

CAP. 8.

SAnctimonialis, quæ spontanee voluntate, strictiori vitæ proposito se elligare voluerit, nulla re obstante, id quod bona intentione disposuerat peragendum, ab Episcopo impediatur.

CAP. 9.

VT laici Presbyteros sine conscientia & consensu proprii Episcopi ab Ecclesiis eis canonice commendatis non eiicere præsumant, nec alios locum eorum subire faciant: quie ut ab Episcopis ordinantur, ita necesse est, ut ab ipsis Ecclesias procurandas accipiant, sicut in Concilio habetur Arelatensi cap. IV.

CAP. 10.

VT omnis decimatio in potestate Episcopi sit: & si neglecta fuerit, quicquid inde emendandum sit coram Episcopo ejusve Misso corrigatur.

CAP. 11.

EPiscopus, Presbyter, Diaconus, Subdiaconus, ut in multis Conciliis firmatum est, quia divina ministeria contrectant, ab uxoribus abstineant. Cæteri autem Clerici, quando ad maturiorem ætatem pervenerint, licet nolentes, ad continentiam cogantur.

ACTA

ACTA

CONCILII ROMANI II. Anno Christi 964.

AB OTTONE I. IMPERATORE ET LEONE VIII. PONTIFICE CELEBRATI.

De Depositione Benedicti V. Pseudopapæ, Anno Domini DCCCCLXIV.

RExidentibus Domino Leone summo & universali Papa in Ecclesia Lateranensi, necnon & Imperatore sanctissimo Ottone, & Episcopis Romanis, Italicis, à Lotharingia & Saxonia Archiepiscopis, Presbyteris, Diaconis, omnique Romanorum plebe, quorum nomina superius adscribuntur, advenit Benedictus Apostolicæ Sedis invasor, eorum qui se elegerant manibus adductus, Pontificalibus vestibus indutus. Quem Benedictus Cardinalis Archidiaconus tali est sermone aggressus: Qua tibi auctoritate, qua vel lege, ô invasor, hæc Pontificalia indumenta usurpasti, superstite hoc præsente Domino nostro venerabili Papa Leone, quem tu nobiscum, accusato & reprobato Joanne, ad Apostolatus culmen elegisti? Num inficiari potes, præsente Domino Imperatore juramento promisisse, nunquam te cum cæteris Romanis Papam electurum, aut ordinaturum, absque illius, filiique sui Regis Ottonis consensu.

Benedictus respondit: si quid peccavi, miseremini mei. Tunc Imperator, effusis lacrymis, quam misericors esset, ostendens, rogavit Synodum, ne Benedicto præjudicium fieret, si vellet & posset, ad interrogata responderet: quod si non posset aut nollet, ac se culpabilem redderet, tamen pro timore Dei misericordiam aliquam inveniret. Quo audito, ad Domini Leonis Papæ pedes, ipsiusque Imperatoris idem Benedictus concite procidens, se peccasse, seque sanctæ Romanæ Sedis invasorem esse clamavit. Post hæc pallium sibi abstulit, quod simul cum Pontificali ferula, quam manu gestabat, Domino Papæ Leoni reddit: quam ferulam idem Papa fregit, & fractam populo ostendit. Deinde Benedictum in terra sedere præcepit, cui casulam, quam planetam vocant, cum stola pariter abstulit. Post autem omnibus Episcopis dixit: Benedictum sanctæ & Apostolicæ Sedis Romanæ invasorem omni Pontificatus & Presbyteratus honore privamus: ob eleemosynam vero Domini Imp. Ottonis, cujus sumus opera in Sedem debitam restituti Diaconatus eum ordinem habere permittimus, & non jam Romæ, sed in * exilium destinamus. * Hamburgum.

OTTONIS II. RUFFI IMPERATORIS AUGUSTI CONSTITUTIONES

I.

De duobus Reis stipulandi vel promittendi.

UBi plures Werigeldum, seu aliam conjunctim promiserint pecuniam, omnes sunt astricti per justitiam ad solutionem faciendam, quamdiu non fit per solutum plenarium, non quivis in totum, sed quilibet, quantum ad se pertinet, & quamdiu per judicium constringi poterit, cui fuerat promissum, vel huic, qui cum eo stipulatus est, & solvere est coactus, in virilem condemnetur portionem, nisi forte aliquis in solvendo deficiat sociorum.

2. Si plures pro uno debito ponerentur promissores, & promissio à pluribus recipiatur, satisfacto uni creditori ab omnibus liberatur.

3. Qui pecuniam solvere promittit, & fidejussorem ad hoc, quod promisso satisfiat, statuat, solvente principali, fidejussor liberatur, dummodo per eundem id comprobetur. Qui autem per se ipsum pecuniam solvere pro alio promiserit, ei incumbit probatio factæ per se vel ex parte ejus per alium solutionis.

II. Si quis communitatis se prædiis intromiserit.

QUi terram seu communem agrum suorum villanorum arat, fodit, aut sepit, incusatus pro eo coram Sculteto, tres solidos mulctæ persolvet. Qui si ibidem, quod juris est, reddere negaverit, & causa ad superiorem trahatur judicem, eidem mulctam dabit, & cum hoc triginta solidos villanis emendæ, cum agri restitutione.

2. Sic etiam villa villæ cum triginta solidis, & damni restauratione, si ut juris est, coram circumsedentibus hoc conqueratur & ostendatur, emendabit. Quod si villani hoc facere noluerint, & coram superiori judice pro eo accusentur, Sculterus eorum communem mulctam pro eis sustinere debet, & ipsi cum triginta solidis, & damni restauratione, suis adversariis emendabunt.

III. De

III. De Advocatis Ecclesiarum.

Anno 967. ADvocati Ecclesiarum nostro banno constringant omnes viros ipsarum ecclesiarum ad omnem justitiam faciendam. Dat. Veronæ, anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXVII. Indictione X. Anno Serenissimi Ottonis Magni Imperatoris VI. Regni vero nostri VII.

Anno 974. *IV. De jurisdictione Ecclesiarum Imperii.*

PRæcipimus ut nullus Dux, neque Marchio, vel Comes, aut alia qualibet judiciaria potestas, aliquam sibi vindicet potestatem in hominibus Ecclesiarum & Monasteriorum nostri Imperii, litis videlicet & colonis, atque iamundilingis, vel eos aliquis capitis banno ob capitis furtum, *vel capitis*, vel alio quolibet banno constringat, aut aliquam justitiam facere cogat, nisi Advocati ipsarum Ecclesiarum & Monasteriorum, quos ipsi velint & constituant ex privilegio & indultu Regii culminis, vel à nobis petant Advocatos.

2. Ipsi vero Advocati prædictos homines banno nostro ob capitis furtum recte faciendi constringant.

Dat. Magadaburch v. Kal. Octob. Dominicæ incarnat. DCCCCLXXIV. Indictione I. Anno Regni nostri XI. Imperii autem VI.

V. De Fidejussoria debiti vel injuriarum.

FIdejussorem coram judicio statuens pro debito cum conditione, quod ille solus vel fidejussor exolvat, si probare posset, quod ille solus persolverit, ut juris est, fidejussor liberatur, dummodo per eum probetur.

2. Qui autem pro alio fide jusserit certam pecuniam ad tempus solvere, probare testibus idem tenetur, quod solutioni satisfecit.

3. Si quis vero fidejussoriam statuere pro injuria accusatus cogitur, coramque judicio eundem statuendi fidejussor promiserit, & non statuerit ad terminum judicialem pro eo accusatus, emendare eum oportet juxta querelam & determinatum verigeldum.

RECESSUS SIVE DECRETUM

COMITIORUM VERONENSIUM OTHONIS II. IMPERATORIS,

P. F. AUG.

ANtiquis est constitutum temporibus, ut si cartarum inscriptio, quæ constabat ex prædiis, falsa ab adversario diceretur, sacrosanctis Evangeliis tactis, veram esse ab ostensore cartæ probabatur, sicque prædium sine deliberatione judicium vendicabat. Qua ex re mos detestabilis in Italia improbusque non imitandus inolevit, ut sub legum specie jurejurando acquireretur, qui Deum non timendo minime formidaret perjurare.

2. Tempore ergo, quo pissimus Rex Otho unctionem suscepit Imperii, residente in Synodo summo & universali Papa Domino Joanne XIII. ab Italiæ Proceribus est proclamatum, ut Imperator sanctus mutata lege facinus indignum destrueret, per quod etsi corpore quidem dives fieret, anima pereunte pauper in æternum maneret. Judicio itaque Domini Papæ & pissimi Augusti expectatum est usque ad illam Synodum, quæ paulo post intercapedinem habita est Ravennæ.

3. Cumque ibidem ex eadem re proclamatio repeteretur, ob quorum absentiam usque ad id tempus est expectatum, quod Gloriosissimi Othonis Regis Otho Gloriosissimus filius, & Conradus Burgundiæ Rex, Italiam propetantes, Veronæ Colloquium cum omnibus Italiæ Proceribus habuerint. In hoc itaque cum ab omnibus Imperiales aures magnis quæstionibus pulsarentur, ut mutata lege fraudem hanc tam diram ab Italia tolleret, convenientibus cæteris consentientibus legem hujusmodi secundum inferiora promulgavit Capitula.

4. De prædiis si contentio emerserit, & utraque pars sive altera cum cartis seu descriptionibus prædium sibi vendicare voluerit, si ille, qui falsam cartam appelleverit, per pugnam declarare voluerit, ut veritas ita decernatur: sin autem, secundum priora Capitula determinetur edicimus.

5. De Ecclesiarum rebus ut per Advocatos fiat similiter, jubemus.

6. De investitura prædii si contentio fuerit, ut per pugnam decernatur edicimus.

7. Si quis per seipsum, aut per suum nuncium, quicquam alicui deposuerit, & depositum cupiditate victus negaverit, si XX. solid. preciom fuerit, ut per pugnam decernatur, edicimus.

8. Si quis dixerit, quod per vim de prædio cartam alicui fecerit, per pugnam decernatur, edicimus.

9. De furto vel schalcho si ultra VI. sol. fuerit, similiter ut per pugnam veritas inveniatur præcipimus.

10. Quacunque lege, sive etiam Romana, in omni Regno Italico homo vixerit, hæc omnia, ut in his Capitulis per pugnam decernimus, observare præcipimus, ita tamen, ut si quem eorum juvenilis aut decrepita ætas seu infirmitas pugnare prohibuerit, liceat ei pro se pugnatorem ponere, & alter similiter faciat.

11. Si servus propter appetitum libertatis liberum se vocaverit, liceat Domino, si sibi melius visum fuerit, propter difficultatem approbationis, insidiose aut per suum campionem dare, si morbus aut ætas eum pugnare prohibuerit.

12. Ut

12. Ut Ecclesiæ sen Comites & viduæ lites suas de his, quæ in supradictis Capitulis continentur, per consimiles Advocatos per pugnam dirimant. Cæteri vero natura liberi, secundùm legem pristinam per semetipsum respondeant & determinent.

OTTONIS III. MIRABILIS IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 988.

CONSTITUTIONES

I. *De Mancipiorum proprietate*

OTto divina favente clementia Rex Adaldago Bremensi Archiepiscopo. Mancipia, litam videlicet, cum filiis ejus & filiabus omnique progenie, quæ ex hiis per successura tempora fuerint procreata: omnem etiam eorum possessionem, seu adquisitionem tibi in proprium tradita, eo tenore donata censentur, ut ipse dehinc potestatem habeas, sive retinendi, dandi, vendendi, commutandi, seu quodcumque tibi libitum fuerit inde faciendi. Dat. Wildeshusen XIII. Kal. April. Anno Dom. incar. DCCCCLXXXVIII. Indict. 1. Anno autem Regni nostri V.

II. *De Libertate Ecclesiarum in Regno Danorum.*

Anno Christi 992.

OTto Dei clementia Rex. Ob petitionem & interventum dilecti nostri Adaldagi, Bremensis Ecclesiæ videlicet venerabilis Archiepiscopi, ac pro statu & incolumitate Regni nostri, quicquid proprietatis in Regno Danorum, ad ecclesias in honorem Dei constructas, videlicet Sleswicensem, Ripensem, Arusensem, Ottoneswigensem, vel adhuc pertinere videtur, vel in futurum adquiratur, ab omni censu vel servitio nostri juris absolvimus; & ut Episcopis præscriptarum Ecclesiarum absque ulla comitis, vel alicujus fisci nostri exactoris infestatione serviant & succumbant, volumus & firmiter jubemus.

2. Insuper concedimus prædictarum Ecclesiarum Episcopis, ut potestatem habeant emendi agros, possessiones & prædia, in omnibus Regni nostri partibus, ubicunque velint aut possint.

3. Servos vero & colonos in eorum proprietatibus habitantes, nulli nisi ijsdem Episcopis servituros, ab omni etiam nostri juris servitio absolvimus & sub nullius banno vel disciplina illos, nisi sub illarum Ecclesiarum Advocatis, esse volumus. Dat. Wildeshusen XV. Kal. April. Anno Dom. incarnat. DCCCCLXXXVIII. Indict. 1. Anno autem Regni nostri V.

III. *De privilegiis Venetorum.*

OTto Dei favente clementia Rex. Ob petitionem & interventum honorandæ nostræ aviæ, Adeleidæ Augustæ, & pro statu ac incolumitate sacri Imperii, concessimus: Ne in riparium legibus, & transitibus aliquid novi statueretur; ut servi capti redderentur: ut bona Ecclesiæ Gradensis, & aliarum, itemque Monasteriorum posita in Regno, atque illis in urbibus, castris, montibus, campis, nemoribus, aquis, aquarumductibus, molendinis, piscationibus, & venationibus, à Venetis ante triginta annos possessa, quiete tenerent, & amissa recuperarent. Ut nullus Princeps aliquem Venetorum coercere, aut fodrum exigere, aut banno mulctare posset. Lauretum, quousque aqua salsa pertineret, in eorum potestate maneret. Dat. XIIII. Kal. Augusti, Indictione V. Anno Domini DCCCCXCII. anno vero Regni nostri nono.

Vetos hoc Venetorum fuisse ab Imperatoribus indultum privilegium indicant verba Carol. Sigonii l. 6. De regno Ital. A. C. 891. Vido, ut se pontifici gratum præberet, privilegia ac dona à Pipino Rege, Carolo, & Pio Impp. Rom. Ecclesiæ data probavit. Inde Papiam regressus solemnem Regni constituendi causa Conventum habuit, & beneficia Ecclesiis ac Civitatibus more Regio indulgere ingressus Petro Duci.

HENRICI II. CLAUDI IMPERATORIS AUGUSTI

EDICTUM

De jurisdictione Ecclesiarum Imperii.

Anno Christi 1009.

HEnricus divina favente clementia Rex. Decrevimus præcipientes, ut nullus Judex publicus vel quislibet ex judiciaria potestate in Ecclesias nostræ Regalis potestatis & piissimorum antecessorum nostrorum Regum vel Imperatorum mundiburdio ac defensione receptas, aut loca vel agros, seu reliquas possessiones jam dictarum Ecclesiarum, quas nunc infra ditionem Regni nostri legibus possident, vel quæ deinceps in jura earum divina pietas voluerit augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, mansiones vel paradas faciendas, aut fidejussores tollendos, aut homines ipsarum Ecclesiarum, francos liberos & Ecclesiasticos litones maalman vel servos cujuslibet conditionis, seu colonos, contra rationem distringendos, nec ullas redhibitiones vel illicitas evasiones requirendas, ullo unquam tempore ingredi audeat, aut bannum sive heribannum, seu ea quæ supra memorata sunt, ab illis penitus exigere præsumat. Hominibus quoque famulatum earundem Ecclesiarum facientibus prædictum mundiburdium constituimus, ut etiam coram nulla judiciaria potestate examinentur, nisi coram præsulibus, & Advocatis earum; quos eorundem locorum Præsules elegerint, vel à nobis acceperint. Et per se Præsules in omnibus rebus suis nostro fideliter pareant Imperio, sub nostra constent defensione. Confirmamus quoque eorum locorum Fratribus, qui jure Regio habent licentiam eligendi inter se pastorem dignum & idoneum, salvo tamen Regis sive Imperatoris consensu.

Guntherus Cancellarius vice Willigisi Archicapellani recognovit. Dat. Drutmanniæ IV. Idus Martii, Indict. VII. Anno Dom. incarnat. MIX. Anno vero Regni nostri VII.

HEN-

HENRICI II. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1013.

CONSTITUTIONES.

I. De Pacis turbatoribus & homicidiis.

SI quis intra treugam, post datum osculum pacis, aliquem hominem interfecerit, & negare voluerit, Pugnam pro se faciat, nec campionem pro se dare debet, nisi sicut dictum est * supra.

* Sc. in Recessu Veronensi Othonis II. Imp. §

2. Si vero convictus fuerit, manum; quæ homicidium fecit, amittat.

II. Quando liceat alterius Clericum accipere vel non.

VT nulli Episcopo liceat alterius clericum racipere; aut ordinare in aliquo gradu, fine dimissoria Episcopi sui, de cujus parochia est.

3. De Parricidiis.

QUicumque propter cupiditatem rerum, patrem, aut matrem, aut fratres aut sorores, vel nepotem aut aliquem suum propinquum, per se aut per alium interfecerit, hereditas interfecti ad alios suos legitimos heredes perueniat.

2. Hereditas vero interfectoris in fiscum redigatur. Ipse vero, ordinante Episcopo, publicæ pœnitentiæ subdatur.

3. Quod si ille, cui crimen mittitur, negare voluerit, per se pugnam faciat, nec liceat campionem pro se dare, nisi decrepita ætas aut juvenilis aut infirmitas pugnare prohibuent.

CONRADI II. SALICI IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1039.

CONSTITUTIONES.

I. De Pace publica, edita in Comitiis Spirensibus Anno MXXXIX.

Hisce verbis refert Dubravius Episc. Olomucens. in hist. Bohem. p. 52.

PRincipes Imperii, quisquis es, pacem colunto, juri & legibus obtemperaoto, nec ullo pacto ocium Imperii turbanto; quique non paruerit, capitale esto.

II. De Pace mercatorum.

Chunradus divina favente clementia Romanorum Imperator Augustus. Bannum nostrum Imperiale super omnes ad mercatum sollemnem venientes, ut illuc eundo & redeundo habeant pacem, facimus. Eundemque bannum nostrum fidelibus Imperii ea ratione concedimus, ut si in statuto tempore ex illuc venientibus aliqua temeritas evenerit, inde justitiam faciendi Dux, aut Comes, vel & Episcopus, aut quiscunque hominum locum illum à nobis tenet, licentiam habeant. Dat. Magedeburch XVI. Kal. Octobr. Anno Dom. incarnat. MXXXV. Indict. III. Anno autem Regni nostri XI. Imperio vero IX.

Anno 1035.

Anno 1029.

III. De Banno forestorum.

CHunradus clementia divina favente Romanorum Imperator Augustus. In sylvis, campis, fluminibus, & paludibus forestatis & banni nostri districtu circumvallatis, ea ratione bannum facimus, ut nemo ulterius in eisdem absque Domini suorumque heredum licentia, potestatem habeat venandi, sagittandi, retia aut laqueos ponendi aut ullo ingenio feras decipiendi, quæ merito sub jute banni continentur.

Oudalricus Cancellarius vice Aribonis Archicapellani recognovit.

Dat. Ratisponæ III. Cal. Aprilis, Indict. XII. Anno Dom. incarnat. MXXIX. Anno autem Regni nostri V. Imperii vero secundo.

IV. De bonis Ecclesiarum non alienandis.

BOna & prædia Ecclesiis Dei quæsita, vel quæ postmodum divinâ adjuvante clementiâ eis acquisita fuerint, præcipimus ut nullus præsul potestatem habeat eadem bona data vel in posterum danda à prædictis Ecclesiis alienare, vel Milites suos inde beneficiare, vel in aliquid aliud in commune Fratrum *a* commodum commutare. Si quis autem Præsul absque eorum consensu & collaudatione eadem bona ab alienare vel militibus suis in beneficium dare, vel in proprium usum transferre voluerit, ipsi Fratres ad nos nostrosque successores refugium habeant. Dat. Regenspurg Idus Aprilis, Indict. XII. Anno Dom. incarnat. MXXIX. Anno autem Regni nostri V. Imperii vero tertio.

a fot. incommodum.

V. Imperator Romæ in basilica Vaticana Augustalia insignia accepturus à quo deducendus sit ad consecrationem à Pontifice suscipiendam. Anno 1027.

NOn est dubium, Reverendi Patres, quin quemadmodum Imperatoris inunctio ad Romanum Pontificem pertinet, sic Regis Italiæ consecratio tota sit Mediolanensis Antistitis. Quare est æquum, ut * Mediolanensis Antistes, cujus manu in Regem Italiæ futurus Imperator inungitur, si adsit, Regem Pontifici offerat; quem ad Imperium provehat, ut ex ejus auctoritate possit imperare, qui ejusdem ordinatione didicit & cœpit regnare.

* cui litem movebat Ravennas Archiepiscopus & Patriarcha.

HENRICI III. NIGRI IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1042.

CONSTITUTIONES

I. De Veneficiis.

DEcet Imperialem solertiam Reipub. curam agere, & sic sollicitetur erga præsentia, quatenus ea quoque diligenter provideat, quæ posteris sunt utilia atque profutura. Id autem satis competenter agitur, cum bonis virtutis præmium, impiis autem digna ultio sibi ad vindictam, aliis ad exemplum, recompensatur. Sed quoniam omnia, quæ habet humanum genus, excedit de ejus salute, tanto præcipue curandum est, quanto manifestius constat, quod omnipotens quoque Deus, pro redemptione ejus, Unigenitum suum ab æterna sede Divinitatis suæ in terram misit. Quapropter quoniam plerumque (proh dolor) veneficio ac diverso genere sortivæ mortis perire audivimus: super hoc dum in Regno universali Conventu Longobardorum sederemus, hujusmodi legem Episcoporum, Marchionum, Comitum, aliorumque consensu & auctoritate probari sancimus.

2. Quicumque veneficio, seu quolibet modo furtive aliquem peremerit, vel consentiens fuerit, mortis sententiam incurrat, omniumque suarum rerum mobilium & immobilium facultatem amittat: ita tamen ut precium x. librarum auri pro legitimo Widrigild propinquis parentibus perempti præmium detur: reliqua rursus medietas ejus propinquis, altera autem medietas ad fiscum accedat.

3. Si quis verò prædicti criminis aut de facto, aut de consensu accusatus negare voluerit, aut per duellum, si liber est; si verò servus, per judicium defendat se; aut similem sententiam incurrat.

4. Ad hoc autem volumus, nostraque Imperiali auctoritate sancimus, ut quicumque hominibus prædicti reatus noxiis refugium aut subsidium aliquod præbuerit, omnis possessio ejus in publicum perveniat: ipse verò in nostram omniumque nostrorum indignationem incurrat.

II. De Episcoporum surrogatione ab Imperatore facienda.

HENRICUS Romanorum Imperator Augustus. Cum Herebertus Episcopus sanctæ Mutinensis Ecclesiæ, & cives ejus nostra adita Clementia exposuerint, ipsorum olim nobilissimam atque antiquissimam urbem Mutinam prope desertam esse, ex eaque re nobis & nostræ Reipubl. maximum detrimentum accedere, petierintque ut eam nos ipsis reædificare, munire atque augere concederemus, quo nostris & sanctæ Ecclesiæ hostibus firmioribus resistere viribus possent. Ob eam rem nos justis eorum precibus obsequentes cum id eis permittimus, tum vero etiam usum aquæ amnium Siclæ & Scultennæ, Episcopo & Civitati concedimus, potestatemque alvei excavandi ad merces in Padum Venetias & Ravennam deferendas largimur. Quinetiam Ecclesiæ & Civibus omnes rectas consuetudines conservamus, quas antiquitus habuerunt, modo ne Episcopi mutatio, aut alio modo, nisi per nostram manum subrogatio, fiat, nisi à Romano Pontifice legitime abdicetur.

HENRICI IV. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1062.

CONSTITUTIONES.

I. De juribus cuilibet servandis.

HEINRICUS divina favente clementia Rex. Cum Regiæ dignitatis sit, jus cuilibet servare suum, præcipue tamen Ecclesiastica jura nobis observanda videntur, quia, si peccandum, tolerabilius in hominem, quam in Deum; si non peccandum, reverentius tamen Deo quam hominibus obsequendum. Dat. Alrstedii V. Kal. Julii, Anno Dom. incarnat. MLXII. Indict. I. Anno autem Ordinationis nostræ VIII. Regni verò VI.

II. De Jure Ministerialium.

HEINRICUS divina favente clementia Rex. Servientes eorumq; heredes tali jure utantur, quale de consuetudine habent, universa bona sua, cum prædiis adpertinentibus, id est, utriusque sexus mancipiis, terris cultis & incultis, areis, ædificiis, agris, pratis, pascuis, campis, sylvis, venationibus, aquis, aquarum decursibus, rivis, piscationibus, molis, molendinis, viis & inviis, exitibus & reditibus, quæsitis & inquirendis, & cum omni utilitate, quæ ullo modo ad eos pervenire potest, liberali potestate tenendi, infra Ecclesiastica dandi, vendendi, commutandi, precariandi, heredibus suis relinquendi. Dat. Triburiæ xvi. Kal. Febr. Anno Dom. incarnat. MLXIV. Indict. II. An. autem Ordinationis nostræ IX. Regni verò VII. Anno 1064.

HENRICI IV. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1073.

RESCRIPTUM

AD GREGORIUM VII. PONTIFICEM ROMANUM,

De invasione rerum Ecclesiasticarum, & Simoniaca labe ab Ecclesiis exstirpanda.

Vigilantissimo & desiderantissimo Domno Papæ Gregorio Apostolica dignitate cœlitus *insignito*, Henricus Romanorum Dei gratia Rex, debiti famulatus fidelissimam exhibitionem.

1. Cum enim Regnum & Sacerdotium, ut in Christo rite administrata subsistant, vicaria sui ope semper indigeant, oportet nimirum, Domne mi & Pater amantissime, quatenus abinvicem minime dissentiant, verum potius Christi glutino conjunctissima indissolubiliter sibi cohæreant. Namque sic & non aliter conservatur in vinculo perfectæ charitatis & pacis, & Christianæ concordia unitatis, & Ecclesiasticæ simul status religionis. Sed nos, qui (Deo annuente) Regni aliquandiu jam sortimur ministerium, Sacerdotio (ut oportuit) per omnia jus & honorem non exhibuimus legitimum. Quippe nobis à Deo datæ potestatis vindicem non sine causa gladium portavimus, nec tamen in reos, ut justum fuit, judiciaria illum semper censura evaginavimus. Nunc autem divina miseratione aliquantulum compuncti, & in nos reversi, peccata nostra priores vestræ indulgentissimæ Paternitati nos accusando confitemur, sperantes de vobis in Domino, ut Apostolica vestra auctoritate absoluti justificari mereamur. Heu criminosi nos & infelices, partim pueritiæ blandientis instinctione, partim potestativæ nostræ & imperiosæ potentiæ libertate, partim etiam eorum, quorum seductiles nimium sequuti sumus consilia, seductoria deceptione peccavimus in cœlum, & coram vobis, & jam digni non sumus vocatione vestræ filiationis. Non solum enim nos res Ecclesiasticas invasimus, verum quoq; indignis quibuslibet, & Simoniaco felle amaricatis, & non per ostium, sed aliunde ingredientibus Ecclesias ipsas vendidimus, & non eas (ut oportuit) defendimus. At nunc quia soli absq; vestra auctoritate Ecclesias corrigere non possumus, super his (ut etiam de nostris omnibus) vestrum unà & consilium & auxilium obnixe quærimus, vestrum studiosissime præceptum servaturi in omnibus.

2. Et nunc in primis pro Ecclesia Mediolanensi, quæ nostra culpa est in errore, rogamus, ut vestra Apostolica districtione canonice corrigatur, & exinde ad cæteras corrigendas auctoritatis vestræ sententia progrediatur. Nos ergo vobis in omnibus (Deo volente) non defuerimus, rogantes id ipsum suppliciter Paternitatem vestram, ut nobis alacris adsit clementer in omnibus.

Litteras nostras non post longum tempus cum fidelissimis nostris habebitis, ex quibus nostra, quæ adhuc dicenda restant, (Deo dante) plenius audietis.

DECRETUM

Anno Christi 1077.

COMITIORUM TICINENSIUM HENRICI IV. IMPERATORIS, ET EPISCOPORUM

ac Principum Germaniæ, Galliæ & Italiæ,

Anno Domini clↄ LXXVII.

Hildebrandus, qui se Gregorium nuncupat, primus sine consensu nostro adversus Imperatoris Romani, rerum Domini à Deo constituti, voluntatem, contra morem majorum, contra leges, contra auspicia, Pontificatum maximum, quem pridem ambivit, & judicio convictus perpetuo abjuravit, invasit; Monachus desertor est, novis dogmatibus sacrosanctam Philosophiam adulterat, divinas literas falsò interpretando suæ causæ servire cogit, concordiam Collegii scindit, sacra prophana, divina humana commiscet, utraque juxta polluit. Diabolis, hoc est, acerbissimorum hostium spurcissimis criminationibus, iniquorum maledictis aurem commodat & credit. Testis, judex, accusator, inimicus idem est. Maritos ab uxoribus separat: scorta pudicis conjugibus, stupra, incestus, adulteria, casto præfert connubio; populares adversus Sacerdotes, vulgus adversum Episcopos concitat. Neminem initiatum rite esse docet, nisi qui ab eo Sacerdotium emendicaverit: vili plebeculæ gratificari studet, vulgi imperiti auram captat, simulata religione decipit, defraudat, circumvenit: in senatulo muliercularum de sacratissimis religionis mysteriis pertractat: supremi numinis legem, qua se idem quoque ligavit, solvit: utrumque & Imperium & Pontificatum, sicuti Decii & falsorum Deorum cultores factitare consueverunt, usurpat.

Hasce ob causas Sanctissimus Imperator, Pontifices, Senatus, Populusque Christianus, illum Hildebrandum abdicandum, sibi eundem non placere, neque oves lupo committendas censent. Huicque decreto Germaniæ Galliæque, & Italiæ Episcopi ac Proceres, Conventu in hac regia urbe Papia acto, subscripsere, juraruntque, se nunquam Pontificem Maximum isthoc nomine recepturos.

DECRE-

DECRETI APUD PAPAM INSINUATIO.

Rulandus Sacerdos Parmensis literas Imperatoris, & Concilii decretum deferens, ædem sacram, ubi Pontifex Gregorius cum Schismaticis ad conciliabulum convenerat, ingreditur, & absque omni salutationis honore: Tibi, ad Hildebrandum inquit, Cæsar noster Christianissimus, sanctissimi Italiæ, Germaniæ, Galliæ Episcopi, & sacer ordo Christianus, præcipiunt, ut te munere, quod actu, pecunia, gratia occupasti, confestim abdices. Nec enim fas est, in vitiis illis te adversus authoritatem Imperatoris, contra Christianæ Ecclesiæ decretum, ovili Dei ultra incubare. Deinde ad cæteros versus: Pientissimi, inquit, fratres, pastorem jure vestro deligite, deinde sacratissimus Consul, Tribunus & Princeps vester more majorum euthor fiat.

HENRICI IV. IMPERATORIS AUGUSTI MANDATU

Anno Christi 1089.

CONGREGATÆ SYNODI ROMANÆ *EDICTUM*

DE GREGORII PAPÆ OB HÆRESEOS, SCHISMATIS ET SEDITIONIS CRIMEN DEPOSITIONE.

Adalbertus Episcopus sanctæ Rufinæ Sylvæ Candidæ,
Joannes Episcopus Hostiensis,
Hugo Episcopus Prænestinus;
Albertus Episcopus Nephesinus,
Beno Cardinalis Presbyter urbis Romæ,
Romanus Presbyter urbis Romæ,
Guido Cardinalis Presbyter urbis Romæ,
Octavianus Cardinalis Presbyter designatus,
Paulus Primicerius Romanæ Ecclesiæ,
Nicolaus electus Abbes sancti Sylvestri urbis Romæ,
N. Abbas sancti Pancratii urbis Romæ,

& Clerus, & Clarissimi Principes laici, Theobaldus Chimebii, & Udalricus de sancto Eustachio, & Populus Romanus, omnibus Deum timentibus, & salutem Romanæ Reipublicæ diligentibus.

I.

Nolumus ignorare prudentiam vestram, quod ad destruendas hæreses noviter ab Hildebrando inventas, & antiquas sub nomine pietatis imple ab ipso renovatas, & ad defensionem fidei Catholicæ, & ad exterminandam impietatem eorum, qui noviter ipsam fidem Catholicam, quantum in ipsis erat, scindere non timuerunt, Deo authore, Nonis apud S. Basilium convenimus, VIII. Idus apud S. Celsum, VII. Idus apud S. Mariam, in Ecclesia quæ vocatur Rotunda consedimus, ipsas hæreses damnatas, sicut majores nostri, & nos damnamus; omnes sectatores, communicatores, complices semel damnetæ pravitatis pari sorte censemus, ne si vel paululum taceamus, consentire videamur. Eos vero, qui authoribus errorum communicant, data securitate libere veniendi & ebeundi, vocamus, & ut per majores suos, D. Raynerium & Joannem Burgundionem causam suam agant, admonemus, securitatem integrem, in quantum possumus, usque ad festum Omnium Sanctorum promonimus, etiam cum in causa sua defecerint, neminem circumvenientes, nullius sanguinem, sed omnium vitam & honorem sitientes, nec seditiones in populo commoventes. De causa enim sua diffidere videtur, quisquis author est seditionis.

2. Pacem veram, dilectionem synceram, proponimus omnibus pacem, & veritatem, & unitatem Ecclesiæ Catholicæ amplectentibus, ut simus filii patris nostri qui in cælis est. Qui enim ex patre Diabolo sunt, opera patris sui faciunt: conspirationibus, seditionibus, cujus filii sint, manifesto ostendunt. Nos vero illius discipuli esse desideremus, cujus doctrina etiam inimicis sane est intelligenda. Orent pro nobis Ecclesiæ filii, ut crescat sermo Domini, &c. Datæ Romæ contra Schismaticos in sacro conventu, anno ab incarnatione Domini millesimo nonagesimo octavo, Indictione sexta, septimo idus Augusti.

3. His litteris vocati sunt. Declinaverunt autem audientiam Schismatici per sedecim annos, per obsides potentes & clarissimos, & sacramenta sibi oblata invitati, ne caperentur suis mendaciis, ne suis libellis convincerentur, quibus authores eorum corruperunt terram hæresibus variis longe lateque disseminatis per Apostolos multiplicis erroris. Sacer enim Conventus, toties deprehensa eorum versutia, in conspectu Ecclesiæ coram multitudine Romanorum ait: Eos qui sanctam Eccle-

ſiam ſcindere non timuerunt, iterum vocamus ad Synodum, quam Deo authore celebrare diſpoſuimus circa Calend. Novemb. In Præſenti tamen, quia venire renuunt, teſtes invocamus contra eos cælum & terram, quod nullum conſenſum adhibemus eorum perverſitati: & in teſtimonium illius, in medio Eccleſiæ, in conſpectu Angelorum & hominum, incendio tradimus decreta eorum hæretica, quibus orbem terræ perverterunt, Verbum Dei adulterantes ſub ementito colore pietatis, quærentes plus ſe quàm fidem Catholicam amari. Qui per ſedecim annos nullum dederunt locum veritati, fugientes lucem examinationis, tenebris erroris aſſueti, falſis expoſitionibus intorquentes Scripturas, in adjumentum nefandiſſimi Schiſmatis.

Papæ & Pſeudoſynodi decreta concremata.

HENRICI IV. IMPERATORIS AUGUSTI

MANDATUM DE REFORMANDA PACE IMPERII ET ECCLESIÆ.

Anno Chriſti 1105.

HENRICUS IMPERATOR Romano Pontifici Paſchali.

Si illa inter nos pax eſſet & concordia, quæ inter noſtros olim & tuos fuit anteceſſores, quæ inter nos etiam & Nicolaum & Alexandrum viros Catholicos & religioſos Romanos Pontifices plena charitate, & integra devotione viguit, mandaremus tibi, quidquid filius patri: ſed diſtulimus expectantes & recognoſcere deſiderantes, ſi in beneplacito Dei ſit, nos in charitate & amicabiliter poſſe convenire, & Eccleſiam ſuam noſtris temporibus, noſtro labore, ipſo cooperante, in ſtatum redire unitatis priſtinæ. Hoc quanquam dudum, Deo teſte, deſideravimus; tamen cognita nimia eorum auſteritate, qui in Romana erant Eccleſia, non utile nobis viſum eſt, vel competens, eos hac de cauſa convenire: quia magis videbantur nos proſequi odio & indignatione, quàm zelo juſtitiæ, vel etiam quàm velle nos amplecti dulcedine charitatis ad profectum Eccleſiæ; effectus hoc probat. Quia cum ipſi Regnum hæreditario jure nobis collatum tempore religioſorum virorum, Romanorum Pontificum; pacifice è nobis diu poſſeſſum, contra nos commovere ſtuderent, & armare: multa inde orta eſt ſtrages populorum, tam corporum quàm etiam, quod magis dolendum eſt, animarum. Nunc quoque filius noſter, quem tam vehementer dileximus, ut uſque ad ſolium Regni noſtri exaltaremus, eodem veneno infectus, conſilio quorundam perfidiſſimorum & perjuratorum ſibi adhærentium inſurgit in nos, poſtpoſitis omnibus ſacramentis, quibus ſe nobis obligaverat, poſthabita omni fide & juſtitia, tantum ut Eccleſiarum bona & Regni libere valeant perdere, rapere, & inter ſe dividere. Et cum multi nobis perſuadeant, abſque dilatione in eos vi & armis eſſe ulciſcendum; maluimus tamen adhuc differre, ut tam in Italico quàm in Teutonico Regno ſciatur manifeſte, quod nec noſtræ ſit voluntatis nec culpæ, ſi tandem inviti & coacti in eos inſurrexerimus, quæcumque mala, vel infortunia, vel populorum ſtrages inde evenerint.

2. Præterea, quia audivimus te hominem diſcretum, Deum timentem, charitati inſudantem, ſanguinem hominum non ſitire, rapinis & incendiis non gaudere, unitatem Eccleſiæ ſuper omnia diligere: conſilio & ſuggeſtione Principum noſtrorum mittimus tibi Nuntium iſtum cum Legatione noſtra. Per hanc quippe volumus cognoſcere, ſi eſt tibi voluntati, te nobis in charitate & amicabiliter, & nos uniri tibi, ſalvo nobis honore Regni & Imperii, & totius noſtræ dignitatis, ſicut & avus & pater noſter, aliique anteceſſores noſtri habuerunt; ſervato etiam tibi à nobis honore Apoſtolicæ dignitatis, ſicut anteceſſores noſtri tuis anteceſſoribus ſerveverunt, & nos præfatis Pontificibus. Quod ſi placuerit tibi paterne nobiſcum agere, & eam, quam mundus dare non poteſt, pacem integre nobiſcum componere; mitte nobis familiarem Nuntium tuum cum privatis litteris tuis & ſecreta Legatione cum hoc Nuntio noſtro, ut hoc modo indubitanter poſſimus cognoſcere omnem de hac re certitudinem voluntatis tuæ. Qua cognita mittemus tibi de majoribus Principibus noſtris, quales & nos tibi mittere & deceat à nobis recipere, ad tantam rem componendam, per quos excluſa omni ambiguitate, manifeſte poſſis cognoſcere, nos veraciter velle complere, quæ tibi mandamus ſecrete. Præterea, quæ hic ſcripta non ſunt, commiſimus huic fideliſſimo noſtro Nuntio quædam tibi dicenda, quibus tam veraciter quam ſcriptis credas.

HENRI-

HENRICI IV. IMPERATORIS AUGUSTI

EDICTUM

De Injuriis sibi fraude Romani Pontificis illatis, & injusta sua degradatione.

Anno Christi 1106.

HENRICUS IMPERATOR PHILIPPO REGI Celtarum.

PRinceps Clarissime, & omnium, in quibus post Deum speramus, fidelissime, primum & præcipuum inter omnes vos excepti, cui conqueri & deplorare omnes calamitates meas & miserias necessarium duxi, & etiam genibus vestris advolvi, si licet, salva Majestate Imperii. Primum quidem est, quod non solum vobis, sed totius Christianæ professionis hominibus gravissimum ac intolerabile arbitramur, quod de Apostolica Seda, unde usque ad memoriam nostri temporis salutifer fructus consolationis, dulcedinis & salvationis animarum oriebatur, modo persecutionis, excommunicationis, & omne perditionis flagellum emittitur, nec ponunt ullum modum sententiæ, tantum ut satisfiat voluntati indiscretæ. Hujus voluntatis suæ intemperantia adeo usque nunc abusi sunt, ut nec Deum, nec quid, aut quantum mali inde proveniat, pensantes, per se, & per suos omnibus modis in nos invehantur, cum obedientiam, & omnem subjectionem debitam sæpe obtulerim Apostolicæ Sedi, si tamen honor debitus, & reverentia, sicut antecessoribus meis, exhiberetur & mihi. Quid autem intendant, opportunius significabo vobis, si quando optati colloquii copiam Deus dederit nobis. In hac igitur persecutionis & odii sui inflammatione, cum parum viderent se proficere, contra ipsum jus naturæ laborantes (quod sine maximo cordis dolore, sine multis lacrymis dicere non valeo, & quia dicitur, vehementer contremisco) filium meum, Absalom, inquam, dilectissimum non solum contra me armaverunt, sed etiam tanto furore animaverunt, ut in primis contra fidem & sacramentum, quod ut miles Domino juraverat, Regnum meum invaderet, Episcopos & Abbates meos deponeret, inimicos & persecutores meos sustineret: ad ultimum (quod maxime vellem taceri, aut si taceri non potest, vellem non credi) omnem affectum naturæ abiciens, in salutem & animam meam intenderet, nec quidquam pensi haberet, quomodo vi & fraude ad hanc periculi & ignominiæ suæ summam aspiraret.

2. In hac tanta mali sui machinatione, cum essem in pace & in aliqua salutis meæ securitate, in locum, qui Confluentia dicitur, in ipsis Dominici Adventus sanctissimis diebus ad colloquium evocavit me, quasi de communi salute & honore filius tractaturus cum patre. Quem cum vidi, illico ex paterno affectu tactus intrinsecus dolore cordis mei ad pedes suos procidi, admonens & obtestans per fidem, per salutem animæ, si pro peccatis meis flagellandus eram à Deo, de me ipse nullam conquireret maculam honori & nomini suo, quia culpæ patris vindicem filium esse, nulla divinæ legis constituit sanctio. At ille tam pulchre, immo miserrime institutus ad malitiam, quasi abominabile & execrabile scelus cœpit detestari, & procidens ipse ad pedes meos, de præteritis cœpit veniam deprecari, in reliquum, ut miles Domino, ut patri filius, cum fide & veritate per omnia se mihi obauditurum promisit cum lacbrymis, si modo Sedi Apostolicæ vellem reconciliari. Quod cum promptissime annuissem, & deliberationi suæ & consilio Principum hoc tantum mancipandum promisissem, in præsenti Nativitate se producturum me Moguntiam, & ibi de honore & reconciliatione mea, quam fidelius posset, acturum, & inde in pacem & securitatem me reducendum promisit, in ea veritate & fide, qua patrem à filio honorari, & filium à patre præcipit Deus diligi. Hac promissione, quæ & Gentili observanda est, securus ibam, & filius meus aliquantulum me præcesserat: & ecce quidam fideles verissime me deceptum affirmabant, & proditum sub falsa pacis & fidei sponsione. Revocatus autem filius meus; & iterum à me instantissime admonitus, sub ejusdem fidei & sacramenti obtestatione animam suam pro anima mea fore promisit secunda vice.

3. Cum ergo ad locum, qui Binga vocatur, pervenissem, jam existente die Veneris ante Nativitatem, numerus armatorum suorum jam satis augebatur, jam fraus ipsa de se deregebatur, & filius ad me: Pater, inquit, nobis secedendum est in vicinum castellum, quia Moguntinus Episcopus in suam civitatem non admittet vos, quamdiu in banno eritis. Illic Nativitatem cum honore & pace agatis, quoscumque placuerit vobis, vobiscum habeatis: ego interim quanto instantius, quanto fidelius potero, pro nobis utrisque laborabo, quia causam vestram meam existimo esse. At ego, Mi, inquam, fili, judex & testis sermonum & fidei sit inter nos hodie Deus, quomodo te in virum & hæredem meum produxerim, quantis tribulationibus meis honori tuo inservierim, quot & quantas inimicitias pro te habuerim, & habeam, solus conscius es. Ille autem tertio sub ejusdem fidei & sacramenti attestatione, si ingrueret occasio periculi, caput suum pro meo capite fore mihi promisit.

4. Sed postquam clausit me in eodem castello, quo omnia animo & corde fuerit locutus, manifeste rei ostendit eventus. Ea omnibus meis quartus ego sum inclusus, nec quilibet alius admitti potuit, custodes deputati, qui vitæ meæ erant atroces inimici (benedictus per omnia Deus) ea altandi, & humiliandi quæ voluerit Rex potentissimus. Cum ergo ipso sacratissimo die Nativitatis suæ omnibus redemptis suis ille sanctus Sanctorum puer fuisset natus, mihi soli filius ille non est datus. Nam ut taceam opprobria, injurias, minas, gladios in cervicem meam exertos, nisi omnia imperata facerem: præter famem, & sitim, quam perferebam ab illis, quos injuria erat, videre, & audire, ut etiam taceam, quod est gravius, me olim satis felicem fuisse: illud numquam obliviscar, illud numquam desinam omnibus Christianis conqueri, quod illis sanctissimis diebus, sine omni Christiana communione in carcere illo fui.

5. In illis pœnitentiæ & tribulationis meæ diebus à filio meo missus venit ad me quidam *Princeps* * Wuigbertus, dicens: nullum vitæ meæ esse consilium, nisi sine ulla contradictione omnia Regni insignia redderem ex voluntate & Imperio Principum. At ego, etsi omnis terra, quantum inhabitatur, mei Regni terminus esset, nollem Regno vitam commutare; quia vellem nollem, sic agendum, & sic definitum intelligebam, coronam, sceptrum, crucem, lanceam, gladium misi Moguntiam. Tunc communicato consilio cum inimicis meis, meus filius egrediens, relictis ibidem fidelibus & amicis meis, quasi me eo adducturus, sub multa frequentia armatorum suorum me abductum ad villam, quæ dicitur Ingelheim, fecit me ad se adduci, ubi maximam inimicorum meorum multitudinem collectam inveni, nec ipsum filium ceteris mihi meliorem reperi. Et quia firmius & stabilius videbatur eis esse, si propria manu cogerent me Regnum, & omnia Regalia exfestucare: simili modo & ipsi omnes minabantur mihi, nisi omnia imperata facerem, nullum vitæ meæ consilium fieri posse. Tunc ego inquam, quia de sola vita mea agitur, qua nihil pretiosius habeo, ut saltem vivens pœnitentiam exhibeam Deo, quidquid imperatis, faciam. Cumque inquirerem, si saltem sic de vita mea certus essem? Apostolicæ Sedis Legatus, qui ibidem aderat (non dico, qui omnia hæc audierat) respondit, me nullo modo eripi posse nisi publice confiterer, me injuste Hildebrandum persecutum esse, Wigbertum ei injuste superposuisse, & injustam persecutionem in Apostolicam Sedem, & omnem Ecclesiam exercuisse.

* Palatinus Comes, cujus nimirum est sententiam pronunciare in Cæsarem, quantumvis Saxo fuerit, non ille Rhenanus.

6. Tunc cum magna contritione animi prostratus, cœpi per Deum, per ipsam conscientiam orare, ut locus & tempus mihi daretur, ubi in præsentia omnium Principum, cum Innocens essem, vellem ea judicio omnium me expurgare, & in quo culpabilem me recognoscerent, ea consilio omnium sanioris sententiæ, pœnitentiam & satisfactionem, quo ordine juberent, quærere, & in Principibus Regni, de fidelibus nostris quoscumque obsides vellent, dare. At idem Legatus locum & diem mihi abnegavit, dicens: aut totum ibi debere determinari, aut nulla spes mihi esset evadendi. In tanto tribulationis articulo cum interrogarem, si confiterer omnia, quæ imperabantur, an confessio mea, ut justum est, veniam & absolutionem consequeretur? ibi Legatus dixit, non esse juris sui me absolvere: si vellem, inquit, absolvi, Romam irem satisfacere Apostolicæ Sedi. Sic desolatum, & spoliatum (nam & castella, & patrimonia, & quidquid in Regno conquisieram, eadem vi & arte sua extorserant à me) in eadem villa reliquerunt me. In qua cum aliquo tempore commoratus essem, & filius meus ex eodem fraudis suæ consilio demandasset, ut ibidem eum expectarem, superveniens quorundam fidelium meorum Legatio præmonuit, ut si quidem ad monitum ibi remanerem, fore ut aut in perpetuam raperer captivitatem, aut in eodem decollarer.

7. Quo nuntio satis tunc vitæ meæ diffisus: illico aufugiens, fugiendo Coloniam veni, & ibi aliquot diebus commoratus, postea Leodium veni. In quibus locis fideles viros & in fide Regni constantes semper inveni. Horum cæterorumque Regni fidelium consilio usus, vobis fiducialius & honestius habeo deplorare has omnes meas miserias. Fiducialius quidem, propter mutuum consanguinitatis, & antiquæ amicitiæ debitum: honestius autem, propter tanti Regni nomen gloriosum. Vos igitur per fidem, per amicitiam rogo, in tantis tribulationibus meis ac injuriis propinquo & amico consulatis. Quæ fidei & amicitiæ vincula etsi inter nos non essent, vestra tamen, & omnium Regum terræ interesset, injuriam & contemptum meum vindicare, & tam nefariæ proditionis & malitiæ exemplum de superficie terræ extirpare.



HENRI-

HENRICI V. IMPERATORIS AUGUSTI

CONSTITUTIONES

I. *De illicitis nuptiis.*

HENRICUS divina pietate * IV. Romanorum Imperator Augustus, omnibus hominibus. Quoniam nobis divinæ pietatis providentia, Imperialis officii curam commissam credimus, nos quoque erga ea, quæ ad Christianas religiones pertinent, & ad cultum justiciæ, jugiter sollicitare debemus. Quepropter cum in regni universali Conventu nostrorum fidelium Principum Italicorum sederemus, orta quæstio est *De illicitis conjugiis*, consilio nostrorum Principum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Marchionum, Comitum, ac judicio Judicum, seu consensu omnium Judicantium, hujusmodi sententiam diffinivimus: Omnia scilicet, quæ sancti cannnes & sacræ leges nostrorum prædecessorum instituerunt, summa auctoritate confirmamus, & insuper in nostro Imperiali jure addimus.

* Vulgo, II. sed perperam. Dictus enim Junior vel secundus ab Italis propter patrem.

2. Ut quicumque seu in legitima ætate, sive infra ætatem legitimam, uxorem duxerit vel desponsaverit, si morte præventus fuerit, nulli propinquorum suorum licest viduam vel desponsatam illius uxorem ducere.

3. Quod si quis hoc fecerit, tam mulier quam vir ex hac lega exheredati sint, omniumque bonorum eorum amittant facultatem, & medietas propioquis parentibus, & altera medietas ad fiscum deveniat.

4. Et quicunque ex hujusmodi conjugio natus fuerit, ipse quoque (sicut & parentes sui,) ex hac lege exhæredatus sit.

II. *De jurejurando Clericorum.*

HENRICUS divina pietate IV. Romanorum Imperator Augustus. Quoniam in Legibus cautum est, ut nemo Clericorum jurare præsumat: alibi vero reperitur scriptum, ut omnes principales personæ in primo legis exordio subeant jusjurandum calumniæ, nonnullis Legisperitis res venit in dubium, utrum Clerici jusjurandum præstare debeant, aut alii personæ hoc officium liceat delegare. Quia enim illud constitutionis edictum, ubi Clerici jurare prohibentur, à *a* Marco Augusto constitutum est, propterea quia de Constantinopolitanis Clericis promulgatum fuisse videtur, idcirco ad alios Clericos pertinere non videtur.

Hanc constit. confirmavit Honorius II. Papa in c. 1. Ext. de juram. calumn.

2. Ut ergo hæc dubietas omnibus penitus auferatur, illam *b* Domini Marci constitutionem ita interpretari decernimus, ut ed omnium Ecclesiarum Clericos generaliter pertinere judicetur.

3. Nam cum Divus Justinianus jure decreverit, ut Canones Patrum vim legum habere oporteat, & in nonnullis Patrum canonibus reperitur, ut Clerici jurare non audeant, dignum est, ut totus Catholicus ordo à præstando jurejurando immunis esse procul dubio censeatur.

a Marciano, legit Interp. ad d. c. 1. de jur. cal.
b Leg. *Divi Marciani.*

4. Quapropter nos, utriusque videlicet divinæ & humanæ legis intentione servata, decernimus, & Imperiali auctoritate irretractabiliter diffinimus, ut nec Episcopi, nec Presbyteri, nec cujuscumque Ordinis Clericus, non Abbas, non aliquis Monachus, vel Sanctimonialis, in quacumque controversia, sive criminali sive civili, jusjurandum qualibet ratione compellatur subire, sed Advocatis suis propriis idoneis hoc officium debeat delegare. Dat. Arimini III. Kalend. April.

III. *De spreta Majestate.*

HENRICUS divina pietate II. Romanorum Imperator Augustus. Omnem decoris ac solertiæ Imperialis ac præsentiæ contemptorem, capitali damnare sententia convenit.

An propter ea, quæ in patrem patrata fuerunt, hanc legem sanxit?

HENRICI V. IMPERATORIS AUGUSTI

ORATIO

AD CLERUM POPULUMQUE ROMANUM

DE PACE PUBLICA IMPERII ET ECCLESIÆ.

Anno Christi 1117.

SI divinitus datum foret, Patres Conscripti, rerum publicarum statum digno moderamine gubernari, digna reverentia earum Rectores alter ab altero prævenirentur: pax foret, nec Imperialibus Comitiis Urbis abesset Pontifex, nec in Pontificalibus orbis abesset Imperator, alter alterius gloria fulciretur, gloria alterius, gloria utriusque foret; & robur utrorumque, timor omnium, amoreq; in utroq; tota se converteret Civitas: nos Patres, nos Consules, nos Primores, nos omnes boni Urbis & orbis intuerentur; Gothi, Galli, Hispani, & Afri, Græci & Latini. Parthus, Indus & Arabs, aut timerent nos aut diligerent. Nunc autem dum secus agitur, fit aliter. Dimissis cæteris, dum in

invicem agimus, invicem agitur ab omnibus: merito hæc patimur, maledicimur, impugnamur, exterminamur. Convertimini igitur, & mei licet peccentis votum correctionemque suscipite; ne dum per vos nimia rigescit justitia, multiplicatis sceleribus, malum sine me qualiter rigescet, non habeat. Ecce à Patre Romanæ Ecclesiæ Domino Peschali Pepa è Galliis coronandus adveni in Urbem: eum abesse, infortuniis meis deputo. Nunc autem id à vobis exposco, tantoque si id recipiam, mihi fiet gratius, quantum ut mihi fieret, gravius elaborevi. Solent accuratius excolere homines, quod diu quæsitum periculis adinvenitur. Sit pax, & quidem erit, si velitis; sine crimine loquor, profecto sedatis ventis, quiescunt maria.

LOTHARII III. SAXONIS IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1136.

RESCRIPTUM

Ad Abbatem Cassinensem, Petentem, ut Imperator, quæ sunt juris Imperii, contra Pontificem vendicaret, & Cassinense Monasterium, quod est Cameræ Imperii, contra Rogerium * Tyrannum, & ipsum Innocentium Papam suos Monachos exagitantem excommunicationibus, omnesque è loco dispergere minitantem, in defensione Imperiali tueretur.

* Comitem Apuliæ,

Summa Epistelarum hæc est.

ADmonet religiosi Cassinensis Ecclesiæ nominis, unde Religionis exemplum ac forma occiduum per orbem emanaverit, cujus maxime orationibus negotia Regni stare consideret: sic quod ob varios eventus rerum à Romana Ecclesia descivissent, cujuslibet perterriti metu, ad eum, quem Patrem tota recognovit Ecclesia, redirent. Se Monasterii curam suscipere, paratum quod ab antecessoribus suis Imperatoribus sciret fuisse semper observatum, præstare. Mandat item, ut cum eo propinquaret, Abbas illi cum sapientioribus congregationis occurreret, ut quæ essent Monasterio utilia una tractarent.

AD FRATRES CONVENTUALES.

SCribit, se, quantum in ipso esset, Monasterium honoribus & opibus ampliare intendere, ac pro tanti loci reverentia, qui semper singulari floruit præ cæteris religione, Ecclesiam illam ut domum propriam, atque Imperii sedem servare disponere. Multum enim cupere (si permittat Deus) memoriale suum apud Petrem Benedictum honorisque insigne relinquere.

Anno Christi 1137.

ACTA

COMITIORUM AQUASPENSILIUM IN CAUSA PAPÆ cum Petro Abbate Cassinensi, coram

LOTHARIO III. IMPERATORE,

à Petro Diacono Cassinensi & Capellano Imperiali excepta per Notarios.

Hic vides Imperatorem præfuisse judicem inter Cardinales & Monachos, imo inter ipsum Pontificem & Abbatem.

IN noomine Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, anno ab Incarnatione ejus MCXXXIX. indictione prima, VII. Idus Julii, anno Imperii Domini Lnthanii Cæsaris VII. residente eodem Invictissimo Principe ad Aquaspensiles, coosedente etiam Peregrino Patriarcha Aquilegiense cum Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus quampluribus, Causidicus pro Romana Ecclesia directus est, Giratdus Cardinalis tituli S. Crucis, & Guido Cardinalis, (*qui ambo postea Romani fuere Pontifices*) Aimericus Cancellarius & Diaconus Cardinalis Presbyter, Balduinus Cardinalis, (*qui post Pisanus Archiepiscopus fuit*) & * Robertus Clarævallensis Abbas, & alii plurimi Romanæ Urbis Nobiles. Ex parte Cassinensis Ecclesiæ auditores fuere,

* Bernardus, vel leg. Bonævallensis.

Henricus Dux Imperatoris gener,
Conradus Dux, (*qui post Imperii sceptra tenuit*)
Otthn Imperatoris consobrinus,
Fridericus Marchio Anconitanus.

Malaspina

Malaspina Marchio Liguriæ,
Henricus Episcopus Ratisbonensis,
Hanno Abbas Luneburgensis,
* Gulfridus Palatinus Romani Imperii Judex. * leg. Gutfridus seu Gotfridus.

Facto itaque silentio, Imperator dixit: Non modo præsentium & temporalium, verum futurarum æternarumque rerum in hoc Conventu discussio erit. Constat enim sanctos Patres, dum unius rei gratia Concilia sæpe celebrarent, plurima unius occasione diffinisse. Ita & hic Romanæ quidem & Casinensis Ecclesiæ causa, cum specialiter agi videatur, variæ tamen, Deo agente, solventur quæstiones: fietque unius Ecclesiæ causa, salus omnium per orbem constitutarum. Nos quoque vestigia prædecessorum nostrorum sequentes, dignum duximus huic interesse Concilio, & eorum, quæ dicentur, librare momenta. Defensores utriusque disceptantium partis magnificos à nostro latere dedimus viros, qui violentiam omnem prohibeant. Igitur in Domini nomine sedeant, quibus Romanæ non displicent leges, taciteque rerum exitum expectent: ne, dum omnes confuse vel dicunt vel obstrepunt, veritas obnubiletur. Hæc & alia plura cum præfatus esset Augustus, Conradus Dux ab Imperatore defensor datus inquit: Copia Imperialium verborum me fecit fandi inopem, cum tam profunde, tam plene, tantaque ratione Imperialis sit præfata Majestas, ut non humano ore, sed divino prodiisse videantur. Ducibus tamen atque Comitibus mecum defensoribus datis, visum est primo apparatu hodiernæ sessionis proferri, quæ sint pro utraque parte disceptaturæ personæ, ut non permittatur disceptandi licentia, nisi his tantum, quibus fuerit concessa. Omnis enim maximeque divina Conventus causa ordinate fieri ac rationabiliter debet: quippe cum nihil perfecte diffiniri possit, ubi confunditur ordo loquendi. Placuit omnibus sententia Ducis: & quis pro utraque parte responderet, inquiritur, quinam item interpretes, & quis esset disputantibus locus. Eligitur Girardus Cardinalis S. Crucis, qui pro Romana, & Petrus Diaconus, qui pro Casinensi responderet Ecclesia. Interpretes dati sunt Bertulfus Imperatoris Cancellarius, Anfredus Vestetarius, & Bertulfus Mansionarius. Traditur autem Girardo locus ante Imperatoris faciem: ad pedes vero ejus constituitur Diaconus Petrus. Renuit Girardus Monachum ad suos sedere pedes, dicens, nequaquam oportere sive licere excommunicatum cum filio sedere Ecclesiæ. At Imperator finem litigio imponens, Petrum Diaconum extunc & deinceps sedere ad pedes suos jussit. Tum taliter Girardus Cardinalis loqui orsus est: Sancta & universalis Ecclesia, invictissime Imperator, quæ & vos & prædecessores vestros orbis totius dominatores effecit, mirari non desinit, cur excommunicatos, & à liminibus Ecclesiæ separatos receperitis. Ad hæc imperator: Imperii quidem nostri nos ab Apostolica Sede gaudemus accepisse coronam: excommunicatos nullo pacto suscepisse putamus: hoc tamen ex conflictu vestro constabit. Pandulfus Theanensis Episcopus & Casinensis Monachus dixit: Quomodo Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Casinenses Monachos excommunicatos asserat, videre non possumus. Girardus Cardinalis dixit: Quid mihi & tibi, bone vir? alienus nobis es. ô mirum ô novum inauditumque prodigium, ut truncus ramis præcisis & à radicibus evulsis, novas contra Ecclesiam erigat machinas! Ad hæc Imperator: Cesset, inquit, omnis violentia: hic n. non inferendæ vel referendæ injuriæ, sed ferendæ potius æquanimiter sunt. Quocirca statuimus, ut neutra pars utatur in alteram contumeliis: ne, quod ad laudem Domini & posterorum utilitatem statuit, in litigium rixamque vertatur. Tunc Girardus resumpto sermone, sic ait: Decrevit sancta & universalis Ecclesia, ut Casinensis Cœnobii Monachi voluntatem Domini nostri Innocentii pii & universalis Papæ se in omnibus impleturos sacramento confirment. Jam enim Innocentius ipse hos Casinenses Monachos dispergere per diversa loca statuerat, nisi Lotharius Clementissimus Imperator nolens Casinensem Ecclesiam destrui, pro ipsa Ecclesia contra Papæ voluntatem se objecisset. Cum itaque Girardus Cardinalis de sacramento Monachorum sermonem fecisset, Petrus Diaconus respondit: Non parum miramur, cur Dominus Cardinalis Monachos sacramento velit astringi, cum Dominus in Evangelio jusjurandum omnino interdixerit. Girardus Cardinalis dixit: Quod Monachus ait, probamus: sed Romana Ecclesia Casinenses Monachos sine sacramento recipiendos non esse decernit. Matth. 5. Petrus Diaconus ait: In Regula sanctissimi Patris nostri Benedicti jurare omnino interdicitur Monachis, quod non modo divinæ, verum humanæ quoque prohibent Leges. Quippe inter Imperatorum præcepta, Caroli, Ludovici, Hugonis, Lotharii, Berengarii, Alberti, trium Othonum, quinque Henricorum, & Conradi, sic invenitur: *Statuimus ut Monachi ad Sacramentum non compellantur.* Et hæc dicens, præcepta ipsorum Imperatorum Casinensi collata Monasterio, auro, plumbo, ceraque signata, Imperatori cæterisque monstravit. Ea Imperator præcepta excipiens, deosculatus est, moxque in hæc verba prorupit: Magnorum sanctorumque Principum hæc esse præcepta ex sigillis agnovimus. Convenit Majestati nostræ, cuncta prædecessorum nostrorum servare præcepta. Quare Dominum Apostolicum vos, qui hic illius adeste vice, ex nobis orate, ut sanctissimorum Imperatorum præcepta nobiscum protegere, suaque authoritate firmare dignetur. Quis enim jam Imperatorem observaret, si ab Apostolico contemnatur? Omnia membra sequuntur caput, neque ab eo, nisi magno suo detrimento, separari queunt. Certet itaque pro membris caput, pro natis pater, pro ovibus pastor: quia nullo modo lupi rabies prævalet, ubi cura sollicita pastoris invigilat. Sit igitur hodierno consessui finis, & hospitia sua singuli repetant. Cardinales vota nostra Pontifici referant, Casinenseque Cœnobium ut mecum foveat, nostra vice precentur. Monacho electo suo, quæ dicta sunt, referant, & crastina die quid respondere objectis debeant, parent. Tertia diei hora hic adesse singuli curent: hodiernus tractatus, adhibitis Notariis, litteris mandetur, ne ublivioni tradantur, quæ posteris quoque profutura prævidimus. His dictis in sua quisque discessere. Imperator ad ea, quæ sibi imminebant, tractanda resedit.

Postea

Postera die utræque conveniunt disceptantium partes. At ubi ingressis data est copia fandi, Girardus Cardinalis dixit: Mandata pietatis vestræ, Sanctissime Imperator, retulimus summæ Sedis Antistiti. Sed hæc nullo modo implere se posse respondit, asserens facilius se Pontificia vestimenta deponere, ac pedibus subjecta calcare, quàm quæ abs te rogantur efficere. Ad hæc Imperator paulisper obticuit; dehinc reliquas disputationes hesternas concludere jussit. Girardus dixit, Memini hesterno die de sacramento Casinensium Monachorum tractavisse, nihilque inde fuisse diffinitum. De eadem igitur retractaturi denuo proponere debemus ex parte Domini nostri, quæ heri quoque proposuimus, fidem scilicet Apostolico à Casinensibus sacramento promittendam, perpetuamque obedientiam: alioquin illos nunquam patietur Dominici corporis & sanguinis participes fieri. Ad hæc Petrus: Constat, inquit, Dominum Cardinalem hesterni tractatus renovasse conflictum, nostrosque terminos ad rediviva reparasse certamina. Nobis contra satis superque videtur huic sententiæ Domi-
Matth. 5. nicis obivisse præceptis, quibus omnino jurare prohibemur: fidem autem à nobis sacramento exigi, profecto ociosum est, cum hanc sponte simus exhibere consueti. Girardus inquit: Non est veritus Monachus coram invictissimo Principe mendosa proferre, dicens, Casinenses Monachos Romanæ Ecclesiæ semper servasse fidem; cum constet omnibus, eos hactenus schismaticos esse, Abbatemque à schismatico ordinatum præfecisse. Petrus: Prudentis, inquit, viri est, non ante quemquam falsitatis arguere, quàm ipsum omnibus mendacium in conspectum dederit; ut cum nil contra possit opponi, à conscientia sua, qui mentitus est, ipse accusetur. Inique igitur & oblique me impetit Dominus Cardinalis, qui tacito mendacio me falsitatis insimulat. Proponatur causa, aperiantur mendacia, tunc me fallacem asserat, tunc mendacii arguat. Girardus: Facile id quidem probare est. Nam cum, relicto Innocentio, Schismatico adestis, quid nisi infideles fuistis? Petrus: Deum oro, inquit, illum nos, an potius nos ille dimisit? Girardus: Ecclesia, inquit, à scismaticis capta, piissimus de sua sede est pulsus Episcopus: sicque Italia relicta properavit ad Gallias. Petrus: Bonus pastor bonus Jesus Christus,
Joan. 10. eum diversitatem immo unitatem in se unitam ostenderet, *Bonus pastor*, inquit, *animam suam dat pro ovibus suis*. Girardus: Hæc, inquit, non solum verbis, verum & factis ostendit: Petrus: Rursus ipse Dominus, cum descripsisset optimi facta pastoris, mercenarii quoque moras adjunxit, dicens: *Mercenarius, & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit.* Agnoscis profecto Evangelii verba. Girardus: Ita sane. Petrus: Hocne Romanum agere Pontificem decet? Girardus: Tanto, inquit, magis ab Apostolicæ Sedis sunt observanda Pontifice, quanto peculiarius suscepit aliis prædicanda. Petrus: Quid igitur, ovibusne imputabitur, si quid pastor amisit? Girardus: Minime, inquit. Petrus: Ergo Monachis imputandum non est, si pastore destituti, morsibus lupi patuerunt. Debuit enim Apostolicus, ut ait Dominus, oves suas, non modo non dimittere, verum pro eis mortem quoque libenter amplecti. Ad hæc Imperator: Patet, inquit, ex assertione, Monachi si quid peccaverunt, pastoris culpa contigisse, non ovium. Unde roganda adhuc est Domini Apostolici pietas, ut nobiscum quæ contra nos gessere dimittat. Quare hodiernæ quæstioni finem placet imponi. Occupati enim Reipublicæ curis diutius his interesse non possumus. Quisque igitur revertatur ad propria. Cras idem certamen rursus ineundum est. Hoc dicto, cum omnium favore discessum est.

Altera die cum piissimus Imperator memoratique Proceres audituri, quæ residua erant, consedissent, hac voce Imperator usus est: Omnibus, qui intra Romanum urbem sunt, notissimum credimus, quanta in reverentia & observatione Casinensem Ecclesiam, ut scilicet peculiarem Cameram, majores nostri habuerunt, & super omnia Monasteria Imperii Romani dilexerunt, honoribusque & privilegiis eximiis exaltaverunt. Deceret quoque Dominum Apostolicum mecum eandem fovere Ecclesiam, quod, auxiliante Domino, in posterum fiet. Non est autem ista, quæ agitur, controversia dicenda lis, cum constet membra secum litigare non posse, neque caput dicere manui, necessariam te non habeo, nec oculus pedi: viliora sæpe nostra utiliora sunt. Nullus igitur nos indecens aliquid existimet facere, quod Casinense Monasterium quasi tueri videamur. Nam neque eum vel mater filiam, vel conjugem vir, aut filium pater ira stimulante ceciderit, si quis se inter sævientem patrem & paventem filium objiciat medium, natumque ab immoderata cæde patris eripiat, cum mansuescerit pater, homini illi indignabitur, sed contra maximas habebit gratias, quod filium à suis abstraxerit manibus. Ita & universalis Ecclesia cum posita ira requieverit, gratias aget Imperio nostro, quod filiam ipsius iræ subduximus. Agantur ergo quæ agenda restant, quia nunquam desistam, nisi compleam desiderium meum. His dictis, Girardus Cardinalis dixit: Vestræ magnitudinis verba, Sacratissime Imperator & semper Auguste, precesque Domino Innocentio Papæ retulimus, sed nullo pacto sine sacramento Casinenses ut recipiat, induci potest. Petrus Diaconus dixit: Satis nos fecisse his, & ex præcepto Domini & ex Imperialibus edictis existimamus; alia si quæ habes, edicito. Girardus: Ignoras, invictissime Imperator, hos, quos vestra Magnitudo defendit, cum Rogerio Siculorum Comite contra Romanam Ecclesiam vestrumque conjurasse Imperium, neque solum conjurasse, verum anathematizasse ac damnasse? ô rem inauditam, ut ligati & ligent solutos, & solvant ligatos! Ad hæc Cæsar indicto silentio dixit: Quod in me Casinenses admisere, libens tolero, grateque remitto, exemplo itaque nostro, quod in Romanum Pontificem commiserunt, & ipse dimittat. Girardus: Et si Domini nostri Innocentii pii universalis Papæ agimus vices, hujusmodi tamen sine ille diffinire non possumus. His dictis, favente Imperatore, discessum est. Nocte insecuta cum Imperator duraret pervigil, Petrus Diaconus, genu flexo ante illum, ita pro Casinensi orabat Ecclesia. Cum omnes mortales vobis militent, ut Domino rerum atque Principi, vos tamen ipsi Imperatori cœlesti, pacis, pietatis atque justitiæ authori humili-

mini,

mioi. Aliter enim utriusque vitæ salus tuta esse non poterit, nisi talibus ministratoribus gubernetur. Itaque, Imperator Invicte, cum Majestatem vestram cunctas per orbem tueri Ecclesias deceat, Casinensi tamen Ecclesiæ ideo magis te exhibere * convenit, quia magis opus habet, cum nobis & loqui licitum non sit, & indulta ab Imperatoribus privilegia pro nihilo habeantur. Nam Romano Pontifici obtemperendum & ipse censeo, sed Deum illi quoque præferendum libera voce profiteor. Neque enim illi irrogatur injuria, si sibi Deus præferatur. Totus in Casinensis Ecclesiæ dejectione Monasticus ordo vacillat. Te ergo Imperatore Monachis sine jura tollentur? Te Imperatore à Monachis sacramentum extorquebitur? Te tuamque Clementiam deprecemur, Imperator Invicte, ne hoc decernas, ne statuas, ne hujusce decreto subscribas. Indignum profecto est, ut te agente abrogetur Casinensis Ecclesiæ dignitas, ut Cardinalibus proveniat malæ voluntatis effectus. Nihil majus est religione, nihil sanctius ordine Monastico, nihilque sublimius patre Benedicto. Quid respondebit * Carolomannus pius Imperator Augustus? Nonne tibi dicet? Imperium me dimisisse non credidi, quia Lotharium justum & sanctum Imperatorem habebam: Imperium me deposuisse non dolui, quia imperia mea, præsertim de religione Monastice, inconvulsa perpetuo manere credebam. Titulos ergo pietatis, justitiæ atque mansuetudinis in Casino erexeram: has de mundi pressuris manubias referebam. Quid mihi plus potuit meus hostis auferre? Modo, inquam, modo abrogantur decreta mea: nunc gravius telum excipio corpore, cum à Romano Pontifice mea decreta damnantur: nunc mihi abrogetur Imperium, & (quod est gravius) è Pontificibus Romanis, & hoc præsente fratre meo Imperatore Lothario. Cui enim magis, quam sibi, præstat Imperator, si instituta majorum, si Casinensis Cœnobii jure conservet? Nulli ergo grave videatur, si † defendimus religionis Monasticæ statum. Certe è B. Benedicto ad Innocentium Papam CXIII. Romani Pontifices numerantur: omnes Casinense Cœnobium dilexerunt, coluerunt, auxerunt; nullus religionem violavit. Jam vero si quid meretur veneranda canities, B. Benedictum introducamus loquentem. Optime Imperator, pater patriæ, Cæsar Auguste, revere canos meos, in quos ætas me longe provexit: utantur licite filii mei legibus suis à me sibi salubriter traditis. Decet enim ut vivant meo more. Per hos occiduum orbem in mea redegi jura: per hos Anglia, multæque nationes ad Christum conversæ sunt. Mea est horum salus, tutela, juvamen. Cum hæc & his similia Petrus orasset, ad Bertulfi Cancellarii * tentorium, imperatore jubente, regressus est.

* al. evenit.
* Pipini Regis frater, Caroli M. Imp. patruus.
† f. defendi-tis.

(Quomodo Imperator fuerit ira permotus contra duritiam Papæ)

CUm igitur evocati Cardinales ad Imperatorem egressi essent, Girardus ait: Quæ heri vestra Sublimitas jussit, Domino nostro retulimus: benignè vestra postulata suscepit. Causam tamen permolestam sibi à vobis injungi conquestus est. Jus enim Episcopale, quod sui habuere majores nullo se pacto, nulla ratione se posse dimittere testatus est. Lotharius ad hæc: Nos, inquit, Casinensem Ecclesiam eo magis honorare decet, quam majoribus nostris in honore ac reverentia habitam scimus atque ditatam. Nam sciat Domnus Apostolicus, castra, prædia, villas, omnemque Monasterii possessionem juris nostri esse. Episcopale autem jus suum in nullo violamus. Bertulfus Cancellarius dixit: Nil juris sui Apostolicus in Casinense debet habere Cœnobio, quod Romani Imperii spiritualis camera esse decernitur, nisi Abbatis consecrationem, quam Henrico Imperatore concedente habuisse dinoscitur. Girardus: Placeat ergo consilium meum vestro imperio, Cæsar invicte, ut vobis quidem sæcularium, Apostolico vero spiritualium rerum fidem sacramento confirment. Lotharius: Nostro valde inhonestum videtur Imperio, majorum non servare mandata, eorumq; sanctissimis non obedire præceptis. Nam si nos illa negligimus atq; nolumus, quis ea servabit? Quo pacto alios hæc servare compellimus, si nos ea convellimus? Lex itaque Imperatorum, non plus aliis quam Imperatoribus ipsis constituitur: immo illos hanc magis servare convenit, ne à se ipsis descivisse videantur. Girardus Cardinalis dixit: Non parum quoque Dominus Papa miratur, cum te Ecclesia in Cæsarem, totiusque orbis dominatorem consecraverit, cur contra eam nisi pro Casinense Ecclesia videaris, quam non ad te, ut asseris, sed ad se ut cæteras Ecclesias pertinere † testaris. Tum Imperator iratus; Immo, inquit, nos valde miramur, cur nostris precibus annuere nolit, cum nos ipsius gratia annum jam ac dimidium in papilionibus commorati cum Romano exercitu, pecunias in usus publicos deputatas in ipsius obsequium converterimus, omnesque Ultramontanos populos illi obtemperare fecerimus. Quid ergo mirum, si Casinensem tuemur Ecclesiam, cum constet id à majoribus nostris gloriose actum: & illi quidem eam tanti fecerunt, ut ibi magis, quam domi sepeliri delegerint. Quid de sanctissimo & omni honore nominando Augusto * Carolo dicam, qui relictis Imperii sceptris Monasticam ibi transegit vitam? Quid de ipsius Caroli fratre Pipinio loquar, qui defunctum apud se Monachum fratrem, Casinum ibi tumulandum cum honore remisit? Rachis quoq; Longobardorum Rex, relicto Regno, ad ipsum venerabile Monasterium venit, Monasticamq; ibi exercuit vitam. Quid de Imperatoribus Justiniano, Justino, Theoderico, Pipino, Carolo, Pipino, Carolo Magno, binis Ludovicis, Hugone, duobus Lothariis, Alberto, tribus Othonib. quinq; Henricis? Quid de Constantinopolitano Michaële & Alexio referam? qui omnes Casinensem Ecclesiam summo affectu dilexerunt, & magnis illustravere muneribus? Adeo Casinensis Ecclesie Imperatoribus extitit grata, ut ad ejus liberationem Romani Imperatores cum omni exercitu venerint. Henricus enim Pius, invictissimus Christianissimusque Imperator, ad eam tuendam cum centum octoginta millibus militum Italiam ingressus est, † eamque à Capuani Principis ditione sublatam, pristinæ restituit dignitati: Conradus item Imperator Augustus, & HENRICUS ipsius filius, cum centum sexaginta millibus pugnatorum eandem defensurus Ecclesiam venit, cum Pandulfi nequissimi, non dicam Principis

* In castris, quæ ibi Imp. habebat.
† f. testatur.
* Carolomanno, de quo supra.
† sc. Ecclesiam Casinensem,

ſatis, niſi illum Deus in Gallias ire voluiſſet. Dic, oro, quis defuncto patre Benedicto elegit Conſtentinum, Simplicium, Bonitum, & reliquos uſque ad Nicolaum? Hos profecto dicere non poteris ab alio, quam a Monachis, fuiſſe ordinatos. GIR. Non parum miramur, quod Monachus attrita fronte auſus ſit de Caſinenſium electione talia proſequi, cum ſanctiſſimus & luculentiſſimus Monaſticæ conſcriptor Regulæ pater Benedictus id jubeat, ut ſi in Abbate eligendo congregatio erraverit; Epiſcopus, ad cujus dioceſim pertinet locus, id fieri minime permittat: nec modo Epiſcopo, verum & fidelibus vicinis hanc facultatem tribuat. Quid plura de Abbatis ordinatione? cum S. Benedictus Presbyterum quoque, qui eſt in Monaſterio, nullo modo promovei ſine Epiſcopi conſenſu & voluntate velit. PET. Aſſentior ſanctiſſimum patrem Benedictum Epiſcopo contra malam electionem compeſcendam facultatem præſtitiſſe: verum qui unanimiter eligunt, quid ad eos mandatum hujuſmodi pertinet? GIR. Conſecratio Abbatis Caſinenſis cui competit? PE. Romano Pontifici. GIR. Si illi conſecratio competit, electio quoque ſimiliter ratione convaniet. Injuriam ergo Romanæ Sedi feciſtis, quando abſque ejus conſcientia Abbatem elegiſtis. PE. Electionem factam non negamus, quia nec debemus: Romanæ vero Sedis injuriam omnino denegamus. GIR. Hoc interim negate non vales, Senioretum Abbatem juſſu Honorii electum fuiſſe. PE. Ego electioni affui, ſed nullum penitus neque Epiſcopum neque Cardinalem vidi. GIR. Perge, quo vis, argumentare ut libet; quia Subdiaconum nullo pacto Abbatem eligere potuiſtis, & hoc abſque Papæ conſenſu. Nam Eugenius Papa ita in Decretis ſuis ſcripſit: *Abbates per monaſteria tales eligantur, qui Levitico vel Sacerdotali honore ſint præditi.* PE. Miraris, ſi ſæpe Romanorum Pontificum jura mutantur, cum Deus ipſe ſæpe numero, quæ promittit, mutet? Centum & viginti annos ad agendam pœnitentiam his, qui ante diluvium fuerant, ſpondet. Quia tamen illorum malitia augebatur in dies, viginti ſubductis annis diluvium induxit mundo. Judæ quoque Patriarchæ, & Salomoni Regi, nonne regnum promiſit æternum? Ninivitas quoque perdendos per Jonam prædixit, eamque mox removit ſententiam, quia pœnitentiam egerunt. GIR. Quod pro parte veſtra intuliſti, Domino Papæ nil obeſt. Pater enim patrem Benedictum vitia congregationis ab Epiſcopo emendanda dixiſſe. PE. Canonica decernit auctoritas, ut vel humilis cujuſcumque Eccleſiæ Clero liceat liberum de eo, qui ſibi præferendus eſt, habere judicium: & Caſinenſi Cœnobio Romani Pontifices, Gregorius doctor, & alii CXII. idem permiſere judicium ac tulere decretum, ut defuncto Abbate, ex ſua congregatione Abbatem ſibi eligant ſecundum timorem Domini, & Regulam B. Benedicti. GIR. Qualem ergo eligere debent Abbatem, Catholicum, an Eccleſiæ membris abſciſſum? PE. Catholicum. GIR. Subdiaconum, an Diaconum, vel Presbyterum? PE. Diaconum vel presbyterum eligendum Canonum ſanxit auctoritas. GIR. Et ſi Levitico vel Sacerdotali non funguntur honore; qui eligendi ſunt, quomodo juxta præceptum Regulæ, lecturi ſunt lectionem Evangelii; aut Miſſam canere quomodo poſſunt? quomodo poſſunt aliquem vel ligare vel ſolvere? qualiter ad Subdiaconi pedes Diaconi vel Presbyteri procident? qualiter incenſum ponent, & Presbyteris vel Diaconis benedicent? Subdiaconi quippe Levitarum & Sacerdotum officiis ſubjacent. Si ſubjacent, quomodo præficiuntur? Neque enim juxta B. Sylveſtri ſententiam, Subdiaconus ſuper Diaconum vel Presbyterum præferri debet. Hinc pater Benedictus Abbatem in Gallias dirigere cupiens, non Subdiaconum quemvis, ſed Maurum eo direxit Levitam ſanctiſſimum. Quomodo ergo electio de Subdiacono excommunicato vel Schiſmatico rata dici poterit? Ad hæc Imperator reſpondit: Ea quæ injuſte hactenus egere Caſinenſes Monachi, eis per omnia remittenda cenſuimus. Hæc petitionis meæ ſumma, quam è Domino Apoſtolico rogo, ut eis quæcumque uſque in præſens incautius admiſerunt, remittantur. Sit ergo finis hodierni conflictus. Noſtra iterum rogata ad Papam referantur, & poſt diem quartum, quid jubeat, audiemus. Has autem inducias idcirco damus, ut definire melius ac ſtatuere poſſit.

Tunc Papa vehementi ire concitatus, talia poſt quartam diem referri Imperatori verba præcepit: Dominium Caſinenſis Eccleſiæ non ad illum, ſed ad ſe pertinere, ſicuti & Eccleſiarum reliquarum. Decreveramus, inquit, veſtra interventione fidelitatem remittere Monachis; verum quia nituntur contra nos, & hæc & alia ab eis requirenda conſuluimus.

Cum Cardinales à facie Imperatoris exiſſent, quidam Ciſtellenſis Monachus annius adſtans, ſubſanare cœpit Caſinenſes Monachos, quod filiis Petri Leonis adhæſiſſent, & Abbatem ſibi abſque conſilio Papæ elegiſſent, aſſerens electionem irritam fuiſſe. Ad quem Petrus: Electio, inquit, ejus juxta antiquam Monaſterii conſuetudinem facta liquido conſtat. Ciſtellenſis ait: Rainaldus veſter Abbas non fuit, ideoque facta ejus pro nihilo ducenda ſunt. Petrus: Non ſolum, qui Caſinum habitabant, verum & omnes circummanentes eum ut Abbatem habuerunt. Ciſtellenſis ait: Electio tamen illius ficta & reprobata fuit. Ad hæc Lotharius: De omnibus, inquit, quæ contra noſtram Cameram, Caſinenſem Eccleſiam, Ciſtellenſis objecerat, Petrus Diaconus lucide ſatis aperteque reſpondit. Sed hujus altercationis iſte ſit finis. Singuli ad hoſpitia redeant, mane rurſus ad conflictum redituri.

Die altera ubi lux eſt reddita terris, Imperator accerſitis Magnatibus ſuis in Conſiſtorio reſedit, & utraſque diſceptantium partes ad ſe ingredi juſſit. Et dum veniſſet Ciſtellenſis, hujuſmodi diſputationis initium dedit: Princeps Monaſtici ordinis Benedictus Regulam ſcribens vitæ deſcripſit modum. Vos illius præceptorum immemores, multa adjeciſtis, nonnulla ſubduxiſtis: nec veremini. Aliter autem ille juſſit agere. Petrus: Quid contra Regulam agamus in conſpectu Domini noſtri Invictiſſimi Imperatoris edicito. Ciſtellenſis ait: Contra Regulam agitis de cibo, de potu, de indu-

de indumentis, aliisque quam pluribus. Petrus: Falsus restis non erit impunitus. Nam Casinenses Monachi cum Regula, non contra Regulam, agunt. Vestimenta habemus, quæ corpus contegant, nuditatis verecundiam arceant, & frigoris injuriam repellant. Cistellensis: Cur nigris semper vestimentis utimini? Petrus: Quia talibus Benedictus pater usus est, ut habitu quoque mundo renuntiasse videretur. Hæc & his similia multa cum dicerent, Lotharius Imperator dixit: Et si varia contra Ecclesiam Casinensem protulistis, quia tamen ad vestra fulmina, aperte satis Petrus Diaconus & Romani Imperii fidelis respondit, omnemque mentium nostrarum fugavit ambagem. Quisque ad suum hospitium tedeat: mane rursus ad conflictum remeabitis. Petrus autem Imperiali causa cum Bertulfo Cancellario nostro remaneat, Imperii servitia * acturus. Hæc ubi Cæsar edixit, ad tentoria sua quisque recessere.

* al. pacturas.

Nocte vero adveniente Imperator pro tribunali sedens, Annales Principum atque Imperatorum coram se afferri ac recitari jussit. Ubi autem Solis jubar matutinum illuxit, Cæsar accitis Aulicis utrasque partes ingredi jussit: & cum adessent, sic exorsus est: Ea, quæ conferenda sunt, præcipimus ut scripturarum testimoniis roboretis, ut amotis omnibus dubietatis ambagibus, justitiæ ac veritati tenaciter inhærere valeamus. Cistellensis respondit: Jure cum adolescente isto pro Casinensi Ecclesia congrediendum esset, nisi de schismate & hæresi ipse & Casinensis Ecclesia notata esset. Petrus: Erubescens conticescat lingua frenetica, quæ prius in latratum quam in æqua verba prorupit. Ad hæc Imperator anticipans: Quoniam, inquit, pro Casinensi Ecclesia solus congredi adversus omnes cœpisti, graviter, non furiose respondere te convenit. Indecens enim est, ut in Imperiali Aula morantes, & Protbodomestici Imperatoris effecti, inhonestum quid aut insulsum in sermone, in incessu habituve proferatis. Petrus: Si quid, Imperator invicte, servus vester in locutione peccavit, iste me compulit, qui ab ipso disputationis exordio ab injuriis cœpit, & in injuriis perseverat. Cistellensis: Dic ubi injurias irrogavi? Petrus: Cum nobis excommunicationis, & schismatiati titulum affixisti. Cistellensis: Si placet, edicito quid sit injuria. Petrus: Injuria est, quæ verbis fallentibus irrogatur. Vos autem falsissime loqui ante Dominum Imperatorem veriti non estis, cum hæresim nobis immisistis. Cum plura disputassent, Peregrinus Patriarcha respondit: Justa & competenti ratione constat Cistellensem à Petro Diacono fuisse superatum: ideoque hujus controversiæ iste sit finis.

Die altera Gitardus Cardinalis ex parte Sedis Apostolicæ veniens, Imperatore pro tribunali residente, ait: Romana Ecclesia, Sacratissime Imperator & semper Auguste, non ab hominibus neque per hominem, sed per Jesum Christum fundata est, qui Petrum Apostolorum Principem illuc direxit, cui etiam claves Regni cælorum tradidit: & idcirco nullum illius gratia violari debere Apostolicus censet. Petro autem respondente, numquam Romanum Pontificem à Casinensibus Monachis sacramentum exegisse, Girardus ait, idcirco vos non hæc quæsisse, quia usque ad illa tempora in Ecclesiæ unitate mansissent: Sed postquam schisma incurrissent, absque sacramento recipiendos non esse: protulitque jussu Papæ Innocentii capitulum Niceni Concilii: *Ut revertentes à schismate absque sacramento non reciperentur.* Lotharius Imperator dixit: Non vos idcirco congregavi, ut Canonum jura * scrutetis, sed ut benigne & leniter cum Ecclesia Casinense ageretis. Meminisse debetis, quæ in Romana Ecclesia beneficia ipse contulerim, quot & quanta pericula pro vobis cum exercitu perpessus sim, qualiter annum integrum ac menses duo in tentoriis egerim, quot propinquos & amicissimos inter bellorum amiserim fremitus. Non enim Casinenses fratres ad inimicum Pontificis, sed ad Romanum Imperatorem, Ecclesiæ propugnatorem confugere. Postremo si me à spe frustratum esse vultis, neque fratres ab excommunicationis sententia absolvere, contestor hodie schisma inter me & Pontificem futurum: & pro amico obsequentissimo, infestissimum fore inimicum.

* al. servetis.

LOTHARII III. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1138.

DECRETUM

DE POSSESSIONIBUS BONORUM CASINENSIS & S. Vincentii Monasteriorum,

Ex Chronico Cassinensi.

CUm Imperator Capuæ remoraretur, fratres Monasterii sancti Martyris Christi Vincentii illum adeuntes adversus Casinense Cœnobium conquesti sunt, quod illis abstulisset castrum Cardetum, Vitæcusum, Vallem rotundam, Saraceniscum, & possessiones alias, quas juris sancti Vincentii fuisse constaret. Aderat querelæ Petrus Diaconus, qui rei indignitate permotus, illos præsente Cæsare rogare cœpit, sub quo Imperatore castra ipsa Monasterii sancti Vincentii collata essent. Qui cum Ludovicum Secundum protulissent, Petrus eos injuste contra Casinense Cœnobium Calabriæ arguit, prolato præcepto Justini senioris & Justiniani Impp. de possessionibus Monasterii, quod ante Ludovici tempora trecentos ferme annos conscriptum fuisse constabat. Imperator autem æquitatis ratione perspecta, sententiam protulit dicens: Iniquum esse & indignum

Indignum, ut Casinensis Ecclasia, singulare Imperii Romani ornamentum, aliquid suo tempore amitteret ex his, quæ ante sexcentos ferme annos habuisse constaret, aaque omnia Casinensi Cœnobio perenniter possidenda firmavit; decreti sui contemptoribus mille librarum auri pœna proposita.

LOTHARII III. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1138.

MANDATUM

DE NECESSITATE COGNITIONIS ANTIQUITATUM & privilegiorum sacri Imperii.

LOTHARIUS Dai gratia Romanorum Imperator Augustus, dilectissimo fideli suo Guibaldo Casinensi *a* Hiararchæ, & Romani Imperii Cancellario Capellano ac Principi pacis, gratiam & suam & bonam voluntatem.

a Abbati.

Tuæ fidalitati per Imperialia scripta mandamus, ut nostræ à Deo conservandæ Majestati Patrum Diaconum, qui à nostra Imperiali servitute Logotheta Italicus, Exceptor, Cartularius, & Capallaous Romani Imperii constitutus ast, transmittara studeas, recepturum pro suæ fidelitatis servicio dignæ retributionis præmium. Indubitanter enim noveritis, nostram Majestatem & Collaterales imperii propter antiquitates & rerum gestarum relationes, ejus absque eam ferre non possa. Mitte etiam per eum omnia antacassorum nostrorum privilegia: quæ ei ad Aquaspensiles olim custodienda dadisse meminimus. Data apud suburbium Tiburtinum, pridie Calend. Octobris.



CONRADI III. SVEVI IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1141.

CONSTITUTIO

DE BENEFICIIS ET TERRIS TRIBUTARIIS.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

CUNRADUS Dei gratia Romanorum Imperator Augustus omnibus Sanctæ Dei Ecclasiæ fidalibus & nostris, tam præsentibus quam futuris, notum assa volumus, quod ad reconciliandos animos Seniorum & Militum, ut ad invicem semper repetiantur concordes, & ut fideliter & persaveantar nobis & suis fidalibus Senioribus sarviant & devote, præcipimus, & firmiter statuimus, ut nullus Milas Episcoporum, Abbatum & Abbatissarum, Marchionum, vel Comitum, vel omnium, qui beneficium da nostris publicis bonis aut de Ecclasiarum prædiis nunc teneot, aut tenuatiot, aut hactanus injusta perdiderint, tam da nostris majoribus Valuassoribus, quam eorum Militibus, sine certa & convicta culpa, suum beneficium non perdat, nisi secundum consuetudinem antecessorum nostrorum, & judicium Parium suorum.

vide in hanc constitution. Cujacium lib. 5. Feud. in pr. Guillimannum in fin. Conradi 1. ubi ab utroque Conrad Salico tribuitur, sed ἀνεπιγράφως.

2. Si contentio enersarit inter Seniorem & Militem, quamvis Pares adjudicaverint, illum suo beneficio carera dabere, & ille dixerit, hoc injusta vel odio factum esse, ipsa suum beneficium tenaat, donec Senior & illa, quem culpat, cum Paribus ad nostram præsentiam veniant, & ibi causa juste determinetur.

3. Si autem Pares ajus culpati in judicio Seniorum defecerint, ille, qui culpatur, suum beneficium teneat, donec ipse cum suo Seniore & Paribus ad nostram præsentiam veniaot.

4. Senior vero, & Miles *a* ejus qui culpatur, qui ad nos venire debuerint, sex hebdomadas antequam iter incipiat, ei cum quo litigaverint, innotescant.

a sc. Senioris.

5. Hoc autem de majoribus Valuassoribus observetur. De minoribus vero in regno nostro, aut ante Seniores, aut ante Missum nostrum eorum causa finiatur.

6. Præcipimus etiam, ut cum aliquis Miles, sive de majoribus sive de minoribus, de hoc sæculo migraverit, filios ejus beneficium tenere.

7. Si vero filios non habuerit, & habiaticum ex masculo filio reliquerit, pari modo beneficium habeat, servato usu majorum Valuassorum in dandis equis & armis, suis Senioribus.

8. Si

8. Si vero forte havieticum ex filio non reliquerit, sed fratrem legitimum ex parte patris reliquerit, * sed Seniorem offensum habuerit, & sibi vult satisfacere, & Miles ejus esse, beneficium, quod patris sui fuit, habeat, servato usu majorum Valvassorum in dandis equis & armis, suis Senioribus.

* al. &, si

9. Insupet & omnibus modis prohibemus, ut nullus Senior de beneficio suorum Militum cambium, aut precariam, aut libellum sine eorum assensu facere præsumat. Illa vero, quæ tenent proprietario jure, aut per præceptum, sive porrectum libellum, sive per precariam, nemo eum injuste devestire audeat.

10. Fodrum vero de castellis, quod nostri antecessores habuerunt, habere volumus; illud verò, quod non habuerunt, nullo modo exigimus.

11. Si quis autem hanc jussionem nostram infregerit, auri optimi lib. C. componat, medietatem Cameræ nostræ, & medietatem, cui damnum illatum fuerit.

Dat. apud Roncalias in Conventu omnium Principum & populorum frequentissimo.

CONRADI III. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1143.

RESCRIPTUM
DE CONCORDIA UTRIUSQUE IMPERII, ORIENTIS ET OCCIDENTIS.

CONRADUS Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, Charissimo fratri suo Manueli Porphyrogenito Comneno, Illustri & Glorioso Regi Græcorum.

2. Nobilitatis tuæ litteras, ut à tanto & tam charo amico nostro, Serenitati nostræ transmissas, gratanter excepimus, & viso eorum tenore de incolumitate & sublimitate tua admodum gavisi sumus. Sed auditis à Nicephoro, tuæ dilectionis prudenti Apocrisiario, præter illa, quæ in litteris continebantur, quibusdam * verbis duris, & (ut verum fateamur) ab omni retro tempore inauditis, & nostræ Majestatis, ultra quam lingua explere valeat, perturbata est mansuetudo, & est admirata universi Imperii nostri latitudo.

* appellando sc. Cæsarem nostrum, Imperii Domini sui Regem.

2. Unde vel à quo hoc tam amarum verbum processerit, miramur, præsertim cum inter cætera hujus mundi Regna, Græcorum Regnum omni sapientia & discretione hactenus floruerit. Si enim idem Nuntius tuus Nicephorus unicum filium nostrum Henricum in præsentia nostra morti dedisset, ad majorem iram Majestatis nostræ animum provocare non poterat. Cumque jam per tridnum in hoc acerbo dolore laborasset, & rigorem nostri animi nullo ingenio a nullaque sapientia ad suam voluntatem inflectere potuisset, vix tandem quarto die aliis verbis mitioribus Excellentiam nostram exhilaravit, nostræque furore indignationis mitigato, Nobilitatis tuæ voluntatem nobis aperuit. Et quoniam ita nunc est & esse debet, quod tu, amicorum amicissime, uxorem accipias dilectissimam filiam nostram, sororem videlicet dilectissimæ conthoralis nostræ, voluimus inde æternum fœdus perennis amicitiæ, quam videlicet amicitiam præsenti Apocrisiario tuo ore & manuscripto firmari jussimus, ita videlicet, ut & amici amicorum & inimici simus inimicorum tuorum. Proinde certa sit prudentia tua, quod si tuæ Nobilitati undecumque aliqua molestia vel injuria fuerit illata, non hanc tibi tantum, sed etiam nobis factam jure dilectionis reputamus, quoniam virtutis tuæ Nobilitas, & maxime generosi sanguinis, quo in pignus perpetuæ dilectionis confœderati sumus, propinquitas nos invitat, ut te tanquam filium charissimum totis ulnis charitatis amplectamur, & cuncta, quæ tibi placita sunt, libenti animo faciemus. In qua re justum arbitramur, ut eandem amicitiam nobis & Imperio nostro firmari facias, ut completis omnibus honorifice utrique Imperio debitus honor exinde deferatur; & pax & nomen Christi per universum mundum inde glorificetur.

a al. multaque.

3. Porro de quingentis militibus, quos Nobilitas tua petit, hoc tibi respondemus, quod non solum quingentos, sed etiam duo vel tria millia, si necesse habueris, tibi mittemus, & quod majus est, antequam detrimentum aliquod honoris tui pati videremus, elaboratis totius Imperii nostri fortitudine, in propria persona tibi, sicut præcordiali filio & fratri charissimo, deficere & deesse non possemus.

4. Præterea scripsit nobis tua Nobilitas, quod magnos & charos Nuntios Sinceritati tuæ mitteremus; in quo voluntati tuæ acquievimus, quoniam quos chariores habuimus, Excellentiæ tuæ transmisimus: scilicet charissimum præcordialem nostrum Embriconem, venerabilem Wirzburgensem Episcopum, Illustrem & magnum Imperii Principem, qui est cor nostrum & anima nostra; necnon dilectissimum nostrum Robertum, Illustrem & nobilem Principem Capuanum. Misimus etiam quasi utrasque manus nostras, germanos duos fratres, scilicet fratrem a Bernonem virum sapientem & religiosum, & fratrem ipsius Riwinum, qui nobis valde charus est, & familiaris & Nobilis; & honorandum Principem Imperii nostri Rogerium, Illustrem Comitem de Adriano, cujus fidem & constantiam sæpius experti sumus, & Gualterum fidelem nostrum. Itaque ea, quæ

a Abbatem Augiensem,

ca, quæ in litteris non continentur, industriæ tuæ referende commisimus, quorum verbis fidem adhibeas, & quæ tibi dixeriot, tanquam è nobis dicta credas.

5. De Ruthenis vero * pro quibus patri tuo vivæ recordationis, Joaoni Imperetori per fidelissimum Cepellanum nostrum Adalbertum & per Comitem Alexandrum de Gravina scripsimus.

6. De loco, in quo nostris Teu onicis ad hooorem Dei Ecclesiam ædificari volumus . & de Nobilibus Baronibus Apuliæ, Alexendro videlicet Clarimontis; Philippo de Sarte, Henricu Cornite & Senne Pustel, ille noster præcordialis Wirzburgensis Episcopus & cæteri familiares nostri voluntatem nostram tibi referent, quibus tanquem nobis credas.

* exstat hoc rescriptum tom. 1. pag. 57 hujus Collectionis.

7. Super bis omnibus fidelem Apocrisiarium tuum Nicephorum, licet in principio Legetionis suæ nos conturbaverit, tibi attentius commendamus, & quie constanter perduravit, ut eum temaneres, rogamus. Vale.

CHUNRADI III. IMPERATORIS AUGUSTI,

CONSTITUTIO DE PACTO ET CONDITIONE INSERTA IN CONTRACTU.

Anno Christi 1145.

Conradus divina favente Clementia Romanorum Rex II.

Vir venerabilis Fridericus sanctæ Hammaburgensis Ecclesiæ Archiepiscopus pecte quædam & conveotiones, in nostra & Principum oostrorum præsentia contraxit cum *a* Hattvvico, præclaro Ecclesiæ suæ Canonico, ejusque matre Richarde *b* Marchionissa, qoas utrimque auctoritate nostra Regie roborari, & Principum nostrorum, qui ederant, testimonio stipulati pet ê runt. Siquidem prædictus sublimis Clericus, une cum præfata metre sua, contulit eidem Archiepiscupo & Hammeburgensi Ecclesiæ possessiones sues, quas de patrimoniu suo hæreditaria successione acceperat; retento temen Ministerialium, qui ad eas pertinent, omnibus diebus vitæ suæ, tam per obsides, quam per securitatem sacramenti, obsequio, tali condictionis tenore: ut quia inclytus cernalis frater ipsius Rudulfus * Comes à suis hominibus io Comitatu † Diethmeringensium impie interemptus fuerat, & ei tota paternæ domus possessio hæreditario jure competebat, à cujus ingressu & usu eum prædicti sicerii, sui germani interfectores, prohibebant, deberet eum prænominatus Archiepiscopus per bonam fidem usque ed efficaciam obtinendi edjuvare, noo solum de prædicto Comitatu Diethmaringensium, sed etiam de Comitatu Nortlandiæ, & de possessionibus, quæ fuerunt Comitis *d* Fridetici & Dominæ Idæ, & de omnibus, quæ io sua potestate habebat, & de omnibus aliis, de quibus eidem sublimi Clerico justa exactio ex legum ratione competebet. Insuper duas curtes cum omnibus appendiciis præletus Archiepiscopus sæpedicto Clerico & matri suæ dedit, bac interjecta rationis constentia, ut non ex jure beneficii easdem curias teneant, sed reditibes earum ed usus suos quoadusque vixerint, filius post matrem, seu mater post filium, ebsque omni impedimento ex jure privilegii possideant. Præter hæc etiem idem Archiepiscopus contulit prænominato Nobili Clerico de mensa sua reditus XL. librarum, juxta prædictam condictionis legem, ut non beneficiali jure teneet, sed ed usus suos eccipiet. Adhæc quoque beneficium centum marcatum, quod primum de manu cujusquam Principis, vel cujusquam Nobilis vaceverit, idem Archiepiscopus ad usus ejusdem Clerici dimittere firma stabilitate promisit, ita videlicet, ut filium sororis suæ Adelbettum earundem centum mercatum sibi legitimum hæredem relinquet. Super hæc omnie idem Archiepiscopus dare fide, iuviolabili conditionis lege, promisit: Cenonici sui rem pro eo, quam pro Ecclesie sua, adhibita fide indubitanter spospondetunt; Ministeriales sui jurejurando firmaverunt: quod bæc omnie, quæ prædicta esse noscuntur, buna fide & absque omni malo ingenio idem Archiepiscopus debeat observere, & pro retinendis ad usum & dominium ejusdem Nobilis Clerici prænotatis possessionibus, tanquam pro suis & Ecclesiæ rebus, inviolare. Statutum etiam est. ut si prætaxatus Archiepiscupus euodem præcelsum Clericum adjuvere nun posset vel nullet, tota ad ipsum & ad hæredes suos colletæ possessionis integritas reverteretur. *Conditionem* vero *in omni contractu valere, sacra Imperialia scripta indubitati juris esse testantur.* Et ut hæc eb omnibus sic disposita & constituta esse noscantur, Principes nostri buic contractui subscripserunt:

a Marchioni Stadensi
b de Wilstede.
* Marchio Stadensis
† nunc Dithmarsia.
d Marchionatum Stadensem, quem postea Friderico fratri suo collatum Hartuicus factus Archiepiscopus mutavit in Comitatum Palatinum. alii Palatinum Comitatum Bremensem fuisse scribunt
e Comitatum Elstorp. alii adduntetiam Comitatus Harzeveldensem & Luckensem.

Rudulfus Halverstadensis Episcopus,
Anselmus Hauelbergensis Episcopus,
Wikerus Braodeburgensis Episcopus,
Buggo Wormaciensis Episcopus,
Wibaldus Stahulensis Abbas,
Heinricus Dux Saxoniæ,
Heinricus Palatinus Comes de Rheno,
Adalbertus *a* Marchio,
Heinricus *b* Comes de Winceborch,

a de Brandeburg.
b Landgravius.
c de Sumersesburg.

Fredericus Peletinus *c* Comes,
Adolfus Comes de Schovvenborch,
Ernestus Comes de Hohenbureb,
Hluduicus Comes de Lata,
Sibodo de Scarduelte,
Hludeuuicus de Wipera,
Hogerus de Manasuelt,
Esyco de Burmensteden,
Walterue de Arnestede,
Otto de Hilgesleue,

a al. Comes de Bodvvide — Fridericus de Scalizvvitelen, & frater ejus Wolradus, Heinricus de *a* Botvvidel, & frater ejus Helmuldus & Wolradus.

b for. Hammaburg. — Datum * Magdeburg, Anno Dominicæ incarnationis MCXLV. Indictione VIII. Anno vero Regni nostri VIII.

FRIDERICI I. STOUFFENSIS IMPERATORIS AUGUSTI, *CONSTITUTIONES.*

Anno Christi 1158.

I.

De Judicio & foro competente.

Siquis laicus laicum coram Ecclesiastico judice impetierit in causis ibi de jure non tractandis, & ei damnum dederit, si is pro eo civiliter accusetur, judici ad mulctam, & damnum passo ad emendam, & ed prioris judicii indemnitatis observationem, condemnetur.

2. Idem solvet paganus, si contre altum in extreneo vel municipali judicio egerit, dum fint unius villæ vel jurisdictionis incolæ: nisi forte eidem à judice vel è parte jus fuerit denegatum. Jus eutem judex denegare dicitur, eum judicare nou vult, ent suos debitos judiciales terminos non observat. Jus etiam homo, contre quem egitur, deneget, quando de ipso fit querela, postquam fuerit proscriptus, aut alteri adjudicata debita non persolvit, nec habet ut probis pignoretur, vel per wadium ed solvendum estringatur. Contra hujusmodi hominem licebit actori querulari, ubicunque eum reperire posset; ipsi autem nullus respondere cogatur.

II.

De Probationibus.

Quicquid aliquis judicialiter probare debeat, Judex testimonium sub Imperii deponere tenetur fidelitate: postea Scabini hoc idem facient, negocium sub eadem declarantes fidelitate: cæteri vero ed judicium pertinentes seu juridici sub suo deponant sacramento.

2. Ubi proscriptus sine manuali facto in judicium deducitur, & eb actore positio ejus postuletur: & si reus se proscriptum non fateatur, Judex cum sententierum repræsentatoribus proscriptionem ente positionis permissionem debebit comprobere: actor vero tunc non jurebit, quia ubieum judicio comprobaverit, suo non indiget juremento. Facta autem positione, actor prius jurare debet, eum facti reum esse, pro quo passus est proscriptionem: *Sic Deus eum adjuvet & Sancti ejus.* Deinde jurabunt testes, juramentum actoris justum, purum, mundum esse, & immune. Sic etiem actor cum suis testibus pro injuriis proscriptum, & in manuali facto deprehensum, judicioque præsentatum & positum jurando superabit.

3. Ubi autem quis testibus probaturus est coram judicio, vel contra judicium, sive pro bonis, sive pro vvarenda, deponens prius intentum suum exprimere debet testibus, qui hoc debent sacramento testari, & actor ipse hoc esse verum, postea juret.

III.

De furtis involuntariis.

Qui alterius gladium, vestimenta, peluim, rasorium, eut quid aliud pro suo simili opinative de balneo seu alio loco ebstulerit; vel de molendino saccum plenum eut vecuum; sellam aut philtrum, frænum, calcarie, lectum de plumis cussinum, aut linteamen alterius, vel quicquid elind huic simile, ea intentione & opinione, quod res hujusmodi sua sit, ceperit, exportaverit, & suam rem ibi dimiserit, hoc idemque non celendo tenuerit, suamque rem esse opinatus fit, si innocentiam in eo suam sacramento effirmet, alter quidem rem suem civiliter poterit vindicare: criminaliter autem, si pro hujusmodi accusetor, suo absolvitur sacramento: dummodo ipsam rem se non ocenltando tenuisse testibus poterit comprobare, nec etiem tunc de manuali facto poterit incusari.

IV. De

IV.

De Homicidiis.

Occiditur quis in campo, & perpetrantes ignorantur, si quis eum cum sociis suorum villanorum ibidem aut in villa tumulaverit, non delinquet.

2. Occiditur alicujus pater, frater, aut cognatus, quamvis sibi de patratore sceleris constet, eundem licite, dummodo cum ipso mottrando judicialiter actionem non inceperit, tumulabit: sed si cum eo actio incepta fuerat, ante actionis terminationem, sine licentia judicis non sepeliatur.

3. Si cadat quis, aut vulneretur, vel ita graviter percutiatur, ut ad villam per se venire vel intrare non valeat, is, qui ipsum intulerit, in ejusque domicilii mansione læsus postmodum moriatur, manet absque damno, hæredes etiam mortui tenentur hospiti expensas exsolvere, si res, quæ circa mortuum in morte superfuerint, ad exsolutionem non sufficiant expensarum.

4. Colligit si quis seu suscipit in hospitium aliquos, & unus alium occiderit, vel vulneraverit, aut aliquam injuriam fecerit, sine hospitis culpa, hospes impunitus permanebit. Quemadmodum etiam villani, si violatorem nequeunt comprehendere, inculpabiles permanebunt, si hoc suis sacramentis affirmabunt. Hujusmodi tamen casus in judicio sunt referendi.

V.

De officio Scabinorum.

Judex non potest cum tutore vel absque illo aliquem impetere, præter actorem ad duellum, nec altius quàm ad rei excusationem, si ipsam reus secundum jus suum exhibere præsumat.

2. Judex non potest neque cum tutore, neque sine tutore, aliquem inculpare durius, quàm ad suam negationem, excepto actore duelli.

3. Nec licet Judici aliquod terræ præceptum mandatumve, aut hospitia servitiave, neque precariam exactionem expeditionemque imponere, aut consuetudinem novam statuere in confinio, aut incolis imponere absque Provincialium communi consensu.

VI.

De Servitute nativitatis seu genealogia.

Si liber homo servam superduxerit, vel ingenua servum, proles illa utriusque sexus matrem sequi debet, & non patrem.

VI.

Quo pacto unus defendere se debet, ut in extraneo non respondeat judicio.

Conqueratur si quis jure municipali super hæreditate, proprio, debito, bonis, injuriis, sive sic Theutonicus sive Sclavus, ibidem etiam respondere tenetur. Nam ubi quis petit, ibidem etiam jus dare, hoc est, respondere debet in causis omnibus, excepto duello cum suis similibus.

2. Accusetur vero quis coram judice spirituali in causa sæculari, vel quæ judicio sæcularis judicis propriè subest, & in eo damnum perpessus sit, ac tandem is coram sæculari judice conveniatur, protesteturque contra eum, quod jus ounquam sibi recusavit, indemnem eundem reddere, ac emendam sibi solvere cogitur, judici vero mulctam præstabit.

VIII.

De Abbatissa & Episcopi hereschilde.

Si Monialis in Abbatissam, aut Monachus in Episcopum eligatur, per hoc in Imperio militiæ cingulum, & non jura civilia acquirere possunt.

FRIDERICI I. BARBAROSSÆ IMPERATORIS AUGUSTI CONSTITUTIO

Anno Christi 1052.

DE PACTIS INTER IMPERIUM ET ECCLESIAM SERVANDIS.

Publicata in Comitiis Constantientibus Anno MCLII.

Venerabili in Christo Domino Eugenio Dei gratia Apostolicæ Sedis Pontifici Fridericus eadem gratia Romanorum Imperator Augustus filialem dilectionem & debitam in Christo reverentiam.

Regiæ Majestatis dignitas postulat, quæ ad pacis & concordiæ bonum spectare noscuntur, attenta sollicitudine stabilire, & ut inter Sacerdotium & Regnum indissolubili charitatebonum ipsum perpetuo perseveret, diligenti studio & exacta diligentia laborare. Hujus itaque rationis prospectu Concordiam inferius annotatam, quæ inter vos & nos, auctore Deo, statuta est,

sicut

ficut eb utraque parte stabilita est & ordinata, ne eliquid arbitrio nostro immutasse videamini, per eadem verba præsentis serie scripti præcepimus ennotari.

IN NOMINE DOMINI, AMEN.

HÆc est Concordiæ forma & conventionis inter Dominum Papam Eugenium, & Dominum Fridericum Romanorum Imperatorem constiruta, mediantibus

Gregorio sanctæ Mariæ trans Tiberim
Hubaldo sanctæ Praxedis,
Bernardo sancti Clementis,
Octaviano sanctæ Cæciliæ,
Rolando sancti Marci,
Gregorio sancti Angeli,
Guidone sanctæ Mariæ iu Porticu
} Cardinalibus;

& *a* Brunone Abbate de Claravalle, ex parte Domini Papæ:

a Bernardo.

Anselmo vero Auelbergensi,
Hermanno Constantiensi,
} Episcopis,

Odelrico de *b* Zembrueb,
Guidone Guerra,
& Guidone *c* Baldratensi
} Comitibus, ex parte Domini Regis.

b Zvvei-bruch. vel, Luzenburch ut infra.
c Blandratensi.

Dominus siquidem Rex unum de majoribus Ministerialibus regni fecit in anima Regis jurare; & ipse propria manu data fide in manu Legati Domini Papæ promisit, quod ipse nec treugam, nec pacem faciet cum Romanis, nec cum Rogerio Rege Siciliæ, sine libero consensu & voluntate Romanorum, & Domini Papæ Eugenii, vel successorum suorum, qui subscriptæ concordiæ cum eodem Rege Friderico tenere voluerunt, & pro viribus laborabit Romanos subjugare Domino Papæ, sicut melius unquam fuerunt à centum retro annis. Honorem Papatus, & regalia beati Petri, sicut devotus & spiritualis Advocatus S. R. E. contre omnes homines pro posse suo servabit & defendet; quæ nnn habet, recuperare pro posse juvabit, recuperata defendet; Græcorum quoque Regi nullam terram ex ista parte maris concedet. Quod si forte ille invaserit, pro viribus Regni, quanto citius poterit, ipsum eicere curabit. Hæc omnia faciet, & observabit sine fraude, & malo ingenio.

Dominus vero Papa Apostolicæ auctoritatis verbo una cum prædictis Cardinalibus in præsentia præscriptorum Legatorum Domini Regis promisit, & observabit, quod eum sicut B. Petri charissimum filium honorabit, & venientem pro coronæ suæ plenitudine, sine difficultate & contradictione, quantum in ipso est, Imperatorem coronabit, & ad manutenendum, augendum, & dilatandum honorem Imperii, pro debito officii sui juvabit, & quicumque justitiam & honorem Regni conculcare aut subvertere ausu temerario præsumpserit, Dominus Papa à regiæ dignitatis dilectione præmonitus, eos ad satisfactionem canonice admonebit. Quod si Regi ad Apostolicam monitionem de jure & honore regio justitiam exhibere contempserint, excommunicationis sententia innodentur. Regi etiam Græcorum ex ista parte maris terram non concedet: quod si ille invadere præsumpserit, Dominus Papa viribus B. Petri eum reiicere curabit.

Hæc omnia ex utraque parte sine fraude & malitia servebuntur, nisi forte libero & communi consensu utriusque immutentur. Testes autem, quorum nomina subscripta videntur,

Arnoldus Coloniensis Archiepiscopus,
Hermannus Constantiensis Episcopus,
Anselmus Auelburgensis Episcopus,
Arditio Cumanus Episcopus,
Conredus Curiensis Episcopus,
Vuibaldus Stabulensis Abbas,
Albertus Coloniensis Decanus,
Magister Henricus Notarius,
Gotifredus Viterbiensis Capellanus Regis.

Ex laicis, quorum Vulpbo Dux,
N. Marchio,
Hermennus de Beden Comes,
Ulricus de Luzemburch Comes,
Anselmus Ministerialis & Camerarius Regis.

SIGNUM DOMINI FRIDERICI ROMANORUM IMPERATORIS INVICTISSIMI.

Ego Arnoldus Cancellarius recognovi.

Datum Constantiæ, decimo Kalendas Aprilis, Indictione decimaquinta, Anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo secundo; Regnante Domino Friderico Romanorum Rege glorioso, anno vero Regni ejus primo.

FRIDE-

FRIDERICI I. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1155.

RESCRIPTUM

DE JURE IMPERATORUM IN URBEM Romam.

MUlta de Romanorum sapientia sau fortitudine hactenus audivimus, magis tamen de sapientia. Quare satis mirari non possumus, quod verba vestra plus arrogantiæ tumore iasspida, quàm salc sapientiæ condita santimus. Antiquam tuæ proponis Urbis nobilitatem, divæ tuæ Reipub. vetarem statum ad sidera sustollis. Agnusco, agnosco, ut & tui Scriptoris verbis utar, fuit, fuit quondam in bac Rapub. virtus; quondam dico, atqua ô utinam tam varaciter, quam libenter, nuoc dicere possamus. Sensit Roma tua, imo & nostra, vicissitudines rerum: sola evadara non potuit æterna lega ab auctora omnium sancitam cunctis sub Lunari globo degentibus sortem. Quid dicam? Clarum est, qualirer primu nubilitatis tuæ robur ab hac nostra Urbe translatū sit ad Orientis urbem regiam, & per annorum curricula ubera daliciarum tuatum Græculus esuriens suxarit. Supervanit Francus, vere nomine & ra nobilis, eamqua, quæ adhuc in ta residua fuit, ingenuitatam fortitar eripuit. Vis cognoscere antiquam tuæ Romæ gloriam, Senatoriæ dignitatis gravitatem, tabernaculorum dispositlooem, Equastris ordinis virtutem & disciplioam; ad conflictum procedentis intemeraram ac indomitam audaciam? Nostram intuere Rempublicam, penes nos cuncta hæc sunt. Ad nos simul omnia hæc cum Imperio dimanatunt. Non cessit nobis oudum Imperium; virtute sua amictum venit, ornamenta sua sacum traxit. Panes nos sunt Consules tui, penes nos ast Senasus tuus, panes nos ast miles tuus. Proceras Francorum ipsi sa consilio regara, Equites Francorum ipsi tuam ferro injuriam propellere debebunt.

2. Gloriatis, ma per te vocatum essa; me per te primo Civem, post Principem factum, quod tuum erat, à ta suscapisse. Quæ dicti novitas, quàm rationa absona, quàm veritate vacua sit, æstimationi tuæ prudantumqua relinquatur arbitrio. Ravolvamus moderniorum Imperatorum gesta, si non Divi nostri Principes Carolus & Otto nullius benaficio traditam, sed virtuta axpugnatam, Græcis seu Longobardis Urbem cum Italia eripuerint, Francorumqua apposuerint terminis. Docent hæc Dasiderius & Barangarius Tyranni tui, in quibus gloriabaris, quibus tanquam Principibus innitabaris. Eos à Francis nostris nun solum subactos & captos fuissa, sed & in servitute ipsorum consenuisse, vitam finissa, vara relatiune didicimus. Cinares ipsorum apud nos reconditi evidentissimum hojus rei repræsantant indicium. Sed dicis: Vocationa mea vanisti. Fateor, vocatus fui. Radda causam, quara vocatus fuarim. Ab hostibus pulsabaris; nec propria manu, Græcorumve mollitia liberari poteras: Francorum virtus invitationa adscita est. Imploratiorem potius quàm vocationam hanc dixerim. Implorasti misara felicem, dabilis fortem, invalida validum, anxia securum. Eo tanota vocatus (si vocatio dicenda ast) veni. Principem tuum militam meum feci, teque dainceps usqua io præsentiarum in meam dirionam transfudi. Legitimus possassor sum: eripiat quis, si potest, clavam de manu Herculis. Siculus, in quo confidis, forta hæc faciat? Ad priora raspiciat exampla. Nondum facta est Francorum siva Tautonicorum manus invalida: Deo largiente, vitaque comite & ipse temeritatis suæ quandoqua capere poterit axperimenta.

3. Justiriam tuam, quam tibi debeam, exquiris. Taceo quod Principem populo, non populum Principi leges præscribere oporteat. Prætermitto, quod quilibet possassor possessionem suam ingressurus, nullum coodiiionis præjudicium pati dabear. Rationa contendamus. Proponis (ut mihi videtur) trinm sacramentorum axactionam, Da singulis respondeo. Dicis me debere jurare, ut leges antecessorum meorum Imperatorum eorum privilagiis tibi firmatas, & bonas consuetudines tuas observam. Apponis etiam, quod patriæ usque ad periculum capitis tuitionem jurem. Ad ista duo simul raspondeo. Et quæ postulas, aut justa sunt, aut injusta. Si injusta sunt, nec tuum erit postulare, nec meum concedere: si justa, recognosco hæc & debendo valle, & volendo dabere. Quara superfluum erit voluntario dabito & dabitæ voluntati sacramentum apponere. Quomodo enim tibi tuam justitiam infringerem, qui quibuslibet infirmis etiam quod suum est, servare cupio? Quomodo patriam, & præcipue Imperii mei sedem usque ad periculum capiris non defendaram, qui & ipsius terminos non sine ejusdem periculi æstimatione, quantum ast in me, restaurata cogitaverim? Experta est hoc Dania nuper subacta, Romanoqua reddita orbi, & fortassa plures pruvinciæ, pluraqua sensissent regna, si præsans negotium non impedisset.

4. Ad tartium venio capitulum. Affirmas pro pecunia quadam juramentum præberi à mea debere persona. Proh nefas! à tuo, Ruma, exigis Principe, quod quilibet lixa potius perere deberet ab institore. A captivis bæc penes nos axiguntur. Num in captivitata detineor? Num vinculis hostium urgeor? Nunne multo & forti stipatus milite inclytus sedeo? Cogetur Princeps

Romanus contra suam voluntatem cujuslibet præbitor asse, non largitor? Regaliter & magnifice hactenus mea, cui libet, & quantum decuit, & præcipua bena da me meritis dare consvevi. Sicut anim à minoribus debitum rita expetitur obsequium, sic à majoriboa meritum juste rependitur benaficium. Hunc, quem alibi à Divis parentibus meis acceptum servavi morem, civibus cur negarem, Urbemque meo introitu lætam ooo facerem? sed merito non justa injusta petanti cuncta justa oegantur

FRIDERICI I. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1155.

CONSTISTUTIO
UT TIBURTINI OBEDIANT PAPÆ.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imparator semper Augustus, universis civibus Tiburtinis gratiam suam & omnem voluntatam, &c.

Universitatam vastram nossa volumus, quod ob B. Petri Principis Apostolorum reverentiam, dilectissimo atqua in Christo raverandissimo Patri nostro Hadriano Papæ civitatem dimisimus Tiburtinam, salvo tamao super omnia jura Imperiali. Hujus rei gratia omnes & singulos Tiburtinos à fidelitate, quam nupar nobis juraftis, absolvimos, attentius vobis præcipiendo mandantes, quatenus eidam vanarabili Papæ fideliter assistatis, davota serviatis, atqua sicut Domino vastro devote obedira studeatis, sciantes, sicut jam dictum est, à juramanto fidalitatis, quod nuper fecistis, vos absolutos, salvo in omoibus jura Imparali, &c.

FRIDERICI I. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1158.

EDICTUM
In Comitiis Brixiensibus Procerum Germaniæ, Galliæ & Italiæ.

IMparii Romani, cujus apud nos administratio, penes vos vero, qui Optimates Regoi estis, auctoritas rasidet, oemo nos pro libidioe bella gerera existimat, quæ & iocertos avaotus habent, & plurimis incommodis dattimenti sequa carera oon possunt. Verum dignitas Imperii, quæ impunitis rebellibus salva essenon potest, nos accendit. Non igitur ego vastris vos patriis laribus, sed *a* Mediolanum excivit. Quod cum à legitimo Imperio dafecerit, justam belli causam affecit. Neque nos bellum victoriæ cupiditate, sed pacis amota suscepimus, ut malorum audacia coerceatur, & bonis fidei suæ marita præmia tribuantur. Nam si per desidiam nostram Mediolanansiom injuriam gladio noo persequemur, indigni erimus, qui eo accingamur, nec tam in hoc nostra erit patientia collaudaoda, quàm oegligentia improbanda. Quamobrem adeste animis, virtutemque, quam soletis, præstate, ut & advarsariorum audaciam coorundamus, & Imperii à Carolo & Othone ad nostra usque tempora dednctt dignitatam tueamur. Et qnoniam oon inferimus, sad propulsamus iojuriam, justum bellum cum summa spe laudis, & certa fiducia præmiorum capessita, atque Imperatis meis ad reipublicæ utilitatem pro viribus obedite.

a quæ ab Imperatore rebellaverat.

FRIDERICI I. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1158.

DECRETA
Comitiorum apud Roncalias habiterum cum Proceribus Germaniæ, Galliæ, & Italiæ, super Regalibus Imperii, Anno Domini MCLVIII.

QUoniam Deo placitum ast, nos Imperii gubernacula administrare, ob eam rem, quæ ad dignitatem & salutam ejus pertinare videntur, curare ac moliri omnia summo studio ac singulari vigilaotia convenit. Optime vero id actum iri arbitramur, si & metu suppliciorum improborum audaciæ resistamus, & spe præmiorum bonos ad partem capessendam Raipub. invitabimus, neque per socordiam aut inscitiam nostram aliquid de Imperii rationibus detrahi patiemur, siva armis siva lagibus Reipob. fuerit opus. Quamobrem quando Dei beneficio armis detrectantas Imperium nobis obedire coegimus, sequitur, ut eosdem in pace lagibus etiam astringamua, & jura, quæ Lotharii & Conradi nostrorum decessorum incuria obliterata, atqua ab Italicis usurpata sunt, repetamus, ac novis institutis stabiliamus. Quæ ut sint utilia, hooesta, & temporibus convanientia, multo ante providera oportet. Quamobrem vos hortor, atque etiam oro, ut singuli quid expedire maxime Reipub. existimetis, in commune promatis.

2. Quæ

2. Quæ ubi dixit, tom Archiepiscopus Mediolanensis, primus sententiam dicere jussus, improbata superiorum Regum multorum tyrannide, & collaudata Friderici justitia atque æquitate, potestatem novi condendi juris ei tribuit, ac voluntatem Imperatoris pro lege habendam esse censuit. Post quem Episcopi & Abbates primum, deinde Principes ac Comites, tum Consules Civitatum rogati sententiam, omnes Archiepiscopo se assentiri dixerunt.

3. Tum de litibus appellationum componendis Imperator constituit, in singulis diœcesibos Judices ordinarentur non ex ipsa diœcesi, na gratia aut odio corrumpereror judicium, sed aut ex hoc Conventu, aut ex aliis civitatibus editi, eisque summum de omnibus rebus statuenda arbitrium dedit.

4. De regni jure constituendo & regalibus Imperii Decretum Imperatoris *Extat Feudor. lib. 2. titul 56.*

5. Judicatum est etiam, in singulis urbibus Prætores, Consules, cæterosque Magistratus assensu populi per Imperatorem creari oportere, qui sacramentum ei dicereot, ac jus civium regumque tueri scirent.

6. Tum de pace stabilienda consultum, statutumque, ne civitas civitatem, privatus privatum oppognaret injussu Regis: adictoque caurum, ut si qua civitas hæc jura violaret, centenas marchas auri dependeret, si Marchio, quinquagenas; si Comes, quadraganas; si Capitaneus, seu alius Valvasot major, viceuas; alii vero denas, usque ad ternas. Quod si solvendo noo essent, per quioquennium quinquaginta millibus passuum longe à patria exuiarent.

7. De jure Feudorum constitutum Imperatoris *Exstat dicto lib. 2. Feudor. tit. 55.*

8. Lex Imperii de iis, qui studiorum causa publica gymoasia frequentant. *Exstat, in Auth. Habita, C. Ne filius pro patre.*

Hisce Comitiis interfuerunt ex Germania, Archiepiscopi, & eorum Legati, Coloniensis, Moguntineosis, Treverensis, Salisburgensis, Magdeburgensis, & Hammaburgensis: Episcopi, & eorum Legati, Curiensis, Constantiensis, Augustanus, Wirciburgensis, Aichesteiensis, Basiliensis, Ultrajectensis, Cameracensis, Asgenonensis, Spirensis, Wormatiensis, Bambergeosis, Metensis, Viridunensis, Tullensis Hauelburgensis, Segouiensis, Pataviensis, Frisingensis, Ratisbonensis, Parerborneosis, Verdensis, Leodicensis, Monasteriensis, Osnabrugensis, Miudaosis, Michsnensis, Mattispurgensis, Naumborgeosis & Schleswicensis. Abbates, de Sancto Gallo, Augiensis, Stabulensis, Prumiensis, Campidonensis, Altorphensis, Elevacensis, Weissenburgensis, Fabariensis, Heresfeldensis, Fuldensis, Morbacensis, Corbeiaosis, Werdensis, Tudensis, &c. Principes, Rex Bohemiæ, Dux Bavariæ, Dux Saxoniæ, Marchio Brandenburgensis, Dux Sueuiæ, Dux Dalmatiæ, Dux Austriæ, Conradus Palatinus Comes Rheni, Dux Metaniæ, Dux Carinthiæ, Marchio Stiriæ, Dux Lotharingiæ, Dux Brabantiæ, Marchio Histriæ, Dux Zaringiæ, Marchio Badensis, Comes de Lucemburg, Comes de Limburg, Comes de Holland, Comes de Wirtemberg, Dux Tecceosis, Marchio Moraviæ, & innumeri alii Duces & Comites. Consules Civitatum & Communitatum, &c.

De Gallis, Archiepiscopi & eorum Legati, Vesontinus, Logdonensis, Arelatensis, Vienoensis, Tholosanus. Episcopi & eorum Legati, Sedunensis, Lausaonensis, Genevensis, Gratianopolitanus, Valentinus, Avenoionensis, Luxoviensis, Segusianus, &c. Abbates, Clarævallensis & Cluniacensis. Principes, Otto Comes Palatioos Burgundiæ Dux, Ultrajuraniæ, Marchio Segusiaous; Comes Moriennæ, Comes Cabillonensis, Comes Matisconensis, Comes Orbensis, Comes Novoburgensis, Comes Viennensis, Comes Tholosanus, Comes Narbonensis, & alii innumeri Principes ac Comites.

De Italia, Patriarchæ, Aquileiensis, & Raveonas. Archiepiscopi, Mediolanensis, &c. Episcopi, Taurinas, Albeosis, Eporœdiensis, Hastensis, Novariensis, Vercellensis, Derthonensis, Papiensis, Comensis, Cremeosis, Laudensis, Cremonensis, Placeotinus, Parmansis, Regiensis, Mutinensis, Bononiensis, Mantuanus, Veroneosis, Brixianus, Bergomensis, Concordieosis, &c. Principes & Comites, Marchio Montisferrati, Marchio Atestis, Marchio Saluciarum, Comes Carecti, Comes Malæspinæ, Comea Capitii, &c. Coosules ac Potestates Civitatum, Ferratieoses, Bononienses, Patavini, Veronenses, Vicetini, Taroisini, Rauennates. Mutioenses, Regienses, Parmenses, Mantuani, Cremonanses, Papienses, Laudenses, Comenses, Nouarienses, Vercellenses, Hastenses, Bergomates, Blandcratenses, Madiolanenses, Insulani, Pisani, Genuenses, &c.

ACTA

DICTORUM COMITIORUM
IN RONCALIA CELEBRATORUM,

Ex Ottonis Monena Laudensis Chronico Laudensi.

Dominus Imperator io Roncalia Colloquium in S. Martino proximo veniente maximum se constituit babiturum, præcipitqua omnibus fere Italiæ Principibus, atque Civitatum Consulibus, ut ipsi Colloquio interessent. Ad quod etiam quatuor principales legis Doctores, videlicet Dominos Bulgarum, & Martinum Grosium, seu Jacobum, atque Hugonem de Porta Raucgnana, Bononiæ Magistros interesse fecit. Omnes prædicti coovenere ad Colloquium nono Kaleod. Decemb. ultra Padum prope Ecclesiam S. Petri de Conturbia, in millesimo quinquagesimo octavo anno, Indict. septima. Cum autem Imperator, universique Principes, ac civitatum consules ibi simul convenissent: inprimis vocavit Imperator eos prædictos Bononienses Magistros, jussit ue cis,

eis, quod ipsi judicarent sibi in veritate omnie jure Regalia, quæ ratione Imperii in Lombardia ad ipsum spectarent, & sua esse deberent. Qui respondentes Imperatori, dixerunt, se hæc nolle sine consilio facere aliorum Judicum universarum Lomberdiæ Civitetum ibi tunc existentium. Imperator itaque duos uniuscujusque Civitatis Lombardiæ Judices elegit, jussitque eis, omniaque jura Regalia, quæcumque essent, diligenter investigarent; ut cum à Consilio recederent, sub nomine fidelitatis, quam sibi juraverant, ea omnia recto tramite, prout melius possent, publice demonstrarent. Ipsi autem Judices cum viginti octo, exceptis Bononiæ Magistris, statim ut Imperator jusserat, ad consilium euntes, de omnibus regalibus juribus inter se diligentius contulerunt. Qui postmodum ad Imperetorem redeuntes, coram omnibus Principibus, omnibusque Civitatum Lombardiæ Consulibus narraverunt in scriptis omnia jura, quæ ei jure Regali noverant pertinere.

Hoc autem sic peracto, Dominus Hubertus Mediolanensis Archiepiscopus une cum Consulibus Mediolani, omnesque alii præsentes Lombardiæ Episcopi, Comites, Marchiones, Duces, cæterique Italiæ Principes, ac omnium Lombardiæ Civitatum Consules ibi astantes; publice in Colloquio ipso surgentes, in manu ipsius Imperatoris omnia, quæ prædicti Judices jura Regalia esse dixerant, refutaverunt, & ei fidem de ipsis præcipiente, ne ipsi amplius de ipsis rebus intromitterent: omnes, & unusquisque tamen per se amplius de ipsis rebus non intromissuros, unanimiter responderunt. Insuper etiam verem & perpetuem pacem ibi omnes inter se, & cum omnibus eius personis deinceps se firmiter tenere juraverunt. Et in hoc Mediolenenses privavere se de multis rationibus & dignitatibus, obtentis à diversis Pontificibus, & Imperatoribus, & promiserunt ponere signum Aquilæ super campanile Ecclesiæ majoris in signum fidelitatis, ac etiam quod liberarent centum nonaginta Papienses, quos habebant incarceratos. Ac etiam præcipit eis Imperator, ut servarent pacem perpetuam suis vicinis. Deinde Mediolanenses, Cremonenses, Laudenses, Papienses quoque & Placentini destando & per omnia attendendo ipsius Imperatoris præcepto, ei tum multos obsides tradiderunt. Ibique ipse Dominus Imperator multas leges, quas fecerat, in scriptis redigi fecit, multaque etiam præcepta hortatu suorum Principum custodiri præcepit.

FRIDERICI I. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1159.

DECRETUM

IN CAUSA ARCHIEPISCOPI BREMENSIS

contra Ducem Saxoniæ, & Episcopum Verdensem, & Magdeburgensem.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis.

FRIDERICUS divina favente clementia Romanorum Imperetor Augustus. Quoniem divina clementia Romani titulo Imperii & corone sublimare nos & insignire digneta est, iden studiosius honori & promotioni Ecclesiarum Dei invigilere debemus, & efficacius insistere.

Inde est quod venerabilem Hartwigum nobis per omnia dilectissimum sanctæque Hammenburgensis Ecclesiæ Pastorem & Archiepiscopum inter speciales nostros præ cæteris Principibus familiarius colligentes, ad personæ ipsius promotionem, honorem & omnimodam gloriem studium adhibebimus, sanctamque Hammeburgensem Ecclesiam ipsius providentiæ commissam, fovere, manutenere, omnibus modis exaltare operam dabimus.

a Henricum Leonem. 1. Primum igitur dilectos nostros, Dominum [illegible]emensem & Baioariæ ec Saxoniæ a Ducem, tantæ dilectionis vinculo unire dignum censemue, ut alteruter in alterum excesserit, per se ulcisci non præsumat, sed dictente sententie ad examen nostræ justitiæ, prout decet, recurrere festinet.

b Thietmarum. 2. Aliam quoque causam, quæ inter dilectum nostrum Bremensem & b Verdensem, honorabiles personas agitatur, juxta tenorem privilegiorum utriusque, adhibito Principum & aliorum sapientum consilio, componere satagemus.

c Wichmannus. 3. In hac quoque parte fidelissimo nostro Bremensi non possumus deesse nec volumus, quia pro recuperanda ipsius hæreditate, quam c Magdeburgensis suæ potestati ascribit, prout melius & honestius poterimus, laborare curabimus.

4. Præterea ut præfatus Bremensis nostræ erga eum dilectionis emolumentum experietur, ab expeditionibus & à debitis servitiis, & è cæteris laboribus eum juxta velle suum supportabimus.

5. Cum etiam universelem Ecclesiam Romenam visitare poterimus, debitum honorem Hammeburgensi Ecclesiæ, pro jure nostro, per omnia requitemus.

* Comiti. 6. Adiicimus insuper, quod Waltero * de Arnestede omnia cum benevolentia dimittemus, quæ ab eodem Archiepiscopo eum habuisse in beneficio cognoscimus.

7. Dabimus quoque dilecto nostro Bremensi Archiepiscopo vini carratas XX. quolibet enno, de Bobarden X. & de Moguntino X.

8. Pro ejus etiam dilectione Bovonem in gretia Ducis pleniter restituemus, & quamdiu vivet, ipsum ad omnia sibi pertinentia sub nostra Imperiali tutele conservabimus.

Ego Reynoldus Cancellarius vice Domini Arnoldi Moguntini Archiepiscopi & Archicancellarii recognovi.

Datum Augustæ, anno Dom. incarnat. MCLIX. Indict. VI. Anno autem Regni nostri VII. Imperii vero IV.

LOTHA-

FRIDERICI I. IMPERATORIS
A U G U S T I

C O N S T I T U T I O

De electione Archiepiscopi.

Anno Christi 1159.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus Hadriano Romanæ Ecclesiæ Venerabili Episcopo.

Dilecto & fideli nostro Ansalmo bonæ mamoriæ Rauennensis Ecclasiæ Venerabili Episcopo dafuncto, na Curia nostra diutius tanto careret Principe, oparam dara curavimus, loco ejus talem subrogare personam, quæ pro temporaad rasarcianda Ecclasiæ illius damna, & ad nostrum paragendum servitium apta videratur. Ante omnia autem præ oaulis mentis habentes, & aure non furde audientes quod scriptum est: *Honore invicem pravenientes:* filium Comitis Blandratansis, quam vos in Clericum Romanæ Ecalesiæ & filium nostra petitiona assumpsilla tacordati sumus vicissim ad honorem vestrum & sanctæ Romanæ Ecclasiæ altius sublimari intendimus, in ea præsartim Ecclesia, quam post S. Romanam Ecclesiam, ant maximam, aut unam de maximis habamus, nostræque voluntatis propositæ, divina favanta clamantia, in alectiona illius parsonæ concorditar & voluntaria universa Ravannas conveoit Ecclesia, præsartim viris honastissimis, Legato nostro & vestro, hinc Hyacintho Cardinali, inde Harmanno Verdensi Episcopo. Scientia autem & moribus in personam præfati Electi ona cum genere convaniantibus, propter reverendum vestræ Paternitatis testimonium commendabilior & acceptior eadam parsona nobis jam facta est, quam otiqua atiam diligi à vobis, & honorari gaudaınus & volumus, ea taman rationa & ordine, quo Patres filios suos solant diligere, quos suo tempora & manumittunt, & domui suæ providere permittunt. Et quidam deccotissimum est, sanctam Romanam Ecclesiam, tamquam matrem omnium Ecclesiarum, filios, qui suot fructus ventris, aggtegare, & aggregatos ad dacorem domus Dei per domos & familias distribuere. Quibus etiam nostrum Imperium tamquam ab utaro & gramio matris nostræ progredientibus debeat, & velit congruum honoram impandera. Proinde altiori considaratione vastra perpendat discretio, quid in haccausa tam vestræ quam nostræ Majestati & honestati conveniat. Rom. 12.

C O L L A T I O

INTER IMPERATOREM
E T P A P A M.

Anno Christi 1159.

Capitula ex Parte Domini Papæ, quæ proposuerunt Octavianus tituli S. Cæciliæ Presbyter Cardinalis, Henricus tituli SS. Nerei & Achillei, Willelmus Cardinalis Diaconus, & Guido Cremensis Diaconus Cardinalis, missi à Papa Hadriano.

1. Nuntios ad Urbam, ignoranta Apostolico, ab Imperatore non essa mittendos, cum omnis magistratus inibi B. Patri sit cum universis ragalibus.

2. Da dominicalibus Apostolici fodrum non essa colligendum, nisi tempore suscipiendæ coronæ.

3. Episcopos Italiæ solum sacramentum fidalitatis sina hominio facere debere Domino Imperatori.

4. Neqna Nuntlos Imperatoris in palatiis Episcoporum recipiendos.

5. De possessionibus Ecclasiæ Romanæ restituendis, & tributis Ferrariæ, Massæ, Ficorolii, totius tarræ Comitissæ Mathildis, totius tarræ ab Aquapendente est usque Romam, Ducatus Spoletani, insularom Sardiniæ & Corsicæ.

Responsio Imperatoris.

QUamvis non ignorem, ad tanta negotia non ax animi mai sententia, sed ax consilio Principum me rasponderadahere, sina præjudicio tamen sapiantum hoc absqua consultatione respondeo. Episcoporum Italiæ ego quidam non affecto hominium, si tamen & eos de nostris regalibus nihil delectat habere. Qui si gratanter à Romano Præsule: *Quid tibi & Regi?* consequenter quoque eos ab Imperatora non pigeat audire: *Quid tibi & possessioni?*

2. Nuntios nostros non esse racipiendus in palatiis Episcoporum asserit: Concado, si forte aliquis Episcoporum habet in suo proprio solo, & non in nostro palatium. Si autem in nostro solo & allodio sunt palatia Episcoporum, cum profacto omna quod ædificatur solo aedat, nostra sunt & palatia. Injuria ergo asset, si quis Nuntios nostros à Regiis palatiis prohiberet.

3. Lega-

3. Legatos ab Imperatore ad urbem non esse mittendos affirmat, cum omnis magistratus ibi B. Petri sit cum universis regalibus. Hæc res, fateor, magna est & gravis, graviorique & maturiori egens consilio. Nam cum divina ordinatione ego Romanus Imperator & dicar, & sim: speciem tantum Dominantis effingo, & inane utique porto nomen ac sine re, si Vrbis Romæ de manu nostra potestas fuerit excussa.

4. Super cæteris autem Dominus Imperator justitiam & consilium constanter obtulit, si & ipse justitiam vellet facere & recipere: Nuntii vero recipere tantum voluere, & non facere, hac ratione quod Dominum Apostolicum causæ subjicere, ac judicio sistere non possent.

MANDATUM
SUPER
Anno Christi 1159.

CONCORDIA CUM PAPA CONFIRMANDA IN EADEM COLLATIONE TRACTATA
AD EBERARDUM SALZBURGENSEM ARCHIEPISCOPUM.

QUandoquidem fidelitatis tuæ constantiam, quam pro consuetudine exhibere soles Imperio, frequenter experti sumus: quæ apud nos sunt discretioni tuæ significamus, & prudentiæ tuæ consilium advocamus. Venerunt siquidem ad nos duo Cardinales à Papa missi ad hoc, ut inter nos & illum fieret concordia. Dixerunt igitur, quod Papa illam requireret pacem atque concordiam, quæ inter Papam Eugenium & Nos facta fuerat & scripta. Nos respondimus, quod pacem quidem inviolabiliter hucusque tenuissemus: de cætero autem neque eam tenere, neque ea teneri vellemus, quoniam ipse prior eam violasset in Siculo, cui ipse sine nobis reconciliari non debuisset. Adjecimus tamen, quod omnem justitiam dare & recipere parati essemus, sive secundum humana, sive secundum scripta divina. Si vero justitia gravis videretur, consilio Principum & Religiosorum pro amore Dei & Ecclesiæ libenter nos supponeremus. Placuit verbum nostrum Cardinalibus. Dixerunt tamen nisi prius cognita Papæ voluntate super hoc, se nihil posse vel audere. Missis Nuntiis, verbum nostrum cognovit Papa; mandavitque sicut prius, aliam se nolle concordiam, quam illam, quæ inter Papam Eugenium & Nos facta fuisset. Nos supra dicto modo hoc recusavimus, & in præsentia & testimonio omnium Teutonicorum & Longobardorum Episcoporum, & laicorum Principum, & Baronum, & Valvassorum, omnem justitiam atque consilium obtulimus, ut & Nos reciperemus justitiam. Præsentes ibidem fuerunt Romanorum Civium Legati, qui cum indignatione mirabantur super his, quæ audierunt. Mandavit enim Papa nova & gravia & nunquam prius audita, quæ sine consilio tuo & aliorum fidelium imperii pertractari non possunt. Hæc discretioni tuæ communicavimus, ut si qua tibi super his occurrerint, nobis veritatem non sit inutile. Rogamus etiam, ut si necesse fuerit, & nos tibi mandaverimus, ad nos pro tanto negotio venire non differas.

Anno Christi 1159.

FRIDERICI I. IMPERATORIS AUGUSTI
EDICTUM PROSCRIPTIONIS ADVERSUS Cremenses & Mediolanenses.

CUm ob defectionem Cremensium ipsum Castrum Cremæ obsideremus, & cum Principibus nostris in tentorio Ducis Henrici nepotis nostri consideremus, consilio & judicio Principum nostrorum, & omnium Lombardorum, qui nobiscum aderant, ipsos Cremenses hostes Imperii judicavimus, & de ipsis talem legem promulgavimus: Quoniam Crema, & omnes Cremenses nostro banno sunt illigati, statuimus, & Imperiali autoritate confirmamus, ut omnes Cremenses, Mediolanenses & Brixiani, & quicunque hoc tempore Cremæ sunt, tam feudum, quam allodium totum amittant, & feudum ad domino redeat. Nos enim personas, & bona eorum publicamus. Atque idem de eorum bonis, qui de Ecclesiis sunt, fiat.

FRIDE-

FRIDERICI I. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1159.

EDICTUM

De Dimissione Cardinalium ob crimen læsæ Majestatis captivorum & electione novi Pontificis facienda.

Manueli Imperatori Constantinopolitano.

ORbis mutilatio propter dissensiones & schismata: & totius humani generis turbulentiæ, quæ propter Ecclesiæ viduitatem, antiqui serpentis effuso veneno, emerserunt & irruerunt, pro electione magni Sacerdotis, non solum communibus suffragiis, sed etiam magna cum solertia facienda & habenda, spiritum & animum nostrum quasi despondere nos compulerunt, ut per frequentes & præstantes, & insignes Apocrisarios & Legatos nostræ Serenitatis ad Cardinales egerimus propterea, ut de hujusmodi magni sacerdotis electione diligentissime cogitarent. Et ne justa præberetur occasio aliqua iis, qui tantum bonum impedire vellent, eo quod detineretur à nobis Magister Oddo S. Nicolai in Carcere Tulliano reverendissimus Cardinalis; non solum ipsum, verum etiam alios Ecclesiæ Prælatos præstantissimos dimittendos decrevimus.

2. Nunc vero rem novam, non solum hæsitatione, verum etiam stupore dignam vobis & reliquis Orbis Principibus hæc nostra Epistola significatura progreditur, quod scilicet reverendissimum Prænestinum Episcopum, qui adversus Imperatoriam Majestatem & nomen ita aperte se objecit & obstitit, quam primum absolvimus & dimisimus præter omnium hominum opinionem. Stupebunt profecto, ut credimus, Principes bellicosi, viri fortes. Cæsarum memoriæ, incomparabilibus decoratæ magnificentiis, in libris scriptæ veterum Annalium & Chronicorum evolvantur & perscrutentur; singulorum Principum vita & gesta perquirantur, nihil tale adeo insperatæ clementiæ æquale nobis quisquam inveniet diligens indagator. Licet enim legatur fortasse multorum Principum nobilis ita aperta clementia, & illustris humanitas, propterea quod dextera victoris victoriis & trophæis ornata, hostibus prostratis pepercerit, & ita eos, qui eorum exaltationi se objecerunt, benigne dimiserint, & à severo justitiæ gladio adversus damnatos abstinuerint; nihilominus illorum singuli, vel imbecillum aliquem, vel nullius pretii & valoris sontes ipsos cum judicaverint, eos libenter dimiserunt; vel quia belli imminentis occasione propter eam, quam promiserunt, sontium dimissionem, finem imposuerunt.

3. Quod vero nos adhuc simultate permanente, adeo nobile membrum Ecclesiæ, tanti consilii virum, & perspicuæ fortitudinis & virtutis, nostris consiliis gratis adversantem, & se obiicientem, & se objecturum, ut ab omnibus sperabatur, licet nos neque omnino crederemur tale quid, ut eum scilicet dimitteremus; neque præteritarum rerum memoria, neque præsentium securitas & cautela nobis suadebat: nihilominus in statera nostrarum cogitationum, justitiæ securitatem clementiæ fecit declinare, & impetum nostræ indignationis fregit & vicit; & misericordia, quam de generis humani dissensionibus habemus, nos cohibuit & detinuit, & Christianæ Reipublicæ publicum commodum privati nostri commodi causam superevit; cum pro dicti Episcopi Prænestini absolutione & liberatione non dubitemus, quin Ecclesiæ Dei pastoris sui solatio destitutæ, de optimo pastore, nobis & Imperio non ingrato deligendo curam gerent: quod præter omnium opinionem, & multorum consilium & mentem, inter omnia, quæ à nobis maxime desiderantur, tamquam pacis & quietis cupidissimis jucundissimum contingeret.

4. Nec nobis hoc indignum ullo pacto vel inutile credimus, si cum nostra matre Ecclesia pacis maxime cupidos nos esse asserimus, & concordiæ fatemur esse æmulatores, cujus affectatores esse Reges & Principes, & frequenter simulare solent dum inter se contendunt. Compatimur nos propterea Orbis laboribus & calamitatibus, quodammodo ruinam minantis propter universorum dissensiones & dissidia. Compatimur naviculæ Petri, quæ propter frigefactam hominum fidem, & propter ferventem Hæreticorum iniquitatem maris & undarum furore & impetu agitata conteritur & submergitur. Nec miretur vestra celsitudo, si me, Curatorem videlicet Ecclesiæ, si me præcipuum filium matris viduæ, ejusdem matris suspiria ex imo emissa pectore emollierunt, ut depositis juribus, quibus fortasse humana prudentia mentem adhibuisset, & matri filium, & fratrem fratribus, præcipue vero pro tanti commodi spe, absolvere & dimittere decreverim. Quis enim in tantorum malorum consideratione, quis in spe tanti futuri gaudii, propter detentionem vel absolutionem & dimissionem unius cujusque personæ quantumvis conspicuæ, posset cor suum obturare? præcipue vero, quia ab omnibus & singulis Cardinalibus, qui in urbe Roma & in simplicitate & in puritate commorantur;

rantur, firma & infallibilis spes sit nobis pollicita, quod restituto fratre & socio suo collegio, salutaris nobis & universo orbi & desiderabilis erit de magno Sacerdote deligendo deliberatio. Faxit Deus, ut quemadmodum non solum in liberatione prædicti Magistri Oddonis, verum etiam aliorum, quos Serenitas nostra indubitata compassione absolvit, alacres nos præbuimus, ita etiam nos à nostro desiderio non frustremur, neque fidei publicæ integritas & religio, quam ex hujusmodi Patrum constantia animo concepimus, profanetur ullo pacto.

ACTA

Anno Christi 1161.

CONCILII LAUDENSIS

De confirmatione Electi Pontificis.

IN festo sanctorum Gervasii & Prothasii per dominum Papam inceptum est sacrum Concilium, quod à Principio Papiæ, deinde Cremonæ fieri dispositum fuerat, postremum tamen ad honorem Laudensium ex voluntate Imperatoris Laudæ est celebratum. In quo Dominus Imperator cum suis Principibus, & Dux Boemiæ, & Dominus Pellegrinus Aquilaiensis Patriarcha, & Dominus Guido Electus Ravennæ Archiepiscopus, & multi Episcopi, & magna copia Priorum, Abbatum, Præpositorum, aliorumque Clericorum, qui venerant ad Synodum seu Concilium, unanimiter confirmavere electionem, quæ in prædicto anno Papiæ jam facta fuerat de ipso Domino Papa Victore. Fuere autem in ipso Concilio recitatæ litteræ excusatoriæ Regis Daciæ, & Regis Noruegiæ; & Regis Hungariæ, & Regis Boemiæ, & sex Archiepiscoporum, & viginti Episcoporum, multorumque Abbatum tam Claravallensium, quam aliarum Congregationum, atque præpositorum: in quibus omnibus litteris continebatur, ipsos Reges cum universis eorum provinciis, & prædictos Archiepiscopos, Episcopos, Abbates & Præpositos velle se tenere præfatum dominum victorem pro Papa & Domino, & se velle ratum habere totum quod Dominus Victor statuit in ipso Concilio cum aliis sibi præsentibus.

In ipso etiam Concilio fuere excommunicati Dominus Hubertus Mediolanensis Archiepiscopus una cum Consulibus Mediolani, & Episcopus Placentinus & Episcopus Brixiensis, & Placentiæ & Brixiæ Consules, omnesque ipsorum Consiliarii, ac etiam omnes illi qui interfecerunt Moguntinum Archiepiscopum, & qui in ejus morte consenserunt, & Episcopus Bononiensis, ... depositi fuerunt irrecuperabiliter. Episcopus vero Paduanus, & Episcopus . . . . . usque ad Kal. Augusti termino eis dato ab officio suspenduntur. Et hæc acta sunt in die Jovis, cum concilium usque ad ipsam diem perdurasset, in qua die fuit tum S. Jacobi Alphei.

Anno Christi 1162.

S. CÆSAREÆ MAJESTATIS

*Instructio pro Comite Henrico * Trecense ad Regem Francorum.*

* fo. Troiensi, vel Trecensi.

De Reformanda pace Ecclesiæ.

VULT Imperator instructus contemplatione divini amoris hoc bonum opus vobiscum hoc modo agere, ut vos duo majores Principes Orbis convaniatis in unum apud Avenionem, in confinio Regni vestri & Imperii sui, cum majoribus personis tam Clericis quam Laicis Imperii, & Regni vestri. Et ipse quidem adducet secum Octavianum cum sequacibus suis, & vos Alexandrum cum suis nihilominus habeatis. Postquam vero vos duo cum utraque parte in præsentia tantorum virorum conveneritis, & electio utraque diligenter audita fuerit, per illic congregatam Ecclesiam Gallicanam, Italicam & Teutonicam decernatur de utroque, quod melius & utilius videbitur statuendum & ordinandum.



MANDA

MANDATUM

DE INCOMPETENTIA REGIS FRANCORUM IN COGNOSCENDA CAUSA ELECTIONIS ROMANI PONTIFICIS, QUÆ AD IMPERIALEM JURISDICTIONEM SPECTAT.

Anno Christi 1162.

Missum Regi per Rainaldum Cancellarium.

MANDAT vobis Domious noster Fridericus Imperator Romanorum & specialis Romanæ Ecclesiæ Advocatus, quod ad nullos Ecclesiarum Prælatos de causa electionis Romani Pontificis judiciom facere pertiuer, nisi ad eos tantum, qui sub Romano Imperio existunt. Ideoque bonum videtur & justum, ut cum Episcopis & Clero vestro ad eundem Imperatorem tam quam amicum & socium accedere, & illius sententiam audire debeatis.

FRIDERICI I. IMPERATORIS AUGUSTI

RESCRIPTUM

Anno Christi 1164.

Ad Schismaticos Cardinales Romanos, super eorum maledicis litteris in Imperatorem & Papam Paschalem emissis.

FRIDERICUS Dei graria Romanus Imperatot semper Augustus, Clericis Romanæ Ecclesiæ cum Lazaro quondam paupere æternam habere requiem.

1. *Loquar* a *ad Dominos meos, quamvis sum pulvis & cinis*, & b *ut jumentum factus sum apud vos*: tamen c *homines & jumenta salvabit Deum*. Multiplicavit Deus misericordiam suam super vos, qui congregavit vos à quatuor ventis cœli, ut recumbatis cum Abraham in sinu patris sui. Fidelis ille cum tota domo Ægypti (Moysen dico qui de vestra vos Ægypto extraxit, ut evitaretis ollas carnium, & ut possetis clamare in deserto: d *Manhu. Quid est hoc?* à regione deserti manna venit ad viatores: cum & jure dicitis: *Quid est hoc*: Quid, inquam, est, quod famem expellit, & desiderium satiat, & satiando accendit? Rapuit etiam vos manus illa inexhaustæ clementiæ, & fecit vos lucem de luto, & *in diademate* e Salomonis, *quo coronavit eum mater sua*, vos coronavit, fecit vos aurum de luto. Sed nescio, quo pacto aurum in lutum redit, & in ferri vilitatem aurei sicli moneta regeneravit. Levastis corpora vestra in montes, sed mentes in convallibus remanserunt. Unde ergo veniet auxilium vobis? Sperabamus enim, quod in cacuminibus montium pennas tenderetis, quæ veherent * nos ad dexteram Dei Patris. Seduxit * nos opinio lubrica, & quod valde gemimus, alarum nudato remige, plumbi modum gravitas corporis vos pessundat.

a. Gen. 17. b. Psalm. 72. c. Psalm. 35. d. Exod. 16. e. Cant. 3. * al. vos.

2. Putabatis, quod Deus esset tantum Romanorum: sed & valles Teutonicorum frumento abundant. Suscipite montes pacem populo, ut linguæ spicula abscindatis. Non solum in Imperium, sed & in Deum *cultus justitia*, teste Propheta, f *silentium*. Super nubes volatis aquilæ, & tandem ad nostrum cadaver carpeodum vestra rostra deponitis. Abstinetis vos à carnibus pecudum, & carnes Imperiales sine sale voratis. Vere *cultus justitia silentium*. Quod nondum est, finxit, & nondum venit in linguam, jam penes vos constat esse patratum. Ait enim: *Quis hic Papa injustus? Imperatrix pregnans, sed non de semine Imperiali? hic Archiepiscopus ter in die carnibus ventrem confundit: hic Episcopus ructu fetenti aera fœdat: hic Abbas exhaurit scutellam usque ad vomitum.* Vacatis otio, idcirco ralia eructatis. Nam detractio in cameris concipitur, & in † Curia evomitur. Non est Curia cœlum: non est Curia paradisus: sed adhuc est Curia inter flumina Babylonis. Vestrum ostium omnibus patet, cum quis per illud ingreditur, non palpatur, sed cæditur: non curatur, sed mactatur: non justificatur, sed damnatur. Et (ut breviter dicam) nihil sine crimine apud vos, sed cum venerit g Filius hominis in sede majestatis suæ, quæso dicite: Ubi sedebitis? hic & ibi?

f. Isa. 32. Cardinalium Schismaticorum convicia in Ecclesiasticos Imperii Principes. † sc. Romana. g. Luc. 9.

3. Clementes medici non orationibus ægros curant, sed eorum vulnera suscipere student, ut cum eis pariter & ægrotent. Nos non poteramus ascendere ad vestra licita, sed vos vestra pietate commoti ad nostra illicita descendistis, & facti estis hujusmodi. Quid prodest in desertum exire, & in deserto Ægyptium cor habere? Quid prodest ranas h Ægypti vitare, & in deserto murmuratione petite? En qui sub Pharaone languistis, sub Moyse suspiratis. Emptores

h. Exod. 8.

vitæ nolite * decipere venditores margaritæ. Ecce qui dedistis manus & oculos, & alia membra, ut Evangelicam margaritam possetis comparare, ea nondum estis digni. Hac autem ad salutis fructum utimini. Reddite Deo linguam, & accipite margaritam. Si vero hæc Epistola vobis placuerit: *a Prov. 9.* nostra erit sententia illa Sapientis: *a Argue justum, & diliget te.* Si vero succensi fueritis, non ideo Diogenes amittet cornua. Valete, & si Deum dilexeritis, linguas vestras Dei gladio amputate, & in Catholicum Papam consentietis.

RECESSUS SIVE DECRETUM

Anno Christi 1166.

COMITIORUM HERBIPOLENSIUM

à

FRIDERICO I. IMPERATORE AUGUSTO

Celebratorum, Anno Domini MCLXVI. super Schismate duorum Pontificum.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus cunctis populis, quos clementiæ nostræ regit imperium.

1. Jamdudum innotuisse credimus, qualiter exorta quondam inter Ecclesiæ Romanæ Cardinales de Apostolatu discordia, inter Reges & Regna impetu pestifero est diffusa. Pro qua ad optabile bonum pacis revocande quantos post beatæ memoriæ Papæ Victoris electionem ac confirmationem Catholicam Papiæ, Mediolani, * Laude, ** al. Leone.* atque in diversis Imperii finibus in corpore nostro labores tam nos quam invicti Principea nostri pertulerimus: quantas rerum copiss Zelo justitiæ impenderimus: in extremis quoque mundi partibus, jam auditum non dubitamus. Denique beatissimo Papa Victore in Paradisi gandia feliciter assumpto, & in ejus locum ab Episcopis & Cardinalibus almæ Sedis Apostolicæ Domino b Paschali *b Pius nominis III.* viro Christienissimo in præsentia Episcoporom & Religiosorum Lombardiæ ac Tusciæ, Illustris quoqoe Urbis Præfecti Romæ, ac multorum Nobilium Romanorum Catholice substituto: ipsum etiam Dominum Paschalem & Ecclesiæ ac Principum Imperii judicio atque consilio in Papam & Patrem Catholicum solemniter recepimps, debitoque honore venerari semper intendimus. Proinde obstinata Schismaticorum perfidia mortem viri justi suis successibus aperta fronte adscribens, Siræneis suis blandiniis quorundam fidelium nostrorum adeo molita est denuo immutare, ut nisi morbis novis nova remedia obiicerentur, pars nostrorum non modica videretur ex fiducia nostræ lenitatis seducenda.

2. Igitur Zelo reformendi decoris domus Dei ardentins accensi, cum Regem Francorum, qui nulla nostra culpa præeunte, una cum Rolando imperii nostri hoste publico, ejusque sequentibus, Imperialem nostrum honorem manifeste molitur auferre, post multos nostros admonitus irrevocabilem persensissemus: universis Imperii Principibus in sancta Pentecoste Curiam Wirzburg generalem indiximus. *† al. præsidente.* Quorum cœtu celeberrimo ibidem solemniter † præsente, Ecclesiæ Dei statum ac Domini Pepæ Paschalis negotium serio ac magnifice duximus roborandum. Invocata igitur Spiritus sancti gratia, & universorum, qui aderant, consilio communicato, ad removendam pro parte nostra omnem ambiguitatem, protsus ipsi nos manu propria super Sanctorum reliquias juramentum publicæ præstitimus, quod * Rolandum Schismaticum, ** Alexandrum III. nominatum.* vel ejus successorem, quem pars ipsius elegerit, in Papam numquam recipiemus, nec ad eum recipiendum, assensum umquam alicui præbebimus. Nulli etiam fautorum ejus gratiam umquam nostram reddemus, nisi ab errore viæ suæ ad unitatem Ecclesiæ fuerit conversus. Dominum vero Papam Paschalem manntenebimus semper & promovebimus: eique tamquam Patri Catholico & universali Pontifici obedientiam, honorem & reverentiam exhibebimus; & ab ipso, ejusque parte, vita comite, numquam recedemus. Electos quoque, qui sub eo, aut ejus successore, quem pars ipsius elegerit, consecrationem receperunt, vel adhuc recipiont, honore aut ordinibus suis per ejus obedientiam privari numquem permittemus: & hujus absolutionem sacramenti numquam requiremus, nec oblatam recipiemus.

3. Præterea noster in Imperio successor, quem Principes universi elegerint, hunc honorem Ecclesiæ Dei & Imperii, & banc partem nostram sub eodem juramento tuebitur semper atque tenebit.

4. Idem quoque juramentum Archiepiscopi, & omnea Episcopi, atque Electi, qui interfuerunt numero quadraginta, super sancta Dei Evangelia propria manu unusquisque sub stola sua præstiterunt, & publice firmerunt. Nihilominus universi Principes seculares, Dux videlicet c Saxoniæ, *c. Henricus Leo.* & Brandeburgensis Marchio Albertus senior, Conradus Palatinus de d Cheuo, *d. Scheiren.* & Ludovicus Lantgravius, & reliqui omnes super Sanctorum reliquias id ipsum juraverunt. Repente autem Spiritus sanctus mentes omnium adeo unius effecit voluntatis, quod Electi omnes in sabbato Quatuor temporum ad laudem Dei & honorem Imperii sacros ordines devotissime susceperunt.

5. Fir-

5. Firmiter quoque à nobis, & ab universis decretum est, ut quicumque superstint ordinendi in primis Quatuor temporibus similiter exequantur, alioquin dignitatis, ad quam electi sunt, honore, omni remota dilatione, priventur.

6. Ad hæc honorabiles Legati Illustris amici nostri Henrici gloriosi Anglorum Regis ad nos eb ipso transmissi, in totius Curiæ nostræ præsentia super sanctorum reliquias ex parte Regis Angliæ publice juraverunt nobis, quod Rex ipse cum toto Regno suo in pette nostræ fidelitet stabit, Dominum Paschalem, quem nos tenemus, nobiscum semper tenebit. De Rolando autem Schismatico manutenendo, nullatenus se de cætero intromittet.

7. Quia vero justitiæ, quam hostes Ecclesiæ Dei & nostri sive ex superbia, sive ex causæ diffidentia devitarunt, nos semper hactenus stare perati, nnnc tandem ad insolita sacramenta ex eorum manifeste obstinatione sumus impulsi: è Schismaticorum communione omnis homo omnisque ordo caveat. Furor enim eorum etsi hactenus aliquo modo visus est venialis, in posterum prorsus erit inemissibilis.

8. Ad perfectum quoque hujus negotii firmementum, ex totius Herbipolensis Concilii decreto firmissime præcipimus, ut si quis ad sui mandatum Antistitis sacramentum supra scriptum non præstiterit, si Clericus sit, aut Monachus, Ecclesiastico privetur honore ac beneficio: si Laicus, allodia & beneficia quæcumque possidet, nostre ipsi auctoritate è suo Judice vel Domino prorsus adimantur. Data Wirtzburg. Kalend. Julii.

S. CÆSAREÆ MAJESTATIS MANDATUM

Anno Christi 1166.

De executione Decretorum Herbipolensium

Ad Abbatem Stabulensem,

Ipse cum omnibus Ecclesiæ tuæ fidelibus publice jures & observes, & singulis Dominicis diebus & festis in publica Missa, sicut edictum est & sancitum à nobis & à Principibus, publicam orationem pro Domino Papa Paschali nominatim & assidue intus & foris præcipias reciteri. Edictum quoque & statutum est, ut hæc omnia juramenta infra sex hebdomadas ab omnibus compleantur. Quod si aliquis Monachorum, Clericorum, Laicorum, in Imperio nostro huic confirmationi & edicto nostro, aliquo modo se opponendo contradixerit, certum sit apud te, quod sicut publicus hostis Imperii, absque omni spe recuperationis judicetus est & damnetus, & eb omni officio & honore & beneficio destitutus. . . . .

ACTA SUPERIORUM COMITIORUM EX ARCHIVO VATICANO.

vide Baronium tom. 12. Annal.

*Alexandro Papæ * quidam amicus suus.*

* Abbas aliquis aut Præpositus, homo perfidus & proditor.

IMPERATOR cum principes suos ad Curiam, quam eis in festo Pentecostes indixerat, adunasset, & Principes ipsi Sabbatho ente festum, atque subsequenti secunda feria, de pece inter vos & eum tetinendo tractare coepissent; Regineldus dictus Coloniensis Archiepiscopus advenit, publice esserens & proponens, quod nihil contra vos ed honorem sui lebot & studinm Impetetotis proficeret, nisi ejus tunc penitus assentiret consiliis. Dicebat enim, quod potior pars Imperii vobiscum erat, commemorens scilicet Salzburgensem, Maguntinum, & alios de Alemannia, qui vestræ obtemperent Sanctitati. Verumtamen ed magorificandum seipsum; plures inqnit, qnam vos sumus, ad obedientiam Apostolici nostri conquisiti; quos ei Rex Anglorum numero quinquaginta, & plures, juxta Domini Imperatoris beneplacitum exhibebit. Cum igitur ei talia promittenti, & ad certitudinem hujus rei duos Nuntios prædicti Regis præsentialiter exhibendi, de prosequendo ejus consilio summ Imperator polliceretur assensum, in eudientia cunctorum Principum hujusmodi consilium Imperetori formevit.

Quod ipse videlicet Imperator in conspectu totius Curiæ propria manu juraret, quod nullo umquam totius vitæ suæ tempore vos, vel aliquem qui ex parte vestra sit, in Pontificem Romanum reciperet, sed devotioni Papæ sui Paschalis inconcusse semper & inseparabiliter adhæreret: si vero moti illi ente contingeret, hoc ipsum juramentum sui successores observarent. Principes vero suos hoc ipsum jurare compelleret, adjecto in eorundem Principum juramento, quod si prius Imperator obiret, Principes ipsi nullum autem coronarent in Regem, quam is, qui coronandus esset, de tenendo & fovendo eodem Schismatico, & ejus successoribus idem faceret juramentum. Et quod Principes infra sex hebdomadas, postquam de Curia ad propria loca rediissent, omnes Abbates, Præpositos, & alios Ecclesiarum Prælatos, Milites quoque & alios omnes, qui in locis eorum aliquos honores obtinerent, hoc jurare compellerent, & eos, qui nollent hoc facere, rebus

sorum penitus confiscatis, depositos, & honoris sui cingulo spoliatos; vel si privati homines fuerint, in membris propriis crudeliter mutilatos, à toto Imperio compellerent exulare. Placuit Imperatori forma Consilii.

Sed Archiepiscopo Magdeburgensi, & aliis, qui præsentes erant, Episcopis dura visa est admodum & molesta, ita quod idem Magdeburgensis nullum juramentum se præstare velle respondit, nisi prius Coloniensis ordines & consecrationem reciperet, per quam omnem dubitationem ab ejus & aliorum pectoribus removeret. Unde cum ille id promittere detrectaret, acriter eum aggressus Imperator, suamque ipsi malignitatem improperans, in eum verba ista est prosecutus; Ecce, inquit, manifeste apparet, quod sicut traditor & deceptor in periculum meum Papam mihi * præfecerisignoranti, cum etiam ante receptionem litterarum mearum, ne de substituendi Pontificis electione tractares, statim cum *Te Deum Laudamus*, & juxta beneplacitum tuum, novum mihi Pontificem elegisti, plus mihi proditor factus quam Maguntinus Electus, quem reum hujus criminis deferebas: præsertim cum ille dederit mihi salubre consilium, ut ex quo Deus me à prioris periculo liberavit, nullatenus me obnoxium facerem successori. Nunc vero necessariò te noveris compellendum, ut laqueum, quem parasti, primus incurras, & aliis etiam id facere recusantibus, solus habebis subire periculum, quod in malitia tua noscitur cæteris præparatum.

*tamquam Italiæ Archi-cancellarius.

Sic ergo ille vehementer astrictus non potuit evadere, quin primus juxta prædictam formam faceret juramentum, & susceptis ordinibus consecrationem quoque se promitteret recepturum. Exhibuit etiam prædictos Nuntios Regis Angliæ, qui in persona Regis Angliæ publice coram omnibus juraverunt, quod quicquid Imperator super hoc se servaturum juraverit, ipse quoque tenebit firmiter & servabit. Sic ergo propria manu Imperator supradictum præstitit juramentum, eo tamen ad verbum Archiepiscopi Magdeburgensis determinato, ut si vos & Schismaticum illum eodem tempore obire contingeret & Cardinales utriusque partis in aliquem unanimiter convenirent, liberum sibi esset, eum recipere, si tamen (quod quidem Coloniensis fecit apponi) de Imperatoris assensu eadem electio proveniret.

Deinde qui præsentes erant Principes, sicut supradictum est, suum præstitere singuli juramentum. Cum vero ad Episcopos ventum esset, dicerentque omnes, excepto Verdensi, velle se potius Regalibus cedere, quam hujusmodi sacramentum præstare, responsum est eis oportere eos vellent nollent juramentum facere, & regalia retinere. Sicque juravit primus Magdeburgensis, sub ea tamen conditione, si omnes alii, qui aberant, essent jurati, & quod solutus esset à juramento, quocunque tempore defineret regalia possidere. Babenbergensis vero Episcopus post multas & varias excusationes ita ipsi Imperatori juravit, quod quandiu voluerit regalia retinere, secundum quod ei proprius sensus dictaverit, eidem Imperator super negotio auxilium & consilium ministrabit. Verdensis etiam intrusus & Halberstadensis absolute, sicut Coloniensis, juraverunt. Virdunensis, & Frisingensis, propter suorum Archiepiscoporum absentiam excusati, juramentum facere minime sunt coacti, sed habita licentia libere ad propria redierunt, usque ad festum beatorum Apostolorum Petri & Pauli sibi licentiam impetrantes.

Hi tantummodo Principes juraverunt, Dux Saxoniensis, Marchio Albertus, Comes Palatinus frater Imperatoris, & quidam sororius Imperatoris.

Hi sunt Archiepiscopi, qui juraverunt, Magdeburgensis & * Babenbergensis, sub conditione tamen prænominata. Coloniensis autem, & duo suffraganei ejus absolute juraverunt.

* for. Bremensis.

Filius vero Conradi, qui ad Curiam cum mille quingentis militibus venit, ut audivit fieri mentionem de juramento, recessit. Patriarcha Aquileiensis non affuit, neque aliquis Suffraganeorum suorum. Similiter nec Salzburgensis, vel aliquis suorum, neque Trevirensis, vel aliquis suorum: & multi de Principibus non affuerunt.



HENRI-

HENRICI * REGIS ANGLORUM

* eo nomine Secundi.

CONSTITUTIONES IN COMITIIS IMPERIALIBUS HERBIPOLENSIBUS AB IMPERATORE FRIDERICO confirmatæ.

Rescriptum minatorium ad Papam, nisi bannum solvat.

Anno Christi 1164.

ALEXANDRO Pepæ Henricus Dei gratia Anglorum Rex, Dux Northmannorum & Aquitanorum, & Comes Andegavorum.

Sæpius Nuncios nostros ad pedes Paternitatis vestræ direximus, rogantes & supplicantes, quaterus querelis, quæ inter nos & Caotuariensem Archiepiscopum vertuntur, finem debitum justitia mediante poneretis: & tandem placuit Paternitati vestræ, ut juxta petitionem nostram de latere Legates nobis mitteretis, cum potestatis plenitudine, ut omnes controversias nostras plene decidere & definire posseot, remoto appellationis obstaculo. Qui cum in potestate sicut Nuncii vestri ad oos reportaverunt, & litteris vestris continebatur expressum, quas adhuc penes nos habemus, quod missi fuissent, sicut per eosdem Legatos, cum ed nos pervenissent, accepimus, potestas illa ad injuriam nostram illis subtracta est. Unde cum nos ad omnem coram eis emendationem offerremus, præfato Cantuariensi Archiepiscopo, qui ita iniqne & malitiose erga me se habet, sicut vobis & toti mundo innotuit, coram illis justiciis parere omnino contempsit. Ob cujus delictum alios deinceps Nuncios ed Majestatem vestram transmisimus, per quos litteras vestras recepimus, quas adhuc penes nos habemus, in quibus terram nostram & personas Regni nostri à potestate præfati Cantuariensis eximebatis, donec ipse in gratiam nostram redisset. Quam cum ante restitutionem gratiæ nostræ nescimus ob quam causam immutaveritis, dum alii nostri adhuc in Curia nostra morarentur, & antequam oovissimi Legati vestri ad nos pervenissent, *a* Vivianus scilicet & *b* Gratianus, ipse in personas Regni nostri & in quosdam familiares & servientes nostros, qui singulis diebus nobis assistebant, excommunicationis sententiam promulgavit. Cum vero prænominatos Nuncios debito honore suscepissemus, qui tam per litteras vestras quam viva voce protestabantur, quod ad honorem nostrum & exaltationem Regni nostri venissent, primo loco de absolvendis excommunicatis tractavimus, qui non solnm ad nostram, verum etiam ad vestram & eorundem Legatorum injuriam excommunicati videbantur, petitionibus illis, quas ex parte nostra nobis proponebant, quantum poteramns ob reverentiam vestram & amorem vestrum pro assensu condescendebamus. Proponebant siquidem litteræ vestræ quatenus sæpe dicto Cantuariensi Archiepiscopatum suum pacem & amorem nostrum redderemus: nos vero, proposito omnino honore vestro, communicato consilio

a Jurisconsultus ab Accursio in Glossis frequenter laudatus.
b Decreti compilator.

* Burdegalensis & Rothomagensis Archiepiscoporum:

* sc. Retroti.

Cenomanensis,
Redonensis,
Baiocensis,
* Lexoviensis
Constantiensis &
Sagiensis
} Episcoporum:

* al. Luxoviensis: qui dictus fuit Arnulphus.

Fiscanensis,
Beccensis,
Sancti Wandregisili,
Cadomensis,
Trosctis,
Cerisiaei,
Revvalles,
Mortui maris,
Tironensis,
Delbetensis
} & quorundam aliorum Abbatum:

Necnon & Gaufredi Antisiodorensis, & quorundam aliorum virorum Religiosorum, concessimus antedicto Cantuariensi (licet ipse, sicut vobis multotiens signavimns; absque conscientia nostra & coectione aliqua à Regno nostro exierit) *ut in bono & in pace rediret, & possessiones omnes haberet, sicut habuit quando à Regno exivit, & ipse & omnes, qui cum eo vel pro eo exierunt, ob amorem Dei & ob amorem vestrum, salvâ dignitate Regni nostri.* Cumque Nuncii vestri coram supra nominatis viris responsum hoc ebsque omni contradictione recepissent, excommunicatos illos, qui præsentes aderant, absolverunt.

ſolverunt. Convenit autem inter nos, ut alter eorum, Vivienus ſcilicet, pro hiis, qui in Anglia erant, abſolvendis transfreteret: Gratianus vero ad verbe hæc nominato Cantuarienſi transportanda rediret. Mane autem facto cum ab eis, quibuſdam negotiis nos (accepta prius ab eis licentia) trahentibus, receſſiſſemus, neſcimus, cujus inſtinctu, aut quo ſpiritu conceſſis ſtare recuſaverunt, cauſantes verbum illud, quo nos *Dignitatem Regni noſtri ſalvam* fore, diximus, quod tam nobis quam illis, qui nobiſcum aderant, nullo jure ab eis cauſari videbatur debere. Nos autem hujus rei ad conſcientiam duximus, de veſtra ſemper diſcretione præſumentes, quod vos in nullo honori noſtro derogare velitis, vel Regni noſtri dignitati, obnixe Serenitati veſtræ ſupplicantes, quatenus attente conſiderantes honorem & utilitatem, quem vobis & Curiæ veſtræ contulimus, & in futurum, niſi per vos ſteterit, conferemus, ſic rem temperetis, ne tantum penes vos ſint illius *perfidi proditoris* noſtri malicioſæ blanditiæ, quantum evidentia tot & tantorum virorum teſtimoniis corroborata cauſæ noſtræ meritæ: ſed juxta petitionem noſtram eos, qui excommunicati ſunt, abſolvatis, & *ne* in alios venenum ſuæ excommunicationis effundere poſſit, provideatis: ne, ſi minus in hac juſta petitione noſtra exauditi fuerimus, tanquam de veſtra benivolentia deſperantes aliter ſecuritati noſtræ & honori proſpicere compellamur. Et quoniam ſingula quæ à nobis dicta ſunt & propoſita, difficile ſcripto comprehenderentur, tranſmiſimus ad pedes Paternitatis veſtræ Clericos familiares noſtros, Ricardum Archidiaconum de Saleſberia, Ricardum Barre, qui plenius vobis cuncta, quæ hinc inde agitata ſunt, exponent: quibus in cunctis, quæ ex noſtra parte veſtræ Sanctitati exponent, fidem indubitanter habeatis, de quorum reditu feſtinanter maturando, veſtra precamur & conſulimus ſollicite provideat diſcretio, quoniam eorum mora diuturnior periculum & damnum intolerabile Eccleſiæ poſſet afferre.

Edictum contra clericos Papæ adhærentes.

HEnricus Rex Angliæ ſingulis Epiſcopis in Anglia conſtitutis. Noſti quam male Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus operatus ſit adverſum me & Regnum meum, & quam male receſſerit. Et ideo mando tibi, quod clerici ſui, qui circa ipſum fuerunt poſt fugam ſuam, & alii Clerici, qui detraxerunt honori meo & honori Regni, non percipiant aliquid de redditibus illis, quos habuerunt in Epiſcopatu tuo, niſi per me, nec habeant aliquod auxilium vel conſilium à te.

Edictum contra Appellantes ad Papam.

HEnricus Rex Angliæ ſingulis Vicecomitibus in Anglia conſtitutis. Præcipio tibi, quod ſi aliquis Clericus vel Laicus in bailia tua Romanam Curiam appellaverit, eum capias & firmiter cuſtodias, donec voluntatem meam præcipiam: & omnes redditus & poſſeſſiones Archiepiſcopi ſaiſias in manum meam, ſicut Radulphus de Brock & alii miniſtri tibi dixerint: & omnium Clericorum, qui cum Archiepiſcopo ſunt, patres & matres, fratres & ſorores, nepotes & neptes, pones per ſalvos plegios & catalla eorum, donec voluntatem meam inde præcipiam. Et hoc breve tecum afferas, cum ſummonitus fueris.

Edictum contra eos, qui litteras banni Papalis deferunt in Regnum.

TEnor mandatorum, quæ Henricus Rex in Angliam miſit: Scilicet ut omnis portus cautiſſime cuſtodiatur, ne litteræ inte dictiones ullatenus illic deferantur. Et ſi aliquis Regularis illas attulerit, pedibus truncetur: ſi Clericus, oculos & genitalia amittat: ſi Laicus, ſuſpendatur: ſi leproſus, comburatur. Et ſi quis Epiſcopus ejus interdictum metuens, recedere voluerit, nihil ſecum deferet præter baculum. Vult etiam, ut omnes Scholares repatriare cogantur, aut beneficiis ſuis priventur; & qui remanſerint, ſine ſpe remeandi remanebunt. Et presbyteri, qui cantare noluerint, genitalia amittant, omneſque rebelles beneficiis priventur.

Conſuetudines avitæ De juribus Regni, contra Cleri Papalis uſurpationes, apud Clarendunam promulgatæ.

ANno ab incarnatione Domini milleſimo centeſimo ſexageſimo quarto, Papatus Alexandri anno quarto, Illuſtriſſimi Regis Anglorum Henrici Secundi anno decimo, in præſentia ejuſdem Regis facta recordatio & recognitio cujuſdam partis conſuetudinum & libertatum & dignitatum anteceſſorum ſuorum, videlicet Regis Henrici avi ſui, & aliorum, quæ obſervari & teneri debent in Regno. Et propter diſſenſiones & diſcordias, quæ emerſerant inter Clerum & Juſtitias Domini Regis & Barones Regni de conſuetudinibus & dignitatibus, facta eſt iſta recognitio coram Archiepiſcopis & Epiſcopis & Clero & Comitibus & Baroni-

Baronibus & Proceribus Regni. Et easdem consuetudines recognitas per Archiepiscopos & Episcopos & Comites & Barones, & per nobiliores & antiquiores Regni.

Thomas Cantuariensis Archiepiscopus, &
Rogerius Eboracensis Archiepiscopus, &
Gilebertus Londoniensis Episcopus, &
Henricus Wintoniensis Episcopus, &
Nigellus Eliensis Episcopus, &
Willermus Norvvicensis Episcopus, &
Robertus Lincolinensis Episcopus, &
Hilarius Cicestrensis Episcopus, &
Jocelinus Salesberiensis Episcopus, &
Richardus Cestrensis Episcopus, &
Bartholomeus Oxoniensis Episcopus, &
Robertus Herefordensis Episcopus, &
David Menenensis Episcopus, &
Rogerus Wigornensis Electus,

Concesserunt, & in verbo veritatis viva voce firmiter promiserunt tenendas & observandas Domino Regi & hæredibus suis, bona fide & absque malo ingenio, præsentibus istis:

Roberto Comite Lochcestriæ,
Reginaldo Comite Cornubiæ,
Conano Comite Britanniæ,
Joanne Comite de Haugo,
Rogerio Comite de Clare,
Comite Gaufredo de Mandeuille,
Hugone Comite Cestriæ,
Willermo Comite de Arundel,
Comite Patricio,
Willermo Comite de Ferrariis,
Richardo de Leici,
Regniale de S. Walerico,
Rogerio Bigot,
Reginaldo de Warenner,
Richerio de Aquila,
Willermo de Bransa,
Richardo de Canivilla,
Nigello de Monbray,
Simone de Bello Caopo,
Hunfrido de Boun,
Matthea de Herefordia,
Waltero de Meduana,
Manacer de Biseth Dapifero,
Willermo Maleth,
Willermo de Curci,
Roberto de Dunestauilla,
Iocelino de Baillolio,
Willermo Lanualis,
Willermo de Laisneto,
Gauffrido de Veu,
Willermo de Hastinga,
Hugone de Morauilla,
Alano de Neuuillis,
Simone filio Petri,
Willermo Malevit Camerario,
Joanne Maleuit,
Johanne Mariscallo,
Petro de Mata,

& multis aliis Proceribus & Nobilibus Regni tam Clericis quam Laicis. Consuetudinum vero & dignitatum Regni recognitarum quædam pars præsenti scripto continetur.

Cujus partis capitula sunt hæc:

Capitu-

Capitulum I.

DE advocatione & præsentatione Ecclesiarum si controversie emerserit inter laicos, vel inter laicos & Clericos, vel inter clericos, in Curia Domini Regis tractetur & terminetur.

Capitulum II.

ECclesiæ de feudo Regis non possunt in perpetuum dari absque assensu & concessione ipsius.

Capitulum III.

CLerici & accusati de quacunque re, sive moniti à Justitia Regis, veniant in *Curiam ipsius re*sponsuri ibidem de hoc unde videbitur Curiæ Regis quid ibi sit respondendum; & in Curia Ecclesiastica, unde videbitur quid sit ibi respondendum; ita quod justitia Regis mittat in Curiam sanctæ Ecclesiæ ad videndum, qua ratione res ibi tractabitur. Et si Clericus convictus vel confusus fuerit, non debet eum de cætero Ecclesia tueri.

Capitulum IV.

ARchiepiscopis, Episcopis personis Regni, non licet exire de Regno absque licentia Regis. Et si exire voluerint, si Domino Regi placuerit, assecurabunt, quod nec in eundo nec in moram faciendo, nec in redeundo, perquirent malum vel damnum Regi vel Regno.

Capitulum V.

EXcommunicati non debent dare vadium ad remanens, nec præstare juramentum, sed tantum vadium & plegium standi judicio Ecclesiæ ut absolvatur.

Capitulum VI.

CLerici non debent accusari, nisi per certos & legales accusatores & testes in præsentie Episcopi, ite quod Archidiaconus non perdat jus suum, nec quicquam quod inde habere debeat. Et si tales fuerint qui culpantur, quod nec velit nec audeat aliquis eos accusare, Vicecomes requisitus ab Episcopo faciet jurare duodecim legales homines de visueto seu de villa coram Episcopo, quod inde veritatem secundum conscientiam suam manifestabunt.

Capitulum VII.

NUllus qui de Rege teneat in capite, nec aliquis dominicorum ministrorum ejus excommunicetur, nec terræ alicujus illorum sub interdicto ponantur, nisi prius Dominus Rex, si in terra fuerit, conveniatur, vel Justitia ejus, si extra Regnum fuerit, ut rectum est de ipsos faciat: & ita id, quod pertineat ad Curiam Regiam, ibidem terminetur, & de eo, quod spectabit ad Ecclesiasticam, ad eandem mittatur ut ibidem tractetur.

Capitulum VIII.

DE appellationibus, si emerserint, ab Archidiacono debent procedere ad Episcopum, & si Archiepiscopus defuerit in justitia exhibenda ad Dominum Regem est perveniendum postremo, ut præcepto ipsius in Curia Archiepiscopi controversia terminetur, ue quod non debet ulterius procedere absque assensu Regis.

Capitulum IX.

SI calumnia emerserit inter Laicum & Clericum, vel è converso inter Clericum & Laicum, de ullo tenemento, quod Clericus ad elemosynam velit attrahere, Laicus vero ad leicum feudum, recognitione duodecim legalium hominum, per Capitalis Regis Justitiæ considerationem terminabitur, utrum tenementum sit pertinens ad elemosinem sive ed laicum feudum coram ipsa Justitia Regis. Et si recognitum fuerit ad elemosinam pertinere, plecitum erit in Curia Ecclesiastica: si vero ad laicum feudum (nisi embo de eodem Episcopo vel Barone advocaverint) erit placitum in Curie Regis. Sed si uterque advocaverit de feudo illo ante eundem Episcopum vel Baronem, erit placitum in Curia ipsius: ita quod propter factam recognitionem saisinam non amittat, qui prius saisitus fuerat.

Capitulum X.

QUi de civitate, castello vel burgo, vel dominico manerio Regis fuerit, si ab Archidiacono vel Episcopo de aliquo delicto citatus fuerit, unde debeat eis respondere, & ad citationem eorum noluerit satisfacere, bene licet eum sub interdicto ponere, sed non debet excommunicari, prinsquam Capitulis minister Regis villæ illius conveniatur, ut justificet eum ad satisfactionem venire. Et si minister Regis inde defecerit, ipse erit in misericordia Regis, & exinde poterit Episcopus ipsum accusarum justitia Ecclesiastica cohercere.

Capitulum XI.

ARchiepiscopi, Episcopi, & universæ personæ Regni, quæ de Rege tenent in capite, & habent possessiones suas de dominio Regis, sicut Baroniam, & inde respondent Justitiis & ministris Regis,

Regis,& sequentur & fecient omnes rectitudines & consuetudines Regies, & sicut Barones cæteri debent judiciis Curiæ Regis cum Baronibus interesse, usque dum perveniatur in judicio ad diminutionem membrorum vel mortem.

Capitulum XII.

CUm vacauerit Archiepiscopatus, vel Episcopatus, vel Abbatie, vel Prioretus de dominio Regis, debet esse in manu ejus, & inde percipiat omnes reditus & exitus sicut dominicos Et cum * ventum fuerit ed consulendum Ecclesiæ, debet Dominus Rex mandare potiores personas Ecclesiæ, & in capella ejus debet fieri electio assensu Regis & contilo personatum Regni, quas ed hoc faciendum vocaverit. Et ibidem faciet electus homegium & fidelitatem Regi, sicut ligio Domino suo de vita sua & membris & honore suo terreno, salvo ordine suo priusquam sit consecratus.

* al. venerit ad consulendam Ecclesiam.

Capitulum XIII.

SI quisquam de proceribus Regni Archiepiscopo vel Episcopo vel Archidiacono de se vel suis justitiam exhibere tenuerit, Rex debet *a* justificare. Et si forte aliquis *b* defortiaret Regi rectitudinem suam, Archiepiscopi, vel Episcopi, & Archidieconi debent eum *c* justificare ut Domino Regi satisfaciat.

a al. justitiare.
b al. diffortiaverit.
c al. justitiare.

Capitulum XIV.

CAtalle eorum, qui sunt in forisfacto Regis, non detineat ecclesie vel cimiterium contra justitiam Regis, quia Regis sunt, sive in Ecclesiis sive extra fuerint inventa.

Capitulum XV.

PLacita de debitis, quæ fide interposita debentur, vel ebsque interpositione fidei, sint in *d* justitia Regis.

d al. Curiæ

Capitulum XVI.

FIlii rusticorum non debent ordinari ebsque essensu Domini, de cujus terra nati dignoscuntur.

Facta est prædictarum consuetudinum & dignitatum Regiarum recordatio ab Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus, Baronibus & Nobilioribus terræ, & ab antiquioribus Regni apud Clarendoniam quarto die ante Purificationem B. Mariæ, Domino Henrico filio Regis, patre suo ibidem præsente.

CONSTITVTIONES, QVAS CONSTITVIT REX HENRICVS IN NORMANNIA, ET MANDAVIT IVSTITIIS SVIS RICHARDO DE Lucy, & duobus Archidiaconis G. & R. & omnibus Principibus & populis Angliæ, Normanniæ & Aquitaniæ jurandas & servandas. Latores earum fuerunt, Guimerus Presbyter & Galterus de Grimesby.

Contre tyrannidem Papæ & Sacerdotum.

Capitulum I.

SI quis inuentes fuerit ferens litteras Domini Pepæ, vel aliquod mandetum Archiepiscopi Cantuariensis, continens interdictum Christianitatis, in Angliam, capiatur, & de eo sine dilatione justitia fiat sicut de treditore Regis & Regni.

Capitulum II.

PRæterea nullus Clericus, vel Monachus, vel conversus, vel alicujus Conversionis, permittetur transfretare vel redire in Angliam, nisi de transitu suo habeat litteras justitiæ, & de reditu suo litteras Domini Regis. Si quis eliter inventus fuerit egens, capiatur & incarceretur.

Capitulum III.

NE aliquis eppellet ad Pepam vel ad Archiepiscopum.

Capitulum IV.

NE aliquod placitum teneatur de mandatis Papæ vel Archiepiscopi, vel eliquod mandatum eorum in Anglia ab ullo homine recipiatur. Si quis inventus fuerit aliter agens, capietur & incarceretur.

Capitulum V.

GEneraliter quoque Interdictum est, quod nullus ferat eliquod mandatum Clerici vel Laici Domino Papæ vel Archiepiscopo. Si talis inventus fuerit, capiatur & incarceretur.

Capitulum VI.

SI Episcopi, vel Clerici, vel Abbates, vel Laici, sententiam interdicti tenere noluerint, sine dilatione de terra ejiciantur, & tota eorum cognátio, ita quod de cetellis suis nihil secum fetant.

Capitulum VII.

VT catalle omnium Papæ vel Archiepiscopo faventinum, & umnes possessiones eorum, & umnium eis pertinentinm, eujuscunque gradus sint vel sexus vel conditiuuis, capiantur, * *& dominica* manu Domini Regis confiscentur.

* al. in dominico.

Capitulum VIII.

VT omnes Clerici, qui tedditus habent in Anglia, sint summoniti per umnes Comitatus, ut infra tres menses veniant in Angliam ad redditus suos: & si non venerint ad terminum statutum, redditus in manu Regis capiantur.

Capitulum IX.

VT denetii B. Petri non reddentur ulterius Apostolico, sed diligenter serventur in thesauro Regis, expendanturque ed ejus præceptum.

Capitulum X.

LOndunlensis & Norvvicensis Episcopi sint in Misericordia Regis, & summoveantur per Vicecomites & Bedellos, ut siot contre Justitias Regis ad rectum faciendum Regi & Justiciis ejus de eo, quod contra statuta de Clarendone interdixerunt ex mandato Papæ terram Comitis Hugonis, & excommunicationem, quam Dominus Papa in ipsum fecerat, per suas parochias divulgaverint sine licentia Justiciarum Regis.

Anno Christi 1166.

LITTERÆ HENRICI REGIS ANGLIÆ AD ARCHIEPISCOPVM * COLONIENSEM.

* ad quem ut Italiæ Archicancellarium negotia Romana spectabant.

DIu desideravi justam habere occasionem recedendi à Papa Alexandro, & à perfidis Cardinalibus ejus, qui proditorem meum Thomam quondam Centuariensem Archiepiscopum contra me manutenere præsnmunt. Unde cum consilio omoium Baronum meorum, & cum consensn Cleri, magnos viros de Regno meo, scilicet Eborecensem Archiepiscopum, Londoniensem Episopnm, Archidiaconum Pictaviensem, Joannem de Oxoneford, Richardum de Luci, Romam missurus sum, qui publice & menifeste ex parte mea, & totius Regni mei, & omnium alietum terratum, quas bebeo, proponent, & denunciabunt Papæ Alexandro, & Cardinalibus suis, ne ulterius proditorem meum manuteneant, sed ite liberent me ab eo, ut alium cnm consilio Cleri in Ecclesie Cantuariensi possim instituere. Denuntiabunt etiam, quod quicquid Thomas fecit, in irritum revocent. Hoc etiam postulabunt, quod cotam eis Pepa jurari faciat publice, quod ipse & successores sui, & mihi & umoibus successuribus meis Regias Consuetudines HENRICI eui mei inconcussas & inviulatas, quentum ad se, conservabunt in perpetuum. Quod si forte alicni petitionum meatum contradicere voluerit, neque ego, neque Barones mei, neque Clerus meus aliquam ei ulterius servebimus obedientiam, immo manifeste eum & omnes suos impugnabimus. Et quicunque in terre mea inventus fuerit, qui ei posthæc edhærere voluerit, expelletur. Ea propter togamus vos, sicut Charissimum emicum, quetenus Fratrem Ernuldum, vel Fratrem Radulphum Hospitalarium, omni occasione temuta, cito ad me mittatis, qui ex parte Imperatoris & vestra prædictis Nunciis meis ducatum præbeat eundo & redeundo per terram Imperatoris.

JVSJV-

IVSIVRANDVM, QVOD IVRAVIT IOHANNES SIMVL ET HENRICVS DE OXENFORDIA, CVM SOCIO RICHARDO DE VIECOSTRIA

apud *. Coloniam, cujus occasione juramenti Consuetudines Regiæ in † Alemania valorem obtiouerunt, ficut in Anglia etiam operatione Reginaldi Coloienfis Atchiepiscopi Refcriptum Imperiale communioois fententiam recepit.

*Herbipoli. †In Comitiis Imperialibus.

CUm Clerom plurimum & Principes suos ad Concilium suum in festo Penthecostes adunasset Fridericus Imperator, sabbato & secunda feria tractatum est de pace & concordia Regni inter Papam Alexandrum & ipsum reformanda. Adhæc exsurgens in medio Coloniensis Electus protestatus est coram omni Concilio sic: Domine Imperator, consilie, quæ adversus Papam Alesandrum hucusque captasti ad destitutiooem ejus nil tibi profuerunt, nil ei nocuerunt: Nam & de oostris etiam ei plures obediuni & adhærent, sicut Dominus * Marguocius Archipræsul Conradus, & quidam alii: sed si mihi & meo consilio acquieveris, in promptu erit & Alexandri dejectio, & Papæ nostri exaltatio. En ego acquisivi parti meæ quinquaginta Episcopos cum suis Archiepiscopis de Dominatione & Regno Regis Anglorum. Johanoes & Ricardus parati sunt in persona Domini Regis hæc jurare, quod ratum habebit Rex & jurabit ore proprio, quod vos super hoc hîc statueritis & juraveritis. Placuit Imperatori forma consilii, & se numen Papæ Alexandri & obedientiam ejus in perpetuum abjuraturum dixit. Cumqoe Clerus de sententia & consensu interrogaretur, & instantius conveniretur, ait Magdeburgensis & plurimi alii: Quoniam futura incerta sunt, & plerumque quem elegit populus, abjicit Deus; & quem populus improbat, Deus approbat, temeratiom esse hujos sacramentum, & se prius relicturum, quam ita juraturum. Respondit Imperator, eum oportere regalia retinere, & cum eo ita jurare. Cumque jam excandesceret Imperator, Magdeburgensis ad mitigandum eum vel ad differendom juramentum astute eit: Si Dominus Coloniensis, qui hujus nobis consilium & sacramentum inducit, primus omoium Alexandrum abjuraverit, & juraverit, quod ordinationem suam & consecrationem recipier à Papa † Paschali, certiores nos reddat de secreto animi sui, & omoe scrupulum suspicionis pravæ à mentibus auferet, & nos in hujusmodi sic senteotiam & sacramentum facilius reducet. Acquievit Imperatnr. Cumque Coloniensis ita primo jorare jussus detrectaret, & usque etiam ad lachrimas renitetetur, vehementer ira accensos Imperator eit; En appatet, Reginalde, quod sanum mihi dedit consilium * Magdeburgensis, defuncto Victore Octeviano Papa meo, dicens, quod cum eo mortuo me Dominus à periculo maximo liberasset, caverem mihi de cætero, ne me iterum consimili periculo involvetem. Unde tibi missis mandatis scripsi litteris, oe me inconsulto de substituendi Pontificia electione quicquam tractares. Tu vero clam auctoritate tua Guidonem de Crema elegisti, Paschalem eum nominasti, & *Te Deum laudamus* per te decantasti. Parasti vobis foveam, Regioalde; certe tu prius incides modo in eam. Sicque Coloniensis primus & absolute juravit in supradictam formam. Post Coloniensem juravit Imperator, & obedientiam ipsius Alexandri, & nomen ejus, & cujuscunque de parte ejus abjuravit: hoc sane retento & determinato, quod si contigerit Papam Paschalem & * Rolandum pariter Cancellarium decedere, ut utraque pars, Romanorum scilicet & Alemanorum, io unam personam eligendam pariter conveniaot, liberum sit Imperatori assentire, & eam recipere. Tunc Coloniensis adjecit. Ita Domine Imperator, si de consensu nostro celebrata fuerit electio. Et adjecit: Fac, Domine, Principes tuos, qui assunt, & qui absunt in suis provinciis jurare in consimilem formam: Item, fac eos jurate, quod te, Domine, decedente non prius alium electum Imperatorem insigoibus Imperialibus a ioducarent, donec ipse Clericus idem præstiterit sacramentum abjurationis Alexandri. Consensit Imperator, & sic jussit fieri. Tunc juravit Dux Saxoniæ gener postea Henrici Regis: deinde Marchio Albertus, & quidam Comes Palatinus fratet Imperatoris, & qoidam sororius ejus. Magdeburgensis Archiepiscopus tandem cum lachrimis abjuravit Papam Alexandrum, hoc adjecto, quandiu regalie retioebit, & si omnes qoi aderant, idem jurent. Postmodum b Brunensis & duo Suffraganei ejus juraverunt io idipsum. Duo quoque Nuotii Regis Anglorum * Johanoes & . . . . . . objuraverunt Papam Alexandrum, & in verba sacramenti Coloniensis Electi & in ipsius Imperatoris juraveruot, in persona Regis Domini sui, ipsum quoque juraverunt, ore propio quod ratum habebit, quicquid hoc scripto continetur, qood imperator Fridericus juravit & statuit. Duo vero Episcopi, qui aderant, excusaverunt se per absentiam sui Archiepiscopi, & oon sunt coacti jurare, sed dilatum est eorum & cæterorum, qui aberant, sacramentum usque in octabas Apostolorum Petri & Pauli.

* Moguntinus.

† ejus nominis Tertio.

* al. Moguntinus.

Coloniensis Elector & Archiepiscopus, tamquam Italiæ Archicancellarius in electione & depositione Papæ primum votum habebat.

* Alexandrum III. appellatum.

a for. induerent, donec ipse prius idem.

b al. Babebergensis. for. Bremensis.

* Londoniensis & Oxenefordensis Episcopi.

LITERA HENRICI REGIS AD IMPERATOREM PRO REGNO ET DUCATIBUS IN IMPERII clientelam tradendis.

Serenissimo Friderico Romanorum Imperatori semper Augusto.

HENRICUS Rex Angliæ, Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegavensis. Excellentiæ vestræ, quantas possumus, referimus gratias, Dominantium optimi, quod nos Nuntiis vestris visitare, salutare literis, muneribus prævenire, &, quod his charius amplectimur, pacis & amoris invicem dignata sit fœdera inchoare. Exultavimus, & quodammodo animum nobis crescere, & in majus sensimus evehi, dum vestra promissio, in qua nobis spem dedistis, in disponendis Regni nostri negotiis alacriores nos reddidit atque promptiores. Exultavimus, inquam, & tota mente Magnificentiæ vestræ assurreximus, id vobis sincero cordis effectu respondentes, quod quicquid ad honorem vestrum spectare noverimus, pro posse nostro, effectui mancipare parati sumus. Regnum nostrum, & quicquid ubique nostræ subjicitur ditioni, vobis exponimus, & vestræ committimus potestati, ut ad vestrum nutum omnia disponentur, & in omnibus vestræ fiat voluntas Imperii. Sit igitur inter nos & populos nostros dilectionis & pacis unitas indivisa, commercia tuta, ita tamen ut vobis, qui dignitate præeminetis, imperandi cedat auctoritas, nobis non deerit voluntas obsequendi. Et sicut vestra Serenitatis memoriam vestrorum excitat in nos munerum largitio, sic vos nostri quoque reminisci præoptamus, mittentes quæ pulchriora penes nos erant, & vobis magis placitura. Attendite itaque dantis affectum, non data, & eo animo, quo dantur, excipite. Valete.

Anno Christi 1157.

FRIDERICI I. BARBAROSSÆ IMPERATORIS AUGUSTI EDICTUM

De pace Ecclesiasticorum.

FREDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus, sanctæ N. Ecclesiæ honesto & venerabili Clero universo, & ejusdem Ecclesiæ fidelibus tam Nobilibus quam Liberis & Ministerialibus omnibus gratiam suam & omne bonum.

1. Cum justum & honestum sit, quod omnis, qui principatum administrat, Principatus officia non negligat: ideo nos, quantum longa & gravis occupatio nostra & importuna bellorum tempestas patitur & in quantum illa benignissima auctoris omnium pietas cooperari dignabitur; paci omnium Ecclesiarum provideri cupimus & intendimus. Eas vero, quas nobis devotiores & Imperio ad serviendum promptiores cognoscimus, plus cæteris honorare debemus & volumus. Inde igitur est, quod N. Ecclesiæ, quæ devotum obsequium cum syncera & devota hactenus nobis fidelitate exhibuit, favorabili & sereno nostræ gratiæ amplexamur affectu pro rogatu & voluntate fidelis & dilecti nostri N. Episcopi nostri, maxime cogente nos rigore justitiæ, quæ nulli negande est, vobis & omnibus comprovincialibus vestris hanc Majestatis nostræ dirigimus paginam Imperatoriæ.

2. Itaque Majestatis nostræ auctoritate districti præcipimus, & observari omnibus volumus, ne ullus Comes vel Advocatus, Nobilis vel ministerialis, servus aut liber, Canonicis in domibus & areis claustralibus & Sacerdotalibus, in domibus & areis dotalibus aliquas omnino injurias irrogare præsumat; & ne aliquis ex his, quos prætaxavimus, in prædictis domibus & areis aliquid sibi juris edicat. Si quis autem hujus tam districtæ quam justæ præceptionis nostræ violator extiterit, præsumptuosum ipsum Majestatis Imperatoriæ reum constituimus. Ne autem quis putet, quod in hac tam rationabili quam necessaria pacis Ecclesiasticorum roboratione steterit pro ratione voluntas, & magis præsentia & instantia Domini Episcopi quam justitie voluerit, hoc vobis contestando scribimus quod prædictam sententiam Endericus Merchio de Lusiz in Palatio nostro apud Cremonam, approbantibus Imperii nostri Principibus, edidit.

ACTA

PACIS PUBLICÆ, INTER FRIDERICUM I. IMP. ET ALEXANDRUM PAPAM.

Anno Christi 1176.

Anagniæ cœpta Venetiis & Chiogiæ continuata, sed Venetiis demum publicata ex Archivis Vaticanis.

Tractatio Anagniana.

ANNO Dominicæ Incarnationis MCLXXVI. Fridericus Imperator ad præsentiam Domini Alexandri Papæ misit Vueremundum Magdeburgensem Archiepiscopum Christianum Maguntinum Archiepiscopum, Conradum Wormatiensem Electum, & * R. Protonotarium Regni, majores Imperii Principes, cum potestate plenaria complendæ pacis inter Ecclesiam & Imperium. Qui venientes usque Tibur, nuntiaverunt ipsi Pontifici, residenti apud Anagniam, sui adventus causam, & impetrato securo ducatu, recepti sunt à duobus Cardinalibus & Capitaneis Campaniæ, atque honorifice deducti in civitatem Anagniam: In Crastino cum Pontifex in Consistorio astante Clericorum & Laicorum multitudine, resideret, inde accessurus ad majorem Ecclesiam cum decora societate, intrarunt prædicti Legati in conspectum Pontificis. Stantes autem in medio coram ipso, cum multa reverentia loquentes, dixerunt: Dominus noster Imperator desiderio magno desideravit, & desiderat Romanæ Ecclesiæ & Urbi pacem veram dare. Misit ideo nos cum plenitudine potestatis ad præsentiam vestram, postulans instanter, ut verbum illud & pacis, quod in præterito anno Fratres vestri secum præsentialiter tractaverunt, & usque modo, peccatis ita exigentibus imperfectum remansit; nunc per vos & assensum nostrum, qui in eo fuerit, auctore Domino, compleatur. Notum est enim & indubitatum, quod ab initio nascentis Ecclesiæ omnipotens Deus in orbe terrarum esse voluit, quibus principaliter mundus regatur, Sacerdotalis dignitas, & Regalis potestas, quæ nisi ad invicem concordia fulciantur, pax nullatenus servaretur, & mundus controversiis & bellorum strepitu abundaret. Cesset jam nunc ista odiosa turbatio, & per vos duos Principes orbis pax universis Ecclesiis & Populo Christiano reddatur.

His igitur publice allegatis, benignus Pontifex hilari & placido vultu, cum jucunditate sermonis respondens, ait: De adventu vestro cum jucundis rumoribus valde gaudemus; & exinde omnipotenti Deo gratias agimus. Non est in præsenti sæculo res, quæ in auribus nostris ita dulcescat, quam si Dominus Imperator noster, quem inter alios mundi Principes cognoscimus esse majorem, pacem vobis veram dare, sicut asseritis, velit. Sed si vult integram pacem suam nobis tribuere, & Ecclesiæ Romanæ, oportet ut ampliatoribus nostris, maxime Regi Siciliæ, Lombardis & Imperatori Constantinopolitano, qui nobis contra eum in Ecclesiæ necessitatibus firmiter astiterunt, pariter tribuat.

Legati vero laudantes & approbantes verbum pontificis, dixerunt: in mandatis accepimus à Domino Imperatore, ut secretè vobiscum, & cum Fratribus vestris loquamur quatenus ea, quæ inter nos & vos tractanda fuerint & statuenda, inimicus homo non audiat, sed in secreto conserventur, quousque pacis bonum, præstante Domino, compleatur. Scimus enim, quod in parte vestra & nostra nonnulli sunt, qui pacem non audiunt & hanc discordiam libenter fovent. His itaque auditis, universus conventus discessit, & pontifex cum Fratribus suis, & universis Legatis secretarium Concilii solus intravit. Cœperunt autem de verbo pacis ad invicem tractare diligenter. Sed quoniam res ardua & nimium difficilis videbatur (multi enim nobiles & potentes in schisma graviter capti fuerant; & de quibusdam capitulis inter Ecclesiam & Imperium controversia vertebatur) ultra quindecim dies tractatus illa duravit. In quo spatio sanctissimorum Patrum auctoritates, privilegia Imperatorum, atque antiquæ consuetudines, & aliæ rationes ostensæ fuerunt, & super his est diutius laboratum atque subtiliter disputatum. Tandem, cooperante Spiritus sancti gratia, ita factum est, quod de omnibus capitulis inter Ecclesiam & Imperium, cum sæpedictis Legatis pontifex & Fratres ejus unanimiter concordarent, remanente Lombardorum statu, in quo erat, usque ad eorum colloquium; quoniam in eorum absentia nec debuit, nec potuit quidquam terminari. Et quoniam sine corporali præsentia Imperatoris & Lombardorum pax ista (sicut prædictum est) fieri non debebat, constitutum est, ut Pontifex cum Fratribus suis pro desideratæ pacis bono laboraret corpore proprio, & ad partes Lombardiæ absque longa dilatione festinaret. Interim data est firma securitas ex parte Imperatoris omnibus Ecclesiæ Romanæ personis, & rebus eorum, & terris B. Petri & Siciliæ Regis, cunctisque majoribus usque ad consummationem pacis.

* Guuo-tuuinum.

Anno Christi 1177.

TRACTATIO VENETA

ANtequam Anagnia Pontifex Alexander ad Colloquium Imperatoris exitet, Humbaldum Ostiensem Episcopum & Raiuerium Diaconum Cardinalem S. Georgii ad Imperatoris præsentiam ea occasione præmisit ut securitatem, quem Magdeburgensis Archiepiscopas eum socus suis promiserat, ab eodem Imperetora per exhibitionem juramenti manifeste teciperent. Cuncti eutem per partes Tusciæ in Lombardorum intraverunt terrem & circa Mutinem eundem Imperetorem fatis pacificum invenerunt, qui eos hilari vultu & reverentia suscepit, & honorificentia plurima honoravit. Præsentibus itaque multis Episcopis & Principibus, coram ipsis Legatis Fridericus Imperator Cnnradum filium Marchionis Montisferrati super sancta Evangelia jutare fecit in anime sue eandem securitatem, quam Legati apud Anagniam indubitanter præstiterant, conservate. Insuper ad majorem bonæ voluntatis, quam gerebat de pace, ostentionem, omnes Principes Alemannus, qui secum aderant, aandem securitatem fecit nihilominus per jusjurandum corrubotare.

Anno igitur sui Pontificatus decimu octavu, X. Kal. Aprilis, Indictione X. Pontifex Alexandet cum ingenti honotificentia Venetiesintrevit, occureute sibi duce eum Patriarcha & Episcopis & Nobilibus, cum Clero in navium copiosa multitudine. Eo autem in Palatium Petriarchæ super Rivuelto deducto prædictus Magdeburgensis Episeopus cum Electo Wormaciensi, Protonotarioq; eaccesserunt ad eum, dicentes: Dominus noster Imperator cuncta, quæ inter vus & eum de pace, nobis medientibus tractata sunt & conscripta, paratus est edimplere. Sed in civitate Bononiensi, quam ejus Principes nimis habent suspectam eonvenire nullatenus potest. Unde clementiam ipsi vestrem supplicitet exoramus, quatenus alium locum ipsi & vobis congruum, Ravennam videlicet, vel Venetias eligere satagatis. Quibus beatus Pontifex constanter sine mora respondit: Diu est, quod mediantibus Fratribus nostris Humbaldo Ostiensi Episcopo, & Raineriu Diacono Cardinali, eum Lombardis Imperator convenit, ut ipse in Imola, & nos in Bononia debeamus pariter convenire. Ideo nos ebsque Lombardis, & consilio Fratrum nostrorum, qui eirca partes Boniæ nostrum præstolautur adventum, locum ipsum mutare non possumus necdebemus. Si ergo minime displicet, quod prius sibi sponte consensit; sibi debet, nou nobis, talem eonditionem sæpe positam imputare. Verumtamen, ut inceptum bonum pacis ed desideratam consummationem celerius valeat, operante Domino pervenire: nos usque Ferrariam sine mora venire studebimus, quetenus ibi cum Fratribus nostris & Rectoribus Lombardiæ delibetare, & eligere plenarie possimus. quod pro utraque parte congruentius fuerit faciendum. Quod verbum quia Legatis bene cumplaeuit, per litteras Apostolicas universis Episcopis & rectoribus civitatum Lombardiæ mandavit, ut in Dominica die Passionis ed ejus præsentiam in ipse civitate, Deo favente, conveniant.

Exivit ergo Veneiis & per fauces Padi escendens, venit in civitatem Ferrariam. In sequenti veru die principales personæ, quæ infarius ennotantur, eh utraque parte ad præsentiam Pontificis eonvenerunt. Ex parte Lombardorum, Aquilejensis Patriarcha, Ravennatensis & Mediolanensis Archiepiscopi, & eorum comprovinciales Episcopi, Rectores Civitatum cum Marchionibus & Comitibus; Salernitanus quoque Archiepiscopus cum Rugerio Hadriensi Cumite: sed ex Imperatoris parte, Moguntinus, Coloniensis, Trevirensis, Bisuntinus Archiepiscopi, cum aliquibus Suffraganeis Episcopis, Electoque Wormatiensi, & Protonotario. Quibus ad invicem congregatis, de loco, ubi Papa secure posset eum Imperetore præsentialiter convenire, cum non modica inter partes altercatio existeret, Lombardis petentibus Bononiam, vel Placentiam, ent Ferrariam, sive Peduam, Imperatoris autem Principibus Papiam, aut Ravennem eut Venetias eligentibus; pontifex cum Nuntus Regis Siciliæ Venetias in hunc modum elegit: Ut si Dux eum populo Veneto juratoriam cautionem præstaret, quod antequam pax firmiter confirmata esset, sine consensu Papæ Imperatorem intrare Venetias nullatenus permitterent, & venientes illuc, sive redeuntes nullo modo impedirent: tunc pars utraque ad locum ipsum accederet; quod ed verbum pontificis factum est.

Exivit ergo Alexender Papa Ferraria cum Episcopis & Cardinalibus, VII. Idus Meji, & sine mora Venetias remeavit, cujus vestigie partes utræque celeriter sunt subsecutæ. Constitutis itaque Principibus & Lombardis in conspectu Principis de reconciliatione pacis inter alterutros tractare cœperunt. Sed quie de feudis maxima inter ens controversia vertebatur, & pax Ecclesiæ absque illorum pace, quia cum Ecclesie contra Imperium firmiter fieri non debebat, tractatus ipse multis intervenientibus induciis, usque ad Apostolorum Petri & Pauli octavas processit.

Ea igitur die pax Ecclesiæ in ea forme, quæ de consensu partium ordinata fuerat, & scriptu firmata de consensu principum, qui præsentes aderent, Imperatoris essensu est roborata. Pax quoque Siciliæ Regis proximis Kalendis Augusti usque ad quindecim annos eodem modo approbata est. Super quibus Chartæ hinc inde concorditer factæ, & à singulis partibus in bona voluntate receptæ sunt. Quibus ita peractis, ad instantiam Principum Imperatori licentiam dedit Pontifex

tifex veniendi usque Chiogiam, quatenus in loco ipso à Pontifice parum distante, constitutis in ejus præsentia Cardinalibus illis & Principibus, qui cursum pacis & treguarum fere jam consummaverant, cum ipsa Imperiali auctoritate, Domino cooperante, plenum sortiretur effectum, & immutabile firmamentum.

TRACTATIO
CHIOGIANA.

VEnit ergo illuc Imperator, & ad ejus præsentiam Cardinales & Principes pariter convenerunt, omnia, quæ de pacis bono ejus consensu fuerant ibidem concorditer transacta, ostendentes. Auditis itaque omnibus, quæ gesta fuerant, & plenariè intellectis, licet ab his, qui pacem oderant, valde turbatus fuerit & commotus, quatenus Principes in facie ipsi restiterint: omnia tandem, sicut in præsentia Pontificis gesta fuerant & conscripta, rata habuit, & ea confirmare sponte promisit. Tunc factum est, quod & in audientia eorundem Cardinalium & Principum, Diedoni Comiti filio * Conradi Marchionis præcepit, ut in anima sua coram Domino Papa, Nuntiis Regis Siciliæ, & Lombardis publice juraret, in hunc qui sequitur modum. * al. Alberti Marchionis.

Ego Comes Diedo juro, quod Dominus Imperator mandavit mihi, ut in anima sua jurarem juramentum, quod nunc facturus sum. Et postquam mandavit, non revocavit mandatum. Et ego ex eodem Imperatoris mandato juro in anima sua, quod ex quo venerit Venetias, omni quæstione & contradictione semota, faciet jurare in anima sua, quod pacem Ecclesiæ, sicut disposita est per mediatores ex scripto, & pacem Regis Siciliæ usque ad quindecim annos, sicut scriptum est, & treguam Lombardorum usque ad septem annos, sicuti est per mediatores utriusque partis dispositum in scripto, quod & apud eosdem mediatores continetur, bona fide servabit, & Principes suos hoc ipsum jurare faciet.

Simili modo præcepit Sigilboth Camerario suo in hunc modum jurare: Ego Sigilboth juro, quod ex quo Dominus Imperator venerit Venetias, juramentum ipsum pacis Ecclesiæ, & Regis Siciliæ, & treguæ Lombardorum faciet præstari in anima sua, & Principes suos similiter jurare faciet.

TRACTATIO
VENETA.

HIs ita hunc modo completis, Pontifex Ducem & populum Venetum à juramento, quo tenebantur, absolvit, & ut Dominum Imperatorem honorifice Venetias ducerent, eis præcepit.

Altera die, in Vigilia S. Jacobi, summo mane Pontifex misit ad Imperatoris præsentiam Humbaldum Ostiensem, & Willelmum Portuensem Episcopos, & Joannem tituli S. Anastasiæ, & Theodinum tituli S. Vitalis, & Petrum tituli S. Susannæ, Presbyteros Cardinales, & Hyacinthum Diaconum Cardinalem S. Mariæ in Cosmedni. Qui ad eum venientes, postquam Imperator renuntiavit schisma Octaviani, Guidonis Cremensis, & Joannis de Strumа, post promissam quoque obedientiam Venerabili Patri Domino Alexandro tamquam Catholico Pontifici, ejusque successoribus canonice intrantibus; ipsum a sententia excommunicationis pariter absolverunt, & Catholicæ unitati aggregarunt. Idemque factum est de majoribus ipsius Principibus, qui eodem vinculo tenebantur, juxta priscum Ecclesiæ morem.

ALEXANDRI PAPÆ EDICTUM
DE RECONCILIATIONE CUM
Imperatore.

ALexander Episcopus servus servorum Dei &c. Exigunt gratissimæ devotionis obsequia, quæ nobis & Ecclesiæ iam devote quam laudabiliter exhibuisse noscimini, ut felices successus Ecclesiæ vobis, sicut specialibus & devotis Ecclesiæ filiis spiritualibus describamus, eum dignum sit & conveniens & honestum, ut quos ita habuimus in nostra devotione firmos & stabiles, de prosperitate nostra & ipsius Ecclesiæ reddamus hilares & gaudentes. Agite itaque una nobiscum gratias omnipotenti Deo, qui habitat in altissimis, & humilia respicit de supernis, de cujus munere venit, ut sponsa sua sacrosancta Ecclesia diu & graviter procellosis fluctibus, & validissima tempestate quassata, nunc tandem portum salutis attigerit: & pacatis sævientibus procellis, debita & desiderata tranquillitate lætetur. Sane duodecimo Kalend. instantis mensis Augusti, de mandato Charissimi in Christo filii nostri Friderici Illustris Romanorum Imperatoris, filius Marchionis* Alberti, vir nobilis, magnus & potens, & Camerarius Ipsius Imperatoris, præsentib. Principib. Ecclesiasticis, & etiam Sæcularibus, Teutonici Regni, publice in anima ejus in præsentia nostra coram innumerosa hominum multitudine præstiterunt, tactis sacrosanctis Evangeliis, juramentum, quod postquam idem Imperator veniret Venetias, * Brandeburgensis.

omni

omni quæstione & contradictione sopita, pacem Ecclesiæ, sicut per Fratres nostros & Principes suos disposita est & tractata, & pacem charissimi in Christo filii nostri Willelmi Illustris Siciliæ Regis usq; ad quindecim annos, & treugam Loogobardorum usque ad septem annos, in anima sua, & etiam à Principibus suis faceret, sicut in scripto pacis & treguæ continetur, juramento firmari, & Principes Teutonici Regni, scilicet Venerabiles fratres nostri, Magdeburgensis, Coloniensis, & Christianus dictus Moguntinus, Archiepiscopi, & quidam alii in anima sua pro se jurare fecerunt. Nono verò Kalend. Augusti, prælatus Imperator, sicut tractatum fuerat & dispositum, venit ad Ecclesiam B. Nicolai, quæ per unum milliare distat à Venetiis, & ibi tam ipse quam Archiepiscopi, Episcopi, & alii Principes Teutonici Regni abrenunciantes schismati, per Fratres nostros Episcopos, & Cardinales de mandato nostro, præsentibus quibusdam aliis, absolutionis beneficium meruerunt. Deinde venerunt Venetias, & ibi ante Ecclesiam B Marci prædictus Imperator, innumera multitudine virorum & mulierum præsente, alta voce reddente gratias & laudes Altissimo, nobis sicut Summo Pontifici obedientiam & reverentiam humiliter & reverenter exhibuit, & recepto à nobis pacis osculo, nos devote dextravit, & cum reverentia qua decuit & devotione, usque ad altare in Ecclesiam introduxit. Sequenti vero die, in festo B Jacobi, ab eodem Imperatore rogati, ad prædictam Ecclesiam S. Marci solemnia celebraturi Missarum accessimus: & nobis illuc venientibus præfatus Imperator extra Ecclesiam obviam venit, & dextero latere nostro devote suscepto, nos in Ecclesiam introduxit: & peractis Missarum solemniis, nos usque ad ipsius Ecclesiæ portam dextravit: & cum ascenderemus palafredum nostrum ibi paratum, stapham tenuit, & omnem honorem & reverentiam nobis exhibuit, quam prædecessores ejus nostris consueverunt antecessoribus exhibere. Erit itaque sollicitudinis vestræ, nobis & Ecclesiæ in prosperis successibus congaudere, & effectum pacis aliis devotis Ecclesiæ filiis aperire, ut hi, quos zelus domus Domini tangit, de pacis munere divinitus dato in Domino gaudeant & exultent. Data Venetiis in Rivoalto, septimo Kalend. Augusti.

Kalendis mensis Augusti, convocatis Notariis, & universis Lombardorum Rectoribus, Pontifex & Imperator in Consistorium pariter intraverunt. Tunc Imperator coram Pontifice cum omni auditorio, præcepit Comiti Henrico † de Res . . . . qualiter in anima sua ipsius Imperatoris juraret, quod pacem Ecclesiæ & Imperii & pacem Regis Siciliæ usque ad quindecim annos, sicut etiam per mediatores utriusque partis dispositum & descriptum fuerat, bona fide servabit. Præsentibus quoque Principibus nihilominus jussit ad eamdem pacem & treguam ut pariter jurarent, quod bona fide servarent. Comes . . . . mox & ipse juravit super sancta Dei Evangelia. Juraverunt & sequentes Principes hoc modo.

† apud Romualdum Archiepisc. Salernitanum qui huic tractatui interfuit, vocatur, Henricus de Diesa, apud Sigon Sedens.

Ego Christianus Moguntinus,
Ego Philippus Coloniensis,
Ego Weremundus Magdeburgensis,
Ego Bertoldus Trevirensis, } Archiepiscopi.

Ego P. * Pictaviensis.
Ego Conradus Flectus Wormatiensis.
Ego R. Imperiali auctoritate Protonotarius.
Ego C. Mantuanus Episcopus.
Ego Gotifridus Cancellarius.
Ego Diedo Comes.

* f. Patavienfis.

Juramus in manibus vestris super hæc sancta Dei Evangelia, quod pacem Ecclesiæ & Imperii, & pacem Regis Siciliæ usque ad quindecim annos, & treguam Lombardorum usque ad septem annos, sicut statutum est & scriptum per mediatores utriusque partis, bona fida servabimus & absque fraude. Sic Deus nos adiuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Ex parta vero Siciliæ Regis eodem modo juravit Romualdus Salernitanus Archiepiscopus, & Rogerius Comes * Andriensis.

* l. Hadriensis.

Ex parte vero Lombardorum jurarunt, qui præsentes erant, Civitatum Rectores, præter Cremonam Terdonam, quæ relicto civitatum fœdere ad Imperatorem desciverant: De Mediolano, Gerardus de Piscis Judex: Rogerius & Marcellinus Consules.

De Placentia, Willelmus Letatorius.
De Brixia, Albertus de Gambara.
De Bergamo, Alberatus.
De Verona, Caciua Consul.
De Parma, Vetulus.
De Regio, Antemanus.
De Bononia, Picamontes Potestas eorum.
De Novaria, Willelmus Guelini.
De Alexandria, Hubertus de Foro.
De Padua, Tesfalanus Potestas.
De Veneria, Gozelinus.

Abso-

Absoluto autem Imperatore, sequaces quoque ejus intrusi, & schismatici ad sinum matris Ecclesiæ catervatim confluentes, absolvi humiliter postulantes, refutarunt & anathematizarunt, ebinkantes super sancta Evangelia omnem hæresim, extollentem se adversus sacrosanctam Romanam Ecclesiam, & præcipue schisma, hæresim & factionem Octaviani, & Guidonis Cremensis, & Joannis de Struma: eorumque ordinationes irritas esse pronuntiantes, fidelitatem quoque & obedientiam Domino suo Papæ Alexandro, ejusque successoribus Catholicis promittentes, reconciliati sunt, & unitati Ecclesiæ aggregati. De quorum numero famosiores Archiepiscopi, Episcopi & Abbates Imperiales,

Principum Imperii Ecclesiasticorum absolutio.

Christianus Moguntinus,
Philippus Coloniensis,
Weremundus Magdeburgensis,
Bertholdus Trevirensis,
N. Bisuntinus,
} Archiepiscopi.

P. Pataviensis,
Conradus Electus Wormatiensis,
Augustanus,
Massiliensis,
Argentinus,
Halberstadensis,
Papiensis,
Placentinus,
Brixiensis,
Novariensis,
Aquensis,
Mantuanus,
Balneo Regiensis,
Pisaurensis,
Feventinensis,
} Episcopi.

Guido Cremensis promotus in Levitam,
Wilhelmus Cluniacensis Abbas,
Abbas sancti Georgii in Velo eureo.
Abbas sancti Salvatoris, & aliorum multitudo innumerosa.

Decimo sexto Kalendas Septembris in Ecclesia S. Marci Alexander Papa cum Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Ecclesiarum Prælatis, Italis & Alemannis, Synodum celebravit, in qua juxta eum Imperator resedit. Ubi pacem inter Ecclesiam & Imperium, & pacem Imperatoris cum Siciliæ Rege, & treguas Lombardorum, sicut superius est ordinatum, communi assensione roborata fuit atque firmata, Sed ad majorem ipsius soliditatem, Pontifex in hunc modum excommunicationis sententiam protulit. Ut quicumque pacem ipsam, vel treguas infringeret, nisi requisitus infra quadraginta dies, & commonitus satisfaceret, eamdem excommunicationem incurreret. In schismaticos vero, qui nondum resipuerant, quousque satisfecerint, anathematis sententiam innovavit.

FRIDERICI IMPERATORIS CONFIRMATIO PAGIS,

REverendo in Christo Patri, Domino Papæ Alexandro, sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo & universali Pontifici, Fridericus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, debitam obedientiam & filialis devotionis affectum. Cum Imperatoria et Regia Majestas ad hoc in terris ordinata sit, ut per ejus, operam totus orbis pacis gaudeat incremento: nos, quos Deus in solio Imperii Romani constituit, eam diligenter amplecti, & ferventius conservare debemus ac volumus. Inde est, quod pacem Ecclesiæ & Imperii secundum quod à Principibus nostris & Cardinalibus Romanæ Ecclesiæ disposita est & ordinata, & in scripto Principum nostrorum sigillis signata continetur, sicut per interpositam personam jurare fecimus, sic præsenti scripto nos observare promittimus, & confirmamus, & ratum in posterum permanere volumus, & sic deinceps firmiter observabimus, & faciemus, quatenus in nobis fuerit, Deo propitio, observari. Datum apud Venetias in palatio Ducis, decimo quinto Kalendas Octobris, Indictione decima.

PRINCI-

PRINCIPUM IMPERII CONFIRMATIO.*

DOmino suo ac Patri Venerando, Alexandro Dei gratia sanctæ Romanæ Sedis & Catholicæ Ecclesiæ summo Pontifici atque universali Papæ, Christianus Moguntinus Archiepiscopus, Ph. Coloniensis Archiepiscopus, V. Magdeburgensis Archiepiscopus, Arnoldus Trevirensis Archiepiscopus, Conradus Wormatiensis Electus, Gaufredus Cancellarius, Wermundus Protonotarius, F. Comes Holandiæ, F. Marchio de † Lucis, & frater ejus, Diedo Comes de * Diersa, & R. Comes de Diuna, filialis devotionis obsequium cum debita obedientia & devotione. Quot commoda, quæ ex confirmata pace Ecclesiæ & Imperii utilia toti mundo provenerint, ipsa innumerabilia mala, quæ exinde acciderunt, manifestè ostendunt. Sicut enim ab utriusque concordia provinciæ orbis terrarum ad salutem & tranquillitatem reguntur. Ita sub eorum divisione à propria status rectitudine distrahebantur. Gaudeat itaque tellus tam desiderabilis roris visitatione respersa, tam gratiosæ pluviæ inundatione fecunda, per quam fideles populi ariditatis sitim depellant, & omnia jurgiorum scandala, & scandalorum incendia suffocentur. Nos ergo, Pater Sanctissime, de tanto concordiæ fructu lætantes, ipsam sacratissimæ Ecclesiæ & Imperii pacem, sicut ab utriusque partis mediatoribus est disposita, & in commune scriptum redacta, & Illustris Regis Siciliæ usque ad quindecim annos, & treguam Lombardorum à proxime præteritis Kalendis Augusti usque ad septem annos, sicut à mediatoribus est ordinata, & nostris juramentis firmata, & in scriptum commune redacta, nostri consensus studio & vigore confirmamus, & ratam atque inconcussam tenemus: & ut sic observetur, operam dabimus. Et ut hæc nostræ confirmationis pagina subsecuturis temporibus firma atque illibata permaneat, eam proprius subscriptionibus communiri, & sigillorum nostrorum fecimus appensione insigniri.

† f. Lusitz. * al. Diessa. al. Dietza.

Ego Christianus Archiepiscopus Moguntinus subscr. †
Ego Philippus Coloniensis Archiepiscopus & Italiæ Archicancellarius subscr. †
Ego Wetemundus Archiepiscopus Magdeburgensis subscr. †
Ego Arnoldus Archiepiscopus Trevirensis subscr. †
Ego Conradus Wormatiensis Electus Episcopus subscr. †
Ego Gaufredus Imperialis Cancellarius subscr. †
Ego Weremundus Imperiali auctoritate Protonotarius subscr. †
Ego Florentius Comes Holandiæ subscr. †
Ego Theodoricus Marchio de Lusicz subscr. †
Ego Henricus Comes de Diersa subscr. †
Ego Diedo Comes de Groyx subscr. †
Ego Robertus Comes de Diuoa subscr. †

Rebus sic peractis, Imperator Venetiis recessurus, ut à Summo Pontifice licentiam acciperet, accessit ad eum in palatium Patriarchæ. Sed omnino exclusis cæteris, cum solis Episcopis & Cardinalibus ac suis Principibus de his, quæ ad pacis complementum restabant, cum eodem Papa colloquium habuit. Tunc Pontifex ab Imperatore petivit, ut Regalia S. Petri, & possessiones S. R. E. sicut per mediatores Cardinales & Principes apud Anagniam constitutum fuerat & firmatum, sibi restitui faceret. Cui respondens Imperator dixit: Regalia S. Petri, & possessiones alias Romanæ Ecclesiæ, præter terram Comitissæ Mathildis, & Comitatum Bertinorum, libere ad præsens restituam. Sed quia ista mihi videntur ad Imperii jus pertinere, vos eligite de vestris Cardinalibus tres, & nos de nostris Principibus totidem eligemus, ad ista tractanda, quorum judicio pars utraque irrefragabiliter stare debeat. Quod licet Pontifici grave nimis & durum fuerit, quoniam & in forma Pacis de restituenda terra Comitissæ Mathildis expressum fuerat & juratum, & tunc ipse castrum Bertinorum ex traditione C. Comitis possidebat: ne tamen occasione ista Ecclesiæ pax turbaretur, voluntati ejus tandem assensum præbuit. Statimque Christianum Moguntinum Archiepiscopum, & Wormatiensem Electum, & A. Protonotarium, qui præsentes aderant, ad id faciendum delegit Imperator: & Alexander Papa suos, videlicet Ostiensem & Portuensem Episcopos, & Cynthium Diaconum Cardinalem elegit.

Pro restituendis verò prædictis Regalibus, & cæteris Ecclesiæ possessionibus, ilico eundem Moguntinum assignavit Pontifici, præcipiens ei sub obtentu gratiæ suæ, ut restitutionem ipsam infra tres menses cum integritate perficeret.

DIPLOMA PACIS INTER IMPERATOREM ET REGEM
Siciliæ Willelmum.

NOs FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, & HENRICUS Rex filius noſter, interventu venerabilis Patris noſtri, Alexandri Dei gratia Summi Pontificis, & Fratrum ſuorum Cardinalium, pro parte noſtra & hæredum noſtrorum paciſcimur vobiſcum Domine Willelme, eadem gratia Illuſtris Rex Siciliæ, quod amodo usque ad quindecim annos obſervabimus vobis & hæredibus veſtris & univerſo Regno veſtro, & toti terræ dominationis veſtræ veram & firmam pacem. Et quod per nos, vel per quoslibet alios mari vel terra vos prædictum Illuſtrem Regem & hæredes veſtros, aut Regnum veſtrum, & terram dominationis veſtræ, ſicut præſcriptum & determinatum eſt, usque ad quindecim annos non invademus, nec invadi faciemus, nec vobis aut regno veſtro, & jam dictæ terræ dominationis veſtræ guerram aliquo modo faciemus. Et ut hæc omnia ſoprascripta firmiter & illibata nobis ſupradicto FRIDERICO Dei gratia Romanorum Imperatori & ſemper Auguſto, & HENRICO filio noſtro Rege, & hæredibus noſtris, tam vobis ſupradicto Illuſtri Regi Willelmo, quam hæredibus veſtris, & Regno veſtro, & toti terræ dominationis veſtræ attendantur & obſerventur: Nos prædictus Imperator bona fide, ſine fraude & malo ingenio, in præſentia beatiſſimi Patris noſtri Papæ Alexandri & Cardinalium, & Legatorum veſtrorum Romualdi venerabilis Salernitani Archiepiſcopi, & Rogerii egregii Comitis * Andriæ; & Principum ac fidelium noſtrorum, à Comite Henrico de Dieſſa in anima noſtra, ſuper ſancta Dei Evangelia, & Sanctorum reliquias jurare fecimus, & HENRICUM filium noſtrum per interpoſitam dignam perſonam in anima ſua id ipſum jurare faciemus usque ad medium futurum Septembrem Indictionis undecimæ. Et principes noſtros idem jurare fecimus, videlicet * Hadriæ.

Moguntinum Archiepiſcopum Christianum,
† Arnoldum Trevirenſem Archiepiſcopum, † al. Bertoldum.
Conradum Wormatienſem Electum,
Gotifridum Imperialis Aulæ Cancellarium,
Guoruvinum Protonotarium,
Marchionem Theodoricum de * Suſiæ, * al. Luſiæ
Florentium Comitem Holandiæ,
Comitem Diedonem de Groyx
Comitem Henricum de Dieſſa,
Comitem Robertum de Diuna.

Ad hujus autem pacti promiſſionis & juramenti noſtri & Principum noſtrorum memoriam, & inviolabile firmamentum, præſens privilegium noſtrum per manus * Wortuvini Protonotarii noſtri ſcribi fecimus & Imperiali ſigillo noſtro aureo ſigillatum, & prædictorum Principum juramento communitum, vobis ſupraſcripto Illuſtri Regi Willelmo fecimus aſſignari. Anno Dominicæ Incarnationis milleſimo centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, menſe Auguſti, decima Indictione. * al. Wermundus, al. Guaruvinus.

DIPLOMA PACIS INTER IMPERATOREM ET ORDINES
Italiæ.

NOs FRIDERICUS Imperator, interventu venerabilis Patris D. Alexandri Pontificis, & fratrum ejus Cardinalium, promittimus Lombardis, Marchianis, & Romaniolis & reliquis de ſocietate ipſorum, vaſallis noſtris, & iis qui debent eſſe vaſalli noſtri, nos pro fidelitate nobis non præſtita, vel opera non navata, vel inveſtitura non petita, quamdiu induciæ manebunt, neminem de ſocietate judicaturum, aut judicari juſſurum, nec feudum alicui ädempturum.

Actum Parmæ.

LEGES

LEGES

An Christi 1176.

PACIS PACTÆ INTER IMPERATOREM ET PAPAM, STATUTÆ IN ANAGNIA, PROUT ETIAM NUNC ANAGNIÆ CONSERVANTUR.

FRIDERICUS Imperator Alexandrum Pontificem in Catholicum & Universalem Pontificem recipiet, ac debitam ei reverentiam adhibebit, perinde ac Catholici ipsius antecessores Catholicis ejus antecessoribus præstiterunt, eademque successoribus ejus Catholice ineuntibus exhibebit.

2. Reddet veram pacem Alexandro, & omnibus successoribus ejus, & universæ Romanæ Ecclesiæ.

3. Quæcumque possidet, aut tenet, sive Præfecturam, sive rem aliam, quam Romana Ecclesia habuit, & ipse vel per se vel per alios abstulit, bona fide restituet, salvo omni jure Romanæ Ecclesiæ. Quasque possessiones restituet, ad eas etiam retinendas auxilio erit.

4. Imperator & Pontifex ad honorem & jura Ecclesiæ atque Imperii conservanda se invicem adiuvabunt: Pontifex ut benignus pater devotum & carissimum filium & Imperatorem Christianissimum: Imperator, ut devotus filius & Christianissimus Imperator dilectum reverendum patrem & B. Petri Vicarium.

5. Quæ à tempore schismatis, vel occasione ipsius, aut sine ordine judiciario Ecclesiasticis ab Imperatore vel suis erepta sunt, eis restituentur.

6. Beatrix Imperatrix recipiet Alexandrum Pontificem in Catholicum & venerabilem Pontificem. HENRICUS Rex, filius eorum, similiter recipiet eum, atque ei & Catholicis successoribus ejus debitam reverentiam adhibebit, & Sacramento eodem se obstringet, quo se Imperator obstrinxerit.

7. FRIDERICUS Imperator, & HENRICUS Rex filius ejus, pacem veram reddent Gulielmo Regi Siciliæ ad annos quindecim, sicut per sequestres pacis est constitutum.

8. Imperatori Constantinopolitano, & adjutoribus Ecclesiæ Romanæ, pacem reddent, nec mali quidquam referent per se vel per suos pro opera Ecclesiæ Romanæ impensa.

9. De controversiis, quæ ante tempora Hadriani Pontificis inter Ecclesiam & Imperium versabantur, sequestres ex parte Pontificis & imperatoris constituent, quibus mandabitur, ut eas pro arbitrio transigant. Quod si illi non consenserint, judicio stabitur Pontificis & Imperatoris, vel eorum, quos ipsi delegaverint.

10. Christiano Cancellario Moguntinus Archiepiscopatus, Philippo Coloniensis concedetur, & plenissimo jure firmabitur.

11. Primus Archiepiscopatus, qui in Teutonico Regno vacaverit, Conrado auctoritate Pontificis & auxilio Imperatoris deferetur, qui idoneus videatur.

12. Ei, qui se Calistum appellat, Abbatia tribuetur. Illi, qui dicuntur ejus Cardinales, loca repetent, quæ primum habuerunt, nisi ea sponte & judicio dimiserant, & in Ordinibus, quos ante schisma habuerant, relinquentur.

13. Geto nunc dictus Alberstatensis deponetur, & Ulricus restituetur.

14. Alienationes à Getone factæ, & beneficia data similiter, & ab omnibus intrusis, auctoritate Pontificis & imperatoris delebuntur, & suis Ecclesiis restituentur.

15. De electione Brandeburgensis Episcopi, qui in Bremensem Archiepiscopatum lectus fuerat, cognoscetur: &, si rite factum fuerit, ad eam Ecclesiam traducetur. Et quæcumque ab Aldevino, qui nunc præest Bremensi Ecclesiæ, alienata sunt, prout rite factum visum fuerit, eidem Ecclesiæ restituentur.

16. Quæ Salisburgensi Ecclesiæ tempore schismatis adempta sunt, ei plene reddentur.

17. Omnes Clerici ex Italia, aut aliis regionibus, quæ sunt extra Teutonicum Regnum, dispositioni & judicio Alexandri Pontificis & successorum ejus relinquentur, Si verò imperator rogarit pro Ordinibus aliquorum, usque ad decem vel duodecim, exaudietur.

18. Garsidonius Mantuanus Episcopatui quondam suo restituetur, Ita ut ille, qui nunc est Episcopus Mantuanus, ad Episcopatum Tridentinum traducatur: nisi forte inter Pontificem & imperatorem convenerit, ut alius ei Episcopatus indulgeatur,

19. Archiepiscopus de Sauo in Archipresbyteratum quondam suum, & alia beneficia, quæ ante schisma habuit, restituetur,

20. Omnes

20. Omnes ordinati à quondam Catholicis in Teutonico Regno restituentur Ordinibus suis ita percaptis.

21. De Argentinensi & Basiliensi dictis Episcopis, qui ordinati fuerunt à Vidone Cremensi, in eodem Regno prædicti sequestres rem committent decem vel octo hominibus, quos ipsi elegerint, qui jora jurando affirmabunt, sa illud consilium Pontifici atque Imperatori daturos, quod se juste dara possa sinc animæ suæ atqua ipsorum detrimeoto statuerint; & Pontifex atque Imperator eorum consilio obtemperabit.

22. Pootifax & omnes Cardinales recipient Beatricem uxorem Friderici Imperatoris in Catholicam & Romanam Imperatricem, eamque aut Alexander Pontifax, aut Legatus ejus coronabit: & Henricum filium eorum in Catholicum & Romanum Regem.

23. Pontifex & Cardinalas pacem reddent Friderico Imperatori, & Beatrici Imperatrici, & Henrico Regi, filio eorum & omnibus adjutoribus aorum Pontifex, & omoes Cardinales promirient, se obsarvaturos hanc pacem in varbo varitatis, & privilegium condant subscriptione omnium Cardinalium, & Cardinales scripium prædictæ confirmationis condent sigillis suis appositis.

24. Pontifex subito advocato Concilio, pront subito advocari potuerit, cum Cardinalibus, Episcopis & aliis raligiosis hominibus, qui interfuerint, axcommunicationem statuet in omnes, qui hanc pacem violara voluerint, deinde in ganerali Concilio.

25. Plariqua Nobilum Romanorum, & Capitaneorum Campaniæ hanc pacem firmabunt.

26. Imperator pacam cum Ecclesia, & pacem cum Rege Siciliæ ad quindecim anoos, & inducias cum Lombardis à proximis Kalendis Augusti usque ad sax annos firmabit jurejuraodo suo, Principumque suorum, mandabitque Lombardos, qui in parte sua sunt, prout in tabulis induciarum communibus ast descriptum, eas inducias confirmare. Si quis vero ex parte Imperatoris has inducias jurare noluerit, Imparator præcipiet omnibus, qui in parte sua sunt, pro officio fidalitatis & gratiæ suæ, ut nullum præstent auxilium. & volantibus offendere, ne impedimento sint. Si quis offenderit, culpa vacuus sit. Nec mandatum hoc ravocabit Imperator, donec induciæ stabunt.

27. Henricus Rex, filius ejus, pacem cum Ecclesia & cum Rege Siciliæ ad quindecim annos, & inducias cum Lombardis ad sexennium scripto coofirmabit, ac sui principumque suorum subsctiptione.

28. Si vero, quod absit, Pontifex præmoriatur, Fridericus Imperator, & Henricus Rex filius ejus. hanc formam pacis & compositionis finniter obsarvabunt succassoribus ejus & universis Cardinalibus, & toti Romanæ Ecclesiæ, & Regi Siciliæ, & Lombardis, & cæteris qui secum santiunt. Et si, quod absit, Imparator præmoriatur, Pontifex, & Cardinales, & Ecclesia Romana prædictam pacem firmiter observabunt soccessori ejus, & Beatrici uxori, & Henrico filio ejus, & omnibus ex Teutonico Regno, & cæteris adjutoribus eorum, & successores Pontificis similiter observabunt.

PACTA INDUCIARUM
INTER
IMPERATOREM ET PRINCIPES AC CIVITATES IMPERIALES ITALIÆ, QUORUM TABULÆ ADHUC IN
tabulario Bononiensium exstant.

PRidie Kaland. Septembris, MCLXXVI. inter Imperatorem Fridericum, & partem ejus Cremonam, Papiam, Genuam, Derthonam. Comum, Hastam, Abam, Aquas, Taurinum, Eporoediam, Albintimilium, Savonam, Albingauoum, Casale Sancti Evasii, Montemuellii, Imolam, Faventiam, Ravennam, Forum Livii, Forum Popilii, Cæseuam, Ariminum, Castrocarum; Marchionem Montisferrati; Comites Blanderati, Vasti; Marchiooes Boschi; Comites Laumelli: & ab altera part a societatem Lombardorum, nempa Venetias, Tarvisium, Patavium, Vicentiam, Veronam, Brixiam, Farrariam, Mantuam, Bergomum, Laudem, Mediolanum, Novariam, Vercellas, Alaxandriam. Casinum, Belmontem, Placeotiam, Bobium; Marchionem Malamspinam; Parmam, Regium, Mutinam, Bononiam, Sancassinenses, Ducianos, & cætera loca societatis Lombardiæ, Marchiæ, Romaniæ, induciæ constitutæ sunt à Kalend. Augusti usque ad annos sex. Jurabit Imperator & filius, & singuli in suis civitatibus se has inducias observaturos, nec offensuros Cremonenses aut Papienses, aut alios ex parte Imperatoris. Idem jurabunt Consules & Credentiæ civitatum fœderatarum; aut homines quinquaginta. ubi non erunt Credentiæ; aut Prætores, ubi non erunt Consules. Et si offensio inciderit, eam emendaturos. Impetator autem jurabit, se per sex annos neminem sacramentum fidelitatis apud se dicere coacturum,

Anno Christi 1152.

FRIDERICI I. IMPERATORIS AUGUSTI

MANDATUM DIFFIDATORIUM,

Ad Saladinum pro restitutione Terræ sanctæ.

FRidericus Romanorum Imperator semper Augustus, & hostium Imperii magnificus triumphator, Saladino Præsidi Sarracenorum quondam illustri exemplo Pharaonis fugere Israelem.

Devotionis tuæ litteras multis retro temporibus ad nos destinatas super arduis negotiis, tibi quidem, si fides verbis suffuisset, profutoris (prout Majestatis nostræ decuit Magnificentiam) suscepimus, & epistolarum nostrarum alloquiis magnificentiæ tuæ consulere dignum duximus. Nunc vero quia Terram sanctam profanasti, cui æterni Regis imperamus Imperio: in tanti sceleris præsumptuosam & plectibilem ac ausibilem audaciam debita animadversione decernere, imperialis officii sollicitudo nos admonet. Quamobrem, nisi occupatam terram Judææ, Samariæ & Palæstinorum ante omnia restitutas, adjuncta satisfactione sacris constitutionibus pro tam nefariis excessibus taxata, ne minime legitimum videamur quatere bellum, à capite Kalendarum Novembrium, anno Incarnationis Dominicæ millesimo centesimo octogesimooctavo, revoluto anni spatio, terminum tibi præfigimus ad experiendam belli fortunam in campo Taneos in virtute vivificæ Crucis, & in nomine veri Joseph. Vix enim credere possumus hoc te latere, quod ex scripturis veterum, & historiis antiquis nostri temporis factum redolet. Numquid scire dissimulas, ambas Æthiopias, Mauritaniam, Persiam, Syriam, Parthiam, ubi M. Crassi nostri Dictatoris fata sunt præmaturata, Judæam, Samariam maritimam, Arabiam, Chaldæam, ipsam quoque Ægyptum, ubi (proh dolor) civis Romanus Antonius vir insigni virtute præditus citra nitorem temperantiæ, & secus quam decebat militem, à tanto culmine rerum emissum, minus sobriis Cleopatræ inserviebat amoribus? Numquid etiam scire dissimulas, Armeniam, & innumerabiles alias terras nostræ ditioni subjectas?

Norunt hæc Reges, quorum cruore gladii Romani sunt crebrius inebriati, & tu quidem in ipsa rerum experientia, Deo auctore intelliges, quid nostræ victrices aquilæ, quid cohortes diversarum nationum, quid furor Teutonicus, etiam in pace Arma capessens, quid caput indomitum Regni, quid juventus, quæ nunquam fugam novit, quid procerus Bavarius, quid Suavus astutus, quid Francia circumspecta, quid Anglia provida & ingeniosa, quid Albania, quid Cimbria, quid in gladio ludens Saxonia, quid Turingia, quid Vuestphalia, quid agilis Brabantia, quid nescia pacis Lotharingia, quid inquieta Burgundia, quid Alpini * salaces, quid Frisonia in armento † prævalens, quid Reemia ultro mori gaudens, quid Boemia suis feris ferior, quid Austria, quid Frisia, quid Rutonia, quid partes Illyricæ, quid Lombardia, quid Toscia, quid * Anconitana Marchia, quid Venetus pirata, quid Pisanus nauclerus, denique quid dextera nostra, quam senio arguis effœtam, quam gladios vibrare didicit dies illa plena reverentiæ & jucunditatis triumpho Christi præfixa te docebit.

* al. falices.
† al. præ-volans.
* al. Ammonitana. Narsia.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋

Anno Christi 1190.

HENRICI VI. IMPERATORIS AVGVSTI

CONSTITUTIONES.

De Argentifodinis.

I.

HEnricus Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus, fidelibus suis Episcopis, Mindensi, Paderburnensi Osnaburgensi, Comitibus quoque & Nobilibus, & universis hominibus in eisdem Episcopatibus constitutis gratiam suam & omne bonum.

1. Cum omnis argentifodina ad jura pertineat Imperii, & inter regalia nostra sit computata, nulli venit in dubium, quin ea, quæ nuper in Episcopatu Mindensi dicitur inventa, ad nostram totaliter spectet distributionem, unde in ea nulli hominum quicquam juris recognoscimus, nisi hoc à nostra liberalitate valeat specialiter impetrare. Mandamus igitur omnibus vobis & singulis sub obtentu gratiæ nostræ præcipientes, ut nullus vestrûm se de prædicta argentifodina intromittat, nec aliquid juris sine nostra licentia sibi in ea usurpet. Quod si quis temerario ausu

forte

forte attemptaverit, indignationem nostram se noverit incursurum. Puntium autem latorem fidelem Nuntium nostrum ad partes illas transmisimus, ut de eadem argentifodina ordinet & disponat, prout nobis videtur expedire. Mandamus itaque dilectioni vestræ attente rogantes, ut ei consilio & auxilio fideliter assistatis, gratis affectuosas à Serenitate nostra recepturi. Datum apud Nunnenstei*ne, Anno Domini MCLXXXIX. Indictione VIII. XII. Kalend. Aprilis. * al. Naunensteine.

II.

IN nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis Henricus Sextus, divina favente Clementia Romanorum Rex Augustus. Cum argentifodina, quæ est in Episcopatu Mindensi constituta, ad jura pertineat Imperii, & inter regalia nostra sit computata: notum fieri volumus universis Imperii fidelibus, præsentibus & futuris, quod nos fideli nostro Episcopo Mindensi & Ecclesiæ suæ, nec non & omnibus successoribus suis, in perpetuum concessimus, & regali auctoritate confirmamus, duas partes ejusdem argentifodinæ, cum omni fructu, & jure exinde rationabiliter proveniente: tertiam vero partem totius argentifodinæ & totius fructus sive juris exinde provenientis, sive ex divina, quæ in aliis locis recipi solet, sive ex jurisdictione vel judicio vel alio quocunq; modo proveniat, nobis totaliter & integre salvam esse volumus & quietam conservari: Auctoritate regia firmiter præcipientes, ut nullus Dux, nullus Marchio, nullus Comes, nullus Nobilis, nulla denique persona humilis vel alta, secularis vel Ecclesiastica, hujus nostræ concessionis & confirmationis paginam audeat violare. Si quis autem hoc temerario ausu attentaverit, in ultionem temeritatis suæ centum libras auri puri componat, medietatem cameræ nostræ, reliquam vero prædicto Episcopo & Ecclesiæ. Testes hujus rei sunt

Henricus de Nemeseo,
Arnoldus de Hornebert,
Hunifredus de Valckensteine,
Henricus de Litt,
Camerarius Waltherus,
Comes de Sano,
Godeboldus Comes Senegaliensis, & alii plures.

Datum apud Naunensteine, Anno Domini MCLXXXIX. Indictione VIII. XII. Calend. Aprilis.

HENRICI VI. IMPERATORIS AUGUSTI
STATUTUM

De Servitute Nativitatis seu genealogia.

SI liber homo servam superduxerit, utraque proles, filius & filia, nascuntur secundum matrem, & non patrem, hoc est, ventrem ipsum sequuntur, sive pater sit Saxonicus sive Sclavus, Theotonicus sive Lombardus aut Wallus. Qui enim libertatem commutavit in servitutem, utrumque, tam libertatem quam proprium amisit.

HENRICI VI. IMPERATORIS AUGUSTI
CONSTITUTIO

Anno Christi 1190.

De obedientia Ducis Burgundiæ Imperio præstanda.

HEnricus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, dilecto & fideli suo, Hugoni Duci Divionensi, gratiam suam & omne bonum. Discretioni tuæ significamus, & firmiter constare volumus, quod nos pacem; quæ inter nostram sublimitatem & tuam dilectionem ordinata est, secundum eam formam, quæ in præsenti pagina subscripta est, sicut in tuis litteris continetur, hominum nobis facies, & ligietatem de tota terra Comitatus Albonii, quæ infra districtum Imperii continetur, quem modo possides, & in posterum possessurus es. Buna quoque fide & sano intellectu, secundum usus & consuetudinem Burgundiæ atque Provinciæ recipies, & à nobis recognosces, allodium Vrrici de Blangejo, & alia etiam allodia, quæ infra terminos Imperii sunt constituta. In hoc etiam voluntati tuæ consentimus, quod filius tuus, ille qui futurus est Dux Divionensis, salva fidelitate Regis Franciæ, nobis hominium faciet de allodio memorati Vrrici de Blangejo, & similiter de allodiis, quæ habet & quæ habebit infra Imperium. Hoc quoque ratum similiter & firmum volumus observare,

quod si forte Rex Francorum insultum fecerit Imperio, tu in propria tua persona auxilium nobis præbebis de omni casamento, quod à nobis habes. Et si nos Regi Franciæ & Regno ejus insultum fecerimus, tu similiter in propria tua persona præstebis auxilium de omni casamento, quod de eo habes contra omnem etiam hominem, præter Regem Franciæ, pacem & guerram facies ad mandatum nostrum de universo Comitatu Albonii, salvo jure Ecclesiarum Imperii, &c.

Anno Christi 1192.

HENRICI VI. IMPERATORIS AVGVSTI

RESCRIPTUM

De Captivitate Proditoris Regis.

HENRICUS Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus, dilecto & speciali amico suo Philippo Illustri Francorum Regi salutem, & sinceræ dilectionis effectum.

Quoniam Imperatoria Celsitudo non dubitat Regalem Magnificentiam tuam lætiorem effici de universis, quibus omnipotentia Creatoris nos ipsos & Romanum Imperium honoraverit & exaltaverit: Nobilitati tuæ præsentium tenore declarare duximus, quod inimicus Imperii nostri, & turbator Regni tui, Richardus Rex Angliæ, cum esset in transeundo mare, ad partes suas reversurus, accidit, ut ventus, rupta navi sua, in qua ipse erat, duceret eam versus partes Istriæ, ad locum, qui est inter Aquilejam & Venetias, ubi ipse Rex, Dei permissione, passus naufragium cum paucis evasit. Quidem itaque fidelis noster, Comes Mainardus de Gortze, & populus regionis illius, audito, quod in terra erat, & considerato diligentius, qualem nominatus Rex in Terra promissionis proditionem, & traditionem, & perditionis suæ cumulum exercuerat, insecuti sunt, intendentes eum captivare. Ipso autem Rege in fugam converso, ceperunt de suis octo milites. Postmodum processit Rex ad Burgum in Archiepiscopatu Saltzeburgensi, qui vocatur Frisorum, ubi Fridericus de Botesowe, Rege cum tribus tantum versus Austriam properante noctu, sex milites de suis cepit. Dilectus autem consanguineus noster Liupoldus Dux Austriæ, observata strata, impositis ubique custodibus, sæpedictum Regem juxta Vuenam in villa viciniori in domo despecta captivevit. Cum itaque in nostra nunc habeatur potestate, & ipse semper tuæ molestiæ & turbationibus operam præstiterit; ea, quæ præmisimus, Nobilitati tuæ insinuare curavimus, scientes ea dilectioni tuæ bene placita existere, & animo tuo uberrimam importare lætitiam. Datum apud Rithiencie, quinto Kalendas Januarii.

HENRICI VI. IMPERATORIS AUGUSTI

CONSTITUTIO

DE JURE MONETÆ CUDENDÆ.

NOs Henricus Rex Romanorum, studio Bononiensium incitati jus concedimus pecuniæ signandæ in urbe Bononiæ, atque Agnellum Prætorem hujus concessionis munere investimus, ut, prout expedire putaverit civitati, pecuniam percutiendam curet, modo ne monetæ Imperiali sit aut forma, aut pondere par. Dat. Bononiæ, pridie Idus Januarias.

AUREA BULLA

DE COMPOSITIONE INTER HENRICUM IMPERATOREM & Richardum Regem Angliæ.

Anno Christi 1193.

Facta in Comitiis Hagenoviensibus Anno MCXCIII.

HENRICUS Dei gratia Romanorum Imperator & semper Augustus, dilectis sibi Archiepiscopis, Episcopis, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, & omnibus, ad quos præsens pagina pervenerit, in Anglia constitutis, salutem & bonam voluntatem.

Dignum

Dignum judicavimus, & nostri Celsitudini gloriosum, si universitatem vestram sollicitius inducamus ad ea modis omnibus, quibus potestis, agenda, quæ ad honorem Charissimi nostri Illustris Regis Richardi, Domini vestri, debeantur, ne devotionis vestræ constantia, & meritum fidei circa ipsius commoda appareat mortuum, sed in suis & in Regni sui obsequiis vivere videatur. Sane omnibus, quorum devotio prædicto Regi absenti sincera extiterit & pura, uberes referemus gratiarum actiones; ad universalitatis vestræ notitiam devenire volentes, quod Imperatoria sublimitas cum Regia ipsius Nobilitate in concordia & bona pace consistit. Unde quæcunque ipsi irrogata fuerint contraria, pariter cum eo nobis parient molestiam & gravamen. Quare & devotorum suorum & fidelium honorem & profectum, & turbatorum suorum damnationem & exterminium operam præstabimus semper efficacem; & quia corde & animo uniti sumus, facta Regis vestri, specialiter nostra & Imperii nostri penitus reputabimus, & gravamina ejus nobis & Coronæ Imperiali illata censebimus, nec ea, Deo concedente, sine ultione, & eorum qui ea intulerint, gravi damno & destructione transibimus. Datum apud Hagenou decimo tertio Kalendas Martii.

FORMA COMPOSITIONIS
INTER
HENRICUM IMPERATOREM
ET RICHARDUM REGEM ANGLIÆ.

IN nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, Amen. Hæc est forma Compositionis inter Dominum Imperatorem semper Augustum, & Dominum Richardum illustrem Regem Angliæ. Dominus Imperator mittet Nuntios suos cum Nuntiis Domini Regis, qui Londonias ibunt, & ibi recipient centum millia marcharum puri argenti ad pondus Coloniæ. Quæ pecunia à Nuntiis Imperatoris accepta & ponderata sigillabitur in præsentia Nuntiorum ipsius, & in conductu Regis per Regni sui terminos ducetur: ita ut si eam in Regno suo perdi contigerit, periculo Regis perdatur. Postquam vero ad terminos Imperii venerit dicta pecunia, per Nuntios Regis Nuntiis Domini Imperatoris præsentabitur, qui eam illico ibi recipient, & si forte in partibus Imperii eam perdi contigerit, periculo Imperatoris perdetur, & Rex in ea non tenebitur, nec obsides sui. Alia quoque quinquaginta millia marcharum argenti dabit Rex Imperatori & Duci Austriæ; & pro illis ponet obsides, scilicet Domino Imperatori pro triginta millibus marcharum sexaginta obsides: Duci vero Austriæ septem obsides pro viginti marcharum millibus. Solutis ergo centum millibus marcharum, & datis obsidibus Rex libere recedet. Si autem Dominus Rex solverit promissionem, quam Domino Imperatori de Henrico quondam Duce Saxoniæ fecerat, Imperator de quinquaginta millibus marcharum Regem liberum dimittens & absolutum, pro ipso Rege solvet Duci Austriæ viginti millia marcharum, & Rex non tenebitur dare Duci Austriæ septem obsides, nec Imperatori sexaginta. Cum igitur Rex prædictam promissionem de Henrico quondam Duce Saxoniæ impleverit, & centum millia marcharum solverit, libere recedet. Præterea Rex fecit jurare in animam suam, quod neptem suam, filiam Comitis Britanniæ tradet nuptui filio Ducis Austriæ infra septem menses, postquam liberatus fuerit, & in terram suam redierit, & eam transmittet usque ad introitum Imperii, si eam recipere voluerint, & si noluerint, erit absolutus. Item si promissio de Henrico quondam Duce Saxoniæ completa non fuerit, quinquaginta millia marcharum, quæ residua sunt solventur infra septem menses, postquam Dominus Rex in terram suam redierit. Cum autem Rex liberatus fuerit, & redire voluerit, Imperator dabit ei conductum per terram suam usque ad fines Imperii sui, & in portu illo, ubi mare intrabit, quam diu ibi stabit, donec prospero vento recedat. Præterea ea omnia, quæ tam in his, quam in aliis familiaribus litteris sigillatis sigillis Imperatoris & Regis, super contractibus, qui inter eos ordinati sunt, uterque pro parte sua rata & firma habebit, & bona fide observabit.

HENRICI IV. IMPERATORIS
AUGUSTI
CONSTITUTIO

De Fide Vasalli Imperatori & Regi Franciæ pariter obstricti.

HENRICUS Dei gratia Romanorum Rex, semper-Augustus, dilecto & fideli suo Hugoni Duci * Divionensi, gratiam suam & omne bonum. [* i. Burgundiæ.]

1. Discretioni tuæ significamus, & firmiter constare volumus, quod nos pacem, quæ inter nostram sublimitatem, & tuam dilectionem ordinata est, secundum eam formam, quæ in præsenti pagina subscripta est, sicut in tuis litteris continetur, hominium nobis facies & ligietatem

tatem de tota terra Comitatus Albooii, qoæ infra districtum Imperii continetut, quem modo possides, & in posterum possessurus as. Bona quoque fide, & sano intellectu, sacundum usus & consuatudinem Burgundiæ atqua Provinciæ recipies, & à nobis recognosces, allodium Vrrici da Blangaio, & alia etiam allodia, quæ iufra terminos Imperii sunt constituta.

2. In hoc etiam voluntari tuæ consentimus, quod filius tuus, ille qui futurus est Dux Divionensis, salva fidalitata Regis Franciæ, nobis hominium faciat da allodio memorati Vrrici da Blangeio, & similitar da allodiis, quæ habet, & qoæ habebit intra Imperium.

3. Hoc quoque ratum similiter & firmum volumus obsarvata; quod si forte Rex Francorum insultum fecerit Imperio, tu in propria persona aoxilium oobis præbabis da omni casamanto, quod à nobis habeas. Et si nos Regi Franciæ & Ragno ajus insultum fecetimus, tu similiter in propria tua persona præstabis auxilium da omni casamento, quod da ao habes. Contra omnam etiam hominem, præter Regam Franciæ, pacem & guatram facies ad mandatum oostrum, de universo Comitatu Abbonii, salvo jure Ecclasiarum Imperii, &c.

HENRICI VI. IMPERATORIS AUGUSTI

DECRETUM

De Feudo Comitatus Matisconensis inter Comitem Palatinum Burgundiæ, & Ducam Divionensem superioris Burgundiæ, controverso.

Anno Christi 1193.

HENRICUS Dai gratia Romanorum Imperator & samper Augustus. Notum fieri volumus, tam præsentibus quam futuris, quod Ottone consanguinao nostro, filio Ducis Divionensis, & Ottooa fratra nostro, Comita Palatino Burgondiæ, in præsantia nostra coostitutis, hanc inter eos ordinavimus compositionem, quod recognitum ast, quod Mauscon & Polegiuos cum suis sunt da feodo Ducis Divionausis, & quod jam dictus fratar nostar hoc tenabit, quamdiu vixerit, & quicumqua post eundem fratrem nostrum, siva hæres suus fuerit, siva alius, prænominata feoda cum suis pertinantiis possidebit, tenebit ea da Duca Divionansi, val ajus successore legitimo: insuper ex utraqua parta duo prudentes viri ad hoc alecti sunt, ot inter se diligenter cuosidarent & attendaot, si præmemoratus frater noster aliquid amplius prætat prædicta teoaat, quod sit da feodo Ducis Divionausis; & si quid fuarit amplius, sæpe dicti fratris nostri hæres &ca. salva in omnibus potestata nostra Imperiali & sucaessorom nostrorum. Ab utraque autem parte juratum est, quod huic stare debeanti compositioni. Cujus rei testes sunt

Wilhelmus Comes Vienensis,
Chonradus Præpositus Spyransis,
Marchardus Dapifer da Annewilre,
Hugo Dominus Vergii,
Philippus da Mulans,
Pontius da Roca.
Pontius de Brance,
Hugo da Mulens.

Acta sunt hæc * Frankamort; Anno Domiui MCCXIII. Indict. X. quinta Kalend. Maji.

* Frankenfort. † numerus est & corruptus, rescribe, MCXCIII.

HENRICI VI. IMPERATORIS AUGUSTI

CONSTITUTIO

De Rebus Ecclesiæ Romanæ concedendis.

Anno Christi 1197.

. . . .

Imperatrix coosors nostra, & filius noster Fridericus Domino Papæ, & Ecclesiæ Romanæ exhibeant omnia jura, quæ à Regibus Siciliæ consuevarunt habere, & Domino Papæ securitatem faciant, sicuti Reges Siciliæ Summo Pontifici, & Romanæ Ecclasiæ facere consueverunt. Si varo prædicta consors uostra præmoriatur; filius uostar secundum Ordinationem nostram ramaneat; & si filius noster sine hærada decesserit, Regnum Siciliæ ad Romanam Ecclasiam deveniat. Si vero filius noster præmoriatur: dilecta consors nostra Regnum in vita sua retineat; post mortem suam Regnum Siciliæ ad Romanam Ecclasiam deveniat.

De Im-

De Imperio ordinamus, quod Dominus Pape & Ecclesia Romana illud filio nostro confirmet. Et pro hac coofirmatione Imperii & Regni volumus, quod tota terra Comitissæ Mathildis restituatur Domino Papæ, & Romanæ Ecclesiæ, præter Medisioam, & Angelatam cum eorum pertinentiis. Et insuper ordinamus & volumus, ut tota terra de Pontepayli, cum Montefortino, libere dimittatur Domino Papæ usque ad Ceperanum; & quod Ecclesia Romana habeat Montem Flasconem cum omnibus pertinentiis suis. Insuper præcipimus Marcowaldo, Senescallo nostro, ut Ducatum Ravennatem, terram * Brictinori, Marchiam Anconæ recipiat à Domino Papa, & Romena Ecclesia, & recognoscat etiam ab eis Medisinam, & Angelatam cum eorum pertinentiis. De quibus omnibus bonis securitatem ei juret, & fidelitatem faciat, sicut Domino suo. In morte vero, si sine hærede decesserit, Ducatus Raveonæ, & terra Brictioorii, & Marchia Anchonæ, Medisina, Angelata, cum earum pertinentiis, in dominio Ecclesiæ remaneant . . . .

* vulgo, Bertinoro.

PHILIPPI II. IMPERATORIS AUGUSTI
CONSTITUTIO
DE DIFFIDAMENTIS.

An. Christi 1201.

EOs, qui de cætero adversus aliquos justam diffidationis causam se habere fingentes, ipsos in locis, ubi domicilia non obtinent, aut ea communiter non habitant, intempestive diffidant, declaramus, damna quæcunque per incendia, spolia vel rapinas diffidatis ipsis cum honore suo inferre non posse. Et quia patrocinari non debet alicui fraus & dolus, in præsenti constitutione in perpetuum valitura sancimus, diffidationes hujusmodi quibuscunque dominis aut personis, cum quibus aliqui fuerunt in societate, & familiaritate, vel honestate, quamvis amicitia conservari, sic factas vel fiendas in posterum non valere, nec licere prætextu diffidationis cujuslibet quempiam invadere per incendia, spolia vel rapinas, nisi diffidatio per tres dies naturales ipsi diffidando personaliter, vel in loco, in quo habitare consuevit, publice fuerit intimata, possitque de intimatione hujusmodi per testes idoneos fieri plena fides. Quisquis secus quempiam diffidare & invadere, modo præmisso non servato, præsumpserit, infamiam eo ipso incurrat, & sic nulla facta esset; quem etiam tanquam proditorem per quoscunque Judices pœnis legalibus statuimus castigari.

Vide ad hanc constitut. pus notavit Guid Papæ Decis 191. ibique Interpp.

2. Inhibemus etiam & damnamus universas & singulas guerras, & lites injustas, cuncta quoque injusta incendia, spolia & rapinas, indebita & inconsueta thelonia, & conductus, & exactiones pro ipsis conductoribus extorqueri consuetas, sub pœnis, quibus sacræ leges præmissa, & eorum quælibet, faciunt punienda.

❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊❊

BALDUINI I. FLANDRI IMPERATORIS CONSTANTINOPOLITANI
EDICTUM
DE RESTAURATIONE IMPERII ORIENTIS & redunitione eum Occidentali.

An. Christi 1204.

BALDUINUS, Dei gratia, fidelissimus Imperator Constantinopolitanus, à Deo coronatus, Romanus Moderator & semper Augustus; Flandrensis & Henriegoviensis Comes: Universis Christi fidelibus, Archiepiscopis, & Abbatibus,* Primoribus, Præpositis, Decanis, cæterisque Ecclesiarum Prælatis, Ecclesiasticisque personis: Baronibus, Militibus, Sarziantis, omnique populo Christiano, ad quos præsens pagina pervenerit, in vero salutari gratiam & salutem.

* fort. Potestibus.

1. Audite, qui longe estis, & qui prope admiramini, & laudate Dominum, qui magnifice fecit, qui antiqua miracula nostris dignatus est renovare temporibus, & non nobis quidem, sed nomini suo dedit gloriam omnibus seculis admirandam. Nem mirabilibus ejus circa nos semper mirabiliora succedunt, ut etiam infidelibus dubium esse non debeat, quin manus Domini operetur hæc omnia, cum nihil à nobis speratum aut provisum ante contigerit, sed tunc demum nova nobis Dominus procuravit auxilia, cum nihil humani videretur superesse consilii,

a leg. vestræ.

2. Et quidem, si bene meminimus, per litteras universitati a nostræ transmissas, nostri progressus & status narrationem eo usque deduximus, ut Urbe populosa capta violenter à paucis, Tyranno fugato, & Alexio coronato, mota nostra permissa fuerit & ordinata per hyemem, ut poterunt obtinerentur, si qui resistere valerent Alexio. Sed nos, ne discordiæ inter nos & Græcos fomitem ministraret moribus nostris adversa barbaries, de civitate exeuntes, ex adverso civitatis, interjacente Ponto, ad preces Imperatoris castra posuimus. Verum sicut non hominum opera fuerunt, sed Dei, quæ Græcis intulimus, ita non hominum, sed Dæmonum, quæ cum Imperatore novo Græciæ nobis ex perfidia consueta retribuit.

Videndus Nicetas, qui in hisce variat.

3. Imperator siquidem ex imperato Græcorum seductus perfidia, à nobis recessit animo, cui tanta beneficia contuleramus, & in omnibus cum patre Patriarcha & mule Nobilium nobis promissis periurus & mendax, tot incurrit perjuria, quos nobis præstitit Sacramenta. Unde nostro tandem destitutus auxilio, prælia contra nos meditatur incassum, & navigii, quod ipsum adduxerat & sublimaverat ad coronam, procurat incendia. Sed voto tam crudeli fraudatur, Domino nos protegente. Fit pars sua per cuncta deterior, & hominum suorum cædes, incendia & rapinæ. Imminente foris pugna, intus timoribus coarctatur. Aemulum ei elevant Græci Imperatorem, ea occasione captata, quia ad auxilium nostrum tunc nullum sanguine sibi propinquum possit habere refugium. Cumque evadendi spes unica restaret in nobis, juratum sibi quendam MURZUFLUM nomine, de quo super alios omnes pro impensis ei beneficiis confidebat, mittit ad exercitum nostrum: Imperiale Palatium, Blachernæ dictum, nobis sub Imperatoris & suo juramento promittit in obsidium, donec cuncta nobis promissa reddantur. Accedit ad accipiendum Palatium nobis Marchio Montisferrati cum militibus nostris. Sed Græci nostris illudunt, &, quos super hoc promisso jam nobis dederant, sumptis obsidibus, consueta perjuria non verentur. Nocte insecuta MURZUFLUS, Domino suo & nobis perjurus, reddendi nobis Palatii revelat arcana, & ex hoc perpetuam ipsis eripi libertatem, & contra hoc veniendum modis omnibus esse, declarat, si dejiciatur ALEXIUS.

Alexius Ducas, cognomento, Murzuflus

4. Hujus itaque proditionis merito Imperator à Græcis acclamatur. In Dominum ergo suum dormientem, & rei nescium, sacrilegas mittit manus, & in carcerem unà cum Nicolao quodam, quem inscium, proditione Imperatorem traditum, vi populus apud sanctam Sophiam * simul dejecit, sibique coronam Imperialem usurpavit. Modicumque posthæc Dominus ISAACIUS, pater ALEXII, diem clausit extremum, qui animum filii sui à nobis præ omnibus, ut dicebatur, averterat.

*Locus est mendosus. vide Nicetam. Isaaci Angeli mors.

5. Græcis autem sanguinem nostrum tantum sitientibus, acclamante præcipue Clero & populo universo, ut de terra in brevi tolleremur, prælia contra nos proditor jam dictus instaurat, Urbem machinis in propugnaculis munit, quorum similia nemo vidit unquam. Cumque murus mitæ latitudinis in altum valde consurgens turres habeter amplissimas, pedibus circiter quinquageois paulo minusve distantes, inter quaslibet duas ex parte maris, qua noster timebatur assulsus, turris lignea erigitur super murum stationibus tribus aut quatuor, multitudinem continens armatorum. Nec minus inter duas turres qualibet seu paterca seu magnellus erigitur. Turribus autem supererigunrur ligneæ turres altissimæ stationum sex, superque supremam stationem adversum nos porriguntur scalæ, appoditiones ex utraque parte & propugnacula continentes, paulo minus excelsis scalarum capitibus, quantum jacere posset in altum arcus à terra. Murum etiam ipsum murus circumcingit inferior. Duxitque fossatum, ne muris ulla applicari possent ingenia, sub quibus possint latitare fossores.

6. Interim terra marique nos tentat perfidus Imperator, semper nos Domino protegente, suosque frustrante conatus. Nam præter ordinationem nostram ad prædam victualium procul exeuntibus nostris usque ad mille animas pugnatorum, Imperator occurrit in multitudine gravi. Sed primo congressu dissipatur omnino, cæsis captisque non paucis sine damno nostrorum: & fuga ignominiosa consulens sibi clypeum abjicit, arma deponit, & vexillum Imperiale dimittit, simulque nobilem, quam sibi præferri faciebat, iconem, quam Cisterciensium Ordini dedicavere victores. Posthæc naves nostras flammis aggreditur, intempestæque noctis silentio quindecim naves suas incensis velis suis in altum culligatis, & inferius ad proram, flante fortiter austro, nostras mitiis in naves. Sed Domino faciente, cum multo labore nostrorum custodimur indemnes, & ardentibus navibus clavis infixis catenas habentibus, nostrorum remigio trahuntur in pelagos, & sic ab imminentis mortis periculo à Domino liberamur. Nos quoque terrestrem cum provocamus ad pugnam, & * ponte atque amne transmisso, qui exercitum nostrum separabat à Græcis, cuneis ordinatis ante portam diu stetimus regiæ civitatis præcedente Cruce vivifica, in nomine Domini agminum Israël parati ad prælium Græcos excipere, si eis placuisset exire. Sed unus tantum Nobilis quispiam pro militiæ exercitio egressus est, quem nostri pedites membratim dilaniaverunt, sicque in castra reversi sunt. Terra marique sæpius provocamur: sed dante Domino semper triumphaliter obtinemus.

*fo. Ponto.

7. Mittit ergo ad nos pacis fictæ Legatos perfidus occupator Imperii, postulat & obtinet cum Duce Venetorum colloquium. Cumque eidem Dux objecisset, quod nulla cum eo possit esse securitas, qui Dominum suum carcere conclusisset, postposita jurisjurandi religione, & fidei ac

fœderis, & ipsi præripuisset Imperium: & bona fide consuleret, ut Dominum suum restitueret, & humiliter veniam postularet, nostras etiam pro se mittens preces: & quod eum eodem Domino suo misericordiam agere, si vellet, deberemus, & quicquid egerat contra nos venenose, si rediret ad animum, imputare vellemus ætati lapsuique consilii. Ille vana verba subintulit, quie quæ responderet rationabiliter, non habuit. Obedientiam Romani Pontificis, & subventionem Terræ Sanctæ, quam juramento & scripto confirmarat Alexius Imperialis, adeo refutat, ut vitam amittere præligeret, Græciamque subverti, quam quod Latinis Pontificibus Orientalis Ecclesia subderetur. Nocte igitur insequenti Dominum suum latenter suffocat in carcere, cum quo ipsa die prandium sumserat. Inde & clava ferrea, quam tenebat in manu, latera morientis & costas inaudita crudelitate confringit, casuque vitam, quam laqueo extorserat, confringit exemtam. Propalatum omnibus scelus funeris honore dissimulat. Alexius Junior strangulatus.

8. Sic nobis hyems tota perficitur, donec manibus nostris stabilitet aptatis, & instrumentis bellicis præparatis, nos & nostra recipientes in navibus, V. Idus Aprilis, hoc est, sexta feria ante Passionem Domini, unanimiter pro honore sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & † sub veneratione Terræ sanctæ, navali prælio invadimus civitatem. Et eo die, sine multo tamen nostrorum sanguine, sumus tanta perpessi, ut inimicis nostris in opprobrium verteremur, quorum eo die pars fuit per cuncta deterior, adeo ut tracta in terram bellica nostra machinamenta Græcis compelleremur relinquere; & infecto negocio ad ripam cogere redire adversam, ea die, ut videbatur, inutiliter fatigati. Conturbati ergo plurimum & contriti, & demum in Domino corroborati, definito consilio rursum instauramur ad pugnam, & quarto die, prid. Idus Aprilis, hoc est, secunda feria post Passionem Domini, flante borea, rursum applicamur ad muros, scalis navium trium applicatis, cum multo labore nostrorum, & permultum resistentibus Græcis. Sed ex quo cominus gladios sensere nostrorum, belli durat anceps eventus. Duæ siquidem naves colligatæ, quæ pariter nostros Episcopos, Suessionem ac Trecensem, deferebant, quarum erant insignia Paradisus & Peregrina, primæ scalis scalas turrium attigerunt, & felici auspicio Peregrinos pro Paradiso certantes hostibus admoverunt. Prima muros obtinent vexilla Pontificum, ministrisque secretorum cœlestium prima conceditur de cœlo victoria. Irruentibus igitur nostris, Domino jubente, cedit multitudo infinita perpaucis, & propugnacula relinquentibus Græcis, nostri audacter militibus portas aperiunt. Quorum cum Imperator, qui non procul à muris in tentoriis stabat armatus, conspicaretur ingressum, statim tentoria dereliquit & fugit. Nostri cædibus occupantur, capitur civitas populosa, recipiuntur in Palatiis Imperialibus, qui nostrorum enses effugerunt, multaque cæde facta Græcorum, nostri sese recolligunt, advesperascente jam die, arma fessi deponunt. † Leg. subventione.

9. De assultu crastino tractaturus suos recolligit Imperator, & crastinam hortatur ad pugnam, asserens, quod nostros in potestate nunc habeat intra murorum septa conclusos. Sed noctu latenter dat terga devictus. Quo comperto, Græcorum plebs attonita, de substituendo Imperatore pertractat. Et dum mane facto ad denominationem cujusdam Constantini procedunt, pedites nostri non expectata deliberatione majorum, ad arma prosiliunt, & terga dantibus Græcis, fortissima & munitissima relinquuntur palatia, totaque in momento civitas obtinetur, diripitur equorum innumera multitudo, auri, argenti, sericarum preciosarumque vestium atque gemmarum, & omnium eorum, quæ ab hominibus inter divitias computantur, tam inæstimabilis abundantia reperitur, ut tantum tuto latitans non videretur possidere. Et qui pauca ante negaverant, cuncta nobis divino judicio reliquerunt: ut secure dicamus, quod majora his mirabilia circa bellorum casus nulla umquam narret historia; ut impleta prophetia manifeste videatur in nobis, quæ dicit: *Persequetur unus ex vobis centum alienos.* Quia si inter singulos victoriam partiamur, quilibet ex nostris non pauciores quam centum obsedit & vicit. Nunc autem non nobis victoriam usurpamus, quia super omnia mirabilia salvati sumus dextera Domini, & brachium virtutis ejus revelatum est in nobis. *A Domino factum est istud, & est mirabile in oculis nostris.*

10. Ordinatis igitur diligenter, quæ disponendarum rerum poscebat eventus ad electionem Imperatoris unanimiter & devote procedimus, & omni ambitione seclusa, cum sex Baronibus Venetorum, venerabiles viros, Episcopos nostros, Suessionensem, Halberstadensem, Dominum quoque Bethlemitanum, qui à partibus transmarinis auctoritate Apostolica nobis fuerat delegatus, Acconensem electum, Abbatemque Lucedii, Imperatoris nostri sub Domino, constituimus Electores. Qui oratione præmissa, ut decuit, Dominica *Misericordias Domini* personam nostram, quod à nostris meritis erat procul, unanimiter ac solemniter elegerunt, divinis laudibus Clero ac populo acclamante. Sequentique Dominica, qua *Jubilate* cantatur, præcipiente Petro Apostolo *Regem honorificari, eique obedire*, & Evangelio nonciante, *gaudium vestrum nemo tollet à vobis*, cum ingenti honore atque tripudio, more etiam suo applaudentibus Græcis, ad honorem Dei, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, gloriose ad Imperii fastigia & coronam, Deo & hominibus amabiles Patres, memorati Pontifices, cum universorum applausu & piis lachrymis, nos sublimarunt. Aderant incolæ Terræ Sanctæ, Ecclesiasticæ militaresque personæ, quorum præ omnibus inæstimabilis erat & gratulabonda lætitia. Exhibitumq; Deo gratius officium asserebant, quam si civitas sancta Christianis cultibus esset restituta: cum ad confessionem perpetuam inimicorum Crucis, sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Terræque Sanctæ, sese regia civitas devoveret, quæ tam diu, tam potenter, adversaria stetit & contradixit utrique.

11. Hæc

11. Hæc est, quæ spurcissima Gentilium pro fraterna societate alternis ebibitis, cum infidelibus est ausa sæpius amicitias firmare ferales, & easdem mamma diu lactavit uberrima, & extulit in superbiam seculorum, arma, naves, & victualia ministrando. Quæ econtrario fecerunt peregrinis, magis edocere sufficiunt in omni Latinorum gente exempla quam verba. Hæc est enim, quæ in odium Summi Pontificis Apostolorum Principis nomen audire vix poterat, nunc unam eidem inter tot Græcos Ecclesiam concedebat, qui omnium Ecclesiarum accepit ab ipso Domino principatum: &, sicut eorum memoria recens recolit qui viderunt; Legatum Apostolicum morte tam turpissima condemnavit, ut nec inter Martyres legatur ulla consimilis, licet pœnas eorum incredibiles invenerit inge-
Imaginum cultus idololatricus. niosa crudelitas. Hæc est, quæ Christum didicerat solis honorare picturis, & inter ritus nefandos, quos sibi, spreta Scripturarum auctoritate, confinxerat, etiam lavacri salutaris plerumque facere præsumebat iterando jacturam. Hæc est, quæ Latinos omnes non hominum nomine dignabatur sed canum, quorum sanguinem effundere pene inter merita reputabatur: nec ulla pœnitentiæ satis-
Monachi pro laicis habentur. factione satisfaciebant laici Monachi, penes quos, Sacerdotibus summotis, tota ligandi atque solvendi consistebat auctoritas.

12. Hæc & hujuscemodi deliramenta, quæ Epistolaris non valet explicare angustia, impletis iniquitatibus eorum, qui Christum Dominum ad nauseam provocabant, divina justitia nostro ministerio digna ultione percussit, & expulsis hominibus Deum odientibus, nobis sese amantibus terram dedit omnium bonorum copiis affluentem, frumento, vino & oleo stabilitam, fructibus opulentam, nemoribus, aquis & pascuis spatiosam, ad manendum speciosam, & cui similem non continet orbis, aëre temperatam.

13. Sed nec in his desideria nostra subsistunt, nec ab humeris sustinebimus vexillum Regale deponi, donec terra incolatu stabilita nostrorum, partes inviserimus transmarinas, & Deo donante propositum peregrinationis expleamus. Speramus enim in Domino JEsu, qui, quod cœpit in nobis opus bonum, ad laudem & gloriam nominis sui, inimicorum videlicet Crucis depressionem perpetuam, perficiet, confirmabit solidabitque.

14. Universitatem igitur vestram propensius oramus in Domino, ut gloriæ hujus atque victoriæ & spei, cujus ostium nobis magnum apertum est, dignemini esse participes: quia absque ulla dubitatione vobis continget, si nobiles & ignobiles cujuslibet conditionis aut sexus eisdem desideriis accensi, ad veras immensasque divitias capessendas, temporales pariter & æternas, unanimiter acquiratis. Universis enim, Deo donante, sufficimus, quos nobis Christianæ religionis zelus adduxerit: universos volumus simul & possumus, secundum status suos varietatemque natalium, & augere divitiis, & honoribus ampliare. Spiritualiter autem Deo amabiles Ecclesiasticos viros, cujusque religionis aut ritus, in Domino postulamus, ut ad idem populum suum potentibus verbis accendant, & exemplis edoceant, catervatimque & ipsi venire festinent, in locis amœnissimis & uberrimis non jam in sanguine, sed cum multa libertate & pace, omniumque bonorum affluentia, Ecclesiam plantaturi, salva semper, ut decet, obedientia Prælatorum.

Datum Constantinopoli . . . .

* *Exstat & Epistola ad Othonem Imperatorem, in qua Balduinus cum Principibus suis eum pro Domino suo agnoscunt & salutant. Ejus Epistolæ hæc est inscriptio:* Balduinus Flandrensis, Ludovicus Blezensis, & Henricus Sancti Pauli Comites, cæterique Barones & Milites exercitus Crucesignatorum, Othoni Rom. Regi & semper Augusto. *Et post longam rerum gestarum narrationem:* Et nunc si quid ea his, quæ acta sunt vel agenda, meriti vel gratiæ, vel etiam gloriæ præstolamur, Serenitatem vestram in Domino desideramus esse participem, imo & Principem. Nos interim Soldano Babyloniæ, Terræ sanctæ impio detentori, præmisimus Nuntios nostros, qui ex parte Regis summi JESU CHRISTI Nazareni, & servorum ejus, dicti videlicet *a* Imperatoris, & *b* vestra legaliter debeant intimare, quod devotionem populi Christiani, incredulæ genti suæ, Deo donante, in proximo proponamus ostendere, & ad contritionem infidelitatis de cœlo nos expectare virtutem. Hæc autem fecimus de vestra potius cur Domini, & aliorum Christiani nominis Zelatorum, quam de nostra virtute, confisi, &c.

a Alexii Constantinopolitani.
b al. nostra regaliter, & al. sub Domino.

BALDU-

BALDUINI I. FLANDRI IMPERATORIS AUGUSTI

RESCRIPTUM,

DE PRÆCELLENTIA IMPERII, ET OBEDIENTIA SACERDOTII.

An. Christi 1205.

BALDUINUS Dei gratia fidelissimus Imperator Constantinopolitanus à Deo Coronatus, Romanorum Moderator & semper Augustus, Innocentio III. Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Summo Pontifici & Universali Papæ.

vide c. solicitæ, De majorit. & obedient.

Miratur nostra Imperialis Sublimitas, quod nos tua Sanctitas ansa fuit in suis literis increpare, cum meminisse debueris, quod non dominus Imperatoris, sed subditus sis, & Imperium Sacerdotio dignitate ac potestate præferendum esse, juxta id quod beatus Petrus Apostolorum Princeps scripsit, præcipiens; *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, Sive Regi tanquam præcellenti, sive Ducibus tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Ex qua auctoritate Apostolica triplex patet argumentum. Primum ex eo quod legitur, *Subditi estote:* secundum ex eo quod sequitur, *Regi tanquam præcellenti:* Tertium ex eo quod est subsequenter adjunctum, *ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum.* Per primum probatur atque constat, subesse Sacerdotium: per secundum, Imperium præeminere: per tertium, Imperatorem tam in Sacerdotes quam in Laicos jurisdictionem, imo etiam gladii potestatem accepisse. Cum enim & boni quidam sint Sacerdotes, & quidam eorum malefactores existant, is qui secundum Apostolum gladium portat ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, imo malefaciendas Presbyteros & eorum excessus præsumptos potest ultore gladio vindicare, cum inter presbyteros & alios Apostolus non distinguat.

OTHONI IV. SAXONIS IMPERATORIS AUGUSTI

CONSTITUTIONES.

An. Christi 1209.

I.

De electione Imperatoris.

IMperatorum † nullus hæreditatiem dignitatem vindicato. Principes sex sacri, ordinis tres, Moguntinus, Trevirensis & Coloniensis; profani totidem, Comes Palatinus Rheni, Dux Saxoniæ & Marchio Brandenburgensis, eum deligunto. Hi si discordes fuerint, Boemiæ Regem cooptanto, Factum decretum in Franckenfurt cum consensu Principum, in præsentia Legatorum summi Pontificis, Hugolini & Leonis.

* vulgo Pictaviensis, quem Comitatum possidebat. † Refert in Ottone III. Bapt Egnatius: sed nullu certo argumento: quum ad hunc IV. Ottonem Legum reformationem referat Auctor Chronicæ Sclavorum.

II.

De donationibus.

SI Judex & Scabini in municipio moriantur, extunc in causa donationis alicujus sedes Scabinalis, si necessitas urgeat, suppleri & locari debet, ad maximum duobus Scabinis & quatuor viris ad judicium pertinentibus, & ut sic, ille suam obtinebit donationem.

III.

De vulneratis mutuo, quorum unus gladio, alter vero cultello vulneretur.

SI duo vulneraverint se mutuo, unus gladio, & alter cultello, & ad judicium veniant uterque conformiter, ac in recenti actione duellum comprobatum sit per veram sententiam; pro vulnere ex cultello, judicatur in collum illius. Cultellus etenim furtivam & occultam infert mortem. Ille vero, qui gladio vulnus intulit, super manum ipsius judicabitur.

FRIDE-

FRIDERICI II. IMPERATORIS AUGUSTI

EDICTA ET MANDATA,

DE INJURIIS ROMANORUM PONTIFICUM *IN* Imperatorem & Principes Imperii, injustaque eorundem tyrannide & usurpatione.

I.

An Christi 1227.

SUPER DEPOSITIONE SUA CONTRA PAPAM ET Dominos Cardinales.

FRIDERICUS IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS REGIBUS ET PRINCIPIBUS MUNDI.

COllegerunt Pontifices & Pharisæi consilium in unum adversus* Principem & Romanorum Imperatorem. *Quid faciamus,* inquiunt, *quia hic homo* de hostibus sic triumphat? *si sic eum dimittimus, omnem sibi* subjiciet gloriam Lombardorum, & more Cæsareo veniens non tardabit, ut posse nobis *& locum auferat, & destruat gentem nostram.* Vineam autem Domini Sabaoth aliis locabit agricolis, & nos absque judicio judicabit, & male perdet. Obstemus ergo principiis, ne forte scintilla tenuis in flammam transeat destructivam, & morbus quidem fistulare incipiens, non abscisus usquequo perveniat in medullas. Sæpe enim vix *a* famus ignis extinguitur, & morbo Cronico salubris seru parabitur medicina. Nullos igitur hujusmodi sermones Principis attendentes, percutiamus acriter (ajebant ipsum lingua, nec sagitta nostra plus lateat, sed procedat: sic procedat, ut feriat; sic feriat, ut lædat; sic lædatur, quod jaceat; sic prosternatur, ut amplius non resurgat: & tunc clare videbitur, si sua somnia prosint illi.

a al. ferus ignis.

2. Super cathedra Moysi sedentes hoc tempore Pharisæi sic moti sunt contra Romanorum Principem oberrantes, quòd actores malitiæ facti, simul & judices, aperte judicium perverterunt. Taodem illos sui cordis malitia sic intus & extra penitus obcæcavit, quod una prorsus errante clavium potestate insontem & justum Principem ligaverunt. Sed audite mirabilem tam gloriosi Principis ligaturam. Iste Pater Patrum, qui dicitur *Servus servorum Dei,* omni prorsus exclusa justitia, factus est aspis surda, non admittens Romani Principis allegata; & velut lapis qui de funda jacitur, sic emisit subito verbum malum; ac velut omnino respuens in perturbatione consilium, *Quod scripsi scripsi,* vociferans, respuit viam pacis. Sed qui Christi Vicarius diceris, & Petri successor etiam humilis piscatoris, cur accensus furore refugis id, pro quo Rex omnium induit formam servi? Dic rogo, quid resurgens à mortuis dixit primo discipulis ille Magister omnium magistrorum? Non, inquit, arma & scutum sumite, nec sagittam vel gladium, sed *Pax vobis.* Ad quid gloriaris in malitia, qui solus in urbe *a* diceris fraude & dolo? Quid aliud nisi pacem ympnus dicit Angelicus, & *b* tertius Agnos Dei? vel quid ille mirabilis Regis æterni filius, corporali præsentia discessurus, tunc reliquit discipulis, cum rediit unde venit? Certe pax & dilectio sunt principaliter illa duo, quæ teneri voluit post discessum. Ergo si Christi Vicarium, & Petri te alleris successorem, à Christi prorsus & Petri tramite non discedas: sed actus concordent actibus, & * Campanus inhæreat Galilæo.

a al. diceris fraus & dolus

b al. interris.

*i. e Gregorius IX imitetur vestigia Petri. Nam Gregorius natione Campanus, Petrus vero Galilæus fuit.

3. Istud autem satis & merito turbat Christi fidelium puritatem, quod Petrus relictis omnibus & rete, sequi Christo vocante voluit viam vitæ, qui tamquam omnia possidens & nihil habens ad thesaurum cælestis patriæ semper ardentius aspirabat. Tu vero tamquam nihil prorsus habens, omnia autem possidens, quæris semper quid derodas, devores & diglutias, nec sedare potest aliquando totus mundus tui ventris ingluviem, quia tibi non sufficit orbis terræ. Petrus autem Apostolus, ut legitur, ad portam veniens Speciosam; *Nec aurum nec argentum habeo,* dixit Claudo: tu vero, si forsan incipit acervus pecuniæ, quem adoras, minui, statim cum claudo claudicas, quærens anxie quæ sunt mundi. Sed qui, Christo jubente, prædicas tamquam pastor Ecclesiæ paupertatem, cur refugis quod hortaris, & quæris semper ut *a* copules aurum auro? In hiis ergo non restat aliud, si non dormis, nisi ut Summi Pontificis prorsus prædicatio contempnatur. De cælo namque, si bene recolis, descendit lintheum supra Petrum, cui; *Surge, macta, & comede,* dictum est, dum oraret, qui tamen immunda noluit manducare, dira quamvis esset esurie stimulatus. Tu vero ad hoc vivis ut comedas, in cujus vasis & cyphis aureis scriptum est, *Bibo bibis.* Cujus verbi præteritum sic frequenter in mensa repetis, & post cibum, quod quasi raptus usque ad cœlum tertium Hebraice, Græce loqueris & Latine. Postquam autem impleta fuerit vino ventris ingluvies, & stomachus usque ad summum ejus, tunc super pennis ventorum existimas te sedere. Tunc tibi Romanorum *b* substat Imperium, tunc afferunt tibi munera Reges terræ; tunc vinum mirabiles cito facit exercitus, & tibi subserviunt omnes gentium nationes.

a al cumules.

b al subest

4. Ploret igitur mater Ecclesia, quod pastor gregis Dominici factus est lupus rapax. Crassum quidem

quidem de grege comedens, confractum non alliget, & dissolutum ad propria non reducit, sed velut amator schismatis, caput & auctor scandali, pater doli, contra jure Romani Principis & honorem tuetur Hæreticos, Dei quidem & omnium Christi fidelium inimicos, omni prorsus Altissimi timore postposito, & hominum verecundia *a* retrojecte. Sed ut possit hic melius sui cordis malitiam occultare, prædictos Crucis hostes & fidei fuvet & protegit sub quadem specie pietatis, adserens, se Lombardis ad hoc tantum ferre subsidium in hac parte, ne Cæsar illos cædat, aut judicet plus, quam requirit series sui juris. Sed dolosæ vulpis astutiæ numquam in hoc *b* fallet ingenium venatoris: ec qui regis Israel, intende singularis gregis Dominici pastor: dic, rogo, quid est hoc, quod *curabat*, ut legitur; *infirmos à morbis validis umbra Petri?* Tu vero, tamquam vir sanguinum, ad hoc solum invigilas, ut facte strege viventium sanguis innoxius effundatur: & de te, Sacerdos male; optime dici potest, qui tuo tempore Deo displicere proponis, & per excellentiam tuam iracundiæ turpis es imitator, dicens; Guerram veni mittere in terram, & quid aliud volo, nisi ut inter se homin s prælientur? Non enim est hoc Romani Pontificis, cui *Pasce* dictum est *oves meas*, ut illas quidem mortifices, quarum pastor & caput diceris, dux etiam & servator. Istud quidem consideres, ut nec voluntas vel furor opprimat jus & verum, quod ille Rex terrestrium & cœlorum, in terris diutius conversatus, nil prorsus habere voluit cum terrenis, sed docendo discipulos, *beatos pauperes Spiritu* tunc vocavit. Tu vero tantum in terris habens proprium & commune terrenis, in terris *c* circa thesaurizas. Sed, proh dolor, quod thesauros Ecclesiæ vero vel nunquam in usus erogas egenorum: sed, ut testatur Anagnie, mandasti statim domum fieri mirabilem, sicut regia Solis erat, oblitus prorsus Petri inopiæ, qui dudum non habuit nisi rete: &, quod pejus est, etiam ille nostra Hierusalem, in qua Christus effuso sangine pati voluit & occidi, jacet *d* ancillata canibus, & tributaria Sarracenis. Et tu Christi Vicarius in hoc dormis, nec curas, quod nostra *e* deletur hæreditas ad alios devoluta. Sedet enim deserta civitas; olim plena populo & gentibus speciosa, Romani quidem Antistitis omni prorsus solatio destitute, fundens rivos amaritudinis, quæ lac olim & mel fundere consuevit. Vox cujus vox turturis; quæ pro cantu dat gemitum, viduata plorat anxie, velut Rachel filios suos, quos non vidit in templo sancto suo sabbetha venerari, assidue Regem Regum Romanum expectens Principem, captivitatis suæ fiduciam & sui exterminii redemptionem. Sed tu hostes Herodes impie, illuc ire times, lapis offensionis & petra scandali, maris & terræ semitas conturbasti, ne Cæsar iste mirabilis, mundi lumen & speculum sine ruga, succurrat more *f* Cæsareo terræ Dei. Sed defendens Hæreticos perditionis filios & errorum, audire potes merito verbum illud; *Error tui non resistitur, approbatur.* nec est mirum: non enim cares occultæ societatis scrupulo, cum manifesto facinori desinis obviare.

a mſ. ultra. jecta.
b al. fallit. al. fallet.
c al. terrea.
d al. ancilla canib.
e al. dolet.
f mſ. solito.

5. Ad cor ergo revertere, nec opponas te Principi matris Ecclesiæ defensori, sed cogite & attende, quod Silvestro dudum Papæ pauperrimo, latenti tunc temporis in cavernis, respondit, ut decuit tantum virum, sacri magnificentie Constantini, qui curatus à lepræ vitio dedit Ecclesiæ quidquid habet libertatis hodie vel honoris. Sed Silvestri Vicarius male respondet Friderico. Nunquid enim dimittis septuagesies septies, sicut æterni Regis filius dixit Petro, qui non vis insonti semel parcere, sæpe & instanter veniam postulanti? Aut cum dicat Apostolus; *Omnis potestas à Domino Deo est: qui potestati resistit*, divinæ potentiæ contradicit. Revertentem ergo ad gremium matris Ecclesiæ benigne recipias filium singularem, præsertim cum petat instanter veniam absq; culpa: alioquin leo noster fortissimus, qui simulat hodie se dormire, rugitu solo terribili trahet omnes à terræ finibus tauros pingues, & pla[...]do justitiam, Ecclesiam diriget, evellens prorsus ac destruens cornua superborum.

II.

Anno Christi 1227.

Super sententia excommunicationis lata contra ipsum per Dominum Papam in Urbe.

Fridericus Imperator Cardinalibus.

CUm sit Christus caput Ecclesiæ, & in Petri vocabulo suam fundaverit Ecclesiam supra petram, vosque Apostolorum statuerit successores, ut Petro pro omnibus ministrante vos, qui estis candelabra Ecclesiæ supra montem non sub modio constituti, revera omnibus, qui sunt in domo domini, ex *g* effectu bonorum operum luceatis, nec à publica mundi, vel conscientia generali veritatis, vos subtrahere intendatis, cum ad singula, quæ *h* Præsidens sedi Petri proponit statuere, vel denunciando decreverit, æqua participatio vos admittat, nisi ipsius religionis Ecclesiasticæ status & zelus efferuens evitendi scandalum generale, cautelam vobis suggesserit ob futura. Quis enim non miretur & stupeat, quod tot venerabilium Petrum aggregatione munitus Ecclesiæ, generalis sedens in solio (utinam justus judex) inconsulte velit procedere, ac suis moribus excandescens, in Romanum intendat Principem, Advocatum Ecclesiæ, ad præcipitationem omnium, sententiam depositionis statuere, & ob favorem Lombardorum rebellium exercere spiritualem gladium, si dici liceat, minus juste; cum alias quicquid ex objectis Ecclesiarum gravaminibus, quæ vel dicuntur objecta, vel quæ ut species à genere per individuum deriventur, vel emendationem cœperint, vel *i* ad deliberationem vestri consilii sit in proximo, prout jussio jam præcessit debita, & integre emendatio secutura.

g al. affectu
h mſ. præsidens sedi
prop.
i mſ. ad liberationem nostri conſ.

e. Nam ecce per patentes litteras Prælatorum, *k* per quas mandatum Apostolicum nos præstitit monituros, evidens testimonium declaratur, & præcedens nostra constitutio super vocatione Prælatorum dampna passorum, & de eisdem præstande integre satisfactione Prælatis, tum per litteras

k al. quos M. A. mittit monitores.

venerabili Archiepiscopo Messanensi vocato ad hoc assessori nostro transmissas, avidens testimoniurn exhibetur varitatis. Proptet quod non indigne *a* dolamus, si pater Apostolicus offandere tam gravitar nos intendit, ut nos, dum in constantam virum, tam vahemans cadst iojuria; & si patienter farre voluaimus, immanitas negotii non permittit, quin ad ultiones, quibus Cæsares uti solent, facti violentia oos compellit. Verumtamen dum consideramus impotentiam dominantis vel procedentis, & difficultatam attandimus *b* defensotum, si ex qoo *c* liceret privatas axatcere vindictas, quas in bominem, per quem scandalum venit, & *d* in sui participes sanguinis compensare possemus, ut in ipsum & suoe sttantata nostræ sedis Injuria redundaret, tolerabilius ducetamus: sad cum nec ipse, nec tota ejus sucteslura progenies tanta foret, ut Impatii culman zalaret in ultionam ipsornm, cumque *e* Apostolicæ Sedis Antistes audaciæ sibi frana relaxet, & tot vanerabilinm Fratrum suorum nolas *f* cum eo concurrera in concepta furorum pertinacia videatut, angit nos altiori mente turbario, quod dum nos iotendimus è persequanta defendara, oportat nos dafandando gravius offendere satagentam, salva in omnibus Ecclesiæ sanctitata, *g* quam cultu sacro, dahita revetentia corde & opere venetamur.

a al. debemus ferre.
b al. defensoris.
c mi. liceret
d mf. in u
e al. sedis ipsius authoritas aud.
f al. cum in concepta fovare pertin. vid
g mf. quos clericos sacros deb.

3. Quaptoptet venerandum vestrum cœtum affectuosius daprecamut, quatenus motus Sommi Pontificis, quos ex causis evidentissimis, tam ministros quam voluntarios mundus agnoscit, ax delibarata modastia compescatis, generali statui Ecclesiæ præsertim & quieti mentium sc scandalis providantes. Nam cum ad salutam & honorum omniom vestrum favorabilitar *h* alligemur, & sic principiis nbstare non possumus, licite licest nobis injurias, quas revocare non possumus, iojuriis propulsare. Datum Paduæ.

h mf. obligemur.

III.

AnnoChristi 1227.

De ee quod Romani non opposuerunt se Domino Papa, quando excommunicationis sententsam protulit in Imperatorem.

Fridericus Imp. Romanis.

CUm Roma sit nostri caput & *i* auctrix Imperii, & Romanus Imperator à *k* Romæ vocabulo nuncupetur, ut sibi nostri nominis & honoris procassus & auspicia debeamus, in ammitstionem ducimur vehementem, si, ubi promovendus est honor, & injuria propulsanda *l* inter eos, qui tenentut & debent pro culmine nostro se murum defensionis opponere insurgentibus ex adverso, ipsis *m* sudientibus & dissimulantibus contrarium patiamur. Proptar quod dolore compellimur, quod Romanus Antistas contts Romanum Principem, quod alibi non auderet, sicut dicitut, in Urbe præsumpsit sic Romanum Imperatoram, auctoram Urbis, & benefactorem populi Romani, ipsis non resistentibus impia blasphamara, *n* dum banaficiotum nostrorum, tam procares quam populum Romanum, quibus spacialiter & communiter studuimus & liberali ac spontanea munificentia providete, & aorum intandimus continuatis augmentis commods promovara, tecta *o* monamor immemores axtitisse, ac inerti sompno detantos, ut da tribu Romulaa non aflet vir dato Procaribus & tribu Quiritum, val da tot Romani populi millibus, qui pro nobis axurgaret, & verbum unicum loquaretur, quique nostræ injutiæ condoleret, cum nos Urbem triomphorum titulis insignitam nostræ victoriæ successibus honoremus, & ad taformandum nomen, sicut in diebus antiquis, & sedaodum statum Romani Imperii, nontinuis laboribus intendamus.

i mf. nutrix.
k in Romanorum
l mf. apud eos.
m inf. sdvenientibus
n al. ut ben.
o al notemur.

2. Quaproptar nacessario decrevimus vos requitere, instantat monere, pariter & bortari, quatenus quod omissum est aliqua negligentia val torpore, nunc instantet *p* rasumera debeatis, inducentes alios monitis & exemplo, ut omnes & singuli prompta voluntate *q* concurrant in nostram & vestram injuriam ulciscendam: ne idem blasphemator noster, qui ausus est in nostri nominis blasphemiam prorumpare, de tanta præsumptione gloriari se possat, quod *r* volantibus & nolentibus Romanis contra nos talia perpetrarit, quia cum post id possat *f* vestræ magnitudini imputari, si quod autem impedira landabiliter potuistis, post factum nostram & vastram injurism postponatis inultam. Nam cum altar ad altarutrum teneamur, & nos Romanorum honorem, & vos Romanum dafendere nomen nostrum, si ad hoc vos segnes & negligentes invenerimus, cum nullus timor nos coegerit ad benaficis Romanorum, sed gratia induxerit specialis, per ingratitudinem istam, licet inviti, cogemur ab universis & singulis exhibitam gratiam ravocare.

p al osten. dere.
q al. consurgant
r al. valentib & volentibus.
f inf. nostræ

IV.

AnnoChristi 1227.

Ut Reges & Principes Mundi non obediant Domino Papæ & Cardinalibus, eo quod sunt Christianorum eleemosynis impinguati.

Fridericus Imperator Regibus & Principibus mundi.

ILlos felices dascribit antiquitas, quibus ex aliano præstatur cautela periculo. Status namq; sequens formatur ax principio præcedentis, & ut impressionem cera recipit ex sigillo, sic bumanæ vitæ formatur mortalitas ab exemplo. Hanc utinam felicitatem nostra Serenitas prægustasset, ut cautelæ solertiam, quam vobis. ô Christiani Rages & Principes, ax nostræ Majestatis omsa læsione telinquimus, nobis potius Christiani Reges & Principes læsi raliquissant.

t al. pauperum.

a. Porro quia Clerici censantur pauperum eleemosynis impinguati, filios opprimunt: ipsiq; nostrorum filii subditorum patarnæ conditionis obliti, nec Imparatoram nec Regem aliqua venerationa habere dignantur, quotians in Patres Apostolicos ordinantur. Quod sut circumlocutionib. nostris innuitur, ex Innocentii Papæ IIII. præsumptiona probatur, quia vocata Synodo, ut asserit, genarali ...tos, nec super aliqua fraude vel pravitate convictos, ausus est sententiam de-

positio-

positionis statuere, quam præter omnium Regum enorme præjudicium non poterat stabilire. Quid enim vobis, & singulis Regibus singularum regionum, à facie tanti Principis Sacerdotum timendum? non immerito superest, si nos & Principum electione solempni, & approbatione totius Ecclesiæ, et in Christianæ fidei religione viventium, Imperiali diademate divinitus insignitos, & alia Regna nobilia magnifice gubernantes, ille deponendos adgreditur: & cujus, quoad Imperiale diadema, non intereft aliquid in nos exercere rigoris, etiamsi causæ legitimæ probarentur. Verum id propter quod Sacerdotalis sic investat abusio potestatis, & à summo nos conatur præcipitare deorsum, nec primi sumus nec ultimi.

3. Et hoc quidem vos facitis obedientes religionem simulantibus sanctitatis, quorum sperat ambitio, quod totus mundus *a* influat in os suum. O si vestræ credulitatis simplicitas à Scribarum & Pharisæorum fermento, quod est hypocrisis, juxta sententiam Salvatoris, sibi curaret *b* attendere: quot illius Curiæ turpitudines execrari possetis? quas inhonestas & pudor prohibet nos effari. Sane redditus copiosi, quibus ex plurium de pauperatione Regnorum ditantur, quemadmodum ipsi nostis, ipsos faciunt insanire. Apud vos Christiani mendicant, ut apud eos Patareni manducent: ibi vestras domos obstruitis, ut illic adversariorum oppida construatis. Sicq; de vestris eleemosynis impinguati tales Christi pauperes sustentantur, qui beneficii compensatione, ea saltem gratitudinis exhibitione vobis se præbent obnoxios, quidem quanto manus eis *c* indigentibus largiores ostenditis, tanto non solum manus, sed etiam manus & cubitos avidius adprehendunt, suo vos laqueo detinentes, sicut aviculam, quæ quanto ad evasionem fortius nititur, tanto firmius alligatur.

a al. defluat.
b mſ. advertere.
c al. indigentibus liberaliores.

4. Hæc vobis in præsens scribenda curavimus mittere, insufficienter exprimentes votum nostrum. Cætera vero secretius intimanda decrevimus omittere: videlicet in quos usus divitias pauperum expendit prodigalitas avarorum. Quid super Imperatore competimus eligendo, nisi pax, quam per magnos mediatores intendimus reformare inter nos & Ecclesiam, saltem superficialiter reformetur: Quid de Regum omnium communibus specialibusque negociis *d* disponere intendatur. Quid super Insulis Oceani fuerit ordinatum. Quid contra Principes universos quibusdam consiliis vel negotiis, quæ nos, qui nonnullos ibidem habemus familiares & subditos, licet clamdestine, latere non possint, illa Curia machinetur. *e* Quantis viribus, quot virorum insidiis, *f* qualiter instructorum ad bella, in hoc ipso vere, quod instat, omnes, qui nos opprimunt, opprimere posse speremus, etiamsi se nobis opponeret totus mundus. Quicquid autem tales & tales fideles nostri, latores præsentium, vobis retulerint, certe credatis, ac etiam si sanctus Petrus jurasset, firmissimum habeatis, nec per hoc, quod à vobis petimus, videatur vobis, quod propter in nos latam sententiam depositionis, nostræ magnanimitas Majestatis aliquetenus incurvetur. Habemus enim conscientiæ puritatem, ac per consequens, Deum nobiscum; cujus testimonium invocamus; quia semper fuit nostræ voluntatis intentio, Clericos cujuscunque religionis ad hoc inducere, & præcipue maximos ad illum statum reducere, ut tales perseverent in fide, quales fuerant in Ecclesia primitiva, Apostolicam vitam ducentes, & humilitatem Dominicam imitantes. Tales namq; Clerici solebant Angelos intueri, miraculis coruscare, ægros curare, mortuos suscitare, & sanctitate, non armis sibi Principes subjugare. At isti seculo dediti, & inebriati deliciis Deum præterponunt, quorum ex affluentia divitiarum religio suffocatur. Talibus ergo subtrahere nocentes divitias, quibus damnabiliter onerantur, opus est charitatis potius quam erroris. Ad hoc vos omnes Principes una nobiscum, ut cuncta superflua deponentes, modicis rebus contenti, Deo serviant, cui serviunt omnia, omnem, quem potestis, debetis diligentiam adhibere.

d al. intendatur mſ. exponere disponamus.
e mſ. Quod omnes tot vir.
f mſ. quos habet instructos.

V.

Super sententia depositionis lata contra eum per Papam & Cardinales in Concilio Lugdunensi.

Fridericus Regi Franciæ.

Anno Christi 1247.

Etsi causæ nostræ justitiam per vulgaris famæ proloquium, & multorum veridica testimonia nunctiorum ad Serenitatis vestræ notitiam pervenisse credamus, quia tamen

Segnius irritant animum demissa per aurem,
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus,

ipsam puram & nudam veritatem processus, quem contra nos Summi Pontifices hactenus habuerunt, vestro conspectui præsentamus. Ad cujus inspectionem plenariam & attentam à tot temporibus & diebus vestris negociis deputatis unum sufficiens tempus & diem nobis affectio vestra concedat. Quod si licuerit diligenter attendere, Regia consilia recte considerent, si fuerit in prædecessoribus nostris rectitudinis zelus, si nobis tot & tantis *a* injuriis lacessitis justa debuerit aut debeat defensio denegari. Si demum Christi Vicarius Christi vices impleverit, & prædecessorum Petri successores ejusdem imitentur exemplum. Considerent etiam, quo jure censeri debeat validus processus hujusmodi contra nos habitus, vel quo nomine nuncupari, si dici sententia valeat, quam judex incompetens promulgavit.

a mſ. inimicitiis.

2. Nam, etsi nos rectæ Catholicæ fidei debito suggerente manifestissime fateamur, collatam à Domino sacrosanctæ Romanæ Sedis Antistiti plenariam in spiritualibus potestatem, ut quantumcunq; (quod absit) sit ipse peccator, ut quod in terra ligaverit, sit ligatum in cœlis; & quod solverit, sit solutū: nusquam tamen legitur, divina sibi vel humana lege concessum, quod transferre possit pro libito Imperium, aut de puniendis temporaliter in privatione regnorum Regibus & Principibus judicare.

Nam

Nam licet ad eum de jure & more majorum consecratio nostra pertinet, non magis ad eum depositio seu remotio pertinet, quam ad quoslibet Regnorum Prælatos, qui Reges suos, prout assolent, consecrant & inungunt.

3. Vel esto fioe præjudicio nostro, quod habeat hujusmodi potestatem, est ne istud de plenitudine potestatis ipsius, quod nullo protius ordine juris servato animadvertere possit in quoslibet, quos asserit suæ jurisdictioni subjectos? Processi enim nuper contra nos, ut dicitur, non per accusationis ordinem, cum nec accusator comparuisset idoneus, nec inscriptio præcessisset, nec per denunciationem legitimo denunciatore cessante, nec per inquisitionis modum, quam clamorosa insinuatio non præcessit, cum etiam nullorum inquisitorum facta nobis fuerit copia, si qui forsan occulte fuerint, cum nulli publice fuerint per hujusmodi judicem ad inquisitionem adducti. Asserit *a* enim omnia fore notoria, quæ nos esse notoria manifeste negamus, & quæ esse notoria per legitimum testium numerum non probantur. Sic enim quilibet judex posset per se solummodo crimen asserendo notorium, spreto juris ordine, quemlibet condempnare. Insurrexerunt ni siquidem in concilio, sicut dicitur, aliqui testes iniqui, sed valde perpauci, quorum aliquos, velut *b* Calinensem Episcopum, quem propter suos, fratres videlicet & nepotem per nos ex causa proditionis ad suspendium legitime condempnatos, offensa rationabilis nobis reddidit odiosum & juste propterea repellendum: alios autem, tanquam ex ultimis partibus Hispaniæ prodeuntes, Terraconensem videlicet & Compostellanum Antistites, quos negociorum Italiæ natalis zonæ longinquitas fecit inscios, & eosdem venenosæ subornationis inductio nostræ justitiæ fecit infestos.

4. Sed esto fine præjudicio nostro, quod legitimi fuerint, subsistentibus testibus, actor & judex; sed defuit tertius, reus, qui vel præsens, vel contumaciter absens secundum justitiam debuit condempnari. Ctatinamque in prædicatione sua Lugdunensi, sicut audivimus, licet prorsus informiter fuimus, videlicet quod ipsi citanti & aliis causis nonnullis omnino personis aut rebus expressis facturi justitiam per nos deberemus, vel per responsales idoneos comparere, præsentes pro certo non fuimus, sed ex justis causis absentes, à quarum allegationibus nostri legitimi responsales fuerunt repulsi, nec absentes contumaciter fuimus: Cum præter id, quod nulla fuerit citatio, ut est dictum, *c* peremptorium terminum, prout ordo juris expostulat, citatio non haberet, prout citationis forma Principibus & Prælatis missa per literas evidenter ostendit. Contumaciam nostram præterea Magister Thadæus de Suessa, magnæ curiæ nostræ judex, fidelis noster, & plenæ procurationis mandatum excusat: cujus auctoritas pro eo, quod fuerit criminale judicium, ad quod frustra procurator intervenerit, nullatenus enervatur, cum ipsius citationis tenor, quæ non aut procuratores nostros exegit, manifeste contrarium dedisset intelligi, videlicet quod contra nos non criminaliter, sed civiliter tantum fuisset agendum.

5. Prædictis etiam omnibus absque nostro præjudicio circumscriptis, dato, quod manifestissime fuerimus contumaces, non est ista legitimæ contumaciæ pœna, quod delatur aut accusatus & contumax, privato vel publicato judicio, in nullo de sua causa discusso, per diffinitivam debeat sententiam condempnari. Sunt etiam & aliæ contumacium pœnæ civilibus legibus & canonibus introductæ.

6. Denique posito, quod omnia prædicta juris præsidio fulciantur, licet irrefragabiliter causæ nostræ sufficiant & deserviant, ipsius tamen *d* pronunciationis tenor ipsam sententiam nullam ostendit, per quam non procurator noster præsens, sed nos absentes extitimus condempnati, quam ipso jure nullam sententiam esse leges & jura qualibet manifeste declarant.

7. Evidenter quoque processus præcedentis iniquitatem causæ denotat, quod eum sententia comprehendat multiplex perjurium, videlicet de sacramento pacis præstito per nos (sicut asserit) non servato: præterea de Anagnia per privilegia Divorum Augustorum & nostra Ecclesiæ Romanæ concessa, violenter à nobis postmodum occupata, ut asserit: de Cardinalibus & prælatis captivatis ad Concilium convocatis: de quibusdam Ecclesiis, ut asserit, Ecclesiarum Prælatis, rebus Ecclesiasticis, & Clericis Regni nostri per officiales de Regno, nobis absentibus, per vim *e* violatis. A quibus omnibus nos incorruptibilis veritas & publica munimenta defendunt, prout seriatim hæc omnia fida relatio latoris præsentium & ipsorum munimentorum tenor manifestissime profitentur. Quanquam ad tam diræ pœnæ sententiam, si tamen sententia dici potest, quæ contra nos præcipitata dinoscitur in prædictis, Venerabilem Frisingensem Episcopum, dilectum Principem nostrum, Fratrem Hermannum Magistrum Domus sanctæ Mariæ Theoronicorum, & Magistrum Petrum de Vineis, dilectos fideles nostros, quos ultimo pro omnimoda *f* confirmatione pacis tractatæ ad Concilium mittebamus, saltem per triduum, ad multorum Nobilium & quam plurium Prælatorum instantiam Summus Pontifex noluit præstolari. Nec quod de *g* cessatione census adjicitur, pro Regno Siciliæ, nos ab ipsius Regni dominio vel jure secludit, cum censum ante discordiam inter nos & Ecclesiam exortam absentes à Regno per officiales nostros solvi mandaverimus, prout literæ nostræ inter rationes Rationalium nostrorum inventæ manifeste declarant; & quem pro tempore supradicto, Domino teste, usque in præsentem diem credimus esse solutum, præsertim cum à nobis nunquam extiterit requisitus. Post discordiam vero censum eundem consignatum Prælatorum & publicarum personarum sigillis apud sacras ædes deponi mandavimus, & hodie depositus conservatur.

8. Apparet igitur animosa nimis, & ampullosa non minus ex ipsius inflictæ pœnæ severitate, sententia, per quam Imperator Romanus, Imperii auctor & dominus, in læsæ majestatis crimine dicitur condemnatus, per quam ridiculose legi subjicitur, qui omnibus legibus Imperialiter est

a mf. etiam.
b mf. Clamensf.
c mf. vim citationis citatio non.
d mf. procurationis.
e mf. abbatis.
f al. consummatione.
g mf. cessione.

ter est solutus. Deo quo *a* temporales pœnæ sumendæ, cum temporalem hominem superiorem non habeat, non sunt in homine, sed in Deo: spirituales autem pœnas per Sacerdotales nobis pœnitentias injungendas fore tam pro contemptu clavium quam pro aliis transgressionibus humanæ fragilitatis & peccatis, nedum à Summo Pontifice, quem in spiritualibus patrem nostrum & dominum profitemur, si tamen ipse nos ut filium debita *b* relatione cognoscat, sed per quemlibet Sacerdotem reverenter accipimus, & devote servamus.

a mſ. temporaliter. *b* mſ. religioni.

9. Ex quibus omnibus manifeste liquet, quod hi potius ignominiose quam juste habendos nos dixerint de Catholica fide suspectos, quam nos, teste summo judice, in omnibus & singulis ejus articulis, secundum universalis Ecclesiæ disciplinam, & approbatum Romanæ Ecclesiæ Symbolum firmiter credimus & simpliciter confitemur.

10. Advertat ergo industria Regia, si prædictam nullam sententiam ipsu jure nullumque processum servata non minus in nostram quam omnium Regum, aut quarumlibet temporalium Dignitatum, perniciem debeamus: quam nulli nostrorum Germaniæ Principum, à quibus assumptio nostri status & depressio nostra dependet, præsentia vel consilio firmaverunt. Advertat & aliud, qualis ex istis initiis exitus expectetur. A nobis *a* incipit, sed noveritis, quod *b* finiet in vobis; quia nostra potentia primitus conculcata, resistentiam aliquam non expectat. Vestram ergo justitiam in causa nostra tuentes, vobisque & vestris hæredibus à longe providentes nobis in hiis, sicut convenit, toto posse viriliter assistatis. Ner illud omittimus, quin fidei vestræ constantiam ex confœderatione *c* contracta nobiscum ad præsens fiducialiter requiramus, ut ne dum adversario nostro aut Nunctiis seu Legatis ipsius occulte vel publice faveatis; quin nobis potius toto posse viriliter assistatis, nullum omnino Nunctium Papalem, vestræ ditioni subjectum, in dispendia nostra convertere molientem, aliquatenus admittentes: pro certo sciturı, quod nos, à quibus inchoata est tantæ temeritatis audacia, quæ ad depositionem nostram, velut cujuslibet Sacerdotis, auctoritatem sub jurisdictionis extendit, *d* taliter, assidente nostris auxiliis dextra Regis Regum, qui semper justitiam comitatur, istis principiis occurremus, dum modo se nobis illorum potentia non opponat, Regum & Principum scilicet, quos communiter causa nostra contingit, & quorum non minus vertitur interesse, quam nostrum, quod vobis & aliis orbis terræ Nobilibus causam justi timoris in talibus nostra defensio non relinquet. Inviti tamen hoc facimus, teste Deo, sed sumus necessario provocati, velut qui peste multiplici Christianitatem nostris temporibus videmus attritam: ad cujus auxilium una nobiscum, prout etiam nupertime scripsimus, totis vos intendere viribus *a* expectamus. Requirat autem de manu ejus hoc Deus, qui tanto discrimini materiam subministrat.

a al. incipiatur *b* mſ. finietur. *c* al. facta. *d* mſ. caliter. *a* mſ. sperabamus.

VI.

De Captione Legatorum & Prælatorum vocatorum ad Concilium Romanum contra Imperatorem congregandum.

Anno Christi 1241.

Fridericus Imp. Comitibus & Principibus aliisque Nobilibus.

ADuncta nobis continuæ felicitatis auspicia, quibus dextera Domini prosequitur gressus nostros, desiderium vestrum volumus non latere. Cum enim in obsidione Faventiæ, præterita hyeme, fixa fuerint victricia castra nostra, & insultus propter asperitatem temporis non pateret, sed ex machinis & instrumentis bellicis extrinsecus & intrinsecus dicta civitas quassaretur, & muris ex continuo machinarum ictu collapsis, & propter subterraneas vias, quas nostri fecerant, attingentes mœnia civitatis & intima penetrantes, verni temporis adveniente temperie, & ipsa non confideret ulterius se tueri, misericordiam nostram tandem humiliter imploravit, & quartodecimo die præsentis mensis Aprilis cum omni devotione se ad mandata nostra convertens, quanquam de suis diffisa meritis, de nostra tamen, quæ suis præponderabat excessibus, pietate confisa, ditioni nostræ colla subjecit, corporali fidelitatis debitæ præstito juramento, aliis omnibus illicitis juramentis, quæ prius fecerat, penitus *a* abjuratis. Nos igitur, qui de nostrorum subjectorum conversione gaudemus, gloriosum vindictæ genus pensantes, ignoscere subditis, & suorum excessuum judicium moderari, civitatem eandem & cives ejus, in gratiam nostram clementer accepimus, & reos absolvimus, ac offensas remisimus, quas patrarant, captivis eorum liberaliter liberatis, & tantam eis de nostra gratia confidentiam dedimus, ut victi nostram misericordiam consecuti victoriæ quoque nostræ *a* denuo congaudeant, & nihil dulcius nihilque suavius jugo Imperii sentiant experiri.

a mſ. abdicatis. *a* mſ. dono.

2. Cumque post victam & obtentam Faventiam, ad populationem vicinæ Bononiæ nostrum properaremus propositum instantius, & conatus exercitu nostro potenti ex diversis mundi partibus restaurato, *b* accingeremus ad iter feliter, auribus nostris nova expectata desiderabiliter occurrerunt; quod cum Penestrinus Episcopus, nostri honoris & nominis obtrectator, qui rapacem lupum sub ovina pelle *c* tegebat, quod posset effugere manus nostras, *d* patratarum velut suarum in nos conscius offensarum, frequenter species hominum ex alterna rerum & commerciorum varietate contraxit, & Oddo sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconus & Cardinalis, qui diu *e* Legatus fuerat in partibus Transalpinis, & contra honorem nostrum multipliciter machinatos, nec non & plures alii cum tanta Prælatorum turba, quam divinare nemo poterat, pro Concilio contra nos Romæ celebrando, ex diversis mundi Provinciis congregati Januam *f* venientes & conspiratione facta cum Januensibus, nostris

b mſ. contingeremus *c* mſ. gerebat. *d* mſ. ex protracta. *e* mſ. legati fuerant. *f* mſ. reventantes.

nostris rebellibus, & ermata ibidem copie galearum, cum quibus duci Romam & reduci Januam convenerant, sub infaustis eorum auspiciis viem navigationis assumerent, galeas nostras & Pisanorum, quas ed eorum impediendum transitum sollicitudo nostra diu ante provideret, & paraverat in locis & portubus, per quæ oportebat eos necessario pertransire, obvias habuere: itaquod homines Regni nostri cum victorioso exercitu nostro, cum fidelibus nostris Pisanis, nostrorum infidelium Januensium galeas potenter adgressi, tribus eorum galeis in mari submersis, & personis amissis, viginti & duas galeas triumphaliter habuerunt: quarum sedecim specieliter obtentæ sunt ab hominibus Regni nostri, reliquis sex ad manus devenientibus Pisanorum, in quibus capti sunt duo prædicti Legati, & cum eis G. de *a* Romeniola, tertius insimul Legatus, qui Januam pro eorum passagio disponendo præcesserat, ut in eodem casu cum prædictis Legatis *b* insimul ligaretur. Capti quoque sunt quamplures Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Priores, Presbyteri, Procuratores, & diversorum Nuntii Prælatorum, Ambasiatores civitetum rebellium Lombardorum, qui contra nos ad ipsum Concilium mittebantur, & quatuor millia Jenuensium electorum, qui pro comiteru eorum & ducatu fuerant deputati Prælatorum, quos omnes carcer noster includit, dignam pœnam pro excessibus exspectaturi.

a al. Romangia. b al. simiter.

VII.

Ex Edicto super eadem captione Prælatorum & etiam Legatorum,

Fridericus Imperator eisdem.

Ut de Penestrino illo, qui summum contra nos ubilibet odium incitabet, divinum nun defuisse judicium arbitremur, qui sub latentis lupi specie, in ovina pelle ac egni chlamyde Deum inclusum gerere non formidat. Et sciat, Deum nobiscum esse, sicut cum Dis eorum, qui non solum per Sacerdotium, sed per Regnum & Saeerdotium mundi machinam statuit gubernandam, &c.

IIX.

De exigenda subventione à Clericis.

Fridericus Imperator justitiario Terræ laboris.

Pacem quæsivimus, gratam nobis & à cunctis gentibus votis effectetam, ad quam per humilitatis & patientiæ holocaustum recte captandum, præter sacri Imperii jus & morem, nostræ se plories inclinavit humilitas, petitionis suæ votum tantu celerius adeptura. quanto pax à Petri Vicario, cui legatum pacis hominibus erogandæ commissum est, patientius petebatur. Vulnus enim immedicabile, quod latebat interius, externi curam medicaminis insensurum, sub mitis medici cura computruit, & cordis intima, proh dolor, violenter invasit. Congregavit enim Lugdunanse Concilium, quod inviti referimus, Romanus Antistes, per quod ferrum gentibus præbuit: & quod sedasse debuerat lethele *c* dissidium, nostris temporibus enormiter *d* innovevit. Restat itaque mederi per gladium, & putres partes audacter abscindere, ne subsequenter imputres per coadhærentiam putrefiant.

c al. subsidium. d al. incitavit.

2. Ad salubre igitur & festinum subsidium procurendum, fidelium nostrorum omnium promptas exquirimus voluntates, Ecclesiarum potissime & Ecclesiasticarum personarum, in quibus profundius laborat infirmitat, speciale subsidium inquirentes continue: quorum vota manifeste conjicimus votis nostris concurrere, ut quanto fuerit concursus agilior, tanto magis indigens & promptior sit cautela. Quocirca fidelitati tuæ firmiter & districtè præcipiendo mandamus, quatenus eb eisdem Clericis tuæ jurisdictioni subditis tertiam partem obventionum & proventuum omnium pru tam salubri ac necessaria subventione instanter exigas, & recolligas festinanter, ipsam ad nostram cameram celeriter transmissurus. Et cum Clerici cura protegantur Imperii * Pastoris negligentia vel temeritate dispersi, volumus quod de bonis patrimonialibus, quæ in Imperio possident, contingentem eos *e* collectam exolvere mora solito auctoritate nostra compellas. Quoscunque vero ex eis in solutione quentitetis subsidialis eis impositæ val imponendæ repereris contumaces, nostri carceris excidiis *f* aggreges, ne impunitas scelerum intentionem aggravet delinquendi.

* al. Papæ. e al. collectam. f al. adgraves.

IX.

Quatenus obedientia Papæ præstanda, & de auxiliis contra Tartaros mittendis.

Anno Christi 1241.

Fridericus Imperator Regi Angliæ & aliis Regibus.

Victorioso exercitu nostro Romanorum finibus insidente, ad quos aviditate componendæ pacis, & voto generalis dissidii removendi, specieliter Celsitudo nostra pervenit, publicus ad castra nostra rumor exivit, quod die præsentis mensis Augusti Gregorius Papa novus rebus est humanis exemptus, ut qui pacem & tractatum pacis recipere denegabat, ad univarsalem *g* dissensionem aspirans, & argumanto patabat augmenta extendere, quibus Augustum offendere nitebatur, vix ultoris Augusti metas excederet. Reveta mortuus est, per quem pax deerat, & vigebet dissidium, & quàm plures in mortis periculum incidebant: de cujus morte multa compassione *h* compatimur, & licet digno contra eum odio moveremur, velut ab eo manifestis injuriis & evidentis inimicitiæ persecutionibus lacessiti, gratum tamen compassio nostra duxisset, si dieb. suis fuisset ab auctore salutis indultum, quod

g al. defensionem. h al. condonamus.

qood reverendam matrem nostram, sacrosanctam Romanem Ecclesiam, & *e* Romani sedem Imperii, cui euctore Domino præsidemus, iuoptata pace, sopitis dissensionibus, statuisset, & ortum de suo motu scandalum generale, quod valde fuit moderuis temporibus *d* Christi fidelibus onerosum, suo tampore quievisset. Sed cum aliter visum fuerit in excelsis epud omuium conditorem, qoi novit in abscondito consilia malignantium, rebus *e* dissidentibus providit, ad clamorem Christiani populi *f* consulendum; & disponat iu Apostolica seda virum secundum Cor suum, qui sui prædecessoris indirecta dirigat, & malefacta corrigat, totius mundi paci provideat, & nosin materuam dilectionem Ecclesiæ dirigat & reformet: ad quod votis ardentibus totisque conatibus iusudamus, ut pacis amico & Zelatora justitiæ in Dei Ecclasia substituto, ad honorificantiam novi patris devotus filius assurgamus, dummodo prædecessoris criman & odium nou sequatur, ei omnimodam benevolentiam, defensionem & patrocinium impensuri, ad tuitionem Catholicæ fidei & Ecclesiasticæ libertatis. Cum ad hoc, disponante Domino, Imparii sceptruin susceperimus, & Romanum Imperium nostrum ad *g* prædicationam Evangalii præparatum, ut Catholicam fidem & matrem Ecclesiam à cunctis hostium incursibus nostrarum virium conatibus eruamus. Præsertim cum ex Occidentalib. partibus *h* Tartarorum hostis advenIat, qui destructis partibus cujusque Regni, per quas transitum habuarat, & diversarum multitudine gantium conculcata ac copia popolorum, funditus abolere satagit tam nomen quam cultoras fidai Christianæ, cui de providentia novi patris Romaui substituendi Pontificis, assistenta uobis potentia Regum & Principum orbis tarræ, magnifice disponimus obviare. Assumantes fiducialiter causam Dei, qui nostros de medio auferet inimicos, ut expositas ad ejus servitium impedire naqueant vies nostras. Vos igitur divinæ provisioni ac nostris affectibus devoti & hilares assurgentes; tam vestrorum proposita cordium præparetis ad pacem, quam armis necessariis corpora muniatis ad cooterendam uue uobiscum hostium advenientium superbiam Tartarorum.

e mſ. Romanam. *d* mſ. Christi colis on. *e* mſ. discendentibus *f* al. consolandum. *g* mſ. præparationem *h* mſ. harbarorum.

X.

De electione novi Pontificis & factionibus Cardinalium tollendis.

Fredericus Imperator Cardinalibus.

EX fervore caritatis intriosecæ, decapitatis membris Imperialis Excelleotia condolet ex indivisibilis dilectiouis affecto, qoem arga matris ubera gerit filius *a* tam edultus. Ecclesiæ viduatæ compatitur, & compatiendo turbatur, et cui meterna suavitas dulcediuis alimenta communicat, & augmenta dilectionis interius submioistrat, doloris proculdubio non sit expars. Dolor est siquidem, dolor ingens, si Romana Ecclesia, quæ mater dabet esse omnium & magistra, in qua secus decursus aquarum plaotata sont ligna scientiæ, Pastoris solatio destituta careat, & quæ viam præbere tenetur aliis, penitus oberrans in invio cogetur addiscere, quæ facere dabuit & docera. Sane contra naturalis ordinis tramites mira res agitur, dum revolutas undique aquas abyssus denegat, quas virtutum ariditas, ut credimus, jam siccavit, dum Petri navicula, quam cupiditatis flamma voravit in gyrum, nautarum culpa præsidentium, procellis intumescentibus conquassatur, dum mater Ecclesia, quæ iu Petro, Immo in Petra posuit fundamentum, *b* viro privata proprio remansit ut indigena viduata. Ecce siquidem perdenta Christo Vicarium, princeps Apostolotum perdidit successorem, & pastorali regimine grax Dominicus est privatus.

a mſ. non *b* mſ. sensu

2. Sed Cardinales Ecclesiæ cardines & columnæ, quos diminutio capitis eclipsavit, quales cæteris aliis vanitæ Imperatores exiſtitis, veritatem ipsam cum opprimitis, ac vosmatipsos vindicetis, qui, si veritas sub modio noo celatur, non sufficitis ad vindictam? Quales semita sostenditis errantibus, qui à directionis gressibus deviatis? Sedentes enim ut colubri, non quæ sursum sunt, sapitis, sed quæ ante oculos sita sunt, mundana non spiritualia intueotibus providetis. Sitit enim quilibet Præsulatum, & Papalem esurit apicem, prout voluntas dictat arbitrö, & merita non subserviunt rationi, quorum vultus ut invidiæ maculis sic & livore cupiditatis obducitur, quod neuter vivere velit alterum, uedum Pontificatus fastigio suscipare *c* cathedratum. Movetur igitur, movetur & merito oostræ Majestatis industria, & tanto fortius doloris aculeo pongimur, quanto propius præ cunctis gentibus & mundi Principibus, Romanæ Ecclesiæ Imperium vicinatur. Cesset itaqua, cesset mataria factionum, cesset mataria scandali, cesset inter vos innata dissensio. Nou vos seducat Angelus tenebrarum, qui sæpe in lucis Angalum sa transformat, & unitatem gregis Dominici disrumpere consuevit, sed pax & justitia, quæ velut duæ sotores se invicem amplaxantur, in Cardinalium Collegio vendiceot sibi locum, & invocata Clementia illius, cujus est à summo cælo egressio, ad alectionam novi Poutificis unanimiter procedentes, nobis & mundo Præsulem eligatis; & ibi divinus intuitus vos invitet, obi pondera subeant æquitatis, ut à vobis, quos in opera prævios & in merito præcursores habere debet populus Christianus (cum assimatur à subditis audacius in axemplum, quod committit irreverentius improvisio Prælatorum) non transgressionis notam accipiant subditi, quos regitis dirigendo, sed pruvisionis unanimis gratiam & firmioris fidei, *d* vestigia subsequantur.

c al. decoratum. *d* al. prosequantur.

XI.

De juribus Imperii & Regnorum tuendis contra Papam.

Fridericus Imperator Regi Castellæ.

PEnsantes amoris effectum, quem ad vos semper habuimus hactenus, & habemue illæsum, firmiter credimus, ut sieut nos honorem vestrum, & commoda libenter amplectimur, sic vos vice mutua diligatis & nostra, quæ maxime causam *a* nostram aliorumque Regum & Principum immediate contingunt, & in quibus non minus vestrum quàm nostrum vertitur interesse. Latere vos quidem forte non credimus, qualiter Pontificalis ambitio, *b* in Imperialis honoris dispendium, & aliarum dignitatum secularium conata est semper hactenus jura nostra confundere, & nostræ potentiæ brachia conculcare, faciens *c* à Cæsare Romano principium, ut ad Reges & Principes alios faciliorem habeat in sua cupiditate progressum. Papaquidem non advertens quot & quanta mundo dissidia ex hujusmodi turbatione proveniant, tractare non desinit, qualiter hostes nostros contra nos temporaliter incitet, & fideles à devotione nostra subvertat: qui si rebus ordinarie procedeutibus rectitudinis spiritu duceretur, deberet contra Christicolas arma deponere, & in Terræ sanctæ subsidium, quam quolibet inspicimus auxilio destitutam, universaliter à Christi fidelibus advocare succensum. Præter alia namque discrimina, quæ per unionem sopiendæ discordiæ inter nos & Summum Pontificem procurandam totus fere jam mundus potuit evitare: nunc miserabili casui, quem non sine fidei dispendio audivimus evenisse in partibus Transmarinis, fuisset forte salubriter & accurate provisum, cum ibidem nostram vel filiorum nostrorum præsentiam, quam libenter & frequenter obtulimus, habere potuerit fructuosam, si petitæ per nos multotiens pacis favere negotio voluisset. Nos enim, qui propter honorem Catholicæ fidei sacrosanctam Romanam Ecclesiam in omnibus reveremur ut matrem, & libenter ut patrem Summum Pontificem coleremus, si ipse nos ut filium debita *e* relatione tractaret. Sed sic in negotio ipso jura nostre defendimus, ut non solum nobis, sed vobis & Principibus aliis gloriam de nostra defensione portemus. Vos tamen, quorum in hoc non minus vestra causa quam nostra nunc agitur, & in quos de facili posset hujusmodi *f* tefundi negotium, sic aperte videmini præsentia facta negligere vel super iis potius dormitare, tamquam si vos in nulla parte contingerent, & de honore *g* vestro cura vobis sollicitudinis non adesset. Quis enim cautelæ modus in vobis & Regibus aliis in casu simili remaneret, si causam ipsam Romanus Augustus desereret? vel quorum humeri ad onera ista portanda sufficient, si colla nostra subtrahere ab eorundem supportatione vellemus? Verum cum iste Romanæ Sedis Antistes, ab ea forsitan devians pietate, quam prædicat, quocumque modo poterit (licet contre nos suum posse non valeat) tam in Imperio quam in Regnis nostram nitatur offendere Majestatem, motus nostros arcere non possumus, quin causam nostrem & aliorum *a* in nostra viriliter tueamur.

a mſ. veſtram.
b mſ. dignitatis Imp. ho.
c al. caſſare Romanum Principem.
d mſ. Ipſe.
e mſ. religione.
f mſ. reſcindi.
g al. noſtra.
a al. injuriam.

2. Requirimus igitur affectionem vestram & rogamus attente, quatenus diligentius edvertentes, qualiter Summus Pontifex, qui suis viribus nihil habere deber, cum gladio non contentus in alienam messem falcem præsumptuosius immittit: & ut non longe à nobis petatur exemplum, qualiter in regno Portugaliæ honoris *b* sibi usurpaverit dignitatem, curas vestras & animos excitetis. Nos enim ad conterenda nostrorum colla rebellium, & expiandas insidias, quæ per Papalem astutiam nostris processibus *c* præparantur, post magnificum exercitum nostrum, quem ad partes Italiæ victoriose præmisimus, personaliter illuc processissemus instanter: sed audito casu Illustris * Regis Francorum, dilecti amici nostri, statim processus nostros in nostrum † Regnum prævidimus revocandos, ubi de vasallis nostris & gente ac de suffragiis sic Ultramarino negocio magnifice disponimus providere, quod dexteram nostræ potentiæ, quam sibi liberaliter extendimus, celeriter sibi sentiat fructuosam. Non tamen ex hoc tales curas obmittimus, quin ed conterendas rebellium nostrorum reliquias potenter & viriliter intendamus. *d* Ad hæc quicquid se servitiis nostris N. devotus fidelis noster vobis dixerit, indubitanter affectio vestra credat, & adimpleat cum effectu.

b mſ. unde.
c mſ. imperantur.
* S. Ludovici à Saracenis capti.
† ſc. Siciliæ.
d al. Idem hoc.

XII.

De juribus Imperii tuendis contra Papam.

Fredericus Imperator Regi Anglorum.

QUantum & qualiter hactenus pro generali bono fidei Christianæ & Terræ sanctæ præcipue, ad cujus recuperationem universorum Christianorum, sed præcipue Regum & Principum, vota suspirant, ed pacis universaliter expectatæ dulcedinem inter nos & istum & alios Ecclesiæ Romanæ Pontifices procurandam, humilitatis nostræ colla submisimus, Serenitatem vestram scire jam credimus, nec mundus ignorat. Volumus siquidem pacem reverenter expetere, ne in mundi grassari dissidiis videamur. Volomus etiam illum antiquum *a* patientia nostra temperare rigorem, quem nonnullos progenitores nostros, Divos Romanos Augustos in similibus forsan novimus habuisse. Sed nuper ad requisitionem & preces Illustris Regis Francorum, dilecti amici nostri, quem in Terræ sanctæ subsidium personaliter & instanter accinctum percepimus, desperatum quodammodo pacis negocium resumere delectabat: quanquam nos præteritorum experimento perterriti de pacis dubitare negocio necessario cogeremur, cum quotiens humilitatis ad pacem evidentia signe monstravimus, totiens voluntatem patris adversæ invenerimus duriorem. De processu tamen Regis ejusdem ad pacem reformandam, & aliqualem à Pepe præsente fiduciam obtinentes, & fideles nostros, sollempnes

a al. addunt, ſerpentem.

Excellen-

Excellentiæ noſtræ Legatos plena noſtræ voluntatis auctoritate ſuffultos ſpecialiter providimus deſtinandos, qui dum pro honore Eccleſiæ matris noſtræ, ac felicibus Chriſtianitatis auſpiciis, ſalvo honore ſemper Imperii & Regnorum, quibus auctore Domino præſidemus, voluntetem noſtram ad pacem paratam exponerent, & manifeſta præſagia futuræ ſatisfactionis offerrent, quæ Rex ipſe ſufficientia reputabat. Sed iſte bonus Paſtor Eccleſiæ nullum ad jus & honorem Imperii nec ad nos voluit habere reſpectum, immo totum ſuæ volens, ſubjicere poteſtati pro Lombardorum negocio, quod pacis tractatui ſemper hactenus impedimenta paraveret, & pacem, quam debebat exquirere, turpiter profugavit oblatam. Ecce itaque quæſivimus pacem, & non invenimus; & vocavimus eam, nec vocata reſpondit. Reſtat igitur, ut ſic noſtra & imperii noſtri jura, aliorumque Regum & Principum in cauſa noſtra viriliter tueamur; quod nos non oporteat amplius pacem *a* imprudenter expetere, ſed potius acceptare petitam.

a mſ. impudenter.

XIII.

De maturanda novi Papæ electione, & factionibus Cardinalium tollendis.

Fridericus Imperator Cardinalibus.

AD vos hoc eſt verbum, filii Efrem, male tendentes arcum, & pejus emittentes ſagittas, turpiter in die belli converſi retrorſum. Ad vos eſt hoc verbum, filii Belial, diſperſionis oves. Ad vos eſt hoc verbum, animalia capita non habentia, magni judicis aſſeſſores. Ad vos eſt hoc verbum, *b* Cardines obliquati, in quibus male volvitur orbis. Ad vos eſt hoc verbum, pro quibus totus mun[illegible]pro rumpens in verba obloquitur. Nec ego poſſum loqui, quin obloquar, quia de mundo ſum. [illegible] mundus, propter quod oportet me ſentire cum mundo, tamquam pars ſuo toti nec diſſona nec adverſa. *c* Scribenti itaque attendite de dura & inepte materia rudem Epiſtolam exordii dignitate privatam. Nam lingua mea velocitate compulſa prius prorupit in verba, quam concipiens et Spiritus delegaſſet, & ſic *d* ſuperioris non expectato Imperio minus plene concepta edere feſtinavit. Habet enim hoc animus perturbatus, quie plerumque ſermonem *e* inconcinnum parit, aliquando & abortivum. Communis nempe animorum exiſtit opinionis conceptio, & ſermo vulgaris, quod non mediator Dei & hominum, JEſus Chriſtus, qui de ſummo cœlo venit in finibus ponere pacem terræ, Apoſtolorum magiſter & dominus, ſed diviſus in ſe Sathanas, princeps Aquilonarius, ſit in medio veſtrum, tamquam quibus miniſtrat ille perſuaſor diſcordiæ, homicida, mendacii pater, & ſpiritus tenebroſus, qui poſuit linguas veſtras in diviſiones, & in pluralitatis articulos veſtram diſgregare compulit unitatem, dum nec vobis nec mundo conſulitis, qui tot periculis propulſatur; & de Petri naviscula, quæ per maris altitudinem ventorum flatibus rapitur, remis & remige deſtituta, non eſt aliquatenus vobis curæ; quæ quamvis in ſe ſubmerſionem non timeat, in ſuis tamen multa & varia patitur naufragia tempeſtatum. Sane ſi diligenter attenderitis, qualiter Nationes & Gentes, quas judicare ſoletis, contra vos deriſorie moveant capita ſua, in ſe unusquisque palleret, & ad tam publicum ac deteſtabile opprobrium propulſandum, aliud inveniri non poſſet neceſſerium argumentum; quia dum quilibet veſtrum aſpirat ad cathedram, unus non conſentit in alium: & dum alter in alterum non conſentit, nullus erigitur: & dum nullus erigitur, cathedralis dignitas evaneſcit, & ſic ex diſconvenientia veſtra conveniens Eccleſiæ ſtatus confunditur, & fidei, qua vivitis, deperit rectitudo. Per capitis quidem defectum *f* emergit, ut ubi natura ſenſus impoſuit, monſtra reputemini quædam, & membra truncata, in cunctis ſenſibus defective, quoniam videtur obtenebratus viſus veſter, diminutus auditus, & ille oris ſonus, in fines orbis terræ olim ſonorus, penitus obmuteſcens, factus eſt deriſorius echo. Nam Petri & Pauli hodie non audiuntur tonitrua: concionatores, ſicut canes muti, ad ſilentium *g* compelluntur. Forte vobis paratæ ſunt manus ad recipiendum, ſed deſunt munera, quia, qui veniebant de Saba, aurum deferentes & munera, modo non veniunt, cum non inveniant Dominum in præſepi, ducatum eis cœleſti ſydere denegante. Pedes etiam non habetis ad ambulandum, & dum modo potentis vos *h* munus coarctet, ultra quinque pedes veſtra veſtigia non moventur. Proh pudor, minime reptilium animalium in prudentia vos præcedunt. Nam aves ſine ducatu non volant, apes absque rege non vivunt. Vos autem ſine rectoris gubernaculo fluctuentes, matrem Eccleſiam fortuitis *i* caſibus relinquentes, nec attenditis, quod illi errantes Iſraëlitæ quadraginta diebus absque duce vagantes, ad ſummam dementiam devenerunt, pro Deo ſibi vitulum conflatilem ſtatuentes. *k* Si Papalis ceſſavit unctio, veniet ergo alius Sanctus ſanctorum: & quis ille eſt? O inexcuſabilis culpa! Rachel vitum non habet, cujus parvuli petunt panem, & non eſt qui porrigat eis; Et Sion dudum pulchra facie jacet ſicut mulier menſtruoſe, cujus viæ lugent, & non eſt qui veniat ad ſollempnitatem. Concidit gloria vultus ejus, oculi columbarum viſu deficiunt, quia non videtis quantum proximi eſtis naufragio, dum ſine remige navigatis. O ſi poſſetis alternatim libros conſcientiæ legere, quot & quantas inveniretis in eis accuſatorias lectiones contrariis *l* ſententiis involutas. Revertatur ergo, revertatur quilibet in ſeipſum, & ad reſumendum caput, ſenſum & rationem induite, ut mater Eccleſia tamdiu ſuo privata lumine decorem ſuſcipiat, & ad ſtatum priſtinum reducatur.

b al. Cardinales obligati.
c mſ. Scribens.
d mſ. ſuperiorum
e a. incontinuum.
f mſ. immergit.
g mſ. complectuntur.
h mſ. manus coliget.
i mſ. canib.
k mſ. Sed.
l mſ. conſcientiis.

XIV.

De Imperii & Regnorum Juribus contra Papæ tyrannidem tuendis.

Fridericus Imperator Regi Franciæ.

SAtis nos pungit interius res nova, immo nostra medullitus interiora perturbat, dum ibi noviter inquietamur amarius, ubi quietis dulcedinem studiosius procuramus: inde crudeliter *a* lædimur & impetimur *b* impudenter, unde pacis deberet hodie prodire charitativa religio, & beatitudinis zelus à fidei nostræ cultoribus expectari. Iste siquidem Summus Pontifex, pastor Ecclesiæ, qui quantum nos dudum gravibus injuriis provocarit, affectionis vestræ notitiam scire confidimus, nec mundus ignorat. Sagittas acutas emittit de pharetra, cum satis sibi fore non æstimans in Italiæ partibus continuis jaculis impetiisse nos hactenus, nisi nunc in peculiaris nostri Regni pomerio, quod materna nobis decrevit hæreditas, spinas interserat, & nostrorum corda fidelium, quæ fidelibus *c* nativa consolidat, à nostra devotione subvertat, pro Lombardorum negocio, cujus occasione pacis tractatui semper impedimenta paraverat, & in quo toties voluntatem ejus invenimus duriorem, quoties voluntatis ad pacem signa monstravimus promptiora. Nuper autem in Regnum ipsum per Fratres Minores & Prædicatores, quos ad honorem divini nominis benigno semper favore *d* proteximus, posseteenus quoque semper curavimus ampliare, quorum etiam insolentias hactenus, licet inviti tulerimus, & nobis metus justa causa subesset, tamen aliquando sub patientiæ velo studuimus præterire, literas improvide dirigit, & occultas suggestiones innectit, quibus excommunicationis & interdicti sententias, contra nos ductum improvidè fulminatas, à fidelibus nostris regnicolis sub interminatione divini judicii faciat observari.

a al. cædimur.
b al. imprudenter.
c mss. shotiva.
d mss. promovimus.

Aliud etiam quod reputamus amarius, suæ mentis amaritudinem contra nos protervins eructavit, [illegible]n translato quasi *a* mirificæ Crucis mysterio de partibus Transmarinis in Regnum, tamquam i[illegible]in Apulia crucifixus sit Christus, fideles Christicolas, de quorum festino subsidio, si Christi fidem evangelizaret in terris, ut credimus, Terræ sanctæ necessitati debuerat providisse. Nunc parentes armat in filios, & ad Regni Christianissimi spolia crucesignat. Sed hoc profecto, quod diximus, non magis ex odio, quo nos specialiter injuste prosequitur, quam ex innato, si dici liceat, sibi livore nequitiæ processisse pensamus, ut quia dilectionis puræ constantiam, qua vos affectuose amplectimur, directe non poterat spiritu detractionis impetere, calumniosus saltem inficeret per obliquum. Dum enim ante coeptum nostræ Peregrinationis aggressum, pro desperato quodammodo pacis negocio, quod nos tunc temporis resumere delectabat, ad requisitionem vestram solempnes Excellentiæ nostræ Legatos apud Lugdunum nostra Serenitas destinasset; quamquam nos forsitan, præteritorum experimento perterriti de pacis dubitare negocio necessario cogeremur: idem sanctissimus pater noster conceptum noluit circa mare nobis præsentibus virus evomere, sed tempus nostræ captavit absentiæ, ut tam inconsultus quam subitus motus ejus nobis infamiæ notam impingeret, & factionis hujusmodi nos quasi participes denotaret, ut quæ nobiscum nondum celebrato colloquio temptare in tempore distulerat, post nostram cum eo collationem habitam, præsumpta sic temere, non sine vestræ conniventiæ vel consensus involucro, quod omnino non credimus, manifeste daret intelligi præformata.

a al. vivificæ.

3. Ex his sane causis dolorosis multiplex causa nos afficit. Movemur itaque merito super juribus nostris injuste sic impeti. Movemur, quod nunc videmus illos in arma consurgere, qui prædicare debent tantummodò verbum Dei. Movemur nunc illos in gremio proprio nutrivisse serpentes, quos quanto familiarius hucusque tractavimus, tanto nunc hostes pestiferos gravius invenimus. Movemur profundius, & Terræ sanctæ necessitatibus præcipue condolemus, quæ cum sui ad recuperationem nobis dudum firmo proposito arma & scutum viriliter assumentibus, & potenter Gallicorum virium, recepto subsidio, universale Christianorum subsidium expectaret, *a* Papali suffragio frustrata jam remanet, & necessario *b* vobis in partibus Ultramarinis morantibus, à quibus modico freto distabat Apulia, ipsam rerum victualium opulentiam subtrahere *c* oportet. Cum enim anno proxime præterito de caristia victualium Regni nostri, quam accidens temporale conduxerat, prout dilectionem vestram latere non credimus, vestris & vestrorum usibus amicabiliter faceremus utiliter provideri, ac essemus inantea tanto fœcundius providere parati, quanto nunc ibidem tempora fœcundiora succedunt, quæ possit aut debeat nobis inantea Regni fertilitas opulentiæ signa successive protendere, si Regnum oporteat ex partis nostri persecutione, quem diximus plusquam civilia bella tractare, Regalis industria videat & discuriat diligenter. Non tamen in totum propterea sic vobis credatis nostra subsidia velle subtrahere, quin vobis, in quantum negociorum & temporum qualitas patitur, tum ex publico bono fidei Christianæ, quam tota mentis affectione zelamus, tum etiam ex amicitiæ fœdere, quod *a* ad invicem progenitores nostros & vos nobiscum habuisse suaviter memoramus illæsum, tamquam illi, quem cariorem habemus præ aliis, libertatis nostræ suffragia promptis affectibus *b* offeramus.

a mss. populari.
b mss. nobis.
c al. oporteret.
d al. quam.
a mss. quod ad progenitores nostros & nos, vos hab.
b mss. affectamus.

4. Causam itaque nostram in libra vestræ considerationis appendite, & cum vestra res agatur in proximis, quæ fides hujusmodi danda sit Angelis, quod ex ipsorum actibus colligatur exemplum, si sub patientiæ pallio *c* iidem nostræ benignitatis ingrati cauda nos feriant: si religionis, quam solo figurant habitu, pudore postposito, ab ea deviantes pietate, quam prædicant, negociis bellicis temporaliter se immiscent. Super his honori *d* nostro, sicut convenit, providere. Attendat nihilominus vestræ Serenitatis affectio, si sunt hæc arma Pontificum: si Petri subambulus, quod debet, in gentibus oleum

c mss. ejusdem.
d al. vestro.

oleum pietatis infundat: si Christi Vicarius Christi vices adimpleat, dum illis dispendiis incaute se implicat, ex quibus homicidia sanguinolenta proveniunt, & animarum multiplicia detrimenta *a* nascuntur. Nos enim, qui pondus incudis hactenus patienter & devote subivimus, nolentes per patientiam nostram lædi, de cætero pati nequivimus, quin causam nostram defendendo viriliter mallei consequenter officium *b* assumamus.

a mſ. vaſtantur.

b mſ. aſſignamus.

XV.

De injustitiis Papæ.

AnnoChriſti 1239.

Fridericus Imp. Regi & universis Baronibus Regni Franciæ.

VT justitiam & innocentiam nostram tam vos, quam alii Reges orbis & Principes, agnoscatis, ecce processum totum super discordia inter nos & istum Summum Pontificem & *c* prædecessores suos habitum præsentibus denotamus. Nec tamen in hoc stare tantummodo fidei nostræ volumus, sed quicquid tenori scripturæ præsentis inserimus, parati sumus per sufficientia documenta monstrare.

c al. prædeceſſorem ſuum.

1. Primum quidem scire vos credimus, qualiter Innocentius alius prædecessor istius, sub cujus pallio & tutela nos nedum impuberem, sed infantem dimiserat mater nostra, contra nos in Imperio, cujus Principes nos in Regem elegerant, & nos in vita * patris nostri assumere in Imperatorem juraverant, Othonem de Saxonia, veterem adversarium nostrum & Domus nostræ, Imperatorem in nostrum præjudicium consecravit. Qualiter Comitem Guilhelmum de *d* Brenna, qui velut gener Tancredi Regis mortem nostram & sanguinem sitiebat, sub defensionis nostræ specie misit in Regnum. Qualiter etiam Gregorius Nonus, prædecessor istius, sub ea occasione, quod nos in termino nobis dato infirmitate gravati transire nequivimus ultra mare, contra justitiam primitus excommunicationi subjecit. Postmodum pro servitio Jesu Christi Peregrinantibus nobis, Regnum nostrum hostiliter usurpando, qualiter de Ultramarinis partibus redeuntes, recuperata terra nostra, quam ceperat, pacem cum ipso firmavimus, quam nullo credidimus tempore violandam: quam licet ipse nobis in parte servare negaverit, requisitus, cum civitatem Castellæ, per ipsum turbationis occupatam, reddere nobis nollet ex pacto, visus est in multis aliis nostram offendere Majestatem. Nos tamen nedum illatas dissimulabamus injurias, verum etiam servire sibi sub infinitis laboribus, nostris sumptibus nitebamur, nos opponendo Romanis pro recuperatione jurium Ecclesiæ, quæ Romani prædicti nequiter occuparant. Cum quibus postea Papa præfatus pacem composuit, nobis insciis & contemptis.

* Henrici VI Imp.

d mſ. Brenda.

2. Nec illud ignorare vos patimur, qualiter nos de prædicto servitio diebus ante proximis recedentes in Theotonia, ad corrigendum Henrici primogeniti filii nostri errorem, favoris sui literis præcedentibus, occulte Nunctium ad Principes destinavit, per quem mandavit eisdem, ut nullum de filiis nostris vel de genere nostro in Regem sibi assumerent, prout eidem Principes nobis postmodum retulerunt: Et sic quem pro impenso servitio publice credebamus habere propitium, latenter invenimus inimicum. Qualiter etiam paratis nobis in Italiam descendere pro recuperandis non minus Ecclesiæ quam Imperii juribus, pro Ultramarino negotio procurando, & ordinando statu pacifico regionis ipsius, misit nobis obviam Episcopum Penestrinum, Nunctiorum nostrorum contradictione contempta, qui non ipsum, velut inimicum nostrum, sed Antiochiæ Patriarcham, velut amicum, in Transmarino negotio requisierant pro Legato. qui prænominatus Episcopus à devotione nostra Mutinam temptavit avertere, & Placentiam, in qua velut originarius ejus nimium poterat, evidenter avertit contra nos, & munitiones quas potarat, ne transire possemus: quamquam hoc frustra temptaverit Lombardorum exercitum congregando. Obtenta deinde cum auxilio Regis Regum de Mediolanensium pravitate victoria, dum Lombardi contra nos & Imperium de ipsorum resistentia desperarent, ad eundem Summum Pontificem, qui *e* eos favore palliato protexerat, publice defugerunt, asserentes, quod nisi ipsos à nobis Papa præfatus & * Fratres publica defensione defenderent, ad nostrum & Imperii dominium redire cogerentur.

e mſ. nos.

* i. e Cardinales.

XVI.

De injustitiis Papæ & tyrannide.

AnnoChriſti 1239.

Fridericus Imperator Regibus & Principibus mundi.

LEvate in circuitu oculos vestros, arrigite filii hominum aures vestras, videte generale orbis scandalum, dissidia gentium & generale justitiæ doleatis excidium, exeunte nequitia à * senioribus Babylonis, qui populum hactenus tegere videbantur, dum judicium in amaritudinem, & fructum justitiæ in absynthium convertunt. Sedete Principes, & intelligite populi causam nostram: de vultu Domini judicium prodeat, & oculi vestri videant æquitatem. Scimus enim, & in supremi judicis virtute confidimus, quod cum apud vos pondus & pondus, mensura & mensura, non fuerit, profecto modestiam & innocentiam *f* nostram in judicii vestri libra præponderare videbitis calumniosis detrahentium labiis & venenosis adinventionibus factionum. Sed nec nunc primum credimus nostram justitiam, & residentis in throno Domini pravitatem, ad publicam mundi notitiam devenire quin præter agillimæ famæ præloquium, quæ frequenter in maximis virginum aurium deflorat auditum, nos ipsi, quos primitus tumor eduxerat, subsequentibus postmodum *g* vestræ Serenitatis affectibus firmaremus, qualiter iste novus athleta sinistris auspiciis factus Pontifex *h* generalis, amicus noster præcipuus, dum in minoribus esset ordinibus constitutus, beneficiorum omnium, quibus Imperium Romanum Christianum sacrosanctam dotavit Ecclesiam, oblitus statim post assumptionem suam fidem nostram cum tempore varians, &

* i. e Papa & Cardinalibus.

f al. veſtram.

g al. virginibus.

h al. noſtra.

moïes

mores eum dignitate commutans, ac habens quodammodo de publica perturbatione pruritum, in nos *d* supremum & unicuoi Ecclesiæ filium, suæ malignitatis aculeos acuisset, dum occasione sumpta, quod e propter imminens scandalum evitandum Sacramento præstito, & lata contra nos excommunicationis sententia, nos ad certi temporis spatium obligaverimus transituros, adversa valetudine corporis præpeditos ad, ectis capitulis aliis, de quibus antea numquam fueramus admoniti, excusationibus nostris, contra Deum & justitiam, omnino rejectis excommunicationis sententia nos denunciavit astrictus: cui velut in nos primitus cum nostra voluntate prolatæ cum humilitate paruimus, absolutionis beneficium, pristina nobis incolumitate corporis reddita, postulantes, dum nos ad transitum pararemus instanter. Quo petito & injuriose negato, in Terræ sanctæ subsidium sub pia voti prosecutione transivimus, æstimantes Vicarium JEsu Christi ad ejus negotium *potius*, quam ad conceptæ malivolentiæ contra nos odium aspirare. Sed is, quem speravimus ea solummodo, quæ sursum sunt, sapere, & *f* nisi cœlestia contemplari, ac mente credidimus in cœlestibus habitare, subito inventus est homo: quin immo per humanitatis opera non solum penitus à veritate sepositus, sed à qualibet humanitate desertus, dum præter impedimenta, quæ nobis in Syria præparaverat per Nuntios & Legatos, qui Soldanum literis suis, quas nos captis earum latoribus in publicum testimonium reservamus, ne nobis terram divino cultui deditam redderet eum Regni Hierosolymitani *g* juribus munierunt. Regnum nostrum Siciliæ violenter intravit, (sumpta occasione, quod Raynerius filius olim Ducis Spoleti præter conscientiam & voluntatem nostram, prout nos postmodum per ipsius pœnam expressimus, terram Ecclesiæ parabat intrare) & non prout Sancti regna per fidem vicerunt, sed in perfidiam & perjuria prædicat universis. Et si qui in perjurium prædicatione solummodo provocari non poterant, provocarentur exemplo, dum ipsi *h* præfecti Papalis exercitus, quo terram facilius obtinerent, nos captos in Syria manifeste jurabant.

d al. summum
e al. Papa.
f al. visibilo. contemplantem, mente.
g viribus
h mf. præfati.

2. Redeuntibus tamen nobis de partibus *i* Ultramarinis, & *k* injuriam nostram propulsantibus solummodo, nec juxta magnificum morem Imperii procedentibus ad vindictam, per concordiæ medios verbum pacis libenter admisimus: Romanam matrem nostram Ecclesiam ex agnitione Catholicæ fidei benignam *l* reperiisse cognoscimus, sed *m* patrem semper invenimus *n* simulatum, dum & reconciliationis die *o* viam nostræ confusionis excogitans, ut rediremus in Italiam sub inermi & domestica comitiva nobis instantissime persuasit: occasionem fingens, ne velut ex priori & armato processu timoris causam nostris fidelibus præstaremus, asserens quod nobis omnia planissima faciebat, cujus contrarium per nuntios & literas suas manifestissime procurarat, prout constat testimonio plurium nostrorum fidelium, qui tunc temporis erant omnium conscii, velut ex eis quidam participes & alii principes factionis: propter quod filio & Principibus nostris de Germania omnibus ad nos venientibus, per rebelles nostros itineribus publicis præpeditis, ac eodem filio nostro apud Aquilegiam navali præsidio cum summa difficultate *p* recepto, & in Theotoniam abinde destinato, in Regnum de necessitate redivimus, utpote quos ad conterendam rebellium nostrorum *nequitiam* Patris consilium vel astutia potius miserat imparatos: ubi quodammodo respirantibus nobis & capessentibus requiem post labores, tunc subito sanctissimus Pater noster, nostræ quietis invidus *q* Consultoris sibi personam assumpsit, instantissime persuadens, ut contra Romanos Excellentiæ nostræ devotos, & alios rebelles nostros de Tuscia, qui jura Ecclesiæ & Imperii detinebant, procederemus audacter, de suo favore securi, quia nobiscum nostra & Imperii nostri pondera participare volebat. *Et* sic ad multam ejus instantiam Romanos, qui tunc temporis Viterbium impugnabant, in favorem Ecclesiæ nos oportuit diffidare, eo tem mittentes literas latenter ad Urbem, quod hæc præter suam conscientiam & mandatum *r* fecerimus in odium Romanorum. Et eum interim quadam seditione suborta oportuisset nos necessario conferre Messanam, ut factionis inchoatæ principiis obstaremus, sta solummodo occasione prætenta, quod tam nobilem nostram Siciliæ insulam noluimus amittere, nobis irrequisitis & omnino celatis, contra communem opinionem hujusmodi gentium, quos belli socios & participes statuit non relinqui, fœdus init cum Romanis per nos ad mandatum ejus, ut diximus, diffidatis, non attendo, quod nos sub dubia *f* vice, & honoris nostri fortuna, inter rebelles & seditiosos ipsos remanentes inermes, copiosam & strenuam militiam armatorum in ejus subsidium misetamus, quamquam personaliter nequiverimus interesse.

i al. transmarinis.
k al modus
l. mf. reperisse.
m mf. patenter.
n ml. simulatam.
o mf v tam nostram
, nostræ consumptionis exc de nobis redeuntibus in It.
p mf retento
q mf consiliatiorum.
r al facere mus.
f. al. fide

3. Adhuc tamen conscientiæ nostræ fidelis integritas & pura devotio, quam ad matrem nostram sacrosanctam Romanam Ecclesiam habeamus, novercalia *t* deliramenta patris agnoscere filium non sinebant, quin quod esset justitiæ, crimini imputantes, satisfactionis nostræ causam in novercantis patris arbitrium poneremus, qui tanto nobis vice qualibet illudebat acerbius, quanto constantius uberiorem spem auxilii arbitrii promittebat. Medio itaque tempore, dum in negocio Italiæ *u* per Papam ad honorem Imperii exponendo, ex præteritorum conjectura discriminum nulla spes remansisset nobis in posterum vel exilis, ac prosecutionem eandem opportuno tempori reservaremus expectationibus nostris repente credidimus illuxisse fortunam. Reiterata discordia inter Ecclesiam & *x* Romanos, in qua sic magnifice thesauros nostros effudimus, & personam, quod omnem omnino conscientiæ pravæ rubiginem de malivolentium cordibus credidimus eruisse. His etiam omnibus non contenti ut de nobis prorsus indubitata securitas Ecclesiæ præberetur, circa ipsam zelo summæ devotionis accensi, & incentivo perfectæ caritatis inducti, ad istius Papæ præsentiam personaliter ivimus, etiam non vocati, ducentes nobiscum Corradum filium nostrum, nunc in Romanorum Regem electum, Regni Hierosolymitani hæredem, quem nobis tunc temporis,* fratris sui manifesta transgressio, filium

t al. delinimenta.
u al. pro populo a.h. l. componendo.
x al. Romanum imperium, in sua sic.
Henrici VII Regis Rom.

filium unicum in paternæ dulcedinis affectione reliquerat, ac eundem, post oblatam Ecclesiæ personam nostram in totum obsidem Summo Pontifici nos offerre nun pudnit, nnionem omnimodam inter nos & Ecclesiam sub attestatione divint judicii postulantes, quam dudum antee iste Præletus Ecclesiæ gen erelis, dum esser Episcopus Hostiensis nobis suaserat expetendam: propter quæ umnia dum serenam nobis totius Curiæ faciem affectio præmonstrata prætenderet, & verba grauissima tam Summi Pontificis, qusm Curialium omnium sinceram ostenderent etiam voluntetem, cum eis omnia perfecisse credentes, sub intentionis nostræ facto proposito, uec minus sub obsequiorum nostrorum fiducia dissensionis causam inter nos & Lombardos, in sinu corrupti judicis *a* totiens suffoceram, & seditionem discordiæ inter nos & cives ec Nobiles Acconenses devotione proinptissima duximus exponendam. Sicque de negotiorum nostrorum omnium prospera *b* consummatione securi, in obsequium Ecclesiæ personaliter elacri voluntate processimus cum exercitu copioso, quem sub magnis ærarii nostri dispendiis congregari tam de Germeniæ qusm de Italiæ partibus feceremus, nec prius à concepti propositi prosecutione destitimus, quam libertatem Ecclesiæ conculcatam in Urbe, & terram exterius occupatam, in statum pristinum & debitum nostra potentia reformaret, indubitanter extimantes, ut quod obtinere prius favor justitiæ nostræ non poterat, devotionis obsequia mererentur. Sed eudite retributionem mirabilem, quam pro tenta devotione, pro tot beneficiis, pro tam indubitatæ fiduciæ firmemento Christi Vicarius, Pastor Ecclesiæ, nostræ Catholicæ fidei *c* prædicator, nobis in singulis reddere procurevit.

4. In primis super Ultramarino negotio quicquid per G. Archiepiscopum *d* Ravennatem, tunc Apostolicæ Sedis Legatum, secundum formam expressam ab ecclesia sibi detem, videlicet de reducendis nobis & Corrado filio nostro in possessionem plenam & pristinam omnium nobis jurium subtractorum in Regno, fuerat rationabiliter ordinatum, statim adveniente Cæsariensi Episcopo, vel Legato prædicto nec Nuntiis nostris ad Curiem venientibus espectatis, nec ulla majori mora protracta, nisi quatenus delatos *e* bitzantios potuit numerere inordinate, fuit ex toto *f* destructum negotium Italiæ, & nedum quod ed honorem nostrum, sicut promiserat, ordinaret. Immo petentibus & instantibus nobis ed revocationem hostium nostrorum, qui iu Lombardia & Tuscie fideles nostros tunc temporis divisis suis exercituum copiis devastabant, nec nos cum militibus nostris, quos tunc in partibus illis, ut diximus, pro Ecclesiæ servitiis habebamus, ire permisit, nec e-lios nunctios seu literes voluit destinare, ex quibus bella *g* campestrina sunt & quamplurium strages hominum ec incendia subsecuta. Adhuc etiam tanta superiori nequitie non contentus, civitatem Castellæ, per ipsum retroactis turbationis temporibus occupatem, quem reddi nobis Fratrum omnium consilia suedebant, receptis CCC. libris illius monetæ, quæ ed quingentarum marcharum numerum non ascendunt, nobis cum eo permenentibus in Reate, & pro eo mulre marcharum millia expendentibus, reddere recusavit. Ecce qualiter pater noster senctissimus nos emabat.

5. Demum super profectibus nostris omnibus, & super pacificanda nobis Italie, de qualibet patris vel vitrici potius nostri benevulentia desperare coacti, apprehendimus arma & scutum, *h* vires in Theotoniæ partibus ed quas diebus illis prævaricario filii nostri nos de necessitate vocaverat, propter ingressum Italiæ congregatis militibus strennis justitiam nostram armavimus, quam aliqut precibus minime poteramus. Quod cum ad notitiam Summi Pontificis pervenisset, sub prætextu treugarum, pro terræ sanctæ subsidio fidelibus populis & terræ Principibus indictarum, armatum nobis ingressum Italiæ per Apostolicas litteras interdixit, oblitus quod eb ipso eodem die, quo prædictas treugas indixerat, nos tamquam advocatum & defensorem Ecclesiæ requisivit, quod contre Romanos, quos sibi jure Ecclesiæ subtraxisse dicebat, potenter procedere deberemus: Iniquum in nobis reputans, quod domum *i* nostram & possessionem evitam, quam nobis rebellium nostrorum rebellio furiosa præcluserat, viriliter ingredi nitebamur, quod justum crediderat in Romanis, qui patri vel evo seu parentibus suis in nullo prorsus extiterent obligati. Adjecit præterea in literis antedictis, quod de negoriis Lomberdiæ in ipsum præcise & sine adjectione temporis & conditione aliqua, nullo jure & honore Imperii reservatis, compromittere deberemus, *k* per quod vel nos in perpetnum à juris nostri cujuslibet persecutione suspenderet, vel jus & honorem Imperii libere suffocaret: quod cum nobis nec nostrorum consilia Principum, nec præteritorum stipendiorum memoria suederent, ad alias ertes postmodum se convertit, mittens obviam in vestimentis albis lupum rapacem, Episcopum Penestrinum, per quem epud nos cum literis Apostolicis de vita sanctissima commendatum, Placentiam nobis subditam ac nostris amicam ad factionis Mediolanensium perjuria revocavit, per ipsum firmiter extimans sic universaliter & in totum fideles nostros evertere, ut processus nostros in Italiæ partibus enervaret. Qua spe, faciente divina clementia, quæ suum tuetur Imperium, omnino frustratus, clemantibus apud *l* Deum rebellium nostrorum incendiis, de populationibus rerum, & stragibus occisorum, qui ipsum de data eis rebellionis secure fiducie, nec non de fide mentita, eo quod contra nos & Imperium ipsius assistere promisisset, publicis vocibus arguebant.

6. Et quie juxta petitiones eorum occasione prædicte juste nos excommunicare non poterat, impedimenta clandestine nostris processibus undique præparavit, literas & Legetos per Imperium & ubique per orbem, ut quoscumque à fide & devotione nostra seduceret, destinando; non poterat tamen nostrorum fidelium fides, & amicorum nostrorum affectio, *m* Conscientiam

a al. totaliter.
b al. consumptione.
c mſ. procurator.
d mſ. Ravennatum.
e al Bisantinos juvare.
f mſ. distructum.
g al. campestria.
h al. viros de Theuthoniæ partibus ad quos congregandos diebus.
i al. nostram possessionem & pactionem habitam.
k al. vel quod nos.
l al. cum.
m mſ. cum.

 nostram

a mſ Conſtantiam noſtram laterenon vellent volentes hab. B a mſ expatiatis

noſtram *a* latere nolentes adhuc vinci in malo, ſed in bono malum vincere cupientes, ſolempnes Nunctios noſtros *b* G. venerabilem Panormitanenſem Archiepiſcopum, N. Florentinum & N. Reginum Epiſcopos, Magiſtrum Thadæum de Sueſſa magnæ Curiæ noſtræ Judicem, & R. Porcaſtellum Capellanum, dilectos noſtros fideles, ad Sedem Apoſtolicam duximus deſtinandos. Quibus oblata ſibi per eos ex parte noſtra, devotione omnimoda, & unione tractata contra Hæreticam pravitatem, & pro Eccleſiaſtica libertate, de reformandis Eccleſiæ & Imperii juribus, diutius inter nos & Eccleſiam *c* expetita, Summus Pontifex de præſentium Fratrum ſuorum conſilio, petitione & legatione noſtra in omnibus ſuis capitulis acceptata, per eoſdem & Archiepiſcopum Meſſanenſem, quem ad nos pro parte ſua Nunctium deſtinavit, Excellentiæ noſtræ promiſit, quod ceſſans Cæſari mandaret ubique locorum ab impedimentis omnibus, quæ ſe noſtris proceſſibus objeciſſe coram Fratribus ſuis & Nunctiis noſtris manifeſtiſſime fatebatur, prout hæc omnia per teſtimoniales Auguſtum præfatorum omnium literis manifeſtiſſime comprobantur. Cum qua reſponſione Nunctiis noſtris & ſuo, ad noſtram præſentiam redeuntibus, priuſquam tres dietas a Curia receſſiſſent, eis omnino celatis,

d mſ. Mantuanorum

& in confuſionem *d* ipſorum G. de Monte longo, quem prius ad nos Nunctium miſerat, & contra nos poſtmodum ad everſionem Mantuanorum, & aliorum noſtrorum fidelium ſtatuerat, in Lombardiam cum legationis officio plene miſit, arbitrans quod quanto magis ſibi major daretur auctoritas, tanto majora nobis & noſtris impedimenta pararet. Præterea Principibus noſtris, Prælatis Italicis & Germanis, nobiſcum in Curia noſtra manentibus, literas deſtinavit, ſugillationem famæ noſtræ non modicam continentes, certis articulis intercluſis, & ſpecialiter de gravaminibus, quæ quibuſdam Eccleſiis Regni noſtri, ut dicebatur, illata, ſuper quibus mandavit nos per eoſdem Principes

* Extant Tom 2. pag. 78.

admoneri. * Quorum Articulorum omnium, & Reſponſionum noſtrarum ad ſingula, ſeriem vobis ſub teſtimonio publico duximus conſervandam & mittimus intuendam. Quibus omnibus coram Principibus & Prælatis ac Religioſis quamplurimis, quibuslibet ordinate & ſigillatim oſtenſis,

e al. ac ver. cap præſentium rubor ora perfundebat.

quamquam de patris inſtabilitate confuſos ſe ſibi reputarent, *e* quos de verecundia capitis ſæpe rubor ora perfuderat, nihilominus tamen de eorum conſilio prædictos, Panormitanenſem Archiepiſcopum, Magiſtrum Thadæum, & alios Excellentiæ noſtræ Legatos, cum Nunctiis Civitatum noſtrorum fidelium, ad Sedem Apoſtolicam duximus remittendos, per quos ad omnem ſatisfactionem, mora qualibet & occaſione poſtpoſitis, obtulimus nos paratos. Sed nec in iis omnibus averſus eſt furor ejus, quin dictus Chriſti Vicarius non evangelizans pacem, ſed auctor ſchiſmatis & amicus erroris, contra traditionem ſanctorum Patrum, audiens Nunctios noſtros, portantes omnino ſa noſtræ devotionis *f* exenia, per dietam Urbi vicinos, & metuens ne ſupervenientibus ipſis, obice vallo juſtitiæ, ſine publico ſcandalo forte procedere non valeret, ex præfeſtinantia nimia conceptum edidit abortivum, in nos ſupremum Chriſtianorum Principem, die Dominica Palmarum, contra ſolempnem morem ſacroſanctæ matris Eccleſiæ; & in Cœna Domini poſtmodum ſententiam præcipitando, per quam, ſicut per famam audivimus, licet hoc credere minime debeamus, contradicente ſaniori parte Fratrum ſuorum, de quorundam Cardinalium Lombardorum conſilio, excommunicationis vinculo nos dicitur aſtrinxiſſe, præpeditis Nunctiis noſtris per fautores & ſatellites ſuos, de

f al. littaras.

* Beſoldet.

patrimonio pauperum * ſolidatos, qui jam applicuerant, ne ad allegandam noſtram innocentiam & juſtitiam ac demum ad ſatisfactionem offerendam, etiam ad cautelam præſentiam ſuam & aſpectus publicos pervenirent.

g mſ. ſed licet nos ſingulari quadam publica notione propter noſtram juſtitiam & ejus infamiam procedere malla merito debeamus, quam perperam &c. h mſ. alias per quem in tito noſtram ſed n. hab. Scid eo nullam nobis poſſe fieri injuriam reputamus. i mſ. dalatorem. k mſ. Sibiliam natam Comeſt.

7. *g* Sed eſto, licet nos ſingulari quadam & publica infamia Papam eſſe diſſemus, ô quam perperam & inordinate contra nos proceſſit, qui bullientem intrinſecus ſpiritum niſi forſan exterius evomuiſſet, ſuam nequitiam editurum, forſan interius increpuiſſet. Dolemus tamen, & ex corde dolemus ac turbamur propter verecundiam univerſalis Eccleſiæ matris noſtræ, quam Dominus Jeſus Chriſtus ſub ſpecie Virginis glorioſæ in paſſionis teſtimonio diſcipulis commendavit, *h* nobis per talem, quem omnino noſtrum judicem non habemus, nullam nobis poſſe fieri juſtitiam, licet injuriam fieri reputemus: utpote eum Papa ſe prius inimicum capitalem, non judicem noſtrum, & opere fuerit profeſſus & verbo, rebelles & hoſtes Imperii publice, confovendo: indignum præterea tandi coherctione Principis, & qualibet Pontificalis officii dignitate ſeu auctoritate ſe reddit, dum Mediolanenſem civitatem, quæ pro maxima parte teſtimonio Religioſorum & quam plurium fide dignorum inhabitatur, Hæreticis contra nos & Imperium manifeſto favore tuetur; & R. de N. Civitatis Mediolanenſ. Poteſtatem, dudum *i* delatione Epiſcopi Florentini, viri vitæ probabilis, & famæ probatæ, in pleriſque Capitulis ſuper Hæretica pravitate convictum, ob odium noſtrum & Mediolanenſium gratiam non admiſit. Illum præterea Chriſti Vicarium haberi & Petri ſucceſſorem, ac diſpenſatorem animarum fidelium, indignum fatemur, non ob dignitatis injuriam, ſed ob perſonæ defectum, qui diſpenſationes cum Fratrum deliberatione maxima faciendas in Camera ſua, more mercatoris cujuslibet, in libra mercationis appendit, celatis Fratrum conſiliis, cum quibus ſecundum Eccleſiaſticam diſciplinam deliberare tenetur, exiſtens ipſe bullator, & ſcriptor, & forſitan etiam numerator. De quibus quaſdam diſpenſationes inſignes præterire ſilentio non valemus, per quas *k* Sibyllam mulierem naturalem quondam Conneſtabilis Regni Cypri, contra ſeparationis ſententiam ſuper hoc per Epiſcopum latam, & de non habitando ſimul præſtito ſacramento, Galliono de N. & ſororem Johannis de

Cæſarea

Cæsarea Jacobo de N. qui prius sororem suam desponsaverat, proditoribus nostris, sibi gradu tertio contingentibus, invicem coocessit uxores percepta non multa pecuniæ quantitate, verumtaman quod quantitati vel numero defuit, odii nostri qualitas compensavit. Defectum itaque & prævaricationem ipsius in illo dolemus, quod contra nos nobiles & potentes Romanos, subditos Imperii nostri, sibi satellites & fautores acquirat, effusione pecuniæ non contentus, ipsius castra & possessiones sanctis Patribus pia fidelium devotione donatas, Romanam Ecclesiam nostro patrocinio commendatam, dilapidando largitur. Itaque non miretur universalis Ecclesia, nec Reges aut Principes & populi Christiani, si nos talem sententiam judicis non veremur, non in contemptum Papalis officii vel apostolicæ dignitatis, cui omnes Orthodoxæ fidei professores, & nos specialius præ cæteris subesse fatemur, si personæ prævaricationem arguimus, quæ se solio tanti regiminis monstravit iodignam.

8. Et ut omnes Primates nominis Christiani sanctom intentionis nostræ propositom, & *b* internæ devotionis Zelum in nobis agnoscant, & quod non ex odii fomite, sed ex causa justissima Romanus Princeps contra Romanum Antistitem commovetur, dum metuit ne grex Dominicus sub tali Pastore per devia deducatur: Ecce qood sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales per sanguinem Jesu Christi, sub attestatiune divini judicii, per literas nostras & Nuntios obsectamus, ut generale concilium Prælatorum & aliorum Christi fidelium debeaot evocare. Nuntiis nostris & reliquorum Principum accersitis, in quorum præsentia nos ipsi præsentes cuncta, quæ diximus, sumus ostendere & probare parati, & his etiam duriora.

b mſ. intimæ.

9. Nec minus illa probabili ratione turbamur, *c* qood iste Rector Ecclesiæ, qui debet esse virtutum quarumlibet & constaotiæ maximæ vas electum, contra promissionem suam literis suis de Fratrum conscientia nobis factam, per quas in restaurandis Imperii juribus non deesse nobis, sed adesse promisit consilio, auxilio & favore, præter personæ nostræ blasphemiam, sic manifeste, sic nos aperte persequitur, cum licet conscientiæ nostræ librum sollicite revolvamus nullam in nobis occasionem inveniamus aut causam, per quam iste inimicus homo debuisset contra nos tam acriter commoveri, nisi quod cum ipso contrahere de nepte sua desponsanda Henrico naturali filio nostro, *d* nunc Regi Turrium *e* & Galluri, magnificentia nostra incongruum credidit, & reputavit indignum.

c mſ. probatissimus.
d mſ. tunc.
e mſ. in Gal.

10. Vos ergo, Reges & Principes orbis terræ, nec solum nobis, sed Ecclesiæ, quæ congregatio est fidelium omnium, condolere: cujus caput languidum, princeps ejus quasi leo rugiens, in medio propheta ejus vesanus, vir infidelis, sacerdos ejus pollutus, sine justitia faciens contra legem: nobis tamen præ cæteris mundi Principibus defectus talis summi Pontificis est merito deplorandus, qui veluti viciniores & propinquiores affectione præcipua honores gerimus, & ipsius onera præsentimus.

11. Sed nec illud obmittimus, quin Serenitatem vestram affectuose rogemus, ut contumeliam nostram ad vestram injuriam revocetis: ad domum vestram cum aqua currite, cum ignis accenditur in vicinis. Causam motus Pontificalis attendite, & cur hæc io favorem nostrorum rebellium procurantur: quæ causa licet ad præsens expressa non fuerit, procul dubio tamen subest ut similia vobis & vestris imminere pericula timeatis. Facilis enim aliorum Regum & Principum humiliatio creditur, si Cæsaris Romani potentia, quæ prima jacula sustinet, conteratur. Hæc est namque causa pro vero, videlicet de Lombardis, quæ cor Papæ pungebat interius, licet ipsam foras educere propter vestrum & audientium scandalum non auderet, pro qua vobis per specialem Nunctium suum fide dignum, cujus ad hoc testimonium invocamus, oretenus expresse promisit, quod si negotium Lombardorum in ejus manibus poneremus, nedum quod in aliquo magnificentiam nostram offenderet, verum etiam totius orbis decimas Terræ sanctæ necessitatibus deputatas, nostris usibus applicaret. Nec est mirum: instantibus enim & acutis Lombardorum aculeis pungebatur, quibus prout aliquorum Prælatorum coofessione recepimus, de assistendo eis contra nos & Imperium, corporale præstitit juramentum, qui eos, peregrinantibus nobis in partibus Syriæ, pro servitio Jesu Christi transmisit in Regnum. Sed cum turpis fuerit ista promissio fidem frangere licite poterat, & edictum variara decretum. In quorum favorem rem audito horribilem, & discretione qualibet ac ratione carentem, facere minime formidavit. Cum enim nos per Pergamensem, *f* Brixinensem & Cumensem Episcopos, & alios Prælatos nos faceret ammoneri, quod vel satisfactinoem Lombardotum per ipsum deberemus accipere, vel treugas pro Terræ sanctæ subsidio per quadriennium, ut supra diximus, indictas observare Lombardis, cum ab indictarum treugarum tempore jam *g* quinquennium excessisset, nos rem tanti consilii ad deliberationem nostrorum fidelium modico temporis spatio servassemus, *h* monitoribus ipsis, *i* de approbatione Legati prædicti, G. de monte longo *k* videlicet, qoi apud Mediolanum interius morabatur, Inducias approbantibus supradictas, prout hæc omnia liquido Prælatorum præfatorum testimonio approbantur, *l* medio tempore nec voluntatis nostræ judicio, nec fidelium nostrorum coosiliis expectatis, conceptum virus evomuit contra nos prout aliquorum relatio retulit, ad depositionis sententiam procedendo. Hâ Deus! hâ crudelissime pater & pontifex! qui ut servum redimeres, filium perdidisti. Propter quod vestram & omnium Potentium manus nobis exigimus adjuvantes, non ut ad propulsationem talis injuriæ nobis nostra non sufficiant munimenta, sed ut totus mundus agnoscat, quod honor omnium tangitur, quicunque de corpore secularium Principum offendatur.

f al. Brixiensem & Cumanens.
g al. quadriennium.
h mſ. monitionibus.
i m. ad probationes
k al. fidelis nostri
l mſ. modico.

XVII.

Anno Christi 1241.

De defendendis Imperii & Regnorum juribus adversus Papam & Tartaros sive Turcos.

Fridericus Imperator Regi Ungariæ.

HOnor Imperii, qui propter tu bationes temporum valde fuerat in Italia diminutus, per quem
a mss. in. nostra & aliorum exaltatio Principum procuratur, diu nos a de coosilio tuo & aliorum Principum ad sui reformationem tenuit in eisdem partibus occupatos, ut quibuslibet deliciis & Regiis oportuoitatibus prætermissis, personæ nostræ ac nostrorum fidelium continuatis laboribus per quamplures annos, æstivis temporibus & hyemalibus, minime parceremus: Regnum hæreditarium, nostræ matris Augustæ obventiones & commoda, nobis undecumque proveniunt, præter mores regnantium cæterorum, qui bona hæreditaria commodis specialibus & privatis attribuunt, pro Rep. & augmento Imperii, tam in rebus quam in divitiis & Personis incessabiliter exponentes: ita quod auctore Domino, cujus prævia dextera feliciter in omnibus triumphamus, ad id labores nostri, transacti
b mss. universum. temporis, pervenerunt, ut devictis fere in b totum hostibus & Imperio nostro subactis, valde mo-
c al. communem. dici temporis restet labor: quo defuncto speramus ad perfectionem votorum c omnium, & pro-
d mss. triumphanter. sperum totius Italiæ operis complementum d triumphaliter pro nostro & communi honore Principum penitus pervenire.

2. Quia vero pridem auditis rumoribus nationis barbaræ Tartarorum, quod regnum Hungariæ subitis aggressibus invasissent, cogitamus pro animo ardente pariete, rebus nostris consultius succurrendum, adhæc prompta exposita voluntate, velut qui tam proprio suadente negotio, tum totius Christianitatis subsidio & tuitione Catholicæ fidei requirente; ad quam tuendam ex commissa nobis Imperialis officii dispensatione tenemur, & debemus inimicis fidei Christianæ totis viribus obviare. Sed summa necessitas necessariæ causam dilationis induxit, ut rem tam arduam Imperii, nos specialiter & principaliter tum & Principes contingentem, bellicis tot armorum laboribus & effusione Germa-
e al. proximum. nici sanguinis acquisitam, & ad finem e prosperum Germanis ensibus jam deductam Imperii, non deberemus omittere propter brevissimam moram temporis imperfectam, ut quod esset deterius, & facile contingeret, Italicis gentibus in absentia Dominorum suorum utentibus more solito, tantus labor & effusæ divitiæ pro recessu nostro in irritum reciderent, & recidua negocii graviora nobis & Imperio iterata pericola remanerent.

3. Aliud etiam urgens & evidens impedimentum occurrit, quod crescente inter nos & Romanum Pontificem ab olim orto dissidio, experientia præteriti temporis suggerit venturum tremorem, ut justus timor, qui cadere valeat in constantem, recte moveat mentem nostram, ne nobis venientibus ad confusionem hostium Barbarorum, familiaris & domesticus hostis, velut quondam nobis
f mss. armatis. partes Ultramarinas adeuntibus pro servitio Jesu Christi, f animatis quibusdam rebellibus nostris, marinis prædonibus, qui libenter occasionem absentiæ nostræ captarent, invaderet Regnum nostrum, cum familiaris pestis sit levior ad nocendum. Propter quod de te ac cæteris Principibus non absque admiratione publica totius loquitur lingua mundi, quod audito & cognito infausto adventu Infidelium Tartarorum, qui ad exterminium Ecclesiæ & Imperii, & totius cladem Christianitatis aspirant, prævisa deliberatione Principum, ad Sedem Apostolicam Nuntios misimus speciales, supplicaturos Summo Pontifici, ut tot impedimenta, quæ verbis & opere nobis opposuit, & opponere non desistit, inspecta necessitate Occidentalis provinciæ revocaret, & nos ad publicæ fidei & Christianorum defensionem venire permitteret, etiam inoffensos, ut moram nostram, quam juste causatis, tu vel alii Principes arguere non possetis. Sed si pro diuturnis bellis ac humiliatione rebellium,
g mss. armorum. exhaustis thesauris nostris & viribus, tot g annorum laboribus fatigati, tam h etiam ea tueri, quam ab
h al. propterea. inimici hominis insidiis præcavere, ac instanti dissensioni finem imponere compellamur, atrio nostro in tranquillitatis securitate disposito, reparatis opibus ac virium copiis, ad interitum communium hostium potentius accessuri. Quapropter omnibus prætermissis, felices gressus nostros direximus versus Urbem, ita quod Romanis partibus vicinamur, intendentes esse contenti veteribus & hæreditariis Imperii juribus, quæ Divi Augusti prædecessores generis & honoris, tam Imperii quam Regnorum, propria possederunt, quibus tam diu neglectis per te & alios Principes notari merito poteramus. Ad pacem vero, quam semper affectavimus, instantem operam adhibemus, quæ per nos fuisset olim & sæpius procurata, nisi frequens nostra peritio cures & animum pertinacis hominis induraret & inde nutriret discordiam, unde concordiam postularet. Speramus autem per præsentem gressum nostrum mundo acquirere bonum pacis, & statu Italiæ pacifice reformato, ac regno nostro in Dei securitate dimisso, tam onusti divitiis, quam gentium multitudine constipati, cum expectata
i mss. Romanæ. benedictione sacrosanctæ i matris Ecclesiæ veniemus, ita quod Domino exercituum nos juvante, quo duce, quo prævio, ministrata nobis è cælo victoria, qua de cunctis inimicis nostris consuevimus triumphare, Tartarorum multitudinem devincemus. Tuam igitur industriam exhortamur, quatenus interim cum toto tuorum conatu virium dilecto filio nostro Conrado, in Romanorum Regem electo, semper Augusto, potenter assurgas ad reprimendos impetus adversariorum communium & ingressus, ut eis non liceat campum liberum invenire, donec nos cum potentia maxima ad eorum confusionem ultimam veniemus.

XVIII. De

XVIII.

De tuendis Imperii juribus contra Papam & Turcos.

Fridericus Imperator Principibus & Statibus S. Imperii.

PErfectæ sollicitudinis Zelus, quo sicut pater Imperii statum ejusdem diligere cogimur & tueri propensius, nos inducit, non tam manifesta pericula quam suspecta vereri nec provisionem differre cautelæ, quousque rei certitudinem per *a* oculatæ fidei testimonium assequamur. Sed quanto majora timentur esse dispendia, tanto promptior & perfectior debet esse cautela. Infestam igitur nobis & infaustam omnibus famam de Tartarica tempestate, finibus Imperii jam vicina, per *b* nos, quos ex vicinitate loci primos invenit, ad vos certius & ordinatius deducendam, vobis idcirco describimus, ne super tanto discrimine taciti videamur. Advertimus enim ista jam dudum, sed quamquam audita decredere veremur, nec credere delectaret, ipsa tamen longe modernis remota temporibus contingere putabamus, tum propter itineris remoti distantiam, tum propter quamplurium fortium Principum & populorum occursum, qui frementium Tartarorum armis & furiis occurrebant. Sed ecce deletis in totum terræ Principibus, quos ubices invenerunt, & ad juga perpetuæ servitutis, paucissimis admodum ex inferioribus reservatis, jam versus Romani fines Imperii propinquare dicuntur, & ad religionis ac fidei nostræ matrem sacrosanctam Romanam Ecclesiam propbanandam, & Urbem Regiam Imperii nostri caput jure dominii vel injurie potius possidendam à Tartaris, prout firmiter creditur aspiratur. Verum quemumlibet beberemus, ut diximus, ex resistentia remota fiduciam, ne præoccupari tam subito crederemus, in totum tamen sollicitudo nostra non exuit providentiæ futuræ consilium, quin multis retroactis temporibus pensaremus, qualiter nos contra hujusmodi insulti casus, si diebus nostris ita contingeret, pararemus incursum. Sicque nos, quantumvis *c* invitos, oportuit eisdem præferre præsentia, & manifesta præponere dispendia præsumptivis. Propter hoc etenim Romanum Pontificem multis obsequiis, multisque blanditus nobis efficere nitebamur unanimem: sed, quod dolentes referimus, & reminiscimur lacrimosi, venenosi serpentis antiqui perfidia in tantum causæ nostræ prævaluit, quod in totius fere mundi perniciem, subjectorum nostrorum fidem in perfidiam transtulit, & nobis maternæ dulcedinis (proh dolor) ubera novercavit. Propter hoc etiam in totum fere vitæ nostræ delitiis abdicatis, quas Regni nostri Siciliæ nobis amœnitas offerebat, per aspera maris & montium Germaniam repetentes, & ad congregandas ibidem dominii nostri vires, & consolidandas in unum post domitam & oppressam Henrici primogeniti nostri dementiam, qui sibi contra nos sedem assumpserat Aquilonis, circa fertilis Italiæ partes direximus gressus nostros, vires nostras eduximus, & nostrorum, ut pacatis undique dominii nostri partibus, & rebellibus omnibus ad mandata nostre sabactis tanto velocius tantoque securius ad exterminium tempestatis Tartaricæ, Imperiali *d* dextera consurgeret, quanto potentius & quietius imperaret. Occurrit verumtamen dolorosa de præteritis reis gestæ memoria, quod transfretantibus nobis dudum in Terræ sanctæ subsidium & Sarracenorum excidium, qui non minus fidem nostram quam Tartari persequuntur, iste carissimus pater noster Mediolanensium, ac suorum complicum mentibus *d* iniquitate diffusis Regnum nostrum Siciliæ violenter invasit; & , quod horribilius est auditu, nobis ibidem agentibus, omnibus Christi fidelibus, ne nobis in Christi Crucifixi negotio ferrent vel præberent auxilium interdixit. Non est enim levitatis hic timor, qui potest cadere in constantem, velut præteriti temporis ad futurum, & ex toto è similibus offensis assumptus. Vellemus etenim tam gloriosa præteritorum memoratione foveri, quod illam gerimus de patre fiduciam, illam de subditis constantiam haberemus, quod in spe paterni consilii & fide firmissima subjectorum cuncta, post terga possemus secure relinquere, & ad exterminium Tartarorum, postpositis omnibus, festinare. Ecce verisimiliter opinamur, quod fama dissensionis bujusmodi non modicam Tartaris præstat audaciam, ut in seipsum divisum fidei nostræ Regnum facilius desoletur. Audito verumtamen per venerabilem Episcopum *e* Warmaciensem Legatum ad nos Regis Ungariæ, tam magna de Tartarorum *f* venientium tempestate, viis & jugis montium maturetis versus Romam direximus gressus nostros: ubi devotione nec minus potentia nostre de vicino conspecta, si apud Summum Pontificem, quæ sunt patris, invenerit filius, & apud Sedem Apostolicam pro tantæ fidei necessitate consilium, non dubitabit nullatenus nec retardabit Romanus Augustus, Catholicus Imperator, se rebellium inclitus *g* domator, pro tante fidei necessitate corpus exponere, & totius potentiæ vires offerre.

2. Vos denique. Patres conscripti, quibus est pestis ipsius fama clarior, quia causa vicinior, nobis prosequentibus Imperii nostri causam, quia dum patria, & avite Regna reperimus, non aliena per injuriam usurpamus, vias omnes inveniatis & modos, qualiter una nobiscum & cum aliis omnibus terræ Principibus, quos ad hoc per literas nostras & Nuntios excitamus pro tantæ necessitatis articulo, ad destructionem communium hostium occurrere valeatis, præsertim cum divina potentia non tam tueri velit Romanum Imperium quam augeri. Ecce enim Rex Ungariæ Regnum * nostræ ditioni subjecit, dummodo defensionis nostræ clipeo protegatur.

a mss. occultæ.
b al. vos.
c mss. inimicos.
d mss. voluntate.
e al. Varmacens.
f mss. nuncio.
g al. domator.
h al. recipimus.
* Imperialis se quainre, Principes Imperii in Comitiis Wormatiens. se à Maximiliano Imp. primo delusos conquerunt in Recessu Anno 1509. vide Reichs-handlungen. pag. 57. Quid de eodem Regno Hungariæ ad imperium reducendo cum Maximiliano II. Imp. actum sit in Comitiis Augustanis Anno 1566. vide Recessum in § Ueber vorigs/ & seq.

XIX.

De jurisdictione Imperii & Ecclesiæ: de Papa Antichristianismo & tyrannide compescenda de Fide Catholica, &c.

Fridericus Imperator universis Prælatis.

IN exordio nascentis mundi provida & ineffabilis Dei providentia, cui consilia non communicant elisoe, in firmamauto cœli duo statuit luminaria, majus & minus: majus, ut præesset diei: minus, ut præesset nocti. Quæ duo sic ad proptie officia in regione Zodiaca offeruntur, nt etsi se multociens ex obliquo respiciant, unum tamen alterum non offendit immo quod est superius, inferiori suam communicat claritatem. A simili, eadem æterna provisio, in firmamento terræ duo voluit inesse regimina, Sacerdotium scilicet & Imperium, unum ed cautelem, reliqnum ad tutelam: ut homo, qui erat in duobus componenubus diutius dissolutus, duobus retinaculis frenaratur, & sic fieret pax orbi terræ *a* omnibus excessibus limitatis. Sed sedens in cathedra perversi dogmatis, Pharisæus unctus oleo nequitiæ præ participib. suis nostri temporis, Romanus Pontifex, quod de cœlestis ordinis æmulatione descendit, evacuare nititur, & credens forte cum superioribus convenire, quæ nature non voluntate ducuntur, nostræ Majestatis jubar intendit ducere in eclipsim, dum, veritate in fabulam commutata, plenæ mendaciis ad diversas mundi partes Papales mittuntur epistolæ, de complexione, non de ratione, accusantes nostræ fidei puritatem.

2. Scripsit enim solo nomine Papa, nos bestiam ascendentem de mari, plenam nominibus blasphemiæ, pardique varietetibus circumscriptam. Et nos ipsum belluem illam asserimus, de qua legitur: *Et exivit alius equus rufus de mari, & qui sedebat super eum, sumebat pacem de terra, ut viventes invicem se interficiant.* Nem à suæ promotionis tempore iste pater non misericordiarum, sed discordiarum: desolationis, & nonconsolationis, sollicitus procurator totum mundum ad scandala excitavit. Et, ut verba sua recto sensu interpretemur, ipsa draco magnus, qui seduxit universum orbem, Antichristus est, cujus nos dixit esse præambulum: & alter Balaham, conductus suo pratio, ut malediceret nobis: Princeps inter principas tenebrarum, qui abusi sunt Prophetiis. Hic est Angelus prosiliens de abysso, habens phyalas plenas amaritudina, ut mari & terræ oaceat.

3. Inferuit enim falsus Christi Vicarius fabulis suis, nos Christianæ fidei raligionem *b* recte non colere, ac dixisse trib. *c* beractatoribus * mundum esse deceptum: quod absit de nostris labiis processisse, cum manifesta confiteamur unicum Dai filium, coæternum & coæqualem Patri ac Sancto Spiritui, Dominum nostrum JESUM CHRISTUM, ab initio & ante secula genitum: processu temporis missum in terris in subsidium generatioois humanæ, non de potentia ordinata, sed de potentia ordinante: qui est de gloriosa Virgine matre natus, passus postmodum & mortuus secundum carnem & alteram naturam, quam essumpsit in utero matris, & virtute Deitatis à morte post triduum resurrexisse. Mechometi vero corpue in aere pendere didicimus, obsessum Dæmonibus, animam inferni cruciatibus deditam: cujus opera tenebrosa fuerunt & contra legem Excelsi. Mosen vero, amicum Dei & familiarem, vere docente pagina, fuisse tenemus, io Monte Synai cum ipso tenentem colloqoia, cui Dominus rubum *d* accendit: per quem signa & mirabilia fecit in Egypto, & Hebraico populo lex tradita declaratur, ipsum postmodum ad gloriam vocatum cum electis. In his & aliis accusator noster & æmulus, ponens adversus filium matris Ecclesiæ scandalum, contra nos mendaces & *e* venenosas notas mundo inscripsit. Sed sic rectitudo sensus Apostolici non fuisset intrinsecus impedita, nec præposuisset impetum rationi, qui dominatur io ipso, talia non scripsisset, nec ad suggestionem illorum, qui tenent lucem tenebras, & dicunt malum bonum, qui suspicantur mel esse fel, per locum eb opinione, qui est debilis & infirmus, cum verum esse falsum, cum non esse converteint, & opinio vero, sic indiffarans ad utrumque, uno gradu distans è fide, in hujusmodi Papalis conscientiæ hostium infringi minime dabuisset.

4. Super quibus omnibus vehementer cogimur admirari, & nostræ mentis quietem multa vexat turbatio, quod vos, qui estis Ecclesiæ fundamente, columnæ rectitudinis, assessores Petri, Urbis Senatores, & orbis cardines, non flexistis modum judicis fulminantie, quemadmodum superiores planetæ faciunt, qui ad retardandam magui corporis valocitatem contreriis motibus opponentur. Revera Imperialis falicitas Papeli samper impugnatur invidia. Unde Symonides interrogatus, *cur invidos non haberet?* raspondit: *Quia nihil feliciter gessi.* Et quia prospera nobis, Deo benedicto cuncta succedunt, præsertim cum Lombardos rebelles nostros ad mortem prosequimur, quos ipse prædestinavit ad vitam: hæc est causa, quare *f* nominalis ipse Apostolicus ingemiscit. Et utinam non de consilio vestro felicitati nostræ institerit obviare. Verum de potestate ligandi & solvendi forte ipse Dominus gloriatur & *g* pangit: sed ubi virtus deficit potestatie, ibi *h* deseruit ebusus. Hoc in eo intelligitur, quia regiæ potestatis magnus Princeps, eximius Prophetarum, restitutionem poscebat Spiritus principalis, quia pollnerat officii dignitatem. Sed secundum quod indissolubile non solvuntur, ita & illegabilia non ligantur: quod ex eo manifeste probatur, *i* quod sacra scriptura instruit de hiis, qui mortificant enimas, quæ non moriuntur: & vivificant, quæ non vivunt. *k* Patet ergo quæ sunt digna potentiæ, quantum & quando. Nam cum Deus omnia possit, *l* est aliud quod

nos

a hominum

b mſ. vere. c al. deceptoribus. * Cum Anno 1240. Fridericus Imp. Conradum filium abdicato Henrico Regem Francofurti fecisset, dixisse ibi apud Papam à Landgravio Thuringiæ delatus est, Tres magni impostoribus fuis mundum seduxisse, Moysen Judæos, Christum Christianos, Mahometem Gentiles. Sed hanc silentiæ Thuringi delationem magis falsam quam veram fuisse, ejus in Romanor. Regem post facta electio satis probat. Chron. Thuring. d mſ. ostendit. e mſ. venenosas. f al. Pontifex ipse. g al. pungit. h al. subservit. i al. quia s. scripta instruunt. mortificant an. k al. potest. l mſ. & aliquid quod.

non potest. Sane si verus esset Pontifex innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus hebere- tut, non jurgiorum victimæ, sed hostiarum pacificarum pacificus immoietot: & poneret incensum odoris, non doloris: nec Pontificinm in malificium commutaret. Si verus esset Pontifex, verbum præ- dicationis non treheret in fructum dissensionis. Nec ex hoc accnsabimur bostis Ecclesiæ metris no- stræ, quæ sancte est in genere suo, quem cum reverentia colimus, & amplectimur cum hoote, divi- nis Sacramentis ornatam: personas tamen singulates & subjectas curruptioni, à medio recedentes, pe- nitus reprobamus. Et quie injuriæ non sunt transitoriæ, quæ nostræ Majestati jngiter inferuntut, & e- nimum super his non lenite possumus nec debemus, *a* ntique nostram potentiam relaxare cogimur ad vindictam. Vos vero, qui estis viri ed saoiore consilia constituti, sensus & rationis excellentiam obtinentes, rugientem advetsarium nostrum à processu, cujus detestabiie fuit initium, peoitus tevo- cetis, rerum conseqoentie ex causis præcedentibus attendentes: alioquin utraque terra sentiet, quali- ter in persecutorem ac consequcotes Principes & fautores procedat Augustus, & qualiter ferro Cæsa- reas inferat ultiones.

a ms. & undique.

XX.

De Creatione novi Pontificis.

Fredericus Imperator fidelibus suis.

SUbleto de medio quondam Gregorio Summo Pontifice, qui velut paternæ dilectionis ignerus in filium vitricns, tanti * discriminis origo fuit & causa: & tamen præteritarum injuriarum obliti, ne- dum sumus filiali compassione viduitetem Ecclesiæ prosecuti, verum etiam ad restituendum sibi no- vi sponsi soiatiom, opem & operam dedimus efficacem, stupotem sensibus omnium inducentes, ite quod desiderium oostrum io *b* etectione novi pugilis admodum mirebantur. Angebat nos tamen uni- versalis mali, compassio, & firma fiducie de substituendo pestore pacifico delectabat. Quepropter, sicut te latetc non credimus, nostros teserevimus † catceres, quos in nostrum exterminium temere navigantium copia tepleverat Prælatorum: exercitus solvimns, quibus Urbem, urbium capnt, præ foribus cinxeramus: Fratres per diverse loca dispersos in unum reduci, pareta vierum securitate, cu- ravimus, ut Ecalesiæ de Pastore liberius, nobis & mundo de patre facilius providerent, quorum vo- tis in istnm Summum Pontificem, inspiratione divina, sicut nostra tenere debet opinio, concordatis, gavisi sumus gaudio magno valde, ptobabiliter extimantes, orthodoxam & universalem Ecclesiam ratio novi luminis illustratam: Romanum Imperium nova justitiæ *c* regeneratione lætatum, quod de se filium gennit, qnem patrem otbis & fidei fore merito gloriatur. Igitnt habentibus nobis tam ob personæ vocatæ, qoem innocentiæ nostræ justitiam, prorsus indnbitabiiem spem de pace, cursim ad ipsum processimus, offerentes eandem primitus ad honorem Dei & Eeclesiæ, quam præstolare- mus obletem. Demum queiitet noo solum nostra sed omniom sit expectstio (proh dolor) persona- rum ac temporum iniquitate, frustrata, &c. elteri paginæ committemus.

* belli inter imperium & Ecclesiam.

b al. creatione.

† de quibus supra tit. VI.

c al. lege, generatione.

XXI.

De illicitis machinationibus Papæ cohercendis, & edicto per Regnum divulgando', ut nullus accedat ad Concilium Papale.

Anno Christi 1244.

Fredericus Imperator Regi Franciæ.

INfallibilis veritetis testem, supremæ justitiæ judicem, obtestamut, quod cum apnd vos & alios Principes, illum euctorem ttensgressionis arguimus, cujus verende tegere filialis teverentiæ debito coarctamur, tubore multo perfundimut: nec ad hæc alitet dispendii nostti cura sollicitat, vel timor astringit, nisi quod totius Reip. Christianæ, sed omnium maxime secularium dignitatum, vetemur ex nostra taciturnitate jacturem, & proximam ex dilatione tuinam. Nam ut exempli perniciem taceamus, quæ sæpe labitut à mundi Primatibus, & viris præcipua dignitate conspicuis ad privatos: ecce quod Christienorum debet & potest cotde compungere, potest & debet ad lecrimas oculos commo- vere, quod iste nostet Summos Pontifex, Ecclesiæ generelis archipatet, & Catholicæ fidei ptocura- tor, Medioianensium Hæteticorum perfidiam fovere non desinit, immo sic in ipsorum favote con- tinuo amplius atque perfectius obstinatur, ut nec ipsum ab boc Zelus divinæ calamitatis amoveat, nec privata correctio separet, nec infamia seculi generalis ebducat. Sic est in obstinationis hnjus sto- liditate firmatus, nt resipiscentiam transgtessionis ad vitium, & perseverantiam repnter ad virtutem. Qualiter enim ad multam instantiam Lombatdorum contra nos inconsulto calore processetit, satis vos pnblica fama perdocuit. Queliter etiem cum contra nos, religionis debito & Pontificatus gravi- tate depositis, hostilitet erma capiens, se dncem & principem nostrorom rebellium stabilivit, nos uni- versale Concilium, & specieliter Nunctiorum vestrorum præsentiam, petierimus, Serenitatem Re- giam credimus non latere. Demum notitiam vestram non letuit, qualiter ex quotundem ex Fratri- bus ejns instantia, qni pro teparatione tanti discriminis pacis consilie cogitabant, præter omnium requirentium spem nostre magnificentie condescendit, nt Lombardis prorsus exclusis permitteremus eundem ab insuetis Sacerdotum infestationibus pro temporalis treugæ subsidio respirare, utpote qui pro sedati-

sedatione scandali generalis, & Terræ sanctæ subsidio procurando reperiri modus & vias metiebamur ad salutem & pacem. Sed Romanæ Sedis Antistes, utpote pacis æmulus, & non magis in perfidia fidem, quam perfidiam in fide servans, Lombardos eosdem, quibus confœderatus fuerat, à treugarum ipsarum fœdere non est passus excludi, totius orbis dissidio Mediolanensium Hæreticorum ac ipsorum sequacium suffragia proponendo. Cui cum in participatione tanti sceleris assentiri nollemus, ut læsæ Majestatis nostræ reos sub prædictarum treugarum involucro pateremur involui, vel ipsos ullo modo Papæ præsidio communiti: tandem postquam vidit eosdem rebelles nostros propria virtute deficere, nec ipsis posse remedium temporalis quietis offerre, ad artes illas postmodum se convertit, satagens nos per N. Episcopum ad nostram præsentiam accedentem inducere, ut cum pro reformatione Pacis inter nos & Ecclesiam, vestros & quam plurimorum Regum Nuntios, ac nonnullos de Occidentalibus partibus Principes & Prælatos, ad Synodum intenderet evocare, Lombardos prædictos, Excellentiæ nostræ bannitos, in treugas cum ipso usque ad proximum festum Resurrectionis *Dominicæ* contrahendas comprehendere deberemus, causam fingens, ut ex particularibus treugis largior occasio ad universales præberetur. Audite mirabilem calliditatis astutiam, considerate signa prorsus à qualibet veritate remota. Dum pacem habere nobiscum se simulat, ut Lombardos, ad tempus pro treugarum suffragio respirantes contra nos securius in rebellione confirmet, atque contra nos ad discordiam medio tempore venientium ad vocationem suam subsidia Prælatorum licentius præparet, spem nobis concordiæ pollicetur. Et ut evidenter ad oculum videatis, quod pro discordia potius Concilium indicat, quam pro pace, formam convocationis attendite: in qua nihil omnino de futuræ pacis tractatu describitur, dum negatum nobis ante Concilium post rebelles nostros per nos aggressos hostiliter nititur advocare. Considerate personas, dum spretis Magnificentiæ *a* vestræ Nunctiis, per quos sibi tractatum pacis hujus frequenter obtulistis, nunc manifestos Excellentiæ nostræ rebelles N. & N. cum quibus in necem nostram, data sibi pecunia, prout est publica voce notorium, conjuravit, vocat expressis nominibus ad Synodum supradictam. Verum quantumcumque sint clara calliditatis indicia, quibus iste Romanus Pontifex nostram circumvenire credidit puritatem, tamen ob reverentiam summi Regis, sic Episcopo nominato duximus respondendum: Quod nos cum sacrosancta Romana Ecclesia, matre nostra, discordiam aliquam non haberemus, sed ab ejus Romani pontificis impetu justitiam Imperii defendimus, & injuriam propulsamus; nihilominus tamen pacem cum ipso semper habere optamus. Propter quod, quo generale mundi dispendium evitemus, & tractatus pacis à remotis partibus non quæratur, per eundem episcopum & alios bonos viros, justitiæ nostræ conscios, & communis concordiæ Zelatores, ad præsentem tractatum pacis, ut mala de medio citius auferantur, obtulimus nos paratos: treugas etiam, nobis velut ad guerræ præsidia munitis infestas, inire concessimus cum eodem, sperantes per eam velut salutiferam scalam posse ad alta palatia pacis ascendi. Lombardos autem, ex nexu treugarum hujusmodi, Excellentiæ nostræ rebelles, sicut semper exclusimus, sic & in perpetuum excludemus. Nec inter nos & eum durante præsenti discordia, vocari Concilium per eundem, velut per publicum Imperii hostem, permittemus: præsertim cum nobis, Imperio & terræ Principibus indecentissimum judicemus, causam nostrorum secularium Potestatum Ecclesiæ foro subjicere vel judicio Synodali: sed omnibus ad ipsum Concilium convocatis per terram nostræ ditioni subjectam, securitatem quamlibet denegamus. Quapropter Serenitatem regiam precibus exoramus, quatenus ad Prælatos omnes regni vestri vulgata programmata divulgetis, ut nullus sub securitatis nostræ fiducia ad Synodum ipsam accedat. Nos enim, quantumcumque fidelibus regni vestri ob amorem præcipuum, quem erga vos gerimus, libentissime deferamus, præsumptuosam tamen temeritatem eorum, qui prohibitionis nostræ temerarii violatores ad inimici nostri vocationem accedent, nos non deceret ulterius æquanimiter tolerare.

a al. nostræ

XXII.

Anno Christi 1239.

De admiranda Pontificis Romani iniquitate contra Imperatorem & Imperium.

Fridericus Imperator Principibus suis.

Æmula Regum & Principum orbis terræ, ac consortium impatiens, dudum in superbiam secularium liberaliter adducta Romana Sedes, propter illius, qui Princeps esse dicitur Sacerdotum, in suum adversus nos præconceptum odium, ad universale scandalum sic exarsit, adeo adverso Ecclesiasticæ religionis ordine, præter mandata legis, quorum lator & Pater esse debuerat, quæ pervertit, dum se hostilibus rebus immiscens dubios bellorum eventus, cædes hominum, obsidiones urbium & universitatum procurat, & undique pericula populorum: sponsam Christi Ecclesiam, matrem nostram, cujus auctoritate libitum pro licito sequitur, è sanctuario Dei suarum vindictam inimicitiarum exercens, reddit (proh dolor) mundo notabilem, ut sub tam inconstanti, & volubili rerum actore, qui præsidet, & nomine Ecclesiæ diversa variat & confingit, experientia facti singulos edocente, non immerito ab Ecclesia, pro ejus Præside ac patre mendacii, meticulosa suspicio cordibus hominum inferatur.

2. Quapropter devotionem tuam contingentia non patimus ignorare. Nuper enim per quosdam de majoribus Fratribus suis, & Religiosos alios viros, aspirantes ad quietum Ecclesiæ statum, & pius Zelantes desideriis bonum pacis, adhibita est cura propensior intuendi modum, & habendi tractatum, per quem inter nos & Pontificem Pharisæum istum, contra nostri honorem nominis prava

consilia

conſilia colligentem, ad certum tempus treugarum compoſitio fieret, infra quod per te, quem habemus in omni dilectione præcipuum, & alios Principes orbis terræ, ad integræ pacis reformationem opportunitas commodior haberetur. Cumque nos iisdem viris, inventoribus hujus viæ, præter ſpem & creditum, pro Eccleſiæ reverentia condeſcendere dignaremur, Gregorius dictus Papa petebat Lombardos rebelles noſtros & noſtri bannitos Imperii treugis ipſis debere muniri; quibus excluſis treugas ipſas non poterat acceptare, ut evidentiorem daret omnibus intellectum, quod negotium rebellium Lombardorum fovit, & fovet in noſtrum odium manifeſtum, illud gerens & reputans velut ſuum: quamquam hactenus aliàs palliarat, quod non in favorem ipſorum, ſed ob transgreſſiones noſtras alias, quas fingebat, contra nos ad excommunicationis ſententiam proceſſiſſet. Quod intolerabile viſum eſt nobis, ut rebellibus noſtris diutino guerrarum diſcrimine fatigatis, & in majori parte depreſſis, treugas concedere deberemus: ad quorum perſecutionem & vindictam accincti vexilla neceſſaria & præpotentia caſtra noſtra triumphaliter duximus educenda. Et licet nobis in confinio caſtrametatis Campaniæ, ſuggereretur inſtanter ad ingreſſum illius provinciæ, data plena fiducia de obtentu, ſuper quo doloris gladius ad injuriatoris noſtri animam pertranſiret, nos tamen ad præſens ob honorem Dei, & reverentiam BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, quibus, utpote qui ſacrum Imperii Diadema de ara B. Petri ſuſcepimus, eſſe volumus non ingrati, ab ingreſſu & receptione ipſius terræ deſtitimus, expectantes interim, ſi noſtrum injuriatorem omiſſa vexatio revocet ab offenſis.

3. Præterea non patimur te latere, qualiter homo iſte dictus Papa in obſidione Ferrariæ civitatis Imperii, & Salinguerræ fidelis noſtri, Bononienſibus, Venetis, & aliis convicinis noſtris rebellibus, convocatis, Legatum ſuum cum Mediolanenſibus fecerit convenire, ducem ibidem exercitus & rectorem: qui adeo cum ſuis complicibus eundem Salinguerram & Ferrariam in exhæredationem Imperii coarctavit, quod à ſuis proditus, receptis tamen promiſſionibus & pactis de indemnitate perſonæ ſuæ ac rerum ſuarum & de ſalubri mora ſua in eadem civitate, necnon per eundem Legatum, Ducem Venetiarum, Poteſtates, Rectores, Capitaneos exercitus, & generaliter per totum exercitum juramento firmatis, nomine Eccleſiæ juramentum impendit, ac ſæpe dictam civitatem aſſignavit Eccleſiæ ſpecialiter poſſidendam, commiſſa fide ſua fidei Legati Eccleſiæ, quod præſtita & jurata ſibi ſecuritas plenarie ſervaretur. Sed poſt deditionem civitatis & ſuam Legatus idem eadem celebritate, qua præſtiterat juramenta, cum prædictis omnibus dejerando, demolitis domibus & bonis ejusdem Salinguerræ, ipſum ſimul duxere fide mentita Venetias captivatum. Ecce qualis invenitur in Legato fides? qualis de patre Legati mentiendi prodeat auctoritas? ut fidem reputent, fidei juramenta non ſervare. O quam peſtiferum ab Eccleſiæ rectoribus emanat exemplum! quam evidens omiſſa veritate deceptio! ut Regibus & Principibus orbis, quibus propter impatientiam invideot, ſint præcipue præcavendi, ne de facili ſe præbeant in manus eorundem, qui ſemper intercipere conantur incautos, & pium reputant innocentiam condemnare. Nos autem qui omnes & ſingulos eorum tum ex vicinitate, tum ab experto, intus & in cute jam novimus, taliter re per imaginem rerum ab eorum fallaciis cautum volumus obſervari, ut vobis intendamus præcavere, ſperantes in eo, qui Reges & Regna conſtituit, quod juſte injuriam propulſantes, violentiam nobis illatam noſtrarum virium conamine propellemus, & in gladio juſtitiæ, quam auctore Domino bajulamus, Sacerdotum gladios, quibus abjecta ſtola lumbos ſuos inhoneſte præcingunt, juſtius retundemus.

4. Dignum inſuper duximus ad tuam notitiam perferendum, quod idem Papa, ſicuti eſt ſuis motibus præceps, & inconſtans in omnibus viis ſuis, ſtrenuis viris de Francia, Cruceſignatis, & pro voti executione ad iter accinctis, prohibuit cenſura Eccleſiaſtica, ne tranſeant in præſenti, non attendens neceſſitatem Chriſtiani exercitus in Ultramarinis partibus commorantis, cui in emergentia caſus articulo nedum de Cruceſignatis, ſed de noviter conſignandis deberet in auxilium ſubvenire. Unde ab operibus ejus, quæ ſuo teſtimonio perhibent, auctorem potes agnoſcere, quod duplicitate viarum ſuarum ſcandalum generet, & totius univerſitatis incommodum ſubminiſtret.

XXIII.

De poteſtate Imperatoris, & obedientia Urbis Romæ Imperio contra Papam debita.

Fredericus Imperator Senatoribus & Populo Romano.

PRæteritæ culpæ veſtræ convicium, quod ſub patientiæ hactenus regulariter duximus, factionum veſtrarum faciente protervia, cum a tolerantia pati ulterius non valemus: ſed in hoc motus noſtros reſtringimus, & audaciæ refrenamus inſtinctum, ne poſſet ultio culpam excedere, & à quo trames juris oritur, inde juſtitiæ limites deviarent. Quamquam etenim Serenitati noſtræ, quam divina potentia ſervare non ceſſat, ſubjaceat omne quod volumus, noſtræ tamen voluntatis Imperium de rationis fonte colligimus & de virtutum puteo temperamus. Dudum etenim ſi ſub teſta, nucleus non celatur, dum victrix Aquila noſtri proceſſus prævia, in Romanis prædiis victricia ſigna pandebat: dum caſtrorum ſtabilitate micantium angulos veſtræ perfidiæ cingebamus: dum noſtræ victoriæ gladius, qui vinci neſcit, per vicinitatis inſtantiam vobis hactenus cuſpida minabatur: a mſ. collatione.

dum nostræ potentiæ fremitu terror & strepitus sic gressus vestros præcluserat, sic pusillanimitatis affectus oppresserat, sicut in experientiæ libro legere potuistis, quod cordis cogitatio non palpitabat intrinsecus, nedum quod in modum audaciæ immo insipientiæ (ut loquela sit proprior) Cæsaream
a al. acceptastis. incitatetis victoriam ad ultionis meritæ funeta, sicut improvide nuper *a* attemptastis, non attendentes,
* sc. Romani. quod licet nostra non sit ubique corporalis præsentia, nostræ tamen ad longinquos orbis terminos laxantur habenæ, * potati de calice Babylonis. Nam posse *b* vestrum, quod contra nostram potentiam
b al. vestrum contra n. p. non posse putari fecistis: in partibus &c. non posse putatur, fecistis in partibus Tyburtinis, ova rumpentes aspidum, ex quibus jam prodit regulus, telas araneas texuistis. Cum itaque omnis subita rerum mutatio non sine quodam quasi *conflictu* proveniat animorum, iniquæ temeritatis eventibus, potentiæ nostræ propositio mutante *judicium*, vestra dissolvetur Babylon; Damascus deficiet, sufflatorium consumetur in igne, *sedes* ab *Aquilone* posita corruet, & lumbare vestrum circa lumbos appositum computrescere faciet nostræ *Serenitatis* industria, quam divinus intuitus non desinit illustrare. Et quæ livorem cujuslibet tenebrositatis obducit, cuique se totus fere orbis inclinat, faciente divina clementia, per locum à genere Urbem sibi sentiet emolliri, ut à quo Romanum Imperium meruit nominari vere nobis Roma subiaceat, quibus terra servit, mare favet, & ad motum omnia desiderata succedunt.

XXIV.

De proditoribus Imperii non receptandis.

Anno Christi 1246.

Fridericus Imperator Senatoribus & Populo Romano.

IGnominiosa vulgaris vestri nominis fama, quæ non absque verecundiæ maculæ nota Urbem urbium jam infecit, & si non Pontificum suorum, Senatorum tamen maxime Magnatum & virorum Illustrium modernorum debuisset corda ferire, dum ta totorum Nobilium successiva progenies omiserit aure surda ipsius prædecessorum Urbis nobilem nutritoram. Equidem mater ipsa *c* Pristinis temporibus fideles lactabat filios, nutriebat providos, receptabat honestos, exulabat infidos, ejiciebat improbos, & impios perimebat: & sic tantis tunc illustrata nominibus totius mundi regna tributaria erant sibi. Mirabilis igitur non satis, immo ultra quam dici possit miranda tam excellentissimæ urbis cæcitas, & tantorum civium obscuritas oculorum, ut qui tam felicium deberetis antecessorum, hujusmodi antiquitatis, dignissimæ vitæ moromq; sequi vestigia, à semitis vestrorum laudabilium Patrum improvide deviantes, non minus in vestrum quam culminis nostri præjudicium, proditores nostros favorabiliter receptando, honorabiliter confovetis, qui ad ipsorum interitum deberetis totis viribus summo studio anhelare, velut hii, qui ab eorum infantia de limo terræ assumpti, paterna dilectione nutriti, & insigniti famosis honoribus, & liberalitatis nostræ dextera multis in Imperio & Regno ditati muneribus præfulgebant, percussi *d* telo principis tenebrarum, & oculorum stupefecit visum, & auris auditum quod multos multipliciter scandalizat, paratis lateoter ipsorum in sanguine gladiis, dum nobiscum simul refecti cibo unanimiter conversarentur in Aula, facinoroso nequitiæ facinore præconcepto absynthio, dolose simul & dolorose procuraverant mortem nostram. Animadvertite igitur Romani populi & videte, utrum pro collatis beneficiis per nos vobis, quibus semper nostræ liberalitatis magnificentia vos dotavit, à vobis, tamquam à sacri nostri Imperii capite, tam ingratum quid merito Imperialis Excellentiæ debeatur: ut hujusmodi gubernetis nequissimos proditores, qui non sine multiplici Christianitatis clade nostrum sanguinem, utpote Romani Cæsaris, Catholicæ fidei defensoris, sic unanimiter sitiebant. Cumque tam nephandissimi sceleris patratores inter vos de jure consortium habere nequeant vel favorem, ad ipsorum exterminium & confusionem taliter prudentia vestra procedat, quod honoris vestri perpetuam cedat ad gloriam, & nostræ magnificentiæ ad vindictam.

c al. priscis.

d al. zelo,

XXV.

De executione Mandatorum, & rationibus sui officii ab Officialibus exigendis.

Fredericus Imp. Magistris Rationalibus suis.

INter accidentium multiplices diversasque materias, quæ regnantes insigniunt, adest de magis participantibus provida modestia mandatorum. Nam sive pro mera gratia, quam aliquibus conferant, vel mixta justitiæ mandata, per literas dirigant ad subjectos, morum interioris hominis, quo medio in actum velut de potentia singula prodeunt, literis credita, metallo vel cera figurata mandantis species auctorizat. Quantumcumque verumtamen dominantis exornet mandata modesta directio, accidit præcipue adesse domini fidelis & diligens executio eorundem, à quib. tutius creditur, & minus indecens reputatur, quod Imperantes abstineant à mandatis, quam per patientiam nullius executionis eorum indebite vel improvide se eludant.

e al. incutere, Considerato propterea verecundiæ notam culmini nostræ Majestatis *e* inurere, quam regnantes debere prospicimus quoslibet evitare, dispositionis rectæ materiam in hoc singulis tradimus, dum hæreditarium Regnum nostrum Siciliæ parere nobis in his, sicut in quibuslibet aliis omni genere devotionis obsequitur, ordinamus. Quanquam autem dum pridem feliciter ab eodem Regno nostro secessimus, evidentis utilitatis gratia Germaniam revisuri, Officiales omnes & Capitaneos per nostram

Excel-

Excellentiam ordinatos, post depositum commissæ sibi administrationis officium, in magna Curia nostra nobis feliciter in Regno præsentibus, vel in absentia nostra coram eo, qui vices nostras ibidem pro tempore gereret, jussemus præsentandos, ut super exactionibus mandatorum, quæ ad eos fiscali vel privatorum utilitate poscente, officio durante, pervenerant, ponerent rationem, prout ex literis nostris ad Henricum dilectum filium nostrum, & ipsius olim Consiliarios destinatis, quas per ipsos ipsum per totum Regnum publicare mandavimus, ad vos credimus pervenisse. Quia tamen temporis & rerum varietate poscente, quibus oportet captari consilia, fortunæ nostræ *a* felicitas prorogato itinere ad Germanos, in Liguriæ partibus nos aliquamdiu moraturos instituit, ut Augustæ potentiæ novi triumphi materia non deesset, ex prædicti filii nostri Consiliariis, coram quibus Officiales comparere propterea debuissent, aliquos in allevatione nostrorum onerum ad nostram præsentiam evocatis, & quosdam alios aliis nostris servitiis duximus *b* promovendos: cum fidelibus nostris regnicolis solitam Excellentiæ nostræ mansuetudinem exercentes, veniendi propter hoc ad partes Imperii ea necessitate submovimus, ne damnosa sibi propterea nostræ Majestatis officia reputarent.

a mſ. fidelitatis.
b mſ. præponendos.

3. Vobis igitur, de quorum experta fide confidimus; quorum industriam in aliis experimur, quos examinatores esse volumus de prædictis, præsentium auctoritate præcipimus mandantes, quatenus, ut quarumcumque Officiales transacti temporis, per Excellentiam nostram principaliter ordinati voluerint ponere rationem de gesto per ipsos officio, vel se vobis ultroneos offerrent, vel ad id vocatos se etiam præsentarent, tactis sacrosanctis Evangeliis corporale præbeant Sacramentum, quod mandata omnia & literas quæ à Majestate nostra propter officium sibi *c* traditum exercendum receperant vobis debeant integre præsentare. Quibus exhibitis coram vobis quantitatem omnium mandatorum & responsalium, sicut ad quemlibet singulis mensibus sunt directa, discretis his, quæ fiscalia mere continent, à privatis, faciatis, Officiali præsente, in quaterno aliquo memorialiter annotari. Sicque instanter, si hora vel tempus patitur, & alia nostra major utilitas non repugnat, legatis cum summa diligentia literas, quæ ad Officiales specialiter pro nostris servitiis sunt directæ, ordine mensium, sicut diximus, ordinato ab Officiali præsente de executione illorum, quæ videritis per nos mandata fuisse, per literas exquirendo: quæ si videritis per eum executioni debitæ demandata, commendetis eundem, & bonum processum ejus in speciali quaterno, quem facere vos inde præcipimus, redigi faciatis, nostræ conscientiæ postmodum applicandum. Quod si vobis de ipsorum executione idonea non constaret, requiratis ab eo, *d* quare hoc potuerit accidisse. Quod si justam excusationis suæ causam prætenderit, audiatis eundem & similiter annotetis: si vero non justam, aut nullam excusationem prætendere poterit, in peccato negligentia vel culpa sua sive defectus per vos nostræ conscientiæ applicentur: ubi vero damnum evidens fuerit per Officialis defectum, nostræ Curiæ *e* vel privato inflictum, illud per Officialem eundem tam fisco quam fidelibus nostris læsis volumus restaurari.

c al. creditum.
d mſ. quatenus.
e mſ. non privatæ.

4. Sicque discussis mandatis & responsalibus primo, quæ fiscalia mere continent, idem vos facere volumus de literis Majestatis nostræ, quæ ad eum privatis supplicationibus sunt directæ, responsalium ad hoc tenore nostrarum & verbis diligenti provisione penlatis, quæ multa vobis de commodis nostris aperient; præsertim in notificationibus expensarum, & in aliis Officialium nostrorum processibus, de quibus vobis aliter in processu ratiocinii non constaret.

5. Generalia vero mandata nostra, quæ specialiter in favorem fiscalium contra suspectos nobis aliquando proditores nostros, & eorum consanguineos, qui in Majestatem nostram noviter deliquerunt, direximus, super inquisitionibus faciendis de fidelitate illorum, pro quibus literæ à nobis de mera gratia impetrantur, de ordinatione feudorum, *f* de tenendis inmeritis, de reddendis jumentis, de immunitatibus quæ anno proximo præterito indultæ sunt à Majestate nostra Ecclesiis & prælatis, de maneriis qualiter sunt solvendæ, de superactionibus abstinendo, de inquirendis & revocandis stabilibus & mobilibus proditorum in Curiæ nostræ præjudicium occupatis; de forma & locationibus fiscalium & armis etiam attributa, & de quibuslibet aliis, quæ à nostra Curia emanarunt, & in fisci nostri vel fidelium nostrorum favorem generaliter duratura, excepto etiam de aliis, sicut ad quemlibet novorum Officialium dirigenda videritis, auditis & admissis justis & moderatis expensis, si quas in eorum executionibus debitis Officialis, ad quem directa sunt, se fecisse monstrabit, ad Officiales nostros circa Portam Roseti, ut eorum tempore ea similiter exequantur, mittere non tardetis. Quibus etiam per literas patentes injungimus, quod à nobis ea recipiant, & ipsa tamquam ad eos directa clausa retineant, & fideliter exequantur.

f al. de tenendis & redd. jumentis.

6. Post expositam vero plene rationem super executionibus mandatorum, super residuis inveniendis, quod est Curiæ nostræ perutile, servata forma vobis anno præterito per Curiam nostram data, cujuslibet ratiocinium ad Curiæ nostræ Præfectum & fidelium nostrorum expeditionem, sicut officium vestrum decet, studiose discutite, ac discussum & *g* expeditum finaliter juxta solitum in describendo nostro culmine terminare procuretis: prædictis omnibus usque ad aliud mandatum nostri culminis duraturis, & à vobis annexa superius, sine alio speciali mandato nostro, annis singulis, quibus Officiales mutari mandavimus, efficaciter servaturis.

g mſ. exquisitum.

7. Neau-

7. Ne autem Officiales, de quibus superius diximus, si de mandatis nostris vel responsalibus aliqua retinere, vel potius occultare non exhibendo præsumpserint post *a* præstitum juramentum, fraudem vel eorum malitiam transire se gaudeant impunitam, Officialem, qui Curiæ nostræ registra, quorum exempla semper habebitis, in his *b* obtexerit vel defecerit, quem Curiæ nostræ scribetis, prudentiæ vestræ committimus puniendum.

(a mf præstitum. b al. excesserit.)

XXVI.

De professoribus liberalium artium & eorum stipendiis.

Fridericus Imperator Magistro Petro de Hybernia.

NOster instanter, quem in subditorum semper emolumenta dirigimus, sollicitatur *affectus, qualiter* regni nostri Siciliæ præclara possessio, sicut rerum ubertate victualium ad dispensanonem divini nominis *c* natura profluente tripudiat, sic ad nostræ provisionis edictum, virorum *d* perfectione scientium, favente fortuna, valeat fœcundari. Ad quod etsi progenitorum nostrorum nos memoranda prioritas inviter exemplo, dum diversarum scientiarum Doctores fore dudum in Regno comperimus, & multos artium beneficio liberalium munimentis provectos ad ardua, quos innata ruditas honoris & gloriæ reddidisset indignos, sic nos super biis & priorum tempora revivíscere volumus, ut quæ per intervalla quantalibet quassata videntur, jam passa *e* desidiam sub juventutis nostræ primordiis seniliter juvenescant: ac dum fideles nostri regnicolæ paratum sibi mensam propositionia inspexerint, non solum supervaenum sibi reputent aliena proinde flagitare suffragia, sed gloriosum extiment extraneos alios ad gratitudinis hujusmodi participium evocare.

(c mf terra. d mf. professione. e al. diffidia)

2. Cumque civitatem Neapolitanam, antiquam utique matrem & domum studii, tam marinæ vicinitatis babilitas, quam terrenæ fertilitatis fœcunditas, reddant utiliter tanto negocio congruentem, generale studium in civitate ipsa mandavimus reformari, ut quam localis amœnitas plenitudine rerum gratificat docentibus, & addisceotibus undique collecta commoditas efficiat gratiosam. Te igitur, quem antiquæ fidei præscripta sinceritas, & præstita dudum felicis *f* recordationis Domino Patri nostro grata servitia nobis efficaciter recommendant: de cujus etiam experta scientia, probitate cognita, & doctina probata, in conspectu nostro jam pluries multorum testimoniis claruerunt, ad celebranda communis Studii ejusdem festiva solempnia hilariter providimus invitandum: fidelitati tuæ præcipiendo mandantes, quatenus de favore & gratia nostra securus, ad civitatem ipsam, ob reverentiam Majestatis nostræ, personaliter tecturus accedas. Et ut certam concipias de nostræ gratiæ liberalitate fiduciam, firmiter tenere te volumus, quod in adventu tuo, in signum fœcundioris auspicii, de valore annuo duodecim unciarum auri tibi faciet nostra munificantia provideri.

(f mf memoriæ.)

CONCILII LUGDUNENSIS DECRETUM,

DE ELECTIONE IMPERATORIS ROMANORUM.

(An. Christi 1241.)

Magnates Alemanniæ, non tamen Electores Imperatorum:

Rex Bohemiæ.
Dux Lotharingiæ.
Dux Brunswikiæ.
Dux Suaviæ.
Landegravius Duringiæ.
Dux Lemburgiæ.
Dux Catenteniæ.
*Comes Sabodiæ.
Comes de Gelria.

(* Dux Saxoniæ.)

Electores Imperatorum:

Laici: Dux Austriæ. Dux Bavariæ. Dux Saxonum. Dux Brabantiæ, qui & Lovaniæ.

Prælati: Archiepiscopus Coloniensis, Archiepiscopus Moguntinus, Archiepiscopus Salisburgensis } Principales.

2. Mi

2. Isti ducentur in insulam quandam Rheni; & dimittentur soli in ea, & amovebuntur omnes naviculæ, & ibi tractabunt de electione Imperatoris: nec adveniet aliquis ad eos, donec sint concordes. Huic negotio præerit Archiepiscopus Coloniensis, secundus Moguntinus, tertius Salsburgensis.

3. His à Domino Pape directa est diligentissima admonitio cum supplicatione, ut sibi alium Imperatorem eligerent, promisitque eis sui & totius Ecclesiæ consilium & auxilium: & in principio, sub spe potioris successus, quindecim millia librarum argenti.

Definitio Imperatoris & Principum Germaniæ.

5. Prævenit autem & invaluit FRIDERICI dissuasio: qui eis & maxime duci Austriæ, vinculo affinitatis est confœderatus: unde * monitis aut precibus Papalibus Electores minime paruerunt.

* Hinc patet Principes Germanos Papæ, ut Imperii translationem, ita quoque electorum institutionem negasse, quam utramque hodie tantopere urgent Papistæ.

Conradi IV. Imperatoris Augusti Constitutiones

I.

De Privilegiis Urbis Romæ.

Conradus Imp. Senatui & Populo Romano.

Ardens semper fuit cor nostrum ab ætatis nostræ principio, postquam Regalem indolem Illustris natura Cæsarum, de virtute contingentia prævenit, in eadem continuata voluntas cum dignitate succedente concrevit, sicut Nuntii vestri ad nostram frequenter præsentiam destinati, cum quibus de corde puro & conscientia non ficta contulimus, potuerunt ad publicam vestram notitiam pertulisse nostrum constans propositum & effectum, ut auctricem pariter & actricem Imperii Romani Romam reformaremus in statum dignitatis antiquæ, & Proceres ac cives suos, cum quibus Respublica Imperii consuevit hactenus longe lateque magnificis titulis exaltari, de commisso nobis Imperialis honoris onere, non indigna ad partes sollicitudinis vocaremus, quosdam præficientes circa latus nostrum publicis officiis Aulæ Cæsareæ, quosdam ad præsidatus regionum pariter & Regnorum, ac Provinciarum administrationes & regimina statuentes, aliis per diversa officia Præfecturarum, prout Nobilitas exigit & industria singulorum, propensiori studio deputatis, ut quæ in Principem Romanum cuncta officia & sua transtulerat, eadem felix Roma nihilominus particeps onerum & laborum coadjutrix accedat, nec sit expers honorum, quorum ipsa contulit incrementa. Non patientes igitur conceptæ voluntatis commode diutius prorogari, sed ut ad decus & honorem Urbis Nobiles Romani præsideant officiis, & dignitatibus illustrentur, universitatem vestram monemus, sollicitamus & hortamur attentius, quatenus *a* Proconsules nostros. Neapoleonem, Joannem de filiis Ursi Comitem Johannem de Polo, Oddonem Frangepanem, & Angelum Malabrancham, dilectos nostros, absque difficultate moræ ad nostram præsentiam transmittatis, honores & onera subituros, quibus singulos eorum duximus deputandos, ut felici nostro tempore in Urbe Romana Romulei sanguinis honos appareat, Romanum diadema vel idioma præfulgeat, & antiqua renovetur dignitas Romanorum, & fiat nexus indissolubilis gratiæ nostræ inter Romanum Imperium & Romanos, quam nos & nostra tota Cæsarea successura progenies circa Romani status honorificentiam & augmentum teneamur perenniter ampliare. Cæterum quæ *b* Theodious Judex Curiæ nostræ, fidelis noster, vobis ex parte nostra dixerit, credere debeatis fideliter.

a ms. præconsules vestros.

b al. Theodemus.

II.

Super excontro obsidum.

Conradus Imperator Capitaneo.

Supplicarunt Excellentiæ nostræ fideles nostri, &c. obsides de Monte Flascone, de mandato nostro apud Capuam commorantes, ut cum velint pro seipsis excontrum personarum condecens exhibere, videlicet fratrem pro fratre, patrem pro filio, filium pro patre, nepotem pro patruo, vel patruum pro nepote, licentiam eis taliter excontrandi de nostra gratia concedere dignaremur. Quorum supplicationibus benignius inclinati, fidelitati tuæ præcipiendo mandemus, quatenus per Commune Castri præfati plene certificari studeas de nominibus & qualitatibus eorum, qui excontrari petunt: & eorum quos modo prædicto pro eorum excontro dare intendunt: studium diligens habiturus de inquirenda certitudine veritatis, utrum, sicut prædictum est, frater pro fratre, ac reliqui sufficientes & idonei tribuantur, ut ex eis videlicet, qui pro excontro offeruntur, æque sicut per illos, qui excontrari debent, securè nostræ Curiæ caveatur: ac per literas tuas de nominibus & qualitatibus omnium prædictorum, & si per eos, qui dandi sunt, nostræ sit Curiæ æque cautum, nostram fideliter instruas Majestatem.

III.

De remuneratione fidelium in filios facienda.

Cunradus Imp. &c.

IN exemplum nostrorum fidelium, ut alii fideles ad nostra servitia promptius animentur, ipsorum fidem post mortem eorundem, in ipsorum filios remunerari volumus.

IV.

De dispensatione super defectu natalium.

DIgnum esse decrevimus & consentaneum rationi, ut hii, quos interdum in legitimis actibus defectus natalium impedit, legitimationis honore per Principem reparentur; & si quandoque super his Imperialis favor fidelium suorum supplicatione requiritur, liberaliter largiatur. Inde est, quod cum Magister Theodricus de Curia Clericus, fidelis noster, pro legitimatione P. M & S. filiorum suorum, quos ipse dudum in sacris ordinibus constitutus ex B. de eadem terra muliere soluta se asserit genuisse, Majestati nostræ humiliter supplicavit: Nos supplicationibus suis benignius inclinati, prædictis N. de plenitudine potestatis nostræ, ex certa scientia, eos spurios esse scientes, legitimavimus, & ad omnia jura legitima restituimus, ut tamquam legitimi & de legitimo thoro nati, in bonis paternis & maternis, quæ feudalia non existunt, succedant, & ad omnes actus publicos & civiles honores, si secus sui ingesserit, admittantur, & in omnibus aliis suam libere prosequi valeant actionem, objectione prolis illicitæ in posterum quiescente, & lege aliqua non obstante, & ea præcipue quæ legitimari spurios nisi ex certa scientia non permittit: ita tamen quod vigesimam partem proventuum omnium bonorum, quæ prædictæ legitimationis beneficio ad legitimos eosdem pervenerint, singulis annis reddant Curiæ nostræ in recognitionem gratiæ, quam eis super hoc duximus indulgendam.

V.

De Cingulo militari per Principem concedendo.

* i. e. Eques

NOtum facimus universis, quod A. de N. Majestati nostræ humiliter supplicavit, ut cum fieri velit * Miles, & pater suus Miles non esset, sibi exinde largiri licentiam dignaremur. Nos autem, ut fidei suæ meritum, & suorum, per Imperialis gratiæ præmium imperialiter compensemus, supplicationibus ipsius benignius inclinati, de potestatis nostræ plenitudine sibi concedimus potestatem, quod quamquam pater suus Miles non fuerit, & nostris constitutionibus caveatur, quod milites fieri nequeant, qui de genere Militum non nascuntur, ipse tamen de culminis nostri licentia decorari valeat cingulo militari; mandamus, quatenus nullus sit, qui ipsum super hoc de cætero molestare vel impedire valeat, præsumat.

VI.

Sententia ultimi supplicii homicidæ per solum Cæsarem remittenda.

a m[s]. viam invenit misericordi.

QUam sit favorabilis Magnificentia Cæsaris, & quam sit affabilis misericordiam petentibus, vultus ejus ex præsentia negocii serie potestis aperte conjicere: in quo sic est operatus justiciam, ut per misericordiæ semitas dirigat gressus suos: sic misericorditer est profectus, ut partes justitiæ non excludat, & ut consulatur animæ mortui potius quam vindictæ: nec impunitum penitus dimisit noxium, nec perdere voluit ad suæ pietatis refugium proclamantem. Tales sunt etenim Magnifici Principis viæ suæ, ut in eo quis reperiat ipsius participium, quod formidat, & supplex ac humilis misericordiæ formitem ut respiter: quia nec sanguinem sitit, si justitiæ a viam non minuit miserendo, nec parcere vult noxio, quem reddit culpabilem temeraria præsumptio delinquendi. Sermo hic est de G. de Placentia captivo, quem propter homicidium, non ex proposito, sed rixa interveniente commissum, nostra sententia ultimo supplicio condemnarat: qui licet ante judicem in examinatione justitiæ stricto jure inexcusabilis sit repertus, tamen coram summi principis clementia factus est redivivus, sicut in authentici scripti nostri serie videritis contineri, quod latrix præsentium operosa demonstrabit.

(o)

Henri-

Henrici VIII. Thuringi Regis Romanorum.

Leges Judæis traditæ.

NOs HENRICUS Dei gratia &c. Universis præsentem literam inspecturis. Propter diversos quæstionum articulos, qui super jure Judæorum sæpius proponuntur, nos jure ipsorum, quibus eos in terra nostra uti volumus, pariter & gaudere, præsenti litera duximus exprimenda.

[Margin note: Anno Christi 1245. Sub Regis nomine citat Heigelius. Sed apud Georg. Fabricium Annalium Misnens. lib. 1. Anno 1265. legitur hæc inscriptio: Nos Henricus Dei gratia Misnensis & Orientalis Marchio. qui postea factus est Langravius Thuringiæ. Ergo Misniæ & Osterlandiæ primum datæ hæ leges, non sunt Imperiales, sed Municipales. a al. reperit.]

1. Si Judæus contestari voluerit super Christiano de debito, vel de alia causa, contestari debet cum duobus Christianis, & uno Judæo veracibus & bonæ famæ, Christianis jurantibus suo more, & Judæo jurante in suo libro.

2. Si Christianus contestari voluerit super Judæo de debito, vel de alia causa, contestari debet cum duobus Judæis, & uno Christiano veracibus & bonæ fidei.

3. Nullus Judæus tenetur respondere coram alio, quam suo Judice, quem nos dederimus eisdem.

4. Omne pignus, quodcumque fuerit, potest Judæus accipere, sine adductione testium, exceptis præparamentis & aliis rebus Ecclesiarum, quas semper debent accipere cum exhibitione testium, duorum Christianorum & unius Judæi, qui sint bonæ famæ.

5. Omne pignus, quod Judæus acceperit, si de eo tanquem de furto Christianus aliquis impetierit, Judæus potius obtinebit cum juramento, quod in pignore acceperet, quam Christianus id auferat cum juramento. Sin Judæus super hac re testes habere poterit, non erit necessarium quod juret, præter præparamenta, ornatus & res Ecclesiarum, de quibus si Judæus conventus fuerit, Warandatores suos adducere debet vel testes duos Christianos & unum Judæum, veraces & bonæ famæ: sin minus perdet pignus & denarios accommodatos.

6. Si Judæus de rebus Ecclesiarum conventus, se habere negaverit, & postea sub eo inventæ fuerint, perdet res ipsas, & denarios accommodatos, & judicio suo vadiabit: aliud incommodum aut aliam pœnam non sustinebit.

7. Si Christianus equum Judæo in pignore posuerit, & postmodum extra suam Warandiam alius sub eo reperit eundem equum, si Judæus Warandiam habere poterit, vel contestatores positis pignoribus, equum retinebit: sin minus, equum perdet, & aliud damnum non sustinebit. Si infra Warandiam non repertus fuerit, nec impetitus, Judæus obtinebit cum juramento, vel testibus, quod idem equus sit sibi impignoratus.

8. Si Christianus cum nuncio Judicis Judæorum de re sibi ablata interrogaverit scholis & Judæorum communitatibus, si aliquis habuerit, & non recognoverit, & postea sub eo inventa fuerit, rem ipsam perdet, & denarios accommodatos, & judici suo vadiabit, aliud damnum non sustinebit.

9. Si Judæus pignus positum perdiderit cum aliis rebus suis per ignem, vel per furtum, vel per violentam rapinam, & hoc contestatus fuerit cum juramento in libro, vel veracibus hominibus, pignus perditum solvere tenetur. Sed si Christianus, qui pignus posuerat, veniens ad Judæum argentum suum tulerit, & ponderatum exhibuerit, repetens pignus quod posuerat à Judæo, super hoc testes, videlicet duos Judæos & unum Christianum veraces addens, & Judæus non reddiderit, ab ea die usura non accrescit. Et si postea Judæus idem pignus perdiderit igne vel furto, vel quocunque modo, tenetur Christiano solvere ad justitiam sub juramento, restituturus illud, in quo pigous erat melius, quam summa accommodata & usura.

10. Si autem Judæus sequenti die, vel quocunque die postea venerit ad Christianum, & pignus idem exhibuerit ad redimendum, sub testimonio duorum Christianorum & unius Judæi, & ille non redemerit, & si postmodum Judæus idem pigous, igne vel furto vel violenta rapina cum aliis rebus suis, non tenebitur solvere Christisno.

11. Si conquestus fuerit Christianus de Judæo coram Imperatore, & si Judæus tenetur vadiare vadiabit marcam auri.

12. Item si coram nobis conquestus fuerit Christianus de Judæo, & si Judæus vadiare tenetur, vadiabit similiter marcam auri.

13. Si coram Camerario nostro Judice erit conventus, & si vadiare tenetur, vadiabit marcam denariorum.

14. Coram quocunq; alio inferiore Judice, si conventus vadiare tenetur, vadiabit libram piperis.

15. Item quicunque contra Judæum habet aliquid quæstionis, debet coram suo Judice, qui pro tempore fuerit, ipsum & apud schulas ubi ipsorum causæ tractantur, convenire, & justitiam accipere applicatam.

16. Cæterum si qua difficultas quæstionum orta fuerit, contra Judæum aliquem, quæ superius non est expressa, illam specialiter nostræ definitioni duximus reservandam. Ne autem super iis unquam dubium oriatur, præsentes literas conscribi fecimus, & sigilli nostri patrocinio roborari. Testes hujus sunt, Nobilissimus Vir

Hermanus de Lobdeburg,
Johannes Burggravius de Wetin,
Witigo Præpositus Misneosis Ecclesiæ,
Albertus Dapifer de B.ene,
Henricus Camerarius de Gnanestein,
Ulricus de Maltita & alii quam plures.

Dat. in Misna Anno Dominicæ incarnationis MCCLXV.

REGULA
Militaris Ordinis præscripta.

Anno Christi 1247.

Wilhelmo, cum in Regem Romanorum eligeretur, à Principibus Imperii in Comitiis Coloniensibus, Anno Domini MCCXLVII.

QUoniam Wilhelmus designatus Romanorum Rex adolescens est armiger, visum nobis est, ut cum festinatione præparentur omnia, quæcumque sunt necessaria, ut secundum ritum Christicolarum Imperatorum Miles fieret, antequam Aquisgrani diadema Regni susciperet, & ut secundum Christianam institutionem Miles effectus, & Regulam Militaris ordinis professus, ex eo disceret, cujusmodi jugum in ordine suo susceperit, & quale votum in professione suæ Regulæ emiserit.

Itaque ex consensu nostro, præparatis in Ecclesia Coloniensi omnibus, post Evangelium solennis Missæ prædictus Wilhelmus armiger coram Cardinale Apostolicæ Sedis Legato productus est per Regem Bohemiæ, dicentem in hunc modum: Vestræ Reverentiæ, Pater almiflue, præsentamus hunc electum armigerum, devotissime supplicantes, ut vestra Paternitas votivam ejus professionem suscipiat, quo militari nostro collegio digne ascribi possit. Dominus autem Cardinalis in Pontificalibus assistens ornamentis, eidem armigero dixit; secundum etymologiam ejusdem nominis, quod est Miles: Oportet, ait, unumquemque militare volentem, esse magnanimum, ingenuum, largifluum, egregium & strenuum: magnanimum quidem in adversitate, ingenuum in consanguinitate, largifluum in honestate, egregium in curialitate, & strenuum in virili probitate; sed antequam votum tuæ professionis facias, cum matura deliberatione jugum regulæ prius audias.

Ista itaque Regula est militaris ordinis, in primis cum devota recordatione Dominicæ passionis Missam quotidie audire: pro fide Catholica corpus audacter exponere, sanctam Ecclesiam cum ministris ejus à quibuscumque grassatoribus liberare; viduas, pupillos ac orphanos in eorum necessitate protegere, injusta bella vitare; iniqua stipendia renuere; pro liberatione cujuslibet innocentis duellum inire, tyrocinia non nisi causa militaris exercitii frequentare; Imperatori Romanorum, seu ejus Patricio reverenter in temporalibus obedire: Rempublicam illibatam in vigore suo permittere: bona feudalia Regni vel Imperii nequaquam alienare: ac irreprehensibiliter apud Deum & homines in hoc mundo vivere. Hæc statuta militaris regulæ si devote custodieris, & pro virili diligenter adimpleveris, scias, temporalem te honorem in terris, & post hanc vitam requiem æternam in cœlis mereri.

Quibus explens, Dominus Cardinalis conjunctas manus ejusdem tyronis clausit in Missali, supra lectum Evangelium, ita dicens: Vis ergo militarem ordinem in nomine Domini devote suscipere, & regulam tibi verbotenus explicatam, quantum potes, perficere? Cui respondit armiger: volo. Et tum Dominus Cardinalis subsequentem professionem armigero dedit, quam idem armiger palam omnibus in hunc modum legit: Ego Wilhelmus Comes Hollandiæ, militiæ Princeps, sacrique Imperii vasallus liber, jurando profiteor regulæ militaris observantiam, in præsentia Domini mei Petri ad Velum Aureum diaconi Cardinalis, & Apostolicæ Sedis Legati, per hoc sacrosanctum Evangelium, quod manu tango. Cui Cardinalis: Hæc devota professio peccatorum tuorum sit vera remissio. Amen.

Istis itaque dictis Rex Bohemiæ ictum impegit in collum tyronis, ita dicens: Ad honorem Dei omnipotentis te militem ordino, ac in nostrum collegium gratanter accipio: sed memento, quoniam Servator mundi coram Anna pontifice pro te colaphisatus & illusus coram Pilato Præside, & flagellis cæsus, ac spinis coronatus, coram Herode Rege chlamide vestitus & derisus: & coram omni populo nudus & vulneratus in cruce suspensus est, cujus opprobria meminisse te suadeo: cujus Crucem acceptare te consulo: cujus etiam mortem ulcisci te moneo.

Quibus ita solemniter adimpleris, novus tyro post dictam Missam cum stridentibus buccinis, prostrepentibus tympanis, & tinnientibus cymbalis contra filium Regis Bohemiæ tribus vicibus concurrit in hastiludio, & exinde cum gladiis enitentibus dimicationis tyrocinium fecit.

Erant autem in eadem sua electione & Curia præsentes,

Petrus Caputii Cardinalis Legatusque Sedis Apostolicæ,
Rex Bohemiæ cum filiis suis,
Arnoldus de Isenborch Archiepiscopus Treuirensis,
Conradus de Hoystaden Archiepiscopus Coloniensis,
Gerhardus Archiepiscopus Moguntinensis,
Henricus de Geldria Electus Leodiensis,
Otto de Hollandia Episcopus Trajectensis,
Cum novem aliis Archiepiscopis & Episcopis.

Marchio Brandenburgensis, cum pluribus Ducibus & Marchionibus & Vasallis Imperii.

IMPE.

Imperialis Processus.

In unctione Regis Romanorum, & in ejus Coronatione & Consecratione servandus.

IN Coronatione & unctione Regis Romanorum debet esse talis Processus. Primo post electionem concorditer vel à majori parte factam, comparebit Rex Romanorum noviter electus in Ecclesia Aquensi, & ibidem Archiepiscopus Coloniensis ex jure Regni debitus consecrator indutus suis Pontificalibus ornamentis, & similiter Archiepiscopus Moguntinus, & Treverensis Archiepiscopus erunt induti suis Pontificalibus ornamentis, & desuper plumalibus, cum debito ordine ministrorum, et cruce, thuribulo, & textu Evangeliorum, præcedentibus, qui obviam ibunt Regi electo venienti ad fores Ecclesiæ Aquisgranensis, ubi Archiepiscopus Coloniensis eum recipiet, dicens: *Adjutorium nostrum in nomine Domini.* Et Clerus: *Qui fecit cœlum & terram.* Archiepiscopus. *Sit nomen Domini benedictum.* Ministri: *Ex hoc nunc &c.* Archiepiscopus dicet collectam illam: *Omnipotens sempiterne Deus, qui famulum tuum N. Regni fastigio dignatus es sublimare, tribue ei quæsumus, ut ita præsentis sæculi cursum cunctorum in communem salutem disponat, quatenus à tuæ veritatis tramite non recedat, per Dominum &c.*

Et hac collecta dicta, Archiepiscopi Moguntinensis & Treverensis, præsidante Archiepiscopo Coloniensi, suscipiant Regem, unus ex uno, & alter ex altero lateribus, per manus ipsum ducent ad Chorum Aquensem, & sic præcedente Archiepiscopo Coloniensi cum Clero, cruce, thuribulo, textu Evangeliorum, & reliquiis præcedentibus. Clerus vero cantet: *Ecce mitto Angelum meum, qui præcedat te, &c.* cum versic. Psalmi: *Si me audieris, &c.* Et tunc cum perductus fuerit Rex electus ad chorum, prosternet se super tapeto posito ad gradus altaris, & Rex totus se prosternet ad longum, ubi Archiepiscopus Coloniensis super eum prostratum dicet, *Domine salvum fac Regem. Oremus. Deus, qui scis genus humanum nulla posse virtute subsistere, &c.* Item: *Oremus. Sempiterne Deus, qui cœlestium terrestriumque moderator, famulum tuum ad Regni fastigium dignatus es promovere, &c.* His dictis elevet se Rex, & ponat se super sedem Regiam, & addatur ei Regina, si præsens fuerit, & collocetur juxta Regem in latere sinistro: ac Archiepiscopus Moguntinus à dextro, Treverensis vero in sinistro latere juxta Reginam se ponant. Et tunc Archiepiscopus Coloniensis, induta casula, celebraturus Missam, dicat: *Confiteor Deo omnipotenti, &c.* Quo dicto incipitur Missa solenniter: *Ecce advenit Dominator.* Versic. *Judicium Regi da.* Et tunc dicentur duæ collectæ; illa scilicet: *Deus qui miro ordine Angelorum &c.* De tribus Regibus, ac *Alleluja*, & Sequent. * ad officium totum de tribus Regibus, lectio Esaiæ Prophetæ: *Surge illuminare Jerusalem &c.* Si autem esset tempus Quadragesimale; dimissis *Alleluja* & prosa, cantabuntur tractus *Desiderium animæ ejus*, usque ad versic. *Posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso.* Et tunc surgat Rex, & deposito pallio Regio, ducetur per Archiepiscopos Moguntinensem & Treverensem ad gradus altaris, & prostratus in totum, in modum crucis cantetur Litania à duobus Clericis, in quo loco suo erigat se Archiepiscopus Coloniensis, qui prostratus cum Rege baculum in manibus suis tenens, dicet inter cantandum Litanias per Clerum: *Ut hunc famulum tuum N. in Regem eligere digneris.* Clerus: *Te rogamus &c.* Item Archiepiscopus Coloniensis: *Ut eum benedicere † sublimare † & consecrare † digneris.* Clerus: *Te rogamus &c.* Item Coloniensis: *Ut eum ad Regni & Imperii fastigium feliciter perducere digneris.* Clerus: *Te rogamus, &c.* Deinde illi duo Clerici complent Litaniam: *Ut Pontificem nostrum, &c.*

* fort. ad off.

Et finita Litania, eriget se D. Coloniensis, & Rex similiter se levet. Et D. Coloniensis à Rege quæret: *Vis sanctam fidem Catholicam à sanctis Apostolis traditam tenere, & operibus fide dignis servare?* Respondebit ei Rex: *Volo.* Item Coloniensis quæret: *Vis sanctis Ecclesiis Ecclesiarumque ministris fidelis esse tutor & defensor?* Respondebit Rex: *Volo.* Item Coloniensis quæret tertio: *Vis Regnum Dei tibi à Deo concessum, secundum justitiam prædecessorum tuorum regere & efficaciter defendere?* Respondebit Rex: *Volo.* Item Coloniensis: *Vis jura & regna Imperii bonaque ejusdem injuste dispersa conservare & recuperare, ac fideliter in usus Regni & Imperii dispensare?* Respondebit Rex: *Volo.* Item Coloniensis quæret: *Vis pauperum & divitum, viduarum & Orphanorum æquus esse judex & pius defensor?* Respondebit Rex: *Volo.* Item Coloniensis quæret: *Vis integerrimo in Christo Patri & Domino Romano Pontifici & sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensionem debitam & fidem reverenter exhibere, &c.* Respondebit Rex positis duobus digitis manus suæ dextræ super altare: *Volo, & in quantum divino suffultus fuero adjutorio, & precibus Christianorum adjutus, quantum valuero, omnia præmissa fideliter adimplebo, sic me Deus adjuvet & sanctum ejus Evangelium.*

Et tunc reducitur iterum ad altare, ubi Dominus Archiepiscopus Coloniensis à Principibus Alemaniæ, Clero & Populo circumstantibus quæret, & sic dicet: *Vultis tali Principi & Rectori vos subjicere, ipsiusque regnum firmare, fide stabilire, atque jussionibus illius obtemperare, juxta dictum Apostoli: Omnis anima Potestatibus sublimioribus subdita sit sive Regi quasi præcellenti?* Ad quam quæstionem Archiepiscopi Mogontinensis & Treverensis, Principes Alemaniæ, Clerus & populus, assistentes respondebunt dicentes: *Fiat, fiat, fiat.* Quia tamen Rex quandoq; non intelligit Latinum idioma, præmissa per Archiepiscopum Coloniensem aut Clericos ejus præmissas, interrogationes declarabit.

Quo facto Rex prosternet se in longum, & Coloniensis dicet super eum benedictionem: *Oremus. Benedic Domine hunc Regem nostrum N. qui regna omnium moderaris a sæculo, &c.* Item Coloniensis super eum dicet: *Deus ineffabilis auctor mundi, conditor generis humani, &c.* Post, *Amen*, iterum eriget

se Rex, & Dominus Coloniensis unget caput ejus, pectus inter scapulas, & ambas juncturas brachiorum circa scapulas, de oleo Catechuminorum, dicens: *Pax tibi.* Ad quod Clerus: *Et cum Spiritu, &c.* Et tunc Coloniensis dicet: *Ungo te in Regem de oleo isto, in nomine Patris † & Filii † & Spiritus † sancti.* Et interea Clerus cantet: *Unxerunt Salomonem Zadoch Sacerdos & Nathan Propheta Regem in Syon: & procedentes læti dixerunt, Vivat Rex in æternum.* Postea Coloniensis ungat palmas manus, dicens: *Ungantur manus istæ de oleo sacro, unde uncti fuerunt Reges & Prophetæ, & sicut unxit Samuel David in Regem, ut sis benedictus & constitutus Rex in regno isto super populum istum, quem Dominus Deus tuus dederit tibi ad regendum & gubernandum, quod ipse præstare dignetur, qui vivit & regnat Deus, &c.* Interea Clerus iterum cantet: *Unxit te Deus &c.* Et factis unctionibus istis, statim sint parati Capellani Domini Regis: & cum lana mundissima detergant omnia loca, ubi oleum appositum est.

Et tunc ducetur Rex ad armarium, & indutum ibidem sandaliis, alba, stola ad modum crucis in pectore sine Cappa: & ita redeat ad sedem suam circa altare. Et tunc Coloniensis dicet collectam: *Prospice omnipotens Deus serenis obtutibus gloriosum Regem N. & sicut benedixisti Regem Abraham, Isaac & Jacob, &c.* Item aliam collectam: *Spiritus sanctus gratiæ humilitatis nostræ officio copiose in te descendat.* Item alia: *Deus, qui es justorum gloria & misericordia peccatorum &c per omnia secula seculorum.* Assistentes respondeant: *Amen.* Coloniensis *Dominus vobiscum: Sursum corda: Gratias agamus, &c. Vere dignum & justum est, &c.* Specialem præfationem, ut in Ordinario Episcopi Coloniensis habetur. Item collecta alia, *Quoniam Dei Filius Jesus Christus Dominus noster, qui à Patre oleo exultationis, &c.* His dictis postea Regalia tradentur Regi hoc ordine, & locentur primo ad sinistram altaris in mensa. Et tunc Coloniensis, Moguntinensis & Treverensis simul tradent Domino Regi gladium, & dicet Coloniensis: *Accipe gladium per manus Episcoporum vice & auctoritate sanctorum Apostolorum consecratas, tibi regaliter impositum.* Hinc accinctus gladio, accipiat à Domino Coloniensi armillas, pallium, & anulum, dicente sibi Coloniensi: *Accipe Regiæ dignitatis anulum, & per hunc Catholicæ fidei cognosce signaculum, &c.* Postea Dominus Coloniensis tradet ei sceptrum & pomum, & dicet: *Accipe virgam virtutis & æquitatis.* Hinc Domini Coloniensis, Moguntinensis & Treverensis simul supraponent Regi coronam Regiam; scilicet Caroli Magni de Nornberg adductam: & pariter dicant: *Accipe coronam Regni, &c.*

Hinc Domini Moguntinensis & Treverensis ducent Regem ad altare; & Rex positis manibus supra altare, hanc professionem faciet in suo vulgari, id est, Teutonico, prius tamen in Latino: *Profiteor & promitto coram Deo & Angelis ejus, amodo & deinceps legem & justitiam, pacemque sanctæ Dei Ecclesiæ servare populoque mihi subjecto prodesse, & justitiam facere, & jura Regni conservare, salvo condigno divinæ Misericordiæ respectu, sicut cum auxilio Principum & fidelium Regni atque meorum melius invenire potero. Sanctissimo Romano Pontifici, & Ecclesiæ Romanæ cæterisque Pontificibus & Ecclesiis Dei condignum & canonicum honorem exhibere volo. Ea etiam, quæ ab Imperatoribus & Regibus Ecclesiis seu Ecclesiasticis viris collata sunt, & erogata, inviolabiliter ipsis conservabo, & faciam conservari. Abbatibus & Ordinibus, vasallis Regni, honorem volo portare & exhibere, Domino nostro Jesu Christo mihi auxilium præstante, fortitudinem & decorem.*

Post istam professionem Moguntinensis & Treverensis Archiepiscopi ducent Regem ad solium suum, Clero cantante officium, quod incipit; *Desiderium animæ tribuisti &c.* Et versiculum: *Qui prævenisti eum.* Hinc ducetur Rex superius ad altare Apostolorum Simonis & Judæ, in Ecclesia Aquensi: & deinde dicet Archiepiscopus Coloniensis Regi: *Ista retine amodo locum Regni, quem non jure hereditario, nec paterna successione, sed Principum Electorum in Regno Alemaniæ seu veriùs Romanorum tibi noscas delegatum, maxime per auctoritatem Dei omnipotentis, & traditionem præsentem, & omnium Episcoporum cæterorumque servorum Dei, &c.*

His itaque cum Rege peractis, si Rex habuerit Reginam, quæ affuerit, jungatur Regina ante altare coram Domino Archiepiscopo Coloniensi, qui super eam prostratam dicat benedictionem: *Omnipotens sempiterne Deus, fons & origo totius bonitatis, qui fœminei sexus fragilitatem, &c.* Et tunc projiciat sa Regina per modum crucis in longum ante Dominum Coloniensem, qui iterum dicat super ea benedictionem: *Deus qui solus habes immortalitatem &c.* Hinc detegatur pectus Reginæ per suas pedissequas, & Archiepiscopus Coloniensis circa præcordia pectoris Reginæ de oleo sacro unget eam dicens: *Spiritus S. gratiæ humilitatis nostræ officio in te copiose descendat, &c.* Hinc Coloniensis, Moguntinensis & Treuerensis Archiepiscopi pariter supraponant coronam ad caput Reginæ dicentes: *Officio indignitatis nostræ in Reginam benedictam ponimus coronam Regalis excellentiæ.* His dictis Capellani Reginæ accedant & detergant loca cum oleo deuncta cum lana munda & alba. Et postea pedissequæ Reginæ ipsam reinduant. Quo facto ducatur juxta Regem, & sedeat in latere sinistro Regis, & prius Clero cantante: *Te Deum laudamus.*

His peractis legitur Evangelium secundum Matthæum: *Cum natus esset Jesus in Bethlehem Judæ, in diebus Herodis.* Deinde dicitur, *Credo.* Offertorium, *Reges Tharsis &c.* Et Rex sceptrum in manu tenens offerat ad altare, ubi Missa cantatur: deinde offerat Regina: postea Principes Moguntinensis, Treuerensis: postea alii Principes Electores secundum gradum suum. Et procedetur in Missa usque ad illum locum, *Et pax ejus.*

Completo officio Missæ, & mox post electionem Rex confirmet privilegia Principum Electorum, & juret, quod postquam unctus fuerit & coronatus & diademate Imperiali per Romanum Pontificem ornatus, iterum Principum Electorum privilegia confirmabit.

Quibus sic peractis, Rex cum Principibus Electoribus ingredientur auditorium. Et si tunc fue-

sint aliqua negotia specialia & ardua Regni tractanda, illa tractabunt. Et ita Rex ipse processu temporis cum suis Principibus ac Proceribus Regnum Romanorum administrabit, pacem conservando, oppressos relevando, injustos reprimendo, & justitiam defendendo in jure, & ita cum Dei adjutorio Regnum & regimen sacri Romani Imperii fœliciter continuando. Quod iste ei misericorditer præstet, qui sine fine vivit & regnat per omnia secula seculorum benedictus. Amen.

ANTIQUA ORDINATIO,

DE OFFICIO COMITIS PALATINI.

IN primis, majorum ordinatione sancitum & constitutum est, quod si quando Regium semen deficere contigerit, & de electione novi Regis tractaretur, in ipsa electione, Comes Palatinus ex officii dignitate, primam vocem semper habere debet.

2. Secundo, si quispiam Regum hæredem in tenera ætate constitutum reliquerit, Comes Palatinus ex officio tenetur & debet illum, tamquam tutor, in regnis & dominiis subjectis conservare, & fideliter defendere. Cui quidem Palatino interim, quo hæres ipse in adultam pervenerit ætatem, universi illius subditi & regnicolæ, perinde ac vero Domino & Regi, semper obedire, & in omnibus rebus obtemperare teneantur.

3. Tertio, si Regium semen deficere contigerit, infra id tempus, quoad novus Rex eligetur, aut etiam, si, ut præfertur, hæres in tenera ætate relinquatur, Comes Palatinus ejus tutor habet semper ex officio pro rebus & necessitate Regni, & etiam illius hæredis facere, & judicare diætas, quascumque opportunas duxerit, cui, ut præfertur, regnicolæ semper parere, & morem gerere debent, & teneantur.

4. Quarto, si quando urgeret Regni necessitas, & opus esset, ut pro ejus necessitate & necessaria defensione regnicolæ insurgerent, Comes Palatinus ex suscepto officio debet esse generalis & supremus Capitaneus regni & regnicolarum, & illos gubernare, juxta tamen voluntatem & arbitrium Regiæ Celsitudinis.

5. Quinto, quod si quæ differentiæ, sive seditiones, aut aliæ controversiæ, inter regnicolas forte contingerent, Comes Palatinus authoritate officii providere, illasque sedare, & complanare, atque nocentes juxta demerita punire, necnon commissa emendare & rectificare debet, dignitate tamen & authoritate Regia salva semper remanente.

6. Sexto, quod si quando differentia sive discordia aliquando inter Regem & Regnum oriri forte contingeret, Palatinus ex officio debet esse mediator, & se interponere, atque illos, adhibita omni diligentia, cura, studio & solicitudine, fideliter componere.

7. Septimo, si quando contingeret Regem tam simplicem, aut negligentem esse, ad audiendum Oratores, vel etiam ad respondendum, illis Palatinus ex officio providere, & illius defectum supplere debet & teneatur.

8. Octavo, si bona aliqua donantur per Regiam Majestatem, & contradictores apparuerint, causabunturque injuste per suam Majestatem fuisse donata, debent Palatino conqueri, & ille ad aures Regias hujusmodi querelas quamprimum referre tenetur. Si vero Rex abesset, nihilominus accepta querela, tenetur ille quamprimum significare, & similiter rogatum facere, quo Majestas sua præfigat terminum & locum, ubi & quando ipsa querela videatur, discutiatur & diffiniatur.

9. Nono, Palatinus ex officio habet, quemlibet regnicolarum sine prætextu jurium possessionariorum, sive actuum potentionariorum, ad justitiam querulantium in jus evocare. Et hac in re adeo amplam potestatem, jurisdictionem & authoritatem habet, ut dempta Regia dignitate, nullus omnino Justitiariorum ampliorem, sed neque parem habeat. Alii quippe Comites & Judices Regni, in causis dumtaxat actuum potentiariorum, & non jurium possessionariorum, decernere, & sententias ferre habent. Cæterum si qui jure coram Comite Palatino in Byrsagiis, aut aliis Judiciorum oneribus convincantur, illis ejuscemodi onera Regia Celsitudo non tam ordinata, quam sed absoluta potentia & authoritate relaxare quidem potest, non tamen debet hic, quia Comes Palatinus de Byrsagiis ipsis pro suo arbitrio semper disponere potest; aliis autem, qui coram cæteris Comitibus & Judicibus convincuntur, Regia Sublimitas libere & directe de ordinata sua potentia, onera ipsa relaxare semper potest.

10. Decimo quod Regiam Majestatem sive in exercitu, sive aliter extra Regnum agere si contingat, Comes Palatinus ex officio debet in Regno semper esse Locumtenens, & cum aliquibus penes ipsum deputandis, quorum tamen ipse caput & superior esse debet, omnia facere & exercere, quæ Rex ipse posset & deberet, potest, demptis tamen gratiis & donationibus jurium ad Coronam devolutorum, præterea aliis illis, quæ directe ad Regiam Dignitatem ex antiqua Ordinatione pertinuerunt semper.

Comes Palatinus, qui olim Major domus, est Vicario Regni, ipsi Regià populo tamquam arbiter, custos & observator attributus, ne limites præscriptæ jurisdictionis excedere posset Francia sive Germania duos habuit Suevicum sive Rhenanum & Saxonicum, qui sub se alios inferiores Palatinos habebant. Et Rhenano quidem Suevens, Bavaricus & Franconi cus subjecti erant. Quibus tandem Henricus III Imp cognomentu Niger, subacto Hungariæ regno, & restituto Petro Rege, fidelitate ab eo recepta, petentibus Ordinibus, Palatinum Hungariæ adrecit - it, 1042. Item recuperata Campania, & Imperio Germanico unita, Palatinum Campaniæ An. 1014. Conradus III. Imp Poloniæ Palatinum constituit An. 1146 Fredericus I. Imp. Burgundiæ & Viennensis Provinciæ Palatinum instituit, An. 1199. Hæc autem constitutio, ne quid diffitear, quamvis proprie de Hungariæ palatino à Marchia Rege & Ordinibus Regni recognita sit An. 1462. tamen verbatim, ut ex priscis monomentis alibi doceo, ex vetusta Francorum sive Germanorum formula & ordinatione desumpta est, & sane Hungari, ut & Poloni pleraque leges suas Imperio Germanico debent, unde acceperunt.

FORMULA

Juramenti Fidelitatis Vasallorum seu Judicum Imperio præstandi.

JUro ago per Deum omnipotentem, & Filium ajus unigenitum Dominum nostrum JEsum Christum, & per Spiritum sanctum, & per saoctam gloriosam Dei ganitricem samper virginem Mariam, & per quatuor Evangelia, quæ in manibus tenao meis, & per quatuor Evangalistas, & per S. Archangalos, Michaëlem, Gabrialam: puram conscientiam, ingenuumqua sarvitium ma servaturum: quod jus habere & tenere volo, secundum conscientiam & probitatam, in servitin Serenissimi Principis Domini N. occasiona traditæ mihi ab illo in ejus bonis administrationis, & omnem laboram & sudorem sina dolo suscipiendo, omnemque artem malam & dolum in commissa mihi ab eo administratione vitara volo: quodque Catholicæ fidei sum, & nullo modo val tempora ei adversabor, nac alium permittam, quantum possibile fuarit mihi: & qood nulli penitus quidquam dedi, neque dabo occasione dati mihi cinguli sau officii, sad quidqnam promisi: quodque proba ma in eo ostendera volo in subjectis Domini mei, contentus in his, quæ statuta mihi sunt da fisco, annonis; & jura Imperatoria scire volo, nac illa omittendo propter amoram, compatientiam, invidiam, odium, commodum, utilitatem.

Juro etiam, qnod probos & bonos in aorum problitata paterna servare volo, subditosque à pravis tueri, tn judiciisqua æqnus judax esse volo, axcassus omnas invastigando, æquitatemque tenendo, justos in justitia conservando, iojustis vero debitam infligando pœnam. Id juro ita iaoara & observare, aliterqua non facera: & si istud non sarvaverim, axtandatur super me horribila judicium Domini nostri JEsu Christi, & sim particaps Judæ, invadatqua ma Gasi lepra, & tremor Cain, & gladius sta judicium sæculara sit super ma, quod super falsos Judices statutum est.

An. Christi 1258.
* Fuit Cornubiæ Comes, frater Henrici III. Regis Angliæ, electus Coloniæ 5. Idus Januar. An. 1257 a Conrado Coloniensi & Ladovico Palatino Electoribus, & Gerhardo Metensi Episcopo coronatus & unctus Aquisgrani ab eodem Coloniensi.

Richardi * Angli Imperatoris Augusti, CONSTITUTIO

De Hæreticis & Blasphemis.

SI qnis aliam fidem, quam quæ in duodecim articulis sacrosancti Apostolici *Symboli* Christianæ nostræ Catholicæ Fidai tradita est, annunciat, sequitur, docet vel prædicatur; aut naturarum in Redemptore nostro JEsu Christo confusionem profitetur; aut divinitatem ajus val humanitatem negat blasphamatue; aut salutiferam ajus passionem & mortem contamnit val blasphemat, & per inquisitores Hæreticæ pravitatis ac alios Catholicos Sacardotas pastorali more commonitus tanabricosi Diaboli relictis insidiis viam varitatis agnoscere noluerit, sed iu erroris concepta naquitia *per*saveret, præsentis nostræ legis adicto dampnandum eum fore decernimus, ut bonis ajus in *fiscum* redactis corpus ultimo supplicio afficiatur.

2. Cumque per hortendam blasphemandi consuatudinem Divinæ Majestatis ira hactenus *in* sacrum Romanum Imperium & fidalium quierem provocata essa notascat, & Christianus populus miserrima scandalizatur, ad placandam Dei iram, & populi impiatatem refrenandam, volumus ac statnimus, si quis data industria & daliberato animo per Dei nomen, potentiam misaricordiam, *baptismum*, Sacramentum, martyrium. passionam, vulnera, virturam & similes blasphamos sermones juraverit, in primis ut criminis & dampnatæ blasphamiæ delictum inter publica crimina numeretur, deinda in ipsum raum dabitæ ultionis gladio animadvertatur.

3. Si quis varo ex ira aut prava consuatudina deliquerit, qnotiens dejerasse aut blasphemasse anditus fuarit, totiens pro unoquoque blasphemo dicto vel juramanto singulos solidos Judici, incujus districtu crimen commisisse dapiahansus fuarit, solvare culpabilis judicetur: nisi tamen ita graviter blasphemasse convincatur, quod morte dignus axistimatur, decarnimus ut sacundum criminis circumstantias pro Judicis arbitrio atrocius in corpore & vita puniatur. Blasphematóres autem, cujuscumqua sint dignitatis aut conditionis, è vestigio ad Jndicem deferantur. Quod qui non fecerit, & auditi criminis calator axtiterit, vel ipsa Judex in axecutione negligens & remissus foret, coram Deo & in conspectu nestro poterit merito culpabilis apparare.

Datum in villa Solodoro, XVII. Kalendas Augusti.

ITEM ALIA CONSTITUTIO
DE SUCCESSIONE IN DEFUNCTI
Filii Hæreditatem.

An Christi 1298.

Filius, patre & matre superstite, sine liberis defunctus, exclusis fratribus & sororibus, patrem & matrem solos haber successores. Post patris autem obitum, & divisione paternæ hæreditatis facta, filio sine liberis decedenti in feudalibus soli fratres consanguinei, in allodialibus sorores pariter & fratres consanguinei, exclusa matre, succedunt. Datum Losannæ, VI. Kaleodas Octobres.

Alphonsi Hispani Imperatoris Augusti,
MANDATUM
Ad Civitates Imperiales Italiæ, De paratis & mansionaticis & conductibus coronando Cæsari exhibendis.

An Christi 1253.

ALFONSUS Electus Romanorum Imperator, Rex Castellæ &c. Antianis, Consilio, & Populo Patavino, fidelibus suis dilectis. Mandamus vobis, ut Legatos viros honestissimos legatis, qui mihi Lombardiam ingredienti occurrant, ac debitum comitatus officium exhibeant.

* *Hic Imperator auctor est corporis Constitutionum, quod Partitam Hispani vocant, & vim legis non per Hispaniarum modo Regna, sed Indiarum quoque & Affrica Imperium hodie obtinet. Audio nunc Moguntia sub prælo esse, dum & hæc imprimuntur. In ejus electionem consensisse Moguntinum, Trevereusem & Saxonem scribunt. Sed tempore electi hujus Cæsaris, jus creandi Regis Romanorum non tantum Septemviris hodiernis fuisse, sed & aliis Germaniæ Principibus, ejus sæculi scriptor Matthæus Parisiensis memoriæ prodidit, eosque de Richard. & Alphonsi electionibus loquens indicavit his verbis:* Hi sunt maximi in Alemania, ad quorum nutum pendet electione ipsius Regni, quod est quasi ara (*for.* artha) Imperii Romanorum, Archiepiscopus Coloniæ, cui titulus est, Sacri Imperii Protocancellarius, post honorem Archipræsulatus: Archiepiscopus Moguntioos, Archiepiscopus Treverensis, Rex Bohemiæ, Comes Palatinus de Rheno, Dux Austriæ, Dux Sueviæ, qui & Comes Bavariæ, Dux Poloniæ, Marchisius de Miche (*for.* de Moravia,) Marchisius de Brandeborg, Dux de Melai (*for.* Meran,) Dux Brabantiæ, qui & Lovaniæ, Laodegravius Thuringiæ, Marchio Misniæ. Inter omnes hos Magnates supereminens est Archiepiscopus Coloniensis, qui coronare tenetur Regem Alemaniæ apud Aquisgranum ab antiqua & approbata consuetudine.

Conradini Regis Romanorum,
EDICTUM
De receptione Cinguli Militaris.

Anno Christi 1267.

Conradus Rex Panormitanis.

AD noticiam vestram perducimus, quod licet ex generositate sanguinis, qua nos à primis componentibus natura dotavit, & ex dignitatis officio, qua duorum Regnorum nostræ solio gratia divina præfecit, nobis militaris honoris auspicia non deessent, quia tamen militiæ cingulum, quod reverenda sancivit antiquitas, nondum Serenitas nostra susceperat, die præsentis mensis Augusti, cum solennitate tyrocinii, latus nostrum eligimus decorandum, ut ex hoc ætatis nostræ victoriosa floriditas signa majoris strenuitatis induceret, & originalis nobilitatis gratiam renovaret novæ militiæ claritudo. Qua etiam die, ut honoris nostri solennia dignis militantium studiorum titulis ornaremus, præter celebrata magnificæ festivitatis, quæ tanti boni jocunditas, & personæ nostræ Magnificentia requirebant, ad locum victoriosi exercitus nostri castra perduximus, ut abinde sub felicitatis futuræ præsagio, pace data, plene fidelibus contra hostes nostros continuatis gressibus procedamus.

An. Christi 1268. * eo nomine Noni, Hoc capitulum in vulgatis editionibus Pragmaticæ omissum est. * al. consensu.

S. Ludovici * Regis Francorum Pragmatica Sanctio,

De rapinis & expilationibus Romani Pontificis coercendis.

ITEM, exactiones & onera gravissima pecuniarum, per Curiam Romanam Ecclesiæ Regni nostri impositas vel imposita, quibus Regnum nostrum miserabiliter depauperatum existit, sive etiam imponendas vel imponenda, levari aut colligi nullatenus volumus, nisi duntaxat pro rationabili, pia & urgentissima causa, & inevitabili necessitate, ac etiam de expresso & spontaneo * *jussu nostro*, & ipsarum Ecclesiarum Regni nostri, &c.

Ao Christi 1271.

Rudolphi I. Habsburgii Imperatoris Augusti, CONSTITUTIO

De primis precibus.

RUDOLPHUS Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus, honorabili in Christo devoto Abbati &c. gratiam suam & omne bonum.

Cum ex antiqua & approbata, ac à Divis Imperatoribus & Regibus ad nos producta consuetudine, quælibet Ecclesia in nostro Romano Imperio constituta, ad quam beneficiorum Ecclesiasticorum pertinet collatio, super unius collatione beneficii, precum nostrarum primarias admittere teneatur, devotionem tuam rogamus, quatenus huic Clerico, de Ecclesiastico beneficio, quod ad tuam collationem attinet, ob reverentiam sacri Imperii, studeas liberaliter providere, &c. Datum, Anno Regni nostri primo.

Alberti I. Imperatoris Augusti, CONSTITUTIONES.

Ex Glossa posteriori Speculi Sax. lib. I.

Artic. LXIII.

QUod duellum devenit ad testimonium Septemvirorum, est statutum ALBERTI Imperatoris, & vocatur Constitutio nova: & secundum eandem miles acquirit ferendarium, potestque se defendere prædæ sibi objectæ, & etiam convincere prædonem aut furem metteritius: *rusticus* simplex metseptimus. Si vero reus testimonio Septemvirorum sese defendere poterit, propior est, quam quod actor eum convincere deberet.

Ex Glossa Wichbild seu Juris Monicipal. Maydenburg.

Artic. XXXV.

COnsiderandum circa id, quod respondens accusatus duellariter, propior est metseptimus expurgare se, quam quod actor eum convincere possit, & hoc intelligendo, si unus secundum Constitutiones novas, quæ ab ALBERTO Imperatore sancitæ sunt, aliquem alloquatur pro *furto*, præda. Et si fuerit miles, prædæ objectæ se defendere potest, & etiam convincere prædonem metterous: civis metquintus: rusticus vero simplex metseptimus. Sed si reus potest se judicialiter defendere testimonio facilius sibi admittitur.

Ex Glossa posteriori Specul. Sax. lib. I.

Artic. LXIV.

ARticulos iste immutatus est per Constitutionem novam Marchionis Ottonis, seu verios per Statutum ALBERTI Imperatoris, ut præcedenti Articulo tactum est, ita quod malefactor convinci debet per testes, sic scilicet, quod miles convincere aliquem posset mettertius, civis metquintus, rusticus metseptimus: & id in * Marchia servabatur.

* Brandeburgensi.

Ex eadem Gloss. lib. III.

Artic. LXXXIV.

HOc modo etiam filius exhereditari potest, si bona parentis occupat ipso vivente, ut in Constitutione Imperatoris ALBERTI habetur.

Phi-

Philippi Pulchri Regis Francorum, & ſub Alberto I. Cæſare S. Rom. Imperii in Regno Arelatenſi Vicarii Generalis,

RESCRIPTUM

AnnoChriſti 1302.

De ſuperioritate Regia, & collatione Beneficiorum Eccleſiaſticorum ad jus Regium pertinente, adverſus Papæ Romani tyrannidem.

EPISTOLA PAPÆ.

BONIFACIUS * Epiſcopus, Servus ſervorum Dei, Philippo Francorum Regi. Deum time, & mandata ejus obſerva. Scire te volumus, quod in ſpiritualibus & temporalibus nobis ſubes. Beneficiorum & præbendarum ad te collatio nulla ſpectat: & ſi aliquorum vacantiam habes fructus eorum ſucceſſoribus reſerves: & ſi quæ contuliſti; collationes tales irritas decernimus. & quantum de facto proceſſerunt, revocamus. Aliud credentes Hæreticos reputamus. Datum Laterani, 1111. Nonas Decembr. Pontificatus noſtri anno vi.

* ejus nominis Octavus.
ejus nominis Secundus.
† ſic & Mauritius Imp. Gregorium Primum Papam in quodam R. ſcripto Fatuum appella it vide Greg. epiſt. l. 4. ep. 31. ind. 13.

Reſponſum Regis.

PHilippus * Dei gratia Francorum Rex, Bonifacio ſe gerenti pro Summo Pontifice, ſalutem modicam ſive nullam. Sciat tua maxima † fatuitas, in temporalibus nos alicui non ſubeſſe: Eccleſiarum & præbendarum collationem ad nos jure Regio pertinere, & fructus earum vacatione durante noſtros facere, collationes à nobis hactenus factas, & in poſterum faciendas fore validas: & illarum vigore, poſſeſſores contra omnes viriliter nos tueri. Secus credentes fatuos & dementes reputamus. Datum &c.

EJUSDEM REGIS

ARTICULI,

An Chriſti 1303.

Adverſus Bonificium Papam in Synodo Pariſienſi per Archiepiſcopum Arelatenſem propoſiti & decreti.

1. Quod ſit Simoniacus, & ſe Simoniam committere non poſſe dicat.
2. Quod ſit homicida, uſurarius, Hæreticus, Epicureus, religionis Pontificiæ contemptor, inceſtuoſus.
3. Quod Angliæ Regi conceſſerit omnes decimas de Eccleſiaſticis bonis in ſubſidium belli contra Francum.
4. Quod ſtipendio allexerit Saracenos ad invadendam Siciliam.

Itaque Rex PHILIPPUS ad Sedem Apoſtolicam tum, ut ipſe dicebat, vacantem, futurumque Concilium, appellat,

Henrici VII. Luzelburgii Imperatoris Auguſti,

RESCRIPTUM

An. Chriſti 1311.

De Juramento Imperatoris Pontifici non præſtando, ad Clementem V. Papam.

NOvi exempli res eſt, nec uſurpata anteceſſorum meorum temporibus, Principem Principum, ac orbis terrarum Dominum, Servo ſervorum fidelitatis juramento obſtringi. Aventinus lib. 7.

Hen-

Henrici VII. Lucemburgii Imperatoris Augusti,

An. Christi 1312.

AUTHENTICA

De summa Trinitate & fide Catholica, & de Hæreticis.

HEINRICUS Septimus divina favente clementia Romanorum Imperator & semper Augustus, ad perpetuam rei memoriam.

1. Reddentes honorem & debitam reverentiam summæ & individuæ Trinitati, cujus providentia, & miseratione benigna Imperii diadema suscepimus, & gubernemus Imperium; in qua spem nostram præcipue ponimus, credentes firmiter, simpliciter profitemur Patrem ingenitum, & Filium ex Patre genitum, & Spiritum Sanctum ex utroque procedentem, unam Deitatem sub pari majestate, & sub pia Trinitate secundum Apostolicam disciplinam, Evangelicamque doctrinam esse colendam. Hæc est fides recta, quæ contra omnes præmunitur errores, quam divinum Apostolum Petrum & Paulum doctorem gentium novimus tradidisse: qua divæ memoriæ Constantinus noster inclytus prædecessor Romanum munivit & auxit Imperium. Cunctos populos nostro subjectos Imperio, nostræ ditioni subjectos, in ista volumus religione versari, & præsenti in perpetuum lege valitura, quam sanximus, omnes Hæreticos utriusque sexus, quocunque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus & bannimus, confirmantes prædecessorum nostrorum constitutiones & pœnas, quæ adversus Hæreticos, credentes, fautores, defensores & receptores, sine quibus diutius manere non possent, hactenus sunt statutæ: mandantes insuper cunctis secularibus Potestatibus, ut constitutiones Romanorum Pontificum contra prædictos, vel in causa fidei, editas observent, & faciant ab aliis immobiliter observari.

2. Sanctam Romanam Ecclesiam sicut matrem, & ipsius Sedis Antistitem tanquam Christi Vicarium, & B. Petri successorem veneramur, & præcipimus cunctis ex debito venerari. Ipsam enim Romanam Ecclesiam in spiritualibus divinæ providentiæ altitudo universis dispositione incommutabili Ecclesiis prætulit, & totius orbis aurea præsentia insignivit, & ideo hanc esse omnium caput, ut Patrum regulæ & Principum statuta declarant, & serenissimi nostri testantur affectus. Quapropter Romanum Pontificem, & ipsius Ecclesiæ Cardinales, qui sunt ejus corporis pars præclara, ab omni injuria cupimus esse alienos, mandantes præsenti nostra constitutione, ut seculares quæcumque Potestates constitutiones tam Pontificum quam Principum Romanorum contra sacrilegos editas observent, & faciant arctius ab aliis observari.

Et hanc itaque nostræ Serenitatis constitutionem in Corpore Juris sub debita rubrica volumus inseri & mandamus. Datum in Urbe, 1312.

Senatus Consultum

An. Christi 1314.

DE LEGE REGIA,

Quo Senatus Populusque Romanus omne jus suum in Henricum VII. Imperatorem contulit.

EGO CORONARUM CORONA, MUNDIQUE CAPUT, CONFIRMO PRINCIPI POTESTATEM, SIBIQUE SUBIICIO CIVITATES, GENTIUMQUE NATIONES. TUEANTUR AQUILÆ GLORIAM MEAM. HÆC ROMA.

LUDO-

Ludovici IV. Bavari Imperatoris Augusti, Ordinumque Imperii

DECRETUM

Anno Christi 1338.

De Imperatoria Majestate & quod sit Imperator, qui ab Electoribus electus est, etiamsi à Papa non sit unctus, consecratus & coronatus.

In Comitiis Rensensibus statuta & publicata Anno MCCCXXXVIII.

ANno Christianæ libertatis MCCCXXXVIII. sexto die Julii, Benedicti XII. P. M. anno quarto, convenerunt Electores & Ordines Imperii in pomario vici Rhenosei, ubi convanire etque de summis Imperii rebus colloqui solent. Concione vocata, sacramento prius rogati, ritu solenni, ex Consilii dacreto, accitis tribus libellionibus, qui in acta, quæcumqua fierent dicerenturve, ex fide referrant, subscriberant, atqua in vulgus ederent, hanc rogationem sciverunt, jusserunt, voluerunt, promulgarunt, perpetuo sanxerunt. vide Aventin Annal. Bojor. li. 7.

1. Sacrosanctum imperium, summe in terris potestas, cœleste donum est. Imperator enim primus ante omnes, secundus post Daum est, & tam grande nomen a solo Deo traditur, cui soli illæ Reipubl. administrandæ rationam reddendam habet, quia à supremo duntaxat cœli numina in summo rerum humanarum fastigio collocatus est, & in terris nequa parem neque superiorem habet. Per quem leges, jura, regne humanæ ganti largitur æterna Majestas. *Cæsari reddite quæ Cæsaris sunt*, præcipit Christus. Is & Comita sajus omnes vectigalia, honorem, officium, obsequium obedienter ac revarenter Imperatoribus præstitarunt.

2. A curiatus ig.tur Heptarchis, reb. impositus, continuo more majorum, atque jure gentium, Rax est & vocatur. Ipsum contra Majestatem Reip. decus Imperii, Legatos ad Sacerdotem Roman. ut euthor fiat, copiam administrandi concedat mittere; eidem jurejurando fidam astringare, etque petere ab eo usum Regii diadematis * religio ast: nullum harum rerum jus omnino est Pastori, qui servus ovium ast, & in consecrando Domino gregi seruit. Quippe jure suffragiorum, beneficio Electorum, atque populi, quisqua imperat. Hæc varissima esse convenit inter omnes Annalium, rerum humanarum divinarumque peritos, atqua jam sæpius utriusque juris Cæsarei atque Pontificii, cœlestis thasauri testimoniis comprobatum ast. * i. e. nefas est.

3. Tamen quidem (ut sunt ebrii successu rerum nimio, etque impotentes sui, mortalium animi: prosperis n. rab. ferocitas etque superbia angescunt) impudantissima refragari non erubescunt. Et nonnulli sanctuli, qui sibi sacrarum literarum magisterium arrogantissime sumunt, per fallacias verba Domini arguunt, simplicitati Christianæ imponunt, divinæ sapiantiæ oracula polluunt, contaminant; sacram Historiam falso intarpretando suæ causæ servire cogunt; suis moribus atque vitiis, nempa ambitioni, superbiæ, avaritiæ accommodant, veritatem adulterant humanis nugis cœlestem philosophiam commentis daptavant, invertunt, à germano sensu ad suum negotium suasqua nundinas captiosis rationatiunculis detorquent, non voluntatem legi sacræ, sed legem voluntati jungunt. Mora argutorum hominum magis quam ax æquo & bono, disputant præter fas contra naturæ legam docere non erubascunt, Pastoris benaficiarium assa Dominum, neque erga Principem Principum esse ent nominare oportere, quam ille servus servorum euthor fiat, & dignum judicarit qui regnet. Hæc cum maxima Christianæ Reip. pernicie, intolerabili populi Christiani, Imperatoriæ Majestatis jactura, nec sina gravissimo Tetrarcharum, Dynastarum, Clientium Imperii detrimento, instigante Stygio principe, domino hujus mundi, commenta essa eventus docet, axitus probat. Inda bellum plusquam civilia, seditiones domasticæ, tumultus intestini concitantur, populus Christianus se mutuis vulnerib. atterit, cognato sanguine manus polluit, stupra, perjuria, adulteria, sacrilegia, peculatus, incestus, perfidia, impuna committuntur.

4. Ob hæc dogmata pestifera, hisce pestilentibus erroribus classicum concinentibus, cædes, homicidia, parricidia, incendia, passim eduntur; excidia regnorum, urbium, regionum, direptiones ubique fiunt, ima summis miscentur, divina humana perturbantur, pietas refrigascit, lites, discordia, scelera, simolata raligio, ceremoniæ cassæ fervent & gliscant: justitia, pax, concordia, simplicitas, libertas, depulsæ terris axulant: divitiæ etque arma dominantur: fraus, dolus & embitus ecclasiasticus corripiunt gradum. Ut autem posthac hujuscemodi malis evitaris, augusta paca, festa quieta, populus Christianus fruatur, ex Consilii decreto, hocqua plebiscito decernimus, quæ sopra ritu solenni, religione adacti, censuimus, perpetuo sancimus edicto, nimirum ax solo electionis benaficio, omnem potestatem Imperiumqua proficisci, nec ullo pacto Pontificis Romani in hec re sanctimonia, flaminio, authoritate, consensu opus esse. Quicumqua aliter docuerit, senserit, factitarit, crimina læsæ Majastatis reus, hostis Reipublicæ atque proscriptus asto, capite pœnas solvito, bona ajus publica sunto; prædia infiscentur.

Anno Christi 1338.

Ludovici IV. Bavari Imp. Augusti
EDICTUM
De potestate officioque Imperatoris, & tyrannide injustitiaque Pontificis, adversus acta Joannis XXII. Papæ:

Aventinus Annal. lib. 7.

IMPERATOR LUDOVICUS IV. divino duntaxat munere Cæsar Augustus, universis Christianis salutem.

1. Divus Petrus atque Paulus, Nuntii æternæ Majestatis primarii, longo ante tempore prædixerunt, cecinerunt, sedulo nobis denuntiarunt, post facta sua vafros, versutos, audaces, fallos Prophetas, Sacerdotes, legatos mendaces futuros, quorum facta jampridem depinxere nobis. *In templo Dei*, inquiunt, hoc est Ecclesia, *quasi sint Deus sedebunt & supra omne id quod usquam gentium aut colitur, aut cultum est, extollentur. Neque dicendi neque faciendi ullum, nisi quod libebit, noscent modum: gloriam regnum concupiscendi nec finem scient, nec terminum capient. Dominationem, potentiam, Urbi orbique terrarum, nec minus ipsis, exitiabilem, rejecta cruce Christi, arripient; confictis ad quæstum, lucrum, ambitionem, luxum, sermonibus, de populo Christiano, abusi credulitate stolidi vulgi, nundinabuntur.* Quæ itaque Vates illi veridici, arcanorum Dei interpretes, nobis ante cantarunt, verissima esse experientis animadvertimus, & plane, nisi asini ad lyram simus, sentimus. Non imus inficias, est genus hominum superstitiosius, quam ut temporum infelicitas refragetur, ad fraudes & commenta superstitiosa, quibus vulgus imperitum facile lactari atque capi solet, ingeniosissimum existit, ad tentandos mores impudentissimum, crudelitate stultorum, quorum infinitus est numerus, abutitur. Meum est hujuscemodi argutias atque vaframenta, ne hisce simplicitati Christianæ imponatur, veritati divinæ illudatur, detegere atque confutare.

Artes Pontificis nostro seculo magis quam unquam antea vigentes.

2. A spinis non colliguntur uvæ, Prophera Dei non accipit munera. *Qui vult maximus esse, sit infimus omnium* (nunc iis Christus præcipit) *& Reges quidem dominantur populo, vos autem* servi gregis mei, nempe pastores, non Domini estis. Nihilominus tamen, quamvis illa clarissima sint, pessimi Pharisæi, perditissimi Antichristi * Comitiis Cæsareis & suffragiis Principum rebus impositum ajunt non esse Imperatorem, nisi primarius Sacerdos, qui Dominus rerum, & utriusque potestatis manceps sit, author fiat. Id etsi pravum ineptum, falsum, perquam absurdum, alienum à vita Sacerdotis Crucifixi, divino humanoque juri, sacris contrarium, nec rationi consentaneum siet, tamen illi impostores in malitia pervicaciores quam boni in pietate existunt. Quis obsecro non videt, nisi talpa plane perpetuo oculis à rerum summo opifice damnatus, terræ tenebris incubet? Repugnantissima sunt, nec coire possunt, corporale & spiritale, terrenum & cœleste, fluxum & æternum, caducum & immortale, ensis mysticus atque ferreus. Hic Cæsari à Deo datus est, ut malis, & pacis atque concordiæ disturbatoribus neci datis, boni tranquilla quiete perfruantur. Ille concioni Christianæ à Servatore commissus mortuos vitæ restituit, neminem occidit. Diversa sunt, Sacrificulus & Augustus, uterque cœlesti dono constituitur, suis limitibus clausus: atque, ut sunt humana & divina, ille *Servorum servus*, hic *Princeps Principum* habetur, & esse in bene constituta Republica debet. Nos solius Dei beneficio, Curiatorum Comitiorum jure, lege suffragiorum, authoritate Senatus, majestate atque viribus populi Principatum tenemus. Si quis ambigat, ad sacræ Historiæ penetralia, Annales priscos recurrat, ita dubitare desinet. Quod si ignorare perrexerit, ignorabitur. Ut tamen Sophistæ illi, monstra, & abominandæ larvæ religionis Christianæ, clava Herculis repercutiantur, & suo ense jugulentur, veteres juris Pontificii (cui vacat) evolvat codices; ubi non semel scriptum est, Pontificis atque Imperatoris omnino diversas esse jurisdictiones, nec vices earum commiscendas esse.

* al. Comitiis Cæsaris, fort. Comitiis curiatis

3. Quocirca liquet, quam perperam atque temere Vicesimus ille secundus Imperii habenas sibi usurpaverit, præter fas atque æquum Italiam à Regno Germaniæ separare conatus fuerit; adversus leges, instituta, morem majorum; contra auspicia intercessionem, authoritatem Senatus, majestatem Principum atque populi Romani, Italici, Germanici. Non tam nobiscum quam cum ipsa Republica Christiana bonus sane pastor vi, armis, & manu, non jure, disceptavit. Sanguinem Christianorum lupus cruentus sitivit & hausit. Item hostis, accusator testis & judex, atque inimicus noster publicus, in propria causa tamen adversus nos absentes, indemnatos, non vocatos, non judicatos, inauditos, nec citatos, nec loco legitimo, nec die dicto, contra leges, indicta causa, secundum se homo bellissimus pronunciavit. Sicuti in rebus invisibilibus & divinis Sacerdoti cedimus, ita jure nostro in humanis & his quæ conspici tangive queunt, superiores eo qui temporalia & dignitatem Regum, nostro beneficio possidet, sumus. Oportet magis Christo quam Pontifici Maximo obtemperare. Ille Imperatoris dicto suos audientes esse præcipit, hic vetat.

4. Hasce ob causas, bene, recte atque sapienter ab hoste Reip. Christianæ ad futurum totius Christianissimi, cujus ille membrum (si tamen existit) non caput est, Senatum provocamus. *Orbis*, inquit, Divus Hieronymus, *major est quam Urbis Ecclesia.* Sententiam igitur illius alterius & Vicesimi

secundi

secundi adversus nos latam vanam, irritam, ex consilii decreto censemus, declaramus hoc edicto, quod Francofordiæ in augustiori templo ritu soleuni subfixum, si quispiam pertinax fuerit, qui oblattare aut obstrepere ausit, tanquam veritatis osor, pacis conturbator, bostis Reipublicæ, inimicus pietatis, satelles Antichristi, mancipium Satanæ, perduellionis, perfidiæ, perjurii reus; non Philosophorum argumentis vel decretorum, sed verbere, vinculis, carcere fatigatus, possessionibus, peculio mulctabitur, & ultimo supplicio, more majorum, parricidium luet. Datum in oppido nostro Francofordia, die sexta Augusti, Anno Christianæ libertatis M.CCC. XXXVIII. Domini Ludovici Imperatoris Clementissimi, Regni XXIIII. Imperii XI.

Ludovici IV. Bavari Imp. Augusti
CONSTITUTIO
De Imperii juribus & excellentia, & potestate Electi Romanorum Regis,

Anno Christi 1339.

Lata in Comitiis Francofurtensibus Anno MCCCXXXIX.

In hisce Comitiis Eduardus Angliæ, Franciæ & Hiberniæ Rex ab Imperatore omnibus Ordinum suffragiis S. Rom. Imperii Vicarius generalis pronuntiatus scimonem in Comitiis juxta Electores obtinuit Decretoque subscripsit.

CÆsar, cum hoc à Pontificibus agi cerneret, ut Cæsarea dignitate conculcata, tyrannidem suam stabilirent, Francofurtum Principibus, ac humanæ divinæque sapientiæ doctissimis quibusque convocans, Decretum de consilio Doctorum sub sigillo suo contra processus defuncti Joannis Papæ promulgat, rationem fidei suæ clarissime reddit, plane ingenueque profitens, se Christianum hominem, articulos Fidei integros credere.

2. Ad hæc multa præclara proponit publica atque solenni acclamatione novas confirmationes antiquis legibus addens, easque corroborans: scilicet ut Electores Imperii, & nullus alius, Regem Romanorum eligant: cuique plura accedunt Principum suffragia, is etiam in discordia verus censeatur electus sive Rex sive Imperator, cum in essentia idem sint, licet nomina diversa credantur, idemque possit, citra Apostolicæ Sedis confirmationem, Imperii jura & exercere & administrare.

3. Debeat quoque mox idem post Principum insinuationem à Pontifice inungi, si legitime sit electus. Quod si recuset Pontifex, possit à quocunque Catholico Antistite proclamari Imperator & Augustus: cum maxime inunctiones istæ solennitates tantum quædam sint adinventitiæ, à Pontificibus excogitatæ, nomina tantum, & non res concedentes. Quis enim Romanus Pontifex conservavit Constantinopolitanos Imperatores? Et quis ante Carolum multos Christianos Cæsares? & ante Constantinum, Ethnicos quis sacravit Imperatores? Nec fidelitatis juramentum Pontifici tribuit Imperator, sed obsequii ac fidei defensionis.

4. Præterea falsissimum esse ostendit, per vacationem Imperii jus ad Papam devolvi: idque esse contra sacri Imperii libertatem, dignitatem, jura ac majestatem. Longa enim & approbata consuetudine, inconcusse à majorum ordinatione hactenus observata, vacante Imperio, jus administrandi Imperii jura, feuda conferendi, & negotia cætera disponendi, Palatino Rheni debetur, non obstante Clementina *Pastoralis*, Datum in civitate Francofurt, in Quadragesima, anno 1339.

Eduardi* Angliæ Regis, & sub Ludovico IV. Imperatore S. Rom. Imperii Vicarii Generalis, & postea Electi Romanorum Regis.

* hoc nomine Tertii

RESCRIPTUM
De libera electione Ecclesiasticarum Personarum, adversus Romanæ Sedis gravamina.

Anno Christi 1144.

SAnctissimo in Christo Patri, Domino Clementi, divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, * Eduardus eadem gratia Rex Francorum & Angliæ, & Dux Hiberniæ, post devota pedum oscula beatorum.

* Qui ab Imp. Ludovico IV. & Ordinibus Imperii Vicarius per Galliam & Regnum Arelatense constitutus

1. Pensata Sedis Apostolicæ clementia, quæ de fovenda devotione Christi fidelium, & animarum salute solet esse summe sollicita, non *quærens quæ sua sunt*, *sed quæ sunt* potius *Jesu Christi*, tenet probabiliter nostra fiducia, quod vestra paternitas, inspecta celsitudinis Apostolicæ præclaritate misericordiæ, (*al.* meritorum) & scientia divinitus jam erecta, ea, quæ decus Ecclesiæ ac devotionem plebis attenuant, & animarum ac rerum pericula comitantur, curabit misericorditer reformare. (*al.* tollere.)

Interfuit Comitiis Francofordianis & Rhenensibus anno 1338 & Ionnienfibus anno 1340. adversus Papæ tyrannidem & injustitias celebratis, eorum decretis subscripsit in Apostolis Nationis Gallicæ Concilii Constantiensi oblatis, & cum Clemangis libro De corrupto Ecclesiæ statu compellis, scribitur, hunc Regem tandem severo edicto prohibuisse annatarum exportationem, & pensionem Prælaturarum Anglicarum apud Papam: ad formam sc Decretorum Imperialium, in quibusdam fuerant prohibita.

2. In publicam autem non ambigimus notitiam pervenisse, qualiter ab exordio nascentis Ecclesiæ in regno nostro Angliæ, progenitorum nostrorum Regum Angliæ, & Procerum ac Fidelium dicti regni digne recolenda prioritas, propter divini (*al.* Domini) cultus augmentum construxit Ecclesias, & ipsas amplis dotavit possessionibus, & privilegiis communivit, ponens in eis ministros idoneos, qui fidem Catholicam in subjectis (*al.* subditis) sibi linguis & populis fideliter (*al.* feliciter) propagarunt; per quorum curam & sollicitudinem vinea Domini Sabaoth cum cultu & fructu ibidem mirifice fœcundavit, Sed, quod dolendum est, ipsius vineæ progenies degeneravit in labruscas: & exterminat eam aper de sylva, & singulares feræ depascunt eam, dum impositiones & provisiones *Sedis Apostolicæ*, quæ solito gravius invalescunt, ipsius peculium, contra piam voluntatem & ordinationem donatorum manus occupant indignorum, & præsertim exteriorum, (*al.* futurorum) & ejus dignitates & beneficia pinguia personis conferuntur alienigenis, plerumque nobis suspectis: qui non resident in dictis beneficiis & vultus commissorum sibi pecorum non agnoscunt, & linguam non intelligunt, sed velut mercenarii, solummodo temporalia lucra quærunt; & sic diminuitur Christi cultus, animarum cura negligitur, subtrahitur hospitalitas, Ecclesiarum jura depereunt, ruunt ædificia Clericorum, attenuatur devotio populi, Ecclesiastici Sacerdotes Regni (*al.* populi. Clerici dicti regni) viri magnæ scientiæ (*al.* literaturæ) & conversationis honestæ, qui curam animarum nollent (*al.* pascendarum) ibi & regimen salubriter peragere, & pro nostris forent & publicis consiliis opportuni, studium deserunt propter promotionis congruæ spem ablatam: quæ divinæ scimus non esse placita voluntati.

3. Quæ omnia in grave nostrum & fidelium nostrorum vertentur præjudicium & ineffabile periculum, nisi citius & consultius caveamus. Nam jus patronatus, quod nos & fideles nostri in talibus obtinemus beneficiis, enervatur: Curia nostra, in qua duntaxat causæ super jure patronatus dictorum beneficiorum tractari debent, & sic jura Coronæ nostræ Regiæ tam probrosæ quam damnosè depereunt: & Regni thesaurus ad extraneos, ne dicamus nostros malevolos, asportatur, subtili forsan artificio (*al.* conjectura,) ut Regno depresso Sacerdotioque, & ejus exhausto thesauro, reddatur Regnum debilius in adversis. Quæ singula & alia, quæ ex præmissis sequuntur, incommoda fuerunt nuper coram nobis in Parlamento nostro generali per Communitatem dicti Regni in Conventu palam exposita, unanimi & ardenti petitione subjuncta, ut prædictis dispendiis, quæ dictæ Communitati videntur intolerabilia, celeriter occurramus.

4. Nos autem Anglicanæ depressionem Ecclesiæ, & exhæredationem Coronæ Regiæ, ac mala prædicta, quæ dissimulata diutius adducent verisimiliter graviora pericula, cernentes intuitu, ad vos successorem Apostolorum principis, qui ad pascendum non ad concidendum (*al.* comedendum) oves Dominicos, & confirmandum & non deprimendum fratres suos mandatum (*al.* majoritatem) à Christo suscepit, ista deferimus, votivis affectibus supplicantes, quatenus præmissis ponderatis, & considerendo, quod de jure creandi sunt devoti populi magistratus, & juxta dictum Prophetæ, *Dandi sunt de eodem loco populi vinitores*, (al. *doctores*) quod per beatos Apostolos est factum, dum gentibus viros linguarum suarum habentes notitiam transmiserunt (*al.* præfecerunt,) pensata etiam devotionis plenitudine, quod domus (*al.* Dei gratia) nostra Regia, & Clerus ac populus dicti Regni perstiterunt in obedientia dictæ Sedis, propter quod non deberet eis paternus affectus onera & gravamina cumulare; sed (*al.* scilicet) velitis, ut pater filiis thesaurizans, alleviare dictarum impositionum & provisionum ac onerum, jam per Sedem Apostolicam invalescentium, gravitatem, permittentes ulterius, ut patroni patronatus sui solatium non amittant, Ecclesiæque Cathedrales & aliæ dicti Regni liberas electiones (*al.* actiones) & eorum officia habeant. Quas quidem Ecclesias dicti Regni progenitores dudum in singulis nationibus (*al.* vocationibus) eorundem personis idoneis jure suo Regio libere conferebant, & postmodo ad rogandum ad instantiam sanctæ Sedis sub certis modis & conditionibus concesserunt, quod electiones fierent in dictis Ecclesiis per Capitula (*al.* templi) eorundem. Quæ concessio fuit per Sedem ipsam ex certa scientia confirmata: sed contra formam concessionis & confirmationis prædictarum, dicta Sedes per reservationes & promissiones suas dictis Capitulis adimit supradictas electiones, & nobis jus & prærogativam, quæ juxta formam dictæ concessionis nobis competunt in hac parte, propter quod, juxta legem Regni nostri, ex quo lex in concessione posita non servatur, concessio resolvitur, & statum revertitur in primævum.

* al. dirigemini, quæsumus, nostra benignitate.

5. Super præmissis igitur * dignetur, quæsumus, vestri benignitas, ad honorem Dei & salutem animarum, nec non ad tollenda scandala & præjudicia prælibata, festinum & salubre temperamentum apponere, ut nos & nostri, qui personam vestram sanctissimam, & sanctam Romanam Ecclesiam dominari cupimus, ut debemus, cessantibus dictis malis intolerabilibus, in paterna vestræ dilectionis dulcedine acquiescamus, revirescatque nostra devotio per ostensam nobis piæ moderationis vestræ Clementiam recreata. Conservet vos altissimus, & regimen Ecclesiæ suæ sanctæ, per tempora prospera & longæva. Datum apud † Wason, die VII. Anno Regni nostri Franciæ IV. Regni nostri verò Angliæ XVII.

† al. Wasen

S. Cæsa-

S. Cæsareæ Majestatis Ordinumque Imperii

DECRETUM

Anno Christi 1345.

Adversus iniqua postulata Romani Pontificis de Imperio à Sede Romana recognoscendo, factum in Comitiis Francofurtensibus Anno Domini MCCCXLV.

ANno MCCCXLV. Legati Cæsaris Avinione revertuntur, mandataque scripta Pontificis Maximi ad Augustum perferunt, quorum hæc summa fuit. Cæsar Wilhelmum Occomensem Hæresiarcham, ejus collegas & socios Pontifici Maximo dederet: Decreta adversus Joannem Vicesimum secundum Vicarium Christi retractaret, acta rescinderet, opprobria recantaret, edicto perpetuo publice sanciret, Imperium beneficium esse primarii Sacerdotis, nec ante Cæsarem esse aut vocari, quam ille author fieret. Hæc ubi ad Imperatorem relata sunt, Francofordiæ Proceres convocat, mandata Clementis VI. recitari jubet. Fit Decretum, hujuscemodi postulata prava, inepta, antiquata, argutiora denique esse, quam simplicitati Christianæ atque Majestati Reipublicæ conveniret, irrita vanaque declarata sunt; Flaminesque Avinionenses secundis rebus oblitos humanæ imbecillitatis nullum modum neque dicendi neque faciendi, nisi quem velint, noscere, promulgatum. Quicquid libeat licitum putare, licentia sanctitatem metiri acclamatum. Joannes Rex Bojemus, filius ejus Carolus, denuo in verba Augusti jurant, Decretoque subscribunt. Aventin. li. 7. Annal.

S. Cæsareæ Majestatis Ordinumque Imperii

DECRETUM

Anno Christi 1346.

De Pseudoelectione Caroli Bojemi annullanda, de juribus Imperii adversus Papam & ejus sectatores manutenendis.

Factum in Comitiis Spirensibus Anno Domini MCCCXLVI.

IMperator, ubi comperit, Carolum filium Regis Bojemiæ, ab * Archiepiscopis & Proceribus quibusdam, Pontificiis nummis & pollicitationibus ad tantam perfidiam inductis, Cæsarem † designatum Augustæ Nemetum Concilium cogit, concionem Procerum advocat anno MCCCXLVI. perfidiam paucorum arguit. Pontificum Romanorum insolentiam, fastum omnium temporum, injurias in se eorum commemorat, à quibus inductum depravatumque Carolum, item alios, conqueritur, Carolique perjurium proponit, Senatus authoritatem, populi Christiani libertatem, Majestatem Imperii, fidem religionis proditam & pollutam docet, liberos esse Germanos asserit; rogat, se ne, cujus clementiam, benignitatem, fidem, constantiam, munificentiam, jampridem tot adversitatibus comprobatam sensetint, imperare, an Carolum, perfidum caput parricidamque, qui * avum optimum Imperatorem impietatis condemnet, regnare velint. Absque cunctatione tota † concio conclamat, Ludovicum rerum potiri, Ludovicum à Deo Imperatorem constitutum esse, seque in ejus potestate futuros. Perfidiam deinde paucorum execrati, Caroloque inominatis verbis male precati, denuo sacramenta Ludovico Principes & Civitates Imperiales certatim dicunt, dantque fidem, operam daturos, ne hujusmodi flagitia inulta sint, & Germanicæ virtuti, ab hostibus etiam laudatæ, tanta macula illinatur.

* Gerlaco Moguntino, Balduino Treverensi, Walramo Coloniensi, Rodulpho Saxoniæ Duce & Joanne Bohemo patre.
† Reinsii & Bonnæ coronatum.
* Henricum VII Imp.
† in qua ex Electorib. Henricus Moguntinus, Rudolphus Palatinus, Waldemar a Brandenburgius & tandem etiam Rodulphus Saxo melius informatus.

S. Rom. Imperii Electorum & Statuum

Anno Christi 1347.

DECRETUM

De jugo Pontificio excutiendo,

Factum in Comitiis Francofurtensibus Anno Domini MCCCXLVII.

Adventinus lib. 7.

POst Ludovici obitum, Clemens VI, Carolo Bojemi Regis filio diploma dat, *postulatque*, ut Germani Carolum Ecclesiæ fidum recipiant, & nullum posthac prius fore Cæsarem, quam primarius orbis Christiani Sacerdos, Vicarius Christi, author fiat, jurent. Insupet abrogationem Pontificis Maximi ad Imperatorem attinere, hæresin omnium perniciosissimam esse profiteantur. At Germani partim tergiversantur, partim aperte detrectant atque proclamant: Usque adeone Servus ille servorum fastu libidineque dominandi fuerit, insanit, atque in præcepa abit, ut omnium sævissimorum tyrannorum, quos unquam fuisse legimus, crimina, superbiam vincere propalam perfricta fronte contendat?



Guntheri Schvvarzenburgii, Imperatoris Augusti,

Anno Christi 1349.

EDICTUM

De Imperii excellentia, & Potestate Electi Imperatoris.

CUm prædecessor noster, Dominus Ludovicus felicis recordationis Romanorum Imperator, legem condiderit, in qua decrevit, Electum in Francofurt in Regem Romanorum à Principibus Electoribus, aut majori eorum parte, administrationem Imperii ante confirmationem Papalem habere plenam & omnimodam, nos habitu Principum nostrorum consilio, tam spiritualium quam secularium, post electionem nostram ab omni Clero & Populo probatam & confirmatam, eandem legem hoc edicto nostro in perpetuum valituro renovamus & ratificamus, renovatamq; & ratam esse jubemus, decernimusque omnes processus adversus illam institutos fuisse & esse nullos, *Pontificumque* Romanorum acta & dogmata adversus eam habita Christianæ doctrinæ & Apostolicæ repugnare, cum ipse Pontifex secundum omnia jura divina & humana debeat subesse Imperio, nec Imperator in temporalibus illi aut ulli personæ in terris subjectus esse noscatur. Quænam ergo hæc superbia est, quæ nova & inaudita tyrannis, ut Princeps Romanorum, legitimis suffragiis Electus, publicæ libertatis author, libertate privetur, ut cujus esse debent omnia, ipse non sit suus?

2. Quapropter ex dictorum Principum ac fidelium Imperii maturo consilio & instantibus precibus jura Imperii adversus quamcunque * personam, quæcunque aliquid in perniciem & destructionem ejus attentare, aut huic nostro edicto & confirmationi contravenire ausus fuerit, strenue viriliterque propugnanda suscepimus, ipsis Principibus ac fidelibus firmum auxilium fideliter promittentibus, & suscipientes declaramus omnes eos, qui contra hanc nostram confirmationem aliquid *dicere* aut facere, vel dicentibus aut facientibus consentire præsumpserint, tanquam nostros & *Imperii* rebelles, omnibus beneficiis, gratiis & dignitatibus, quæ ab Imperio tenent, ipso jure & facto esse privatos, sicuti nunc & extunc eos privamus: insuper crimen læsæ Majestatis eos incurrisse sancimus, & pœnis omnibus in criminis læsæ Majestatis reos statutis subjacere. Datum in oppido nostro Frankofurt, VI. Idus Martii, anno ab incarnatione Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono: anno vero Regni nostri primo.

* in primis Carolum Bohemum, à Coloniensi, Trevirensi & Bohemo electum à Pontifice confirmatum, à Rege Franciæ adjutum: quum Gunthero Moguntinus, Saxo & Brandenburgius Electores & Rex Angliæ Imperii Vicarius faverent & adhærerent



Caroli

Caroli IV. Imperatoris Augusti, DECRETUM

DE REFORMATIONE CLERI

An. Christi 1366.

In Comitiis Moguntinis Anno Domini MCCCLXVI.
Domino Archiepiscopo Moguntino.

VObis præcipimus sub ea fidelitate, qua nobis astringimini, ut Clerum vestrum reformetis, tollatisque abusum in vestibus, calceis, capillis, & toto vitæ habitu. Quod si non feceritis, mandetis fructus beneficiorum suorum occupari, & Fisco nostro præsentandos, quos nos in honestiores usus convertemus.

Caroli IV. Imperatoris Augusti, CONSTITUTIO

De Libertate Ecclesiastica.

Anno Christi 1377.

In nomine sanctæ & individuæ Trinitatis feliciter; Amen.

CAROLUS QUARTUS, divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus, & Bohemiæ Rex, ad perpetuam rei memoriam.

1. Etsi Imperialis benignitatis clementia, quorumlibet devotorum fidelium, quos sacrum Romanum ambit Imperium, ex officio debito teneatur necessitatibus & injustis oppressionibus consulere, & de opportunis remediis providere: ad illos tamen permaxime dirigitur nostræ mentis affectio, quos indebite pati cognoscimus, quorumque oppressionibus status Ecclesiasticæ libertatis, quem semper nostris temporibus augeri volumus, enormiter enervatur, & quasi ad nihilum redigitur.

2. Minus juste sane ad nostræ Serenitatis audientiam pro parte honorabilium Prælatorum Canonicorum & Clericorum Mindensis Civitatis & diocesis insinuatione querulosa suppliciter est deductum, quod seculares quidam in potestatibus & officiis publicis constituti, videlicet Duces, Comites, Barones, Milites & Sculteti, & alii Domini temporales: necnon Consules civitatum, oppidorum, villarum & locorum Rectores diocesis prædictæ Dei timore postposito, statuta singularia, iniquas ordinationes, motu proprio ac temeritate præsumptuosa, de facto contra personas Ecclesiasticas, Ecclesiarum & locorum Religiosorum libertates & privilegia condiderunt & condunt, eisdemque publice & de facto insistere præsumpserunt & præsumunt ausu temerario & nephando quotidie contra legitimas civiles & canonicas sanctiones, ut puta quod nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferantur, neve Clerici in sacris constituti ad agendum seu testificandum in civilibus & maximè in piis causis aliquatenus admittantur, quodque excommunicati laici & publice denunciati in civili foro minime repellantur, nec in eorum Consulatus officio ac aliis actibus secularibus evitentur.

3. Item prædicti Domini temporales Consules Rectores, per secularem potestatem Ecclesias & personas Ecclesiasticas capiunt & capi procurant; res & bona Clericorum occupant & arrestant; oblationes fidelium diminuunt & restringunt; exactiones & tallias indebitas de bonis & redditibus Ecclesiarum exigunt & extorquent; stationes immoderatas cum multitudine Nobilium in bonis Ecclesiarum & piorum locorum faciunt; vecturas curruum & vectiones multiplices bonis ipsis imponunt contra Ecclesiasticam libertatem; possessiones Ecclesiarum & personarum Ecclesiasticarum devastant incendiis & rapinis; contractus inter Clericos & Laicos legitime factos, ad libros civitatum, villarum & locorum recusant inscribere ac sigillare; donata & legata ad fabricas & Ecclesiarum structuras contra voluntatem Prælatorum & aliorum, quorum interest, præsumunt usurpare contra justitiam; in fraudem & odium Clericorum confugientes ad Ecclesias, cimiteria & ad loca libertatis Ecclesiarum, inde extrahere contra Imperiales sanctiones præsumunt.

4. Cum igitur hæc omnia & singula, & quævis alia similia, necnon quæcumque sequuta sunt & sequi possunt, ex eisdem sint & fuerint solum de facto ac temere attentata, & per sacras civiles & canonicas sanctiones reprobata expresse; Nos ea omnia & singola de Principum, Dominorum, Comitum, Baronum, fideliumque nostrorum consilio ex certa scientia tenore præsentium & auctoritate Imperiali cassamus, irritamus, adnullamus, cassaque, irrita & nullius esse momenti penitus declaramus, dicimus & nuntiamus expresse præsenti edicto perpetuo valituro, seriosius inhibentes, ne hujusmodi

aut eorum similia de cætero dicti Domini temporales attemptare præsumant, præcipientes nihilominus sub indignatione Imperialis banni universis & singulis Dominis, Militibus, Consulibus, Potestatibus, Officiatis & in officiis publicis constitutis, quatenus mox visis aut intellectis præsentibus dicta eorum statuta & ordinationes, sicut in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis edita sunt, omnino revocent & de luce tollant; quoque secundum ea non judicent amplius, nec sententias dictent, aut eisdem in judicio vel extra quomodo libet per se & contra Ecclesiasticam libertatem potiantur.

5. Item pronuntiamus & declaramus Imperiali auctoritate, quod, quicumque cujuscumque status vel conditionis extiterit, ausu sacrilego & propriæ temeritatis audacia Sacerdotem vel *Clericum*, secularem vel religiosum, diffidaverit, proscripserit, captivaverit, spoliaverit, occiderit, mutilaverit, aut in carcere detinuerit, aut hujusmodi malitiam perpetratores scienter receptaverit, seu consilium, auxilium vel favorem in his eis præstiterit, vel pro causa criminali vel civili quæstionum in judicium seculare, & specialiter judicium quod dicitur, * Freyding/ quod nulla temporis præscriptione, vel Regali seu Imperiali edicto seu judicii confirmatione, contra personas Ecclesiasticas seu Clericos per quamcumque consuetudinem introduci volumus, trahere præsumpserit, vel ratione dictæ consuetudinis aut potius corruptelæ extra præfatum judicium contra Clericos in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis, aliquid attemptaverit præter pœnas à sacris Imperialibus & Canonicis sanctionibus eis inflictas, decernimus hos Imperiali edicto ipso facto infames, & omni honore privatos, nec ad placita vel consilia Nobilium aliquatenus admittendos, & actorem vel actores tales à jure suo cadere, ac judicatum non tenere, Judicemque judicandi potestate privatum & bannum Imperiale incidisse pronuntiamus.

* al. Frydins.

6. Verum quia parum esset jura condere, nisi essent, qui tuerentur eadem auctoritate Imperiali prædicta universis Principibus, Archiepiscopis, Episcopis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus; & specialiter Coloniensi, Moguntino, Magdeburgensi & Bremensi, Archiepiscopis: Monasteriensi, Osnaburgensi, Hildensemensi, Paderburnensi, Mindensi, Lubicensi, Verdensi & Swerinensi, Episcopis: necnon omnibus, Saxoniæ, Luneburgen. & Brunsvvicen. Ducibus: Lantgravio Hassiæ: necnon de Marcka, de Monte, de Hoia, de Teckelnburg. de Schobeoburg, de Wernengerode, de Holzatie, & de Regenstein Comitibus, quibus & eorum cuilibet vices nostras committimus in præmissis per præsentes & eis sub obtentu Imperialis gratiæ præcipimus & mandamus, quatenus toties, quoties pro parte dictorum Prælatorum Canonicorum & Clericorum vel alicujus ipsorum fuerint requisiti, eidem pro toto suo posse assistant & faciant, quod præmissa committentes quicumque fuerint pœnis prædictis puniantur realiter & cum effectu, quatenus cæteri eorum exemplo perterriti similia de faeili non attemptent: præterea omnes & singulos Ecclesiarum seu Ecclesiasticarum personarum prædictarum vasallos & feudatarios cujuscumque ordinis, gradus vel conditionis existant, qui contra Ecclesiam vel personas Ecclesiasticas ipsius Mindensis Ecclesiæ Civitatis & diocesis, à quibus feuda eorum tenent, aliquid fecerint de præmissis seu ea facientibus, si propter hoc excommunicati denunciantur, vel aliàs astiterint quovismodo, dummodo de hoc servato juris ordine conjuncti fuerint, denuntiamus & decernimus eo ipso suis feudis sive beneficiis esse privatos, eosque præsentis constitutionis edicto privamus perpetuo, dantes Ecclesiæ seu Ecclesiasticis personis ante dictis dicta feuda concedendi aliis personis laicis fidelibus & utilibus liberam facultatem.

7. Volumus etiam, hortamur & requirimus Episcopos & Prælatos Ecclesiasticos, ut hanc nostram legem & constitutionem in Synodis & Ecclesiis publicari procurent, ne in præmissis per simulatam ignorantiam suas malitias valeant excusare.

8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostrum cassationis, irritationis, annullationis, inhibitionis, necnon pronunciationis & declarationis paginam infringere, aut ei ausu temerario quomodolibet contraire, sub pœna Imperialis nostræ indignationis gravissima, nec non quinquaginta marcharum auri purissimi, quas ab eo, qui contrafecerit, totiens, quotiens fuerit contrafactum, irremissibiliter ex gi. & earum medietatem Imperialis nostri ærarii sive fisci, residuam verò partem injuriam passorum usibus volumus applicari.

Signum Serenissimi Principis & Domini, Domini Karoli Quinti Romanorum Imperatoris Invictissimi, & Gloriosissimi Bohemiæ Regis.

Testes hujus rei sunt:

Venerabiles { a Gerhardus Hildensemensis, Heinricus Werdensis, & Heinricus Paterbrunnensis } Ecclesiarum Episcopi.

a al. Berherdus.

Illustres { Albertus Saxniæ, & Luneburgensis, & Wenceslaus Opaviæ } Duces.

Spectabiles { Burchardus de Hardeck, b Gerhardus de Hoia, Boſzo & Heinricus de Schrapelovv } Comites.

b al. Bochardus.

Nobiles

Nobiles:
- Otto Advocatus de Monte, [*al. de Mente.*
- Petrus de Wattenberg, dictus de Chost, Imperialis Curiæ nostræ Magister,
- Thuno de Colditz Cameræ nostræ Magister,
- Hintzo de Lipa,
- Albertus de Sterneberg. [*al. de Storenburg.*
- Symon de Lyvven, [*al. de Lippen.*
- Busko de Pritzan, [*al. de Azuzan.*
- Butlero de Bristritz. [*al. Bussiro de Bisken.*
- *c* Alhardus de Busche Dapifer in Ravensperg. *c al. Alzardus.*
- Heinricus de Ezigelhem. [*al. Ezigelhelm: al. Ezigelen.*

& alii quam plures nostri & Imperii sacri Principes, Comites, Nobiles & fideles: præsentium sub Imperialis Majestatis nostræ sigillo testimonio literarum. Datum Mindæ anno Domini MCCCLXXVII. indictione quintadecima, XV. Cal. Decemb. Regnorum nostrorum An. XXXII. Imperii vero XXIII.

De Mandato Domini Imperatoris

Nicolaus Cameracensis Præpositus.

Sigismundi Hungari Imperatoris Augusti,

CONSTITUTIO

An Christi 1403.

De pace Budæ infidelibus & rebellibus suis facta, ratione erectionis Banderii æmuli sui, necnon injuriarum, damnorum, nocumentorum, Anno Domini MCCCCIII.

NOs SIGISMUNDUS Dei gratia Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Serviæ, *a* Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, & Bulgariæ: Marchioque Brandeburgensis, &c. Sacri Romani Imperii Generalis Vicarius, & Regni Bohemiæ Gubernator; Memoriæ commendantes ad universorum notitiam volumus serie præsentium pervenire, quod quia nos ad instantem & denotatam supplicationem fidelium nostrorum Baronum, Procerum & Nobilium, Regni nostri Hungariæ, hic nobiscum personaliter existentium, quorum Proceribus propter eorum fidelia & gravissima servitia, atque fidelitates eximias, consensum non possumus deoegare, decrevimus cum omnibus rebellibus, æmulis & adversariis nostris, in Regnis nostris Hungariæ & Sclavoniæ, necnon in partibus Transsylvaniensib. constitutis & existentibus veram pacem facere, & concordiam stabilire. Idcirco nos dictorum fidelium nostrorum sopplicationibus favorabiliter annuentes, ex innata nobis clementia, omnibus & singulis Prælatis, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, necnon cujuscunque alterius præeminentiæ vel conditionis hominibus in Regnis nostris prælibatis Hungariæ & Sclavoniæ, necnon partibus Transsylvaniensibus, commorantibus, ad eosdemque pertinentibus, gratiam faciendi duximus in hunc modum. *a vulgo, Walachiæ.*

1. Primonamque, quod Regia pietate concedimus, quod omnes ipsi Prælati, Barones, Nobiles, Milites, Clientes, & alii prætitulati, ac hæredes eorum, & cujuslibet eorum, occasione vel ratione erectionis Banderii alieni nostri æmuli, & sub ipso contra nostram Majestatem & alios nostros fideles, diversarum pugnarum & conflictuum exercitationis, oblationis, etiam receptionis seu occupationis aliquorum castrorum, districtuum, villarum & possessionem, sive combustionis & deprædationis illorum & illarum, necnon dissipatioois & perceptionis bonorum seu jurium nostrorum Regalium, seu Ecclesiasticorum, vel Nobilium, & generaliter quorumcumque hominum, ac etiam occasione captivationis, spoliationis, interfectionis, seu mutilationis quorumcunque hominum, tam Nobilium quam ignobilium, necnon cussionis monetarum seu denariorum, & generaliter cujusvis enormis facti, per eos vel aliquem eorum, simul vel divisim, hucusque quomodocunqoe vel qualitercumque factorum, gestorum & perpetratorum, nullo unquam tempore, quovis modo per nos aut alios possint vel debeant impedire seu aliqualiter aggravari. Sed iidem à quibusvis causidicis intra vel extra judicium, absoluti penitusque supportati habeantur, nec *b* eos quisquam judex ordinarius Regni ratione prævia judicare *c* valeat aut damnificare, immo lites exinde subortæ vel oriundæ sopiantur & sedentur per judices antefatos. *b al. nos. c al. valeant*

2. Idem concedimus, quod si aliqui ex regnicolis nostris prædictis quævis castra, munitiones seu fortalitia sponte vel invite manibus alienis tradidissent, seu etiam si aliqua assumpta ibi votis extraneorum aliqua damna nobis vel regnicolis nostris intulissent, aut super civitates liberas, villas, oppida & possessiones nostras, vel aliorum, census, collectas vel taxas recepissent, aut ad urburas camerasque salium, & lucrum cameræ, sive aliorum quorumvis redituum & proventuum nostrorum Regalium, vel regnicolarum, debite vel indebite se intromittentes dissipassent, ratione horum nec nos necper aliquem possint impediri, sed penitus habeaotur absoluti.

3. Interea

3. Interea si qua castra, munitiones seu fortalitia, districtus aut passiones ad nostram Regiam Majestatem cuiquam hominum regnicolarum prædictorum forent obligata, ille vel illa à neminerecipiant, nisi prius facta debita solutione, quam si ille, cui prius impignorata fuerant, alterque ea nomine pignoris obligasset.

4. Concedimus quoque, quod omnes donationes eis hactenus factæ majori sigillo nostro de novo faciendo confirmentur pro eisdem.

5. Cæterum si contigerit in posterum per regnicolas in Regno aliquam congregationem generalem celebrari, in eademque ratione præmissorum, nos vel aliquis ex regnicolis nostris aliquem ex prædictis Baronibus, Nobilibus, Militibus, clientibus, vel ad ipsos spectantibus, similiter conjunctim vel divisim, quocumque exquisito ingenio, condemnare aut aggravare vellemus, vel niteretur rebus & bonis universis facere, *a* valeamus atque possint.

a for. non valeamus, neque possint

6. Insuper omnes Episcopatus, dignitates & beneficia Ecclesiastica quælibet: Item castra Ronnech Jauriens. Hewsow & Padalayn in casu, quo Nicolaus, filius Stephani de Liblio, & *b* patrem Podolayn non in honorem, sed in perpetuum *c* habere dono scitur, necnon munitiones & possessiones à viris Ecclesiasticis vel secularibus, aut Nobilibus quovis modo ablatas, occupatas, & receptas, duximus eis, à quibus eædem abalienatæ fuerant, pleno jure remittendas, illis videlicet, pro quibus uterque Nicolaus, Waywodæ Transylvanienses, duxerunt obsides nobis dandos.

b al. Paterem.
c al. habere.

7. Demum omnibus & singulis Prælatis, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Clientibus, cæterisque cujusvis status & conditionis hominibus, & Regnis, & partibus superius nominatis, pro quibus ipsi Waywodæ ipsos obsides eorum stare voluerint, usque ad dies triginta à die datarum præsentium inantea memorandos ipsi nobis in scriptis nominatim intimaverunt gratiam facere, & eomodo, quo cæteris rebellibus, indulgere. De potioribus autem Proceribus ac sociis sequacibus, fautoribus & adhærentibus ipsorum æmulorum nostrorum, & cujuslibet ipsorum, pro quibus obsides non habuimus, statuimus, quod illi, si usque ad festum Dominicæ Nativitatis nunc venturæ coram nostra Majestate in dicto regno nostro Hungariæ *d* existente comparuerint, debeant, cum consilio tamen Prælatorum, Baronumque nostrorum consilii nostri, in forma aliis concessa, gratiam obtinere; si vero venire contempserint, eis præsens gratia nihil suffragetur. De familiaribus vero quorumcunque æmulorum præfatorum, necnon de quibuscumque Nobilibus in præfatis Regnis nostris Hungariæ, Sclavoniæ, & in partibus Transylvaniensibus, possessiones habentibus, decernimus, quod in præsens gratia ipsis generaliter computetur, ita tamen quod infra anni revolutionem proxime futuri, à die datarum præsentium inchoando, causa infidelitatis ostendendæ coram nostra Majestate se præsentando, literas nostras regales pro se obtineant superinde. Quod si forte nonnulli ex rebellibus & æmulis nostris superius designatis, seu ex sequacibus eorum, aliqua spolia, incendia, damna, maleficia, rapinas, cædes, seu alias cujuslibet generis offensiones deinceps commiserint, vel perpetraverint, seu quicquam contra Majestatem nostram attemptare præsumpserint, videlicet illi inter partes Transsylvanenses & Drawan commorantes, post dies octo; illi vero de partibus Transylvanensibus, post dies viginti; sed illi qui sunt trans Drawam, post dies quindecim, à die datarum præsentium inantea computando, volumus quod possint, non obstantibus contentis in literis nostris, secundum formam juris & justitiæ condemnari.

d al. existentes,

8. Postremo donationes universas per nostram Majestatem de possessionibus, castris, oppidis, & districtibus dictorum Prælatorum, Baronum, Nobilium, Militum, Clientum, & ad eos pertinentium præscriptorum, quibusvis durante præsenti guerra hactenus factas, simul cum omnibus literis exinde scriptis vel confectis, irritantes atque annullantes, à prioribus possessoribus eatundem censemus eo jure, quo antea possederunt, eas tenere, ac etiam gubernare: spondentes atque promittentes omnia præmissa & singula eorum, eis & quibuslibet eorum, & ad ipsos pertinentibus hæredibusque ipsorum, pure & sincere, sine omni dolo & fraude aliquali, bona fide & inviolabili mediante firmiter observare, ita videlicet, ut ibi aliquis eorum quovis modo resiliendo contra nostram Majestatem rebellizantes niteretur atque vellet, tunc nos talem cum Prælatis & Baronibus nostris, qui tunc ipsi de consilio nostro fuerint, simul & conjunctim, non autem divisim, agnitis suis demeritis, prout qualitas exiget, juxta Regni nostri antiquam consuetudinem punire valeamus. Datum Budæ feria proxima post festum S. Francisci Confessoris, Anno Domini millesimo quadringentesimo tertio.



Sigis-

Sigismundi Hungari Imperatoris Augusti,

DECRETUM

An. Christi 1404.

Super Donationibus Possessionum Infidelium, Anno Domini MCCCCIIII.

NOS SIGISMUNDUS Dei gratia, Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Marchioque Brandenburgensis, &c. Sacri Romani Imperii Vicarius Generalis & Regni Bohemiæ Gubernator: Memoriæ commendamus, tenore præsentium significantes, quibus expedit universis, quemadmodum nos aliàs extra Regnum nostrum in partibus Bohemiæ pro Sacri Romani Imperii honore, & jure nostri patrocinii, pro posse insudandum & laborandum, quod quidam Prælati, Magnates, Proceresque & Nobiles Regni nostri, malo fieri consilio, imo rebellionis calcaneo ducti, & in improbum sensum dati, ingrati & immemores beneficiorum nostrorum à Celsitudine nostra susceptorum, & crimen læsæ Majestatis similiter conspirantes; Nos vero Regem & Dominum Hungariæ diademate & solio ipsius Regni nostri, cui jam à Deo propitio fere XVI. annis feliciter regnavimus & imperavimus, privare & destituere, aliumque eis ignotum in Regem, ut puta Ladislaum, filium Karoli de Duracio eligentes, in dictum Regnum nostrum introducere satagebant, tandemque assistentibus nobis domini remedii adjutores nonnullorum fidelium Baronum, & Procerum nostrorum interveniente subsidio, gubernacula dicti Regni nostri votive readipiscentibus, plerique ex dictis infidelibus nostris juxta demeritorum suorum exigente digna correctionis linea feriri, aliasque castris, tenutis, districtibus, Comitatibus, oppidis, possessionibus, & cunctorum bonorum muneribus, tanquam per notam infidelitatis hujusmodi rebellium ad manus nostras Regias devolutas & redactas, de dictisque omnibus nostris Regiis, nonnullis prædictis fidelibus Baronibus, Proceribus & Nobilibus nostris partem nostram animo constanti & fidelitate firma tenente, favente & magnificante, juxta laudibilium servitiorum ipsorum merita, vigore certarum literarum nostrarum exinde confectarum, jure perennali dedisse, donasse, contulisse & distribuisse perhibemur & recordamur. Itaque nunc nonnulli forent regnicolæ nostri, quorum, ut præmittitur, possessiones & jura possessionaria per Majestatem nostram modo præmisso, prætactis nostris fidelibus donata & distributa existunt, qui his tribus modis infra scriptis, lamentantibus querelis nostram infestant Majestatem.

1. Primo qualiter nonnulli essent ex ipsis, quorum licet jura possessinnaria propter notam infidelitatis ipsorum dictis nostris fidelibus in eum contulerimus, tamen tandem moti Regia pietate, qua delinquentibus veniam solemus impartiri, ipsis capitibus, possessionibus, ac rebus & bonis ipsorum universis gratiam fecissemus specialem.

2. Secundo autem quibusdam ex ipsis, licet jura possessionaria ipsorum per eandem notitiam infidelitatis aliis fidelibus nostris donaverimus, tamen ipsi juxta gratiam per Nos ac Dominum Archiepiscopum Strigoniensem, necnon utrosque Nicolaum, aliàs Waywodas nostros Transylvanienses, feliciter factam, initam, motam, à quibusvis malorum generibus, necnon actibus potentiariis & injuriis cuipiam inferendis, supersedissent prorsus & cessassent, nec unquam post prædictam gratiam nobis aut cuipiam regnicolarum nostrorum, adhærendo nostris rebellibus & æmulis, aliquam injuriam, damna, nocumenta, insolentiasque & opprobria intulissent.

3. Tertio autem essent tales, quorum similiter jura possessionaria pro præmissa nota infidelitatis aliis nostris fidelibus certarum nostrarum literarum donationalium vigoribus contulissemus, quo nunquam & maxime in his elapsis proximis disturbiorum temporibus, aliquam noxii criminis infidelitatis, aut alius cujusvis contagionis notam in se continentem, contra nostram Majestatem & sacrum nostrum diadema, aut alios quoscunque fideles nostros palam vel occulte perpetrassent & commisissent, pariterque ipsi hujusmodi possessionibus & juribus possessionatiis non essent digni, & merito privandi & destituendi, supplicium modo Culmini vocibus gemebundis, ut ipsis circa præmissa remedio dignaremur providere opportuno.

4. Nos itaque, qui ex suscepti regiminis officio causas quorumlibet oppressorum & querulantium omnino metiri debemus, justitia requirente, auditis & sane intellectis propositionibus præmissis, unà cum fidelibus Prælatis, Baronibus, & Proceribus nostris maturo exinde præhabito & digesto consilio, circa præmissos articulos, objectiones, & querelas permovere, querulantes modo superius specificato, coram nobis ac ipsis Prælatis & Baronib. nostris propositos & declaratos, unà cum eisdem sanximus, decrevimus & instituimus, super hisque statum fecimus, ut homines & singuli regnicolæ nostri, quos, uti superius expressatum est, jura possessionaria aliis fidelib. nostris prætextu præmissæ notæ infidelitatis contulisse dignoscimur, hos nostros fideles, apud quos dicta jura possessionaria existunt, in domib. eorum propriis, aut aliàs ubi reperiri potuerint, mediantib. hominib. nostris regiis, & testi-

12. Sanximus, ut quicumque regnicolarum nostrorum quibusvis nostris infidelibus facto aut subsidio expensarumque largitione subvanisse, aut ipsius hospitalitatem præbuisse, probare potuerunt, hi omnes similiter perdant jura ipsorum possessionariorum universa.

Datum Budæ feria tertia proxima post Dominicam *Invocavit*, Anno Domini millesimo quadragentesimo quarto.



Caroli * Regis Francorum, & sub Ruperto Palatino Imperatore S. Rom. Imperii per Regnum Arelatense Vicarii Generalis,

* eo nomine Sexti.

ARRESTUM

Anno Christi 1406.

De Annatis.

Congregatis igitur eisdem nostræ Curiæ nostri Parlamenti Cameris, convocatisque & existentibus in notabili numero de gentibus nostri magni consilii, ac visis supradictis literis & schedula; consideratis insuper & attentis diligenter, & cum magna & longa deliberatione omnibus circa hæc attendandis & considerandis, & quæ eandem nostram Curiam in hac parte poterant & debebant movere, per præfatæ Curiæ nostræ arrestum, prædictis obtemparando literis per eandem * filiam nostram à nobis impetratis, dictum fuit, quod dictus Benedictus (Papa) & Officiarii sui cessabunt in nostris Regno & Delphinatu ab exactionibus anoatarum, primorum fructuum & emolumentorum, Prælaturarum & aliorum beneficiorum quorumcunque vacantium, seu, quæ vacaverunt, aut vacabunt, tam pro primis anuatis, quam etiam fructuum & emolumentorum, qui tempora subtractionis alias eidem Benedicto factæ, & vacationis Prælaturarum, dignitatum & aliorum beneficiorum obvenerunt, seu obvenient qualitercunque; nec non procurationum pro visitationibus debitarum & arreragiorum quorumcunque ratione præmissorum val aliarum exactionum debitarum, ipsasque procurationes, poterunt Prælati, Archidiaconi & alii ordinarii, quando ipsos suos subjectos visitare contigerit, * levare. Cessabunt etiam Cardinales & Camerarius Collegii à perceptione illius partis, quam in vacationibus Prælaturarum pro primis anuatis, vel alias ante præsens arrastum percipiebant, & arreragiorum quorumcunque occasione præmissa debitorum, & si aliquid ex his, quæ levata seu exacta fuerunt, occasione prædictorum apud collectores seu subcollectores aut alios quoscunque existit, seu remanet sub manu nostra, arrestabit, & id errestavit & arrastat ipsa Curia nostra, ipsisque ne aliquid eidem Benedicto, seu hoc cuiquam alteri tradant, aut solvant, inhibebitur, & inhibet etiam eadem Curia nostra. Et per idem arrastum eadem Curia nostra ordinavit & ordinavit quod excommunicationis sententia præmissorum occasione illigati relaxabuntur; & hæc quousque alias per eandem Curiam nostram extiterit super præmissis ordinatum. In cujus rei testimonium præsentibus literis nostrum jussimus apponi sigillum. Datum Parisiis in Parlamento nostro, die XI. Septembris, Anno Domini MCCCCVI. & Regni nostri XXVI.

* Academiam Parisiensem.

* & levare.

Per arrestum Curiæ

BAIÆ.

Ejusdem Regis & Vicarii Edictum

Anno Christi 1407.

Super libertate Ecclesiarum Regni & Delphinatus, quoad exactiones. annatas & gravamina per Papam imposita.

CAROLUS Dei gratia Rex Francorum &c. universis &c.

1. Si dotare vel dotari novas Ecclesias, vel veteres ampliare opetibus, opus est perfectæ charitatis, multo præstantius est depressis & gravatis congrua suffragia exhibere. Lamentabilem siquidem querimoniam nostri & plurimorum Principum prosapiæ nostræ Procuratores, nec non Prælarorum, Capitulorum, Collegiorum, Conventuum, ac Cleri Regni nostri ac Delphinatus, ac etiam dilectæ filiæ nostræ Universitatis Parisiensis recepimus continentiæ subsequentis: Videlicet, quod quamvis secundum Apostolicam doctrinam Papæ potestas à Christo sit ad Ecclesiæ ædificationem, non ad destructionem ordinata, ad justitiam rectumque judicium exercendum, cui non convenit pro libitu facultates, exactiones, angarias & tyrannides super Ecclesias aut subditos exercendi, cum Dominus docuerit pascere gregem & docere, non terrenis litteris inhiare, aut avaritiis delectari: Quia fructus Ecclesiarum & beneficiorum quorumque & vacantium, tam secundum dispositionem Conciliorum generalium & jurium, quam secundum piam intentionem fundatorum ordinati, ad sustentationem ministrantium in divinis, ipsius divini cultus augmentum, alimentationem pauperum, redemptionem captivorum, Ecclesiarum suorumque ædificiorum reparationem, terrarum & possessionum Ecclesiæ culturam, virium ipsarum conservationem, cæterorumque onerum intolerantium supportationem; adeo etiam, quod bona per Prælatos post eorum obitum dimissa futuris debent successoribus reservari in Ecclesiæ utilitatem conferenda, nisi forte in illis locis Regni, ubi de usu & consuetudine veteri observatis licitum sit Prælatis ipsis, & aliis viris Ecclesiasticis secularibus, de eisdem bonis facere testamentum, quibus etiam ab intestato in dictis bonis secundum consuetudinem & observantiam supradictas sui succedunt hæredes: Quodque licet fuerit decretis sanctorum Patrum institutum, ut Prælati Ecclesias sibi subditas omnes singulis annis visitare deberent, quatenus sic docerent indoctos, corrigerent excessus, mores reformarent, Ecclesias restaurarent, & cætera Prælatis convenientia ad Dei honorem exercerent, ac propter hoc procurationes in victualibus aut pecuniam reciperent ad victum usitatum, nihilominus tamen aliqui Collectores, & alii Officiarii Romanorum Pontificum, præsertim Papæ moderni, ab aliquibus annis circa Ecclesiam & viros Ecclesiasticos præfatorum Regni & Delphinatus nostrorum contra prædicta pluribus juribus & importabilibus servitutibus oppresserunt & afflixerunt, potissime bona Prælatorum & virorum Ecclesiasticorum decedentium, tam regularium quam secularium, quæ *spolia defunctorum* interdum nuncupantur, reservando & usurpando fructus Ecclesiæ, tempore vacationis Prælaturarum aut beneficiorum Ecclesiasticorum obvenientes, levando & capiendo arreragia præteritorum & incognitorum temporum tanquam debita per fulminationem censurarum Ecclesiasticarum, exigendo à beneficiatis quibuscunque, annatam exasperando & extorquendo.

2. Cujus annatæ medietatem quod majores dignitates Collegiorum, Dominorum Cardinalium consueverunt assignare, & adhuc annatam unam cum quadam pecuniæ summa, quam vocant *minuta servitia*, & quam pro familiaribus esse dicunt, cum exactione juramenti & sub pœna perjurii, & aliis diversis modis & censuris exigerent, procurationesque Prælatis & aliis ratione factæ visitationis tamquam deberetur capiendo & levando in pecunia numerata, licet visitationis officio non impenso. Ab aliis autem, qui ad procurationem nullatenus tenebantur, tantumdem quidem quod dum vocant exigendo decimas, & alia subsidia tractatu non habito cum Prælatis pro libitu voluntatis imponendo.

3. In his etiam exigendis sicut nec modus nec misericordia, nec æquitas servatur, aut mensura. Et cum Prælatus prohibeatur administrare sine bullis, quare, cui non placet solvere, expellitur, quia bullæ non expediuntur sine pecunia parata. Unde sicut beneficium Ecclesiasticum obtinere videtur cum precio vel mercede, quod pro bono communi potius debetur præditis scientia aut virtute, & qui sufficientissimi sunt, ii tamen, si pauperes sunt, nullatenus promoventur: propter quæ & alia innumera inconvenientia gravamina ipsæ Ecclesiæ & Monasteria & eorum beneficia multis in locis dictorum Regni nostri & Delphinatus irreparabilia currunt hæreditaria, conspiciuntur inocculia & immobilia, interdum de facto alienantur aut impignorantur: mobilia etiam pretiosa reliquiarum vasa, Ecclesiastica ornamenta, calices, libri, & similia interdum etiam vili precio distrahuntur, memoria non cedenda frequentius inciduntur & venundantur & Ecclesiæ innumerabili mole debitorum importabiliter onerantur.

4 Nume-

4. Numerus Deo servientium ministrorum, qui sustentari in consueto numero non valent, minuuntur, & qui remanent Deo & Ecclesiæ servientes, propter frequentes excommunicationes & censures, occasione dictarum exactionum, quibus satisfacare non valerent, de facto prolatas, à divino servitio plurimum retrahuntur, & interdum aliqui mendicare compelluntur, & in maximam penuriem rediguntur, non hebentes de quo veleant Deo serviendo, eut in studiis existendo, sive comedendo, sustentari. Et Regnum nostrum, quod inter alia Regna viris scientificis communiter floruit copiose, per quos etiam Regni justitia consuevit gubernari, talibus viris his temporibus (proh dolor) mundus caret. Inde cultus divinus & opera charitatis, quæ fieri debuerent, multipliciter defraudentur & cessant, & intentio fundatoris non servatur. His etiam modis Regnum redditur pecuniis & opibus plurimum depauperatum, & infinita vixque enarrabilie scandala quotidie oriuntur. Quæ omnia sunt satis ad oculum manifeste, & ad ea est Papæ potestas ordinata, & de directo renetur obviare.

5. Fuitque Papa modernus & alii prædecessores sui super revocationem, aut moderationem dictorum gravaminum, ac de eggregando Concilium generale, ad providendum de præmissis pluries requisitus, attamen sic omnia absque remedio diuturna continuatione perdurarunt, donec dudum super quibusdem per nostram Regiam ordinationem, & novissime super aliis ex dictis gravaminibus per quendam nostræ Curiæ Parlamenti sub ea forma nuncietum, quod cessarent, quousque per eandem Curiam fuisset aliter ordinatum provisumque extitisse. Et ut ed perpetuum uberius & plenius provideretur in prædictis, nuper per Procuratorem nostrum Regium in Concilio Prælatorum, & dictarum Ecelesiarum Gallicanarum & Delphinatensium Parisiis celebrata, ubi erant Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Præleti & Procuretores Capitulorum & Collegiorum, ac universitatum, & alii viri Ecclesiestici, Nobiles Magistrandi numero solenniter congregati: ubi etiem consenguineus noster Rex Siciliæ Ludovicus, & primogenitus noster Dux Aquitaniæ, & Duces Bituriæ patruus, consenguineus noster Burgundiæ, & Burbonii evunculus, pro nobis illic tunc præsidebant; propositum fuit & requisitum, quod taliter ordinaretur & fieret, quod exactiones & gravamina, de quibus supra, cessarent penitue & omnino. Super quo plurimis & repetitis interventientibus discussionibus, & maturius per Prælatos & alios viros Ecclesiasticos supradictos deliberetum extitit & concessum, quod, etiamen illis, quæ supre præmisse sunt, & aliis ettendendis, talia grevamina & usurpationes secundum Deum & conscientiam non valeant commode, nec debeant amplius tolereri. Supplicabant igitur ut ed Dei laudem, Reipubl. utilitatem, & Ecclesiarum libertatem dictarum Ecclesiarum Regni & Delphinetus conservationem supradictam, efficaciter ad perpetuum de remedio opportuno providere dignemur, prædicte omnia & singula grevamina cessare faciendo. & nihilominus prædictas ordinationes vel per nos factes, & dictum Arrestum Parlamenti confirmando & ad perpetuum extendendo nostram super hoc ordinationem Regiam ubique publicari, teneri & observeri facientes.

6. Nos igitur attendentes, quod ad stabilitatem Ecclesiæ est potestas Regia divinitus ordinata, & quod per Regnum terrenum cœleste regnum nunc proficit, quando destruentes Ecclesiam rigore Principum coercentur, & quando talia per majores Ecclesiæ perpetrantur, ad Reges debent habere recursum, & quod in illis, de quibus notoriè turbatur status Ecclesiæ, etiam Papæ non obedire consulunt sancti Doctores, recognoscentes, ut tenemur, & propter Ecclesiam, quam, quantum ad nos spectat, etiam ex spirituali debito juramenti Christo Domino tuendam suscepimus, Deo sumus rationem reddituri, progenitorum nostrorum exemplo edocti, qui sacrosanctas Dei Ecclesias & viros Ecclesiasticos, zelo fidei & piæ devotionis accensi, immensis muneribus atque privilegiis invenientes, Ecclesias ædificantes, & contritas resteurantes, à concussionibus & quibusdam novitatibus indebitis præservara curarunt, quarum etiem nos promptos defensores & pugiles existere gloriamur, prædictis omnibus cum debita præmeditetione pensetis, habita etiam prius deliberatione cum Principibus Ragulis nostræ Prosepiæ, & aliis Proceribus, multisq; viris prudentibus & notabilibus Regni nostri nobis in Consilio nostro assistentibus, tam grevem & manifestam deformationem atque destructionem Ecclesiarum prædictarum Regni & Delphinatus, virorumque Ecclesiasticorum desolationem, sub conniventia oculorum emplius dissimulare non velentes, ordinamus, & tenore præsentium ordinavimus, quod omnia & singula grevamine superius declareta & enarrata cessare debeant & cessabunt, &c. ut antea in nostris Regno & Delphinate prædictis: & quod illa, quæ per dictum Arrestum Curiæ nostri Parlementi circa hoc fuerunt, donec fuerit aliud ordinatum, dicteque & pronunciata de cætero in dictis Regno & Delphinatu perpetuo tenebuntur, & immobiliter servabuntur. Hæc autem præsentium litererum scripto ennotari, publicerique, & inter regies nostras ordinationes registrari mandavimus, et harum partium interventu plenam inde notitiam habeat posteritas successura Quocirca vobis omnibus & singulis supradictis & vestrum cuilibet, qui super hoc fuerit requisitus, committimus & mandamus, quatenus hanc nostram ordinationem in dictis Regno & Delphinatu nostris publicari, custodiri & immobiliter conservari facistis, dictas Ecclesias & personas Ecclesiasticas eb omnibus & singulis exactionibus supradictis, & liberas & immunes servari, & in hac libertate manuteneri faciatis, &c.

Datum Anno 1406. XXVIII. Februar.

Jodoci Moravi Imperatoris Augusti Sanctio

Anno Christi 1410.

De resistendo Regiæ Majestati, si contra Ordinationes Imperii fecerit.

Similis prorsus Sanctio est in Decreto Andreæ Regis Hungariæ facto in Comitiis Regni, anno 1222.

* An hoc additum propter depositionem Wenceslai Cæsaris cui Jodocus iste patruus fuit?

QUod si Nos ipsi (quod absit) aut quispiam successorum nostrorum, Romanorum Regum vel Imperatorum (quod non speramus,) processu temporis aliquo, huic nostræ statutioni & ordinationi contravenire voluerit, aut eam retractare, aut aliquo quovis modo violare præsumpserit, præsentium authoritate literarum, quas mera nostra authoritate, & potestatis plenitudine Regiæ, ex certa nostræ Majestatis scientia, necnon cum consensu & beneplacito præfatorum sacri Romani Imperii Principum Electorum, in robur perpetuæ firmitatis sancivimus, extunc tam ipsi Electores, quam cæteri Principes, Ecclesiastici & seculares, Prælati, Comites, Barones, Nobiles ac Communitates sacri nostri Imperii, universi & singuli, præsentes ac futuri, licitam habeant sine* rebellionis aut infidelitatis crimine, resistendi & contradicendi Nobis & nostris successoribus, Romanorum Regibus vel Imperatoribus, in perpetuum libertatem. Datum in Frankenfurt &c. Anno Domini MCCCCX. Anno vero Regni primo.

Sigismundi Imperatoris Augusti CONSTITUTIO

Anno Christi 1415.

De Electione Romani Pontificis, quo modo & forma per Concilium sit celebranda, & quod Concilium non dissolvatur, donec fiat Electio.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum, &c. Rex semper Augustus. Notum facimus tenore præsentium, quibus expedit, universis ad futuram memoriam.

1. Inter varias sollicitudines curasque multiplices illa maxime nos urget anxietas, ne inter domesticos fidei, qui Christiano censentur nomine, & præcipue Ecclesiasticas personas, controversia, seminante humani generis inimico, aliqualiter oriatur. Summopere igitur procurandum est, ut non crescant jurgia, sed juxta magistram bonorum omnium charitatem, quæ nil sapit extraneum, nil asperum, nil confusum, imo propria authoritate nutrit concordiam, dissociata conjungit, inter servos Dei, quos non oportet de bono proposito resilire, pax & unanimitas conservetur. Æquum enim est, ut qui spiritu diriguntur, nulla sectione mentium, nulla voluntate contraria, nulla novitate noxia dividantur, ne inde discordia initium, unde pacis fœdere & præcipue Ecclesiæ tranquillitas commoda debent suscipere incrementum.

2. Cum itaque sacrosancta Constantiensis Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam Catholicam matrem nostram repræsentans pro bono unionis in Ecclesia sancta Dei consequenda feliciter laborans, ac celeri (in quantum occurrentium casuum qualitas aliarumque circumstantiarum necessitas & præsentium temporum dispositio patiuntur) unici, veri & indubitati Summi Pontificis electione, favente Domino, celebranda, ut dum ad ædificationem patris filii sponsique ejusdem matris sanctæ Ecclesiæ votivam enititur, parturientis partes experiens, conatus prosequens & molestias perferens, acerbos dolores sentiat ad instar illius, ut post acceptam de antiquo & pestifero schismate victoriam antiquæ felicitatis antidota resumat, ejusdem Ecclesiæ provisioni cum omni diligentia solerter & studiose ac instanter & sedulo succurrere festinet. Veruntamen consultivus idoneum pariendi tempus expectat, ne inconsultæ festinantiæ impetu partum præcipitet in abortum; sicque nonnunquam occulta forsan Dei dispositione postponendus eligitur, & postponitur præferendus, prout his accidisse diebus ex humanorum defectuum supponimus consideratione.

3. Cum inter cætera proinde statuerit & salubriter ordinaverit, quod hoc sacrum Concilium non dissolvatur, donec electio hujusmodi futuri summi Pontificis fuerit celebrata. Nos, qui tanquam Romanæ Ecclesiæ Advocatus, dictique Concilii protector & defensor, ipsius Romanæ Ecclesiæ celerem provisionem totis præcordiis affectamus, & dictæ sanctæ Synodi statutis & ordinationibus colla nostra

submis-

fibm ffimus, eisdemque in omnibus parere & intendere volumus & debemus, animo deliberato, ex certa scientia, tenore præsentium verbo Regio promittimus & nos obligamus, quod omnem ad hoc operam efficaciter impendemus, & bona fide curabimus, ac quantum in nobis est, legaliter faciemus, quod dilecta sancta Synodus non dissolvetur, sed in suo robore conservabitur, manutenebitur & protegetur, quousque dicta electio, largiente Altissimo, fuerit celebrata, ac spiritus Paracliti virtus, alto suo & secreto consilio obumbrante, eidem sanctæ Synodo concesserit spiritum unitatis ad felicem consummationem & reformationem Ecclesiæ suæ sanctæ: præsentium sub nostræ Majestatis sigilli appensione testimonio literarum. Datum Constantiæ Anno Domini MCCCCXV. prima die mensis Jul. Regnorum nostrorum anno Ungariæ &c. XXIX. Romani electionis V. coronationis vero primo.

Ad mandatum Domini Regis

Joannes Præpositus de Strigonio Vicecancellarius.

Sigismundi Imperatoris Augusti Constitutio

De Concilio per Imperatorem tuendo in libertate electionis.

Anno Christi 1415.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Ungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex. Notum facimus tenore præsentium, quibus expedit, universis ad futuram rei memoriam.

1. Qui statuit terminos gentium secundum numerum Angelorum, & utrorumque ministeria ordine miro dispensans, sicut choros Angelicos variis dignitatibus, quæ propriis vocabulis (teste Apostolo) appellantur, mirabiliter insignivit: sic & Ecclesiam adhuc militantem in terris, diversis tam spiritualium quam temporalium distinxit titulis potestatum, ut pulchra fidelibus & infidelibus terribilis apparens, ut castrorum acies ordinata, procedat prospere, donec Regina tandem à dextris summi Regis in vestitu sedeat deaurato, fideliter in perpetuum regnatura. Unde constat quod omnis à Deo est potestas, qui solus potestatem habet in regno hominum, & quemcunque vult suscitat super illud. Nemo illi temere resistere videatur, quin potius teneatur quilibet in operibus manum Domini * exaltare, per quæ semper juxta Prophetam *misericordia & judicium constat*.

* al. exultare.

2. Sane cum propter vacationem Sedis Apostolicæ, Romani & Summi Pontificis electio & provisio in nostra Constantiensi civitate, in qua ad præsens generale Concilium celebratur suo tempore juxta ejusdem statuta Concilii imminea faciendas nos tanquam Romanæ Ecclesiæ Advocatus, dicti Concilii defensor, ac præsertim dictæ civitatis Constantiensis Dominus naturalis volentes dictam electionem fore tutam, liberam & securam, omnibus & singulis Principibus, Vasallis & subditis Sacri Imperii, & præsertim civibus & incolis dictæ Civitatis Constantiensis nostræ fidelibus nostris dilectis, districte præcipimus & mandamus, quatenus dictum sacrum Concilium in pura, syncera pacificaque libertate manuteneant & defendant, in omnem eventum usque ad electionem & perfectionem futuri Summi Pontificis inclusive. Et quod si & quando sacrum Concilium deliberaverit ad electionem Romani Pontificis in eadem civitate nostra fore procedendum, omnem curam, diligentiam, sollicitudinem & operam efficaciter impendant, quod electio hujusmodi in plena libertate & securitate debite defendatur. Specialiter autem Rectoribus & Consulibus dictæ nostræ Civitatis Constantiensis injungimus, ut juxta sacrorum canonum instituta id ipsum corporaliter jurent observare. Quicumque autem istam libertatem, tutelam aut securitatem aliquatenus impediverit, violaverit, fraudem contra eam fecerit, aut quantum in eo fuerit non observaverit, cujuscunque dignitatis, status, præeminentiæ aut conditionis existat, omni cessante privilegio, eo ipso sententiam Imperialis banni incurrat, perpetuo sit infamis, nec ei unquam portæ pateant dignitatis, nec ad aliquod officium publicum admittatur: quin immo omnibus feudis, & aliis bonis, quæ à Romano tenet Imperio, sit ipso jure privatus. Civitas autem seu universitas Constantiensis, nisi Consules & Rectores prædicta observaverint, aut si contra ea venerint, eo ipso banno Imperiali subjaceat, ac omnibus privilegiis, gratiis & libertatibus Imperialibus sive Regalibus sit penitus destituta: Præsentium sub nostræ Majestatis sigilli appensione testimonio litterarum. Datum Constantiæ Anno Domini millesimo quadringentesimo decimo quinto, prima die Julii, Regnorum nostrorum anno, Ungariæ &c. XXIX. Romanæ electionis quinto, coronationis vero primo.

Sigismundi Imperatoris Augusti

Aurea Bulla

De adhæsione Concilio inconcusse facienda.

Anno Christi 1432. * 2. Maji.

*Lecta in congregatione generali Concilii Basileensis, die Lunæ * 19. Januarii, Anno 1433.*

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis, Amen. SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum Rex, semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, ad perpetuam rei memoriam.

1. Notum facimus tenore præsentium universis, quod cum inter alios orbis Principatus sacrum Romanum Imperium divinitus institutum obtineat principatum, cui Deo authore præsidemus, & assidua pulsemur sollicitudine, ut ea, quæ concernunt religionem Christianam & bonum Ecclesiæ sanctæ Dei, quorum Advocatus & Protector ex officio nobis incumbenti sumus & esse debemus, procuratque habeamus stabilitatem & felicem progressum eorundem. Sane cum ex sacrorum generalium Constantiensis & Senensis Conciliorum decreti constitutione suscepta felicis recordationis Martini Papæ Quinti, & deinde sanctissimi Domini Eugenii Papæ Quarti successoris immediati authoritativa approbatione sacrum Basileense Concilium initiatum fuerit, roburque & authoritatem sumpserit & progressum habeat: & successive per idem sacrum Concilium Basileense & Romanos Patres in eodem existentes & illud celebrantes, cum instantia fuerimus requisiti, ut tanquam Advocatus Ecclesiæ sanctæ Dei & Defensor protectionem ipsius in nobis assumeremus, prout ad nos pertinere dignoscitur, quod personaliter exequi non valentes, vocati & invitati per Dominum Martinum, & ipso sublato per Dominum Eugenium, Summos Pontifices prædictos transire ad Italiam, prout transivimus. Et propterea loco nostri protectionem in nobis assumeodo, prout tenebamur, in eodem sacro Concilio protectorem dimisimus Illustrem Principem Wilhelmum Comitem Palatinum Rheni & Ducem Bavariæ, avunculum nostrum charissimum, deputamusque & instituimus cum plena authoritate & omnimoda potestate, prout in nostris super hoc confectis litteris plenius continetur.

2. Et quia, ut percepimus, nonnulli vaniloquentes non recte sentientes, ipsum sacrum persuadere ac turbare per exquisitas vias molientes, ut de nostra pura mente interpretationeque ejusdem & voluntate cunctis appareat & evidenter, ad confutationem iniqua perverse loquentium, volentes Reverendissimos sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos Deo amabiles, nec non venerabiles Abbates, Prælatos, & omnes alios in civitate nostra Basileensi congregatos & congregandos, sacrum generale Concilium facientes, & illud celebrare intendentes, sacrosanctamque universalem Ecclesiam repræsentantes, & eidem adhærentes, & adhærere volentes, & quoscunque alios de eadem nostra intentione & voluntate claros reddere & securos, ad ipsius sacri Concilii corroborationem firmiorem & authorizationem, prout ad nos potest quovis modo pertinere, animo deliberato ex certa nostra scientia motuque proprio in verbo nostro Regio dicimus ac tenore præsentium attestamur, quod nos ab initio præfati sacri Concilii Basileensis semper absque omni dubio simpliciter atque pure eidem adhæsimus, adhæremusque firmiter, & quamdiu duraverit continuatumque fuerit, adhærebimus inconcusse, nec faciemus neque fieri permittemus, Deo authore, quantum in nobis fuerit, quod sit vel esse possit directe vel indirecte contra ipsius sacri Concilii authoritatem & libertatem, seu in præjudicium actorum in eodem vel agendorum in futurum, quoad ea propter quæ est convocatum & etiam congregatum. Præsentium sub nostræ Majestatis sigillo testimonio literarum. Datum * Mediolani, Anno Domini 1432. die 22. mensis Novembr. Regnorum nostrorum anno Hungariæ &c. XLVI. Romanorum XXII. Bohemiæ vero XIII.

* al. Senis.

Ad mandatum Domini Regis,
Petr. Kalde Canonicus.

Sigi-

Sigismundi Imperatoris Augusti, AVISAMENTA Ad Papam Eugenium IV.

An. Christi 1431.

BEatissime Pater & Domine Reverendissime: hodie recepimus Bullem vestræ Sanctitatis de manibus E. V. Sanctuatis, notificantem nobis dissolutionem sacri Basileensis Concilii, quam eadem Sanctuas fecit per suas Bullas hinc inde publicari. De qua quidem re nobis nedum terribili, sed infausta nimium, neduin emarissime perturbati, immo tanto vehementius stupefacti sumus, quanto aperte videmus calamitates innumeras, discriminosa pericule atque scandala, toti Christianismo exinde successura, & fidem Catholicam per boc indubie fundamentaliter enervari. Et quamvis plurima & infanda mala, quæ stylo describi non possunt, ex dissolutione tali sequutura sint, temen nos accensi zelo, quem gerimus ad religionem fidei, & affectu filiali, quem habemus ad vestram Sanctitatem, ad satisfaciendum quoque debito nostro, quod nobis tamquam Romanorum Regi, Advocato & Defensori Ecclesiæ, incumbit, præmittimus vestræ Sanctitati hic incluse certa Avisamenta, & repentine quidem ac festinatissime: quoniam arduitas & magnitudo rei, ipsius Oratoris missionem propter moram pati non potuit, in quibus eadem Sanctitas versando colligere poterit pericula, in quæ Ecclesia Dei ruitura est, si Concilium dissolvatur, quod absit. Videbit etiam Sanctitas V. in Avisamentis præfatis mentem nostram super rationibus, quæ V. Sanctitatem ad hujusmodi dissolutionis materiam permoverunt. quæ utinem tantum facerent in hac Christianorum extremitate, quantum sine fructu prolongant! Rogantes, obsecrantes ac affectu majori, quo possumus, requirentes V. Sanctitatem in Domino nostro JEsu Christo, cujus res agitur, quatenus pensata totius Christianæ religionis subversione, mox remediare dignamini, scribere & mandare Reverendissimo Præsidenti & sacro Concilio, ut nullatenus dissolvantur, sed in nomine Spiritus sancti, in quo congregati sunt, incepta feliciter perficiant. Et si quæ V. Sanctitas contraria scripserit seu nunciaverit, illa respectis præmissis legitimis pensatis, protinus revocet, eidemque Concilio favores & omnes promotiones impendat, necessitas summa requirit. Avisata enim esse debet eadem Sanctitas, quod nisi hoc celeriter fiat, Ecclesia Dei in deterrimas conditiones prolapsura est, potissime in Germaniæ partibus, quæ jam proh dolor in dubioso vacillat discrimine. In quo profecto Sanctitas Vestra, quæ hucusque tamquam innocens sine macula tenta est, non modica (quod dolenter describimus) suspicionis notæ subjacebit. Quam quidem remedium salutare V. Sanctitas tollere velit, & hanc admonitionem nostram, ad quam nos extrema unctio, quam Ecclesia Dei modo expectet, ac conscientia nostra, ac filialis erga S. V. urget affectus, paterna & benigne suscipere, & sic providere, ut grex Dominicus non tam misere dispergatur. sed boni pastoris regimine, ed ejusdem & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ obedientiam, cum tempus affi gretiæ, feliciter conducatur. Datum Placentiæ, die nona mensis Januarii, Regnorum nostrorum anno Hungariæ &c. XLVII. Romanotum XXIII. & Bohemiæ XIII.

Avisamenta ad Dominum Summum Pontificem ex parte Domini Romanorum &c. Regis super facto Basileensis Concilii,

PRimo, quemadmodum V. S. in Bulla nobis transmissa notificat nobis primo dissolutionem sacri Basileensis Concilii &c. ite perlecto diligenter tenore ejusdem, non videmus aliam penitus causam dissolutionis. propter quam fiat, contineri, nisi propter reductionem Græcorum ad ritum Romanæ ac Universalis Ecclesiæ. Et quemadmodum eadem Sanctitas nos rogat, ut si aliqua Avisementa excogitaturi sumus, ad pacem fidelium religionis Christianæ ac statum & honotem Ecclesiæ facientia, Vestræ Sanctitati velimus exponare &c. Ita requisitione V. Sanctitatis permoti & inducti etiam, devotione syncera, quam ad bonum Ecclesiæ & statum universæ Reip. Christianæ gerimus, rubote deposito & confidenter dicimus, quod hæc causa Græcorum nullatenus sufficere potest ad dissolutionem ipsius sacri Concilii, quamvis bene esset res sanctorum & multum optabilis, ipsos Græcos reductos videre, nec prætermittendum est suo tempore ad illa intendere. Sed non poterit nec debebit ipse reductio, quæ tot centenis ennorum sic pestitit, & dubiosa quidem est, rebus tam arduis, quæ subversiooem totius nostræ fidei tangunt, quoquomodo præponi: quia utiqua res illa moram * pati potest, quæ hucusque tanto tempore perdutavit sine læsione Romanæ Ecclesiæ, cum à Græcis & suis concredentibus, hucusque Christianitas nihil violenti pertulerit. Sed istæ res videntur nobis debere illico ad manus recipi, tamquem magis bonæ & arduæ, quæ facere possunt ad extirpationem hæresum, quæ hodie tanta enormie mala in populo fideli patrant, nec cessant, sed igna & gladio trucidant, non parcentes sexui nec ætati. Numquam enim credibile esse poterit, Græcos ritui nostro conformari vella, videntes nos in tanta strage, dissensione, & deformitate morum & vitiorum, nec umquam aliquam correctionem adhiberi, sed de die in diem nos in viliora & magis inordi-

* al. pati non potest.

inordinata corruara, & ritum nostrum aa obadiantiam Christicolarum quasi panitus extingui, Dicunt ipsi aperte.

Turpe est doctori cum culpa redarguit ipsum.

Sed si nos viderant ella compositos & reformatos, & intendere ad extirpationam hæresum & paeam fi ietum, profacto indubii sumus, quod sa deflecterent. Sed hoc iterum per alios & alios modos, Deo faciles & bene conveniaores, prout s nobis anuclaatius & alarius informabitur Sanctitas vostra.

2. Secundo sacrum Basiliense Concilium misit nobis certas litteras, Bohemis, *Hussitisque* forancas, eosque ad Basilaam pro reductione ipsorum vocantes, quas illico eisdem transmisimus, adjunctis nostris opportunis & adhortationis literis, tenorem litararum sacri Concilii continentibus. Super quibus Pragenses, qui inter eos potiores sunt, in Praga diætam, prout in copia hic annaxa, Sanctitas vestra alicera poterit, & ut nos aliunde informamur, speratur omnino de comparitione ipsorum coram Concilio, & va inimilitier etiam multo magis ad hoc stringuntur, quanto jam in regno nostro Hungariæ conflicti sunt, & magnam partem sui axarcitus, equestrium & pedestrium, scinstrumentorum & curruum, auxilianta Domino pardiderunt, & atiam per Illustram filium nostrum* Ducem Austriæ, æstate præterita in Moravia potenter de campo depressi, & in fugam conversi, ac novissime in Ducatu Austriæ notabilitar sunt prostrati. Insupar atiam, quia ipsum Concilium ipsis magnum terrorem inducit, dum audiunt, illud ad extirpationem hæresium ella potissime congregarum, quibus comparantibus, speraremus ipsos per sacrum Concilium ita informari, quod contenti recedarent, & hæc pestis Deo dante cessaret. Nec intentio Concilii & nostra unquam fuit, nequa est, ut super articulis ipsorum prius damnatis debeat fore disputatio, prout tangit Sanctitas vestra, sed solum informatio & instructio per sacras scripturas, ut sa errata cognoscant & resipiscant, prout Dominus noster Papa Martinus prædecassor vester, nobis & Regi Poloniæ in plurimis suis Bullis faciendum imposuit & persuasit. Et in casu, quo nil perficeret, tamen videns sacrum Concilium ipsorum pertinaciam, ferventius ad aorum suppressionem intenderet. & super his ex omnium regionum finibus provideret, quoniam hoc onus solis est importabila Alamanis. Insuper quia locus Basileensis præfatis Hussitis ast deputatus, & sacrum Concilium nosque securitatem illuc conducandi illis plene obtulimus, & per literas nostras affirmavimus: quid diceot ipsi Hæretici, sentientes dissolutionam Concilii, nisi quod nos fugiamus eos, & Ecclesiam contra eorum rationes quodammodo succubuisse? & sic confortabunt suos, & fideles populos, ad quos jam, ut audivimus, errores suos & articulos cum insertionibus sacrarum scripturarum misarunt, mortali contagione inficient, in quo aunctus populus spem suam dafixit, nac illud tantam moram perferra quomodolibet poterit, quanta asset hujusmodi protractio Concilii; quia revara in tanto tempora & ipsi quasi totam Germaniam possent subripere, prout circumquaque in magna parte da facto fecerunt, nec resistentia aliqua pararetur, nec parari posset propter dissolutionem ipsius Concilii, uti clarat.

3. Tertio, quia ubique famatur, sacrum Concilium pro reformatione morom in populo Catholico & etiam statu Ecclasiastico congragatum fore &c. modo si dissolutum maneat Concilium, revara timendum ast, quod laici, qui multimode contra Clericos debacchantur, capiant occasionem irruendi contra ipsos, dicentes in congragandis & dissolvandis Conciliis sine fructu illusionas fieri, prout prius atiam factum est prout manifeste clamant, quod non expectant nisi finem hujos Concilii. Et ut principium hujus mali ostendamus, acce civitas Matropolitana Meyddeburgansis, expulso suo Archiepiscopo atq; Clero, jam par terras ipsius Ecclasiæ in fortitudine curruum Hussitarum divagant, quibus in subsidio sunt quasi omnes civitates Saxoniæ maritimæ, & majorem, ut timandum est, habebunt sequalam, si non celerrima fiet provisio. Insuper, ut avisamur, Patsviensis civitas suo Episcopo rabellavit, & se parat ad expugnandum castra sua. Damum civitas Bambergensis, quæ propter mutationem, quam fecit propter Hæraticos ax indulto nostro, per Clerum infestatur, in magna est vacillatione. Et quia prædicta loca omnia Bohemis sunt vicina, timendum ast, quod per dissolutionem Concilii, quod pro saparandis talibus Nuncios suos transmisit, illa loca talia cum Hæreticis in spem subsidii parrita capiant, quæ nullis val saltem gravissimis erunt recuperanda laboribus.

4. Quarto, quamvis multi Principes, Nobilas & Civitates circumquaque Bohemiam post rupturam exercitus cum Hæreticis treugas inierunt, tamen major pars adhuc sa contra eos sustentat, ponando spem suam totalam in ipso Concilio pro liberatione sua: ad quos dictum Concilium & nos dudum pro eo misimus, qui audientas Concilium debera dissolvi, totaliter sa averteni, & treugas etiam inirant ad radimendas vaxationes, & quid in locum sequetur, nisi illius pravitatis adhæsio?

5. Quinto, quemadmodum ipsum sacrum Concilium proponenda pace inter cætera congregatum existit, & jam inter quam pluras Reges, Principes & alios sint præparamenta & initia facta, ad dandum modus pro pace: ita ipsi audientes dissolutionem Concilii, coovertent se ad gladium, & ent error novissimus pejor priori: nec postea erit aptitudo id faciandi, cum Principes fuetint axhausti, terræ par cladas, cædes & sanguinis effusionem desertæ, & in periculum innumerabilium animarum & corporum, quæ infra has prorogationes & inducias, proh dolor, corruant. Cessabunt atiam multa provisiones quæ in eodem Concilio pro Republica Christiana fieri possant: & innumera provanient scandala in destructionem totius religionis Christianæ vergentia, quæ V. S. clarius quam possunt describi prospicere valaat.

6. Idcir-

*Albertum II postea Cæsarem.

6. Idcirco nos petimus, invocamus, & quanto efficacius possumus, requirimus vestram Sanctitatem, quatenus eadem V. S. in continenti ad præfatum Dominum Præsidentem & sacrum Concilium scribat & mittat, ut nullatenus dissolvantur, sed in nomine Domini, in quo congregati sunt, incepta feliciter perficiant: & si quæ V. S. in contrarium scripserit seu nunciaverit, illa protinus revocet & annullet: à visando vestram Sanctitatem, quod nisi hoc fiat, hæreses istæ armatæ multimode augebuntur, & Ecclesia Dei indubie in pessimas conditiones ruitura est, quibus postmodum nulla potentia, nullo consilio, nullave arte seu ingenio succurri poterit. Et revera tamen hi, qui vestræ Sanctitati dederunt consilium, non intellexerunt forsitan tanta ventura mala, utinam saperent & intelligerent, ac novissima providerent. Mora enim in hoc negocio periculosa est, & nullatenus sufferenda. Et si quippiam fortassis pertimescerent, aliqua contra statum Ecclesiasticum per laicos debere tractari, non timeant; quia laici falcem suam non habebunt in messem illam immittere, immo profecto induciæ protractionis, quæ quæruntur, laicos facient contra clerum & Ecclesiam insanire: quod tamen per istud Concilium ordinate tolletur de medio, dum laici videbunt clerum omni bono intendere.

7. Item considerandum est vestræ Sanctitati, quod sacrum Concilium (ut putatur) ad hujusmodi dissolutionem nullatenus consentiet, cum quo etiam major pars Regum, Principum, Prælatorum & Communitatum concurret, & V. S. quæ hucusque in Ecclesia Dei sine ruga & macula tenta est, per hujusmodi opera poterit sibi suspicionem & rubiginem facere, ac innocentiam suam per hoc, quod facili & quasi nulla legitima ratione sobsistit, dissolutionis negotium, fermentare: quia dici poterit, quod V. S. hac occasione foveat hæreses, cædes & clades inter Christianos, & perseverantiam de fomitetum & vitiorum in populo: & timendum est, quod habebunt sequelam multorum. Item si V. S. vellet Concilio personaliter interesse, esset bonum & salubre, si posset. Sed si non posset, festinanter & cito demandet illud exequi, prout est inceptum: quia res illæ, quæ usque ad sanguinem tangunt, nullatenus volunt moram, nisi cum dispendio totius Christianitatis. Et si V. S. postea voluerit personaliter interesse super facto Græcorum, seu aliis, quæ non requirunt tantam festinantiam, poterit congregare aliud Concilium, quod fiet cum gratitudine & majori aptitudine, quàm nunc hæc mora tolerari possit. Nam isto dissoluto, nescimus si per annum cum dimidio aliqui congregari possent propter dispendia, quæ interim evenirent.

8. Hæc omnia S. V. velit diligentissime considerare, & providere, ut istud Concilium mox restauretur: suscipiatque hanc adhortationem nostram paterne & benigne, quam fecimus fideliter, urgente ad eadem conscientia & extremitatibus, in quibus Ecclesia Dei constituta est, & etiam quia Majestas sua valde invite perciperet, quod Sanctitati vestræ exinde aliquè inter Christicolas deberet sinistra suspicio suboriri, quemadmodum nos V. Sanctitati, dum cum eadem constituemur, prout in brevi speramus, clarius communicabimus.

S. Cæsareæ Majestatis,

Instructio pro Dominis euntibus ex parte suæ Majestatis ad Dominum Summum Pontificem.

An. Christi 1431.

DE EXPEDITIONE ROMANA.

PRimo exponatur, qualiter ad aures Regias pervenerit, quod Sanctitas Domini nostri gentes suas armigeras miserit contra Majestatem Regiam, & subditos suos, ac terras sibi & Imperio subtractas, absque culpa regia, & nulla offensa & rationabili causa præcedente. Et quamvis hucusque nunquam crediderit, Sanctitatem suam erga Majestatem Regiam aliquam indignationem velle aut posse concipere, seu facere, licet Nicolaus de Tolentino, qui se per expressum Capitaneum generalem Ecclesiæ scripsit, alias veniens cum Florentinensibus gentibus inante Lucam, gentibus Regiis, ut debitum erat, Papam defendentibus, publice clamari fecerit, *Vivat Ecclesia:* tamen jam habetur certius, qualiter Nicolaus de Fortebrachiis contra terras Imperio subjectas noviter insultaverit, & illas nomine suæ Sanctitatis & Ecclesiæ postulaverit. Qualiter etiam memoratus Nicolaus de Tolentino in Maricim Senensem pridem patraverit, eadem Sanctitas persentiet in schedula cum præsentibus ostendenda, quæ tamen Majestas sua à dicta Sanctitate minime sperasset, cum talia numquam demeruerit, sed semper studuerit omni solicitudine suæ Sanctitati & Sedi Apostolicæ summe devotione & filialiter complacere: nec ab eo umquam compertum est contrarium. Non potest non mirari, quis Sanctitatem suam contra suum Advocatum & filium sine causa commoverat. Et si subditi suæ Majestatis & Imperii sacri eandem Sanctitatem aut suos in aliquo molestassent, fas fuisset, eam ante avisare: & ipsa fuisset quàm parata, nedum eidem Sanctitati, sed & cuique de subditis suis justitiam ministrare, quod profecto in adversum paternalius & clementius actum fuisset, quàm tali indignatione prorumpere, cum continue eadem Sanctitas suæ Majestati

scripserit

scripserit, ac latissime nunciaverit, ac novissime per venerabilem Jacobum Archiepiscopum Ebredunansem Principem Triscameratium suum dici fecerit, se erga eandem Majestatem optime esse dispositam, aamque multum amara, nec aliud unquam speravit, & adbuc, quod sua Sanctitas clementius & paternalius cogitabit & aget, ut in eadem sperat.

2. Item Regia Majestas suscepit reverenter, & vidit, ac audivit diligenter Bullas suæ Sanctitatis per Dominum Archiepiscopum allatas: sed quia negotia illa magni sunt ponderis, & extra potestatem Regiam, non posset super illo suæ Sanctitati eadem Majestas efficaciter respondere, cum illa potius pertineant ad sacrum Basileense Concilium, prout aliàs Oratoribus Apostolicis in Parma constitutis clare dixit eadem Majestas, tales res Concilium tangentes, ibidem quæri debere. Et sic denuo ibidem dicet, & adhuc cooperabitur omni posse, ut res illæ bene cedant. Verumtamen petit & obsecrat eandem Sanctitatem filialiter devote in Domino JEsu Christo, quatenus eædem limitationes & modificationes capitulorum in Bullo expressorum, defendendo illud Concilium ad laudem Dei & salutem suæ sanctæ Ecclesiæ, dignetur simpliciter & indistincte manutenere & fovere, ut super articulis & rabus, pro quibus congregatum est, procedat libere juxta formas & modos in retro generalibus Conciliis tentos. Quod si eadem Sanctitas faceret, ut sperat eadem Majestas, providebit indubie saluberrima honori & dignitatibus suis, & extolletur ad æthera, & sub ejus regimine ejusque præsidio in Ecclesia Dei, nunc undique impugnata, tot bona sequutura sunt, scilicet reductio Hæreticorum atque Hæresum extirpatio, quæ in foribus est, & sine generali Concilio nullatenus fieri potuit, & alia bona innumera, habebitque Majestatem Regiam devotam semper & obedientem filium in au[illegible]ibus suæ Sanctitati gratum & Ecclesiæ Dei accommodum. Nam profecto si id non fiet, prout eadem Majestas sæpius scripsit & dixit ac protestata est, indicibilia scandala exinde, proh dolor, sunt eventura.

3. Item regratiatur summopere Sanctitati suæ de paterna affectione & clementi oblatione Sanctitatis suæ erga Majestatem eandem, quemadmodum in schedula parva contentum est: quoniam Majestas sua * quia Dominus Archiepiscopus Ebredunensis conclusit cum reverendissimis Dominis Cardinalibus deputatis per Sanctitatem D.N. ad facta illorum, qui sunt in Basilea, idem Dominus noster vult habere literas à Domino Romanorum Rege attentius cum sigillo Majestatis & subscriptione propriæ manus suæ, quod si illi non consentirent, & postea in aliquo contrafecerint, idem Dominus Rex promittit & jurat sub fide Regia, persequi eos tamquam homines turbatores pacis & quietis Ecclesiæ & totius Religionis Christianæ, ad simplicem requisitionem ipsius Domini nostri, sicut ipse per juramentum est obligatus, & adhærebit suæ Sanctitati tam in Concilio per eandem suam Sanctitatem tenendo, quam alibi.

4. Item quod idem Dominus Ebredunensis asserit, præfatum Dominum Regem affectare accedere ad Urbem Romanam, & præfatum Dominum visitare, quem semper præcipua charitate dilexit, & sperat quod per communicationem ipsorum ad invicem multa potuerunt fieri congruentia, concernantia fidem ipsorum & Ecclesiam & totam Christianitatem.

* sc. Papa.

5. Item * Dominus noster contentatur de accessu suo, cum ipsum à tempore Concilii Constantiensis, quo cognovit eum, semper fuerit magna dilectione & amore prosequutus, dum modo ejus adventus pacificus sit, id est, cum illis de domo sua tantum, ut † aliàs tactum fuit. Et certificatus de tempore adventus sui, mittat obviam sibi usque ad confinia terrarum Ecclesiæ duos ex reverendissimis Dominis Cardinalibus, & alios Prælatos & Clericos ad ipsum associandum honorifice, & ipsum secure conducent, & tenebit per Dei gratiam, & remittet cum honore, pace & benedictione Domini nostri JEsu Christi, & sanctorum Apostolorum ejus Petri ac Pauli, ac sua. Et si voluerit in comitativa sua habere de gentibus armigeris præfati Domini nostri, tam in veniendo quam in revertendo: etsi petierit, quod dictæ gentes faciant convenient prædictæ materiæ, contentatur Dominus noster, quod fuit hoc declaratum, quod antequam intret terras Ecclesiæ, præstabit juramentum, quod de jure præstare tenebatur antequam intraret Italiam, juxta formam Clementinam.

† in Epistola nimirum ipsius Papæ Eugenii ad Imp quæ extat. tom. 9 concil. pag. 211.

6. Item ad ostendendum charitatem, amorem & benevolentiam erga personam Domini Regis, consideratis magnis expensis habitis per futurum Dominum Regem, Dominus est paratus subvenire eidem Domino Regi, postquam intraverit terras Ecclesiæ: & eum illa paternali charitate amplecti, qua pater bonus filium optimum complecti debet, prout per Oratores suos alias oblatum fuit. Et super hoc Dominus noster paratus est deputare aliquos, qui habeant tractare cum deputandis per Dominum Regem, & infallenter sperat quod erunt in bona concordia cum Dei adjutorio.



Sigis-

Sigismundi Imperatoris Augusti,

CONSTITUTIO

De Advocatia & protectione Ecclesiæ Romanæ.

An. Christi 1411.

Mandatum missum sanctissimo Domino nostro Papæ, per Serenissimum Dominum Regem Romanorum, per suos Oratores, & lectum in Consistorio publico die 8. April 1433. Domini Papæ Eugenii anno tertio, & in eodem Consistorio Oratores Imperatoris juramentum Papæ præstiterunt.

SIGISMUNDUS Dei gratia Imperator Romanorum semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex.

Notum facimus tenore præsentium universis, quod quamvis inter Sanctitatem beatissimi Domini nostri Papæ Eugenii atque Majestatem nostram fuerit semper & sit per Dei gratiam bona concordia & perfecta synceritas animorum, nihilominus quia per multos aliquando quam plurima inconsulta hinc inde relata sunt, sicut plerique mortalium prompti sunt ad zizaniam inter Principes seminandam & imprimendas suspiciones, quo nihil periculosius esse potest, ne forte de claritate mentium utriusque dubium, quod hucusque volavit, amplius perseveret: considerantes etiam, ex nostre integra injunctione bonum publicum secuturum, deliberavimus de proximo visitare S. præfati Domini nostri & Urbem Romam, pro suscipiendis Imperialibus nostris coronis, & aliis rebus perarduis, tangentibus Remp. Christianam & pacem Italiæ, pertractandis. Quæ ut perfectius & plenius pertractari possint, mittimus ad S. præfati Domini nostri Papæ Eugenii dilectos Consiliarios & Ambasiatores nostros magnificos, Matkonem Comitem Kewinensem & Capitaneum Mandoralbensem, & Casparem Slyck Vicecancellarium nostrum & Capitaneum terrarum Egræ, constituentes, creantes, ordinantes & facientes ipsos tenore præsentium ac authoritate Regia nostros veros & legitimos procuratores & factores & Nuncios speciales, & quidquid melius esse & dici potest: dantesque eisdem plenariam & omnimodam potestatem; plenam licentiam & facultatem exponendi suæ Sanctitati pro nobis devotionem & reverentiam filialem, quam ad suam Sanctitatem & Romanam Ecclesiam synceroaffectu gerimus: necnon petendi & impetrandi à sua Sanctitate favorem & gratiam consuetos, offerendi quoque eidem suæ Sanctitati fidelitatis & cujuslibet alterius generis juramentum simul & successive: & nihilominus petendi à sue S. nobis per manus suas impendendam unctionem, consecrationem & Romani Imperii diadema, ac promittendi quod illa, dum apud Sanctitatem suam fuerimus in propria persona, si opus fuerit, innovabimus: ac omnia & singula alia peragendi & concludendi, promittendi, & spondendi, quæ mutuam unionem, charitatem & concordiam vitæ, Sanctitatem suam & Majestatem nostram, & supereminentiæ & dignitatis Principes, qui super alios à Domino constituti sumus, facere & conservare possunt, ut etiam à Sanctitate sua, si opus fuerit, obligationes quascumq; acceptandi, cæteraque omnia faciendi, & concludendi, quæ nos facere possemus, si personaliter adessemus: ratum & gratum habentes, & habere promittentes verbo nostro Regio, quidquid per præfatos Oratores & Procuratores nostros actum, factum sive gestum fuerit, ac si illud in persona propria fecissemus: volentes illa omnia nostris Regiis literis & sigillis, si opus fuerit, denuo roborare, præsentium sub nostræ Majestatis sigillo litterarum. Datum Senis, Anno Domini MCCCCXXXIII. die XVI. mensis Martii, Regnorum nostrorum anno Hungariæ &c. XLVII. Romanorum XXXIII. Bohemiæ vero XIII.

Sequitur forma Juramenti facti in Consistorio publico per dictos Ambasiatores tactis sanctis Evangeliis & sacris Crucibus cum reliquiis, & lectum alta voce per Casparum Slyck Vicecancellarium Regis Roman. coram Domino nostro Papa præsente & acceptante. & istud Juramentum fuit scriptum in membrana cum duobus sigillis pendentibus recognitis esse dictorum Oratorum.

Juramentum Imperatoris Eugenio Papæ præstitum.

NOs Matiko de Callonz Comes Kewinensis & Capitaneus Mandoralbensis, & Caspar Slyck Vicecancellarius & Capitaneus terrarum Egræ, Ambasiatores & Procuratores Invictissimi Principis & Domini Sigismundi Romanorum Regis semper Augusti, ac Hungariæ, Bohemiæ &c. Regis gloriosissimi, ad sanctissimum & clementissimum Dominum nostrum Papam Eugenium IV. destinati, recognoscimus tenore præsentium universis, quod nos de mandato & licentia præfati Serenissimi Domini nostri Regis, cujus pleno & sufficienti mandato fulciti sumus, quodque sigilletum in manus sanctissimi Domini nostri disposuimus hodie dato literæ nostræ præsentis in Consistorio Apostolico generali in manus suæ Sanctitatis præstitimus in forma, quæ est infra.

1. Nos

1. Nos Comes Matiko & Caspar Slick Vicecancellarius, procuratorio nomine, quo supra, promittimus, & tactis Evangeliis sacrosanctis juramentum firmamus Sanctitati præfati Domini nostri, suo & Ecclesiæ nomine hujusmodi juramentum accipienti, quod Serenissimus Dominus Rex Sigismundus Ecclesiam & fidem Catholicam pura fide totis viribus conservabit reverenter & etiam defendet, omnemque hæresim, schisma & Hæreticos quoslibet, fautoresque & receptatores & defensores eorum exterminabit pro posse, ac numquam cum Saraceno, Pagano, Schismatico, seu alio quolibet communionem Catholicæ fidei non habente, aut cum aliquo alio præfatæ Ecclesiæ inimico vel rebelli, seu eidem manifeste suspecto, unionem quamlibet, parentelam, aut confœderationem inibit: sed iam vestram, quam successorum vestrorum personas, honorem & statum manutenebit, & defendet ac conservabit contra omnes homines, cujuscumque existerent præeminentiæ, dignitatis aut status.

2. Eidem adjicientes juramento, quod eadem Majestas manutenebit semper atque servabit privilegia omnia, per prædecessores suos Reges ac Imperatores Romanos, præfatæ Romanæ Ecclesiæ ac aliis quibuslibet Ecclesiis quocumq; concessa tempore, & continentiæ cujuscumque, ipsaque omnia & specialiter ac præcipue præclaræ memoriæ Constantinum, Carolum, Henricum, Ottonem IV. Fredericum Secundum, atque Rudolphum, prædecessores ipsius, præsertim super concessione, recognitione, advocatione, quitatione ac libera admissiona terrarum & provinciarum Romanæ Ecclesiæ ubilibet positarum, quarum etiam multas nominatim expressit, Sedi Apostolicæ Romanisque Pontificibus sub quocomque tenore concessa, recognoscet, confirmabit, & ex certa scientia innovabit, ac etiam de novo concedet, & terras ipsas atque provincias cognoscet ad jus & proprietatem ipsius Ecclesiæ plenissime pertinere, easque nihilominus ex abundanti de novo Ecclesiæ præfatæ donabit sub prædicto se obligans juramento, quod ipsas vel aliquam ipsarum partem nullo umquam tempore occupabit, seu quantum in eo erit, occupari permittet, possessiones, aut semitas habebit, seu quomodolibet possidebit, nec in eis etiam potestariæ, seu cujusvis Capitaniæ officium, aut jurisdictionem quamcumque per se vel alium exercebit; quodque ut Princeps Catholicus sæpedictæ Ecclesiæ Advocatus atque Defensor ipsam juvabit & consiliis & auxiliis illi assistet opportunis, contra quoscumque inobedientes & rebelles eidem, & præcipue contra occupantes & turbantes terras prædictas seu provincias vel partem quamlibet earundem.

3. Sub eodem etiam juramento promittimus, quod tam ipsam Romanam quam alias Ecclesias, libertatem Ecclesiasticam, bona, jura, Prælatos, & ministros Ecclesiarum ipsarum ipse Dominus Rex manutenebit, conservabit ac defendet suo posse.

4. Et quod Ecclesiæ Romanæ vasallos contra justitiam nullatenus offendet, devotos & fideles etiam in Imperio constitutos benigne tractabit, nec eos opprimet contra justitiam, aut quantum in eo erit, per alium opprimi sustinebit, sed in suis potius juribus & justitiis conservabit. Sic eum Deus adjuvet, & sancta Dei Evangelia. Et sic nos Procuratores nomine præfato recognoscimus, confirmamus, innovamus, concedimus, donamus, & cætera facimus secundum tenorem, qui superius continetur: promittentes insuper, quod præfatus Serenissimus Dominus noster Rex, hoc quoque juramentum per nos (ut præmittitur) præstitum, in manus suæ Sanctitatis vel Legatorum ejusdem Sanctitatis, si illos præmittere decreverit, personaliter innovabit, suas Regias patentes literas & sigilla consueta super illis tradendo. In cujus rei testimonium, sigilla nostra propria præsentibus sunt appensa. Datum Romæ, anno MCCCCXXXIII. die VI. mensis Aprilis.

Concordata Sigismundi Imperatoris & Eugenii Papæ.

Sequitur Bulla Capitulorum initorum & conclusorum inter Dominum nostrum Papam & prædictos Oratores Regios.

EUgenius &c. ad futuram rei memoriam. Quoniam Dominus Dei filius de cœlis ad terram descendens ad salvandum genus humanum, inter cætera divina præclarissima documenta, tamquam pacis mediator, pacem discipulis suis reliquit, cujus sanctum fructum quasi substantia vitæ terminus

Joan. 14. conservare humanam societatem, unde fides augetur, spes sublevatur, & charitas ampliatur, cum sit directiva justitiæ, Regnorum, Principatuum, omnisque spiritualis & temporalis status valida & robustissima conservatio: Nos moniti ipsius Dei filii salutaribus documentis, pacem tamquam bonorum omnium productricem semper optavimus & optamus pro universali bono sanctæ Ecclesiæ Dei, totiusque populi Christiani. Ut itaque omnis mundus intelligat syncertitatem nostræ affectionis ad tranquillitatem & quietem Reipublicæ Christianæ, continuis meditationibus & affectibus adspirare, deductis inter nos & charissimum in Christo filium Sigismondum Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ Regem Illustrem, certis tractatibus multa bona continentibus, demum cum dilectis filiis

* Krevvin. Nobilibus viris Matikone Comite* Kewinensi & Capitaneo Mandetalbensi, & Caspare Slik Regio Vicecancellario, & terrarum Egræ Capitaneo, ejusdem Regis Oratoribus, habentibus ab ipso Rege sufficiens mandatum, infra scripta Capitula & omnia in ipsis contenta servabimus, quæ de verbo ad verbum fecimus hic inscribi, quorum tenor sequitur & est talis.

In Dei nomine, Amen. Infra scripta sunt Capitula, conventiones & pacta, inita & firmata inter sanctissimum Dominum nostrum Eugenium Papam IV. ex parte una, & Magnificos viros Consiliarios, Procuratores, Legatos ac Ambasiatores Serenissimi Principis & Domini, SIGISMUNDI Romanorum Regis semper Augusti ex parte altera: de quorum mandato publico plene constat per literas Regias, suo pendente sigillo sigillatas, videlicet Magnificos Matikonem Comitem

Kewinen-

Kewinensem & Capitaneum Manderalbensem, ac Casparum Slik Vicecancellarium dicti Domini Regis, & Capitaneum terrerum Egræ, Anno Domini MCCCCXXXIII. die septima mensis Aprilis, indictione XI. Pontificatus sanctissimi Domini nostri prædicti Domini Eugenii Papæ Quarti anno III.

CAP. I. In primis dictus Comes Matiko & Caspar prædicti Procoratores & procuretorio nomine dicti Domini Regis Sigismundi, promiserunt dicto Domino oostro Eugenio, stipulantes & recipientes tam suo quam Ecclesiæ nomine, qnod ipse Serenissimns Rex Sigismundus per totum præsentem mensem Aprilis veniet Viterbium, nbi ipse inveniet Sanctissimum Dominum nostrum Eugeninm, & nt verus ejus spiritualis filius dicto tempore ibidem ipsum visitabit.

CAP. II. Item promiserunt Procuratores procuratorio nomine, quo supre, ipsi sanctissimo Domino nostro Eugenio, stipulentes & recipientes, ut supre, quod ipse Dominus Rex præstabit personeliter Papæ omnie illa juremente, & alie faciet ad quæ tenetur, tam de consuetudine quem de jure, sive etiem ejes Legato ant Legatis per suam Sanctitatem specieliter destinando seu destinendis.

CAP. III. Item promiserunt dicti Procuretores, quod ipsnm juramentum per ipsos Procutatores hodie in genereli Consistorio præstatum, in proprie persona & personaliter iterum ipse Rex præstabit senctissimo Domino nostro Eugenio, vel ejus Legato seu Legatis specialiter destinando seu destinandis, non obstante dicta protestatione jnramenti per procuratores ipsos ante facta.

CAP. IV. Irem promiserunr dicto nomine, quo supra, quod Dominus Rex venieted visitandum senctissimnm Dominom nostrum Viterbium, vel ad Urbem, solum & duntaxat cum comitivâ & familia sua, qnam in præsenti habet Senis, dummodo nullum scienter ducat hostem vel inimicum Ecclesiæ, vel Domini nostri Eugenii Pepæ Quarti, vel rebellem Romani populi. Et si ex inenimadvertentia aliquem secum duxerit, vel aliqnos, illos sua Majestas ad inqulsitiunem Domini nostri Papæ illico licentiet & remittat.

Catera desunt.

SYNODI CONSTANTIENSIS

Confirmatio Karolinæ

Anno Christi 1414.

De Libertate Ecclesiastica.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sencto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræseotans, * Venerabili Episcopo Adriensi, & dilectis Ecclesiæ filiis, S. Levini Zieuxensis, ac S. Servatii Trajectensis supre Mosem, Trejecteosis & Leodiensis diocesis Ecclesiarum Decenis, Salutem & omnipotentis Dei benedictionem.

* in alio exemplari pro his nominibus ista legun. tur. Dilectis Ecclesiæ Abbati S. Bavonis, Gandensis & Cameracensis ac S. Petri Lovaniensis Ecclesiarum Decanis, Tornacensis & Leodiensis diocesium salutem,

1. Ad compescendos conatus nefarios perversorum, qui personas & loce Ecclesiastica super bonis & juribus suis offendere, ec multiplicibus perturbare molestiis non verentur: tantò megis nos decet generale Concilium de opportuno remedio providere, quanto per amplius turbetiones hujusmodi & molestiæ in divinæ Majestatis offensam, nec noo Ecclesiasticæ libertetis dispendinm redundare dinoscuntur.

2. Dudum siquidem, cum in diversis mundi partibus Consules civitatum & Rectores, nec non alii, qui potestatem hebere videbantur, tot onera frequenter imponerent Ecclesiis, ut deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videretur, quam sub Pharaone fuisset, qui legis divinæ notitiam non hebebat, quique omnibus aliis servituti subactis; Secerdotes & possessiones eorum in pristina libertate dimisit, & de publico eis alimoniam ministravit in Concilio Laterenensi Ecclesiæ immunitati providendo, sub anathematis districtione prohibitum extitit, oe Consules, Rectores eut alii prædicti, Ecclesias & viros Ecclesiasticos talliis seu collectis, eut exactionibus aliis aggrevare præsumereot, transgressores & fantores eorum præcipieodo enathematis sententiæ subjacere, donec setisfactionem impenderent competentem. Et etiam deinde in genereli Concilio editum fuerit; Quod si Episcopi forte simnl cum Clericis, etiamsi tantum necessitatem vel utilitatem inspicerent, ut absque ulle coactione ad relevandas communes utilitates vel necessitates, obi laicorum non suppeterent facultates, subsidie per Ecclesias laicis ducerent concedenda, minime super hoc consulto Romano Pontifice, concessiones & sententiæ, quæ à talibus, vel de ipsorum mandato forenr promolgatæ, essent irritæ & inanes, nullo umquam tempore velituræ. Ac etiem in ipso generali Concilio decretum extitit, illum, qui infra tempus sui regiminis, propter fractionem constitutionum vel sanctionum, hujusmodi sustineret anathema, tanquam post illud non esset ad satisfactionis debitum compellendus.

Necnon ipsius successorem, qui non satisfaceret infra mensem, manere Ecclesiastica censura conclusum, donec satisfaceret competenter, cum succederet in onere, qui substituetetur in honore.

3. Postmodum vero felicis recordationis Honorius Papa Tertius attente considerans, quod quondam FRIDERICUS II. olim Romanorum Imperator, tunc sub obedientia & devotione S. Romanæ Ecclesiæ persistens, ad laudem ejusdem Ecclesiæ, & sacri decus Romani Imperii, cupiens ut expurgatis quorundam erroribus, & iniquis statutis penitus destitutis, de cætero Ecclesiæ & Ecclesiasticæ personæ plena vigerent quiete, ac secura libertate gauderent: ac pie & juste attendens, quod quorundam perversorum iniquitas adeo abundaverat, ut non dubitarent contra Ecclesiasticam disciplinam & sacros Canones statuta sua confingere adversus Ecclesiasticas personas & Ecclesiasticam libertatem, edictali lege hujusmodi statuta iniqua irritaverat, & præceperat irrita nunciari, & omnia statuta & consuetudines, quæ civitates & loca, Potestates & Consules, aut quæcumque aliæ personæ contra libertatem Ecclesiæ, vel personas Ecclesiasticas, ac bona hujusmodi, edere aut servare tentarent contra Canonicas vel Imperiales sanctiones, de ipsorum Capitularibus intra duos menses post ipsius legis publicationem penitus aboleri facerent, & si de cætero talia attentarent, illa ipso jure decrevit esse nulla, & eos sua jurisdictione privatos. Nec non locum, ubi talia deinceps præsumpta fuissent, banno mille marcarum auri, fisco Imperiali præceperat subjacere. Potestates vero, Consules, Statutarii, & scriptores statutorum prædictorum, nec non Consiliarii locorum ipsorum, qui secundum statuta & consuetudines memorata judicarent, extunc essent ipso jure infames, quorum sententias & actus legitimos statuerat aliqualiter non tenere. Quodque si per annum præfatarum Constitutionum inventi forent contemptores, bona eorum per totum Imperium mandavit impune ab omnibus occupari, salvis nihilominus aliis pœnis contra tales in eisdem generalibus Conciliis promulgatis. Et insuper voluit idem tunc Imperator, quod nulla Communitas vel persona publica vel privata, collectas seu exactiones, angarias, vel perangarias Ecclesiis vel aliis piis locis aut Ecclesiasticis personis hujusmodi imponere seu invadere Ecclesiastica bona præsumerent, quod si secus facerent, & requisiti ab Ecclesia vel Imperio, hujusmodi emendare contemnerent, tripliciter refunderent. Et nihilominus banno Imperiali subjacerent, quod sine satisfactione debita nullatenus remitteretur. Statuerat insuper, quod quæcumque Communitas vel persona per annum in communicatione propter libertatem Ecclesiæ violatam persisteret, ipso jure similiter banno Imperiali subjaceret, à quo nullatenus extraheretur, nisi prius ab Ecclesia beneficiu absolutionis obtento. Et insuper ordinaverat, ut nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione vel civili ad judicium seculare trahere præsumeret contra easdem Canonicas sanctiones & Constitutiones Imperiales, quod si secus faceret, actor à suo jure caderet & judicatum non teneret, & Judex foret extunc judicandi authoritate privatus. Quodque Judices temporales, qui Clericis & personis Ecclesiasticis justitiam denegare præsumerent, tertio requisiti suam jurisdictionem amitterent. Constitutionem ipsam de consilio etiam fratrum suorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, qui nunc erant, authoritate Apostolica approbans & confirmans, ipsam mandavit inviolabiliter observari: nec non statutarios & scriptores ac violatores prædictos excommunicatos eadem authoritate nunciari.

4. Et deinde ad audientiam divæ memoriæ Caroli IIII. etiam Romanorum Imperatoris semper Augusti deducto, quod nonnullæ seculares personæ in potestatibus & officiis publicis constitutæ, videlicet Duces, Marchiones, Comites, Barones, & alii Domini temporales, nec non Consules civitatum, oppidorum, villarum & locorum Rectores, in diversis provinciis ejusdem Imperii, Dei timore postposito, statuta singularia & iniquas ordinationes motu proprio de facto contra ipsas personas Ecclesiasticas & Ecclesiarum libertates, ac eorum privilegia condiderant, illisque de facto & publice utebantur contra canonicas & legitimas sanctiones, utpote quod nulla bona temporalia in potestatem Ecclesiasticam transferrentur, & ne Clerici in sacris ordinibus constituti, ad agendum & testificandum in civilibus & maxime in piis causis aliquatenus admitterentur: quodque excommunicati laici, & publice denunciati, in civili foro minime repellerentur. Et insuper prædicti Domini temporales, Consules & Rectores, qui per secularem potestatem bona Clericorum occuparent, arrestarent, & oblationes Christi fidelium minuerent atque restringerent; exactiones & tallias indebitas de bonis & redditibus Ecclesiarum exigerent & extorquerent; possessiones Ecclesiarum & personarum earundem devastarent incendiis & rapinis: contractus inter Clericos & Laicos factos legitime ad libros civitatum, villarum & locorum prædictorum inscribere & sigillare recusarent, donataque & legata ad fabricas & Ecclesiarum structuras contra Prælatorum voluntatem, & aliorum quorum intererat, temere usurpare præsumerent, ac in fraudem & odium Clericorum de bonis etiam & rebus eorundem Clericorum, quæ non causa negotiationum, sed & pro eorum propriis usibus per eorum terras ducebant seu duci faciebant, telonium exigere & recipere non verebantur: & confugientes ad ecclesias & earum cœmiteria inde extrahere contra canonicas & Imperiales sanctiones hujusmodi præsumpserant & præsumebant. Idem Carolus Imperator tamquam Christianissimus Princeps, volens in præmissis providere de remedio salutari, etiam de quorundam Ducum, Principum, Comitum, Baronum, Militum, Fideliumque aliorum sacri Imperii sæpedicti consilio: authoritate Imperiali, quæcumque statuta & consuetudines prædicta, tamquam per Canonicas & civiles sanctiones expresse reprobata cassavit, irritavit & annullavit, ac cassa & irrita nulliusque esse voluit roboris vel momenti, præcipiens sub Imperialis banni pœna, universis & singulis Principibus & Dominis temporalibus, Consulibus, Potestatibus, & aliis in officiis publicis in eodem Imperio constitutis, quatenus extunc eorum statuta & ordinationes, sicut in præjudicium Ecclesiasticæ libertatis edita fue-

rant,

tantomnino revocarent & de Ince tollerent: quodq; secundum eanon judicarent, amplins, nec sententias dictarent, aut de eisdem in judicio vel extra judicium quomodolibet per se& contra eandem Ecclesiasticam libertatem potirentur. Pronunciavit insuper & eadem decrevit authoritate, quod quicumque Laicus cujuscunque status aut conditionis existeret, ausu sacrilego & propriæ temeritatis audacia Sacerdotem aut Clericum secularem vel religiosum diffidaret, proscriberet, captivaret, spoliaret, occideret, mutilaret, aut in carcere detineret, vel hujusmodi maleficia perpetrantes scienter receptaret vel eis favorem præstaret, præter pœnas à sacris canonibus & legalib. sanctionibus in tales inflictas, eo ipso redderetur infamis, & omni honore privatus, nec ad placita vel consilia Nobilium admitteretur, quovis modo. Hortans insuper in Domino & requirens Ecclesiasticos prælatos, in illis partibus, in quibus committerentur talia constitutos, ut legem Imperialem hujusmodi per eorum Ecclesias & Synodos publicarent, ne transgressores bujusmodi per simulatam ignorantiam, suam valerent in hac parte malitiam excusare, prout in constitutionibus & sanctionibus Conciliorum, & Honorii prædictorum ac Imperialibus præfatis plenius continetur.

4. Cum autem, sicut lamentabili querela dilectorum Ecclesiæ filiorum Abbatis & Conventus Monasterii SS. Cornelii & Cipriani Ninivensis, præmonstratensis Ordinis, Cameracensis diocesis, Decani & Provisoris, singulorumque beneficiatorum cum Cura & sine Cura Decanatus Ruralis Walacriæ Trajectensis diocesis, nuper accepimus, quod nonnulli Principes, Duces, Comites, Barones, Milites, Communitates, & alii seculares Potestates, earundem constitutionum & sanctionum Canonicarum & Legalium forsitan ignari, contra ipsas à Decano & Provisore singulisque beneficiatis prædictis ab Abbate, Monachis & conventu Monasterii prædicti, eorundemque subditis, communiter vel divisim, forsan tallias & gabellas, ac alias exactiones illicitas hactenus extorserunt, & adhuc extorquere nituntur, ac etiam bona ipsorum communiter vel divisim Decani vel Provisoris, singulorumq; beneficiatorum prædictorum invaserint, arrestaverint, occupaverint, detinuerint, & suis usib. applicaverint, necnon occupare, invadere, arrestare, detinere, ac etiam eisdem suis usib. applicare similiter de facto præsumant in animarum suarum periculum, necnon Decani & Provisoris, singularumque beneficiatorum prædictorum Abbatis & Conventus Monasterii prædicti, eorundemq; subditorum hujusmodi conjunctim & divisim, non modicum præjudicium atq; damnum: Nos in præmissis Decano & Provisori, singulisque beneficiatis prædictis, Abbati, Monachis & Conventui Monasterii prædicti eorundemq; subditis, præsentibus & futuris, communiter & divisim, de opportuno remedio providere volentes, discretioni vestræ tenore præsentium in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandamus, quatenus vos vel duo vel unus vestrum per vos vel alium seu alios, Decano & Provisori, singulisq; beneficiatis prædictis, Abbati, Monachis & Conventui Monasterii prædicti, eorundemque subditis prædictis, contra quoscumq; transgressores & violatores constitutionum & sanctionum earundem, cujuscumque status, dignitatis & excellentiæ fuerint, efficacis defensionis auxilio assistentes, non permittatis eos contra Canonicas & Legales sanctiones & constitutiones hujusmodi indebite molestari. Nec non easdem constitutiones & sanctiones, ubi & quando expedire videritis, solenniter publicantes, faciatis transgressores & violatores hujusmodi, si prout justum fuerit, ac ubi & quoties expedierit, tam diu execratos & anathematizatos publice nunciari, donec ab earundem talliarum, collectarum, impositionum, & quarumlibet extorsionum, necnon bonorum Decani & Provisoris, singulorumq; beneficiatorum prædictorum Abbatis, Monachorum & Conventus Monasterii prædicti, ac eorum subditorum, invasione, arrestatione, occupatione, detentione, & applicatione omnino desistant. Necnon etiam efficaciter restituant eisdem Decano & provisori, singulisque beneficiatis prædictis, Abbati, Monachis, & Conventui, eorumq; subditis Monasterii prædicti, occasione præmissorum per eos communiter vel divisim læsis seu gravatis, tallias, gabellas & exactiones ipsas ac etiam bona ipsorum Decani & Provisoris, singulorumq; beneficiatorum prædictorum arrestata, occupata, detenta & applicata, communiter & divisim, ipsis aut quæ per se vel alios illo prætextu quomodolibet receperint, immo verius temere & illicite usurpaverint, à se libere omnino relaxent, ac in manibus vestris juraverint, quod de cætero talia non committent, & ea committentibus non præstent auxilium, consilium, vel favorem contradictores per censuram Ecclesiasticam & alia juris opportuna remedia compescendo, invocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii secularis.

5. Cæterum si forsan hujusmodi transgressorum, aut violatorum vel ea fieri mandantium ipsisq; consentientium seu dantium in illis per se, vel alias directe vel indirecte, publice vel occulte auxilium, consilium, vel favorem, præsentia, pro monitionibus & requisitionibus per vos de ipsis fiendis, tute, secure vel commode haberi nequiret: Nos vobis monitiones & requisitiones hujusmodi ac citationes quaslibet per edicta publica in locis affigenda publicis, de quibus sit verisimilis conjectura, quod ad notitiam dictorum citatorum & monitorum hujusmodi pervenire valeant, faciendi plenam & liberam concedimus tenore præsentium facultatem: volentes, quod monitiones, requisitiones, & citationes hujusmodi, perinde ipsos citatos requisitos & monitos (ut præmittitur) arctent, ac si eis factæ & insinuatæ præsentialiter & personaliter extitissent: non obstantib. tam piæ memoriæ Bonifacii Papæ VIII. quibus cavetur, ne aliquis extra suam civitatem vel diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ diocesis ad judicium evocetur: seu ne judices extra civitatem & diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere, seu aliquos ultra unam dietam à fine diocesis eorundem trahere præsumant: dummodo ultra duas dietas aliquis authoritate præsentium non trahatur, ac de personis ultra certum numerum ad judicium non

vocendis, quam aliis constitutionibus Apostolicis contrariis quibuscumque: aut si eliquibus communiter vel divisim à Sede Apostolica indultum existat. quod interdici, suspendi, vel execrari, vel extra vel ultra certa loca ad judicium evocari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam & expressam, ae de verbo ad verbum, de indulto hujusmodi mentionem.

Datum Basileæ * duodecimo Calendas Maji, Anno è Nativitate Domini MCCCCXXXIV.

* In alio exempl. 16. calend. Julii.



Sigismundi Imperatoris Augusti. Rescripta.

I. *De conservanda Concilii Basiliensis auctoritate, & quod Principes Imperii in Comitiis Francofurtensibus noluerint consentire in bellum Hussitis inferendum.*

Anno Christi 1432.

Ad Dominum Papam per Oratorex Concilii Basiliensis destinatum.

BEatissime Pater & Domine Reverendissime, Non fuit indignum, quod vestra Sanctitas recessum & scripturam fidelium de Bohemia gessit molestam, prout ex Bulla ejusdem Sanctitatis, quæ nobis hodiè præsentata existit, clere percepimus. Nam & nos tantam mentis amaritudinem exinde concepimus, ut reveta ed plenum rescribere nequeamus. Non expediebet * eum hos cunctos contrarios ad V. S. auditum ita præcipitanter deducere, quia ipsorum significatio erat horribilis, & potius bis committenda, qui ipsis rebus consilio adfuerunt, viderunt, & eas eorporaliter terigerunt.

* for. autem hos conventus, id est, Comitia Bohemica quorum Recessus ad Papam erat transmissus: vel, hos eventus, id est, clades bellicas.

2. Ad provisionem entem tanti casus, tantumq; opprobrium gentis fidelium abstergendum, palpebres nostras non contraximux: immo vigilando solerter post reversionem exercitus, mox in præsentia Reverendissimi Domini Cardinalis Legati, Electorum & Principum aliorum omnie remedia exquisivimux, quæ tanta celeritate fieri poterant, & tandem diætam in civitate nostra Franckfordensi cunctis indiximus in festo S. Gallii nunc præterito, ad providendum his rebus salubriter, & ut hæc ignominia Catholicorum auferri, & Hæreticorum superbia posset contundi. In qua tamen diæta quamvis solennes Oratores nostros Prælatos & alios haberemus, nil peractum est, quia quasi nullus comparuit.

3. Nec jam aliqua salubria sperantur in re ista remedie, quam boc sacrum Basileense Concilium, quod Deus Omnipotens hoc tempore tribulationix ab alto concessit, & in quo omnis virtus contra bane pestem Hæreticam, omnisq; salus & spes omnium consistit. Neque alibi exquirendæ sunt particulares viæ in rebus tam arduis, nisi ubi generelia & summe Christianorum ingenia Spiritu sancto duce, felicitet convenerunt. Ad quod quidem Concilium manutenendum, protegendum & conservendum antequam montes transitemus, tales promissiones fecimux, prout Nuncii dicti Concilii à nobis petete voluerunt. Et nihilominus Illustrem Principem nostrum Wilbelmum Ducem Baveriæ, & cum eo certos Episcopos, Abbatex & viros notabiles, tunc promptos fecimus illuc nostro nomine accedendo. Quos jam ibidem * sine fallo, statutos confidimus. Et speramux in clementissimo Deo nostro, quod ibidem ad provisionem hujus tam piæ & sanctæ rei dabitur provisio salobris & optata. Quamobrem vestram S. cui ex summi Apostolatus officio non minus, quam nobis, res illæ incumbunt, obsecramus in Deo, quetenus ipsum sacrum Concilium V. S. dignetur confovere & augere, sicque providere, ut illud nec dissolvatur, nec nullatenus prosrahatur: quoniam ejus turbatio, indubie esset totius Reip. Christianæ destructio, hæresumque auctio: ex adverso, ipsius fomentum & confortatio, profecto Catholicæ fidei & toti Christianismo pariet remedia adoptata. Et dum Deo dante cum V. S. erimus, prout Deo largiente in brevi speramus, multa ardua super re ipsa cum eadem conferemus, quæ non minus erunt utilia, &c. prout confidimus, Sanctitati V. accepta. Cujus personam conservere dignetur Altissimus felicitet & longæve Regimini Ecclesiæ suæ sanctæ Datum Mediolani &c. regnorum nostrorum; Romani XXII. Hungariæ XLVI. & Bohemiæ XII.

* for. si non fallor.

Ad mandatum Domini Regis

Caspar Slyck.

II. *De Coronatione Mediolanensi, & conservatione Concilii Basiliensis.*

AD CONCILIUM BASILEENSE.

Anno Christi 1432.

SIgismundus Dei gratia Romanorum Imperator Semper Augustus, ec Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex, Reverendissimo in Christo Patri, Domino Juliano Cardinali tit. S. Angeli, Præsidenti, Venerandisque Patribus, Prælatis & cæteris in sacro generali Basileensi Concilio congregatis, emicis nostris charissimis & syncere grateque dilectis.

1. Reverendissime ae Venerandi in Christo Patres, amici charissimi, synceri & grati, nobis dilecti, venienres ad nos venerandos & egregios. Jacobum de *Syrck Scholasticum Treverensem, & Thomam † Fyme Decretorum Doctorem, Officialem Parisiensem, Oratores vestros nobis gretissimos, lætanter suscepimus: qui habita diserta per ipsos coram nobix tam syncere quam eleganter oretione ex imposita ipsis Legatione, inter cætera retulerunt, delibetetum esse pro sessione futura tractandum de suffi-

* al. Slyck † al. Fynne

sufficienti stabilimento sacræ Synodi Basileensis, & de continuatione ejusdem, quæ omnia nedum honesta, immo verius divina esse censuimus, & repulsis penitus turbationibus & animi nostri procellis, consolati fuimus & refecti gaudio singulari, reddentes in primis gratias Domino Deo nostro, cum ipsa sacra Synodus ita congregata existat, ut nullum convenientius præsidium excogitari possit, quo navicula Petri sese ab extremis horrendisque fluctibus jam undique insultantibus tueri, neque labes Hæretica commodius deprimi, mores Christianorum in præstantius reformari, aut res universæ orthodoxæ fidei possint in melius commutari.

2. Moxque præfatis vestris Oratoribus recommendatorias ad Dominum nostrum Summum Pontificem dedimus, suæque Sanctitati res ipsius Concilii commissas fecimus; quos etiam Ambasiatores nostri solennes super ea intentione evestigio subsequentur, certificantes Paternitates vestras; quod quemadmodum prius omnem facultatem Regnorum nostrorum, personamq; Regiam usq; ad effusionem sanguinis & mortis passionem obtulimus, ita semper Deo cooperante, ea intentione, invicta, quoad vixerimus, reperiemur, & sic nos offerimus pro Ecclesia sancte Dei, significantes Paternitatibus vestris, quod ipso festo S. Catharinæ virginis proxime præterito hic Mediolani in domicilio S. Ambrosii, majorum nostrorum imitando vestigia, Regium diadema assumpsimus, authore Domino Jesu Christo, eum solennitate & celebritate semper digna memoria, & in rebus secundis illius gratia feliciter prosperamur, accincti septimana instante ad conventionem cum filio nostro charissimo Duce Mediolani in Placentia pro transitu nostro versus Romam, celebrandam, prout vobis quicquid ibidem conclusum fuerit, ilico descripturi sumus.

3. In singulis autem, quæ per Oratores vestros petita sunt, ita nos apud Sanctitatem Domini nostri, dum secenti fuerimus, prout in brevi speramus, & alios quoscumque & ubicumque pure & fideliter exhibebimus, quod sancta mater Ecclesia, quam devote veneramur, & semper venerabimur, in nobis sentiet integerrimum Advocatum & filium, & ipsius Concilii, quod eandem repræsentat Ecclesiam, defensorem & ultroneum protectorem. Obsecrantes Paternitates vestras in visceribus Jesu Christi, ut in hoc sancto velitis perseverare proposito, & si qui æmulorum Dei & Christianismi in pœnis debacchantium, fortassis ad protractionem seu dissolutionem ipsius Concilii conarentur intendere, illos velitis tamquam membra putrida præcidere, ne corpus inficiant: ed bocque solerter enitì, ut ipsum Concilium omnino solidetur, & accuratissime foveatur. Nam ex ejus dissolutione aut induciis, quas Deus avertat, non videmus nisi Ecclesiam Dei in totalem interitum & conditionem pessimam ruituram; quibus omnibus per hoc sacrum Concilium, quod Deus hoc tempore tribulationis ab alto concessit, & in quo omnis virtus, omnisque spes Christianorum ad extirpandas hæreses, repellendaque vitia, & omnes rugas Ecclesiæ abstergendas plene consistit, fietque provisio adoptata, ad quod etiam, Deo dante, cito & feliciter reverti speramus, desiderio magno incensi, ut, sicut in Constantiensi Concilio vidimus gregem Dominicum antea misere dispersum, in unius Pastoris obedientiam convenire, ita in præsenti Basileensi Concilio ipsius unici gregis reformationem videre possimus, oramus, ut nobis velit concedere Rex æternus. Datum Mediolani, die XI. mensis Decembris, Regnorum nostrorum anno Hungariæ XLVI. Romanorum XXII. & Bohemiæ XII.

Ad mandatum Domini Regis

Caspar Slick.

III.

De Coronatione Romana, Et quatenus Imperatori concordandum cum Papa, & manutentione Concilii. Anno Christi 1433.

Ad Concilium Basileense, in cujus congregatione lectum est die 2. Maji, Anno Domini 1433.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex, Reverendissimis in Christo Patribus, ac venerabilibus Dominis, sacrosanctæ generali Basileensi Synodo, in Spiritu sancto legitime congregatæ, universalem Ecclesiam repræsentanti, amicis nostris charissimis, ac grate & syncere nobis dilectis.

Reverendissimi in Christo Patres & Domini, ac venerabiles & egregii syncere grateque dilecti, ad requisitionem & continuatam instantiam vestrarum Paternitatum, ut ad sacrum Concilium nos quanto citius transferremus, satis conflavimus operas nostras atque studium, ut consiliis vestris nos conformare possemus, quemadmodum profecto ipsi Concilio & rebus peragendis per præsentiam nostram non modicum comodi eventurum speravimus, sicq; res nostras aptavimus, ut sive per terram sive per mare disponeremus procedere, omnib. periculis & discriminib. parvipensis. Verumtamen approbante Domino Summo Pontifice sacrum Concilium, ad persuasionem nonnullorum notabilium virorum, & etiam Oratorum nostrorum, & Imperii sacri Principum Electorum, qui nobis hujusmodi Bullas exhibebant, nobisque recessum nostrum sine Imperialibus infulis penitus dissuadebant, cum Sanctitate sua remansimus concordes in deficis, licitis & honestis. Sicque per totum istum mensem Aprilis cum Sanctitate sua in Viterbio constituemur, & usque medium Junii vel prius in Urbe Romana à Sanctitate sua coronabimur præstabimusque & innovabimus sibi illa juramenta, quæ nostri præ-

prædecessores Romanis Pontificibus præstiterunt: istudque adjecimus, quod ipsum manutenebimus, quantum cum Deo poterimus, quoniam nos usque quaque ad alia obligari non permisimus, nec permittemus. Et hæc Vestris Paternitatibus ideo describimus, ut si aliquis hanc concordiam sinistre initam forsitan interpretari vellet, illud à Paternitatibus vestris non credatur: quoniam hæc concordia bonis respectibus facta est. Depositique sumus semper ipsi Concilio juxta Bullam per nos traditam, in prosecutione illorum, pro quibus ipsa Synodus est congregata, plenarie favere & constanter adhærere. Certificantes vos, quod nisi Sanctitas sua sæpe dictum Concilium approbasset, indubiè sine ipsis coronis, quas propter facta ipsius Concilii tanto tempore prætermisimus, ad propria redissemus: quemadmodum de his omnibus Illustris Princeps & Locumtenens noster Dux Wilhelmus V. P. poterit clarius informare, cui in dicendis velitis credere tamquam nobis. Datum Senis, die xv. Aprilis Regnorum nostrorum Hungariæ &c. XLVII. Romanorum XXIII, & Bohemiæ XIII.

Ad mandatum Domini Regis,

Caspar Slyck.

Anno 1433. IV.

SUPER FACTO EODEM.

Reverendissimi in Christo Patres, ac Venerabiles, grate & syncere nobis dilecti, translapsis diebus, geminatis nostris litteris, vestris Paternitatibus notificavimus concordiam inter sanctissimum Dominum nostrum Papam ac Majestatem nostram secutam, quemadmodum non ambigimus, jam lympide cognoscere potuistis. Et ecce propter rerum gerendarum progressum modo ad hanc civitatem Viterbiensem intravimus, continuaturi iter nostrum versus Urbem Romanam, ad visitandum Sanctitatem ipsius Domini nostri, quam septimana proxima sine dilatione annuente Domino convenire speramus. Et quoniam præter Bullam admissionum sacri Basileensis Concilii, qua & certi reddimur, dudum habuistis, reperimus per Legatos & Oratores suæ Sanctitatis, eandem bene dispositam ad favorem sacri Concilii, & eorum maxime, pro quibus ipsum sacrum Concilium congregatum existit. Et nos quoque una cum Sanctitate sua, illa & alia bona opera favorizare intendimus. Quæ Sanctitas sua jam suos Præsidentes & Legatos misisset dudum appromptuatos, nisi legitima impedimenta, prout percepimus obstitissent. Intendit autem sua Sanctitas, prout nobis dici fecit, illos quantocyus expedire: nihilominus ne sacrum Concilium ex hujusmodi dilatione patiatur discrimen, eadem Sanctitas sua pronunciavit nonnullos alios Præsidentes, prout ex Bullis suis Apostolicis clarius colligere poteritis. Adhortamur igitur V. P. majori affectione, qua possumus, quatenus eosdem benigne velitis suscipere, nilque interim admittere, quod possit cedere in perturbationem Sanctitatis suæ & pacis universalis Ecclesiæ. Quoniam nobis convenientibus brevissimis (ut prædiximus) his diebus una cum Sanctitate sua solennes nostros Oratores super singulis ad V. P. mittemus, sperantes in Domino, quod omnia pro bono Reipubl. Christianæ bene manebunt composita, & ad id omni studio intendemus, qui scandala in Ecclesia Dei (ipse novit) moleste ferremus. Datum Viterbii die nona mensis Maji, Regnorum nostrorum anno Hungariæ &c. quadragesimo septimo, Romanorum vigesimo tertio, Bohemiæ vero decimo tertio &c.

Sigismundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, ac Hungariæ Bohemorumque &c. Rex.

Ad mandatum Domini Regis

Caspar Slick.

V.

Anno 1414. De Sessione Electorum Imperii & Ducis Burgundiæ, & controversia de Electoratu Saxoniæ inter Marchionem Misniæ & Ducem Lawenburgensem.

Reverendissimis, Reverendis ac Venerabilibus in Christo Patribus & Dominis sacrosanctæ generalis Synodi Basileensis &c. Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariæ Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex.

1. Reverendissimi Reverendique Patres, Amici charissimi, ac Venerabiles & egregii, devoti synceere grateq; dilecti, audito pridem, quod P. V. super controversia sessionis inter Illustres Archiprincipes sacri Romani Imperii Electores & Ducem Burgundiæ quandam provisionem fecerint, quæ per Ambasiatores utriusque partis Ambasiatorio nomine gratificata sit, de vestrarum Paternitatum solertia, & ipsorum Ambasiatorum industria confisi, spemque firmam assumentes, quod hujusmodi provisio nostro & ipsius Sacri Romani Imperii ac ipsorum Archiprincipum honori expediat, sumus admodum gavisi.

2. Sed intellecto ad præsens, quod quidam Procuratores Illustris Erici Ducis Lawenburgensis, qui se nominat Saxoniæ Ducem, ac ipsius sacri Imperii Electorem & Archimarescallum, hujusmodi provisionis occasione se de loco Illustri Frederico Duci Saxoniæ, sacri Rom. Imperii Archimarescallo, Landgravio Thuringiæ, ac Marchioni Misnensi, & Ambasiatoribus ejus debito intromiserint, seque intruserint in eodem, satis nobis illud visum est alienum. Et quia genitorem præfati Frederici, ac deinde ipsum Fredericum de ipso Ducatu Saxoniæ ac jure eligendi Romanum Principem, ac etiam ipsi Archimarescallatus officio investivimus, cujus investituræ vigore

gore, primum genitor, ac deinde Fredericus natus ejus, possessionem Principatus Saxoniæ nacti sunt, & deinde per illustres sacri Romanorum Imperii Electores ad jus & exercitium dignitatis & officii Principis Electoris & Archimarescalli similiter recepti sunt & admissis non immerito mansionis admirati de supradicti Ducis Erici, qui nimmo suorum Ambasiatorum præsumptione, qua possessionem juris & dignitatis apud alium constitutorum ante eventum judicialis arbitrii violenter invadere præsumpserunt. Licet itaque credamus vestras Paternitates nostros & Imperii nostri Principes in vestra dispositissima domo, quantum ad sessionem, incessum, vel aliam exhibitionis reverentiam, non aliter honorare, quam à nobis & imperii nostri Principibus honorantur, sicut & nos Ecclesiasticos Prælatos secundum gradus Ecclesiasticarum dignitatum in nostra Curia reveramur: ne tamen in posterum oriatur discordiarum materia præmissa, quamvis undiq; notoria, vestris Paternitatibus duximus intimanda, quatenus prælibato Frederico & ejus Oratoribus honorem Archiprincipi & Electori juxta vestræ provisionis normam impendendum exhibere velitis, prout nos, Imperii nostri Principes & universi Proceres sibi impendunt. In quo nobis V. P. facient complacentiam multum gratam. Datum Ulmæ Constantiensis diocesis, die 19. Julii, Regnorum nostrorum anno Hungariæ XLVIII. &c.

VI.

DE GRATIIS DEO AGENDIS PRO VICTORIA Bohemorum adversus Taboritas.

An. 1434.

REverendissimis ac venerabilibus in Christo Patribus ac Dominis sacrosanctæ generalis Synodi Basileensis, in Spiritu Sancto legitime congregatis, Ecclesiam universalem repræsentantibus, Amicis nostris charissimis ac grate & syncere nobis dilectis, Sigismundus Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus &c. Hungariæ, Bohemiæ, &c. Rex.

Reverendissimi in Christo Patres, & Domini, Amici charissimi, & reverendi grate synecereque dilecti: Hodie hora vesperarum confluxerunt ad nos nuncii, qui in tribus diebus & citius de Bohemia volantissima applicuerunt, afferentes nobis jocundissime & felicissima nova de victoria nostrorum, & conflictu Taboritarum & illorum, qui alias in obsidione civitatis Pilznensis erant, qui per Dei gratiam, à quo omnis procedit victoria, in planitie inter civitatem Gursim & monasterium Scalicz forti bello cum modico damno nostrorum victoriose prostrati sunt, quarum litterarum aliquas originales vestris Reverendissimis Paternitatibus mittimus præsentibus interclusas. Hæc Reverendissimi Patres, voluimus vestris Paternitatibus pro singularissimo gaudio cunctis Christi fidelibus optantissime nuntiare, rogantes cordintime, quatenus altissimo Domino JEsu Christo infinitas agentes gratias cum processionibus & aliis solennitatibus, ad bonum & felicem progressum tam felicis principii, immo verius medii, omni opera atque cura vigilare velitis, quoniam & nos similiter de agendis nil prætermittemus. Et quæcumque in futurum habuerimus, vestris Paternitatibus die noctuque intimare curabimus. Datum Ulmæ, die 4. Junii.

VII.

DE CONCILIATIONE BOHEMORUM IN MATERIA Articulorum Fidei in Comitiis Imperialibus Ratispona concludenda.

An. 1434.

REverendissimi Reverendique in Christo Patres & Domini, ac Venerabiles & egregii syncere grateque dilecti. Confirmat continuo Deus noster magnam misericordiam suam super nos in felici prosecutione rerum Bohemiæ, quæ, Christo disponente, qui cuncta gubernat, indies considerabilius diriguntur. Scribunt enim nobis illi Oratores nostri, quos in proxima dieta Pragensi habuimus, quomodo omnes Bohemi in unam sententiam unamque voluntatem tracti sunt in materia articulorum fidei. Et quod super reliquis ad vos versus Ratisponam missuri sunt in festo Assumptionis Virginis gloriosæ. Quarum litterarum copias de Bohemien in Latinum translatas V. P. mittimus præsentibus interclusas. Verum reverendissimi Patres, quia ipsi Bohemi multum affectare videntur in hujusmodi dieta Ratisponensi præsentiam Venerabilis * Constantiensis Episcopi, etiam Auditoris & Magistri Martini & aliorum, qui tractatibus ipsorum prius affuerunt, nos opinioni eorum & desideriis concurrentes, illud nedum utile, verum etiam pro bona conclusione & salubri consummatione omnium necessariorum arbitrantes, vos attentissime adhortamur, quatenus P. V. velint dare ordinem, ut præfati Patres & Magistri in hujusmodi dieta omnino intersint. Et si ad eam aliqui alii superaddendi fuerint, & illud extollimus atque laudamus, ut & desideriis ipsorum Bohemorum satisfiat, & ipsi patres nobis & nos ipsis in mutuis peragendis possimus assistere atque consulere. Hæc itaque, Reverendissimi Patres, vobis pro consolatione statuimus scribere, ut nil vos lateat de his, quæ ad notitiam nostram in tam arduis rebus devenerunt. Et quicquid in processu temporis habuerimus, V. P. significabimus, exorantes Altissimum, ut succedant talia, quæ V. P. cum immensa jocunditate significare possimus. Datum Ulmæ Constantiensis diocesis, die 13. Julii, Regnorum &c.

* provinciæ Rothomagensis in Gallia.

VIII.

An. 1414.

DE INCOMPETENTIA FORI, ET REMITTENDA ET NON recipienda appellatione ad Concilium facta à principe Imperii,

Ad Concilium Basileense.

REverendissimis, Reverendis ac venerabilibus in Christo Patribus & Dominis sacrosanctæ generalis Basileensis Synodi, in Spiritu Sancto legitime congregatæ, universalem Ecclesiam repræsentantis, amicis nostris Charissimis, ac grate & syncere nobis dilectis.

Reverendi Patres, insinuatione literarum vestrarum ec relatione Illustris Frederici Ducis Saxoniæ, sacri nostri Imperii Archimarescalli, Lantgravii Thuringiæ ac Marchionis Misnensis, aliorumque plurimorum fidelium nostrorum nuper accepimus, quod Illustris Ericus Dux Lawenburgensis, qui se nominet Saxoniæ Ducem & ipsius Imperii Archimerescallum, eundem Fridericum coram Synodo vestra, seu judicibus ab ea deputatis, super Ducatu, officio & jure supradictis trahere nititur in causam, non erubescens de nostra Majestate publicas proponere querelas, quod sibi licet crebre postulenti justitiam in foro nostro denegaverimus seu ministrare neglexerimus. Unde perpendendum in primis authoritati nostræ detogari, pro eo quod causas ad examen nostræ Imp. Majestatis & Procerum nostrorum immediate spectantes, ad alienum forum * perducere conatur: nostram insuper honorificentiam detractari ex eo, quod dicimur justitiæ neglectores. Quorum utique debitis & aptis ad hoc remediis occurrendo, nuper in † Aula nostra Cæsarea soper his habita diligenti Episcoporum, Abbatum, Archiprincipum, Principum, Comitum, Baronum, & aliorum Procerum & Ducum sacri nostri palatii examinatione, tandem in ipsorum & omnium oratorum Ambasiatorum, & quorumlibet aliorum, qui tunc in nostri conspectus constituti fuerunt præsentia, palam & solenniter protestati sumus, quod cum Archiprincipatus, Archimarescallatus, & jus eligendi Romanum Principem, à nobis & sacro Romano Imperio immediate descendant, ac in feudum dependeant, * cumque juxta formam juris, ec stylum & observantiam sacri nostri Imperii, feudales quæstiones coram Dominis feudorum, etiamsi minores Valuassores essent, ac paribus curiarum suarum, respectu feudi, de quo agitur, decernendæ sint; quod etiam in nostra Cæsarea Majestate, & sacro Imperio nostro, & paribus Curiæ nostræ, respectu feudi talis modi, merito debeat illæsum conservari, consequens esse causam prælibatam ad forum nostrum pertinere: Certificantes præterea omnes & singulos, quorum interesse posset, quod nos præfato Erico justitiam nullo umquam tempore denegavimus legitime postulanti, nec in futurum Deo propitio denegabimus umquam rite petenti. Quinimmo quandocumque ipse vel alius justitiam poposcerit, parati sumus pares Curiæ evocare, & causam juxta stylum Imperii nostri diffinire. Quare vestras Paternitates requirimus & hortamur, ac etiam attente rogamus, quatenus causam ipsam ad forum nostrum remittatis, more solito & consuetudine Imperii nostri & parium Curiæ nostræ terminandam. Sic enim justitiæ debitum videtur requirere, & officia nostra in sacrum Concilium merito postulare. Datum in Ulma, feria IV, post Jacobi, Ao. &c. MCCCCXXXIV.

*producetc. i. e in Comitio Imperiali.

* al. cum autem juxta.

Ad mandatum Domini Imperatoris
Caspar Slygk Miles &c. Cancellarius.

Sigismundi, Imperatoris Augusti,

An. Christi 1434.

EDICTUM

De incompetentia Concilii in judicandis Causis Principum Imperii ad Sacram cameram pertinentibus,

Publicatum Ulmæ in Comitiis Imperialibus Anno MCCCCXXXIV.

SIGISMUNDUS Dei gratia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungeriæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex, Vobis Reverendis, Venerabilibus, Illustribus, Magnificis, Spectabilibus, Generosis, Nobilibus, Strenuis, Providis & Circumspectis, Archiepiscopis Episcopis, Abbatibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, Militibus, Oratoribus, Ambasiatoribus & Nonciis, qui in nostræ Majestatis conspectu in maxime copia constituti estis.

1. Notum facimus, ec per præsentem nostram insinuationem ac ulteriorem relationem, quam vobis omnibus & singulis sub debito fidelitetis injungimus, cunctis nostro subjectis Imperio publicari jubemus, quod ad nostræ Majestatis notitiam peruenit, qualiter Illustris Ericus Dux Lauvvenburgensis, Illustrem Fredericum Saxoniæ Ducem, sacri nostri Imperii Archimarescallum, Lantgravium

gravium Turingiæ ac Marchionem Misnensem, coram sacro Basileensi Concilio super Ducatu Saxoniæ & Archimarescallatu prædictis, & jure eligendi Romanorum Principem, trahere nititur in causam, prætendens Principatum, officium & jus soprа dicta sibi tam hæreditario jure quam etiam infeudationis per nos sibi factæ jure deberi. Et insuper quod nos super impetitionibus sibi promissorum occasione contra præfatum Fredericum competentibus justitiam ministrare denegaverimus, querelas in publicum proferre minime veretur. Per quorum alterum nostræ Majestatis authoritati derogatur, per alterum autem honorificentiæ nostræ detrahitur.

2. Nostram itaque decet solertiam in primis, quædam Imperii nostri jura servare, quinimmo juxta possibilitatem nostræ facultatis adaugere, prout ex debito sacramenti sumus adstricti. Quod recte conspicimur, si causas ad examen Imperialis culminis pertinentes, sub nostra jurisdictione conservemus. Cum itaque Principatos officium ac jus supradicta à nobis & Imperio nostro in feudum immediate descendant, ac secundum juris communis dispositionem, nec non usum, morem, stylum & consuetudinem sacri Romani Imperii, feudalis contentio per dominum feudi ac parea Curiæ terminanda sit, liqnet, hanc quæstionem, si qua prætendi poterit, ad nostrum & Illustrium Archiprincipum nostrorum sacri Rom. Imperii Electorum pertinere notionem.

3. Expedit insuper de neglectu justitiæ nostram solicitudinem excusare. Et quidem meminimus, quod post per investituram per nos dudum in Fredericum tunc Marchionem Misnensem, genitorem ipsius Frederici, de quo nunc agitur, de Ducatu, officio & jure prædicta gratiose collatam, Illustres Archiprincipes Electores, ante ipsius Frederici assumptionem, ac in collegium & consortium suum aggregationem, causam hujusmodi perpensis maturisque consiliis biennio fere digesserunt: tandem ipsum in collegium & senatum suum acceperunt, etiam Erico prælibato renitente, ac successionem & investituram similiter prætendente. Quamquam autem ipse Dux Ericus apud nos plurimum institerit pro justitia sibi contra eundam Fredericum ministranda, foret quoque satis durum, causam & contentionem tam perpeoso digestam consilio, rursus in dubium revocare: quia tamen quæstio ipsa non erat in figura judicii trutinata, nos eidem Erico semper ultroneos præbuimus justitiæ complementum ministrare legitime. Quod aliter expediri nequit, nisi parium nostræ Curiæ arbitrio, respectu feudi memorati. Quos utique pares, legitime requisiti, prompti sumus more Imperialis Majestatis intra fines Alemaniæ vocare, ubi de causis & quæstionibus Principum Alemaniæ ex stylo Imperii nostri nos convenit judicare. Ex quibus aperte colligitur, nos eidem Erico justitiæ complementum in præteritum minime denegasse. Itaque & in præsentiarum nos in hujusmodi causa præbemus justitiæ ministrum, quinimmo, Deo propitio, præbebimus semper in futurum, quamdiu nos suo terreno Imperio præesse voluerit.

4. Quæ omnia & singula mentibus vestris firmiter inculcari volumus, & in thesauro memoriæ vestræ reponi tenacius, & nihilominus per organa vestra in omni orbe diffundi, quo liquidius cunctis innotescere queat, causam hujuscemodi ad nostram & parium nostræ Curiæ, respectu ipsius feudi, examen pertinere, nosque justitiam in ea nunquam denegasse. Nec modo, postquam divina præordinata clementia solium Cæsareæ Majestatis conscendimus, futuris umquam temporibus denegabimus. De quo publice & solenniter protestamur. Quam insuper protestationem sacræ Basileensi Synodo intimare curabimus, ac ipsam requirere, quatenus causam ipsam à se penitus abdicet, & ad forum nostrum remittat, more, stylo & consuetudine Imperii nostri & parium Curiæ nostræ terminandam. In hoc actu protestationis nostræ præsentes fuerunt.

Venerabiles:
Gunthérus Archiepiscopus Magdeburgensis,
Alexander Tridentinus &
Petrus Augustensis — Episcopi.
Abbas Campidonensis.

Illustres:
Fredericus Matebio Brandenburgensis, Archicamerarius sacri Imperii.
Guilhelmus Comes Palatinus Rheni & Dux Bavariæ.
Albertus Marchio Brandenburgensis & Burggravius Nurenburgensis.
Ludovicus Comes de Wittenberg.

Venerabilia Eberbardus Magister Ordinis beatæ Mariæ Teutonicorum per Alemaniam & Italiam,
Henricus Russe de Melbingen Præceptor.
Marquardus de Kunigsek, & alii Commendatores Ordinis præfati.

Comites:
Henricus de Furstenberg,
Wilhelmus senior, Henricus & Wilhelmus junior de Monteforti,
Joannes de Nevvenburg,
Eberardus de Kyrcberg.

Et maxima copia Nobilium, Militum & Clientum, & Ambasiatorum Principum & Civitatum sacri Imperii. In quorum omnium & singulorum fidem, robur & evidens testimonium has nostras patentes litteras fieri, & nostræ Majestatis sigillo jussimus communiri. Datum Ulmæ Constantiensis diocesis, An. Domini MCCCXXXIV. die XXVIII. mensis Julii, Regnorum Hungariæ &c. XLVIII. Romanorum XXIV. Bohemiæ XV. Imperii vero II.

Ad mandatum Domini Imperatoris.

Caspar Slygk Miles &c.

Cancellarius.

Sigismundi Hungari Imperatoris Augusti, DECRETA

An Christi 1435.

Posonii edita Anno Domini MCCCCXXXV. in Comitiis Regni.

SIGISMUNDUS Divina favente clementia, Romanorum Imperator, semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex: Archiprinceps Brandeburgensis; Slesiæ & Lucemburgensis Dux: Marchioque Moraviæ & Lusatiæ &c. Universis Christi fidelibus, præsentibus pariter & futuris, præsentium noticiam habituris, salutem in omnium Salvatore.

Inter omnia, quæ pro subjectorum salute conservanda nostræ meditationis perpendit acumen, ad ea præsertim cordis nostri curas innata nobis inclinatione natura solemus divertere, quibus humanæ temeritatis audacia effrenata nonnunquam victa potentia reprimatur, & juris integritas abutentium prævaricatione depravata, nunc apertiore priorum consuetudinum declaratione, nunc novarum utili constitutioni legum participantes providentia reformetur. Proinde ad universorum, tam præsentium quàm futurorum, noticiam volumus pervenire, quod cum nos pro Imperialis fastigii honore finaliter adipiscendo, post electionem nostram in Regem Romanorum factam, & primæ coronæ Regiæ Aquisgrani susceptionem, novissime Sacri Imperii Principibus Electoribus nobis consulentibus in partes Lombardiæ descendendum, in civitate Mediolani sanctam coronam Regiam Romani Imperii recepissemus, & demum in urbem Ravennam profecti fuissemus, infulasque nostras Imperiales de manibus sanctissimi Domini nostri, Domini Eugenii Papæ Quarti, cum debita solennitate suscepissemus, & deinde nonnullis partibus Italiæ & Germaniæ perlustratis, rebusq; tam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, quam nostris Imperialibus nobis interim occurrentibus, votive dispositis exunerati, tum in peculiare Regnum nostrum Hungaricum medio tempore præsentia nostra Regali viduatum, injuriis & damnificationibus potentialibus in suo statu, & sine quietis & pacis amœnitate disturbatum regressi, in hac civitate nostra Posoniensi primam residentiam personalem fecissemus, ac una cum fidelibus nostris, Prælatis videlicet & Baronibus ejusdem Regni nostri, ad nostram Majestatem confluentibus, certam conventionem Nobilium de singulis ipsius Regni Comitatibus convocari fecissemus: tandem ipsorum congregatione adunata de eorundem Prælatorum & Baronum nostrorum, necnon Nobilium Regni nostri, totum corpus ejusdem Regni, cum plena facultate absentium, repræsentantium, unanimi voto, consilio, deliberatione & consensu pro debita, ordinata & forum justitiæ administratione incolis ejusdem Regni æqualiter omnibus de cætero exhibenda, necnon quieto & tranquillo statu eorundem regnicolarum infrascriptas constitutiones, statuta, & leges in perpetuum duraturas, & inviolabiliter observandas disposuimus, decrevimus ordinandas, declarandas & firmandas.

Artic. I.

De Judicibus Ordinariis Regni, & de eorum juramento.

PRimo quidem, ut omnis scrupulosa suspicio, quæ contra judices & justiciarios ipsius Regni nostri, de favore, odio, aut quoquo modo concipi posset, de cordibus quorumlibet penitus removeatur & tollatur, statuimus, ut semper successivis temporibus omnes & singuli judices & justiciarii, dicti Regni nostri, tam Ecclesiastici quam seculares, qui videlicet in Palatinum, vel judicem Curiæ, Magistrum Tavernicorum Regalium, Cancellarium aut Vicecancellarium Regalem, in Protonotarium seu Vicegerentem judicum prætactorum, ac etiam Assessoris in judicio, in Waywodam partium Transylvaniensium, Comitem Siculorum, Banum regnorum Dalmatiæ & Croatiæ, Banum Sclavoniæ, Banum Mochoniensem, ac in Comites quorumlibet Comitatuum, & Judices Nobilium eligentur & assumentur, eorundemque in judicatu Vicegerentes, Substituti & Assessores, tempore receptionis eorundem; ad hujusmodi honores & officia administrationis judicii, & justiciæ in manibus nostris Regiis, vel deputatorum à nobis, juramentum præstare teneantur, per formam verborum infrascriptorum.

FORMA JURAMENTI.

2. *Ego N. juro per Deum, & gloriosam Dei genitricem Virginem Mariam, per omnes Sanctos & electos Dei, quod omnibus & singulis coram me causantibus, absq; omni personarum, divitis scilicet & pauperis, alta vel humilis, acceptione, omnibus prece, pretio, favore & amore, & odio postpositis & remotis, prout scilicet secundum Deum & justitiam faciendum cognovero, justum & verum justiciam & judicium faciam meo pro posse sic me Deus adjuvet, & B. V. Maria, & hoc signum vivifica Crucis Domini nostri Jesu Christi.*

Artic. II.

Artic. II.

De Electione judicum Nobilium.

JUdices autem Nobilium in quolibet Comitatu eligantur, ut præficiantur ex Nobilibus potentioribus, & bene possessionatis illius Comitatus communiter omnibus Nobilibus ejusdem Comitatus concorditer visi, & merito acceptandi.

Artic. III.

De Pœna recusantium assumere hoc officium, & quod infra quinquennium non possit Judex Nobilium iterum ad hoc officium assumendum coarctari.

ET ipsi electi teneantur non refutare, sed suscipere officium Judicatus, sub pœna viginti quinq; marcarum, per ipsam communitatem, si secus fecerint, irremissibiliter exigendarum, exceptis tamen Officiolatus & honores Regios, Reginales, Prælatorum, Baronum, vel aliorum tenentibus, vel stipendia ratione exercituationis habentibus, vel aliis rationabilibus ex causis in ipso Comitatu continuam residentiam non facientibus, & hujusmodi officium ad minus per annum exercendum, habentibus sigillum cognoscibile, ad dandum cum sigillis aliorum Judicum, Nobilium, vel Comitis, vel Vicecomitis, literas fide dignas. Si vero elapso anno voluerint, habeant recusandi voluntatem. Quod si resignaverint, aut per communitatem Nobilium comprovincialium remoti seu mutati fuerint, ante annum quintum futurum ad officium assumendum inviti non coarctentur.

Artic. IV.

De divisione byrsagiorum inter Comites & Judices Nobilium.

DE byrsagiis autem Comitum Parochialium ad portionem judiciariam cedentibus, Comites Parochiales & Judices, æquam inter se divisionem facere teneantur in duas partes.

Artic. V.

De proclamata congregatione generali.

VErum quia frequenti querela regnicolarum nostrorum, imo quadam palpabili experientia teste, nostra percepit Celsitudo, per nonnullas possessionum occupationes, & potentiarum actuum illationes, eosdem regnicolas, inferiores videlicet, à potentioribus multipliciter opprimi & gravari, ideo volentes insolentiis & novis a attemptationibus pro remedio opportuno viam præcludere, statuimus & ordinamus, quod quandocumque & ubicumque fuerint factæ possessionum aut terrarum occupationes, potentiarum vadationes, seu rerum & bonorum occupationes, ablationes, succisiones sylvarum, interemptiones, vulnerationes, & verberationes hominum, domorum & possessionum invasiones & deprædationes, & alii similes novi actus potentiarum majores: extunc læsi, damnum & injuriam passi, impetratis literis Regalibus nostris querimonialibus & præceptoriis, Comites Parochiales & Judices Nobilium Comitatus illius, in quo facta hujusmodi patrata extiterint, accedant & requirant. Qui quidem Comites & Judices cum testimonio Capituli & Conventus illi Comitatui deservire soliti, à vicinis & commetaneis, & Nobilibus comprovincialibus, sub certis pœnis in hujusmodi literis nostris Regalibus declaratis, in sedem eorum judiciariam, per modum proclamatæ congregationis, partibus quoq; litem habentibus convocatis, ad fidem eorum Deo debitam, fidelitatemque nobis & sacræ Coronæ nostræ observandam, tactis Sanctorum reliquiis præstitam, super hujusmodi novis occupationibus possessionariis, & aliis actibus potentionariis, plenam & indilatam requirant veritatem. Qua requisita & inventa, possessiones occupatas, authoritate, in hac parte attributa mediante, restituant eisdem, à quibus fuerant indebite occupatæ, ipsosque in dominio earundem protegant & conservent: alia vero bona, & vada potentionaliter ablata, absque defectu reddantur, & restitui faciant.

a al. anteceptationibus per media opportuna.

Artic. VI.

Quod habita sufficienti inquisitione, & satisfactione impensa, factum potentiarium ad Curiam Regiam decidendum transmittatur.

SUper facto autem potentiæ in talibus commissæ, partes utrasque discussionem & sententiam finalem recepturi, ad certum terminum mediantibus eorum, & dicti Capituli vel Conventus literis, seriem totius facti exprimentibus, ac propria, & possessionum factum hujusmodi attestantium nomina continentibus, in personalem præsentiam nostram Regiam, aut Palatinalem, seu Judicis Curiæ nostræ transmittant: ubi absque ulterioris termini & litigionarii processus observatione & continuatione, etiam partis non venientis absentia non obstante, nos, vel judex alius, ad quem causa transmissa fuerit, juramentum capiti decernent: tandem finalem sententiam proferemus, & proferre tenebitur. Partes tamen litigantes, quandocumque voluerint, absque requisitione Judicis, & onere solutionis byrsagiorum, liberam concordandi habeant facultatem, quemadmodum antiqua & laudabilis Regni nostri consuetudo, hujusmodi concordiam in quibuscumque factis potentialibus & aliis libere faciendam dictat & consentit.

Concordatio libera ita in Colomani Regis Decreto.

Artic. VII.

De Baronibus, Judicibus, & aliis Officialibus, ac Comitibus Parochialibus alios indebite opprimentibus, quod earum proclamata congregatio generalis contra eos celebretur.

NE eutem Barones, Judices, & alii honores Regios & officiolatus à Regia Majestate tenentes, seu Comites Parochiales, honori & judicatui ipsorum subjectos, quibus etiam ipsi ab aliis justitiam ministrant, per seipsos quamvis cupiditate vel proprie voluntate allecti, aliqua occasione indebite gravent, opprimant seu damnificent, eut per eorum Vicegetentes talia fieri permittant: statuimus, ut à talibus læsi, damnificeti & injuriati, impetratis literis nostris, ipsorum querelam continentibus præceptoriisque, modo prætacto coram Judicibus Nobilium, ac testimonio Capituli vel Conventus ejusdem Comitatus, per modum similis proclamatæ congregationis, veritatem inquiri facere, & sua damna vel gravamina comprobere valeant, & per ipsos Judices una cum Nobilibus provincialibus Comitatus ejusdem judicium & justitia ex parte hujusmodi Officialium impendatur, aut nostræ Majestati seu Judicibus & Justitieriis Curiæ nostræ prænotatis, modo præscripto per literas ipsorum Judicum Nobilium, seu Capituli & Conventus, seriem totius facti continentes, causa discutiendi ad certum terminum transportetur, ubi hujusmodi causa modo præmisso sine dilatione terminetur. *Si vero* iidem Barones, seu Officiales Regales, aut Comites debitum moderamen sui officii in tantum excesserint, ut ex parte totius Communitatis, officiolatui suo subjectæ, generalis vociferatio querulosa contra nos emerserit, extunc nos ed fidelem & *literatoriam allertionem Judicum Nobilium, & Capituli eut Conventus provincialis personeliter, vel per idoneum hominem ed hoc specialiter deputandos, volumus & tenebimur ex parte talium condignam justitiam ministrare.

* i. e. literis comprehensam.

Artic. VIII.

De Officialibus Dominorum, qui cumpotentiis Dominorum suorum alios damnificant, quod Domini eorum de suis bonis satisfaciant, & tandem de bonis suorum familiarium, etiam per detentiones personarum pro se satis recipiant.

STetuimus iteque ad reprimendum potentionariorum actuum effrenetum ebusum, præsente ordinatione sancientes, quod si qui Castellanorum, aut cæterorum Officialium nostrorum, aut Reginalium, necnon Prælatorum, Beronum, & Nobilium, ac regnicolarum nostrorum de castris & officiolatibus, & cum potentiis Dominorum suorum, à quibus ejusmodi castre, possessiones & officiolatus pro honore obtinent, eliquos actus potentiarios, demnificationes, injurias, & quæcumque mala perpetraverint & commiserint, talium Domini, qui eisdem hujusmodi castre, officiolarus & honores contulerint, super omnibus damnis & nocumentis per se & de suis bonis, plenam satisfactionem exhibere sint obligati, & teneantur effective seipsos in hujusmodi actibus potentiariis per suos Castellanos seu Officiales perpetratis inscios & innocentes & immunes fore, debito juramento purgatidi: suum autem damnum in hujusmodi satisfactione prætacte perceptum, si voluerint, à suis familiaribus Castellanis seu Officialibus, qui ipsi satisfectioni causam dederunt, per ablationem rerum, & bonorum ipsorum, ac possessionum occupationes, seu rebus & bonis, ac possessionibus minus sufficientibus per personerum eorum detentionem, & in captivitatum redactionem, & conservationem, usque ad recuperetionem damnorum suorum prædictorum fiendam, non obstante liberæ nobilitatis conditione, vel alterius cujuslibet dignitatis privilegio, liberam habeant facultetem, quantitatem tamen sui damni in solutione hujusmodi percepti non excedendo.

2. Ut autem Officiales & Comites nostri prætacti, Nobiles & incolas Regni nostri sub suo onere & judicatu constitutos, indebitis byrzagiis, exactionibus gravandi occasionem non babeant, antiquem in hac parte consuetudinem Regni imitendo declaramus: Quod nullus Judicum secularium judicia seu byrzagia extorquere possit, nisi tempore congregationis Pelatinalis, vel elterius per Regiem Majestatem ad congregationes generales celebrandas deputati, in singulis Comitatibus celebrandis, secundum consuetudinem ab antiquo observatem, exceptis casibus infrascriptis, quibus etiam extra tempus dictarum congregationum generalium byrsagia exigi debite possint.

De Casibus inquibus Byrsagia Extorqueri possunt, non expectata congregatione generali.

Artic. IX.

Primus casus propter violatam retentionem, & damnificationem Jobagionum post petitam licentiam.

PRimo videlicet propter violatem retentionem, aut damnificationem Jobagionum, petita licentia, justo terragio deposito, eliisque debitis suis persolutis, ad elterius possessionem se transferre volentium, quo casu Comes Parochialis cum suis judicibus Nobilium, ebsque quibus nullum in telibus processum facere debet, ab his, qui in hoc casu culpabiles legitimè inventi fuerint, Judicium seu Byrsagium trium marcarum totiens, quotiens & quendocumque culpabiles inventi fuerint, sine expectatione extorquere potest, Jobagionem detentum seu damnificatum cum omnibus bonis suis damnisque iem recuperetis, liberè ebire permitti faciendum.

Artic. X.

Artic. x.

Secundus casus propter indebitam abductionem Iobagionum, ante dies quindecim petita licentia.

ITem si quis Iobagionem alterius, non petita nec obtenta licentia, vel petita, sed non obtenta, ante dies quindecim huiusmodi petitæ licentiæ potentialiter abduxerit, talis pro abductione violenta Iobagionis huiusmodi byrsagia trium marcarum solvat, & eundem Iabogionem eum aliis tribus marcis byrsagialibus per Comitem Parochialem cum Iudice nobis restituere compellatur.

2. Si vero Iobagio aliquis non obtenta licentia, sed furtivè, ad possessionem alterius recesserit, & idem, ad cuius possessionem accesserit, requisitus reddere recusavit, extunc ad restitutionem Iobagionis furtivi Comes Parochialis talem cum byrsagio trium marcarum compellere debeat ac teneatur.

Artic. xi.

Tertius casus propter violationem sedis iudiciaria.

ITem vielator sedis iudiciariæ byrsagium vigintiquinque marcarum solvat.

Artic. xii.

Quartus propter dimissionem malefactorum de Captivitate.

ITem quicumq; furem, vel latronem aut aliquem publicum malefactorem captivaverit, & eundem de captivitate sua voluntariè permiserit abire, solvere debet Comiti Parochiali homagium malefactoris prænotati.

Artic. xiii.

Quintus casus propter non solutionem lucri Cameræ.

ITem à quocumq; lucrum Cameræ debito tempore solutum non fuerit, Comes Parochialis cum Iudice Nobilium, de qualibet villa non persolvente post emanationem literarum byrsagialium per Iudices Nobilium contra tales dari solitarum, exigere debeat ipsum lucrum Cameræ cum byrsagio trium marcarum.

Artic. xiv.

Sextus casus propter non solutionem decimarum debito tempore.

COnsimiliter qui certa scientia meminimus nostrorum prædecessorum literis, per nostram Maiestatem frequentius liberatoriè, & laudabili consuetudine Regni nostri, percipi solitum esse, & usitatum fore, decimas Ecclesiarum de singulis villis decimas persolvere: post interdictum Ecclesiasticum certo consueto tempore observari comissum, recusantibus per Comites Parochiales, aut Vices suas gerentes exigere debere, cum singulis tribus Maiestatis. Ideo præsentibus ordinationibus & statuti vigore eandem consuetudinem ratam habendam, innovandam & imitandam committentes, quod post interdictum Ecclesiasticum, in singulis diocesibus & locis Episcopalib. hucusq; solitis, impositum de singulis villis, quæ per unius mensis spacium huiusmodi interdictum Ecclesiasticum animo indurato tolerarint, easdem decimas solvere recusarint, seu non curaverint, mox elapso ipsius mensis spacio, Comites vel Vicecomites Parochiales per decimationes requisiti, decimas easdem cum singulis tribus marcis byrsagialibus pro se indilatè exigentes, eis, quibus solvi debeot, absque dilatione & defectu persolvi facere teneantur.

Artic. xv.

Septimus casus propter non attestationem Nobilium tempore proclamatæ congregationis.

ITem quandocumque Nobiles alicuius Comitatus, vigore literarum Regalium, per modum proclamatæ congregationis, sub pœna trium marcarum, in eisdem literis Regalibus expressa, convocati fuerint: quicumq; in illam congregationem non venerint, nisi ægritudine, senio, viduitate, orphanitate, paupertatis impotentia, absentia remota, vel eorum arduis negotiis rationabiliter se excusare poterint, Comes Parochialis, & Iudex Nobilium, prædictas tres marcas in dictis literis nostris expressas indilatè exigere possint.

Artic. xvi.

Octavus & ultimus casus propter extorsionem byrsagiorum in causis accumulatorum.

ITem Palatinus, & Iudex Curiæ, ac cæteri Iudices ordinarii, Ecclesiastici & seculares, universa indicia statim in causis coram eis vertentibus aggregata, statim ipsis causis finitis, & per sententiam finalem conclusis, primo parti adversæ de sua portione satisfactionem impendere teneantur, & ad partem suam iudiciariam cedentem exigere, liberam habeant facultatem.

Artic. xvii.

Quales personæ Capitulares & Conventuales pro testimonio mittantur.

ITem statuimus, quod ad faciendas statutiones, inquisitiones & evocationes, & alios quoscumque processus cum hominibus & testimoniis Capitularibus & conventualib. fieri solitas, quæ Communiter Fidedignitates vocantur; de Capitulis & Conventibus personæ seu homines simplices non mittantur, sed de ipsis Capitulis Canonici ad minus, aut personæ in beneficiis vel officiis constitutæ: de Conventibus verò Monachus Conventualis destinetur.

Artic. xviii.

Quod testimonium antequam exmittatur, iuramentum præstet.

QVi quidem pro huiusmodi testimoniis Capitularibus & Conventualibus deputati, priusquam ad faciendas antiquas statutiones possessionarias, metarum reambulationes, *revisiones possessionarum; & communes inquisitiones transmittantur & procedant, iurante teneantur ut in eisdem factis fideliter & recte procedant, & veram relationem seu fassionem faciant.

* al. reversiones.

Artic. xix.

Quod homines Regii post reversionem tempore relationis coram Capitulis vel Conventibus.

HOmines etiam Regii in præmissis procedentes, tempore reversionis eorum, ac fassionis seu relationis, coram ipsis Capitulis & Conventibus facientes simile ioramentum præstare teneantur, quicumq; non fecisse repertus fuerit, talis, tanquam falsatius & periurus, pœna amissionis beneficii sui, si quod habuerit, puniatur, & insuper sive beneficiatus sive non beneficiatus, existat, perpetuis carceribus mancipetur.

2. Homo vero Regius, si in præmissis possessionariis statutionibus metarum, reambulationis, & revisionis sinistre vel false processerit, in facto periurus pœna capitis & amissione omnium bonorum suorum convincatur.

Artic. xx.

De pœna illorum, qui executione sibi commissa procedere nollent.

QVIcunque vero Nobilis per alium, seu alios quoscumque, mediantibus nostris Regiis, vel aliis consuetis literis nomen suum continentib. pro honore Regio, coram testimonio alicujus Capituli vel Conventus requisitus, huiusmodi processus assumere & exequi recusaverit, in byrsagio consueto trium marcarum per Comitem Parochialem indilate exigendarum, convincatur eo facto.

Artic. xxi.

Vt Vicinorum & commetaneorum nomina in literis conscribantur.

STatutiones autem possessionariarum metarum, reambulationes, & revisiones aliter fieri non debeant, nisi vicinis & commetaneis huiusmodi possessionum inibi legitime convocatis, & ut fraus & dolus in talibus melius evitetur, nomina singulorum vicinorum & commetaneorum tempore præmissorum processuum illac principaliter convenientium, in literis Capitularibus & Conventualibus superinde emanandis, seriatim conscribantur.

Artic. xxii.

De reambulatione literarum à capitulis vel conventibus, & de salario Fidedignitatum.

ET ut materia discordiæ super facto redemptionis literarum Capitularium vel Conventualium, necnon super satisfactione viarum seu laborum, testimoniis Capitularibus & Conventualibus fientibus, hactenus sæpius suboriri consueta decreto esset, & succidatur, præsenti ordinatione, antiquam tamen & laudabilem consuetudinem imitantes.

Artic. xxiii.

Primo de redemptionibus literarum.

STatuimus, ut in omnibus locis, tam Capitularibus quam Conventualibus, pro qualibet litera evocatoria per se, videlicet evocatoria prima, secunda & tertia, in Capitulo aut in Conventu similiter cum eorum notario & scriptore pro redemptione literæ recipiantur seu solvantur singuli denarii viginti quatuor maioris monetæ.

2. Item pro qualibet litera proclamatoria denarii centum.

3. Item pro qualibet litera procuratoria denarii xxiv.

4. Item pro qualibet litera prohibitoria, protestatoria, & aliis similibus, si patenter emanentur, denarii xxiv. Si vero clausæ, denarii xii.

5. Item pro qualibet litera fassionali emanata privilegialiter, denarii centum: patentes vero, xxiv. clausæ autem, denarii xii.

6. Item pro partibus antiquarum literarum in conservatoriis requisitarum, custodi seu requisitori per se denarios centum.

Et pro redemptione literæ requisitæ, si non habuit multum de scriptura, & patenter confecta fuerit, denarii xxiv. Si vero labor scribendi fuerit magnus, & litera privilegialiter confecta, denarii centum.

7. Item de simplicibus transcriptis, seu transsumptis literis patenter emanatis, ubi labor scribendi magnus non fuerit, denarii xxiv. Vbi autem litera fuerit prolixa, aut privilegialiter emanata, denarii centum.

8. Item de litera statutoria, in qua contradictio facta fuerit, denarii xxiv. De literis vero sententialibus perpetuis, in quibus contradictio facta non fuerit, recipiantur pro redemptione literarum, secundum quantitatem possessionis, necnon sessionis modo subscripto, videlicet de sessione una, duabus aut tribus vel quatuor, in toto denarii C. Vbi autem fuerit ultra quatuor sessiones, usque ad decem, pro qualibet sessione denarii xii. Vbi vero fuerint ultra viginti, usq; ad centum de qualibet sessione denarii xii. Si vero fuerint ultra centum, usquequaque de qualibet sessione denarii viii.

9. Item de literis reambulatoriis, metalibus, in quibus contradictio & evocatio facta non fuerit, denarii xxiv. In reambulationibus autem metalibus, in quibus simplex consignatio, vel cum hominibus regiis de Curia Regia transmissis, similis consignatio, vel finalis metarum erectio, cum iuramento super terram in forma iudiciaria, aut partibus concordantibus facta fuerit & pro redemptione literæ denarii quingenti: ubi autem partibus in huiusmodi reambulationibus & demonstrationibus metalibus discordantib. causa ad Curiam Regiam reducta fuerit, tunc pro redemptione literarũ talium denarii CC.

10. Item de communi inquisitione ordine iudiciario commissa, denarii C.

11. Item

11. Item de remissione possessionariæ occupationis, denarii C.

12. Item de occupationibus possessionum hominum in sententia Capituli convictorum, & rerum ablationibus, iudiciaria commissione mediante, fiendis, de rebus ablatis de antiqua consuetudine Capitulum habebit decimam partem: pro redemptione autem literæ, denarii C.

13. Item de æstimationibus possessionariis, iudiciaria commissione fiendis denarii C.

14. Item de possessionaria divisionis, de singulis possessionibus divisis singuli denarii C.

15. Item de expeditoria iuramentali, denarii xxiv.

16. Item de expeditione iuramentali continente nomina coniuratorum, denarii C.

17. Item de solutionibus pecunialibus coram Capitulis vel Conventibus, vel eorum testimoniis, fieri solitis, Capitulum vel Conventus decimam & nonam partes exigere non possint: nisi quando propter discordiam partium, in eorum sacristiis seu conservatoriis huiusmodi pecuniæ repositæ fuerint: de talibus nempe de iure, decimam & nonam partes recipere possint, attamen partis rationem, quæ causam dederit pecuniam huiusmodi in conservatoriis reponendi.

Artic. xxiv.

De Salariis fidedignitatis.

PErsonis autem testimonialibus Capitulorum & Conventuum, pro singulis diebus, quibus in itinere fidedignitatis processerint, solvantur xii. denarii maiores, sive in propriis equis, sive in equis causantium ambulent & ducantur: ita tamen, quod in victualibus & expensis causantium, & ipsos ad facta sua ducentium, similiter cum equis, & familiarium eorum de domo iterum in domum semper duci debeant & reduci.

2. Præterea ex quo in iudiciis, in Curia nostra Regia fieri consuetis coram Iudicibus ordinariis eiusdem Curiæ, ac eorum notariis, suprascriptæ literæ & redemptiones earum necessarium occurrerunt: ideo ad tollendam cuiuslibet altercationis occasionem, quæ inter ipsos notarios & causantes emergi posset, antiquam consuetudinem redemptionis literarum earundem modo subscripto duximus similiter declarandam: videlicet quod in præsenti Curia nostra, notariis ipsius Curiæ iudiciariæ de una litera prorogatoria communiter solvantur denarii xii. De simplici litera inquisitionali, similiter denarii xii. De secunda evocatoria, denarii xxiv. De tertia evocatoria, denarii C De proclamatoria, denarii C, De litera iuramentali tertio vel sexto se alicui adiudicata, denarii xxiv. De eo qui iurabit, xii. vel xxii. aut quinquaginta se, denarii C. De communi inquisitione, denarii C. De litera duellari, denarii CC. De iuramentali super caput, denarii CC. De instrumentali exhibitione prima, denarii xxiv. De secundaria & tertiaria instrumentaria exhibitione cum gravamine assumpta, similiter denarii xxiv. De prorogatoria respondente cum tribus marcis, denarii xxiv. De litera prorogatoria patenti, denarii xxiv. De litera fassionali communi, denarii xxiv. De aliis literis generalibus, videlicet prohibitoria, & similibus, denarii xxiv. De prohibitoria facie ad faciem, denarii centum. De litera sententiali facti potentialis conservatorii sigilli, floreni decem per centum denarios: scriptori autem ducenti. De literis autem statutoriis, & reambulatoriis simplicibus, denarii xxiv. De literis autem adiudicatoriis reobtentionis possessionum, seu aliarum rerum, iuxta quantitatem possessionis, seu rei reobtentæ, habita concordia inter causantem & protonotarios, fiet solutio.

Artic. xxv.

De redemptione literarum in Cancellaria maiori.

IN Cancellaria autem nostra Regia, quo ad redemptiones literarum iudiciariarum, & conservatarum servetur antiqua consuetudo eiusdem Cancellariæ. Similiter de donationibus, & confirmatoriis, pensata quantitate rei donatæ, vel cõfirmatæ, erit concordantia cum Cancellaria modo hactenus observato.

2. Quia vero in omnibus præmissis redemptionibus literarum, & aliis quibuscumque solutionibus, & byrsagiorum exactionibus, de numero & quantitate denariorum pro tempore currentium, sæpenumero mentio facta est: gratia removendi dubii præsentium serie declaramus, ut denarii tales intelligantur, quorum singuli centum novum florenum auri valeant & repræsentent. Et si denarios minores pro aliquo tempore cursum habere contigerit, ad eandem rationem cum ampliori & æquivalenti numero suppleant. Denarii.

Artic. xxvi.

De arestationibus, quod in propriis terris & officiolatibus fieri nequeant sub pœna sex marcarum.

ITem in arestationibus mercatorum, & aliorum hinc inde proficiscentium, quæ pro debitis, & aliis excessibus, propriis aut alienis in possessionibus, seu locis communibus, tam per Ecclesiasticos quam seculares, nobiles & ignobiles, satisfrequenter fieri solent: in quibus etiam hactenus nonnulla impedimenta, & damna, & iniuriæ, per extraconsuetudinem huiusmodi arestationis commissa sunt & patrata: eandem antiquam Regni nostri consuetudinem approbandam, declaramus: Quod nullus arestare volens, in suis propriis aut fratrum condivisionalium suorum possessionibus, terris aut officiolatibus, pro quacumque causa arestationem facere possit: alioquin pro indebita aresta in pœna trium marcarum convincatur, & arestum huiusmodi indebite factum, cum altero byrsagio trium marcarum relaxare, & liberum permittere per Comitem Parochialem compellatur.

2. Cum autem in loco communi quispiam arestationem facere voluerit, Iudex ipsius loci

 commu-

communis eandem areſtationem coram ſe ſie, & oon aliter, fieri patiatur & acceptet, ſi videlicet areſtans prius à ſe domino vel villico poſſeſſionis, in qua areſtandi teſidentiam habuerint, iuſtitiam poſtulaſſe, & huiuſmodi iuſtitiam aot ſibi temere denegatam, aut finaliter exhibitam fore, & ſatisfactionem debitam cum impenſa extitiſſe, literis Comitis, vel Viceeomitis Parochialis, aut Iudicis nobilium, vel aliis creditoribus poterit comprobare. Dum autem hæc præmiſſa modo prætacto evidenter poterit comprobare; ex tunc Dominus, vel Iudex, aut villicus ipſius loci ſeu poſſeſſionis communis areſtū retinere, & inter partes, more in talibus conſueto, iudicium & ioſtitiam facere. Super debitia autem aliis, exceſſibus, vel rebus coram eo rationabiliter obtentis, debitæ ſatisfactionis complementum de rebus & bonis iudicialiter condemnati, aut rebus & boois ipſius minus ſufficientibus, per detentionem perſonalem impendere teoeatur.

Artic. XXVII.

De pœnis Iudicis areſti favorizantis, & de vi illata areſtanti, nec non de proteſtatione Iudicis ſuper eo fiero debentia.

IN caſu etiam, quo ipſe Iudex areſti, pro favore aut timore cuioſcumqoe, vel ex qualibet alia cauſa rationem non habeote, areſtum coram & legitime factum ſeo fiendum retinere, judiciumq; & iuſtitiam, & ſatisfactionis complementum, modo ſuperius deſcripto, exhibere recuſaverit: extunc ipſi areſtatori, cuius ipſe adverſarium libere abire permiſerit, pro damno, quod per huiuſmodi areſtum requirere, & mediante iuſtitia obtinere poterat, & pro toto ioteresſe teneatur, & exiſtat obligatus, niſi areſtandus, vel areſtandi tantam potentiam & vim habuerint, per quam Dominus aut Iudex loci communis eis reſiſtere, & eos retinere non valebit, aor alia potentia ſuperveniens areſtatos contra voluntatem Iudicis areſti violenter abduxerit: quo caſu eveoiente, ad ſui excuſationem, ſuper eo quantotiens poterit, ſuis vicinis & commetaneis publice proteſtetur.

Artic. XXVIII.

De pœnis civium regalium, & reginalium, in propriis terris regalibus & reginalibus areſtantium.

VOlumos aotem, quod in noſtris ac Reginalibus liberis Comitatibus, oppidis, villis & poſſeſſionibus, mediantibus corom Iodicibus, Officialibus & Præſidentibus quibuſcumque, per cives, mercatores, hoſpites & incolas eoruodem pro ſuis debitis, rebus & acquiſitionibus quibuscumque, areſtatinnes huiusmodi modo ſubſcripto, & ſub pœnis antedictis per Magiſtrum Tavernicorum aut alios eorum ſuperiores indilate exigendis, fieri oullatenus debeant oeque poſſint: ſed in locis communibus, & coram iudice cōmuni, cum oeceſſe fuerit, fiant arreſtationes per eoſdem, modo ſuperius declarato.

Artic. XXIX.

De ſalario Iudicis areſti.

IVdex autem communis areſtatiooes huiusmodi coram eo debite & legitime factas decernens & iudicans, pro ſuo labore & honore, ſi fuerit Iudex per dominum poſſeſſioois conſtitutus, aut Dominus ipſemet, lx. denarios: ſi vero villicus, XII. denarios, ab homine iudicialiter condemnato, pro ſe exigendi babeat facultatem.

Artic. XXX.

De donationibus iurium, quæ per defectum ſeminis quorumcumque decedentium devoluta fuerint, & de huiusmodi poſſeſſionibus manifeſte non conſtat: & de electione Nobilis communis, qui pendente lite eaſdem poſſeſſiones conſervet: & de donationibus iurium poſſeſſionariorum ad Regem devolutorum.

POrro æquitatem & iuris obſervantiam, quam inter regnicolas noſtros vigere peroptamus, à noſtra Regia Maieſtate exordium habere, demonſtrare volentes, præſenti Decreto ſtabilimus, quod in quocumque Comitatu aliqua iura per defectum ſeminis qoorumcumq; decedentium devoluta fuerint, & de huiusmodi poſſeſſionib. manifeſte non conſtat, ao ad ius Regium pertineant, vel aliquos fratres generationales, ſeu hæredes fœminei ſexus concernant, ſed inter iſta duo, videlicet ius Regium & ios aliorum; ſc. generationalium vel fœmineum, dubium intervenerit, extunc homo cōmunis, Nobilis & idoneus, in quolibet Comitatu ad id per Comitem Parochialem eum Iudice Nobilium, & aliis Nobilibus comprovincialibus ad unum locum congregatis, non tamen ex Baronibus, nec de Potentibus, ſed de mediocribus Nobilibus electus, huius modi iura devoluta & dubioſa, & etiam alia ſimilia, ſi quæ contigerit, tamdiu conſervet, & mano teneat, abſque damnificatione qualibet: excepto ſolo, quod de proventibus eonſoetis huiusmodi poſſeſſionum, donec in manibus ſuis manebunt, expenſas moderatas capere & ſatisfacere poſſit, de quib. tandem rationem reddere valeat & teneatur, qoouſque huiuſmodi revolutio iurium ſine hæredibus decedentibus in ſede iudiciaria Curiæ noſtræ Regiæ publicata fuerit, ipſaque publicatione facta, quicumque eaſdem poſſeſſiones & iura ſibi pertinere allegaverit, intercifis octavis ſequentibus, quantocius poterit, rationabiliter iura ſua produceodo, eaſdem ad ſe pertinere comprobet. Quod ſi facere poterit, Iudex Curiæ noſtræ Regiæ eidem ſtatui mandet, & faciat eum effectu. Si vero in probatione defecerit, iuri Regio relinquatur: & ſi quis ulterius ad eaſdem ius habere ſperaverit, eas de manibus Regiis requirat legitimè.

Artic.

Artic. xxxi.

De uxoribus & filiabus decedentium in bonis defuncti remanentibus.

VBi autem uxores vel filiæ huiusmodi hominum absque hæredibus masculinis decedentium, in talibus possessionibus & iuribus remanserint, extunc possessiones eædem & iura à manibus earum occupari & auferri non debeant: priusquam de earum iuribus, videlicet an hæreditario & perpetuo ad ius fœmineum pertineant, an non, veritas inquiratur. Quod si repertum fuerit eadem iura iuri fœmineo non competere, extunc dictis uxoribus talium decedentium, antequam à dominio dictarum possessionum excludantur, per Regiam Maiestatem, vel alios, ad quos repertæ fuerint esse devolutæ, de earum dotibus & iuribus plena satisfactio impendatur.

Artic. xxxii.

De quarta puellari & domo paterna.

FIliabus vero usq; tempus maritationis earum, domus cum quarta parte possessionum paternarum, pro quarta filiali, secundum consuetudinem Regni nostri, sequestretur, & possidenda relinquatur.

Artic. xxxiii.

De filiabus nubentibus homini impossessionato.

POstquam vero maritatæ & traductæ fuerint, de earum iure quartalitio pecuniaria solutione * mediante satisfaciet. *al. immediate.*

2. Vbi autem aliqua ex ipsis filiabus, homini impossessionato tradita fuerit, dictante eadem Regni nostri consuetudine, imperpetuo iure & dominio huiusmodi quartæ possessionariæ succedere deberet & remanere: ita tamen, si ipsa de voluntate & consensu fratrum seu consanguineorum suorum, in quos post ipsius matrimonium huiusmodi iura seu quartalitia reverti & redivideie debentur, homini ut præfertur, impossessionato nupserit: alioqui sive de domo parentali, seu de curiis & servitus Baronum, vel Maiorum Nobilium dictis suis fratribus, seu consanguineis, aut parentibus irrequisitis, & nolentibus seu non consentientibus id fecerit, ius suum quartalitium, non cum possessione seu cum satisfactione pecuniaria, requirendi habebit facultatem.

Artic. xxxiv.

De non occupandis rebus Ecclesiasticis.

ADiicientes statuimus statutis superioribus, quod nullus Comes, Banus, Waywoda, seu alius Officialis Regius, cuiuscumque denominationis & dignitatis existat, Ecclesias Episcopales, Archiepiscopales, Abbatiales, Præpositiales, & alias quascumque Regio iure patronatus disponendi, earundemque tenutas, pertinentias, decimas, & possessiones intra terminos & limites sui honoris seu officiolatus, absque speciali mandato Regio, occupare, aut de eisdem portionaliter vel totaliter se ingerere præsumat.

Artic. xxxv.

De superflua exactione tributorum.

VErum quia ex immoderata & superflua exactione tributorum, per longiturni temporis abusum & inadvertentiam ac negligentiam dispositionis super inde necessariæ, multa damna, gravamina & incommoda regnicolis nostris & extraneis hominibus, cum eorum rebus & mercibus in Regno nostro hinc inde proficiscentibus, per tributarios, tam nostros Regales & Reginales, quam aliorum, propria cupiditate, nullo ad Dei timorem & æquitatem habito respectu, allectos, illata fore hactenus, ferventiorique aviditate dietenus irrogari, experientia teste, nostra cognovit Celsitudo: ideo præsenti sanctione decernimus, quod in singulis Comitatibus Regni nostri, tempore celebrationis generalium congregationum Palatinalium per Palatinos pro tempore constitutos, vel alios ex Regia deputatione celebrandarum, inquirant à iuratis Assessoribus huiusmodi congregationum, numerum & loca nostrorum tributorum, in ipso Comitatu exigi solitorum, & à Dominis seu possessoribus eorundem tributorum petantur exhiberi literæ primariæ institutionis tributorum eorundem: in quibus si inventa fuerit quantitas solvendi tributi, de singulis rebus solvi consuetis, talis solutio moderetur, & reducatur ad rationem præsentis monetæ, taliter ne pro tributariis seu tributa habentibus, eorum iusti proventus non decrescant, nec econtrario solutionis motus in onus tributa solvere debentium supercrescat.

Artic. xxxvi.

De moderatione solutionis tributorum, & viarum falsarum.

VBicumque autem huiusmodi literæ primariæ institutionis tributorum reperiri, & exhiberi non poterunt, aut repertæ forsitan, & non exhibitæ, quantitatem solvendi tributi non expresserint, tunc à prædictis iuratis Assessoribus dictæ congregationis similiter inquiratur, & rescіatur quantitas solutionis tributorum, in quibusvis tributis ipsius Comitatus de singulis rebus tributariis solitis tempore antiquiori, quod humana memoria compræhendere potest, fieri consuetæ, & retrahatur ad antiquam consuetudinem compensata qualitate, quantum iustius fieri poterit, pecuniæ tunc currentis, semper absque damno & detrimento tributa exigere & solvere debentium, æquitate videlicet utriusque partis semper salva.

2. Similiter inquiratur, discutiatur & moderetur, quomodo & ubi fiunt falsæ viæ, & indirectæ quorumlibet tributorum, & quantum longe vel prope huiusmodi vias falsas singuli tributarii obsidentes & itinerantes in eisdem prohibentes vel impedientes, iustam & consuetudinariam habuerint & habere debeant facultatem.

Artic. XXXVII.

Quod nova via non adinveniantur.

Vias autem novas in locis, quibus viæ abolim numquam baberi consueverunt, nemo pro communi & universali transitu itinerantium, in detrimentum ac damnum tributorum vicinorum, in faciebus suarum terrarum adinvenire præsumat.

Artic. XXXVIII.

De exquirendis falsis viis.

Alioqoin de huiusmodi viis noviter adinventis, eum prædictis coogregationibus generalibus, iuxta affirmationem iorasorum Assessorom huiusmodi congregationum decernatur, an pro falsis viis deputandæ sint, vel aliter restringendæ & moderandæ.

2. Habentes insuper & exigentes tributa, retionis pontis, vel nevium, pontes huiusmodi aut naves sub debita reformatione semper studeant conservare, taliterque viatores, & tributa solventes, absque impedimento per pontes & naves eorum transitum liberum, & non impeditum, facere possint: id vero facere negligentes, pœnis & gravaminibus opportunis, ad debitam teformatiooem & conservationem suorum pontium & nevium in dictis congregationibus promulgatis per Comites eorum Parochiales astringantur, totiens, quotiens eorum negligentie exigente fuerit opportuoum.

Artic. XXXIX.

De non acceptandis infidelibus & aliis facinerosis ad castra Dominorum, præter Officiales finitimos, qui solum fures, latrones & malefactores recipere possint.

POstremo entiqoam Regni nostri consuetudinem præsenti edicto confirmandam, Prælatorum, Baronum, & Nobilium Regni approbante Conventu, stabilimus & ordinamus: Quod nollus Prælatorum, Baronum, Nobilium & regoicolarum oostrorum, cujuscumque status, cooditionis, & dignitatis existant, quoscunq; infideles manifestos nostros, & Cotonæ nostræ ac Regni nostri, publicos fures & latrones, & malefactores, præsertim in eoogregationibus generalibus proscriptos, in suis castris, domibus, bonis & possessionibus retinere, hospitare & conservare, aut eis auxilium, hospitalitatem & favorem impendere præsomat, sub pœna coosimilis infidelitatis, & furum & latronum hospitalitatis: excepto qood fures & latrones & alios malefactores in congregationibus generalibus proscriptos, demptis infidelibus, Barones & Castellani nostri, in confinibus Regni castra & fortalitia ac officiolatus & honores pro defensione confiniorum tenentes, osque ad tempus acquirendæ gratiæ poterunt in bujusmodi castris & fortalitiis metalibus receptare & tetinere.

In eujus tei memoriam firmitatemq; perpetuam, præsentes concessimus literas privilegiales, prudentis autentici sigilli novi duplicis, pro quo nunc ot Rex Hungariæ utimur, munimine roboratas. Datum per manus Venerabilis Domioi Matthiæ de Gathalotz Præpositi Ecclesiæ Quinqueeclesiensis, Aulæ nostræ Summi Cancellarii, fidelis nostri dilecti, anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo quinto, octavo Idus Martii: Regnorum nostrorum anno, Hungarici quadragesimo octavo, Romanorum vigesimoquinto, Bohemiæ quindecimo, Imperii vero secundo, Venerabilibus in Christo Patribus, Dominis

Gregorio Strigoniensis
Ioanne [a] Colocensis & Bachiensis canonice unitarum
} Ecclesiarum Archiepiscopis:

[a] al. Colocensis.

Doymo Spalatensis,
Iadrense Sede vacante,
Petro de Rozgen Agriensis,
Varadiense Sede vacante,
Georgio Lopes [b] Transsylvaniensis,
Zagabriense Sede vacante,
Henrico Quinqueeclesiensis,
Simone de dicta Rozgon Vesprimiensis,
Clemente Iauriensis,
Vaciense Sede vacante,
Georgio [c] Nitriensis,
Chanadiense Sede vacante,
Iacobo Sirmiensis,
Iosepho Boznensis,
Iohaune Thininiensis,
Vito Corbonensis,
Ioanne de Domniis Segniensis,
} Ecclesiarum Episcopis.

[b] al. Albanensis Transsylvaniæ.

[c] al. Litriensis.

Ecclesias Dei fœliciter gubernantibus, sobinvicem monentibus Scordiense, Traguariense, [d] Makoriense, & Farcense Sedibus vacantibus. Item Magnificis

[d] al. Modrusiensis.

Matthæo de Paloz prædicti Regni nostri Hungerici Pelatino: Spectabili & Magnifico Hermanno Ciliæ & Sagoriæ Comite, socero nostro charissimo, totius Regni nostri Sclavoniæ Bano:

Comite Stephano de Bathor, Judice Curiæ nostræ;
Ladislao de Chaak Wayvvoda nostro Transsylvaniensi;
Joanne & Stephano Wegleæ, Segniæ & Modrusiæ Comitibus Regnorum nostrorum Dalmatiæ & Croatiæ prædictorum, } Banis.
Desevv & Ladislao de Gara Machoniensibus, }
Nicolao de Radniich Crucifero Ordinis Pruthenorum Sevveriensi } * al. Mochonensi. al. Machovvensibus.
Joanne de sæpe dicta Rozgon Tavernicorum, }
Emerico filio Nicolai Wayvvodæ de Marcali Janitorum, }
Joanne & Stephano de Peren Dapiferorum, } nostrorum Magistris.
Paulo & Joanne Koinpolth de Nana Pinceroatum, }
Laurentio de Hedervvara Agazonum, }

Ac Stephano & Georgio de antelata Rozgon, Comitibus nostris Posoniensibus, aliisque quam plurimis Regni nostri Comitatus tenentibus & honores, &c.

Sigismundi Hungari Imperatoris Augusti DECRETUM.

Anno Christi 1435.

SUPER MODO EXERCITUANDI.

NOS SIGISMUNDUS divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex: Notum facimus tenore præsentium, significantes quibus incumbit universis: Quod nos, cui Regiæ Celsitudinis providentia, subditorum suorum, & terrarum, ac Regnorum suorum ditioni, tuitioni, & illæsæ conservationi nedum introrsus, verum potius ab extraneis invasoribus, officio suæ dignitatis exigente, se obligatam profiteatur: volentes fines Regni nostri prædicti à partibus nostris Bohemiæ & Moraviæ, à quibus propter ingruentiam præsentis temporis, ab aliquibus elapsis annis hucusque frequentiores ferventioresque ipsum Regnum prætulit hostilitates, vi nostra Regia reddere securiores, omnes infrascriptum sponta, imo ex debito Regali, in nostras Regias curas & expeditiones duximus assumendum.

Hussitæ & Taboritæ Hungariã vastabant.

1. Videlicet ut civitates, & castra subscripta civitatem & castrum Posoniense, civitatem & castrum Tirnaviense, & Zacoltza, castrum Trincziniense, & alia castra ac munitiones, & fortalicia, in confinio Moraviæ, & juxta fluvium Wagh situata, quemadmodum jam in ipso ex parte Bohemiæ, quam in aliis omnibus confiniis & metis Regni nostri, ex quacunque parte apud nostras Regias manus habita & in futurum quovis eventu & casu eisdem nostris manibus applicari contingentia: nostris sumptibus Regalibus contra quempiam Bohemorum, & alios undecumque emergentium, muniemus & tutabimur sufficientibus gentibus, armis & victualibus aliisque necessariis tam pro conservatione & defensione castrorum & munitionum in se, quam ad tenendos campos & defendendum circumjacentia campestria, contra quo suis insultus hostiles occurrentes.

Prælatorum banderiæ.

Comitum banderiæ.

2. Si autem tanta potentia inimicorum irrepserit, quod major viribus gentium nostrarum Imperialium foret, nec ab invasione finium Regni arceri & prohiberi per easdem gentes nostras Imperiales posse verisimiliter videretur, extunc Prælati deputati pro defensione illarum partium, cum suis Banderiis & viribus juxta depositionem de Episcopis factam, & observari consuetam, necnon Communitates singulorum Comitatuum, pro earum partium, vel aliorum converras habere contingentium, defensione, modo simili deputatorum, sub Banderio Regali cum Baronibus, Proceribus & Nobilibus dictorum Comitatuum, & eorum gentibus, per modum generalis expeditionis exercitualis, viribus conjunctis supradictos.

3. Conclusum est insuper ac statutum per nostram Majestatem, cum Prælatis ac Baronibus, & regnicolis nostris prænotatis, quod tempore universalis exercitus generaliter proclamati, singuli Barones, Proceres & nobiles Possessionati, secundum quantitatem dominii ipsorum, videlicet de singulis triginta tribus Jobagionibus, proprias possessiones & terras, more aliorum Jobagionum, in possessionibus, quibus resident, habentibus & censum colligentibus, munera seu alia servitia dominorum cum aliis Jobagionibus supportantibus unum: de centum vero tres, & sic consequenter de aliis, quotquot habuerint, de singulis centum singulos tres pharetratos equestres, ad minus videlicet arcus pharetras, gladios & biccellos habentes, & ad bellandum aptos & utiles, ipsimet personaliter accedentes, ad quoslibet exercitus Regni generales conducere teneantur. Hi vero, qui minus quam viginti tres habent Jobagiones, Jobagiones suos, quos habuerint, cum Jobagionibus aliorum taliter conjungere & commeodare teneantur, quod semper de triginta tribus Jobagionibus quorumcumque unus pharetrarius, modo præmisso armatus & dispositus, ad exercitus generales transmittatur.

4. Cæteri denique Nobiles Jobagionibus carentes, singulariter propriis in personis, hi videlicet, qui dominos habere dignoscuntur, sub quorum nominibus & expensis exercituare solent cum eorum dominis ac gentibus seu Banderiis: Alii autem hujusmodi dominos non habentes, de propriis eorum possessionibus, domibus & expensis cum eorum Comite Parochiali (illis tamen exceptis, quos decrepita ætas, viduitas, orphaneitas, & alterius consimiliter impotentiæ causa necessaria, videantur excusare) similiter pro sua facultate condecenter armati & dispositi, exercitualiter proficisci teneantur.

4. Ubi autem duo vel plures fratres indivisi, & in uno victu manentes extiterint, uno eorum ad hujusmodi generales exercitus proficiscente. Illi vero, qui in propriis personis sub Banderio & stipendio Regali, & Baronum procedere habebunt, præter & ultra gentes suas, de honoribus & stipendiis Regalibus vel Baronum secum servientium, & exercituare debentium nihilominus prætactum numerum exercituum de suis propriis possessionibus, cum Comite suo Parochiali, seu Comitibus, sub quo vel sub quibus possessiones suæ existant, expediant, & transmittant ad illas partes, & pro illo tempore, quibus iidem Comites Parochiales singulorum Comitatuum debebant exercituare.

5. Præterea Prælati, Barones, & Nobiles Regni nostri castra, fortalitia & munitiones habentes, eorum Castellanos seu alios Nobiles & majores personæ seculares eorum conjugibus & domesticis suis personis Nobiles pro Magistro Coriæ, & alios ad constituendum honorem Curiarum suarum deputandi & relinquendi habeant facultatem: moderate tamen, & tantum nostro inevitabiliter necessarias personas in hujusmodi servitiis occupando, & relinquendo, & propterea commissum est, quod in quolibet Comitatu universitates Nobilium eisdem Comitatus convenientes, certum ex eis eligere debeant de medio in statu Nobilium ipsius Comitatus numerum Jobagionum quorumlibet Regalium, & Baronum ac Nobilium ipso Comitatu possessiones habentium, tempore proclamationis exercitus generalis fideliter comprimet & conscribi faciat, & registri par seu copiam hujusmodi registri tradiete Comiti suo Parochiali debeat.

Duo Fratres indivisi.

6. Item quod quilibet, tam in generali exercitu regnicolarum, quam ad stipendia exercituare debens, die & termino expeditionis exercitualis, eum interesse debebit, assignatis, absque omni procrastinatione in loco deputato, cum omni gente sua, cum qua exercitum ire teneatur, constituatur.

7. Quicunque autem ad hujusmodi generales exercitus proficisci debent, tempore proclamationis & instaurationis eorundem, contumaciter ire & proficisci neglexerint, aut multum tarde terminum & locum universalis conventionis ipsius exercitus prænotatum studiose prætermittentes, cæteris exercituantibus fatigatis vel dispersis, seu conflictu bellicoso jam commisso & habito supervenerint, aut tempore venientes ad compatendum eandem ante debitam & finalem expeditionem belli, occasione qualibet conflictu non habito, nostra vel Capitaneorum ipsius exercitus absque licentia de eodem exercitu temerarie recesserint: tales expediti minime reputentur, sed eorum possessiones, quod hujusmodi non venientibus vel tarditate, aut temerario discessu occupentur, & de hujusmodi possessionibus occupatis, per nostram Majestatem, de consilio Prælatorum & Baronum nostrorum, quid agendum sit, deliberetur.

8. Item quod exercituantes tempore æstivo in villis & segetibus descensus facere non debeant, sed in campis vacuis, in quibus segetes pedibus equorum non conculcent nec destruant, ullaque damna & nocumenta inferre præsumant: nihil omnino præter herbas non falcatas, ligna & aquam absque debito precio, capiendum seu auferendum præsumant.

9. Precia vero victualium cujuslibet generis, tam pro hominibus quam equis necessariorum in quolibet Comitatu, ante adventum exercitantium, per communitatem Nobilium ejusdem Comitatus secundum fertiliorem vel infertiliorem eventum temporis & anni limitentur, moderentur, & taliter ordinentur, ut intuitu ipsorum exercituantium precia victualium in nullo excrescant, ultra priorem cursum & communem in foris communibus usitatum, prout cupiditate hominum fieri consuevit.

10. Si qui vero contra præmissam ordinationem in villis & aliis locis modo prætacto prohibitis, descensus facere, aut victualia cujuscumque materiæ, absque precio ordinato, auferendo, damna irrogare præsumpserint: extunc homines damnati, sive nobiles sive ignobiles, ad præsentiam Comitis Parochialis & Judicis nobilium Comitatus illius, in quo hujusmodi descensus & damna facta & illata extiterint, accedentes, super quantitate damnorum, quæ sibi illata fore conquesti fuerint; si *Nobiles*, per se: si vero ignobiles fuerint, cum suo villico: & duobus villicis suis domi suæ ex utraque parte *proxime* conjuncti, juramentum præstent, ipsique Comites & Judices nobilium super hujusmodi damno & juramento, ipsi conquerenti literas eorum testimoniales tradant, vigore quarum quamprimum ad Curiam Regiam in præsentiam Judicum & Justitiariorum ipsam Curiam judicantium accesserit, mox absq; ulteriori probatione & litium protractione, eisdem conquerentibus & damnificatis, juxta contenta literarum Comitis & Judicis nobilium illius Comitatus, in quo hujusmodi damna per quoscunq; exercituantes illata fuere: quibus quidem literis, absq; ulterioris probationis requisitione, ex vigore præsentis constitutionis, plena fides adhibeatur, ex parte cujuslibet damnum inferentis omnimoda satisfactio damnorum, necnon expensarum, pro ipsis damnis exquirendis factarum, sententialiter fieri decernatur, & cum executione debita, finaliter & effective, per sententiam, judiciariam, quam Palatinus & Judex Curiæ pro tempore constitutus, vel eorum Vicarii & Sigilliferi literatorie dare & proferre teneantur: Comitibus & Vicecomitibus, & Judicibus nobilium illorum Comitatuum, in quibus ipsi exercituantes, qui præmissa damna irrogasse modo ante lato comprobati fuerint, possessiones & bona habere dignoscuntur, per hujusmodi literas sententiales scribatur & demandetur, quatenus ipsi mox, receptis dictis literis sententialibus, hujusmodi læsis & damnum passis, ex parte ipsorum damna inferentium, per ablationem rerum, & bonorum eorundem, & si necesse fuerit possessionum occupationes, super omnibus in hujusmodi literis sententialibus contentis, coram testimonio alicujus Capituli vel Conventus, omnimodam & indilatam satisfactionem teneantur exhibere.

11. Quicunque autem ex hujusmodi exercituantibus potentialiter seu voluntarie successiones, & combustiones, aut deprædationes villarum & possessionum, exactiones Ecclesiarum, Nobilium, & virorum

rum Ecclesiasticorum propriam Curiam, & domorum invasiones, & deprædationes, mulierum vel virginum spoliationes, reptus & dehonestationes, hominum verberationes, & vulnerationes, & alios similes & majores & enormes actus potentialiter committere præsumpserint: extunc contra tales, præmisso modo & ordine in illis comitatibus in quibus hujusmodi potentialiter parvera fuerint, inquisita & comperta veritate in facto potentiæ convincantur, & ex parte eorum, indilata satisfactio, modo superius declarato, per sententiam judiciariam impendenda declaretur & demandetur, ac per Comites Parochiales & Judices nobilium ipsius delinquentis, & in facto potentiæ convicti, ed executionem earundem sententiarum per occupationes possessionum, rerum & bonorum ablationes, & elia in talibus fieri solita, per Palatinum & Judicem Curiæ realiter & effective procedi literatorie committatur & demandetur.

In cujus rei memoriam firmitatemque perpetuam, præsentes concessimus literas nostras pendentis & authentici sigilli nostri novi duplicis, quo ut Rex Hungariæ utimur, munimine roboratas. Datum Budæ, in * festo B. Gregorii Papæ, Anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo quinto: Regnorum nostrorum anno, Hungarici quadragesimo octavo, Romanorum vigesimo quinto, Bohemiæ decimo quinto, Imperii vero secundo. * IIII Idus Martii.

Sigismundi Imperatoris Augusti EDICTUM,

Anno Christi 1435.

De Salvo conductu Concilii Basileensis, Personarumque ad illud euntium, ibidem stantium, & inde recedentium.

SIGISMUNDUS Dei gratia Imperator Romanorum semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex.

Notum facimus tenore præsentium universis, quod licet pridem, dum sacrum, sanctum generale Basileense Concilium exordium sumeret, ex institutione præcedentium sacrorum Conciliorum, nos omnibus & singulis Ecclesiasticis & Secularibus personis illuc venientibus, ibidem stantibus, & abinde recedentibus, nostrum salvum & securum conductum dederimus & concesserimus, quemadmodum nobis tanquam Advocato & primo Protectori sanctæ Romanæ Ecclesiæ & sacrorum Conciliorum digne conveniebat: easdem etiam personas cujuscumque dignitatis, seu conditionis existerent, in nostram specialem protectionem assumentes: tamen intellecto, quod nonnulli, licet supervaene, dubitent, nec propter diffidationem, quam Philippo Duci Burgundiæ fecimus hujusmodi nostra concessa libertas posset lædi seu infringi, quod tamen nostræ intensionis nunquam fuit, neque est, cum ipsam diffidationem solum pro recuperatione * jurium sacri Romani Imperii & nullius perturbatione fecerimus, statuimus pro securitate ipsius sacri Concilii, cujus felicem & desideratum progressum semper concupivimus, cum non mediocri nostra exhibita opera salubriter providere, & mentem nostram synceram declarare, ne quisquam nobis imputare habeat, nos aliquid intentasse, quod quomodolibet esse possit ad perturbationes ipsius, seu venientium, stantium, seu recedentium. Idcirco animo deliberato, & ex certa nostra scientia iterum de novo ac ex superabundanti (licet profecto non sit) cum intentio nostra ad indemnitatem & libertatem ipsius sacri Concilii semper illæse & integre fuerit atque sit, universos & singulos Prælatos, Principes, Doctores, Magistros, Ambasiatores, Nobiles, & quascumque Ecclesiastices & seculares personas, cujuscumque status, gradus seu conditionis existant, ut sacrum Concilium feliciter super his, pro quibus congregatum est, continuari possit ad reverentiam Dei, relevationem Orthodoxorum, & honorem universalis Ecclesiæ in nostram specialem salvegardiam, tuitionem & protectionem grato & devotissimo animo recipimus per præsentes: Volentes & ordinantes authoritate Cæsarea præsentium per tenorem, quod omnes & singuli ad dictum Concilium accedentes, in eodem permanentes, & ab eodem recedentes, in nostra Imperiali custodia, non obstante diffidatione præmissa, quodque ab eliquo non molestentur, inquietentur, vel aliquam injuriam seu molestiam patiantur: mandantes universis & singulis Principibus Ecclesiasticis & secularibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Magnatibus, Proceribus, Militibus, Clientibus, Capitaneis, Potestatibus, Gubernatoribus, Rectoribus, Burggreviis, Castellanie, Officialibus, Judicibus, teloneariibus, boletariis passuum, Custodibus civitatum, villarum, & quorumcumque locorum Communitatibus & Rectoribus eorundem, cæterisq; nostris & Imperii sacri subditis & fidelibus firmiter & districte, eosdem seriosissime requirentes, quatenus universis & singulis Prælatis, Principibus, Nobilibus, & Magistris, & Ambasiatoribus quorumcumque Regum, Prælatorum, Principum, & Communitatum, Universitatumque totius Christianitatis, qui ad præfatum Concilium auxiliante Domino accessuri sunt, ibidem steterint, vel recesserint, cujuscumque status, gradus, dignitatis seu conditionis existant, nostro & Imperii sacri nomine favorabilem & benignam debeatis impendere voluntatem, eosdem cum gentibus & familiaribus suis, ac bonis & rebus eorum quibuscumq; faciatis plenissima libertate gaudere, ipsosq; favorabiliter pertractare, ac eosdem & eorum quemlibet cum bonis prædictis tute & secure per territoria, civitates, castra, castella, oppida, villas, itinera, passus, portus, pontes & terras, ac jurisdictionis vestræ loca, nobisque subjecta, ire, transire, stare & morari, eundo ad dictum Concilium, & redeundo ab eodem permittatis: immo eisdem amore sanctæ

* quæ Dux Burgundiæ in tractatu Attrebatēsi, hoc anno 1435. inter Regē Franciæ & ipsum facto per delegatos Concilii Basileensis, contra quorum incompetentiam Imperator solenniter erat protestatus Imperia subtracta in Regnum Francorum transportavit. Copia tocius tractatus illius leges tom. 4. Concil. general. pag. 555.

matris Ecclesiæ, ob teventiamque sacri Concilii, ac nostram & sacri Imperii benevolentiam singularem, dum & quoties requisiti fueritis in his, quæ securitatem & celeritatem ipsorum concernunt itineris, promotivam & gratuitam ipsis ostendere realiter & exhibere velitis & debeatis voluntatem, nec non eisdem & cuilibet ipsorum de victualibus, domibus, expensis ipsorum competentibus & conductis, petitis & requisitis, pro rationabilibus salariis providendo. Sic enim fieri volumus, ut in favorem præfati Concilii concessimus & concedimus per præsentes, quibuscumque litteris in contrarium factis seu fiendis non obstantibus. Quicumque enim aliquem prædictum Concilium visitantem, modo quocumque lædere præsumpserit, sciat se nostram & Imperii sacri indignationem gravissimam incurrisse. Et econtrario quicumque visitantibus, undecumque sint, nostri amore favores impendent, certum se reddat, quod eidem singula beneficia impensabimus gratia singulari, præsentium sub nostræ Imperialis Majestatis sigillo testimonio litterarum. Datum Tervaniæ Strigoniensis diocesis, Anno Domini MCCCCXXXV. mense Maii, Regnorum nostrorum anno Hungariæ &c. *XLIX.* Romanorum XXV. Bohemiæ XV. Imperii vero III.

Sigismundi Imperatoris Augusti

CONFIRMATIO,

Anno Chr. 1436.

Articulorum cum Hussitis concordatorum per Legatos Synodales.

† Vide de his Narrationem in Fasciculo rer. expetend. Orvvini Grati, quæ & in princ. tom. 4. concil. gen. legitur.

* an. 1435. de quo Conventu vide synod. Basileens. tom. 4. Concil. p. 162. col. 2. est autem Brunna opidum in Moravia diœcesis Olmuzensis.

SIGISMUNDUS divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex.

Notum facimus tenore præsentium universis, quod ab alto nobis commissum officium tunc rectè indubitanter exequimur, cum in his, quæ ad fidem Catholicam pertinent, sanctæ matri Ecclesiæ ipsiusque ordinationibus inhærentes, pro earum observantia & executione partes nostræ solicitudinis adhibemus. Cum itaque inter Legatos sacri generalis Concilii, quod Basileæ in Spiritu sancto legitime celebratur, nomine & authoritate ipsius sacri Concilii, & generalem Congregationem regni nostri Bohemiæ & Marchionatus Moraviæ, pro unitate & pace quædam † Capitula concordata fuerunt, & manuum stipulatione firmata, debeantque sigillorum munimine roborari, & ad executionem deduci, juxta formam in nostri præsentia * Brunnæ concordatam, & nunc noviter coram nobis à Patribus recognitam & confessatam. Nos rei tam utili ac salutari officii nostri partes volentes authore Domino impartiri, Denique & fidei Catholicæ obsequium reddere, omnipotenti Deo & sanctæ matri Ecclesiæ promittimus, & vovemus, quod postquam ipsa compactata fuerint, ut præmittitur, roborata, nos ea firmabimus & roborabimus, & servari faciemus pure, simpliciter, & syncere, juxta sanum & bonum intellectum eorum, nec permittemus ea in aliquo violari, vel eis abuti, nec permittemus aliquem ad communionem sub utraque specie coarctari, vel compelli quoquomodo In præjudicium compactorum. In cujus rei testimonium, sigillum Majestatis nostræ præsentibus est appensum. Datum in Alba regali, Vesprimensis diocesis, Anno Domini MCCCCXXXVI. die VIII. Januarii, Regnorum nostrorum anno Hungariæ &c. XLIX. Romanorum XXVI. Bohemiæ XVI. Imperii vero III.

Sigismundi Imperatoris Augusti

DECRETUM

Anno Chr. 1436.

Quo Compactata & Concordata Legatorum Synodalium de Usu Calicis petentibus concedendo iterum comprobavit confirmavitque, Iglaviæ in Moravia Anno MCCCCXXXVI, quinto die mensis Julii.

† quod factum anno seq. 1437. in Sess. 30. plane ut in hoc Decreto Imperiali habetur.

* id est, Synodus nationalis.

BOHEMIS ac Moravis Ecclesiasticam unitatem complectentibus, seque in cæteris omnibus, præterquam in usu Communionis utriusque speciei, universalis Ecclesiæ fidei ac ritui conformantibus, authoritate Domini nostri Jesu Christi & Ecclesiæ sponsæ suæ, sub duplici specie, panis scilicet ac vini, his qui consuevissent, divinæ Eucharistiæ communicare licebit. An vero ex præcepto Dei id fieri debeat, generale Concilium † Basileæ congregatum diffiniet, & quod utilitati fidelium salutique congruat, lege in perpetuum valitura constituet. Quo facto decreto, si nihilominus perseveraverint Bohemi & Moravi in ejusmodi Communionis desiderio idque missa legatione petierint, facer * Conventus Bohemiæ ac Moraviæ Sacerdotibus communicandi sub utraque specie personas sibi subjectas, & in annis discretionis constitutas, & quæ id reverenter postulaverint, libertatem impartietur: ea conditione adjecta, ut inter communicandum plebem publice instruant, non sub specie panis carnem Christi tantum, nec sub specie vini solum sanguinem, sed sub qualibet specie totum & integrum contineri Christum.



Synodi Basileensis

BULLA,

Anno Christi 1437.

De Papæ Romani suspensione ab officio pastorali propter ejus lupinam Tyrannidem,

Missa ad sacri Romani Imperii Electores in Conventu Electorali congregatos.

SACROSANCTA generalis Synodus Basileensis, In Spiritu sancto legitimè congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, Venerabilibus Archiepiscopis, & dilectis Ecclesiæ filiis, Nobilibus viris, Ducibus Illustribus sacri Romani Imperii Electoribus salutem &c.

1. Deus pius & misericors, Reges & Principes in terra constituit, ut sanctuaria templaque sua defenderent, & veluti quadrigæ quædam arcam Ecclesiæ sanctissimam deportarent. Sunt ergo agri Dominici custodes, pontes, arces, & divinæ humanæque legis vehicula atque portus. Quamobrem si commissam eis curam intelligerent, nihil magis se debere existimabunt, quam ut Ecclesiam sanctam, pro qua Christus, ne periret, in cruce oravit, tueantur. Quod ubi fecerint, tunc rectè Reges seu Principes appellati poterunt, & Dei, qui eos supra homines constituit, judicia ministrabunt. Porro in eo nunc tempore sumus, ut ipsorum suffragia & auxilia eandem Ecclesiam implorare oporteat, ut suam pietatem ostendere necesse sit, cujus favoribus freti huc convenimus, dum remedium nullum melius visum sit ad hujusmodi flagitia submovenda, quam ut sacræ synodi generalis accersitio haberetur, per cujus authoritatem, dissidia abususque abscisi tolli possent. Talis enim sacer cœtus sæpe antiquum humani generis hostem devicit, & deformitates Ecclesiæ sustulit. Testes sunt Ariani, Nestoriani, Sabelliani, aliique Hæresiarchæ, qui cum Philosophorum scholis expugnari non potuere, sacrorum Conciliorum sententia eversi sunt. Denique quanta semper fuit ipsorum sacrorum generalium Conciliorum authoritas Canonica scriptura, quam universalis recipit & dogmatizat Ecclesia, demonstrat, dum quatuor Synodos * ut sacra Evangelia recipi jubet, veluti quæ columnæ & bases quædam sint in firmamentu Christianæ religionis positæ, per eas enim Catholica fides quadam claritate coruscat, & Hæreticorum impietas conculcatur. Alias etiam Synodos sacris ritibus & legibus Sacerdotum radiantes, ut candelabra & specula militantis Ecclesiæ coli, amplectique suadet. Quamobrem dudum Catholici Principes cernentes populū Christianum variis occursibus in dies magis ac magis deprimi & labefactari, præterita tempora, quibus evenerunt similia recolentes summopere ad celebrationem generalis Concilii intenderunt, itaque sacra Constantiensis Synodus inde profecta est, qua consultissime sancitum fuit, ut de cætero generalia Concilia certis statutis temporibus tenerentur, quasi ea præcipua semita videretur, per quam ad mores reformandos & pacem recuperandam esset ascensus. Denique & ad hanc devenimus, etiam authoritate Domini Eugenii Papæ moderni, ut tandem extirpatis hæresibus, flagitiis & deformitatibus submotis, ac animis pacis dulcedine recreatis, quandoque sacer ordo refloreat, & leges ac mores diu perditi reviviscant. Eaque acta jam feliciter extitissent, nisi dicti Domini Eugenii Papæ impedimenta notoria obstitissent. Nihil enim adeo vacavit, quam ut prætensa sua dissolutio hujus Synodi effectui mandaretur, nunc Nunciis, nunc litteris figmentis variis refertis cunctorum animos exercitando, ut rei tam execrabili annueretur. Sed veritas, quæ dum plene defenditur, raro vincitur, invicta remansit: atque amotis erroribus nobis eam indies prosperaturam minimè dubitamus. * &c.

2. Proinde ingenti admiratione detinemur, cur tam adeo animi vestri erepti, tantoque ardore obscurati videntur, cum obsecrare exhortarique non desinatis, ut in processu adversus eundem Dominum Eugenium incepto supersedere: immo id stupendum magis extitit, monitorium suspensionis pœnam continens, relaxare ac alterare deberemus. Annon cogitatis, quid idem Dominus Eugenius patravit, quid indies indurato animo molitur? Jactara scilicet fundamenta recuperandæ quandoque pacis, & morum reformationis evertere, dum sacratissimum hoc Concilium tam legitime inchoatum nititur annullare. Annon videtis, si suæ sententiæ pareatur, ut non solum hanc Synodum evanescere oporteat, sed ne de cætero aliæ fiant, facile eventurum? profecto in id sua pergere videtur intentio, ut quod totius orbis salute, vestris & aliorum Principum consiliis auxiliisque effectum est, momento excitat abolentque. Arbitramini ergo, quantum, quale quid ex humeris nostris pendeat, quid insuper quod rogatur, & à quibus id tam enixe rogatum sit: nempe Christianus populus, pacem esuriens, disciplinamque perditam repetens, ex nobis justitiam expectat, si quis talia damnabiliter impedire vellet. Nos autem universalis constituit Ecclesia judicaturos malignantium impietatem, vindicaturosque eandem in dextera virtutis suæ. Quod ergo nostrum non est, à nobis non expetite Charissimi filii. Id pium est rogare, quod decet & licet rogatos facere. Nostra siquidem cura ea præcipue esse debet, ne universalis Ecclesiæ authoritas contemnatur: atque ut potestas, quæ sibi à Deo tributa est, illibata permaneat: quam violare idem Dominus Eugenius notoriè visus est, dum hanc Synodum præcipiti Zelo dissoluere tentavit. Et quod est gravius, obstinate perseverare non desinit. Quomodo ergo rem hanc tam Ecclesiæ periculosam dissimulare postergareque possumus, nisi tanti ex- Papa non est supra Ecclesiam neque judex Ecclesiæ.

cessus

cessus participes esse velimus? Denique si impunie & inexpugnatus excessus hujusmodi relinquatur, quis umquam Romano Pontifici, quamquam improbissimo, contradicet? quis in generalis Concilii authoritate confidet? Cedat ergo uni hominum omnis homo? Cunctante ejus arbitrio committantur? Math. 18. Joan. 20. Obliviscamur Christum sæpe, ut Evangelica doctrina testatur, potestatem clavium Apostolis, in quibus repræsentabatur Ecclesia, tradidisse, & non in fide, , quæ omnes Catholicos complectitur, sed in solo Petro, Ecclesiam fundavisse fateamur? Etiam Constantiense Concilium illusisse hominibus * confiteamur, dum Synodum generalem immediatè à Christo potestatem habuisse, etiam supra Papam, in his quæ pertinent ad extirpationem hæresum, ac generalem reformationem in capite & in membris, declaravit? Non hæc sunt, quæ conniventibus oculis transire debeamus, sed severitate opus est dum levia argumenta non prosunt. Debuissemus quidem citius his rebus præscribere, & hujusmodi Domini Eugenii jacula refellere. Sed nunc dum ulterior expectatio onusta undique est periculis, mutiendum non erit. Quod ergo pridè vestræ litteræ in generali sacra nostra congregatione recitata requirebant, ut ab ulteriori processu adversus Papam abstinere, & monitorii decretum relaxare dignaremur, libenter impleremus, nisi in ea reparatum discrimen universalis Ecclesiæ appareret. Toties enim dilationes repetitas fomenta malorum, & præcipuè contemptum Ecclesiæ peperisse, exploratissimum est. Ignorasse autem vos videmus, dum eas litteras decrevistis, novissimè instantissimis precibus Charissimi Ecclesiæ filii Sigismundi Romanorum Imperatoris Illustrissimi, & ejusdem Ecclesiæ Advocati, nos ad dies triginta eidem Domino Eugenio terminum prorogasse. Præfato enim Sigismundo ob tam ingentia merita inexplicabiles labores, quos hactenus pro universali sustinuit Ecclesia, nuncque in præsentiarum sustinet, id negare minime potuimus. Sed cum nullam de cætero dilationem expetere, & decretis nostris libere acquiescere pollicitus solenniter extiterit, prout in prorogationis decreto insertum est, & diximus & constituimus solenni in sessione, nullum alium de cætero ad cujuscumque instantiam terminum præbituros. Minime autem dubitamus, si hæc vobis innotuissent, quod preces hujusmodi porrectæ non fuissent. Neque ambigui sitis, si quid sit quod sine Christiani populi discrimine & animarum periculo fieri possit, non obliti ingentium meritorum vestrorum, & nec ignari quanta & qualia in universis Ecclesiæ commoda indies efficere valeatis, quam libenter vestram in complacentiam ageremus, faciemusque Deo dante, dum ad talia se facultas obtulerit. Sinite ergo, Charissimi filii, nos in justitiæ dextera hujusmodi excessus propellere, & vineam Domini sub veritatis clypeo reformare. Imitamini, obsecramus, Christianissimum ac potentissimum illum Romanorum Imperatorem Carolum Magnum, qui cum Romæ Synodo congregata, ut adversus * Symmachum Papam accusatores audiri deberent, interrogaretur, quam in partem judicium suum penderet, Deo inspirante, respondit: *Synodalis esse arbitrii, in tanto negotio sequenda præscribere & statuere, nec aliquid ad se præter reverentiam de Ecclesiasticis negotiis pertinere.* Id quod si facietis, ut certissimi sine sumus, apud Deum immortalem gratiam, & apud homines laudes amplissimas consequemini. Datum Basileæ &c.

*Imo Leonem III.

SYNODI BASILEENSIS
RESCRIPTUM

Anno Christi 1438.

De non impedienda Ecclesiæ Reformatione in capite & in membris, & quod Papa subjectus sit Concilio, quodque tyrannica ejus administratio à Concilio suspendi debeat.

Datum Oratoribus Vicariorum & cæterorum Electorum Imperii Romani, &c. Francofurti in Conventu Electorali congregatorum, instantibus ut supersederetur in processu Papæ Eugenii.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, ad futuram rei memoriam.

1. Audivit hæc sancta Synodus affectionem devotissimam Venerabilium Archiepiscoporum, & cæterorum Illustrium Principum Electorum sacri Imperii, ad pacem & quietem Ecclesiæ, quam vos egregii ipsorum Oratores in nostra congregatione generali diserta oratione reserastis. Vicissim quoque audierunt discretiones vestræ zelum syncerum, quem sancta eadem Synodus ad ipsius Ecclesiæ salutem & pacem semper gessit, veluti per Venerabilem Archiepiscopum Panormitanum ex ordinatione hujus sacri Concilii fuit in eadem congregatione latius explicatum. Deinceps pro affectu, quem ad pacem in cordibus nostris sedulo gerimus, ab eisdem discretionibus vestris inter Deputatos hujus sacri Concilii quæsitum est, ut media ad pacem ipsam opportuna velletis aperire. Nam & hæc sancta Synodus omnia media intendebat gratis animis amplexari, per quæ authoritas Ecclesiæ servaretur illæsa, & reformatio tantis expetita temporibus & pro qua jam in Conciliis Constantiensi, Senensi, & isto Basileensi tot sunt adhibiti labores, aliquem tandem fructuosum sortiretur effectum, ad Dei gloriam & animarum salutem. Vos vero pacis inveniendæ spem vos habere dixistis, si suspenderetur processus adversus Dominum Eugenium Papam Quartum inchoatus, & interim opera daretur per Dños vestros Illustres, ut ipse Dñs dissolutionem prætensa Concilii per eum attentam revocaret, & ea quæ adversus hoc sacrum Concilium egerat, de quibus atque etiam de justitia ipsius Concilii, Dominos vestros plene informatos esse commemorastis. Utque insuper ipse Dominus Eugenius Decreta Synodalia susciperet, & de congregando Concilio pro Græcis se non intromitteret, sed fieret apud Græcos ipsos instantia, ut venirent ad aliquem * trium locorum electorum per Concilium. Quod si obtineri non posset, videretur de aliquo tertio loco eligendo, qui & Concilio & Papæ

*Videl. Basileam, Avenionem, & Novam Sabaudiæ.

Papæ tutus & accommodus foret, adjicientes quod ad Papam super his destinaremus Oratores. Et tandem si concordia aliter non posset inveniri, super ipsius tertii loci electione Concilium & Papam aliquos compromitterent. Quibus per vos ex optima intentione & Zelo syncero (ut credimus) expressis, matura deliberatione præhabita, duximus hoc modo respondendum.

2. Laudamus & commendamus plurimum devotionem Venerabilium Archipræsulum, & cæterorum Illustrium Dominorum vestrorum atque vestram, quam simul & iustitiam huius sacri Concilii attentius considerare, & pacis media invenire conari conspicimus, laboribusque ipsorum ac vestris gratia est habenda. Nos quoque eacupimus efficere, quæ ad pacem salutarem consequendam, & piorum vestrorum desideriorum efficaciora sint. Speramus autem, favente Christi clementia, pacem ipsam nobis & vobis pariter desideratam inveniri posse, si sororem pacis iustitiam non prorsus abiecerimus. Nam ita iustitia & pax osculatæ sunt, atq; tali vinculo fœderatæ, ut quisquis unam sine altera quærit, neutram valeat amplecti. Si constantibus animis viam iustitiæ & veritatis ingrediamur, authoritatem Ecclesiæ & determinationes fidei iam in pluribus Conciliis promulgatas, atque per universalem Ecclesiam approbatas, totis viribus defendamus, quæ concorditer acclamant, Romanum Pontificem teneri obedire universalibus Conciliis in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in capite & membris ac pertinentibus ad ea, ut quod veritas ipsa declarata sonat, opere impleatur pacem optimam & nunc & in futurum universa Ecclesia consequetur. Nec Romani Pontifices pro libito suæ voluntatis implendæ adversus universales Synodos tanta bella movebunt in continuam perturbationem Ecclesiæ, sed benigne amplexabuntur, quæ universali consensu sunt instituta pro ædificatione ipsius Ecclesiæ & animarum salute. Ipsi quoque hoc pacto à Synodis universalibus omni favore & honore tractari merebuntur.

3. Inducunt nos præterea existimare de futuris, Dominum Eugenium Papam Quartum facilius ad hanc pacem inclinari posse pro salute animæ suæ, & totius Ecclesiæ, si processus inchoatus ad hanc sanctam Synodum continuetur, quam si eodem processu suspenso, nudis precibus de hoc interpelletur. Meministis, ut credimus, dum altera vice Concilium dissolverat, neque precibus inclytæ memoriæ Sigismundi Imperatoris Romanorum, nec Archipræsulum & cæterorum Illustrium Principum Electorum sacri Imperii, aut quorumlibet aliorum, ad huiusmodi revocandam dissolutionem induci potuisse, donec ad suspensionem ipsius ab administratione Papali hæc sancta Synodus procedere decrevit. Ubi vero nunc longe graviora, longe duriora peregit, & semel revocatam dissolutionem iterum attentavit. quid putandum est ex dilatione processus eventurum, nisi duriorem ipsius in cœpto proposito persistentiam? Iam semel post eius accusatam contumaciam, dilationem sexaginta dierum ad instantiam præfati Imperatoris ac Illustrium Dominorum vestrorum dedimus. Et post lapsum illorum adhuc aliis pluribus diebus expectavimus. Quid istæ dilationes profecerint, vos ipsi conspicitis? quoniam etiam Dominos vestros Illustres literas & Nuncios ad eundem Dominum Eugenium misisse commemoratis. Et quanquam plurimum sit eorum diligentia commendanda, nihil tamen ad salutem Ecclesiæ Dei obtentum est. Interim ipse Dominus Eugenius literas & Nuncios ad diversas regiones misit, in huius Concilii impugnationem: interim plurimos ad adeundum prætensum Ferrariense Concilium convocare studuit, in scissuram Ecclesiæ: interim laboravit ut Græcos ad locum, quem vellet, posset adducere, ut sub umbra conventionis eorum correctionem effugere, & obedientiam quam huic sanctæ Synodo exhibere tenetur, eludere valeret. Cuius rei assequendæ gratia, iam adversus honorem Ecclesiæ Latinæ plurima scandala per ipsum Dominum Eugenium atque suos etiam in oculis Græcorum commissa sunt: & nunc in foribus est schisma inauditum duorum Conciliorum, per erectionem ipsius prætensi Concilii Ferrariensis. Iam imminet speratæ reformationis extinctio, authoritatis universalis Ecclesiæ prostratio, si non celeriter occurratur; neque aliud remedium nobis superest, quam ut per continuationem processus & iustam suspensionem administratione Papali, ipse Dominus Eugenius ad viam iustitiæ & semitam veritatis reducatur, per quam pax gratissima non tantum in hoc tempore, sed & diebus futuris donetur populo Dei. Nec ista suspensio est ipsius depositio: adhuc illa differetur; nec ad eam nisi cum magna maturitate hæc sancta Synodus procedere intendit. Et interim Illustrium Dominorum vestrorum pia devotio apud ipsum Dominum Eugenium laborare poterit, ut pacem Ecclesiæ donet. Longe quoq; facilius, Deo adiuvante, sua consequentur desideria, vehementiusq; Dominum ipsum ad pacis amplexus excitabunt, imminente depositione sua, si non assenserit precibus ipsorum, quam si suspenderetur processus. Erit enim per Dei gratiam hæc suspensio non letalis vulneratio, sed medicina salutaris, habebitisq; in ulteriori dilatione, quod à nobis exposcitis, tempus prosequendi salubria media pacis. ad quorum cupidos amplexus hanc sanctam Synodum semper pacatam invenietis. Offert autem hæc S. Synodus Venerabilibus Archiepiscopis & cæteris Illustribus Dominis vestris plurimo honore dignissimis, quicquid ad pacem & prosperitatem sacri Imperii & omnium Prælatorum atq; Principum inclytæ Germaniæ efficere poterit, exhortans in Domino devotiones eorum, ut saluti Ecclesiæ ac paci semper & auxilia huic sanctæ Synodo iugiter largiantur: & cum bona concordia atq; diligentia debita talem futurum Imperatorem eligere curent, qui languoribus universalis Ecclesiæ sua advocatione subvenire possit, & universum populum Dei inter præsentium temporum calamitates consolari, ad ipsius omnipotentis Dei gloriam & honorem, qui est benedictus in secula seculorum, Amen. Datum Basileæ in congregatione nostra generali, XVI. Calend. Februarii, Anno à nativitate Domini MCCCCXXXVIII.

Alberti II. Auſtrii Imperatoris Auguſti

DECRETA

AnnoChr. 1439.

Edita Budæ in Hungaria Anno Domini MCCCCXXXIX.

NOs ALBERTVS Dei gratia Romanorum Rex, ſemper Auguſtus, ac Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex: Dux Auſtriæ & Stiriæ, Marchioque Moraviæ &c. Memoriæ commendamus, tenore præſentium ſignificantes, quibus expedit, univerſis, quod Excellentiſſimo Principe, Domino SIGISMVNDO Romanorum Imperatore ac præfati Regni Hungariæ &c. Rege, patre noſtro chariſſimo, laudandæ memoriæ, tempore noviter præterito, Deo cœli, cuius nutui humana fragilitas nequit obviare, volente, viam univerſæ carnis ingrediente, nobisq; (favente divina clementia) in regimen & ſolium ipſius Regni Hungarici votive ſuccedentibus, Prælatorum & Baronum, necnon Procerum & Nobilium Regni noſtri Hungarici Vniverſalis identitas, noſtrum Regium conſpectum adeundo, & libertates ipſius Regni noſtri, quibus ipſi Prælati & Barones ac Nobiles, eorumque prædeceſſores, temporibus Divorum Regum, præſertimque quondam Sereniſſimi Principis, Domini Ludovici, Regis fœlicis recordii, prædeceſſoris noſtri, freti fuere & gaviſi, in quam plu rimis ſuis articulis diminutas eſſe recitantes, & noſtram Regiam Serenitatem ſuper reformatione ſtatus dicti Regni noſtri precibus & inſtantiis propulſantes, infra ſcriptos Articulos, & in eis contenta, noſtris literis inſeri, & conſcribi facere, approbare, & in eisdem ſe per nos illibate conſervare, humillime ſupplicarunt, nos quoque promiſimus, imo promittimus bona fide, quod Articulos infraſcriptos tenere & implere volumus & debemus.

Artic. I.

De reformatione conſuetudinum Regni.

PRimo, quod antiqoas leges & conſuetudines huius Regni, & libertates regnicolarum, Eccleſiaſticorum & ſecularum, cuiuslibet ſtatus, ad priorem ſuum modum & ſtatum, quantum de iure, & cum honore eorumdem Prælatorum, & Baronum, ac Regni Nobilium conſilio & auxilio poſſumus, reducemus, redintegrabimus, reformabimus, & de cætero in eisdem manutenebimus & conſervabimus.

Artic. II.

De electione Palatini.

INſuper quod Regia Maieſtas Palatinum Regni, antiqua conſuetudine Regni noſtri requirente, eligat, & quod idem Palatinus ex parte regnicolarum Regiæ Serenitati, & ex parte ipſius Regiæ Maieſtatis regnicolis, iudicium & iuſtitiam facere poteſt, & teneatur: quod conſilio Prælatorum & Baronum ac Regni Nobilium pari voluntate eligatur.

Artic. III.

De ſtipendiis, & exercitu generali.

ITem, quod Regia dignitas, pro tuitione Regni & confiniorum, ipſiusque conſervatione, hominibus ſuis exercitualibus de ſtipendio Regali diſpoſitiones facere, ſic, quod regnicolas ipſi ſtipendiati exercituantes non prædentur; exercitus vero generalis regnicolis tam diu, donec huiuſmodi ſtipendiati exercituantes adverſariis reſiſtere poterunt, non proclametur. Vbi autem ipſi exercituantes regnicolas prædati fuerint, tunc tales pronuncientur ad inſtar aliorum patratorum actuum *potentiariorum*, Dum vero neceſſitate urgente, exercitum generalem proclamari contigerit, tunc *Nobiles* Regni ultra metas & confinia Regni, ex quacumque parte eiusdem Regni, inviti more exercituantium non ducantur, antiqua eorum libertate requirente.

a. Item quod novitates, & nocivæ conſuetudines introductæ, aboleantur, & deſtruantur.

Artic. IV.

Quod officia exteris nationibus non conferantur, & quod Domini Prælati & Barones, homines forenſes non conſervent.

ITem alienis & forenſibus hominibus, cuiuscumque nationis & linguagii exiſtant, officia in ipſo Regno noſtro non committemus; nec caſtra, fortalitia, metas, poſſeſſiones, honores, Prælaturas, Baronias, Comitatus, vel quascumq; Eccleſiaſticas vel ſeculares dignitates, ad tempus vel in perpetuum, extraneis & forenſibus, niſi hominibus Hungaris, conferemus. Quodque Prælati & Barones, homines extraneos & forenſes non conſervent.

Artic. V.

Quod proventus Regales ſolis incolis Regni in arendam conferantur.

ITem de triceſimis, lucro Cameræ, montanis, urburis, cuſſionibus monetarum, cameris ſalium, earundemque Comitibus, necnon marduris, quinquageſimis, & quibuscumq; Officialibus in arendam, vel adminiſtrative, ſeu aliter quovis modo, ſimiliter hominibus idoneis, coronæ Hungariæ ſuppoſitis, & non extraneis, liberam diſponendi facultatem, modo conſueto, habeamus.

Artic.

Artic. VI.

De lucro Cameræ, quinquagesimæ & mardurinis.

Item quod lucrum Cameræ in Regno Hungariæ, quinquagesimam in partibus Transylvaniensibus, & marturinas in Regno Sclavoniæ, exigi, consuetas, exigi, more alias ab antiquo consueto, tedimendi, & ad statum tempore præfati quondam Domini Ludovici Regis observatum.

Artic. VII.

An Domini Prælati & Barones duas dignitates tenere non possint.

Item Prælati & Barones duas dignitates, honores, Baronias, scilicet seculares & Ecclesiasticas, simul tenere non valeant, nec homo secularis sive vir Ecclesiasticus, dignitates Ecclesiasticas occupativè servare possit.

Artic. VIII.

De cambiis forensium mercatorum.

Item nullus mercatorum forensium, & extraneorum, cuiuscumque nationis existant, ad mercandum seu forizandum, in medium Regni, sed ad loca tempore prætacti quondam Ludovici Regis ad forizandum & emendum & cambiendum deputata, negotiationes suas peracturus, more consueto accedat.

Artic. IX.

De moneta non immutanda, & de cussione obulorum.

Item quod monetam auri & argenti, in valore & cursu, quibus pronunc existit, sine consilio Prælatorum, Baronum & Regni Nobilium non immutabimus: sed cudantur obuli in eadem lege, qua ipsi maiores denarii cuduntur; quorum obulorum duo unum integrum denarium valeant. Et quod penes Dominum Archiepiscopum Strigoniensem & Magistrum Tavernicorum, unus fidelis & idoneus vir, in probatione huiusmodi cussionis monetæ, auri scilicet & argenti, deputetur.

Artic. X.

De extraneis monetis, & salibus.

Item monetæ & pecuniæ atque sales forenses in regnum non introducantur, & nec acceptentur, & de hoc fiat provisio celerius quantum potest.

Artic. XI.

Quod Domina Regina officiolatus solis regnicolis Regni conferat.

Item quod dispositio pro Serenissima Principe, Domina Elizabeth Regina, & eius status honoris conservatione, ex quo est hæres huius Regni, fiat, ubicumque vult in Regno: sic tamen, quod ipsa Domina Regina, honores & officiolatus suos non extraneis & alienis, sed incolis huius Regni, quibuscumque maluerit, conferendi, & collatos, dum sibi placuerit, ab eisdem, secundum suum arbitrium, habeat facultatem auferendi.

Artic. XII.

De captivis in exercitu, tempore pugnæ erectis, & de facultate bellantium disponendi de eisdem.

Item dum in exercitibus & pugnis, seu quibuscumque Regis eum inimicis Regno committendis, Hungaros aliquos de hostibus captivare, vel aliquid aliud lucrari contigerit: tunc ipsi Hungari huiusmodi captivos, & lucrum, exceptis notabilibus personis vel Capitaneis ipsorum exercituum inimicorum Regiæ Maiestatis, in captivos pertinentes, quos nos ab ipsis captivantibus, pro donis condignis recipere valeamus, pro se retinendi vel vendendi, aut Ecclesiis perpetuæ servitutis iugo tradendi & donandi habeant facultatem.

Artic. XIII.

Quod in defensionibus metarum Regni, Maiestas Regia consilio regnicolarum utetur.

Item quod in defensionibus & conservationibus metarum, & confiniorum huius Regni, consiliis regnicolarum utemur.

Artic. XIV.

Quod honores seculares incolis huius Regni conferantur.

Item honores seculares, absque quolibet consilio, hominibus istius Regni Hungariæ, & non advenis, liberum arbitrium conferendi, & ab eisdem auferendi habeamus.

Artic. XV.

Quod possessiones forensibus non conferantur: incolis etiam pro servitiis, & non pro pecuniis, donentur.

Item possessiones & iura possessionaria, non forensibus, sed benemeritis incolis tantum Regni & coronæ Hungariæ subiectis, iuxta eorum merita & obsequia, & non pro pecunia, conferemus. Perpetuas vero venditiones, vel impignorationes iurium Regalium & Cameræ, nec cum consilio nec sine consilio quorumcumque faciemus.

2. Item quod præscriptiones, seu dispositiones super metis & graniciebus inter Hungariam & Austriam prius facta in suo robore perdurent: de matis vero & graniciebus inter Hungariam & Moraviam, quicquid de consilio eorundem Prælatorum, Baronum & Regni Nobilium de iure facere debemus, libenter faciemus.

Artic. XVI.

De hospitibus & victualium procuratoribus.

ITem quod in possessionibus & bonis Nobilium & Ecclesiarum, seu quarumcumque secularium & Ecclesiasticarum personarum, violentas exactiones victualium, procurationes hospitalitatum, & alias quascumque aggravationes præter voluntatem instantium non faciemus, nec fieri permittemus; nec in domibus, & in locis Prælatorum, Baronum, & aliorum quorumcumque Secularium & Ecclesiasticarum personarum, pro tractatibus habendis, & aliis quibuscumque negotiis disponendis, ipsis invitis morabimur, aut eos expensis, victualibus, curruum & sarcinarum vecturis, nunciorum & familiarium, & quorumcumque ad nos pertinentium procuratione, ultra eorum spontaneam voluntatem in aliquo gravabimus, sicut abusive & contra voluntatem eorum, ab antiquo tempore retracto fieri erat inchoatum.

Artic. XVII.

De servitiis exercitualibus Ecclesiasticarum personarum.

ITem Ecclesiæ & Ecclesiasticæ personæ à taxis non diu abusive introductis, liberæ & absolutæ relinquantur; servitia tamen exercitualia more alias consueto facere teneantur.

Artic. XVIII.

De maritationibus filiarum Regia Maiestatis.

ITem quod de maritatione filiarum nostrarum agemus cum consilio Prælatorum, & Baronum, ac Nobilium Regni nostri Hungarici, necnon cognatorum & proximorum, atq; subditorum Regnorum ac Ducatuum nostrorum.

2. Item quod Ecclesiastica beneficia vacatura non faciemus, neque permittemus persecutores occupare personas.

3. Item quod habitationem nostram hic in Hungaria, more aliorum Regum, faciemus & continuabimus.

Artic. XIX.

Quod procuratores Regii & Reginales in sede iudiciaria sedere non possint.

ITem quod Procuratores Regiæ & Reginalis Maiestatum in sede iudiciaria, una cum iudicantibus sedere non possint, sed interim causantes, tempore, quo videlicet causa ipsorum Regiæ & Reginalis Maiestatum agitur, stare debeant: literas etiam per causidicos in ipsa sede exhibentes, per se non conspiciant, nec tractent suis manibus, nisi Magistri iudicantium.

Artic. XX.

Quod Regia & Reginalis Maiestates ratione indebita recaptivationis iurium possessionariorum in æstimatione convincantur, & de impetratoribus iurium Regalium.

ITem in facto possessionum per Regiam vel Reginalem Maiestatem, aut eorum Procuratorum à talibus, qui per præsens in Dominiis earundem exsisterunt, recaptivandarum, & iuri Regio acquirendarum, quas Regalis seu Reginalis Maiestas iure mediante, vigore huiusmodi recaptivationis, sibi appropriare non possent, contra tales, qui sic indebite & absque iure impediti, & expensis fatigati fuerint, ipsa Majestas in æstimatione talium possessionum ad instar aliorum similia facientium regnicolarum, convincatur. Et similiter, si quipiam aliqua iura possessionatia, nomine iuris Regii, pro se impetrarent, & eadem ipsi iuri Regio pertinere, comprobare non valerent, in æstimationa eorundem. Si vero tales impetrantes ante decisionem causæ, in facto huiusmodi iurium impetratoris motæ, de sa dominio ipsorum jurium, ac de proventuum eorum perceptione occupative, sive alio quovis modo intromitterent, nec tandem juridice sibi appropriare possent, contra partem læsam seu litigantem, & expensis fatigatam in facto potentiæ, prout ordo iuris requirit, convincatur.

Artic. XXI.

Quod despotus, & Comes Ciliæ officiolatus Hungaris conferant.

ITem iuxta requisitionem regnicolarum nostrorum, nos una cum eisdem operabimur, quod Despotus* Rasciæ, & Comes Ciliæ, cæterique Magnates, dominia videlicet possessiones, castra, fortalitia, civitates, oppida, & alia bona in hoc Regno Hungarico habentes & tenentes; hujusmodi castra, fortalitia, oppida, civitates & possessiones, non advenis & forensibus, sed Hungaris hominibus pro honore dare debeant.

* quæ olim superior Mysia, in Novel. II. Iustin. Imp. Mysia secunda, hodie etiam Bulgaria dicitur, Thraciæ Regio. Mysia prima, quæ hodie Servia, Daciæ regio,

2. Item honores & officia nostra illis Hungaris, regnicolis nostris, quibus voluerimus, more ab antiquo consueto, iuxta huius Regni nostri Hungarici consuetudinem, conferemus.

Artic. XXII.

Quod solum Nobiles possint captivari, qui in sententia capitali convincuntur.

ITem quod nullus Nobilium Regni, pro quibuscumque factis per quemcumque, præter talem, contra quem sententia capitalis iuridice lata fuerit, possit detineri, seu quoquo modo captivari.

Artic. XXIII.

Quod Nobiles decimas solvere non teneantur.

ITem Nobiles tam Iobagiones habentes quam non habentes, decimas dare non teneantur, antiqua eorum libertate requirente.

Artic. XXIV.

De proclamata congregatione; qui modus institutus fuit olim tempore quondam DN. * *Sigismundi Regis per DN. Albertum Regem renovatus.*

* In Decretis Posonianis art. 5.

VErum quia frequenti querela regnicolarum nostrorum, imo quadam palpabili experientia teste, nostra percepit Celsitudo, quod nonnullas novas possessionum occupationes & potentiariorum actuum illationes, eosdem regnicolas, inferiores videlicet à potentioribus multipliciter opprimi, & gravari; ideo volentes insolentiis & novis *a* anteceptationibus, per media opportuna, viam præcludere, statuimus & ordinamus, sicut etiam in Decreto maiori antefati quondam Domini Sigismundi Imperatoris alias Posonii de unanimi Prælatorum, & Baronum, ac Procerum huius Regni nostri Nobilium consilio, assensuque & voluntate edito, aperte continetur, quod quandocumque & ubicumq; fuerint factæ novæ possessionariæ, ac terrarum occupationes, potentiariæ vadiationes, seu rerum & bonorum ablationes, succisiones sylvarum, interemptiones, vulnerationes & verberationes hominum, domorum & possessionum invasiones, & deprædationes, ac alii similes novi actus potentiarii maiores, extunc læsi, ac damna & injuriam passi, impetratis literis nostris Regalibus querimonialibus & præceptoriis, Comites Parochiales, & Iudices nobilium Comitatus illius, in quo facta huiusmodi patrata extiterint, accedant & requirant, qui quidem Comites & Iudices Nobilium cum testimonio Capituli vel Conventus illi Comitatui deservire soliti, à vicinis & commetaneis ac Nobilibus provincialibus sub certis pœnis & huiusmodi literis nostris Regalibus declarandis, in sedem eorum iudiciariam, per modum proclamatæ congregationis, partibus quoque litem habentibus convocatis, ad fidem eorum Deo debitam, fidelitatem nobis & sacræ Coronæ observandam, tactis Sanctorum reliquiis præstitam, super huiusmodi novis occupationibus possessionariis, & aliis actibus potentionariis, plenam & indilatam requirant veritatem; qua requisita & inventa, possessiones occupatas authoritate in hac parte eis attributa mediante, restituant eisdem, à quibus fuerant indebitè occupatæ, ipsosque dominio in earundem protegant & conservent. Alia vero bona, & valida potentia ablata, absque defectu reddant & restituant.

a al. antæceptationib.

2. Super facto autem potentiæ in talibus commissæ, partes utrasque discussionem, & sententiam finalem recepturi, ad certum terminum, mediantibus eorum, & dicti Capituli vel Conventus literis seriem totius facti exprimentibus, ac propria, & possessionum factum huiusmodi attestantium nomina continentibus, in personalem præsentiam nostram Regiam, aut Palatinalem, seu Iudicis Curiæ transmittant: ubi absque ulterioris termini & litigionarii processus observatione, & continuatione, etiam partis non venientis absentia non obstante, Nos vel Iudex alius, ad quem causa transmissa fuerit, iuramentum capitis decernentes, tandem finalem sententiam proferemus, & *b* pio fine terminabitur.

b al. proferre tenebitur.

3. Quicumque autem huiusmodi vicinorum & commetaneorum, ac aliorum Nobilium comprovincialium attestationes fieri, de damnisque & ablatis, læsis & damnificatis satisfactionem impendi non permitteret, eisdem omnino resistendo, extunc talis in illo termino, ad quem factum seu causa huiusmodi per Comitem, ac Capitulum seu Conventum rescribetur, in facto potentiæ pronuncietur, sed decernatur eo facto,

4. Volumus etiam, & præsentibus decernimus, ut talismodi præmissorum executio seu causa per modum proclamatæ congregationis exinde mota sine verten: nec nostris Regalibus seu Reginalibus, neque Prælatorum seu Baronum, quorumcumque etiam confinia Regni nostri tenentium literis, nec videlicet ratione exercitualis expeditionis, neque conservationis castri possit quoquam prorogari, sed eadem causa in uno termino ad hoc deputato finaliter concludatur.

Artic. XXV.

Quod quilibet personaliter repertus super novis actibus potentiariis respondere teneatur.

ITem quod quilibet patrator novorum actuum potentiariorum, qui coram Regia Maiestate, aut Palatino, seu Iudice Curiæ nostræ Regiæ per querulantes personaliter reperietur: in continenti sine ulla prorogatione, ulla que cautela inventa, super omnibus sibi obiiciendis ipsi querulanti debeat respondere; alioqui contra tales, tamquam absentes, ipsa congregatio generalis detur.

Artic. XXVI.

De facultate concordandi litigantium.

In Decret. Sigismundi art. 6.

PAtres tamen litigantium, quandocunque voluerint absq; requisitione Iudicis, & onere solutionis byrzagiorum, liberam concordandi habeant facultatem, quemadmodum antiqua & laudabilis consuetudo huiusmodi concordiam, in quibuscumque factis pœnitentialibus, & aliis liberè faciendam dictat & consentit.

2. Redemptiones autem literarum, & adductiones testimoniorum Capitularium, seu Conventualium, & qualiter aut quomodo falsæ viæ tributorum custodiantur, in eodem statu, quo in ipso Decreto Domini Sigismundi Imperatoris & Regis continentur, relinquantur.

Artic. XXVII.

De processibus per exhibitiones literalium instrumentorum.

ITem alia facta potentiaria minora, pro quibus videlicet proclamata congregatio non datur, in tribus terminis, seu octavis finaliter in iudicio concludantur, sic videlicet, quod duas evocationes præcedentes trina forensis proclamatio subsequatur. In factis autem, seu requisitionibus quarumcumque possessionum, finaliter duabus evocationibus, & trina forensi proclamatione procedenti pars adversa respondere teneatur, tali modo: Quod si aliqua literalia instrumenta apud se habere asseruerit, tunc semel sine onere, binis autem vicibus, cum oneribus iudiciorum, absque consulentia ulterioris prorogationis, exhibere teneatur: aut si ad primum terminum exhibitionis non venerit, tunc etiam duo termini; & si ad secundum non venerit, tunc unus terminus compleatur, causaque in facto possessionatiu mota, finem sortiatur effectivum.

Artic. XXVIII.

Quod si dixerit instrumenta apud manus alienas existere.

SI vero pars adversa sua literalia instrumenta apud manus alienas haberi asseruerit, tandem pro requisitione huiusmodi suorum literalium instrumentorum unus annus assignetur, ut contra adversarium in facto ipsorum instrumentorum terminus compleatur: sic, quod elapso ipso anno, in primo termino iuridice assignato, dicta instrumenta sua exhibeat; vel si exhibere nollet, aut non posset, tunc absque ulteriori prorogatione ipsa causa similiter finem sortiatur effectivum.

Artic. XXIX.

Quod si plures fuerint in causam attracti, & quidam ex eis absentes fuerint.

SI vero in accusatione alicujus possessionis, tres, vel quatuor, aut quinque, sive plures personæ, unius tamen & eiusdem generationis, in causam fuerint attracti, tunc absentia, & non venientis unius, vel duorum aut plurium, aut si ex ipsis unus vel duo aut plures in exercitu, sive in conservatione confiniorum, seu castri, vel aliis quibuscumque servitiis Regalibus fuerint constituti, tunc ratione horum causa in facto talis possessionis mota ullatenus prorogari possit, sed in eadem causa cum uno vel pluribus eorundem in propriis residentibus, terminus legitimus similiter compleatur.

Artic. XXX.

Quod si omnes in exercitu fuerint.

VBi autem omnes huiusmodi in causam attractos, nullo penitus eorum in propriis remanente, in notabilibus Regni vel Regis servitiis occupari contigerit, extunc causa ipsa, dempto facto proclamatæ congregationis generalis, ad ulteriorem terminum, more alias consueto, poterit prorogari.

Artic. XXXI.

De pœnis inter Ecclesiasticos & seculares impositis.

ITem quæcumque Ecclesiastica persona aliquem Nobilem in præsentia cuiuscumque Iudicis ordinarii citaverit, vel evocaverit, & si idem Nobilis contra ipsam personam Ecclesiasticam ordine judiciario in sententia convictus fuerit, tunc gravamina maiora incurrere non possit idem Nobilis, nisi homagium suum, scilicet emendam capitis sui pretiosi, eo modo sicuti ipsa Ecclesiastica persona, & de damnis tam ex parte Ecclesiasticarum, quam secularium personarum, judex damnum patienti satisfactionem impendere teneatur.

Artic. XXXII.

De funeribus hominum interfectorum, quod Archidiaconi nullam solutionem recipere valeant.

ITem decrevimus, prout etiam per certos prædecessores nostros Reges decretum fuisse intelleximus, quod pro funeribus hominum per aliquem vel aliquos interemptorum, Archidiaconi seu

Plebani

Plebani Parochiales, prout hue usque de mala consuetudine fuit observatum, nullam solutionem pecuniariam recipere valeant atque possint.

Nos itaque hujusmodi petitionibus Prælatorum, Baronum, Nobilium ac regnicolarum nostrosum autes exaudibiles Regis cum favore inclinantes, supradictos Articulos, quoad omnes suas continentias & clausulas, mera nostra authoritate, & potestatis plenitudine, ex certa nostræ Majestatis sententia, necnon de concensu & beneplacito præfatæ Dominæ Elizabeth Reginæ, consortis nostræ prædictæ, præsentibus literis nostris inseri fecimus, ipsos Prælatos, Barones, Nobiles & Regnicolas nostros, præmissis libertatibus in eisdem Articulis superius expressis, perenniter fruituros, & gavisuros committen. Adjecimus præterea, ac nostro ac potestate Dominæ Reginæ consortis nostræ nominibus spondemus, quod memoratos regnicolas nostros, & totum Regnum nostrum, in quibuscumque eorum necessitatibus non deseremus, sed fideliter & toto posse nostro, pariter cum eisdem ipsum Regnum, ac præassertos omnes regnicolas nostros, ab omnibus æmulis defensabimus, ac in cunctis tam præmissis quàm etiam in aliis singulis bonis & laudabilibus ac justis antiquis consuetudinibus eorum, & Regni nostri Hungarici prædicti, inviolabiliter sempes & ubique tenebimus, & conservabimus effective. Quicumque autem hominum, cujuscumque status & conditionis existant, hæc ipsa, quæ in superioribus continentur, quavis scilicet occasione impugnate molirentur, contra omnes & quoslibet tales, ad eosum protervíam domandam & compescendam pariser, tum eisdem regnicolis nostris, prout & ipsi omoes universaliter idipsum se facturos spospon derunt, operabimur, totoque posse præsentium literarum nostrarum, qnibus secretum sigillum nostrum, quo ut Rex Hungaricus utimur, est appensum, vigore & testimonio mediante.

Datum Budæ fetia sexta, *proxima ante festum sanctæ Ts initatis, anno Domini millesimo quadringentesimo tricesimo nono. *III. Non. Junii.

SYNODI BASILEENSIS RESCRIPTUM

Anno Chr. 1439.

DE PROMOVENDA REFORMATIONE ECCLESIÆ, in capite & membris, ut ei Papa subjiciatur, & quod Papa non habet potestatem mutandi Concilia, & quod tyrannice agens ab officio Papali debet suspendi, & si non resipiscat, deponi.

AD ALBERTI II. REGIS ROMANORUM ET ALIORUM REGUM ac Principum schedulam præsentatam deputationibus per Oratores, super mutatione Concilii in alterum ex tribus locis, etiamsi Papa & Græci non consentirent.

Sacrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitimè congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, ad futuram rei memoriam.

1. Audiat vestra Charitas, Venerabiles & Circumspecti Viri, Oratores Serenissimorum Regum Romanorum & Francorum atque etiam & Principum, qui per hos dies huic sanctæ Synodo Basileensi præsentes affuisti ea quæ super rebus per vos propositis, zelus domus Domini nos in auxilio ipsius divinæ pietatis confidentes, respondere urget atque compellit. Commendamus quidem inprimis & ipsorum Principum vestrorum piam devotionem, & vestram ad bonum universalis Ecclesiæ, in quod pariter universa nostra vota & desideria sedulo adspirant. Quid enim aliud hæc tanta Synodus tantis & tam assiduis laboribus jam per octo fere annos continuatos efficere cupit, nisi ut Ecclesia Christi & salubri dispositione tegatur, & optima pace & tranquillitate refloreat? Sed ut nos & vos auxiliante pacis & salutis authore Christo Jesu, tandem id consequi valeamus quod omnes communi consensu optamus, non supervacuum erit de necessitatibus & periculis, in quibus ipsa versatur Ecclesia, quicquam dicere: quæ etsi aliis nostris decretis & Epistolis magna ex parte commemorata sint, tamen his jam ad memoriam cunctorum recenter deductis & plenius intellectis, salutaria remedia facilius inveniri poterunt, & efficacius præstari.

2. Non latet discretiones vestras, quanto conatu jam tribus Conciliis generalibus, Constantiensi, Senensi & hoc præsenti Basileensi, elaboratum sit pro pacifico & ordinato regimine Ecclesiæ, sub lege Domini & Canonicis regulis disponendo, ut non per varios abusus assidue increscentes ipse status Ecclesiasticus decolorati, & in deteriora ruere sineretur, in offensam divinæ Majestatis, & periclitationem, confusionem atque turbationem maximam universæ Christianæ religionis. Neque inficiari possumus, id esse beneplacitum divinæ voluntatis, ut hæc restauratio decoris domus Dei, & reformatio salutaris ageretur, pro qua efficienda jam hæc tria generalia Concilia in Spiritu sancto legitimè congregata fuerunt, prout ipsi summi Pontifices, & universi Ecclesiæ ministri, atque etiam

Reges & Principes Christiani professi sunt, & omnis plebs Catholica cognovit. Et ut dolorum præsentium originem aperto sermone dicamus, pro hac una causa reformationis Ecclesiæ in capite & in membris, quam cum aliis operibus estirpationem hæresum & pacificationem Christianorum Principum concernentibus, hæc sancta Synodus multa solicitudine & vehementi instantia prosequi cœpit, tot & tanta perturbationum genera, quæ conspicitis, adversus eam escitata sunt. Cum enim decreta salubria super celebrandis *a* electionibus Prælatorum, tollendisque *b* exactionibus, quæ sub prætextu annatarum in collatione dignitatum & beneficiorum ac Ecclesiarum provisione intervenire solebant: atque insuper de *c* Prælatis non transferendis invitis: de *d* terris Ecclesiæ Romanæ non alienandis, & alia quædam edidisset, sperans Dominum Eugenium Papam Quartum non solum ea amplecti & maxime exequi, verum etiam cæteros verbo & exemplo ad observantiam sacrorum Canonum inducere, præsertim visa *e* adhæsione, quam huic sacro Concilio præstiterat, ubi expresse affirmabat, ipsum Concilium debere continuari, & progressum habere ad reformationem Ecclesiæ in capite & in membris, ac pertinentia ad ea: idemque Concilium pure, simpliciter, & cum effectu ac omni devotione prosequebatur, ut dicebat & intendebat prosequi, sicut in *f* litteris suis parentibus more Romanæ Curiæ bullatis, & per Cardinales sanctæ Romanæ Ecclesiæ tunc apud eum consistentes subscriptis, atque in nostra Synodali sessione solenniter præsentatis & publicatis, latius continetur. Vidit autem deinceps hæc S. Synodus, quod quasi passim electionibus obsistebat, reservationibus contrariis utendo: exactionesque pecuniarum in collatione beneficiorum & dignitatum magis indies crescebant in illaqueationem animarum, depauperationem Regnorum & Provinciarum, violationem voluntariam sacrorum Canonum, & parvipensionem authoritatis Concilii generalis, à quo Canones ipsi editi erant, unde futurorum Conciliorum parvipensio & gravis contemptus imminere videbantur. Nec sic tamen cessavit S. Synodus à persecutione incboati, sanctissimi operis reformationis Ecclesiæ, ut voluntati Domini Dei sui pro viribus obsequeretur. Promulgati sunt Canones de *g* numero & qualitate Cardinalium, de restringendis supervacuis *h* reservationibus beneficiorum, de sublatione multitudinis *i* gratiarum expectativarum, & *k* causis in partibus, ubi oriuntur, ordinate tractandis. Necnon & alia plura salutem & tranquillitatem totius Ecclesiæ concernentia, multoque ampliora & in breviori tempore pro publica salute edita fuissent, si non gravissima impedimenta obstitissent, quæ huic sanctæ Synodo quasi assidue procurata fuerant. Quantum vero & Canones ipsos & authoritatem condentis reveritus fuerit ipse Dominus Eugenius, facta proh dolor nimis in adversum multiplicata testantur. Admonitus est pluribus vicibus cum omni charitate, ut animum suum ad eorum observationem inflecteret, quæ pro salute gregis Dominici statuta erant: nec potestatem sibi in ædificationem Ecclesiæ datam, verteret in destructionem. Et ne in quibusdam super minus sufficienti provisione temporalium, aliquam prætenderet excusationem, obtulit ei S. Synodus, si indigeret, convenientem provisionem exhibere, dum animum suum ad observationem decretorum Synodalium videret benigne inclinatum. Ipse autem, quod dolenter referimus, nimium dure in adversum obstitit. Solvebatque insuper, quos ligabat S. Synodus; & ligabat ipse, quos hæc solvebat. Quibus ex rebus plurima scandala, divisiones & schismatatum in Ecclesiis particularibus, tum in generali facto universalis Ecclesiæ exorta sunt.

a Sess. 12. 21. 32. 38.
b Sess. 21. 31.
c Sess. 8.
d Sess. 8.
e Sess. 14.
f Sess. 16.
g Sess. 33. 27.
h Sess. 23. in fi.
i Sess. 31.
k Sess. 31.

3. Visusq; est in hoc unum vehementer adspirare, ut hoc Concilium sic reformationi intentum abrumperc, & aliud in ea parte Italiæ, quæ sibi magis placeret, eligere posset, ubi omnia magis ad suum libitum tractarentur: quod nec beneplacito divinæ voluntatis consentaneum, nec saluti Dominici gregis, nec conservandæ authoritati sacrorum Conciliorum accommodum, attentis præfati Domini Eugenii actibus hæc S. Synodus existimavit. Cum vero suum in ea re desiderium explere aliter non posset ipse Dominus Eugenius, cogitavit sub umbra Græcorum hoc tandem assequi. Qui quidem antea voluerat, ut cum eisdem Græcis in Constantinopoli communio fieret: jamque Orator suus cum Imperatore Romanorum ita fiendum esse convenerat, si hoc S. Synodo placuisset. Verum ipsa ex hoc grave periculum fidei Catholicæ judicavit posse imminere, si in eo loco tam remoto ab Ecclesia Latina in faucibus Turcarum constituto, res illæ concludi & tractari haberent. Sed dum eadem S. Synodus in eo proposito perseveravit, ut Græcorum ipsorum in regiones istas Occidentales procuraretur adventus, locumque nominavit, in quo juxta conventiones cum ipsis habitas de ipsorum ageretur unione. Nam & singulariter pro unione Græcorum & Orientalium prosequenda, eadem S. Synodus inter cætera fuit à principio congregata, ae insuper pro espensis necessariis subsidia exquisivit, tum ab universis populis fidelibus per indulgentiarum largitionem, tum singulariter à civibus Avinionensibus per mutuationem pecuniæ. Novit Deus quanta impedimenta ex parte ipsius Domini Eugenii & suorum in his præstita sunt, ut tandem deficientibus pecuniis & subsidiis sacro Concilio, in eam partem Italiæ, quam idem Dominus Eugenius desiderabat, transire cogeretur: Sicque per medium auri & argenti, in quo prævalere sperabat, facta Concilii & Ecclesiæ in suam redigeret voluntatem. Sed cum divina miseratio nec in his necessitatibus Conciliũ desereret, subsidiaque tum ex mututa Avinionensium, cum ex devotione populorum suppeterent, quorum ope S. Synodus suam Legationem in Constantinopolim pro conductione Græcorum transmittebat, nec sic proh dolor cessavit idem Dominus Eugenius aliud Concilium, prout ei libitum erat, velle eligere, & Græcos perduci facere in locum, qui sibi placebat, nullatenus electum per hanc S. Synodum, sicut ex conventibus inter ipsam & eosdem Græcos habitis, & per ipsum Dominum Eugenium expresse approbatis, eligi & nominari debeat. Quodque singulariter advertendum est, non solum conventioni habendæ in loco per Concilium nominato obsistebat, immo & eum locum, qui per duos Præsidentes inter alia loca, licet nulliter & de facto, sicut in aliis nostris Decretis & Epistolis lucide ostendimus, nominatus

mitus erat, quique pecunias & galeas protunc parare conabatur, rejecit ac recusavit. Vidit autem hæc S. Synodus, ex ea re schisma gravissimum jam parturiri, per alterius prætensi Concilii contra hoc verum Concilium, & altaris contra altare dispositam erectionem ad quam perficiendam ipse Dominus Eugenius jam de facto alias galeas, aliosque Oratores in Græciam transmittebat, in contrarium illorum, qui ex parte Concilii missi erant. Unde periculosissima gregi Dominico vastatio parabatur & perplexitas animarum, irreparabilisque jactura authoritatis sacrorum Conciliorum & Canonum Synodalium imminebat, dum sic aut Ecclesiam scindere, aut ipsius Ecclesiæ facta in suæ libitum voluntatis redigere Dominus ipse Eugenius conari videbatur.

4. Non potuit dissimulare Synodus, quæ multum patienter facta ejusdem D. Eugenii adversus ejus Decreta & bonum regimen Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus longo tempore sustinuerat, quo minus ad ejus evocationem & citationem procederet, recepta etiam prius informatione summaria super his, quæ de abusibus speciem Simoniacæ labis habentibus, alienationeq; & destructione plurium terrarum Romanæ Ecclesiæ, perjurio ac aliis in nostro citatorio Synodali plenius designatis, fama publica ferebat, ut priusquam vulnera illata Ecclesiæ cunctorum matri, validioribus incrementis aggravarentur, super ipsius Ecclesiæ regimine opportuna quæreretur provisio. Quid autem egerit vocatus ad Synodum, pro Deo attendite. Non solum non venit, immo nec minimum servulum mittere dignatus est, neque non mittere contentus fuit, verum insuper Synodum ipsam authoritate Apostolica, ex plenitudine potestatis ac ex certa scientia in Ferrariam se transferre dixit, casu quo virtute citatorii Synodalis aliquo procederetur, aut fieret aliqua novitas contra eum & sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, aut contra aliquem præsidentiam Oratorum suorum, qui in Concilio fuerant, excepta causa Bohemorum, per triginta dies duntaxat Basileæ tractanda, cum alter suorum Præsidentium protunc Archiepiscopus Tarentinus, quem in litteris præmissæ translationis nominavit, ad judicium Synodale vocatus esset, occasione certarum litterarum super quodam prætenso decreto factarum, de quo in eadem translatione mentio habita est, quas tamen litteras falso & clandestine bullatas fuisse constitit, prout in decreto XXVI. Sessionis hujus S. Synodi extitit declaratum. Cognoscebat ipse Dominus Eugenius esse verum & legitimum Concilium in Basilea, & expresse tam ipse quam sui Præsidentes ipsum in eodem loco firmum persistere debere condixerant & firmaverant, saltem usq; ad adventum Imperatoris & Patriarchæ Græcorum in ultimum portum citramarinum. Et si interim aliqua necessitas mutandi locum supervenisset, mutari debebat Concilium in locum propinquiorem ejusdem nationis juxta decretum Concilii Constantiensis, quod incipit, *Frequens*, sicut in conventionibus firmatis cum Græcis expresse cautum erat. Sciebatque multipliciter fuisse declaratum per hanc S. Synodum, etiam ex tempore primæ dissolutionis per eum attentatæ, quod Concilium per neminem cujuscumq; dignitatis, etiamsi Papalis, dissolvi, aut de loco ad locum mutari sine ipsius consensu poterat: quam esse veritatem juris divini, & articulum, qui fidem concernit, frequentius Synodus ipsa ostenderat. Unde nullatenus tolerare potuit eadem Synodus hanc translationem prætensam, quam ipse Dominus Eugenius, non obstantibus quibuscumque Decretis Concilii Constantiensis & istius Basileensis, & conventionibus habitis cum Græcis, per ipsumque approbatis, & declarationibus factis in materia fidei, attentasse comperiebatur, quibus omnibus derogatum esse velle videtur ex eo solo capite, si procederetur contra aliquem suorum Oratorum. Minusque potest tantus error in Summo Pontifice, quam in quocumque viventium, tolerari, quanto magis ipsum in fide Orthodoxa eruditum esse, & recte sapere convenit, ne (quod absit) totum corpus gravis morbus invadat, si languor non fuerit curatus in capite. Videreque possunt clarissime omnes intellectus hominum, authoritatem sacrorum generalium Conciliorum, aut nullam aut minimam deinceps haberi respectu Summorum Pontificum, si permitterentur ut Concilium authoritate Apostolica transferrent, casu quo procederetur contra ipsos aut aliquem suorum. Dicit veritas fidei, in sacro Constantiensi Concilio declarata, quod Concilium generale universalem ecclesiam repræsentans, potestatem à Christo immediate habet, cui etiam Summus Pontifex obedire tenetur in his, quæ pertinent ad generalem reformationem Ecclesiæ in capite & in membris. Ecce citatur ipse Dominus Eugenius super non observantia Decretorum Synodalium, concernentium ipsam generalem reformationem capitis, & membrorum, aliisque ad eandem pertinentibus. Ipse autem præcipit Concilio, ne ulterius in his procedat. Alioquin ipsum extunc transfert in Ferrariam, pœnas & censuras, licet tamen nulliter & de facto, in omnes, qui post actus Conciliares Basileæ exercuerint, fulminat. Addidit etiam, ut factum Bohemorum, pro quo tot millia hominum interierant, eo casu ultra triginta dies non tractaretur in Basilea, ubi Oratores Regni Bohemiæ eo tunc constituti erant, cum quibus sancta Synodus super declaratione articuli *de * Communione sub utraque specie*, gravibus & maturis disputationibus ac discriminibus laborabat. Potestne, ô Venerabiles Oratores, hanc taliter attentatam dissolutionem & translationem hæc sancta Synodus tolerare, aut sub dissimulatione transire, ubi per eam, dum prima ejus dissolutio longe minus gravis, quàm hæc secunda, fuerat perpetrata, responsum extitit Oratoribus ipsius Summi Pontificis, in responsione Synodali, in qua septem Cardinales aderant, & Legatus Apostolicus præsidebat. *Hic articulus fidem concernit, qui sine interitu salutis negligi non potest. Malumus mori, quàm tanto errori per ignaviā cedere.* Hæc verba ibidem dicta fuerunt: quæ nunc multo magis dicenda veniunt, ubi post declarationes super hoc factas per Ecclesiam, post promissiones ipsius Domini Eugenii, quod abstineret in futurum à gravaminibus inferendis Concilio & suppositis ejus. Hæc prætensa novissima translatio sub talibus conditionibus, quæ nulla ratione colorari possunt, & tali tempore facta est, quod si oportuit, ut primam dissolutionem sine consensu ipsius Concilii attentatam, declararet ipse Dominus nullam

* Sess. [illegible]

laṃ

lare, irritam & inanem, quantomagis de hac iterum attentata prætensa translatione, hoc agere necesse est? Sed uberiora prosequamur. In vim hujus translationis novissimæ idem Dominus Eugenius aliam congregationem sub nomine generalis Concilii apud Ferrariam erexit, etiam ante adventum Imperatoris & Patriarchæ Græcorum, declaratione præmissa, quod conditio, posita in præfata translatione, jam erat adimpleta, & quod sua contumacia fuerat per Synodum declarata, dum ad Synodum ipsam (ut præfertur) nec unum servulum mittere dignatus est. Ecce fundamentum erectionis alterius prætensi Concilii, & altaris contra altare, immo contra universalem Ecclesiam: non solum adversus decreta Constantiensis & hujus Basileensis Conciliorum, verum etiam expresse contra ea, quæ per suos Præsidentes in prætensa decretatione sua nominationis locorum ordinata fuerant, & quæ in conventionibus Græcorum, approbatis (ut præfertur) per eundem Dominum Eugenium, habebantur. Considerate in vero judicio, qualiter hoc factum à schismate excusari possit, præsertim ubi jam dudum in VIII. Sessione hujus S. Synodi, præsidente Sedis Apostolicæ Legato, etiam ante ipsius Domini Eugenii adhæsionem, fuerat solenniter declaratum, quod *sicut unica est Christi Ecclesia, sic non potest esse nisi unicum generale Concilium ipsam repræsentans. Et quod si contigerit aliam congregationem sub nomine generalis Concilii, durante isto, erigi per quemcumque cujuscumq; dignitatis, etiamsi Papalis, non foret Concilium Ecclesiæ Catholicæ, sed Schismaticorum conventiculum.* Hæc verba ibidem habentur.

5. Conspicite pro Dei reverentia, si post horum perpetrationem causam legitimam, immo urgentissimam habuit hæc S. Synodus decernendi & declarandi ipsum Dominum Eugenium Papam fuisse suspensum ab omni administratione Papali, lapsis quatuor mensibus à die prætensæ dissolutionis seu translationis, per eum (ut præfertur) attentatæ, præmissa monitione per solenne decretum, ut infra illud tempus quatuor mensium ipsam translationem revocare haberet, sub pœna ipsius suspensionis ab administratione Papali ipso facto incurrendæ, juxta formam quæ dudum in decreto XI. Sessionis hujus S. Synodi ordinata fuerat. Potestne aliquis huic suspensioni contradicere, quæ facta est à legitimo generali Concilio universalem Ecclesiam repræsentante, & ex tam urgentissimis causis, post tantum contemptum decretorum Synodalium, continuationemq; abusuum & deformitatum: post tam gravem læsionem authoritatis generalium Conciliorum, quam fidem tenemus ex determinatione universalis Ecclesiæ nobis tradita, quã quilibet Christianorum tenetur usq; ad animam & sanguinem defensare: post schisma perpetratum, propter quod merito sibi obedientia subtrahenda erat, *dum* (ut verbis dicamus B. Cypriani) *se separabat à collegio Sacerdotum & vinculo Ecclesiæ*, quo casu de Novatiano dicit idem Cyprianus, *quod Episcopi potestatem non potest habere nec honorem qui Episcopatus nec habere voluit unitatem nec pacem*: post manifestam contumaciam & apertam rebellionem, dum sic Dominus Eugenius notorie & incorrigibiliter Ecclesiam Dei scandalizabat? Quæ etiam suspensio decreta & declarata fuit ante adventum Imperatoris & Patriarchæ Græcorum ad ultimum portum citramarinum. Nam supradictus terminus quatuor mensium effluxerat, quo tempore Concilium ipsum adhuc durare in Basilea nullus, quovis quæsito colore, ambigere poterat. Quid autem post ipsorum Græcorum adventum in erectione cujuslibet congregationis sub nomine generalis Concilii efficere potuerit, sive apud Ferrariam, sive ad quemlibet locum alterum, cum jam ab administratione Papali legitime suspensus esset, vos præclari Oratores lucide conspicere potestis, etiam absque aliis necessariis rationibus, quas latius in aliis * Decretis & Epistolis nostris deduximus. Et ut adhuc parumper de has suspensionis evidentia summatim loquamur, determinationes præcedentes universalis Ecclesiæ in hoc advertite. Olim Constantiense Concilium in eo maxime decreto, quod incipit, *frequens*, pluribus in casibus decrevit Summos Pontifices suspensioni ab administratione Papali subjacere debere, propter bonum universalis Ecclesiæ: & in ea Sessione, quam super authoritate Conciliorum generalium celebravit, expresse statuit & declaravit, *quod si quis, etiam Summus Pontifex, mandatis, statutis, sive ordinationibus, aut præceptis cujuslibet Concilii generalis universalem Ecclesiam repræsentantis, obedire contumaciter contempserit in his, quæ pertinent ad fidem, ad extirpationem schismatis, & generalem reformationem Ecclesiæ in capite & in membris, nisi resipuerit, condigne pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur, ad alia juris remedia, si opus fuerit, recurrendo.* Deinde in XI. Sessione hujus S. Synodi statutum fuit, *quod si Summus Pontifex in futurum attentaret Concilia generalia alias congregata dissolvere, aut de loco ad locum congregare sine consensu ipsorum, nisi resipisceret intra quatuor menses, suspensionẽ ab administratione Papali incurreret ipso facto. Et si hanc sustineret per duos menses animo indurato, ad depositionem ipsius procederetur.* Subsequenter in XII. Sessione fuit monitus ipse præsens Summus Pontifex ut dissolutionem Concilii per eum tunc attentatam, revocaret infra sexaginta dies: alioquin extunc, prout nunc, esset suspendendus ab omni administratione Papali. Postquam hæc omnia præcesserant, ipse Dominus Eugenius adhæsit huic sacro Concilio, dicens ipsum legitime ab initio sui fuisse continuatum, non obstante præmissa dissolutione, quam expresse declaravit nullam, irritam & inanem. Exinde Oratores sui ad præsidendum in Concilio deputati, juraverunt expresse suis nominibus decreta Concilii Constantiensis super authoritate generalium Conciliorum edita, atque insuper decreta Concilii Basileensis manutenere & defendere. Quis post tanta tamque solida universalis Ecclesiæ testimonia ambigere aut in dubium revocare potest, si præfata suspensio per hanc S. Synodum decerni ac declarari potuerit ac debuerit? quod non solum clarissime conspicitur, verum etiam, illud irrefragabile est, quod postquam suspensionem ipsam Dominus Eugenius sustinuerat per duos menses animo indurato, ad ejus depositionem procedere incumbebat Synodali judicio. Sed quantam in ea re mansuetudinem observaverit S. Synodus, quam benigna supplicationibus vestrorum Serenissimorum Principum condescenderit, vos venerabiles Oratores pro Deo attendite. Jam eandem suspensionem Summus Pontifex per annum integrum sustinuit animo indurato,&

Ecce Papa Novatiano Hæretico comparatur.

* Sess. 4.

to, & ecce depositionem ejus distulimus usque ad hoc tempus, processusque adversus eum inchoatos tardiori gressu deduci & continuari fecimus, expectantes si forsitan ad preces vestrorum Principum, aut aliunde quomodolibet excitatus, reverteretur ad cor, & ad ea quæ sunt salutis, unionis, pacis & boni regiminis Ecclesiæ in spiritualibus & temporalibus efficaciter converteretur, si tandem Ecclesiam monentem & corripientem audiret, ne ipsum oporteret haberi juxta verbum Christi, *sicut ethnicum & publicanum.* Matth. 18.

6. Quantas vero interim persecutiones adversus hanc S. Synodum pro salute ipsius laborantem excitavit, considerare. Quantum in se erat, licet tamen nulliter & de facto, omnia supposita ipsius S. Synodi excommunicare, privare, inhabilitata conatus est, nisi suæ prætensæ dissolutioni parerent. Interdictum in Civitate Basileensi servandum statuit, nisi cives Basileenses Concilium ipsius à civitate sua ejicerent.

Victoalia ad nos deferri prohibuit, & portantes eadem spoliari concessit, atque ipsorum spolia cedere occupantibus. Insuper quoque per literas suas more Romanæ Curiæ bullatas mandavit, ut in ipsa supposita Concilii fieret persecutio tanquam in hostes fidei Christianæ, appellans hanc S. Synodum, perfidam iniquorum synagogam. Postque Venerabilis Episcopus Viscensis, & dilecti Ecclesiæ filii Ludovicus de Urbe Sedis Apostolicæ Protonotarius, Dionysius de Sabenrays sacræ Theologiæ Professor, & Staphanus Plonerii Decretorum Doctor, Oratores nostri, realiter capti fuerunt, sumpta occasione per captiuantes, uti accipimus, ex mandatis Domini Eugenii.

Sed Dominus in his omnibus nobis adjutor fuit, pro cujus Ecclesia persecutiones pati non refugimus, scientes quoniam ipse Dominus ait: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Et quamvis plurima temporalia damna, dispendia & pericula nobis afferat in hoc loco, tam longi temporis expectatio cum innumeris sumptibus & laboribus, tamen non possumus hanc in Deum nostrum offensam committere, ut Ecclesiam ejus ruere, inceptam restaurationem Christianæ religionis deseri atque abjici, necnon veritatem & justitiam in diebus nostris miserabiliter conculcari patiamur: sed misericordiam Salvatoris nostri jugiter exorabimus, ut ipsa Ecclesiam suam adversus persecutiones suscitatas assidue tueatur, nobisque in eo proposito perseverare donet, ut nullus adversitatis impetus, nulla persecutionum magnitudo nostros animos dimoveat, quominus sancta opera, propter quæ hæc universalis Ecclesiæ Synodus congregata est, in realem effectum deduci procuremus, & authoritatem universalium Conciliorum, per quam fidei integritas & Ecclesiasticæ disciplinæ vigor, omnisque regula Christianæ vitæ conservari habet, sustineamus illibatam, non quærentes in ea re quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi & salutis animarum. Matth. 5.

Alia quoque plura specialia de gestis tam per Summum Pontificem, quam etiam per suos, qui ad diversas regiones missi fuerunt, nequaquam per singula commemorare de præsenti volumus. Sed illam gravissimam offensam Dei nostri & Ecclesiæ suæ, atque etiam humanæ naturæ, nequaquam tacendum est in personam Heraldi Illustris Principis Pedemontium perpetratam: quem ad Græciam præmiserant Legati nostri, qui * super una galea Oratorum Summi Pontificis captivatus, & torturæ expositus nusquam comparet: & in mare projectum & dimersum fuisse accepimus. Verum divinam exoramus clementiam, quatenus cor ipsius Summi Pontificis ita convertere dignetur in viam veritatis, salutis & pacis, ut non ampliora de his loqui aut scribere necesse sit, sed omnibus emendatis, Ecclesia cunctorum mater de ipsius probis actibus in Domino gaudeat.

* for. per unam galeam.

7. Jam vero, Clarissimi Oratores, ad ea venimus, quæ super mutatione loci pro celebratione Concilii, nomine vestrorum Principum postulastis. Opportunum quidem fore proposuerunt discretiones vestræ, ut locus alius huic sacro Concilio tutus & accommodus eligeretur, in quo cum Græcis haberetur conventio, servata ex integro authoritate generalium Conciliorum, & hujus præsentis Basileensis Concilii, quod universalem Ecclesiam repræsentare devotis & fidelibus animis profitemini. Nos quoque pacis & unitatis amantissimi, ipsorum Principum vestrorum votis, quantum cum Deo possumus, condescendere cupientes, aures benignas cunctis in ea re per vos proponendis accommodavimus. Petierunt autem Deputati hujus sanctæ Synodi, inter quos Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates & Doctores insignes erant, ut media aperire velletis, quibus res istæ perfici possent.

Vos ad hæc respondistis, ut illi potius ea aperirent, qui de authoritate Conciliorum generalium, & rebus eam concernentibus amplius informati erant, atque in his ultra jam per septennium occupati. Ipsi vero suasioni vestræ morem gerentes, huic negotio operam dederunt.

Et cum plurima in ea re pericula cernerent subversionis ejusdem authoritatis Conciliorum generalium, atque deperditionis inchoatorum operum, reformationem in capite & membris concernentium: certa capitula conceperunt, per quæ his periculis obviare pro sua fidelitate conabantur. Et si vero eadem capitula dum à vobis audita fuerint, non à justitia & sanctitate deviare arbitremini, tamen quoniam difficile fore existimatis, Summum Pontificem ad hæc inducere, alia capitula concepistis, quibus completis, hanc fieri posse loci mutationem. Vos autem majorem partem vestrum advisasse dicebatis, super ipsis quoq; per vos advisatis deinceps, nostri deputati nonnulla, quæ adden-

addenda videbantur, & quædam etiam subtrahenda, exinde annotaverunt, circa quæ deinceps mutuam collationem habuistis. Hæc autem S. Synodus omnia maturo examine ponderans, quæ tam per Deputatos suos, quam per devotiones vestras deliberata fuerunt, jam in præsentiarum grandia pericula vestris devotionibus exponere duxit, ex hac mutatione sibi ac toti Ecclesiæ evidenter imminentia: quibus non satis cautum esse per capitula, quæ à vobis concepta, vestræ discretiones facile possunt advertere.

8. Primum quidem, de nullitate dissolutionis ac translationis prætensæ hujus sacri Concilii in Ferrariam per Summum Pontificem recognoscenda, nullam fecistis mentionem; quam nullatenus per Ecclesiam tolerari posse, superiores rationes ostenderunt: neque sola cessatio congregationis Ferrariensis, de qua fecistis mentionem, grave vulnus in hoc illatum Ecclesiæ quoquo modo sanaret.

9. Secundo, tria loca per Synodum nominanda proposuistis, ita ut alterius ipsorum optio per Dominum Papam & Græcos fieri haberet, cum tamen venerabiles & discreti Oratores Serenissimi Regis Romanorum & Venerabilium ac Illustrium Principum Electorum sacri Romani Imperii, tam in propositionibus per vos factis, quam in petitionibus scriptotenus præsentatis, à principio duntaxat locum alterum pro Oecumenico Concilio celebrando quæsieritis, & posset Concilio periculum imminere, dum illum locum, quo minus accommodus & securus nobis esset, Papa cum Græcis fortasse assumeret.

10. Tertio, non expressistis quod Dominus Eugenius in talem locum consentiret tanquam authoritate hujus sacri Concilii universalem Ecclesiam repræsentantis nominatum: neque aliquid verbum in vestris Avisamentis percepimus, per quod ipse hoc Basileense Concilium legitimè continuatum recognoscere haberet: quod tamen necesse est, si Summus ipse Pontifex cum hac sancta Synodo, atque etiam cum religiosis Principibus vestris unum sentire, & pacem & unitatem confovere velit, ac futuris quæstionibus & controversiis obviare, quæ alterum inde exoriri posset.

11. Quarto, de observatione Synodalium Decretorum & reformationis executione, pro qua hæc S. Synodus gravissimos labores tanto tempore sustinuit, & quæ in tantum divinæ legi beneplacita, salutique Dominici gregis necessaria judicata est, nullam mentionem expressam videmini: neque etiam super observatione gestorum in materia justitiæ, gratiæ seu indulti in hac S Synodo, per ipsa Avisamenta vestra habetur provisio aut securitas, ex qua re quam plurimæ turbationes in diversis regionibus provenirent, nisi oportune provideretur.

12 Quinto, de modo transferendi Concilii ad locum alterum, & qualiter procedetur in illo loco, saltem ab initio, nihil Avisamenta vestra dixerunt, nisi tantum quod modus ille observabitur, quem Concilium ibi existens determinabit. Dum vero ibi deventum esset, dicerent forsan aliqui, solos Pontifices vocem diffinitivam habere, & à votis illorum concludere vellent. Alii, Abbates, Doctores & Priores & Capitulorum Procuratores, aliterque debite qualificatos insignes viros non excludi debere, & à majori parte omnium conclusiones habendas arbitrarentur. Rursum quidam per deputationes, alii per nationes procedere conarentur: facileque esset Concilium inter has dissensiones dissolvi, maxime attento conatu, quem præsens Summus Pontifex ad ipsam dissolutionem hactenus exercere visus est. Sicque tandem posset contingere, ut parvipensis Decretis Synodalibus, & quodammodo sepulta authoritate generalium Conciliorum, Summi Pontifices pro libito voluntatis agere possent, quicquid eis videretur, dum adversus hoc Concilium, cui incorporati fuerunt omnes Reges Christiani, & quod tanta authoritate fundatum extitit, in ipsius tali dissolutione & elusione post tanta certamina prævaleret moderni Domini Eugenii voluntas: quod quam esset perniciosum & damnosum toti Ecclesiæ atque Christiano populo, vos ipsi considerate. Quare necesse est, si Concilium transferri debet, ut cum magna cautela his periculis obvietur, & de modo incipiendi progressum *ipsius Concilii* in loco altero, firma & stabilis conclusio ante translationem habeatur. Cum verò ibi solidatum & stabilitum fuerit Concilium, si alios modos tenere voluerit, hoc in sua libertate manebit.

Penes solum Papam non est vox diffinitiva

13. Sexto, suspicionem Summi Pontificis ab administratione Papali mox sublatam intelligi profertis, cum canones Constantiensis Concilii professus erit, & in locum nominatum consenserit: quod nullatenus fieri posse manentibus causis propter quas suspensio ipsa decreta est, vestræ discretiones clarissime conspicere possunt: quæ etiam ubi expurgatæ essent, & spes bona in spiritualibus & temporalibus in administratione posset concipi, talem sublationem cum magna consideratione per solenne decretum effici conveniret: neque de admissione Præsidentium ex parte ipsius Summi Pontificis, de qua in vestris Avisamentis agebatur, mentio est habenda, priusquam ipsa suspensio auferatur. Quod voto de censuris hinc & inde tollendis additum est, scitis ea, quæ adversus hoc legitimum generale Concilium in his facta sunt, nulla prorsus esse, irrita & inania, sicut etiam dudum in Decreto XXI. Sessionis hujus S. Synodi extitit declaratum. Et cum unica sit Ecclesia, unicum est etiam generale Concilium ipsam repræsentans, cui quilibet cujuscumque status & dignitatis, etiamsi Papalis, obedire tenetur. Nec in Ecclesia contrariæ sunt potestates, à quibus contrariæ censuræ veraciter procedere possint, sicut & vos optime intelligere non dubitamus.

14. Septimo, locum mutari quæritis: esto, quod nec Papa neque Græci venirent ad illum alterum locum, aut in eum consentirent. Quæ autem necessitas vel quæ utilitas id agere suadet, non aperuistis. Nec videtur quo sancto Dominus Eugenius ibidem audiri haberet, sicut tangere videmini, dum neque in illum locum consentire, neque ad ipsum mittere vellet. Ipsum vero nequaquam con-

veniens

veniens esse, Synodum in loco securo ac quieto & pacifico consistentem, periculosæ translationi exponere sine fructu aut spe alicujus utilitatis vel urgente necessitate.

15. Octavo, quoniam non dixistis, quid agendum erit, si Dominus Eugenius ea, quæ petuntur, facere noluerit, poterimus ne semper in talibus dilationibus, in his fluctuationibus Ecclesiam periclitari permittere, & non sibi de aliquo providere remedio: Videtis quantæ dilationes concessæ sunt, quæ nullum fructum attulerunt: immo pendentibus illis, ipse Dominus Eugenius quam plurima in præjudicium Ecclesiæ innovavit: pendente quidem dilatione sexaginta dierum, post citationem ejus, Concilium dissolvere & transferre attentavit, subsequenter dilatione quatuor mensium, post dissolutionem ipsam, congregationem Ferrariensem erexit: deinde sub tertia dilatione duorum mensium, post suspensionem ipsius ab administratione Papali, nos prædæ & spoliationi, aliisque persecutionibus antedictis exposuit, & Græcos ad se pro sui munimento attraxit. Longioribus deinde dilationibus ad rogamina Principum per nos observatis, ipse interim Nuncios per orbem transmisit, qui suaderent corda multorum in viam ejus. Rursum, dum his diebus super tractatibus pacis vobiscum occuparemur, ipse neque nobis neque vobis consultis, prætensam translationem in civitatem Florentinam, fecit & cum vos Venerabiles Oratores locum alterum in Germania expeteretis, ubi omnes convenire possent, ipse ad longiores regiones non parum accessu difficiliores, se transtulit. Videtis quod inter has dilationes scandala continue crescunt. Vilescit Synodalis authoritas, totus fere grex Dominicus ob defectum pastoris provide regentis, in præcipitium malorum dilabitur, & in his nullam medelam profertis, nullam securitatem remediorum datis, si Summus Pontifex huic sanctæ Synodo & vestris desideriis condescendere recusaverit.

16. Tandem designastis, quod dum sic ad alterum locum deventum fuerit, civibus Avinionensibus creditoribus Ecclesiæ satisfiet. Nullatenus autem possumus aut debemus usque in id tempus sub eventu incerto satisfactionem eis debitam differre & prolongare, cum & pecuniæ jam collectæ pro Ecclesia in diversis locis habeantur, quæ nullatenus nobis denegari juste possunt, tenemurque pro viribus agere, ut quantocyus sine mora, quod debet, S. Synodus restituat.

17. Hæc itaque Clarissimi Oratores ponderare velint vestræ prudentiæ, & pro reverentia Christi Salvatoris nostri efficacem operam impendere, ut res universalis Ecclesiæ ad honorem Dei, salutem animarum & veram pacem cunctorum, feliciter disponi possint. Vos omnes uno animo cum hac S. Synodo saluti Ecclesiæ sanctæ Dei consulere curetis, & eam in suis necessitatibus efficaciter adjuvare. Nos verò si in præmissis, quæ necessaria sunt, convenienter provisum fuerit, pro bono pacis & contemplatione Serenissimorum Principum vestrorum, atque singulariter pro unione Græcorum prosequenda, quam semper multo desiderio expetivimus, ad translationem hujus sanctæ & universalis Synodi in alterum locum securum, & rebus universalis Ecclesiæ gerendis accommodum, condescendere parati erimus. Interim tamen non omissuri ea, quæ ad progressum hujus sacri Concilii & operum per ipsum inchoatorum, tam in reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, quam in cæteris rebus, pertinere videbuntur pro honore Dei & salute universalis Ecclesiæ. Et nihilominus totis viribus semper operam dabimus, ut pax optima & beata tranquillitas per omnem Ecclesiam vigeat. Ad laudem & gloriam Spiritus Paracliti, qui cum Patre & Filio unus est Deus benedictus in secula seculorum, Amen. Datum Basileæ in congregatione nostra generali, x. Calendas Martii, Anno à Nativitate Domini MCCCXXXIX.

SYNODI BASILEENSIS RESCRIPTUM

SUPER EODEM FACTO, ET NE OBEDIRE VELINT Papæ, sed ut eum refutent. Anno Christi 1439.

AD ALBERTI II. IMPERATORIS ET COMMUNIUM S. ROM. IMPERII STATUUM in Comitiis generalibus Moguntia congregatorum schedulam ab Oratoribus oblatam de mutatione Concilii in alium ex tribus locis, ubi inchoandum esset omnino Concilium ad sex menses cum dimidio, nec interim contra Papam procedendum.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, ad futuram rei memoriam.

1. Rem gravissimam, quam ab hac Synodo quæritis, Venerabiles ac circumspecti Oratores, attentis considerantes animis, Deum nostrum, qui sua potenti dextera Ecclesiam plantavit in terris, supplices oravimus & oramus, ut ea nobis loqui ac respondere donet, quæ sint ad suæ majestatis honorem, & salutem omnium credentium, qui Apostolis suis & discipulis, ut in tempore necessitatis loquendi fiduciam haberent, dixit, *Dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini.* Mutationem Matth. 10.

 hujus

hujus sacti Concilii in locum alterum, supetioti tempore per vos expetitam, iterum postulatis: Spem quoque pacis Ecclesiæ ex ea re concipere videmini. Quam profecto pacem si per hoc medium possemus adipisci, jam dudum ipsam mutationem avidis animis quæsivissemus, quoniam summo desiderio cupimus cum beatis pacificis filiationem Dei promerentibus operari ad pacem, non quidem illam pacem appellantes, qua, Conciliorum authoritate contempta, quispiam Summus Pontifex posset de tota Ecclesia & animabus redemptis sanguine Christi, agere quicquid sibi libitum foret, abjectaque salutifera reformatione, spretis sacris Canonibus & Decretis, vitia & abusus pestiferi pacifice regnare permitterentur: aut quod omnibus gravius est, fide læsa & vulnerata, quisquis fidem ipsam impugnans pacifice opprimeret Ecclesiam, & illi tacere cogerentur, qui fidem ipsam sustinerent. Non quidem hoc esset pacem agere, sed turbationem gravissimam: non hoc esset mederi languoribus præsentibus Ecclesiæ, sed eam in miserabile discrimen adducere. Quod quidem non esse vostræ intentionis credimus. Sed Zelus domus Dei cogit
a Esa. 6. nos in extremis Ecclesiæ periculis non tacere veritatem, ne tandem dicere oporteat in Dei judicio: *a Væ mihi, qui tacui.* Sciunt discretiones vestræ, vitam Ecclesiæ in fide & probis moribus præcipue consistere, quibus capiti suo & fonti vitæ Christo conjungitur, ac cum eo pacem habet, charitatem & gaudium,
b Gal. 5. quæ sunt fructus Spiritus, ut & vos ipsi ex *b* Apostolo allegastis. Quam vere pacem quærunt beati paci-
c Joan. 14. fici, qui recipiunt adoptionem filiorum Dei. Hæc est enim pax Christi de qua ipse ait: *c Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis.*

2. Cum autem his novissimis temporibus deformitates, schismata & errores plus solito cœpissent insurgere, congregata in Spiritu sancto sacra Constantiensis Synodus, nobis fidem explicavit de potestate immediate data ab ipso fidei authore Christo Conciliis generalibus, repræsentantibus Catholicam militantem Ecclesiam, quibus & Summus Pontifex & quilibet alius obedire tenetur; ut Christiani intelligerent, quod ipsis erroribus, schismatibus & deformitatibus obviare oporteret per Conciliorum generalium authoritatem, sicut Christus ipse Deus noster ordinavit, ut sic frequens Conciliorum celebratio, quæ præcipua agri Dominici cultura est, vepres & tribulos prædictorum malorum evellat, prout in eadem Constantiensi Synodo declaratum extitit, & pax optima cum sanctitate & justitia omnibus diebus vigeant in terris. Unde vero languores, unde morbi, unde turbationes pacis & vexationes Ecclesiæ jam nunc potissime invalescunt, nisi ex eo quod obedientia, quam Christus ipse imperavit, quam Ecclesia declaravit, quam fides edocet, non data est Concilio generali (quod dolenter referimus) à Domino Eugenio Papa moderno? immo gravissime contempta, & durissime factis, verbis & scriptis usque in hodiernum diem impugnata, sicut magna ex parte in alia nostra responsione Synodali, præterito mense Februarii ad vestras priores petitiones super mutatione hujus sacri Concilii porrectas explicavimus. Unde divisiones & schismata in Ecclesiis particularibus; unde Principum & Prælatorum, atque etiam populorum per orbem dispersorum gravissima perturbatio. Nam quemadmodum sæpe audistis, primitus hoc sacrum Concilium congregatum authoritate duorum præcedentium Conciliorum, & duorum Summorum Pontificum, pro extirpatione hæresum & reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, quasi ab exordio attentavit Dominus Eugenius, licet nulliter & de facto, dissolvere sine ipsius Concilii consensu. Deinceps cum plurima Decreta salutaria edita fuissent pro reformatione Ecclesiæ in capite & in membris, & per Legationes plures, per plures Oratores admonitus esset, ut animum suum ad eorum observationem redderet benigne inclinatum: ita proh dolor ea parvipendit, ita contempsit, ut quasi in nullo debitam obedientiam ipsi Concilio adhibere compertus sit. Ex quo gravissimo contemptu non parva suspicio adversus eum exorta est, quod de declaratione Catholicæ fidei facta, in Concilio Constantiensi, non recte sentiret, quodque non crederet se teneri obedire Concilio, prout ipsa fidei veritas asserit. Quid amplius? Cum super hoc gravi contemptu citaretur, mentem suam plenius adversus ipsam veritatem declaravit, dissolvendo authoritative hoc sacrum Concilium de facto sine consensu ipsius, casu quo virtute decreti citatorii procederetur, aut fieret aliqua novitas contra ipsum, aut contra aliquem suorum Oratorum Præsidentium, qui in Concilio fuerant; prohibendo etiam authoritative, ne in eo casu factum Bohemorum, quod actu tractabat hæc Sancta Synodus, ultra triginta dies ageretur, ubi non solum jam obedientiam denegavit; sed se judicem super Concilium constituit, non ei obediens, sed imperans in his, in quibus eundem teneri obedire Concilio, ex Christi ordinatione asserit ipsa traditio fidei. Si vero jam hoc sacrum Concilium dissolvatur, quod fidem ecclesiæ defendit, dimittaturque ille supra Ecclesiam pro libitu suæ voluntatis imperare, qui tanto tempore tam graviter ipsam factis, operibus & verbis impugnat, immo authoritate & potestate conatur opprimere: numquid non ipsius Ecclesiæ imminet desolatio? numquid non timendum est, vel potius præsumendum, quod Concilio dissoluto, volet singulos per orbem dispersos cogere, ut idem sentiant quæ ipse? Numquid non si absque debita correctione sic dimittatur, cunctis sive Ecclesiasticis sive Secularibus, sive Prælatis, sive Principibus, aut aliis quibuscumque imminebit persecutio, qui fidem in sacro Constantiensi Concilio explicatam voluerint profiteri? Quid vero de illis faciet, qui decreta Synodalia servare volent? Quod cum in præsentia videamus adhuc sedente Concilio, quomodo tales in pluribus Ecclesiis faciat tractari? An vero hæc erit appellanda pax & tranquillitas Ecclesiæ, vos Præclari Oratores pro Deo considerate. Quod erunt deinceps, qui pro Conciliorum authoritate, pro declarationibus per Ecclesiam factis in explicatione fidei certabunt, eas deprimi & hoc Concilium in earum defensionem de facto viderit succumbere? Quis hæreticus non audentius (quod cum amarissimo gemitu dicimus) cornua eriget adversus sponsam Christi, ipsa Concilia

Concilia generalia, quibus supremum judicium in materiis fidei decretum est, vident conculcari? Sed quis, ô Præclari Oratores, jam in alio Concilio, quod futurum dicitis, ad resistendum summo Pontifici pro defensione rectæ fidei veniret, dum ipse Pontifex hoc sacrum Concilium de facto suppressisse, & in nihilum redegisse conspiceretur? Quale præterea exemplum relinqueretur Summis Pontificibus, si perperam agere volent, schismata faciendi, Concilium generale impugnandi & dissoluendi, ut quoties de ipsorum correctione in fide aut in moribus agetur, perturbent, scindant & dividant Concilium, atque in aliud Concilium deveniri postulent? Et si in illo non fieret quod voluerint, iterum aliud quærant: sicque fiet transmigratio de Concilio in Concilium, & judicia universalis Ecclesiæ sic semper in incerto vagabuntur, dum præsens Summus Pontifex, postquam decretis, præceptis & ordinationibus Synodalibus tanta obduratione obsistit, postquam ipsum bis authoritative sine ejus consensu dissoluere attentavit, & scissuram in Ecclesia gravem jam perpetravit, tandem nulla suscepta pœnitentia, nulla penitus emendatione facta, obtineret ut Concilium mutari cogeretur: immo verisimiliter in totum dispergeretur per hanc viam mutationum & dilationum, quas afferri coocipimus, perseverante ipso moderno Pontifice in assidua ejusdem Concilii, & toties declaratæ veritatis impugnatione. Hoc equidem non esse schismati obviare, sed schismata fovere & nutrire, dum Pontifici volenti schisma facere, ut formidare videmini, si Concilium ad ejus correctionem procederet, talis favor præberetur, ut ejus contemplatione ipsum Concilium tali modo mutaretur, unde posteris ad schismata facienda major pararetur audacia, ut Conciliorum enervaretur authoritas, per quorum supremum judicium in terris schismata extirpari convenit, immo secundum hoc, qui Ecclesiam lacerare & scindere vellet, ipsa sibi tota opprimenda relinqueretur, & ne partem gregis ad se traheret, totus in suis manibus dimitteretur. Vnde forsan volendo auferre ab eis fidem, quam in catholica Ecclesia de authoritate Conciliorum didicerunt, & contemnendo leges pro salute omnium datas, ipse omnes in damnationem ducere molitetur. Nunc hic igitur, Præclati Oratores, de tali schismate, in quo duæ personæ contendunt de Papatu, & in dubium vertitur, cui eorum jus competat, ubi uterque conteodentium in judicium Concilii generalis venire habet sententiam auditurus, sed agitur de Pontifice, qui se voluntarie à Concilio volente ipsum corripere, separavit, quod reputabat legitimum universalis Ecclesiæ Concilium, & Ecclesiæ pacem turbavit, schisma fecit, scandala suscitavit dissoluendo Concilium authoritative, ut præmissum est, casu quo procederetur contra ipsum aut aliquem Oratorum suorum Præsidentium: & altare contra altare erexit, ut sic correctiooem judicis effugeret. Quomodo autem res illa locum sibi vendicare poterit sine enervatione authoritatis Conciliorum? ut post prædicta oporteat Pontificem manere in possessione dissoluendi taliter Concilium. Et quia S. Synodus dum vero jam requiritur, ut post ista Concilium, quia officium judicis egit pro exercitio justitiæ sibi divinitus commisso, cogatur loco judicii cedere & mutari, ut sibi præfigantur tempora, loca, modi procedendi & alia, quæ nunc requiruntur à nobis, quasi non sit libertas in Concilio generali ad faciendum, quod pro Repub. expedientius judicabitur sub directione ipsius Spiritus sancti, de cujus auxilio confidendum est, quod sive oporteat Concilium manere in hoc loco, sive mutari, sive conveniat procedere, sive quicquam aliud agere, & de modo, forma & tempore omnia peragendi suggeret ipsi Concilio, quod pro salute universalis Ecclesiæ fuerit necessarium. Sed dicitis, quod Concilium in alio loco præter sui consensum, indissolubile permaneat. Verum si Papa hoc privilegium habeat dissoluendi Concilium sine ejus consensu, quomodo vultis illud ab ipso tollere? si autem non habeat, in hoc notorie erravit: quomodo id fieri quæritur, per quod in hac errandi possessiooe permaneat, & de mutatione Concilii tali modo per ipsum Dominum Eugenium facta, possessio haberetur, quæ trahatur ad consequentiam? Et si in talibus consentiret hæc S. Synodus, jam authoritate Ecclesiæ talia fieri posse viderentur, quod nullatenus quæri aut effici debet. 3. Reg. 2.

3. Dicitis præterea ipsum Concilium mutari habere in alterum trium locorum, in quem Papa aut Græci venire consenserint. Et esto, quod oec ipse nec illi consentiant, nihilominus mutetur. In primo casu non est nobis facile existimare, attentis præteritis operibus, quod Papa veniat in illum locum personaliter; in quo speret se correctionem accepturum. In secundo casu, cum Græci advenient, & fiet novum Concilium ex Latinis & Græcis, dantur induciæ correctionis & emendationis Domini Eugenii, donec per ipsos Græcos fuerit judicatus: immo secundum hoc agitur, ut Græci ipsi de actis Synodalibus hujus sacri Concilii Catholicam Ecclesiam repræsentantis; & de operibus Papæ judicare habeant, priusquam Papa ipse corrigatur: quodque omnes quæstiones juris & facti agitatæ in Concilio erga Dominum Eugenium, quarum etiam aliquæ jus divinum & fidem concernunt, haberent in judicium ipsorum Græcorum devenire, relicto huius S. Synodi Catholico judicio: & quod ea, quæ per Ecclesiam in concernentibus fidem determinata sunt, in dubium revocentur, quasi notaretur ipsa Ecclesia in his quæ fidei sunt, errare potuisse. Dicitur, quod ibidem Dominus Eugenius Legatos suos mittat: quod jurisdictionis est, ac si ipse ab administratione non esset suspensus, eum tamen ipsam suspensionem ex causis tam necessariis & tam urgentissimis, quas in alia Responsione Synodali exposuimus, constat esse factam. In tertio casu, si hoc sacrum Concilium mutetur, quod fundatum est authoritate duorum Conciliorum præcedentium, & duorum Summorum Pontificum, cui fere omnes majores Ecclesiæ Prælati, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, omnesque Reges orbis Catholici incorporati sunt: esto, quod nec Papa oec Græci consentiant, id sequetur, quod ubi Concilium existens in hoc loco, fortiter impugnat Dominus Eugenius, ipsum translatum in alium locum sine ejus consensu fortius impugnare posse videatur, & habere majores colores impugnandi: interimque septem mensium, vel eo circa, dilationem obtineat, quibus nihil pro ejus corre-

ctione agatur, quibus nullatenus fidei & saluti Ecclesiæ provideatur, sed potius supposita hujus Concilii per attædiationem, aut alia incommoda dispergantur, & tandem nulli vel paucissimi ad illum alium locum accedendi habeant voluntatem, dum viderint hujus Concilii Basileensis tam miserabilem exitum, quod tantis laboribus congregatum, tot annis adversus impugnationes Domini Eugenii conservatum fuit. Quid aliud ad hoc respondere possumus, Venerabiles Oratores, nisi amarissimos edere gemitus super flebili ruina Ecclesiæ, si res ita procedant, & plorare die ac nocte super illa generalium Conciliorum authoritate tamdio per nos defensata, quam in interitum perduci conspicimus, nisi Deus noster prævideat? De qua authoritate parum prodest verbo dicere, quod conservari habeat, si tale factum agatur, unde ipsa miserabiliter prosternatur. Quis vero dabit capitibus nostris fontem lachrymarum, ut in mœroribus & doloribus digne lugeamus læsionem fidei, contemptum Synodorum & sacrorum Canonum? quibus conculcatis, omnia scelera, omnia vitia, omnium abusuum & deformitatum incrementa liberius regnabunt: pariter quoque amare flebunt diebus futuris Principes & Natiooes orbis, dum quispiam Romanus Pontifex eos injuste opprimere volet. Nam frustra deinceps ad Concilia generalia recurrent, quorum erit sic prostrata authoritas. Si enim Concilium generale aliquid vellet de ipso Romano Pontifice judicare, illud dissoluet ac transferet, aliudque Concilium fieri quæret, ubi possit suum libitum consequi, sicque nulla stabilitas, nulla firmitas in judiciis ipsorum Conciliorum haberi poterit. Invalescet præterea ille perniciosissimus error in populum Dei, ut unus homo ad Summum Pontificium assumptus, possit de tota Ecclesia & Christianitate agere ad suæ libitum voluntatis, sicque per generale Concilium universalis Eccesiæ, ooo valeat corrigi aut reformari. Sed & videmus non solum statum ecclesiasticum & salutem animarum ex ea re detrimenta pati, immo omnem statum, omnem politiam, omne regimen in spiritualibus & temporalibus perturban.

Hierem. 9.

Nam ecce postquam generale Concilium Ecclesiam Catholicam repræsentans, immediate habens potestatem à Christo, cui Summus pontifex & quilibet alius obedire tenetur in his, quæ pertinent ad fidem, extirpationem schismatis, & reformationem Ecclesiæ in capite & in membris, cœpit suum exercere judicium in Dominum Eugenium pro correptione ipsius, contumaciter obedire contempsit; jam via introducitur, ut qui Concilio in his tenentur obedire, non ipsum Concilium reputent ut judicem, sed ut partem cum Domino Eugenio contendentem, & velint ipsum judicem directe aut indirecte arctare vel compellere loca & tempora eidem præfigere, ut sua judicia nequaquam proferat: immo ad instantiam ejus, qui reus est, judicium suum mutare cogatur. Quod si hoc fit de summo judice potestatem habente immediate à Christo, numquid non ex hoc datur exemplum subditis quorumcumque judicantium ut ipsos judices temporales ac spirituales per mutuas intelligentias compellerent, ut illi à judicando desistant? Sicque peribit justitia in terris, & eveniet, quod ait gloriosus Hieronymus, *dum uni parcunt, universa Ecclesia moliuntur interitum. Quæ est*, inquit, *ista misericordia, uni parcere, & universos in discrimen adducere? Cumque pax*, ut ait B. Augustinus, *sit tranquillitas ordinis*, jam abrupto ordine judiciorum, omnis pax & hominum ad Deum, & hominum inter se turbabitur, cum via conveniens ad pacem non quæritur, dum justitia abjicitur, & veritas prosternitur: quas cum pace ipsa, divina doctrina nobis ostendit oportere copulari: ait enim Scriptura, quæ mentiri non potest: *Misericordia* a *& veritas obviaverunt sibi, justicia & pax osculata sunt*. Et Dominus per Prophetam inquit: b *Pacem & veritatem diligit*. Rex quoque Ezechias dicebat: c. *Sit pax & veritas in diebus meis*.

a Psal. 84.
b Zach. 8.
c 4. Reg. 20.

4. Quid igitur potius in tanta rerum difficultate agendum est, huic sanctæ Synodo? An quod recedat, mala & omnia supradicta permittat prævalere? an quod ex officio sibi commisso à Christo, sub conscientia ipsius divini auxilii, per defensionem veritatis & exercitium justitiæ in repellendis tantis malis, debitum suum agere curet coram Deo & hominibus, adimplens illud, quod per Sapientem dictum est: d. *Certa pro justitia usque ad mortem?* Clarissime videre potestis, Venerabiles Oratores, quod Ecclesiam matrem omnium Christianorum in tanta desolatione deserere non possimus, sed nobis & toti populo Christiano gravissima imminet damnatio, si saluti ipsius Ecclesiæ & vitæ suæ, quæ ex fide est, providere negligamus.

d Eccles. 4.

5. Expectavimus jam plurimis annis, si præfatus Dominus Eugenius viam veritatis recognosceret, & contemplatione Christianorum Principum dilationes plurimas benignissime observavit hæc sancta Synodus, Ambasiatoresque suos ad diversas regiones transmisit, veritatem & justitiam hujus sacri Concilii ac necessitatem urgentissimam providendi publicæ saluti Ecclesiæ aperientes, ad duas quoque conventiones in Nurenberga successive habitas profecti sunt, & novissime in Civitate Moguntinensi non defuerunt sufficiente potestate suffulti, ubi Oratores Summi Pontificis per triginta dies expectati, nullatenus comparere voluerunt, nisi post recessum Oratorum hujus sanctæ Synodi, qui cum bona licentia Oratorum Principum ibidem * existentium, per plures antea dies abscesserant. In omnibus autem his numquam ex parte Summi Pontificis aliquid emendationis vel correctionis oblatum audivimus, ut per hoc paci Ecclesiæ consuleretur, quam ita turbavit: & ne (quod absit) totum corpus invaderet morbus, & languor non esset curatus in capite, atque etiam ut divina Majestas, per ipsum gravissime offensa, placari posset: immo duntaxat petita est semper hujus Concilii mutatio, & talis mutatio, quæ ipsum Concilium, reformationem Ecclesiæ quærens, enervaret, & Dominum Eugenium, durissime resistentem in sua contumacia, roboraret. Neque audivimus, quod vo[illegible]

* In Comitiis sc.

ibi

alii Oratores Principum in his rebus à Papa impetraveritis, ut contemplatione Ecclesiæ & populi Christiani quicquam emendationis aut meliorationis efficiat. Jam vero justissimam hujus sacri Concilii prosecutionem totus orbis conspicere potuit, necnon patientiam & mansuetudinem nostram atque longissimam expectationem in hoc loco, in quo non nos mundana solatia aut terrena affectio detinent: immo relictis propriis regionibus, domibus, & beneficiis, in quibus quiescere poteramus, varias hic persecutiones, injurias, damna, opprobria passi sumus, & assidue patimur, libenter omnia sufferentes pro votiva consecutione reformationis Ecclesiæ Dei, pro qua jam tribus generalibus Conciliis diuturno tempore laboratum est, pro defensione fidei orthodoxæ, quam in oculis nostris videmus multipliciter impugnari. Et in tantum præfatis Catholicis Principibus expectando quæsivimus complacere, ut post victualium penuriam & alias clades, quas pertulimus, etiam alia graviora pericula immineant, atque per varia rerum discrimina hujus Concilii dispersio, & post tot annorum susceptos labores, extrema Ecclesiæ desolatio in foribus esse videantur, si non celeriter occurratur.

6. Unde jam aperte conspicere possunt Principes Christiani, nos maxima necessitate compulsos, ut seclusa ampliori delatione, pro honore Dei creatoris cunctorum, regis regum, domini dominantium, & pro salvatione animarum omnium, communi saluti ipsius Ecclesiæ providere curemus. Et ne in tanta rerum necessitate de gravi negligentia coram omnipotentis Dei judicio arguamur, omnem nostram fiduciam projicientes in Salvatorem nostrum Jesum, in cujus nomine congregati sumus, favente ipsius gratia, ita intendimus agere, ut coram omnibus Principibus atque populis clarissima justitia & veritas hujus sanctæ Synodi reluceant, cum justitia autem veniat intra Ecclesiam soror ejus pax, & sibi invicem gratissimo copulabuntur osculo, nec quicquam aliud petimus, nisi ut in his turbationibus rerum det nobis id agere, quod beneplacitum fuerit suæ divinæ majestati, & speramus per manum ejus omnes Christianos in viam veritatis, & prosecutione publicæ salutis unionem & pacem bonam amplecti: quod & nos maxime desideramus, ac laboribus cunctis prosequi volumus, ut omnes unanimiter in amore fraternitatis Deo serviant, & sint unum in veritate: nec aliquem de veritate hujus S. Synodi insormatum, credimus velle tandem huic favere errori, ut unus mortalis homo, qui ordinatus est ut sit fidelis minister in domo Dei, possit (ut præmissum est) ad libitum voluntatis suæ de tota Ecclesia agere, & neque generalia Concilia repræsentantia Ecclesiam universalem, neque Canones Synodales, neque postremo ipsas declarationes fidei per Ecclesiam Catholicam factas attendens, possit totum gregem Dominicum, tanto pretio redemptum, in præcipitium damnationis inducere: nec uni personæ mortali quis in tantum humano amore affectus putari debet, ut propter illius temporale desiderium; quod sicut umbra pertransit, velit universam Ecclesiam destitui nec reformidari nimium oportet; si justum Ecclesiæ judicium in correptionem Domini Eugenii proferetur in futurum pro necessitate totius Ecclesiæ, & ipse (quod absit) rebellando in adversum velit schisma facere, alios attrahendo, ut ab unitate Ecclesiæ se separet, quod Princeps aliquis Catholicus, aut notabilium Prælatorum quispiam velit suo favere schismati, præsertim in læsionem Catholicæ fidei & authoritatis Ecclesiæ. Numquid notorium non est, quanti Principes orbis tam per se, quam per suos, Concilio Constantiensi interfuerunt, ubi explicata fuit declaratio fidei de authoritate Conciliorum generalium super Papam & quemlibet alterum, & in omnibus observata, nemine reclamante, nemine non approbante? Sed ubi Dominus Eugenius jam bina vice voluit sua authoritate hoc Basileense Concilium sine ejus consensu dissolvere, scitis quomodo Principes orbis fere omnes, aut primæ aut secundæ dissolutionis tempore, suos Oratores in hoc sacro Concilio tenuerunt, firmiter credentes Papam non posse dissolvere sacrum Concilium, quod pro extirpatione hæresum, & reformatione Ecclesiæ in capite & in membris legitime congregatum erat, sine consensu ejus: cum ipse Concilio non haberet in his imperare, sed teneretur obedire. Quid de Prælatis Ecclesiæ dicemus? Numquid non in sacro Constantiensi Concilio, Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, & cæteri de omni regione fuerunt? Nec illi defuit felicis recordationis Papa Martinus, qui etiam circa finem ipsius Concilii per patentes literas mandavit, eodem approbante Concilio, universis Archiepiscopis, Episcopis, & Inquisitoribus, ut singulos de hæresi Wickleffistarum suspectos diligenter interrogarent, utrum crederent quod illud, quod sacrum Concilium Constantiense universalem ecclesiam, repræsentans, approbavit, & approbat in favorem fidei & ad salutem animarum, quod hoc ab universis Christi fidelibus esset approbandum & tenendum, cum non ignoranter Papa ipse Martinus declarationem de authoritate Conciliorum data immediate à Christo, antea per ipsum Concilium factam fuisse: qui etiam in eisdem literis posuit, quod error est dicere, non esse de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter ecclesias, si per Romanam ecclesiam intelligatur universalis ecclesia, aut Concilium generale, aut etiam pro quanto negaret primatum Summi Pontificis respectu Ecclesiarum particularium. In hoc præterea Basileensi Concilio, tempore attentatæ primæ dissolutionis, fuerunt septem de præstantioribus sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, videlicet Julianus tituli S. Angeli Sedis Apostolicæ Legatus, A. Bononiensis B. Portuensis vulgariter dictus Placentinus, Cardinales Episcopi: Joannes S. Laurentii in Lucina, dictus Rothomagensis, Joannes S. Petri ad Vincula, A. Sancti Eustachii, & Dominicus S. Mariæ in Via lata dictus Firmanus, etiam Cardinales, doctrinam ipsam Catholicam & Apostolicam de authoritate Conciliorum in Constantia declaratam, virtuose defendentes, atque ostendentes, propter illam non potuisse, neque in futurum posse dissolutionem hujus Concilii sine ipsius consensu; plurimaque solemnia super hoc decreta cum cæteris Patribus condiderunt, & toti mundo publicaverint, qui de hac re in Responsione quadam

1. Tim. 6. & Apocal. 17. 19.

Papa non est supra Ecclesiam, sed minister & membrum Ecclesiæ, nec solus habet potestatem judicandi de Ecclesia & rebus divinis.

Romanam Ecclesiam esse supremam inter Ecclesias, quomodo intelligendum.

Synodali cum toto Concilio magna authoritate Oratoribus Domini Eugenii dissolutionem ipsam manutenere volentis responderunt: *Malumus mori, quam tanto errori per ignaviam cedere. Hic articulus, de quo disceptamus, fidem concernit, qui sine interitu salutis negligi non potest. Si dominus Eugenius Ecclesiam audire non vult, oportebit eum tandem haberi sicut ethnicum & publicanum.* Hæc sunt verba Concilii, in quo tunc illi præsentes affuerunt. Audistis & vos sæpius, quomodo alii plures Cardinales se subscripserunt, dum Dominus Eugenius ad mandatum Concilii, illam prætensam dissolutionem irritam & inanem declaravit: & ea non obstante, dixit Concilium legitime fuisse continuatum. Sed num quid non præterea omnes viderunt, quam multi Prælati, Doctores divini & humani juris, ac cæteri Ecclesiastici viri ex diversis nationibus, regnis & provinciis successive tam tempore primæ dissolutionis quam secundæ, in hac S. Synodo comparuerunt, dum ipse Dominus Eugenius eam dissolutam reputabat, credentes hoc factum ejusdem Domini Eugenii adversus ipsius Concilii authoritatem nullatenus potuisse prævalere? Quomodo igitur putandum est vel suspicandum, ut Catholicus orbis fidem quam accepit, vellet propter quamcumque personam deserere, aut cuivis personæ in adversum repugnanti & schisma facere volenti, favorem præstare? & quod ab hoc sacro Concilio, quod fidem ipsorum Prælatorum fidem Principum atque omnium Nationum orbis defendit, se separent, ut illi adhæreant, qui ipsam in pugna evellit? Credendum est quid potius, quod omnes providere valent, ne in futurum quispiam Pontificum possit rebellando Conciliis generalibus immediate à Christo potestatem super eos habentibus, schisma facere, & pro sua voluntate aut libidine dominandi universum orbem hoc modo conturbare. *Intelligent* que tandem omnes unanimiter, illum pro Pontifice haberi non debere, quem Concilium universalis Ecclesiæ pro non Pontifice habendum judicaverit: ut sic non necesse sit, jam deinceps Principes orbis hoc modo cum variis Legationibus & magnis expensis in ea re vexari, simulque pax in Ecclesia vigere possit, & authoritas Conciliorum illibata servari, quæ (ut ait B. Augustinus) *in ipsa Ecclesia saluberrima est*. Nam oportet universos Christianos id ipsum sentire & sapere, si una fides & pax vera conservanda est, quod Summi Pontifices per Concilium generale, Catholicam Ecclesiam repræsentans, corrigi possunt, sicut veritas Catholica diffinit: quodque Ecclesia Dei in Spiritu Sancto congregata non habet existimari sicut una prophana Communitas, cui Papa ipse velut Princeps secularis dominetur. Sic itaque cum Dei gratia, per constantem fidei nostræ confessionem, & ipsius probationem in opere, *pax* optima & salutaris gubernatio Ecclesiæ reflorebit in terris. Summi Pontifices cognoscentes se posse corrigi (ut præfertur) per Concilium universalis Ecclesiæ, curabunt vigilantius salutem gregis Dominici quærere, & in ministerio sibi credito opera Christo placentia agere, ipsamque Sedem Apostolicam salutari gubernatione & decore virtutum reflorere faciant in oculis omnium populorum, atque omnium bonorum ubertate abundare, sicut prius illa solebat, cum bono & salutari regimine gubernaretur: cujus quidem Sedis authoritatem & honorem hæc S. Synodus semper conservare curabit, ipsamque dignis honoribus per debitum sanctitatis cultum magis intendit amplificare & exaltare in futurum. Breviorque erit deinceps Conciliorum generalium duratio, dum illis debita præstabitur obedientia: & temporalibus statutis omnes diligenter confluent, expedituri celerius, quæ pro salute Christianæ religionis agenda videbuntur. Concilia provincialia & Synodalia frequentabuntur, sacri Canones pacifice observabuntur, sic erit pax & tranquillitas Ecclesiarum, sanctitas morum, utilitas Regnorum & provinciarum.

Papa non est Princeps aut dominator Ecclesiæ.

7. Sic efficaciter desiderium Principum vestrorum complebitur, Præclari Oratores, qui pacem & salutem Ecclesiæ desiderant. Per ea vero, quæ in * Moguntia concepistis, licet bona intentione vos fecisse sperandum sit, non assequerentur Principes ipsi bonum veræ pacis, quod optant, ut ex superioribus satis liquere potest. Nos autem, favente Domino, per viam salutarem & rectum ordinem à Christo datum, pacem ipsam prosequemur: & quantum sine Dei offensa poterimus, curabimus semper religiosissimis vestris Principibus complacere, qui etiam (ut credendum est) divinæ ordinationi obsequi volent: neque aliud agent, nisi quod cum Deo poterunt, quod juri divino consonum erit, & cum *fideliter* credunt, quod de jure divino tenentur obedire Concilio in his, in quibus habet potestatem *immediate* à Christo, non subtrahent ab eodem Concilio debitum obedientiæ suæ propter exercitium *justitiæ*. Dum autem ipsi unanimiter, quam debent S. Synodo, & ipsi Christo, qui ei potestatem dedit, perseveraverint, amplectendo concorditer justitiam & veritatem, ipsi animas suas saluabunt, ipsi authoritatem Conciliorum sibi & toti orbi necessariam servabunt illibatam, salutemque & pacem bonam in Christiana religone vigere facient. Si autem obedientiam debitam subtraherent Concilio per aliquam neutralitatem, aut alias quovis modo, plura mala contingerent in adversum, quæ vos, Præclari Oratores, ipsis orthodoxis Principibus diligenter ac fideliter remonstrare habetis, quantum vos diligitis eorum salutem & totius Ecclesiæ. Et non dubitamus, quod cum erunt debite informati, debitum suum erga Deum & Ecclesiam semper facient, Et intellectis rationibus ac motivis hujus S. Synodi, devotiones eorum apertissime conspicient, intentionem ipsius dirigi, sicut beatis pacificis convenit, ad quærendas vias veræ pacis, tranquillitatis & salutis Ecclesiæ ac totius orbis nunc & in futurum.

* in Conciliis sc. Imperialibus.

8 Quod autem ad factum Græcorum attinet, scitis quanto desiderio unionem eorum semper optaverimus & optemus, quantosque labores & sumptus in ejus rei prosecutionem impenderimus, & qualia nobis impedimenta objecta sint: dudum quoque loca convenientia, videlicet Basileam, Avinionem & Sabaudiam, pro ipsa tractanda unione, nominavimus: & adhuc ut omnes conspiciant nostram perseverantem intentionem ad hujus unionis prosecutionem, si Imperator Romanorum & Patriarcha Constantinopolitanus, qui pro tempore fuerint, & cæteri Ecclesiam Orientalem repræsen-

tantes, cessante omni dolo & fraude, in aliquem locum securum, quem hæc S. Synodus eliget, advenire voluerint, hæc est Synodus illum eligere, & in ipsum se transferre non recusabit: talemque locum eliget, postquam intentionem Græcorum ipsorum plene cognoverit, de quo ipsi vestri Principes & totus orbis merito debebunt contentari. Interim curabit eadem S. Synodus quærere diligenter, quæ Ecclesiæ Dei prosunt: & ita res ipsius noræ Catholicæ Ecclesiæ disponere, ut salutifera gubernatione regantur, per quam Deus propicietur populo suo, & placita ira ejus, quam peccata regnantia concitarunt, unionem ipsorum Græcorum, & bonam pacem omnium Christianorum reflorere videamus in terris. Ad laudem & gloriam Spiritus Paracliti: qui est Deus benedictus in secula seculorum, Amen. Datum Basileæ in coogregatione nostra generali, Idibus Junii, Anno à Nativitate Domini MCCCCXXXIX.

SYNODI BASILEENSIS RESCRIPTUM.

Anno Christi 1444.

DE TRANSFERENDO CONCILIO.

Datum Friderici III. Regis Romanorum, & Electorum Imperii in Comitiis Francofurtensibus congregatorum Oratoribus.

SAcrosancta generalis Synodus Basileensis, in Spiritu sancto legitime congregata, universalem Ecclesiam repræsentans, ad futuram rei memoriam.

1. Petitionem vestram audivit hæc sancta Synodus, quam nomine charissimi Ecclesiæ filii FRIDERICI Regis Romanorum Illustris, & Venerabilium Archiepiscoporum ac Nobilium virorum Principum Electorum sacri Romani Imperii, vos venerabilis Silvester Episcope Chiemensis, & dilecti ejusdem Ecclesiæ filii Erharde de * Zelking Baro, Thoma de Haselbach in Theologia Magister, Joannes de Lisura Decretorum Doctor, Præposite Ecclesiæ B. Mariæ ad gradus Moguntinensis, Joannes de Francofordia Officialis Confluentiæ, Henrice de Herpel Præposite S. Severini Coloniensis, Joannes de Lamberg etiam in Theologia Magister, præmissis disertis Orationibus porrexistis.

* fort. Schelkingen, qui Comitiis interfuit, eorumque Recessui subscripsit.

Cujus quidem petitionis tenor talis est: Dignentur vestræ Reverendissimæ Paternitates ad exhortationem & devotam postulationem Serenissimi Domini nostri Romanorum Regis, &c. nec non suorum Principum Electorum, sua vota conferre, quatenus modus congruus ad generalis Concilii ab omnibus indubitati congregationem, infra unius anni spatium, perveniatur loco suæ Majestati & suis Principibus Electoribus grato, & rebus gerendis accommodo. Vestras autem Dominationes latere non putamus, quantum necesse sit, ut Conciliorum generalium judicia, quæ pro fide orthodoxa & salute animarum proferuntur, firma & stabilia permaneant, quodque jacturæ ipsius fidei & ecclesiasticæ disciplinæ imminent, si illa mutari & vacillare, nec robur & firmitatem habere permittantur.

Hinc enim assiduæ perturbationi pacis datur occasio, hinc detrimenta salutis afferuntur innumera, hinc ad malorum audacem perpetrationem ingressus præbetur, hinc subterfugiis perfidorum aditus aperitur. Sic quippe inducerentur perversi, ut nullatenus Synodo judicanti aut statuenti vel mandanti obedirent, sed illico aliam Synodum fieri expeterent, *cum & mos sit malorum litigatorum*; sicut præclare beatus Augustinus ad Glorium Eleusinum & alios Donatistas scripsit, *ut dicant se malos judices fuisse perpessos, licet etiam firmiter manifestissima veritate superati.* Neque coercere posset cervices superborum & ecclesiasticam pacem perturbantium Synodalis authoritas, si celebrato Concilio mox ipsum transferri aut aliud oporteret deveniri. Quod Papa Gelasius luculenter advertens, in Epistola directa Episcopis Dardaniæ ajebat: *Majores nostri divina inspiratione cernentes, necessario prædicaverunt, ut quod contra unamquamq; hæresim coacta semel Synodus pro fidei communione ac veritate promulgasset, non sinerent post hoc novis retractionibus mutilari, ne pravis occasio præberetur.*

Et subdit eadem Epistola: *Sic Eunomium, Macedonium, Nestorium, Synodus semel gesta condemnans ulterius ad nova Concilia venire non sinit.* * Martianus quoque & Valentinianus Imperatores firmum habere voluerunt, quod per Synodum Chalcedonensem fuerat definitum, causam illam subjungentes: *Nam injuriam facit judicio religiosissimæ Synodi, si quis semel judicata ac recte disposita revolvere & publice disputare contendit.*

* al. Marcianus.

Quod si permitteretur, nihil ferme in diffinitionibus fidei & judiciis Ecclesiæ apud mortales stabile haberetur, facileque rueret omnium futurorum Conciliorum vigor, si hæc sancta Synodus authoritate duorum præcedentium Conciliorum & duorum Romanorum Pontificum congregata, cui etiam Summus Pontifex pro tempore existens cum omnibus Cardinalibus, cunctique Prælati ecclesiastici inhæserunt, cui omnes Reges terræ, omnesque fere magni Principes orbis incorporati sunt, & solennia per suos Oratores præstiterunt juramenta, conculcaretur: aut

in suis judiciis, statutis, declarationibus & decretis contemneretur & haberetur ludibrio. Non parvum itaque imminet periculum, si in alium locum Synodus congreganda decernatur, quin robur Ecclesiasticæ authoritatis aliquid læsionis atque detrimenti patiatur.

2. Ubi tamen jam pluribus annis diligentiam nostram pro illibata stabilitate ipsius authoritatis Conciliorum conservanda, Domino auxiliante, impendimus, & pro pace Ecclesiæ præmissam petitionem postulatis adimpleri, quam si rejiceremus, plurima discrimina graviorque ipsius Ecclesiæ Dei læsio sequi posset: Nos de benigno Christo adjutorio assidue sperantes, qui ad ipsam Ecclesiam ait; *Ego vobiscum sum omnibus diebus usq. ad consummationem seculi:* simulque de probitate Serenitatis Regiæ & Inclytorum Principum vos mittentium confidentes, quod magnis viribus laborabunt, ut sive hic continuata fuerit, sive in alium locum translata concio Synodalis, firmiter atque inconcusse teneantur ab omnibus veritates in sacro Constantiensi Concilio declaratæ, & per hanc sanctam Synodum renovatæ, sicque stabilis & firma deinceps Conciliorum habeatur authoritas, per quam fidei Catholicæ robur ac nervus ecclesiasticæ disciplinæ & status Christianorum conservetur in terris: sicque eorundem Conciliorum statuta, ordinationes & judicia pro ipsa fide, pro lege Domini & ædificatione animarum, ac bono regimine status universalis ecclesiæ, cuncti revereantur, quod nullius in adversum rebellio aut pertinax contradictio vel scandalosa dissensio prævalere permittatur: ut sic cum vigore justitiæ mala reprimi, & bona cum tranquillitate valeant promoveri, unanimitasque obedientiæ ubilibet resslorere possit: præfatæ vestræ petitioni respondendum duximus, juxta seriem articulorum sequentium sub hac forma.

Matth. 28.

3. Primo, Sancta Synodus commendat devotionem & synceram intentionem quam præfati Serenissimus Romanorum Rex, & Illustres Principes ad unionem & pacificationem ecclesiæ sanctæ Dei habent, & pridem per vos prædictos solennes Nuncios & Oratores suos cum eorum litteris ad hoc sacrum Concilium destinatos, in congregatione generali facunde & prudenter explicarunt. Secundo, vobis præfatos Oratoribus commemorat, quomodo in hac civitate Basileensi hactenus fuerit & hodie sit generale Concilium universalem ecclesiam repræsentans, quod merito apud omnes Christianos multiplici ratione debet dici & reputari indubitatum & unicum, & quod sine maximis periculis, incommoditatibus, laboribus, sumptibus, & difficultatibus, abhinc ad alium locum mutatio hujus sacri Concilii fieri non poterit, prout res hæc seipsam cunctis diligenter intuentibus indicat, & hæc ipsa sancta Synodus sæpius per Oratores suos in diversis Ambasiatis, ac in isto loco verbo & scriptis Oratoribus Regum & Principum seculi multifarie ostendit. Unde præmissis aliisque pluribus attente consideratis, videretur huic sanctæ Synodo, quod hæc insignis civitas Basileensis, cujus idoneitas multiplici experientia diuturne comprobata extitit, esset locus aptus & rebus gerendis accommodus, ad quem cooperantibus præfatis Dominis Serenissimo Romanorum Rege & Electoribus, non solum ex inclyta natione Germanica, sed ex omni fidelium natione, quæ sub cœlo est, convenire possent omnes, qui generalibus Conciliis interesse debent & consueverunt, ut una cum Patribus, qui in hoc Concilio constanter hactenus perseveraverunt, pax & unio Ecclesiæ desiderata dari possit: præcipue cum hoc sacrum Concilium, inter alia sancta opera, specialiter extitit congregatum ad pacem omnium Christianorum.

4. Nihilominus his non obstantibus, ut prædicti Serenissimus Rex & Principes Electores, cæterique Reges & Principes ac cuncti fideles clare percipiant rectam & puram intentionem, quam habet hoc sacrum Concilium ad unitatem & pacem Ecclesiæ, & hactenus semper habuit, quodque Patres in eo perseverantes parati sunt reddere rationem omni poscenti de ea, quæ in ipsis est, fide, utque præfati Serenissimus Rex Romanorum & sui Principes Electores evidenter cognoscant, quod sacrum Concilium cupit votis eorundem complacere pro pacificatione universalis Ecclesiæ, divina favente clementia, consequenda, ipsa S. Synodus in hac Basileensi civitate inclytæ nationis Germanicæ in Spiritu Sancto congregata, & usque in præsentem diem legitime continuata, universalem *Ecclesiam* repræsentans, offert se paratam in tempore, de quo infra fit mentio, ad locum ejusdem nationis rebus gerendis accommodum, & regiæ Celsitudini gratum, sua propria authoritate modis congruis seipsam transferre, securitatibus tamen ante hujusmodi translationem decretandam & finiendam, in talibus præstari solitis, & aliis necessariis datis & præstitis. Obsecrat autem præfata S. Synodus eandem regiam Celsitudinem, quatenus dignetur rem hanc aliis Regibus & Principibus intimare, eos toto ingenio & nisu inducendo, ut illam ipsi amplectantur, veniantque personaliter, aut suos solennes Oratores mittant, ac Prælatos & alios, qui in generalibus Conciliis de jure vel consuetudine debent interesse ditionis eorundem, etiam ad veniendum inducant, ut pax & unio Ecclesiæ sanctæ Dei dari possit. Securitates verò & alia, quæ necessaria esse reputat & intendit hæc S. Synodus, sunt ea, quæ sequuntur. Primò, quod Serenissimus ipse Rex præstet suum & sacri Romani Imperii salvum conductum ipsi sacro Concilio ad alium locum transferendo; pro omnibus accedentibus ad ipsum, stantibus & recedentibus in plena forma. Detque operam, ut locus eligendus etiam habeat plenissimam securitatem & salvum conductum cum libertatibus circa jurisdictionem, ac etiam super habitationibus, victualibus & aliis requisitis. Similiter dabit operam, quod Principes Ecclesiastici & Seculares, ac loca ipsi Concilio vicina dent suos salvos conductus, quodque prædicti salvi conductus Serenissimi Domini Regis, loci Concilii, aliorumque Dominorum & locorum, sint irrevocabiles, durentque continue usque ad quatuor menses post finitum Concilium. Exhortatur autem sancta Synodus Regiam Celsitudinem, si quæ guerræ aut discordiæ graves tunc inter illos aut illa essent, dignetur se interponere pro treuga aut pace inter illos componenda.

1. Petr. 3.

NB. Obedientiam legitimam Patrum Concilii, Imperatori legitimo magistratui, non autem Papæ tyranno & usurpatori alienæ potestatis, in translatione Concilii parere offerentium.

5. Item

5. Item petit S. Synodus, quod Serenissimus ipse Dominus Rex Romanorum ipsi Concilio intersit personaliter, cessante legitimo impedimento: quo adveniente, aliquem potentem & magnae authoritatis Principem sacro Concilio gratum, in ejus protectorem instituere habeat: polliceaturque sub verbo Regio per suas literas patentes, quod non faciet, nec fieri permittet, Deo authore, quantum in eo fuerit, quod sit vel esse possit directe vel indirecte contra ipsius Concilii authoritatem & libertatem.

Item ne inanis & frustratoria reddatur hujusmodi sacri Concilii translatio, quae sine magnis periculis & difficultatibus fieri non potest, videtur permaxime necessarium, cum juxta declarationem sanctae & magnae Synodi Constantiensis quicumque fidelis teneatur obedire mandatis, statutis, ordinationibus aut praeceptis cujuslibet generalis Concilii, quod Domini Rex & Electores praefati per suas literas patentes sacrum hoc Concilium Basileense, ante ipsius translationem decretandam, certificent, quod Concilium, dum in illo loco fuerit, recognoscent pro vero generali Concilio & indubitato, eique adhaerebunt cum effectu inconcusse, quamdiu durabit & continuatum fuerit: statutisque ordinationibus, decretis, & mandatis per illud inibi fiendis acquiescent & obtemperabunt, & quantum in eis erit, inviolabiliter facient observari, etiamsi adversarii ad illud non venerint. Loca verò, quae praedictae translationi & rebus gerendis videntur accommoda, & Regiae Celsitudini grata, nominabit sacrum Concilium, quando ipsius Serenitati videbitur expedire; quorum alterum, pro majori gratitudine contentatur sacrum Concilium, quod ipse Dominus Rex authoritate hujus sacri Concilii eligat & assignet. Postquam autem dictae securitates sacro huic Concilio fuerint praestitae cum effectu, ac per Regiam Serenitatem unus ex locis eidem specificandis pro translatione Concilii nominatus, & de his aliisque praemissis sacrum Concilium per suas literas Regias patentes fuerit certificatum, haec S. Synodus suam translationem in illum locum publice ac in solenni sessione decretabit fiendam ad tempus, quod eidem Synodo ac dictae Regiae Majestati, consideratis temporum circumstantiis & necessitate Ecclesiae, videbitur expedire.

6. Viditis, Praeclari Oratores, quantum pacem Ecclesiae haec S. Synodus exoptet, quanta liberalitate desideriis Regiae Serenitatis & aliorum Illustrium Dominorum vos mittentium satisfacere desideret, nihil aliud quaerens, nisi ut publicae saluti Ecclesiae convenienter & efficaciter consulatur. Vestrum erit jam eorundem Principum animos inducere, ut matrem suam Ecclesiam, ex qua spiritualiter regenerati sunt, virtuosis adjuvent auxiliis, quatenus eorum ope sacri Concilii Constantiensis & hujus Basileensis, ac universitatum almarum universalium Synodorum illaesa servetur authoritas, fides vigeat, sacris Canonibus reverentia debita exhibeatur, procuretur animarum salus, ad quae semper summe hujus sanctae Synodi adspiravit intentio: quae etsi per impletionem vestrae postulationis obmitti aut negligi contingeret, grave judicium à Domino super ipsos Principes inclytos & super vos pertimescendum foret. Sed ita illorum piam devotionem & vestram in cunctis agere speramus, ut ex laboribus fructuosis à Domino promereamini praemia gloriosa. Datum Basileae in nostra generali congregatione, secundo Nonas Octobris, Anno à nativitate Domini MCCCCXLII.

FRIDERICI III. IMPERATORIS AUGUSTI

AD PONTIFICEM ROMAN.

Anno Christi 1444.

De Regnis legitimo heredi non auferendis, aut in alium transferendis.

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, Sanctissimo Patri, Domino Eugenio Papae Quarto S. P. D. Etsi non dubitemus, Apostolicam Sedem, tamquam veritatis doctricem, justamque vitae magistram, quorumlibet juribus favorabilem esse; nullique prorsus injuriam facere, quia quicquid ab ejus solio manat, justitiae lancibus libratur & aequitatis; non tamen ab re fore putamus aliqua per nos scribi Beatitudini tuae, quibus jus Serenissimi Principis Ladislai Ungariae Regis, patruelis nostri charissimi, pueri pupilli & orphani commendatum efficiamus; & eorum qui ficta pro veris referunt, impiis resistamus conatibus. Scit enim tua Beatitudo; patruelem nostrum praefatum, qui post obitum vitae (divae memoriae) patrui & antecessoris nostri Alberti Romanorum atque Hungariae Bohemiaeque Regis, in utero materno posthumus remanserat, ut primum natus fuit, & sacri fontis unda renatus, adhibitis ex more solennitatibus, veram Ungariae & scientiam suscepisse coronam. Nunc autem, sicut accepimus, magnopere quidam instant, ut tua Sanctitas titulum Regni hujus in * alium transferat, multa illinc emolumenta tum Sanctitati tuae, tum Regno praefato provenientia dicentes; quae licet nullatenus Apostolicum movere credamus, quia nullum commodum est tam ingens, pro quo bene vendi justitia possit, mirandus tamen est eorum conatus, qui ex alieno incommodo suum quaerentes commodum, altissimi sanguinis puerum & paterno & avito Regno cupiunt spoliare. Iniquum profecto & abominabile scelus.

* Uladislaum Poloniae Regem.

Fecerit enim alius quivis magnalia, sit potens, sit aptus regimini, sit per aliquos accersitus, volumus ista discutere, nec eam injuria volumus loqui cujusquam: nulla tamen ratio suadet, huic puero suum adimi regnum, qui si propter se non esset magni putandus, si tamen propter facta paterna, universa Christianitas favorabilis esse deberet. Quis enim nostri temporis homo est, qui patris hujus gloriosos conflictus, tum contra Turcos, tum contra Hussitas non audiverit? Debent praeterea & huic puero favorem praebere, * avi sui clarissima gesta, & illa Ecclesiae unio Constantiae reparata, tum verò & Caroli Quarti, & Henrici Septimi: quorum ultimus hic sanguis est memoria Caesarum. Tacemus inclytae Domus nostrae Austrahs opera, tam pro Imperio, quàm pro Ecclesia, in favorem fidei per nostros & hujus pueri progenitores edita. Quis tandem non compati deberet innocenti puero parentibus orbato, vero Ungariae Regi ac haeredi: Insanae profectò mentis & animi trucis sunt, ac totius hostes justitiae, qui tam generosum puerum Regno privare, & jus tam clarum conculcare nituntur. Sciunt tamen & illi ipsi, qui talia petunt, inhumanum esse quod optant, atque idcirco extinctum puerum & nusquam inventu confingunt, ut vel hoc colore Regni titulus in alium derivetur. Sed aliud reperitur. Vivit enim Rex Ladislaus, ac sancta & felici fruitur sospitate: scitus puer atque formosus. Is est in Nova civitate vicinus Ungariae, aditique ab hominibus potest, qui ejus visendi sunt cupidi. Spes & nostra & omnium est, antecessorum suorum virtutes in hoc puero revicturas. Quae omnia tuae Beatitudini recensemus, ne per sinistras suggestiones aliquid ex Curia tua valeat extorqueri, quod hoic patrueli nostro possit esse nocivum, utque puerum istum omnibus Imperii Principibus sanguine junctum, Apostolicae Sedis favore tua Sanctitas prosequatur. Sit igitur hic Rex pupillus in tuo conspectu recommendatus, sit ante oculos tuae mentis sua generositas, sua aetas, sua puritas, suorum memoria praedecessorum, & hujus justitiam, ex qua non inanis & ficta, sed vera & ampla utilitas Apostolicae Sedi redundare potest, amplecti atque tueri velis. Datum Viennae.

* Sigismundi Imp.

FRIDERICI III. IMPERATORIS AUGUSTI
AD PONTIFICEM ROMANUM.
DE EXPEDITIONE CONTRA TURCAS FACIENDA.

Anno Christi 1453.

FRidericus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, Sanctissimo Patri Domino Nicolao Papae Quinto S. P. D. Beatissime Pater & Domine Reverendissime, cum nobis renunciatum esset his diebus, Constantinopolim Graeciae caput, & Orientalis Imperii quondam sedem, per Turcorum Dominum expugnatam & in servitutem redactam, multumque ibi Christiani sanguinis fusum esse, graviter quidem (ut debuimus) & molestissime tulimus communem Christianae religionis calamitatem atqi jacturam, intelligentes, non de praeterito solum quod doleamus, sed de futuro quoque quod timeamus, tantae urbis amissionem fidelibus Christianis abunde praebere. Namque si verus est rumor ad nos delatus, hominum quadraginta millia caesa sunt, animae plures in servitium miserabile ductae: templa divino nomini dedicata funditus diruta: naves non paucae captae: amissa civitas famosissima, & ratione situs, & aliis conditionibus ad tutelam Christianitatis admodum necessaria: in qua per multa secula & Patriarchalis dignitas claruit, ac Imperialis Majestatis insignia floruerunt. Tacemus de litteris & bonarum omnium artium studiis, quae veluti domicilium proprium ex tota Graecia Constantinopolim habuere. Quibus modo cum civitate cadentibus, nullum profectò credimus esse Christiano nomine insignitum, qui de tantae urbis ruina supra modum non angatur & doleat. Maximum certe atque horribile vulnus illatum est Ecclesiae Catholicae nostro tempore, ac majus quàm scriptis possit aut verbis exprimi. At cum potentissimus hostis, crudelissimus, immanissimusque in manu victoriam hanc, locumque nactus sit, ex quo fidei Christianae, quam persequitur, pro sua libidine possit officere, quis non eum iodies plura conaturum existimet, quibus Christianorum gentem in perniciem desolationemque ducat? Quippe victoria sui natura insolens, etiamsi ad mites venerit, feroces eos impudentesque reddit: quid cum his agat, qui suopte ingenio soliti sunt saevire? An putare quisquam potest, iratorum hominum cupidorum atque acerbissimorum quieturam esse victoriam? Enimvero qui ex illis partibus ad nos veniunt, & Peram ajunt Christianis perditam, & alia pleraque loca vicina Constantinopoli per Turcos occupata, qui proximam quamque victoriam non desidiae aut socordiae ducunt, sed instrumentum sequentis habent; studiisque omnibus enituntur, ut Christianum nomen ad internecionem redigant. Nescimus an vera sint, quae auctore non certo dicuntur, timere tamen quam sperare multae nos urgent rationes: fama quae de venturis Turcorum exercitibus erat, civitas Regia pro magnitudine sua parum populosa, hostium propinquitas, auxilii spes remotior, & infelix ac dolorosum nuncium optato & faosto semper credibilius. Quibus ex rebus etsi non dubitemus, Sanctitatem vestram his cognitis excitatam esse ad cogitandum inveniendumque modos, quibus tam periculoso & potenti hosti, ne amplius noceat, opportune resistatur; tamen quia nos quoque velut Imperatorem & Advocatum Ecclesiae res ista concernit, haud ab re credimus esse, si Clementiam vestram pro communi fidelium salute accensam, magis ac magis inflammare nitamur. Neque enim res est, quae vel negligi debeat, vel differri: oportet currere, priusquam vulnus altius infigatur,

figatur, aut veneni labes in corda decedat. Cæterum cum tanto negocio non unius provinciæ, aut paucorum Principum, sed omnium Christianorum Regum, seu certe magnæ partis eorum, necessariæ vires existant, dicemus confidenter, quid nobis ex usu videtur, neque dubitamus, quin dicta nostra vestra Sanctitas in partem recipiet meliorem. Sane pro tanto & tam necessario opere optimum factu censemus, Clementiam vestram, quæ locum tenet in terris Salvatoris nostri Jesu Christi, cujus res agitur, nunc exurgere, scribere Regibus, Legatos mittere, monere, hortari Principes ac Communitates, in aliquem communem locum ut aut veniant, aut mittant: nunc dum vulnus est recens, Christianæ rei consulere festinent: Pacem aut inducias inter socios fidei componant, atque junctis viribus adversus salutiferæ Crucis inimicos arma promoveant. Quod si vestra Sanctitas toto pectore suoque more ad rem hanc tam piam & utilem intenderit, non est nobis dubium, quin plures & Reges & Principes, in quibus zelus domus Dei, & ardor fidei Orthodoxæ non est extinctus, ad mandatum vestrum voluntarios & obsequentes se præbeant. Nos certe pietati vestræ, ut libuerit, & assistere & cooperari pro nostri officii debito minime omittemus. Solum precamur, ut vestrum in hoc negocio consilium & intentum communicare dignemini. Namque si fuerit opus, nostræ nationis & imperii sacri Principes ad hoc ipsum convocare, & alia quæ juxta consilium vestrum putaverimus opportuna, implere non negligemus. Quia verò ad hujusmodi negocium maxime conducere arbitramur, Italica bella quam primum sopiri, quamvis beatitudinem vestram ad hoc conari & per se sufficere non ambigamus, tamen quia anno proxime decurso, & Romæ & Neapoli, & Ferrariæ, & Venetiis de hoc plurimum egimus, licet frustra, si pietati vestræ inpræsentiarum quovis modo expedire videtur, quod Oratores aut ad Sanctitatem vestram, aut partes contendentes mittamus, sive alio modo pro pace celerius connectenda laboremus, ut Sanctitati vestræ fuerit visum, eo modo faciemus, omnique cura & studio proni erimus ad ea intendere, per quæ pacem tam Italis quam cæteris Christianis data, & furori Turcorum resistatur, & Christiana religio in suo statu conquiescere possit, & debito sub splendore foveri. Datum, Anno M CCCC LIII.



WLADISLAI HUNGARI, DESIGNATI ROMANORUM REGIS

DECRETA

A FRIDERICO III. IMPERATORE *COMPROBATA & confirmata Anno Domini MCCCCLIV.

Anno Christi 1454.

*puto; quia Ladislai tutor fuit.

WLADISLAUS Dei gratia Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Ramiæ, Serviæ, Galliciæ, Lodomeriæ, Comaniæ, Bulgariæque Rex; Austriæque, Slesiziæ & Stiriæ Dux; necnon Marchio Moraviæ, Lusaciæ, &c. Fidelibus nostris universis Prælatis, Baronibus, Nobilibus, & alterius cujusvis status & conditionis hominibus possessionatis, in Comitatu Pesthiensi constitutis & existentibus, salutem & gratiam. Crebrarum ac dudum invalescentium novitatum Nobilium hominum fide dignorum hujus Regni nostri Hungariæ pericula formidantium patefactione edocti sumus luculenter, quomodo perfidissimus Imperator Turcarum potentissima Paganorum coadjuvatione solitò multiplicata in finale exterminium firma intentione machinatur hoc Regnum nostrum Hungariæ subintrare. Proinde nos vigili advertentia in animo revolventes; ne velut olim hoc regnum nostrum Hungariæ ex Tartarorum invasione improvisa; inadvertentia regnicolarum in flebilem ruinam fuerat positum, & in præsentium inevitabili cursu dicti Imperatoris Turcorum, & campestri cum conflictu indispositi (quod Deus avertat) nos contingat periclitari, & totius hujus Regni machina, sacra religione Christiana imbuta, penitus diruatur; quemadmodum etiam in proximis diebus evolutis exemplari intuitu civitati Constantinopolitanæ, per eundem Imperatorem Turcorum illatum fore jam experti sumus manifeste. Ea propter prædicti fideles nostri, Prælati, Barones, Nobiles & Proceres dicti Regni nostri Hungariæ, una cum certis electis Nobilibus hominibus singulorum Comitatuum ejusdem Regni nostri, quibus per alias nostras nuper superinde dederamus in mandatis, in hac civitate nostra undecim his diebus congregati, super eo qualiter hujusmodi ipsius Imperatoris Turcorum invasio restollanda valeret tutius evitari; uniformem habentes tractatum & deliberationem, Nos cum eisdem validam expeditionem exercitualem, ad natalem patriam nostram, Altissimo propitio, defendendam adversus Paganorum insultus, decrevimus instaurandum, præsentibus literis nostris, sub certorum Articulorum inclusionibus subnotandis, vestris fidelitatibus notificandum.

1. Videlicet, quod primum Spectabilem & Magnificum Joannem de Huniad, perpetuum Comi=

Comitem Bristriciensem, infra præsentis integri revolutionem anni, Capitaneum generalem instituimus hujus exercitus nostri instaurandi.

2. Item, Domini Archiepiscopi, Præpositi, Episcopi & capitula, ac Abbates, & alii dignitates & honores Ecclesiasticos majores tenentes, quemadmodum tempore quondam Domini Sigismundi Imperatoris & Regis, avi nostri, consueti fuerunt, cum ipsorum Banderiis, ac numero lancearum exercituare teneantur: ita videlicet, quod quantumcumque Ecclesiarum seu personarum Ecclesiasticarum proventus per inimicos extitissent minorati, juxta limitationem electorum hominum prædictorum, etiam hujusmodi exercituatio earumdem Ecclesiarum seu personarum Ecclesiasticarum, cum tanto defectu minoretur: quod etiam aliæ personæ Ecclesiasticæ, dignitates & honores Ecclesiasticos minores tenentes, quorum nomina in * Registro nostro exercituationis scripta non existunt, secundum conscientiam limitationum electorum hominum prædictorum, juxta quantitatem proventuum earumdem personarum Ecclesiasticarum, exercere teneantur.

* vulgo, Matricula Imperii.

3. Item, in quibuslibet Comitatibus tot probi & fide digni homines potiores per Communitatem Nobilium eorumdem Comitatuum eligantur, quod una cum eisdem Judicibus Nobilium Comitatus, in quo connumeratio fieri debebat, præstitis juramentis per eosdem, connumeratisque portis Iobagionibus, ad rationem & numerum lucri Cameræ faciendum, de centum portis Iobagionibus, tam Ecclesiasticarum quam secularium personarum, quatuor equites pharetrarii, & duo pedites similiter pharetras, ac clypeos & cuspides habentes, ad exercituandum hac vice tantum, & usque ad metas & terminos Regni nostri Hungariei, & non ulterius disponant, ac in quolibet Comitatu, per eamdem universitatem Nobilium, & medio ipsorum unus idoneus conductor belli illius Comitatus eligatur, qui cum eisdem hominibus exercituantium connumeratis penes Capitaneum exercitus tempore debito accedere teneantur. Universi autem Nobiles Regni nostri Iobagiones non habentes, per singula capita, aut cum Dominis ipsorum, juxta limitationem dictorum electorum hominum, teneatur exercituare. Et qui equester vel pedester proficisci debeant, vel qui propter paupertatem, senium vel infirmitatem exercituare non possint, iidem electi homines discernant & disponant, pro personis vero filiorum Magnatum parvulorum, homines armati; pro aliis vero pueris & orphanis, juxta eorum facultatem, consimiliter homines exercituantes transmittantur. Universi autem Magnates, Barones, Milites, Nobiles & *Proceres* dicti Regni nostri, majores scilicet & minores, ab invicem divisi, per singula capita *propria* hac vice exercituare teneantur. In castris ex pluribus Castellanis sufficiat unum remanere cum tot personis, quot pro conservatione talis castri sufficientes fore judicarint electi homines deputati; alii personaliter debebunt exercituare.

4. Item, in domibus notabilium Nobilium, unus Nobilis pro provisore Curiæ possit remanere, ita tamen, quod quicumque modo præmisso remanserunt, teneantur homines suos exercituantes connumeratos transmittere. Ex Nobilibus vero & aliis minoribus, *filios aut fratres indivisos habentes*, sufficiat unum ad exercitum proficisci, antiqua consuetudine observata.

5. Item, quod Iobagiones exercituantes Nobilium in pluribus Comitatibus possessiones habentes, electi homines connumeratores talium Comitatuum erga & penes Dominos ipsorum Comitatuum, ubi tales Domini eorum residentiam fecerint, personalem transmittant: qui quidem Nobiles seu Domini, cum talibus hominibus eorum exercituare si voluerint, sub Banderio dominorum ipsorum accedant, & proficiscantur: qui etiam rationem de numero & personis talium suorum exercituantium generali Capitaneo dare, & de eisdem respondere tenebuntur.

6. Item, quilibet exercituans, tam major quam minor, teneatur in propriis expensis tam in eundo, stando & redeundo, proficisci; nullusque audeat aliquas res, vel victualia, absque competenti solutione, recipere. Si qui autem violenter in aliquibus locis aliquas res vel victualia receperint, ductor exercitus talis Comitatus ex parte damnificantis teneatur impendere satisfactionē indilatam. Et si *ipse damnificans*, unde satisfaceret, non haberet, caput ejusdem in magnis damnificato debeat *assignare pro ductore* belli Comitatus prænotati. Quod si talis ductor belli facere non posset propter *personætalis* damnificantis majoritatem, aviset superinde Capitaneum generalem, qui teneantur damnificato satisfacere: alioquin damnum passus, valeat damna sua, jure mediante, acquirere, secundum contenta Decreti Dominorum Prælatorum & Baronum.

7. Item, omnes liberæ Civitates tam nostræ Regales & Reginales, quam Dominorum Despoti * & Comitis Ciliæ, aut aliorum Magnatum, necnon totum Regnum nostrum Sclavoniæ, de quibus lucrum Cameræ nostræ solui non consuevisset, modo præmisso, connumerari debeant; & similiter Philistæi, Comanii, Wolaii, & Tartarii connumerari debeant exercituare.

* sc. Rasciæ.

8. Item, omnes celebrationes octavarum, & judiciorum, tam Ecclesiastici quam seculares, usque descensum exercitus nostri, in proximo consurgente cessare debeant. Post descensum vero præsentis exercitus, aut si hujusmodi exercitus levari non debuerit, omnes octavæ, signanter festi B. Georgii immediate sequentis usque finem celebrentur.

9. Quodque Iobagiones quorumcumque usque ad festum S. Martini proxime affuturi, nullo modo hinc inde deducantur, morentur.

10. Disposuimus insuper, quod quicumque tam Prælatorum ac Baronum, virorumque Ecclesiasticorum, & Magnatum, nec non Nobilium, & possessionatorum hominum, prædictam dispositionem & ordinationem in toto vel in parte observare vel implere nollet, aut non curaret: Extunc tales dicti electi connumeratores in eo mox admonere debeant, ut per defectum hujusmodi non perfectionis, dispositionis & ordinationis prædictorum, pro quolibet equite, sedecim florenos auri, & pro quolibet

pedite

pedite decem flotenos auri, usque quintum decimum diem, à die admonitionis eorundem computando, dicto Capitaneo nostro generali dare & solvere debeant, & teneantur. qui si non solverint, extunc ductor exercitus talis Comitatus, una cum electis hominibus, & judicibus nobilium ipsius Comitatus, ubi talismodi dispositiones infringentur, seu non proficiscentur, illas possessiones possessionarias, de quibus ipsæ dispositiones profecto non fecerint, occupare, occupatasque tam diu, donec per hos, quorum redemptionem eædem magis competunt, dictorum summa & quantitate florenorum redimantur, conservare valeant atque possint.

11. Quodque præmissa dispositio exercitualis ad aliquam pecuniarum solutionem nullatenus, & per nullum modum, per quempiam convertatur; quod si per aliquem factum fuerit, pœnam sententiæ capitalis incurrat ipso facto.

12. Item exercituantes illi, qui scilicet de exercitu furtive recedunt, si Nobiles fuerint possessiones ipsorum amittant: si vero ignobiles, pœnæ capitali subjaceant: & similiter illi, qui à dominis illorum dispositionem habuerunt, vel pecuniam eorum legaverunt, cum eisdemque proficisci noluerunt, eandem sustineant capitalem pœnam.

13. Præterea qui præmissam dispositionem exercitualem contra antiquam consuetudinem & libertatem tam Ecclesiasticarum personarum, quam etiam aliorum regnicolarum nostrorum, majorum & minorum, propter præsentis validissimi belli apparatus, dicti Imperatoris Turcorum in hujus Regni invasionem (quod Deus avertat) faciendum pro ejusdem Regni notabilis scilicet filii Regni & patriæ paternæ defensione & conservatione in præsentiarum levare oportuit & promulgare: ideo Nos & ipsi prælati, Barones cæterique Nobiles & Proceres dicti Regni nostri spondemus, & fide nostra Christiana præstita, etiam cum nostri, & ipsorum Prælatorum & Baronum sigillorum impressionis roboratione promittimus & pollicemur: quod amodo & deinceps nullo umquam tempore, talem inconsuetam exercituationem promulgabimus & faciemus, neque ipsi facient & promulgabunt, sed tam nos quam ipsi Prælati, Barones & Proceres Regni nostri, penes dictam antiquam consuetudinem exercituationis semper permanebimus, & ipsi permanebunt,

14. Item pro compescendis quarumcumque nocitumitatum generibus, disposuimus, ut Prælati, electi homines in singulis Comitatibus, una cum Judicibus nobilium, omnibus querulantibus teneantur super quibuscumque factis potentiariis, & etiam possessionum occupationibus ex parte in causam attractorum habita prius superinde diligenti inquisitione, compertaque sufficienti rei veritate, absque dilatione, & terminorum prorogatione, judicium & justitiam querulantibus teneantur exhibere: Comesque Parochialis jus hujusmodi judiciorum modo præmisso faciendum teneatur satisfactionem indilatam & plenariam ex parte hujusmodi in causam attractorum læsis ministrare. Quod si ipse Comes Parochialis ex quacumque causa facere noller, extunc talis Comes Parochialis honore suo privetur causaque hujusmodi, modo prætacto, adjudicata in Curiam nostram Regiam, per eosdem Judices, transmittatur: ubi in primis octavis celebrandis, fine conclusione absque ulla prorogatione vel ulteriori terminetur, ubi ipse Comes, vel Vicecomes præmissa parte an in eo ut ipsi in prima die sedis judiciariæ super talismodi novis actibus potentiariis, damnis atque injuriis, læsis & damnificatis omnimodam impendere debeant satisfactionem admoneant, qui si id facere recusaverint, tunc ipsi electi & judices nobilium seriem hujusmodi non satisfactorum, in literis eorum conscribi facere, & ad primas octavas tunc celebrandas transmittere, judex ordinarius octavis in eisdem contra tales Comites & Vicecomites literas sententiales læsis & damnificatis dare, & eandem executionem debeant & teneantur.

15. Quocirca fidelitati vestræ præcipimus & mandamus, quatenus mox postquam prætacti homines electi dicti Comitatus Pestiensis hic Budæ in præsentiarum constituti, hinc vestri in medium cum præsentibus revertentur, & pervenerint, ad locum sedis vestræ judiciariæ, universaliter congregati, juxta contenta præsentium dispositionum nostratum, una cum dictis Prælatis & Baronibus & electis hominibus per vos deputatis, cæterisque Nobilibus & Proceribus dicti Regni nostri in superioribus articulatim conscriptarum, vos cum celeritate more exercituantium, tam impedite disponatis & appromptuetis, ut dum, & quam primum annotatus Comes Joannes generalis capitaneus exercitus nostri prænominati vobis scripserit, in continenti cum apparatu exercituali fulciti prævio ductore belli ipsius Comitatus, unde modo prætacto unum de medio eligendo ad loca, quæ idem Capitaneus noster generalis duxerit notificanda, ad resistendum prædictorum inimicorum nostrorum insultibus proficisci valeatis: aliud sub pœnis prædictis, & nostræ indignationis, facere non ausuri in præmissis. Datum Budæ in festo Conversionis B. Pauli Apostoli, Anno Domini MCCCLIV.

Ad relationem Dominorum Prælatorum & Baronum confirmata.

CONSTITVTIONES CAROLI REGIS FRANCIÆ, ITALIÆ, NAVARRÆ, SICILIÆ, NEAPOLEOS, SARDINIÆ, CORSICÆ, &c.

Anno Christi 1495. eo nomine VIII.

EDICTUM

Contra Romanum Pontificem, Alexandrum VI. per Legatos Romæ publicatum XII. Jul. Anno MCCCCXCV.

Legitur in libello de actis Gallicanæ Legationis, impresso Lipczk per Melchior. Lotter: cujus nobis copiam fecit vir Ampliss. Reipublicæ amans & communis salutis studiosus Daniel Schneiderus J.C. & Consiliarius Saxonicus in Aula Vinariensi.

SÆpe Oratoribus, sæpius literis, te apud, Alexandre Sexte, sollicitavit Rex noster, quod annueres auxilioque esses, ut Regnum suum Neapolitanum, quo injuste eum spoliarunt Reges Arragonum, eoque in hunc usque diem contra jus fasque & honestum potiuntur, consequeretur. Credebat te tam licitis suis desideriis obtemperaturum, & id agere, ne Christiani Principes bello implicarentur. Sed cum plane videat se omnia surdis auribus cecinisse, ferro decrevit curare vulnera, quæ non sentiunt beneficia medicinæ: Nosque iterum ad te misit præcipiens, te admoneremus, ut Serenitatis suæ voluntati non incautius reluctareris: Quod si non possemus persuasionibus apud te efficere, ut tibi & tuis denunciaremus bellum: quod Regem nostrum non minori animo, quam nos denuntiamus, gesturum confidas. Ne tibi persuade, eam gentem, quæ florentes Romanorum res sæpe periclitavit & subvertit, urbem hanc diruit, populi orbis terrarum domini invictum exercitum fudit, devicit Lucium Papinum, Torquatum, illustres Fabios, cæterosque præstantissimos belli duces, pusillanimes Sacerdotes, qui molliciei & deliciis insueti bella timent, reverituram. Potes ne sperare te & effœminatos tuos complices posse contueri explicatos Regis nostri ordines? quorum congressum Camillus, Marcellus Fulvius, & Africanus ipse Scipio exhorrescerent? Quid dixero, si manus conserere incipient? quid si jaculis eminus, cominus gladiis res gerentur? quid, inquam, si insita gentis more ferocia quemlibet obvium prosternent? passim mortes mortibus accumulabunt? cadaveribusque cadentium explebunt acervos? Hoc ne vos illecebris dediti, inter exoletorum scortorumque gregem enutriti perferent? Tu, crede, nunc primum sustinebis tumultum, votisque Deos venerabere frustra, tunc cum omnia perstrepere armis cernes, pacem sæpe tibi oblatam petes, quam non daturus est aliquis, aut ullus conditiones ejus auditurus. Quare protestamur, volumusque omnibus Christicolis palam esse, Regem nostrum non contra Ecclesiam, quam sanctissime colit, humiliter reveretur, sed contra te tuamque obstinatam petulantiam arma moturum. Bello itaque te accinge, quoniam pacem perferre non potuisti.

❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁❁

MAXIMILIANI I. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1501.

CONSTITUTIO

De honore & Privilegiis Poetarum.

MAXIMILIANUS divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus, *ac Hungariæ*, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex: Archidux Austriæ: Dux Burgundiæ, *Lotharingiæ, Brabantiæ*, Stiriæ, Charinthiæ, Carniolæ, Limburgiæ, Lucemburgiæ, Gelriæ: *Langravius Alsatiæ*: Princeps Sueviæ: Palatinus in Habspurg, & Hannoniæ: Princeps & Comes Burgundiæ, Flandriæ, Tyrolis, Goritiæ, Arthois, Holandiæ, Selandiæ, Ferretis, in Kiburg, Namurci & Zutphaniæ: Marchio *a* Sacri Romani Imperii, ad Anasum, & Burgoviæ: Dominus Frisiæ, Marchiæ Sclavonicæ, Melchliniæ, Portus Naonis & Salinarum, &c. ad perpetuam rei memoriam. Notum facimus tenore præsentium universis.

a ita vocatur Marchionatus Antverpianus.

1. Cum post susceptum divino auspicio Cæsareæ Majestatis titulum, officii nostri inprimis duxerimus, ad ea singula animum intendere, quæ & Reipublicæ nostræ decori & ornamento perpetuo fore arbitraremur, & nationem nostram Germanicam ac domum Austriæ, ex qua orti sumus, quantis possemus honoribus apud omnes gentes ad posteritatem notas faceremus, id potissimum occurrit pro æternitate literarum necessarium in humanis rebus fore, ut populis & urbibus nostris Romanarum literarum Gymnasia, laudato ordine & Romano more statuerimus, unde publicarum rerum moderatores ac rectores ut plurimum excellentes prodire, qui veterum rerum gestarum lectione facti prudentiores, bene & beate vivendi rationes multa etiam experientia posteris scripsere.

2. Directis itaque à nobis in nostro Viennensi Gymnasio civilis Juris lectionibus, cum Poëtica & Oratoria arte nihil hactenus ibi instituerimus, decrevimus pro ipsius Universitatis nostræ augmento Collegium Poëtarum ibidem, priscorum Imperatorum antecessorum nostrorum more, erigere, abolitamque prisci seculi eloquentiam restituere. Itaque de hac re provehenda, & imi-

& imitanda duos in Poëtica & Oratoria, duos verò in Mathematicis disciplinis eruditos, ad ipsum collegium deputamus: inter quos eum, quem pro tempore lectorem ordinarium in poetica constituemus, volumus eidem collegio præesse, quem etiam præsentibus nostris ipsius Collegii & lectionum Superintendentem facimus & creamus. Quo autem præfatum Collegium uberiori à nobis gratia & privilegio decoretur, resque ipsa fœlici gradu debitum sumat incrementum, pro honore nostro, & dignitate augendæ Viennensis Universitatis, Cæsarea nostra auctoritate, ac motu proprio, præfatum Collegium hoc præsenti privilegio ac prærogativa decoramus, ut quicumque in præfata nostra Universitate Viennensi in Oratoria & Poetica studuerit, lauream que concupiverit, is in prænominato Poetarum Collegio diligenter examinatus, si idoneus ad id munus suscipiendum habitus & inventus fuerit, per honorabilem fidelem nobis dilectum Conradum Celtem, per genitorem nostrum FRIDERICUM TERTIUM divæ memoriæ primum inter Germanos Laureatum Poetam, & modo in Universitate nostra Viennensi Poetices ac Oratoriæ Lectorem Ordinarium, ac deinde per successores ejus, qui pro tempore Collegio præfuerint, laurea coronari possit. Sicque per eum & successores ejus Laureatus Poeta ab omnibus habeatur & celebretur: omnibusque privilegiis & insignibus, quibus cæteri Poetæ Laureati fruuntur, quomodolibet, consuetudine vel de jure, uti & gaudere possit, ac si manibus nostris ea dignitate fuisset insignitus. Cujus rei tenore præsentium, damus, concedimus & impartimur nostri Cæsarei juris eidem legenti Poetæ Ordinario, ut prædictum est, omnimodam auctoritatem, non obstantibus quibuscumque legibus, statutis, consuetudinibus, ordinationibus, aut aliis quibuscumque in contrarium facientibus, reservato tamen nobis nihilominus jure Poetas coronandi, quos idoneos duxerimus. Potestati enim nostræ per hoc privilegium nequaquam derogamus.

3. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostræ concessionis & ordinationis paginam infringere, aut ei quovis ausu temerario contraire. Si quis verò id attentare præsumpserit, pœnam indignationis nostræ gravissimæ, ac quinquaginta marcarū auri puri irremissibiliter se noverit incursurum: quarum medietatem Imperiali fisco nostro, ac reliquam partem præfato Collegio decernimus applicandam. Harum testimonio litterarum, sigilli nostri consueti appensione munitarum. Datum in oppido nostro Bozano, pridie Kalendas Novembres, Anno Domini millesimo primo: Regnorum nostrorum, Romani sexto decimo, Hungariæ verò duodecimo.

MAXIMILIANI I. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1507.

MANDATUM.

De subjectione Imperialis civitatis Patavii, & destructione rebellium.

MAXIMILIANUS I. Romanorum Imperator, universis & singulis, Capitaneis, armorum Ductoribus, Equitibus & peditibus Veneti exercitus: Nobilibus item civibus, Communitati & universo populo civitatis nostræ Patavinæ.

Significamus vobis, quod cum nos jam pluribus diebus, sperantes vos aliquando resipuisse, vestrique commodi & salutis memores fore, atque ad verum Dominum & legitimum Principem vestrum, uti par erat, reversuros, ab invasione urbis istius abstinuerimus, & ad hanc usque diem vobis rebusque vestris cogitandi ac prospiciendi longam satis & diuturnam moram impartiri sumus: compulsi tandem coactique propter rebellionem & defectionem vestram, temeritatemque vos tuendi, in quibus obstinatis & induratis animis persistitis, neque à Venetis sanctæ Apostolicæ Sedis ac nostris rebellibus, recedere intenditis, decrevimus, constituimus, conclusimus, nulla amplius interjecta mora, Deo Opt. Max. duce adjutoreque urbem istam Patavinam cum validissimo exercitu nostro aggredi, murosque & munitiones vestras omnium tormentorum ac bellicarum machinarum genere concutere diruereque, vosque omnes & bona vestra in prædam præbere, obstinataque & indurata corda vestra ferro, igne, atque omni hostilitate demoliri ac debellare: requirentes tamen vos ante tam vastam tamque impiam tam nobilis & præclaræ urbis ruinam, ac vestrum omnium cladem & internecionem, ut ad verām mentem conversi, vestro, uxorum ac liberorum vestrorum commodo & saluti consulere illico & absque aliquo intervallo cogitetis. Veremur enim, quod cum primum urbem aggressi fuerimus, ne propter exercitus nostri magnitudinem, ac diversarum linguarum & nationum varietatem, si quando vos obstinationis vestræ pœniteat, cum nos nostrorum impetum ultra retinere nequiverimus, nimis sero & incassum opem & misericordiam imploretis. Cujus rei exemplum ex aliis locis, quæ nuper à nobis defecerant, ante oculos vobis facile proponere poteritis, nisi forte mala aliorum consilia vestros animos obcæcaverint. Nos enim justam suscepti belli querelam prosequentes, & contra excommunicatos, interdictos & ab omni Christianorum cœtu segregatos, omnipotentis Dei auxilio & auctoritate pugnantes, vobis etiam renitentibus & invitis urbis Patavinæ victoria potiri posse non dubitamus. Mense Septembri M D VII.

Anno Christi 1512.

MAXIMILIANI I. IMPERATORIS AUGUSTI

MANDATUM

De abolendis actis & decretis Conciliorum Turonensis Anno 1510. & Pisani 1511. contra Julium II. Papam celebratorum.

Datum Coloniæ in Comitiis Imperialibus Anno MDXII.

MAXIMILIANUS divina favente clementia Electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex: Archidux Austriæ: Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Comes Palatinus Hannoniæ, &c. Recognoscimus & tenore præsentium notum esse volumus universis, cum in præsentiarum nos destinamus in Italiam & ad Urbem, Venerabilem Matthæum Episcopum Gurcensem, Principem, Consiliarium & Locumtenentem nostrum generalem in Italia, devotum ac dilectum, pro quibusdam rebus nostris ibi faciendis: idcirco nos de ejus dexteritate, ingenio atque rerum gerendarum peritia plurimum confisi, motu proprio, & ex certa scientia, ac animo deliberato fecimus, constituimus, creavimus, & ordinavimus, ac tenore præsentium facimus, constituimus, creamus & solenniter ordinamus præfatum Gurcensem Principem & Locumtenentem nostrum, procuratorem, actorem ac negotiorum nostrorum gestorem specialem, omni meliori modo, via, jure & forma & ordine, quibus melius & validius de jure possumus & debemus, ad comparendum pro nobis & nomine nostro in Synodo seu Concilio Lateranensi superiori per Sanctissimum in Christo Patrem & Dominum, Dominum Julium II. sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summum Pontificem, Dominum nostrum sanctissimum, de consensu sacri Reverendissimorum Dominorum Cardinalium Collegii indicto & denunciato, & illud approbandum & prosequendum, & si & in quantum opus foret, illud ad alium locum & ad aliud tempus transferendum, etiam ex toto tollendum & extinguendum, nec non revocandum, annullandum, & irritandum, & penitus delendum omnia & singula ea, quæ per Ecclesiam Gallicanam in civitate Turonis eodem anno superiori fuerunt acta, conclusa & deliberata: & similiter ad revocandum omnia & singula mandata & procuratoria, si qua à nobis emanaverunt pro indictione Concilii Pisani, quod nonnulli Cardinales tunc indixerant, & idem Concilium Pisanum penitus tollendum & extinguendum. Dantes & concedentes eidem Gurcensi Principi Locumtenenti & procuratori nostro plenam & amplam potestatem gerendi & exercendi omnia & singula in præmissis, & circa ea necessaria & opportuna, juxta dexteritatem suam, prout magis videbitur expedire, necnon ad faciendum omnia & singula, quæ verus & legitimus & indubitatus Procurator, liberam & generalem facultatem habens, circa præmissa facere posset, & quæ nosmet facere possemus, si præmissis personaliter interessemus, etiamsi talia forent quæ mandatum exigerent magis speciale: ponentes dictum Procuratorem nostrum, quoad præmissa, totaliter in locum nostrum. Insuper promittentes in verbo nostro Cæsareo, & sub bona fide nostra, nos gratum & ratum habituros, quidquid per præfatum Principem Locumtenentem & Procuratorem nostrum, in præmissis & circa ea cum omnibus suis dependentibus, emergentibus & connexis, actum, dictum, transactum, concordatum seu conclusum fuerit, & nullo umquam tempore contravenire directe vel indirecte, aut quovis inquisito colore vel causa, de jure vel de facto, etiamsi de jore possemus. Supplentes prætera omnes & singulos defectus tam juris quam facti, qui in præmissis aliquo modo potuerunt evenire. Promittentes quoque, ut si forte mandatum istud ad aliqua per supradictum Procuratorem nostrum tractanda & concludenda sufficiens non foret, quod nos omnia & singula bujusmodi tractata, & per supradictum Procuratorem nostrum sic conclusa, rata, grata & firma habebimus & observabimus, harum testimonio litterarum, sigilli nostri appensione roboratarum. Datum in civitate nostra Imperiali Colonia, die prima mensis Septembris, Anno Domini MCXII, Regnorum nostrorum Romani XXVII. Hungariæ verò XXIII.

Per Regem.

Ad mandatum Cæsareæ Majestatis proprium

SCEDULA LECTA PER GURCENSEM EPISCOPUM IN SESSIONE III, Concilii Lateranensis XVII. Oecumenici vel universalis.

EGo vigore dicti Mandati Cæsareæ Majestatis, Clementissimi & Invictissimi Principis, ad abolendum omne schisma, quod in Ecclesia Dei oriri posset, & etiam pro executione capitulorum conclusorum coram Sanctissimo Domino nostro, revoco quodcumque mandatum qualitercum-

tercumque concessum Conciliabulo Pisano, & procuratores quoscumque, qui in dicto Conciliabulo intervenerunt, & omnia acta & agenda per illud Conciliabulum, quæ declaro irrita & nulla nomine præfatæ Cesareæ Majestatis, & adhæreo sacro & Canonico Lateranensi Concilio, Ecclesiam universalem repræsentanti, rite & legitime congregato. Declaro etiam, Majestatem Cæsaream numqoam dedisse mandatum ad præfatum Conciliabulum.

MAXIMILIANI I. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1514.

MANDATUM

De transferendis Imperii Græcorum, à Romanis Imperatoribus vindicandi scriptoribus.

MAXIMILIANUS, divina favente clementia, Romanorum Imperator semper Augustus, &c. Honorabili, fideli, nobis dilecto, Bilibaldo, Pyrckamayr, Consiliario nostro. Honorabilis, fidelis, dilecte: Dum his superioribus temporibos honorabilis Joannes Cuspinianus, Consiliarius noster, ageret Oratorem nostrum apud Serenissimum Regem Hungariæ, consanguineum & fratrem nostrum charissimom, monuit nos in Bibliotheca * Regia comperisse Joannem Monachum, auctorem Græcum, qoem dicunt egregie scripsisse de Imperio & gestis Græcorum Imperatorum, usque ad tempora JUSTINI junioris: quo tempore asserunt eundem Joannem Monachum floruisse, quorum nedum res gestæ, sed nomina & series ipsorum apud nostros Latinos sunt pene obliterata: adeo quod infelix Græcia non solum ruinam Imperii & gloriæ his temporibus, sed etiam nominis & famæ patiatur: & tot maximæ res gestæ per tam clarissimos Imperatores, una cum Imperio eorum concidisse videantur. Et quum nos ab ineunte ætate nostra nihil magis desideraverimus, & semper omni studio procuraverimus, qoam recuperationem illius Imperii: pro qua re vires & personam nostram obtulimus, adsistentibus nobis cæteris Principibus Christianis: sed numquam nobis hactenus id exequi licuit, ob impedimenta hostium nostrorum. Interim tamen, dum id perfici licuerit, volumus saltem memoriæ & æternitati tot fortissimorum Imperatorum, de Republica Christiana benemeritorum suppetias ferre, & ipsos à totali omnium oblivione vindicare. Statuimus eundem Joannem Monachum facere in Latinum traduci, ut nostratibus & aliis Christianis, apud quos vigent studia bonarum artium, tot præclara facinora Augustorum Imperatorum innotescant. Et si nos nequiverimus, forte aliquis à nobis exortus, vel oriturus, quem tanta hæc gloria manet, pellectus tantarum rerum magnitudine, restitoet rem Christianæ Reipoblicæ. Te igitur potissimum ad hujus Auctoris traductionem elegimus, quem & in utraque lingua clarum, & hujusmodi votorum nostrorum, uti Consiliarium nostrum, conscium novimus, & studiosum mandatorum nostrorum, ut Joannem Monachum, in obscuro latitantem, Latinis Latinum reddas. Aggredere igitur omine felici, auspiciis nostris, opus hoc præclarum: in qoo, præter quod apud studiosos omnes maxime promereberis, nobis plurimum satisfacies, & æternitati nominis tui consules: & maximam apud omnes laudem consequeris. Datum in oppido nostro Gmunden, die 20. Aug. anno Domini MDXIV. Regni nostri Romani XXIX.

* quæ Budæ erat.

MAXIMILIANUS
manu propria

Ad mandatum Cæsareæ Majestatis
proprium &c.

Jac. de Bannissis.

MAXIMILIANI I. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1517.

RESCRIPTUM

De bello Turcis inferendo, & ut Papa atque Cardinales personaliter Imperatori in eo assistant.

Sanctissimo in Christo Patri & Domino, Domino Leoni Decimo, divina providentia Sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summo Pontifici, Domino nostro Reverendissimo.

BEATISSIME Pater, Domine reverendissime: Nuntius Beatitudinis vestræ apud nos reddidit nobis Breve Sanctitatis V. in quo nobis significat illostrem victoriam Turcarum Tyranni adversus Sultanum Ægypti Dominum: nosque toto animo hortatur, rogat, obtestatur, ut sanctam expeditionem adversus tam impium Christiani nominis hostem sumere velimus, & una

cum Beatitudine V. illius furorem comprimere, & Christianæ Reip. pariter consulere. Idque etiam ex relatione præfati Nuncii sui intelleximus, & quo fidei amore, qua pietate optet animam suam pro ovibus sibi commissis ponere. Quæ quidem res gratissima nobis, sed & molestissima fuit. Quippe non potuimus non afflictim dolere Christiano nomini inimicissimi Tyranni tantam & tam nobilem victoriam: cui ubi ille, quem optat, finem imposuerit, ac suam sibi potentiam firmaverit, in quos potius aut libentius debacchabitur, quam in miseros Christianos? Miseros eos appellamus, qui cum opibus florentissimi sint, viribus & animi magnitudine egregii: quorum virtuti non Asia solum cederet, sed & si alter terrarum orbis reperiretur: quasi tamen nullibi locorum divitiæ extent, nisi inter ipsos Christianos, nullibi civitates, sese invicem absumunt: perfidos autem Christi hostes, hac & illac victores impune vagari permittunt, quin & (si Deo placet) de semet triumphum referre sinunt. Cæterum cum animo nostro repetimus, quod nullus Deus fortis est, præter Deum nostrum: nullus porro alius, qui convinciat gentes in fortitudine brachii sui: in eam sententiam devenimus, ut pro certo habeamus, Turcarum victoriã Christianis salutarem fore. Voluit enim divina majestas per hanc cæcas Christianorum aliquorum mentes il-
Rom. 13. luminare, & dormientes excitare, ac januã pulsare, *tẽpus jã esse ex somno surgere*. Quæ nobis cogitantibus omnis mœror ille à nobis recedit & in lætitiam potius vertitur. Speramus enim jam prope futurum, cum externæ & infidæ gentes agnoscent Christũ Dominũ Deũ suũ, neque Turcarum tãta victoria nobis formidolosa esse debet. Scimus enim quoties omnipotẽs Deus hostibus suis vires dederit, ut suorum scelera ac peccata ulcisceretur. Novimus etiam quoties voluerit fidos numinis sui cultores parva manu
Psalm. 21. ingentes hostium copias fundere. *Speraverunt in eo patres nostri, speraverunt, & liberavit eos.*

2. Quod si tam cæcæ aliquorum mentes erunt, quæ tam certis futuri exitii nonciis nondum resipiscant, non tamen nobis desperandum erit tali Pontifice, qualem multa secula non tulerunt. Scimus egregias virtutes, inclytas animi dotes Beatitudinis V. & nunc cernimus, quo fervore, qua pietate pro commisso sibi grege insudet. Quæ quamquam nobis gratissima sunt, unum tamen nobis summæ admirationi fuit, admirationi ne an potius mœrori, quod Sanctitas V. optat, ut Deus aures nostras aperiat ad audiendam aliquando veritatis vocem; quasi vero veritati aures hactenus occluserimus, arguunt a de nobis respondemus, nos non tam profundo somno sopitos in hanc usque horam obdormivisse, ut hæc demum Turcarum victoria nos excitaret, sed diu ante prævidimus ea, quæ nunc ante oculos habemus, sanctissimæque memoriæ prædecessores Sanctitatis V. qui ætate nostra vixerunt, monuimus rogavimusque & per viscera misericordiæ Dei obtestati sumus, ut Christianæ Reipub. consulerent. Quorum aliqui nobiscum consenserunt, sed tamen semper reperti sunt, qui tam gloriosæ & tam Deo acceptæ expeditioni inviderent, & omni nixu nobis adversarentur. Quod si illi iidem Sanctitatis V. prædecessores viverent, qui ætate nostra fuerunt, redderent veritatis testimonium, & nobiscum una Christianæ Reip. tam lugubrem hostium victoriam ingemiscerent, & sponte sua faterentur expeditionem istam non hac tempestate magis quam semper necessariam fuisse. Verum Deo Opt. Max. gratias agimus, quod Majestas sua nos potissimum excitare voluit, beatitudine V. ejus vices gerente, & gregem ovium suarum egregie tutante. Quæ si cœptum iter peregerit, duce virtute sua, nullum discrimen, nulla calamitas Christianæ Reip. subeunda aut pertimescenda est. Nosque, quoad vita superent, numquam deseremus tam gloriosam provinciam, tam necessariam, tam ipsi Deo acceptam: sed opes, vires, sanguinem nostrum etiam ad certum exitium pro Christi fide conferemus.

3. Non laboret in nobis itaque S. V. qui à teneris, cum adhuc, quid esset bella gerere, per ætatem nesciremus, cum tamen audiremus, esse Turcas, qui Christi religionem negligerent, odissent, persequerentur, eos potissimum, cum primum licuisset, radicitus evertere optabamus. Non laboret in nobis, qui ubi adolevimus, & militarem artem didicimus, non eam scire voluimus, ad Christianorum civitates occupandas, sed potius ad eas vindicandas è manibus Tyrannorum: non ad fines adimendos, sed tuendos: non ad eorum dedecus, sed ad laudem: non ad perniciem denique, sed ad custodiam. hujusque rei testes erunt cuncta bella, quæ gessimus semper inviti, semper lacessiti, semper coacti. Et nunc cum videremus Beatitudinem V. tot persuasionibus nos ad pacem & concordiam cohortari, & ita velle, pro bono Christianitatis flecti nos permisimus, & conditiones quascumque suscepimus, ne mora ulla in nobis esset, ne per nos defuisse videretur, quin labanti fidei Christianæ opitularemur: neve umquam vox justi coram Deo super nos clamaret. Neque vero nos cohortetur Sanctitas V. qui, postquam Imperii sceptrum suscepimus, ipsi numquam destitimus cum quocumque Pontifice agere, ut sanctam hanc expeditionem susciperet. Scimus enim eam & necessariam, & utilem, & gloriosam fore.

Excitet modo se B. V. & Christi vexillum erigat, & cum reverendissimis illis Patribus iter felicissime adversus hostes arripiat: nos comitabimur eam, & opes ac vires nostras omnes conferemus. Neque ætas nostra, quæ jam celeri gradu ad senectutem festinat, nos tantillum morabitur: quin si mors illa pro Christi nomine optatissima obtigerit, reviviscere nos ad æternam gloriam speramus. Sed quid de nobis dicimus? Nemo tam impudens erit, aut tam Christiano nomini inimicus, qui si viderit Dei Vicarium cum reverendissimis Cardinalibus bellum in Turcas moventem, ac met in expeditionem euntem, non omni renunciata merce, etiam ad certam mortem convolet. Imbecillis nimirum sexus, & infirma ætas Beatitudinem V. sequetur.

4. Quare nos itidem rogamus Sanctitatem V. imploramus, obtestamur, ut provideat, ne quid detrimenti Christiana Resp. capiat. Confirmet opinionem, quam omnes de ea conceperunt, succurrat

nutanti

fluctuanti Reip. Christianæ, liberet è faucibus sævissimorum luporum oves sibi commissas. Neque exspectet, quoad Christiani Principes congregentur (quippe longum illud esset & fortasse periculosum) sed S. V. gladio Domini super femur potentissimum cincta iter auspicatissimum ingrediatur. Quæ quanto magis ab aliis Principibus derelicta erit, tanto erit gloriosior, tantoque magis immensa Christianorum multitudo confluet, Deo victimas gratas offerri optantium. Nos verò qui aut ubi S. V. deseremus, qui ultro cupimus hanc fragilem & corruptibilem coronam, quam gerimus, cum illa preciosissima & æterna martyrii corona permutare? Neque verò subvereatur B. V. Turcarum potentiam. Non tot apparatibus, non tanta bellorum copia indigemus. Ipse namque Deus est, pro quo certaturi sumus, *ipse docebit manus nostras ad prælium, & ponet ut arcum æreum brachia nostra, ipse dabit nobis protectionem salutis suæ, & dextera ejus suscipiet nos.* Psalm. 17. Quod si hæc tam sancta deliberatio in auras evanescat, prout aliæ hactenus fecerunt, neque alia expeditio fiat, tum summum illum rerum opificem obtestamur, per nos non defuisse, quin vita & sanguine nostro Christianæ Reip. consuluerimus: videbuntque gentes, & ipse, cui nihil ignotum est, Deus, nos nulla alia pro re magis unquam elaborasse. Per quem verò deerit, is sciat se rationem ante tribunal Dei redditurum. Cætera intelliget S. V. ab Oratore nostro, cui latius scribimus.

Datum in oppido nostro Mechliniæ, die ultima mensis Februarii, anno Domini millesimo quingentesimo decimoseptimo: Regnorum nostrorum, Romani tricesimo secundo, Hungariæ verò vicesimo septimo.

MAXIMILIANUS divina favente clementia Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Rex: Archidux Austriæ: Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Comes Palatinus &c.

MAXIMILIANUS.

Ad mandatum Cæsareæ Majestatis proprium

Jac. de Pannissis.

CONSTITUTIO

AD REMOVENDOS ABUSUS ET ORDINATIO AD VITAM CLERI REFORMANDAM, PER REVERENDISSIMUM in Christo Patrem & Dominum, D. Laurentium, tituli sanctæ Anastasiæ S. R. E. presbyterum Cardinalem, & ad Germaniam &c. de latere Legatum, ex sacræ Regiæ Majestatis Procerumque Imperii consensu Ratisbonæ edita, Anno Domini MDXXIV.

Anno Christi 1524.

LAURENTIUS miseratione divina, tituli, sanctæ Anastasiæ S. Rom. Ecclesiæ presbyter Cardinalis, per universam Germaniam, ac Hungariæ & Bohemiæ Poloniæque regna, & quæcunque alia loca, ad quæ nos declinare contigerit Domini nostri Papæ & Apostolicæ sedis Legatus, ad perpetuam rei memoriam. Ex Legationis officio à sede Apostolica nobis commisso obligamur, ut circa statum personarum Ecclesiasticarum sub finibus nostræ legationis consistentium in melius reducendum propensius cogitemus, ut quæ in eis à sanctorum patrum decretis & ordinatione deviare perpendimus, ad debitam reformationis normam dirigentes eis opem & operam adhibeamus efficaces. Nuper siquidem, cum sanctissimus dominus noster Clemens Papa VII. cum pro pastorali suo officio, tum pro ea affectione, qua inclytam nationem Germanicam, paterne prosequitur, intellectis ejus fluctuationibus, hæreticorumque impietate indies crescente, nos ad universam Germaniam, suum & apostolicæ sedis Legatum de latere miserit, non ob aliam causam, quam ut tranquillitati provinciæ & saluti animarum, quæ periclitantur ob dictam nuper natam impurissimam omnis hæreseos sentinam, consulat. Quod onus licet humeris nostris impar, ejus tamen præceptis & mandatis obedire (ut tenemur) volentes, freti Christi favore Servatoris nostri (cujus negotium agitur) subivimus: nihil hic prorsus nostris viribus tribuentes, aut præterea cupientes, quam quod ad munus hoc feliciter implendum attineat. Cumque aliquot mensium experientia multa collapsa, & præter omnem opinionem, difficultatibus plena perpendimus cum serenissimo Ferdinando Hispaniarum Principe Archiduce Austriæ, Imperiali locum tenente generali, communicatis consiliis concordi sententia particularem conventum in civitate Ratisbonæ convocare decrevimus.

In quo una nobiscum interfuerunt præfatus serenissimus Princeps & Archidux.

Reverendissimus Mattheus S. Rom. Ecclesiæ, tituli sancti Angeli presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Salzburgensis.

Ac Illustrissimi Wilhelmus, & Ludovicus, Palatini Rheni, Duces in superiori & inferiori Bavaria, fratres germani.

Venerabiles in Christo patres, Bernhardus Episcopus Tridentinus.

Johannes Administrator Ecclesiæ Ratisbonensis, Palatinus Rheni, Dux Bavariæ.

Ac Nuncii sive Oratores omnes, cum pleno mandato Venerabilium in Christo patrum & Illustrissimorum Principum, Vigandi Episcopi Bambergensis.

Georgii Episcopi Spirensis, Palatini Rheni, Ducis Bavariæ.

Wilhelmi Episcopi Argentinensis.

Christophori Episcopi Augustensis.

Hugonis Episcopi Constantiensis.

Christophori Episcopi Basiliensis.

Philippi Episcopi Frisingensis, Palatini Rheni, Ducis Bavariæ,

Ernesti Administratoris Ecclesiæ Pataviensis ac Palatini Rheni, ducis superioris & inferioris Bavariæ.

Et Sebastiani Episcopi Brixiensis.

Cum quibus pluribus hinc inde in discussionem allatis, & præcipue quibus consiliis, quibusque modis præfatæ nationi Germanicæ periclitanti consuleretur: paribus sententiis receptum fuit, hanc perditissimam hæresim rudi populo plausibilem ob libertatem illi falso persuasam prætextu Evangelicæ charitatis, non parvam habuisse occasionem, partim à perditis moribus, & dissoluta vita clericorum, partim ob non diutius dissimulandum sacratum sanctionum Ecclesiasticarumque constitutionum abusum, & perinde non parum momenti fore extirpandæ hæreticorum Lutheranorum & eorum sequacium sectæ, ut clerici ad honestatem vitæ, moresque suos illos, quos D. Paulus exigit & præscribit, debita censura reducti, abususque laicos male offendentes, sublati fuerint. Itaque habitis maturis deliberationibus & piis consiliis præfatorum Ferdinandi Principis, Cardinalis, ac Ducum & Episcoporum atque Nuntiorum suorum infra scriptos, salutares aliquot, tam necessariæ reformationis sacerdotum, presbyterorum, religiosorum, & Clericorum modos præscribere, statuere, sancire atque edere necessarium duximus. Quocirca auctoritate Apostolica, qua fungimur in hac parte statuta & ordinationes per nos, (ut præfertur) edita, ab omnibus & singulis Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, & aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, ac parrochialium Ecclesiarum aliorumque beneficiorum Ecclesiasticorum rectoribus, presbyteris, religiosis & clericis in universa Germania residentibus, prout eos & eorum quemlibet respective tangit aut tangere poterit, in futurum, perpetuis futuris temporibus inviolabiliter observari volumus: decernentes irritum & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus universis & singulis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus ac aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, nec non Metropolitanis, & aliarum cathedralium Ecclesiarum Canonicis, ipsorumque Archiepiscoporum & Episcoporum Officialibus & vicariis generalibus, per præsentes committimus & mandamus, quatenus ipsi, & eorum quilibet, si & postquam pro parte illorum, quorum interest, aut in futurum interesse poterit, fuerint requisiti, statuta & ordinationes hujusmodi, & horum singula inviolabiliter observari faciant. Contradictores per censuras Ecclesiasticas & alia juris remedia compescendo. Invocato, si opus fuerit, auxilio brachii secularis non obstante constitutione felicis recordationis Bonifacii Papæ VIII. qua cavetur, ne qui vis extra suam civitatem & diocesim, nisi in certis exceptis casibus, & in illis ultra unam dietam à fine suæ diocesis, ac judicium evocetur: seu ne judices à sede Apostolica vel ejus authoritate deputati extra civitatem & diocesim, in quibus deputati fuerint, contra quoscumque procedere aut alii vel aliis vices suas committere præsumant: & in Concilio generali de duobus dietis & personis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, & aliis constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Verum quia difficile foret præsentes literas ad singula loca, ad quæ expediens fuerit deferri, volumus & authoritate Apostolica decernimus, quod transsumptis præsentium literarum manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, ea fides adhibeatur, quæ iisdem originalibus, si essent exhibitæ vel ostensæ, adhiberetur. Et ut hujusmodi statuta & ordinationes ad singulorum notitiam deducantur, universis locorum ordinariis, authoritate Apostolica præfata, in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, quatenus statuta & ordinationes hujusmodi per se vel per alium, seu alios in eorum Ecclesiis vel civitatibus publicent seu publicari faciant, quod post publicationem ipsam, eosdem, quorum interest, aut interesse poterit perinde arctent, ac si eis personaliter intimatæ essent aut intimarentur.

Tenor vero statutorum & ordinationum prædictarum sequitur, & est talis:

1. CUm potissimum anima verbo, quod ex ore Dei procedit, vivat, id autem nec passim nec ab omnibus expediat prædicari, admonente Apostolo, qui inquit: *Quomodo enim prædicabunt, nisi mittantur?* Ideo statuimus & ordinamus, ut non liceat cuiquam, etiam religionem professo, & quomodolibet exercitato, Evangelium docere, nisi ab Ordinario vel ejus vicario tam moribus quam doctrina probatus fuerit, facta fide, per patentes literas, quæ præter Notarii mercedem gratis concedantur. Missi itaque & probati Evangelicum negotium tractabunt recte, sobrie & pure, loca quæque recondita magis

& ab-

& abstrusa, intellectuque difficilia, non ad novum & adulterinum sensum, sed juxta sanctorum Patrū & ab Ecclesia receptorum Doctorum, præcipue Cypriani, Chrysostomi, Ambrosii, Hieronymi, Augustini & Gregorii exponant & interpretentur. Omni etiam ope studeant, ne pro veris somnia & aniles fabellas, pro certis dubia, pro receptis apocrypha & jamdudum explosa, damnataque ab orthodoxa Ecclesia tradant vel depromant, idque omnī modestia, ne unquam eos ad convitia injuriasque delabi contingat, locusq; ille cum populi offensione dehonestetur. Itaque Ordinarius aliquot excellenti doctrina præditos constituat, qui per diocæsim inquirant, qui sint ad Evangelicam doctrinam idonei disseminandam, quique ad Lutheranam perfidiam non delectant, ut remedia adhibeantur, quo populus recte instituatur in Christiana lege, & ab ea deficiens, ne secum alios trahat, debite coerceatur, cultus divinus observetur, peragaturque his modis & ritibus, qui per manus sanctorum patrum nobis traditus, & per majores nostros observatus est in sacrificio altaris, officiis defunctorum, canonicis horis, cæterisque divinis laudibus atque ceremoniis.

2. Hinc hortamur atque monemus omnes & singulos, qui sacris initiati sunt, ut vivant vitam, quam professio exigit, & Christus requirit, inquiens: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videāt opera vestra bona, & glorificent patrem vestrū, qui in cœlis est:* cū vestitu honesto incedant, quā Paulus alibi præscripsit. Quapropter singulari cura intendat quisq; Prælatus, ne hi, quib. præest, in sacris ordinib. constituti, vestes varii coloris, veluti virgatas & fimbriatas deferant, sed longis atq; talarib. utantur, nulla arma induant, nisi itinerantes, barbamq; & comā nō nutriant, coronā & tonsuram deferentes, tum summopere curantes, ne quem laicorum indecentia vestitus offendant, ut sacris Canonibus cautum est.

3. Insuper tabernas publicas evitent, nisi eas peregre proficiscentes ingredi oporteat, & tam inibi, quam domi & alibi à crapula, ebrietatibus, omnique ludo à jure prohibito blasphemiis, rixis ac aliis quibuscunque excessibus & offensionibus penitus abstineant, Choreas, spectaculaque & convivia publica vitent, ne ob luxum petulantiamque eorum nomen Ecclesiasticum male audiat.

4. Cumque secundum Apostolum *nemo militans Deo sese negotiis secularibus implicare debeat*, nemini liceat contra provincialia statuta & synodalia domi sive tabernam, compotandique locum aperire laicis, quoniam non raro sequi solent ebrietatem rixæ, cædes & multa hoc genus scelera, quæ sacerdotalem polluunt dignitatem. Præterea negotiationibus mercimoniisque, more mercatorum abstineant.

5. Sacerdotes autem curati, quique vicem eorum referunt subditos in remediis & aliis juribus parochialibus, ultra ea, quæ sibi de jure debentur, non gravent, ultraque depositionem eas ad peractiones Septimi, Tricesimi vel Anniversarii peragi faciendas non cogant, tum præter oblationes testibus solennibus fieri solitas, cum illa pro arbitrio fieri debeant, alias non exigant.

6. De sepultura quoq; ac administratione Sacramentorum, aliisq; spiritualib. pacisci aut aliquid ab invito exigere nemo possit aut debeat, & propter ejusmodi à parrochianis neglecta cuiquam non liceat aliquod Sacramentorum denegare, neque propter debita quempiam ab Ecclesiastica sepultura prohibere. Parrochialia tamen jura, quæ usus recepit, & debentur altari servienti, per prædicta non abrogamus.

7. Cum autem in diocæsib. non sit eadem consuetudo, & inter subditos & pastores multa & varia emergant dissidia, pastorib. quibusdam plura exigere propensis, subditis verò ob penuriam & egestatem reclamantib. & recusantibus, ordinamus, quod quilibet ordinarius infra sex menses post præsentium publicationem omnib. perpensis beneq; & sufficienter examinatis super prædictis certam legem, ordinationemque una cum Principum aut Dominorum secularium consilio, quos ista negotia tangunt, constituat, ne viduæ, popilli & alii pauperes nimium ultra vires injuste graventur. Quod nos, si neglectū fuerit, si in provincia adfuerimus, vel successor noster, habita plena de his informatione, facturos pollicemur, aut rem ipsam sanctissimo Dño nostro relaturi sumus, qui huic rei prospiciendæ judices deputabit.

8. Convivia presbyterorum, quæ in exequiis & fraternitatib. publice in tabernis hucusque exhibita sunt, prorsus abrogamus, quod plerunq; laicis sint scandalo: si autem convivium vel consuetudo vel locorum distantia exiget, fiat illud in domo Sacerdotis, honesteq; non ad luxum, sed ad necessitatē instruatur. Siquidē neque comessationi, neq; cōpotationi vacandū est sacerdotib. cum quod non audiant, *quorum Deus venter est*, tum quod officii eorū est, & sobrie, & caste pro peccatis Deo dona sacrificiaq; offerre.

9. Porro ne & ipsi videantur pecuniæ aucupium magis, quam salutis animarum studium amplecti, dum laicos graviora delicta confessos hinc inde remittunt, non sine famæ rerumq; dispendio: Constituimus & ordinamus, ut deinceps quilibet confessor absoluere possit laicos contritos & confessos à quibuscunq; peccatis occultis, quantumcunq; gravib. & enormib. quæ Ordinarii suæ authoritati reservaverunt, exceptis duntaxat homicidis, hæreticis & excommunicatis ad Episcopum vel ejus Vicarium mittendis: quo autem ad clericos, nihil quoad statutum intelligatur innovatum: pro condonatione autem & remissione peccatorum, quam absolutionem vocant, nihil omnino ab invito exigant.

10. Sancimus quoq; juxta Apostoli sententiam, quæ dicit: *Nemini cito esse manum imponendam*, ne, cui temere cura animarum committatur. Itaque probetur prius per Episcopum vel ejus officialem etiam religionem professus, nec liceat ulli Vicarium Ecclesiæ & plebis suæ sufficere illamue locare, sive emolumentum, quod absentiæ nomine recipiet, constituere sine authoritate Episcopi aut Vicarii. Nam cum os bovi trituranti non sit alligandum, Episcopi vel officialis arbitrio ejusmodi emolumenta locationum & absentiarum moderanda censemus.

11. Domos quoque fundosque dotales beneficiorum collapsos instaurent possessores, quantum necessitas postulaverit, reparataque in debita structura conservent, & per archidiaconos & decanos rurales ac alios, ad quos de jure vel consuetudine spectat, ubi negligentes fuerint, per subtractionem proventuum, auctoritate nostra arctius compellantur.

12. Ex-

12. Expresse caventes, ne cura Ecclesiarum beneficiorumque concedatur religionem quamcunque professis etiam exemptis, quod si aliqui hactenus admissi vel recepti essent, nisi de voluntate favoreque superioris sui, legitimisque causis constiterit extra sua monasteria degere nequaquam sibi integrum fore putent, quando illos sic vagos per Ordinarios vel Vicarios ad superiores suos per victus denegationem, aut alia juris remedia remittendos esse jubemus.

13. Monasteriorum Prælati unicas Ecclesias habentes, prædictos Vicarios perpetuos vel ad nutum amovendos in iisdem Ecclesiis in posterum non constituant, nisi prius per Ordinarios, aut eorum Vicarios, ut idonei & apti, fuerint admissi: Ecclesiæ tamen suis monasteriis unitæ usque adeo propinquæ, quod religiosi earundem curam habituri sub religione in monasterio sub debitaque obedientia stare possent, modo sint habiles & idonei per ejusmodi religiosos provideri possint, id quoque permittimus de monasterio, quod tamen tenue est, ut debitam sustentationem habere nequeat, volentes religiosos & qualitercunque exemptos curata beneficia habentes Ordinario loci esse subjectos.

14. Cumque in Ecclesia Dei magis præstet paucos bonos & doctos, quam plures indoctos, & imperitos habere ministros, id quod ratio nostrorum temporum exigere videtur: Idcirco deinceps non initientur sacris ordinibus, nisi viri morum, vitæ candore & doctrina præ cæteris spectati, probatique per testimonium examinis rite servandi.

15. Quod attinet ad Ordinatos in urbe vel in alia quacunque aliena diocæsi, sancimus, ut & illi suarum ordinationum literas & titulos ostendant. Et simili modo ad divina peragenda prius non admittantur, quam ab Episcopo vel Vicario seu officiali fuerint rite admissi.

16. Præterea cum nihil æque conveniat omnibus numeris ad eos esse mundos, qui vasa Domini portant, & in sacrario operantur, quales sacerdotes constituit ipse Dominus, qui quotidie sacrosancta tractant, & in illis versantur. Igitur volumus, atque juxta sanctiones canonicas feliciter à divis patribus institutas sancimus, ut caste continenterque vivant: Sacerdotes concubinarii, incontinenterque vitam agentes, Canonum pœnis in ordinem redigantur, nulla consuetudine eis, nulla conniventia, imo damnosa Prælatorum negligentia patrocinante.

17. Quo verò ad Quæstores, qui vulgo Stationarii appellantur, statuimus, ne quis quavis authoritate & literarum occasione vel ad prædicandum vel subsidia eleemosynasque colligendas se ingerat, utcunque se jactet indulgentiis abundare, nisi prius literæ admissionis & approbationis Ordinariorum vel Vicariorum ab eo prolatæ fuerint, astringentes ipsos Ordinarios, ut tales admittant, qui probæ vitæ testimonium habeant, & de prædicatione sua, dum opus erit, rationem reddere possint, eleemosynis, piorumque oblationibus non abusuri per luxum proprium religione jurisjurandi affirmatum, se nec quotam nec totam colligendi facultatem certa summa pecuniarum pactos esse. Fratribus tamen Mendicantibus integras, salvasque concessiones à sede Apostolica factas relinquimus.

18. Et ut Pastor agnoscat vocem ovis, & illa vicissim vocem Pastoris audiat, tollaturque omnis vagandi occasio: Ordinamus, quod presbyteri, peregrini & ignoti, ad missarum sacrificium non admittantur, nec ultra mensis spacium in consortio presbyterorum tolerentur, nisi exhibeant literas admissionis alterius ex Archiepiscopis vel Episcopis, in cujus Diocesim se transtulerint, ac documenta & literas testimoniales sui Ordinarii, à cujus Diocesi proxime discesserunt, quibus de eorum ordinibus & honestate constet, ne aliquis incorrigibilis post perpetratos excessus impune ad alienam diocesim transeundo evadat.

19. Ut autem Christi fidelium eleemosynæ in usum, pro quo erogantur, vertantur, non liceat Procuratoribus seu vitricis fabricarum in singulis Ecclesiis quicquam de pecuniis ad fabricam provenientibus distribuere, aut in ædificiorum, vel alterius rei usum dispensare sine rectoris scitu, sed ad armaria fabricæ reponantur, ut hactenus servatum est, duabus vel tribus clavibus pro loci consuetudine tenendis, quarum una ipsi rectori servanda tradatur, observato usu in clavibus, & rationibus reddendis à Principibus & Superioribus hactenus recepto.

20. Statuimus quoque & ordinamus, ne Episcoporum in Pontificalibus Vicarii in consecrandis Ecclesiis & altaribus, quod sacri jubent Canones, quicquam omnino exigant, excepta procuratione. Convenit namque, ut pro qualitate status ipsorum Episcopi prospiciant præstando præcipue pensiones super fructibus mensæ Episcopalis à sede Apostolica constitutas, ne aliquid attentare habeat in dedecus Episcopalis dignitatis.

21. Nec ab re, immo justis de causis adducti festorum multitudinem constringendam esse duximus: Statuentes & ordinantes, ut de cætero Dominica dies, quæ in gloriam Dominicæ resurrectionis ad nos à primitiva Ecclesia maxime celebris semper habita est: Dies quoque Nativitatis Christi, S. Stephani, Johannis, & Innocentum, Circumcisionis, Epiphaniorum, Paschæ cum feria secunda & tertia dumtaxat, Ascensionis, Georgii, Pentecostes, cum feria secunda & tertia dumtaxat, Corporis Christi, quatuor B. Virginis, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis & Nativitatis: Natalia Apostolorum, Joannis Baptistæ, Magdalenæ, Laurentii, Dedicationis Michaelis, Omnium Sanctorum, Martini, Nicolai, & Catharinæ: & per diocesim Salzborgensem Festivitates S. Ruperti, sicuti hactenus observatæ fuere, celebres quoque & festi habeantur. In cæteris autem festivitatibus, quacumque ratione vel institutis vel receptis, & qui sub præcepto celebrari debeant, permittimus liberumque cuique facimus, ut Missa audita ad operas suas, quibus suam suorumque alimoniam quærere cogitur, redire possit: Festis tamen dedicationum, patronorum & principalium nihil derogantes, quo ad eorum celebrationem in Cathedrali sede, civitateque ac loco, etiam Episcopalis residentiæ dumtaxat.

22. Cumque inter Pastores & gregem propter nuptiarum celebritatem, quam alii intronizationem

tionem, alii solennizationem vocare solent, multa & jurgia & scandala eveniant, declaramus & statuimus, quod matrimonia in conspectu Ecclesiæ possint solennizari, nullo ab Ordinario ad hoc consensu petito, aut quapiam re pro eo exposita: Exceptis tamen tota quadragesima, ultima hebdomada Adventus, festis Paschæ, Pentecostes, & Nativitatis Dominicæ cum octavis & diebus Rogationum.

23. Jejunia ab ecclesia instituta sub debito obedientiæ sanctæ Ecclesiæ Catholicæ in posterum indici debent omisso excommunicationis verbo, ne infirmorum conscientiæ offendantur, cum his temporibus pietas pene omnis jaceat, sacerdotibusque parum deferatur.

24. Ut igitur & extinctus cultus excitetur, populusque non fiat indies negligentior, statuimus, ut propter cædem clericorum persona tantum, non autem locus interdicendus veniat, nisi cætu, concursuque populari facinus patratum esset.

25. Inhibemus insuper, ne in posterum Episcopi clericis legitimis ab intestato decedentibus, in patrimonialibus bonis aut industria propria acquisitis succedere possint aut debeant.

26. Cumque quotidie ob novas, immo jam olim damnatas hæreses apostatarum & religiosorum sacerdotumque numerus in immensum crescat, quam plurimis eorum uxores ducentibus: Ut ergo sacrilegia hæc impunita non remaneant, concedimus quibuscumque Principibus, Statibusque potestatis secularis eorumque Officialib. ut ejusmodi Apostatas & sacrilegos capere possint, modo reos ipsos ordinariis infra tempus debitum tradant, & assignent absque aliqua in eos tortura & animadversione debite puniendos, quibus enixe mandamus, ut omni posita mora, favoreque diligentius, quam hactenus factum fuit, juxta sacras sanctiones omnino puniant facinorosos, adeo quod criminis enormitate expostulante possit Episcopus servata forma capituli primi *de hæreticis in sexto* reum Curiæ seculari relinquere, vel ad perpetui carceris ærumnam damnare. Negligentia autem Ordinariorum ad Apostolicam sedem deducta judicis Ecclesiastici, ab ea deputabuntur, qui constituto de Ordinariorum negligentia ad preces Principum aliorumque secularium, reos maxime hæreseos pœnis afficient.

27. Quod jam Episcoporum quidam ut accepimus de beneficiorum pensionibus atque absentiis exigant decimas, cum sit id contrarium juri, longeque præstet male inductos usus delere, quam multatum quid admittere, Idcirco decimas ejusmodi ulterius exigi solvique interdicimus, usumque talem qualitercumque receptum cassantes cassatumque esse censentes.

28. Itemque improbamus, & ut absonum prorsus rejicimus ab Episcopis medios exigi fructus de beneficiis, quæ unius sustentationi vix sufficiunt: ut sunt, quæ non excedunt valorem triginta duorum Rhenensium, de quibus in Romana Curia medii fructus non exiguntur. Quod etiam ab Ordinariis observandum esse præcipimus, nisi Concordatis aliter cautum esset, vel honesta ratione aliquid sine tamen reprehensibili gravamine accipiant.

29. Cæterum quo major fiat conjunctio, firmaque magis inter provinciales stabiliatur concordia totius Provinciæ, antiquum morem Synodorum innovantes, statuimus, ut singulo triennio post Pascha Provinciale Concilium celebretur.

30. Ad hæc cum beneficia propter officia, juxta patrum sanctiones dari consueverint; fierique vix possit, ut in tanta præbendatorum caterva non reperiatur, qui officii oblitus horas negligat Canonicas: hinc statuentes volumus & ordinamus, ut locorum Ordinarii per Archidiaconos & Decanos de hujusmodi sacerdotibus negligentibus sese diligenter edoceant; & secundum uniuscujusque negligentiam atque desidiam fructus perceptos vel in utilitatem Ecclesiæ, vel in usum pauperum vertant. Quod si post legitimas monitiones & simul primam correctionem in eandem negligentiam, quæ dissolutæ prorsus mentis indicium est, quis relabatur, tum beneficio etiam Ecclesiastico privetur; Collatorique vel patrono de alio idoneo providendi aut præsentandi sit potestas.

31. Sanctionem Patrum, qua Ecclesiastica sepultura privatur quisquis non confessus nec Eucharistiæ Paschali tempore communionem sumpserit, inviolabiliter observandam esse statuimus; ac ubi quem contigerit inopinata morte obire inconfessum, sepultura præfata illum carere non volumus, modo ipsius Curato constet, vel doceatur illi ipsum secundum jam dictam sanctionem confessum esse, & simul communicatum, aliudque non obstet Canonicum impedimentum.

32. Ad tollendam execrabilem blasphemiam divini nominis atque divorum, quos temnere fas non est, statuimus & ordinamus, ut quicumque clericus vel sacerdos Deo palam maledixerit conviciis contumeliisque, atque adeo obscœnis verbis incesserit, Deum & Dominum nostrum Christum, aut nunquam satis laudatam matrem ejus gloriosam virginem pari blasphema lingua impetiverit, aliosque Sanctos blasphemaverit, fructuum vel bonorum privatione seu aliis pœnis pro qualitate blasphemiæ & delicti plectatur.

33. Contra Simoniæ labem non discedimus à Patrum sanctionibus, jubentes eas sub pœnis in illis contentis observari.

34. In sortilegos, divinaculos, incantatoresque clericos, quos tam sacræ leges, quam patrum decreta execrantur, statuimus & ordinamus ut arbitrio Superiorum infamia notentur, si qui moniti non destiterint, ordine amoveantur, inque monasterium ad tempus juxta arbitrium superioris relegentur, beneficiis officiisque suis Ecclesiasticis privati. Cæteri autem Pseudochristiani, de fideque parum probe sentientes citra delectum personarum, hæretici quoque vel Judaismum referentes à sancta Christianorum congregatione procul arceantur, contraque eos diligenti inquisitione procedatur per ordinarios vel eorundem vicarios aut hæreticæ pravitatis inquisitores, per Judices à sede Apostolica, vel per nos deputandos, ut non resipiscentes pœnis puniantur debitis.

35. Pro-

35. Prohibemus etiam tam clericis quàm laicis de sacrosancta fide temere, præcipue inter pocula atque convivia disceptare, injungentes sacerdotibus, ut omni modestia utantur, & peculiariter operam impendant novo veterique testamento legendo, ut par est, ne per otia in vitia voluptatesque labantur.

36. Statuimus & ordinamus, ut quilibet Episcopus diligenter provideat atque inprimis id curet, ut Vicarii sive perpetui sive pro nutu positi competentem vivendi portionem assequantur, ne detur eis ansa suos subditos ob rei familiaris penuriam gravandi. Porro quod proxime accedit ad Apostolorum institutionem moremque primitivæ Ecclesiæ, hortamur cum Prælatos, tum reliquos sacerdotes, ut meminerint pauperum & eleemosynis studeat alter alterum vincere.

37. Sunt item pleraque alia summis Pontificibus, sacris Conciliis, provincialibusque & Synodalibus constitutionibus prodita, quæ mitè decent & adornant candorem vitæ clericalis, nec minus obviant offendiculis, quæ Christus passim cavenda præcepit, quæ velut sancta teneri & observari mandamus, transgressores secundum Canones ipsos prædictasque constitutiones puniri volentes.

38. Inhibentesque propterea omnibus & singulis Vicariis & Officialibus nec non & Archidiaconis & Decanis ruralibus aliisque, ad quos criminum denunciatio correctioque quodammodolibet spectat, aut quibus id per ordinarios committetur, ne ad excessus transgressionesqua alicujus dictarum constitutionum, statutorum & ordinationum nostrarum, ob pecuniam etiam ultro oblatam, aut alterius rei gratia conniveant, sed potius ad pœnas de jure, vel consuetudine debitas contra delinquentes, pro delicti qualitate & officii sui debite procedant, atque ut ita fiat, quoniam nihil proderit leges condere, nisi sint, qui conditis vivant, mentemque earum exequantur, utque refloreat Catholica fides, Ecclesiasticaque dignitas (hæresibus radicitus extirpatis) suum locum recuperet, idque vix alio medio aptius atque commodius fieri possit, quam Synodis. Itaque priscum Synodorum morem renovare cupientes, statuimus & ordinamus ut singulo anno saltem Synodus diocesana opportuno tempore à singulis Episcopis celebretur, cum potioribus Prælatis, Decanis ruralibus, virisque dignis, in quibus per quartas designentur Judices, qui diligenter intendant, si statuta prædicta aliaque per Synodos de scitu Episcopi statuenda observentur invocato ad hoc si opus fuerit brachio seculari. Mandantes propterea, ut hujus nostræ constitutionis ordinationisque series, in præfatis Synodis tam provincialibus quam diocesanis in earundem principio diligenter legatur, ne quis in futurum ignorantiam prætexere possit. Datum Ratisponæ Anno à nativitate Domini 1524. nonis Julii Pontificatus præfati domini nostri Papæ anno quarto.

Visa.
Jul.
Flo. Montinus.

D. de Paternina

C. Prego.

Jodocus Hoetfilter Reverendissimi Domini L. Cardinal. Campegii, Legati &c. Notarius subscripsit.

CAROLI V. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1526.

De injuriis Romani Pontificis in Imperatorem & Imperium illatis.

Videtur esse compendium ejus Rescripti, quod extat tom. 1. à Schlicdano epitomatum.

a Comite.

b quoad utile sive feudale dominium reservata Imperio superioritate, ut in dicto Rescript. §. 19.

CAROLUS V. Romanorum Imperator Clementi Pontifici maximo. Prædicas tu quidem multis verbis singularia tua erga me beneficia & officia, Beatissime Pater, sed mea in te merita non agnoscis, & egregie dissimulas. Neque enim ignorare potes, & intercessione mea auxilioque te factum esse Pontificem: & cum essem renunciatus Cæsar, non me assensisse prius, quam Leo V. Pontifex electionem ratam haberet, ac simul jus Regni Neapolitani mihi tribueret. Quam varia verò tu unà cum Alberto Carporum a Principe contra me molitus, & quam studiose, facto cum Gallis fœdere, totus in hoc incubueris, ut mihi Neapolim atque Siciliam adimeres, satis tibi conscius es. Facta deinde temporum commutatione, cum Galli Rhegium Lepidi, b Pontificiæ dignitatis oppidum, frustra tentassent, copiis adjutus Leonis, Regi Galliæ bellum me fecisse meministi: quo quidem in bello Leonis ipse fuisti Legatus, & muneris locò pensionem annuam à me tunc accepisti ex Archiepiscopatus Toletani proventibus, aureorum millia decem. Profligatis deinde ex Italia Gallis, ductore Borbonio, minime equidem illi denegare potui, quo minus in Galliam arma ferret, ut ea, quæ Rex ei propter defectionem ademerat, recuperaret: obsidione verò soluta Massiliensi, non nisi tuo impulsu, bellum in Insubria Regem renovasse plerique confirmant.

2. Fateor sane Regnum Neapolitanum in tua clientela esse, veruntamen si bellum iis locis fecisses, hoc eo pertinebat, ut jus omne ejus amitteres. Etenim quibus de causis beneficium collatum cliens, iisdem plane de causis patronus etiam dominium amittit. Antequam Rex caperetur, de pace quidem intercessum abs te fuit, sed hoc agebatur, ut sub specie sequestri & depositi, Mediolanensem agrum occupares. Ideoque Veneti ac Florentini copias auxiliares, quas debebant ex fœdere, tuo nimirum impulsu, meis Ducibus subtraxerunt. Nam & Galliæ Rex profitetur palam,

palam, quod abs te solicitatus, antequam ex Hispaniis domum rediret, novum fœdus inierit: & indicio cognovi, te solvisse illum à jurisjurandi vinculo, quo mihi tenetur. Deinde bellum intulisti prius, quam literæ, quibus illud denuncias, essent redditæ: & eo spectasti, quomodo non solum Italia tota me depelleres, verum etiam ab Imperii dignitate dejiceres. Hoc enim Ferdinandi Davali a Piscarii literis docere possum, quem in hoc fœdus solicitasti, promisso Regno Neapolitano. Principatum Mediolanensem non una de causa mihi possum vindicare, sed tamen Italiæ quietis causa, Sfortiæ possessionem ejus permisi: cumque graviter ille decumberet ex morbo, Borbonium ei substituere volui, quod hoc tibi cæterisque per Italiam gratum esse viderem. Cur autem in arce Mediolanensi circumsideretur Sfortia, causa fuit, quod tecum inito fœdere, læsæ Majestatis crimen perpetrasset, quod patefacta conjuratione nec arcem Cremonæ, nec Mediolani, meis Præfectis reddere, neque se purgare de criminibus, aut cognitioni sistere vellet. Tuum erat postulatum, ut prorsus ei condonarem omnia, sed id neque potui neque certe debui, ne pessimo exemplo beneficiariis in patronos delinquendi fenestram aperirem. Similiter mei commeatum & reliqua necessaria sumpserunt à Parmensibus & Placentinis, mirum id videri non debet, quoniam urbes illæ sunt ditionis Mediolanensis ab Imperio dependentis, & minime omnium ad Ecclesiam Romanam pertinent. De pace cum Galliæ Rege facta tuos Oratores nihil celavi. Conditiones enim ejusmodi sunt, ut occultas esse nolim. Nam & ad publicam pacem, & ad coercendos Christiani nominis hostes pertinent. Leges nonnullæ per Hispaniam latæ solum eo spectant, ne jura patronatus, quæ mihi Pontifex Adrianus concessit, Romæ supprimantur. Sed vide quanta sit rei indignitas. Meis è Regnis atque provinciis plus emolumenti & annuæ pecuniæ Romam defertur, quam ex reliquis populis omnibus. Id demonstrari potest ex illis Germaniæ Principum postulatis, quando de Curia Romana graviter conquesti, remedium adhiberi volebant: ego autem pro mea in Ecclesiam Romanam observantia querimoniam illorum tunc posthabui.

a Piscardiæ Marchionis.

3. Quod cum ita sit, & quoniam offensionis causam tibi nullam dedi, vehementer abs te peto, ut ab armis discedas: idem ego faciam. Et cum à Deo simus ambo constituti, veluti luminaria duo magna, demus operam, ut per nos illustretur orbis terrarum, neque per nostrum dissidium oriatur eclipsis: cogitemus de universa Republica, de profligandis Barbaris, de sectis & erroribus comprimendis. Hoc nimirum ad gloriam Dei pertinet: & hinc faciendum est initium: post aliæ tractentur & audiantur controversiæ. Me quidem ad hæc omnia paratissimum habebis. Quod si non impetrabo, & si bellator esse perges, ad Concilium provocare me testificor, ut in eo simultates definiantur, & primo quoque tempore illud convocari postulo. Granatæ XVIII. Septembr. MDXXVI.

CAROLI V. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1526.

RESCRIPTUM
DE INJUSTA PAPÆ USURPATIONE ET CONVOCATIONE
Concilii generalis.

CAROLUS V. Romanorum Imperator Sacro Cardinalium Collegio. Postquam Clementem Pontificem Galliæ Regi bellum in me redintegranti confœderatum esse intellexi, sane, ut debui, animo dolorem percepi maximum, qui & literas ad me dedit admodum hostiles, ut omnino hoc communi ipsorum voluntate atque consilio factum esse arbitrandum sit. Quæ quidem res omnino mihi præter exspectationem accidit. Neque enim existimo ullum esse Regem, qui majori studio Romanam Ecclesiam complectatur, quam meipsum. Poterit esse hujus rei documento Parma & Placentia, quæ urbes licet Imperii sint ditionis, & ab eo nuper avulsæ, à me restitutæ fuerunt Ecclesiæ, quod facere tamen jure non tenebar. Qua de re, ac præsertim de injuriis Aulæ Romanæ, Principes ac Ordines Germaniæ non ita pridem apud me graviter conquesti sunt, & satisfieri sibi eo nomine postularunt. Verum quod naturæ quadam propensione singulari, & vitæ quoque instituto, Romanam amo Ecclesiam, surdis tunc auribus eorum lubens postulata præterii. Cumque majores ex eo turbæ postea nascerentur, ac multa per Germaniam tumultuose fierent, ideoque Principes alium destinassent Conventum, gravi tunc pœna denunciata, ne convenirent mandavi, eo quod Ecclesiæ Romanæ atque Pontifici dispendium allatura esse videbatur ea deliberatio: atque tum illos demulcerem, spem feci futuri Concilii. Maxima igitur mihi à Pontifice fit injuria, cujus in gratiam adeo multa feci, ut etiam Imperii Proceres hoc ipso non parum à me alienaverim. His de rebus omnibus diligenter scripsi ad Pontificem, ac monui, ut Concilium publicum indiceret. Quamobrem à vobis peto, ut illum officii commonefaciatis, & ad pacem potius quam ad bellum hortemini: quod si facere recusabit, vel diutius Concilium extrahet, vosmetipsi statim hoc ut indicatis. Alioqui si vel propter non convocatum Concilium, vel nimis longam interpositam moram, Respublica Christiana detrimenti quid accipiat, id mihi minime tribui oportere protestor. Granatæ VI. Octobr. MDXXVI.

Et hoc esse videtur compendium à Schleidano relatum ejus Rescripti, quod habes tom. 1.

Anno Christi 1526.

FERDINANDI REGIS ET VICARII GENERALIS IN IMPERIO

CONSTITUTIO

DE RECOMPENSANDIS BENE PRÆCLAREQUE De Republica meritis,

FERDINANDUS Rex Boemiæ & Ungariæ &c. Recognoscimus & fatemur per præsentes literas nostras, quod nos spectabilem & magnificum Dominum Stephanum de Bathor Regni Hungariæ Palatinum & Judicem Comanorum: Reverendos Dominos, Thomam Vespinensem & Stephanum Brodenthum Sirmiensem Cancellarium, Episcopos: & magnificos, Franciscum de Batyan Regnorum Dalmatiæ, Croatiæ & Sclavoniæ Banum, Alexium Turzonem de Bethlem salva Magistrum Taverotcarum Regiarum, Joannem Thaly Gubernatorem Prioratus Auranæ, Casparum Horvvath de Vyngatch Magistrum Dapiferorum Regiæ Majestatis: Ladislaum de Macedonia Præpositum Quinqueecclesiensem Consiliarium, Nicolaum de Getead Custodem Albensem, Thomam Nadasdi, Nicolaum Olahum Archidiaconum Srigoniensem, Secretarios egregios: Emericum Magnum de Varias Vicepalatinum, & Franciscum de Ruhya Protonotarium Palatinatus: aliosque Serenissimæ Dominæ Mariæ Reginæ Hungariæ & Boemiæ viduæ & sororis nostræ charissimæ Consiliarios, eorumque conjuges, liberos, heredes, fratres, amicos & familiares, qui scilicet in assequenda dicti Regni Corona & dignitate Regia, consilio, opera, facultatibus aut viribus eorum constanter & fideliter nobis adfuerint, quod & omnino facere debent, sicut nobis promiserunt: volentes de nostra erga eos benevolentia & gratitudine certos & securos reddere, promittimus eisdem in verbo nostro Regio, quod eos & eorum quemlibet in ipsorum beneficiis, ordine, libertate, officiis, ac in bonis & rebus omnibus, contra * Comitem Sepusiensem, Wayvvodam Transylvanum, qui præter leges & consuetudinem Regni Hungariæ se per suos in Regem eligendum & coronandum curavit, atque alios adversarios, inimicos & æmulos, si quos pro eorum in nos fide & constantia sunt habituri, & tuebimur ac defendemus.

* Joannem à quibusdam Proceribus eum auxilio Turcorum in Regem electum.

2. Quod si forte aliquam dignitatis, pecuniæ, bonorum, beneficiorum, aut proventuum jacturam hujus rei causa acceperint, eisdem, in quantum damna illa per liquidationem vera inventa fuerint, satisfaciemus, eisque intra biennium aut amissa recuperabimus, aut paribus beneficiis & bonis æquivalentibus intra dictum biennium in dominiis nostris, ubi ipsis commodum erit, eosdem contentos reddemus. Interea verò unicuique eorum loca, in quibus tuto & commode pro ipsorum conditione, una cum uxoribus, liberis & familia residere possint, in Dominiis nostris assignabimus, & honestam pensionem pecuniariam pro conditione cujusque status, dignitatis ac amissorum prædiorum constituemus, & solvi faciemus. Statim autem post damnum acceptum, & amissa bona, loca residentiæ ipsis assignabimus, & pensionem suppeditabimus. Prælaturas etiam, dignitates & beneficia Ecclesiastica, ac bona & jura hereditaria, & officia quæ ad Collationem nostram Regiam quocumque titulo devolventur, præfatis Consiliariis Regiæ Majestatis, & his, qui nostras partes sequentur, pro suis cuique meritis ante alios donabimus atque conferemus, eosque aliis hac in parte præferemus, & rebus omnibus ac honoribus quibus poterimus, augebimus. Ad præmissa autem ita firmiter observanda & perficienda, nos & heredes nostros obligamus, harum testimonio literarum, sigilli nostri, quo hactenus tamquam Archidux Austriæ, usi sumus, appensione munitarum. Datum in civitate nostra Viennæ, die ultima mensis Ixbris, Anno Domini MDXXVI. Regni nostri anno primo.

Anno Christi 1529.

CÆSAREÆ MAJESTATIS ORDINUMQUE IMPERII

RECESSUS SEU DECRETA

In Comitiis Spirensibus publicata Anno Domini M. D. XXIX.

FERDINANDUS Dei gratia Hungariæ ac Bohemiæ Rex, Infans Hispaniæ, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, &c. Sacri Romani Imperii Vicarius: & nos Dei item gratia Balthasar Episcopus Meitensis, Constantiensis Episcopatus Orator generalis: Fridericus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ: &c. Wilhelmus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ: Ericus Dux Brunsvicensis & Luneburgensis: & Bernhardus Episcopus Tridentinus, à Serenissimo & Invictissi-

victissi-

victissimi Principe ac Domino, D. CAROLO V. electo Romanorum Imperatore in hanc urbem Spiram ad Comitia deputati Commissarii &c. fatemur & his mediantibus notum facimus. Cum sacra Cæsarea Majestas, Dominus noster Clementissimus, exigentibus summis necessitatibus, pro commodo S. Rom. Imperii, & inprimis Germanicæ Nationis honore & emolumento, generalem Conventum in hanc urbem Spiram indixisset, ut de punctis quibusdam necessariis, tamquam De dissensione in Fide Christiana, De via atque ratione resistendi Turcis per expedita auxilia, De sustentando Regimento Imperii & Judicio Cameræ, De aliis denique incumbentibus negotiis, secundum Cæs. Majestatis indictionem & instructionem &c. deliberaretur & constitueretur: ipsius autem Majestas propter gravissimas occupationes & Impedimenta præesse Conventui in persona non potuerit, & nos nomine suæ Majestatis cum plenissima potestate & instructione delegaverit: quod Nos ex plenitudine dictæ potestatis & mandati, cum Electoribus, Principibus, Prælatis, Comitibus & cæteris sacri Imperii Statibus, qui frequentissimo numero præsentes comparuerunt, absentiumque Legatis, supra memorata & alia puncta diligentissima deliberatione consultavimus, & de singulis articulis unanimiter concordavimus ac decrevimus, ut ordine in hoc Recessu sequuntur.

1. Primum, quod ad dissensiones in Christianæ fidei articulis & causa sanctæ Religionis attinet, cum in omnibus fere hactenus celebratis Comitiis, ac in his ipsis vigentibus de tollendis ac componendis illis, diligenter & accurate susceptæ & institutæ fuerint deliberationes, nec tamen curando illi morbo remedium magis idoneum aut efficacius ullum hucusque reperiri excogitarique potuerit libero ac totius Orbis Christiani generali Concilio, in aliquo idoneo loco, indicendo & cogendo, ac omnes etiam Imperii Status sæpissime ac subjectissime à Cæsat. Majestate petierint & flagitarint, ut illud apud Pontificem quam primum promoveret & procuraret. Tandem verò Electores, Principes & Imperii Ordines ex Cæsareæ Majestatis instructione percepissent hoc consilium de cogendo libero ac generali Concilio, non tantum probari bonumque videri Cæs. Majestati, verum etiam ipsam apud Pontificem primo quoque tempore pro viribus procuraturam ac promoturam illud, & ut utriusque pariter suo ac Pontificis nomine per Imperium indicatur, effecturam esse.

Hac audita, de Concilio libero & generali indicendo & cogendo, promta ac clementissima voluntate, Electores, Principes ac Imperii Status rursus Legationem ad Cæs. Majest. misisse, subjectissime oratum, ut misetum & tumultuosum Imperii statum respiciens ac gravissimas Germanicæ Nationis miserias perpendens, ipse tanquam supremus Ecclesiæ Advocatus & Christianæ religionis propugnator strenuus, eam rem, quæ moram ferre non queat, clementissime promoveret, atque adeo efficeret, ut primo quoque tempore, post promulgatum hoc Decretum, liberum ac generale Concilium intra annum indiceretur, ac deinde elapso anni seu sesquianni spacio ejus fieret initium, locusque idoneus, utpote Metum, Colonia, Moguntia, Argentoratum, vel alius magis accommodus significetur, ut Germanorum in Christiana religione voluntates, vicissim coalescerent & consentirent, ac vigentes in Ecclesia simultates & discordiæ componerentur ac tollerentur.

2. Quod si verò aliis intervenientibus Pontificis impedimentis, Concilium, tempore constituto ac præfinito, successum nullum haberet, Cæsar. Majestas nihilominus omnium Imperii Ordinum, ac aliorum etiam, quos ei interesse necessitas postularet, generalem congregationem loco & tempore constituto ac præfinito indiceret, & propria persona, quæ plurimum prodesse posset ejusmodi Conventibus, præsto esse non gravaretur, eaque diligentia & studio rem omnem juvaret & promoveret, ut nulla longiori interveniente mora ac impedimento quamprimum ejus fieret initium.

3. Et cum in Decreto * superioris Conventus Spirensis, inter alios conscriptus & propositus sit articulus, qui contineat, Electores, Principes, Imperii Ordines ac absentium Legatos, communi sensu decrevisse: se interea temporis donec cogatur concilium, cum subditis suis de causis in Edicto Cæs. Majestatis in Comitiis Wormatiensibus promulgato comprehensis & expressis, ita acturos, ac ita se gesturos atque exhibituros esse, quo facti sui probabilem rationem Deo simul & Cæsari quoque reddere queant.

Contra hoc Decretum die 19 April. statim protestati sunt Joannes Elector Saxoniæ, Georgius Marchio Brandenburgensis, Ernestus & Franciscus Duces Lüneburgenses, Philippus Langravius Hassiæ, Wolfgangus Princeps Anhaltinus, quorum protestationi communicato consilio conjunxerunt se Civitates Argentina, Norinberga, Ulma, Constantia, Reutlinga, Winshemium, Meminga, Lindavia, Campodunum, Hailbruna, Isna, Weissenburgum, Nortlinga, Sanctgallum. Et hæc est prima origo nominis Protestantium, quod postea exteræ quoque nationes certatim assumpserunt. Vide Cœlestinum in Histor. Comitior. Anno 1530. tom. 2. pag. 194.

* Anno 1526.

4. Nunc verò ille Decreti articulus sinistra depravetur interpretatione, & ad omnis generis absurda ac nova dogmata defendenda & excusanda detorqueatur: Ne igitur hoc malum inundet serpatque longius, sed plures defectiones, seditiones, dissidia atque alia incommoda vitentur & præcaveantur, Nos cum aliis Electoribus, Principibus, Prælatis, Comitibus atque Imperii Ordinibus re diu multumque deliberata ac bene pensitata, tandem concludimus & decernimus, ut illi, qui hactenus dicto Cæsareæ Majestatis Edicto Wormatiensi obedientiam præstiterunt, in posterum etiam idem faciant, ac subditis etiam suis, ne quid contra audeant, injungant. Quod cum apud eos, in quorum ditionibus nova nata & sparsa est doctrina, sine gravi turba, magnis tumultibus atque periculis obtineri facile & mutari non queat, in posterum tamen summa diligentia & cura, ne quid innovetur usque ad futurum Concilium, in quantum fieri potest, præcaveatur.

5. In primis verò illa doctrina, quæ veri corporis ac sanguinis Christi sacramentum elevare & oppugnare videtur, intra Germaniæ fines à nullo recipiatur, neque pro concione ullo in loco populo proponatur: Missa non abrogetur aut tollatur ex Ecclesia, neque quisquam iis in locis, ubi doctrina Missam oppugnans docetur, quo minus eam adeat audiatque, prohibeatur, sed unicuique in hoc, quod vult, faciendi libera sit potestas.

6. Cum etiam non multis abhinc annis, novum quoddam doctrinæ genus, Anabaptisticum vocitatum, cum omnibus legibus prohibitum & damnatum, tum veterum etiam Conciliorum autoritate

* Ann. 1528. toritate rejectum & explosum, contra * Cæsar. Majestatis editum Mandatum publicum indies latius propagetur & firmiores radices agat, Cæs. Majestatem ut & tanto malo ac inde secutis incommodis in tempore convenientem medicinam faceret, pacem & tranquillitatem per omnes Imperii fines constitueret & confirmaret, diplomate huc illuc dimisso, ac ubique terrarum evolgato, ordinem & constitutionem Imperio profuturam facere voluisse, hac verborum sententia & summa: Ut omnes Anabaptistarum & Anabaptizatorum utriusque sexus personæ, quæ per ætatem de rebus judicare possent, morte mulctarentur, sive id igne, sive gladio, aut alio mortis genere, pro conditione personarum, etiam sine ulla præeunte spiritualium judicum inquisitione, fieret: nec ulla in ejusmodi publicæ pacis & tranquillitatis turbatoribus, sectarum magistris & absurdarum opinionum antesignanis, erroribus & seditiosis, ac nominatim Anabaptismi assertoribus & defensoribus, aliisque pertinaciter in concepta opinione perseverantibus, vel in errorem relabentibus & iterum apostatantibus, cohercendis & puniendis, adhiberetur ἐπιείκεια, sed cum illis juxta constitutionis & edicti tenorem ac summam, stricto ageretur jure: Cum aliis verò, qui vel propria moti conscientia, vel ab aliis admoniti, & de meliori doctrina edocti, se errasse sponte faterentur, errorem revocare, & pœnam, ob receptum & defensum illum, subire, ac culpam deprecari parati essent, lenius pro conditione status, personæ, dignitatis, ætatis, aliarumque circumstantiarum ageretur. Ne etiam quis eo audaciæ & dementiæ procederet, ut posthabito mandato divino & Christiano instituto filios suos parvulos à Baptismo arceret. Huic verò Mandato qui se pertinaciter oppposituri, & parvulorum Baptismo vim omnem detrecturi essent, illi & in numero Anabaptistarum haberentur, & Cæs. Majestatis constitutioni subjacerent. Sed quibus, ex circumstantiis supra nominatis, pœna esset mitigata, illi nec deportarentur aut relegarentur alio, sed suo quisque in loco, & sub magistratu legitimo arestatus maneret, qui sedulo & diligenter, ne denuo deficerent, providere deberet.

7. Mandatum etiam illud monuisse, ne quis ob Anabaptismum fugitivos & exulantes, in tutelam & clientelam suam reciperet, clanculum eos sustentando, & defendendo: sed Magistratus ille, sub cujus jurisdictione exules & fugitivi illi deprehenderentur, quam primum de re certior factus esset, juxta Cæs. Majest. mandatum, severe in eos animadverteret, sub pœna proscriptionis & anathematis. Quam Cæs. Majestatis constitutionem & ordinationem Nos, & Electores, Principes, Prælati, Comites & Ordines per omnia communi & unanimi consensu certam ratamque habemus, nostris etiam exemplis, quantum ejus fieri potest, diligenter & sedulo eam confirmaturi.

8. Ac cum in duobus postremis Imperii Comitiis Norimbergæ celebratis, duo articuli ad conciones & typographias spectantes, propositi, recepti ac comprobati sint: Nos, & Electores, Principes, Prælati, Comites & Imperii Ordines communi consilio decernimus & volumus, ut in posterum etiam illi serventur. Nempe ut in sua quisque provincia & territorio, cum verbi divini præconibus diligenter agat, ut in proponendo Evangelio circumspecti sint & providi, à scommatis & contumeliis temperent, ne populo contra Magistratum suum insurgendi per conciones occasionem præbeant, nullaque nova dogmata, aut in sacris literis parum fundata proponendo alios in errorem seducant: sed Evangelium juxta receptas ab Ecclesia & probatas interpretationes explicent, à quæstionibus disputabilibus ad Concilii usque tempus, in quo de toto negocio legitime definiatur ac decidatur, sibi temperent.

9. Præterea Nos, & Electores, Principes, Prælati, Comites & Imperii Ordines, interea temporis, donec cogatur Concilium, apud omnes Typographos & Bibliopolas summa cura providebimus, ne quid novi divulgetur aut typis procudatur. Præsertim verò libri contumeliosi & chartæ famosæ, sive eæ publice seu privatim conscriptæ & editæ sint, venales haberi nequaquam debent: sed quicunque in posterum typis procudentur libri, nisi prius doctrina ac judicio præstantium virorum, à magistratu ad id delectorum, censuræ & calculo subjecti & approbati, & errores etiam, si qui in eis deprehendantur, sublati & correcti fuerint, publicari nequaquam debebunt, pœna gravissima proposita, qua in transgressores Edicti hujus animadverteretur. Eadem quoque ratione autor, excusor & venditor ejusmodi librorum, hoc Edictum transgressus & à Magistratu, sub quo vivit & domicilium habet, deprehensus, pro delicti magnitudine puniatur.

10. Nos quoque, & Electores, Principes, Prælati, Comites & Imperii Ordines, facta pace, invicem decrevimus, & alter alteri bona fide recepit, ne quis vel Ecclesiasticorum vel Politicorum Principum alteri ullam inferret injuriam, aut causa religionis cuique ulla crearetur vel molestia, vel periculum: vectigalia, tributa, decimæ, aliæque facultates nulli interciperentur, aut per vim quicquam eriperetur, abalienareturque: neque quisquam alterius subditos causa religionis vel cujuscunque alterius prætensionis præter & contra voluntatem legitimi Magistratus, in tutelam, clientelam & fidem suam reciperet sub pœna constitutionis Cæsareæ de pace publica in Conventu Wormatiensi promulgatæ, cui etiam in posterum debita obedientia præstetur.

11. Ac nequid hanc obedientiam retardet & impediat, Nos, & Electores, Principes, Prælati, Comites & Imperii Ordines decernimus, ut, si contra Decretum hoc alter alteri vim hostilem intentet, bellum denunciet faciatque: Camera Imperialis, simulac interpellata fuerit, ei, qui vim vel arma parat, mandet, ut ab incœpto desistat, ac legibus rem experiatur: contra quem, nisi dicto audiens fuerit proscriptio urgeatur.

12. Quod si ille, vel illi, qui arma parant, contumaciter perrexerint, Imperii Fiscalis quam primum litem in eum instituat, & ad declarationem supradicti Mandati Cæsarei procedat. Inobedientes etiam ac publicæ pacis & tranquillitatis turbatores & seditiosi, per Cameram, excommunicatio-

municationis & proscriptionis pœna mulctentur. Ac ut illi, qui vim & arma parant, à proposito & incœpto avocentur, Cameræ judicium dimissis literis ac pœna proscriptionis denunciata eos deterreat. Reliquos etiam Imperii Ordines finitimos, sub eadem pœna, ad servanda omnia ea, quorum supra facta est mentio cohortetur, ut illi vel illis, quibus bellum fit & vis infertur, conjunctis viribus ac copiis, opem ferant & auxilia necessaria subministrent.

13. Ille etiam, qui contra decretum hoc alteri bellum denunciat & facit, iis, qui vim metuenti ad elidendos hostiles conatus auxilia subministrant, sumptus belli causa erogatos omnes restituere teneatur: sitque penes auxiliatores pecuniam impensam vel statim petere, vel auxilio Cameræ judicio sub pœna proscriptionis eam exigere, quibus Camera, simulac interpellata fuerit, sua authoritate nequaquam deesse debet.

14. Articulos quoque de subditis seditiosis, in proximis Comitiis Spirensib. promulgatos, in posterum etiam valeat atque servetur: Nempe, si vel Politici vel Ecclesiastici cujusdam Magistratus subditi, conspiratione facta, seditiosi quidam machinati ac moliti fuerint, atque hac ratione publicæ pacis ac tranquillitatis turbatores extiterint, ut finitimi Electores, Principes, Prælati, Comites & alii Ordines, ei in cujus ditione ejusmodi tumultus exercitantur, auxilium & fidem ipsorum imploranti, è vestigio ac nulla interposita mora, opem ferant, equitatum ac peditatum mittendo ejusmodi, cujus virtute hominum inquietorum ac seditiosorum conatus hostiles infringantur & elidantur. Quod si finitimorum conjuncta subsidia ad cohercendam & reprimendam hostilem factionem non sufficerent, reliqui quoque Electores, Principes, Prælati & Imperii Ordines finitimi, simulac interpellati fuerint, quantis possunt viribus & copiis, cæteris aggregentur, ut seditiosos reprimant, inobedientes ad debita obsequii officia adstringant, & in contumaces pro magnitudine facinoris ac delicti severe animadvertant. Nec nos aliter in ejusmodi turbis exhibebimus, ac si in singulorum ditionibus & territoriis illi moti essent & exarsissent tumultus, ac invicem mutua subministrabimus auxilia, & talia unicuique deferemus studia, qualia nos in pari constituti periculo atque discrimine ab aliis expectaremus.

15. Ac ne qui horum verborum, inter eum, qui hostili subditorum vi & conatu premitur, & illum, qui ad cohercendos seditiosos subsidia necessaria mittit, exoriatur error aut ambiguitas, auxiliares cum equitatus tum peditatus, Electorum, Principum, Prælatorum, Comitum & aliorum Ordinum, copiæ, ab oppressis auxilii gratia accitæ & evocatæ, necessitate postulante, propriis per menstruum spacium alantur & sustententur sumptibus, donec compescantur & elidantur hostiles seditiosorum conatus, sic tamen ut durantis auxilii tempus menstruo spacio comprehendatur & finiatur. Quod si motus excitati intra mensem non sedentur, sed ultra durent extendanturque, ille, cui subministrata fuerunt auxilia, cum eo, qui opem tulit, de sumptibus erogatis amice & pacifice conveniat, in quo hic talem benevolentiam, humanitatem & comitatem erga illum declaret, qualem ipse in simili casu constitutus ab illis expectaret.

16. Deinde quod ad expedita auxilia contra Turcas attinet: quum ex instructione Cæsarea constet, Turcam summis opibus niti in eam intentionem, ut hoc verno tempore Regnum Hungariæ, & inde totam Christianitatem, omnibus viribus adoriatur & oppugnet, Electores, Principes, Prælati, Comites & cæteri Ordines, reputantes, qualiter Turca anno 1426. proxime præterito Hungariam cum quammaximis copiis ingressus victoriam obtinuerit, & potiorem ejus partem cum urbibus, castris, & munimentis versus Hungariam & Germaniam occupaverit, & etiam num teneat: neque in Hungarorum potestate atque viribus esse, ut hosti tam potentissimo soli resistant, remque eo loci devenisse, ut, nisi regno Hungariæ auxilia adversus Turcam subministrentur, periculum sit, ne ipsum regnum Hungariæ cum finitimis regionibus ac Principatibus in ditionem suam redigat, & sic porro ipsam Germaniam aggrediatur: consideraverunt & deliberate perpenderunt pericula atque clades, quæ, si Turca iterum (quod Deus misericorditer avertat) victoria in Hungaros potiatur, & finitimas regiones popularetur, Germanicæ nationis faucibus imminerent, & ex terrore pusillanimitatem plerorumque & defectionem, quantum eæ damni daturæ essent. Ideo unanimi consensu decrevimus, Regnum Hungariæ, cum Christianum sit, & inde Reipubl. Christianæ, in primis Germanicæ nationis, salus dependeat, non esse deserendum. Quare quo expedita auxilia maturius copiosiusque suppeditari possint, Nos, & Electores, Principes ac status concessimus, ut sesquiquarta trium mensium, & dimidia quarta sex mensium pedestris militis, & quatuor millia equestrium copiarum, quæ de promissa expeditione Romana adhuc superant, & in bellum Turcicum reservata sunt, juxta matriculam Romanæ expeditionis in Comitiis Wormatiensibus factam, in pecuniam conferantur, atque una cum duabus illis quartis pedestrium militum in Hungariam, aut finitimos Principatus, ubicumque necessitas postulaverit, adversus Turcas mittantur.

17. Ne autem hæc expeditio inutiliter instituatur, neque aliter aut alio quam defensive adversus Turcas, neque etiam prius, quam ipse Turca certo constet in Hungariam aut finitimos Principatus Germanicæ nationis cum exercitu irrupisse, cum Electoribus ac Principibus in Recessu Eslingensi comprehensis actum nunc est in hoc Conventu, ut celeres atq; exploratores subornent, ex quibus de Turcæ rebus ac proposito certiores reddi possent: Et quicquid unus ex sex illis Electoribus & Principibus inaudierit, resciverit ac didicerit, ut is cæteris id commode ac mature significaret. Qui ubi existimaverint, Turcæ intentionem ita comparatam esse, ut necesse sit ad eam inhibendam auxilia mitti in Hungariam, hoc casu ipsi cum quatuor Regimenti Consiliariis, per se aut ad requisitionem

Regis Hungariæ, pecuniam, quæ de duabus quartis partim soluta est, partim in hac exactione pendetur, ab eo, cui tradita est, petendi & accipiendi, Capitaneos atque milites equestres pariter ac pedestres, prout cum Rege Hungariæ poterunt convenire, aut ipsismet è re esse videbitur, conscribendi ac conducendi, & ad Regem Hungariæ mittendi, potestatem habeant. Et si forte unus aut plures legitimis impedimentis intricati non comparuerint, præsentes tamen nihilominus rem totam, ut prætactum est, peragant, & accepti atque expensi, omnium gestorum negotiorum rationes in proxime futuris Comitiis, Electoribus, Principibus ac Ordinibus Imperii, diligenter ac fideliter reddant.

17. In primis autem unanimiter concordatum est, ut, si contingeret Turcam non in Hungariam, sed in Poloniam, Saxoniam aut Brandenburgiam irruere, tum Electores Saxo ac Brandenburgius cæteros quatuor Principes, Austriacum, utrumque Bavarum Ducem, & Augustanum Episcopum, cum quatuor Regimenti Consiliariis juxta Recessus Spiræ & Eslingæ factos, Ratisponam evocandi jus haberent. Si verò Turca in Aostriam aut Bavariam cum exercitu suo tenderet, ut Austriaco, Bavaris atque Augustano, Electores Saxonem & Brandenburgium, cum quatuor Regimenti Coosiliariis, Augustam evocandi jus esset. Qui sex Electores atque Principes, cum quatuor illis Regimenti Consiliariis, potestatem habebunt conducendi idoneos Capitaneos, & dictam pecuniam io bellum Turcicum, ut supra relatum est, pro rerum locorumque necessitatibus dispensandi.

18. Præterea dictis Electoribus, Principibus & Regimenti Consiliariis facultas data est, si ita necessitas postularet, dictam expeditionem sex mensium, in tres, quatuor aut quioque, prout visum fuerit, contrahendi, & memoratam summam in plures aut pauciores milites, equestres sive pedestres conferendi.

19. Insuper eum iisdem Electoribus & Principibus conventum est, ut se à rebus & armis militaribus bene pararent atque instruerent, quo in casu necessitatis alter alteri expeditius subvenire & auxiliari posset.

20. Solutionem autem pecuniæ pro promissa illa expeditione Romana equestrium & pedestrium copiarum decrevimus, ut quisque Status Imperii juxta impositam sibi quantitatem, propter iocumbentem summam necessitatem, in festo S. Jacobi proxime futuro, sine mora Augustæ, Norimbergæ aut Francofurti, 15. bazionibus, 60. crucigeris, 21. grossis Misnensibus pro floreno computatis, repræsentet: in contumacesque à Fiscali districte in Camera procedatur.

21. Quoniam etiam duæ quartæ viginti millium peditum, quæ quatuor in locis, Argentinæ, Norimbergæ, Augustæ & Francofurti numeratæ sunt, melius in unum locum bello gerendo commodum ac vicinum conferrentur, visum nobis omnibus est, ut dicta summa duarum quartarum, & quicquid præterea præstandom est, ad duas istas civitates, Augustam & Ratisponam, per acceptores trium dictarum civitatum commoda ratione atque via transferretur.

22. Indicavit quoque Fiscalis Imperii aliquam multos Imperii Ordines in matricula comprehensos quotam suam duarum quartarum promissæ expeditionis Romanæ, nonnullos etiam sesquiquartarum, quæ in bellum Hungaricum nuper expensæ fuerunt, spretis suis multivariis in Camera Imperiali desoper habitis processibus, nondum præstitasse. Quare cum in Recessu Wormatiensi constitutum sit, ne cui dictæ exactionis in matricula Wormatiensi impositæ gratia fieret, neve cuiquam ad Cæs. Majestatem recursus pro immonitate daretur, aut in exigenda imposita summa parceretur, decrevimus, ut Fiscalis Imperii omnia reliqua indictæ exactionis sesquiquartarum & duarum quartarum, una cum tota summa promissæ expeditionis Romanæ, quæ per nos ad expeditionem Turcicam ordinata est, modo, quo supradictum, exigat, & si morarentur aut tergiversarentur, Cameræ officium imploret, quod ei in hoc caso commodare teoeatur.

23. Quamvis in alteris Comitiis Norimbergæ celebratis hic articulus sit in Recessu positus: ne porro Electores, Principes ac Ordines, in reliquas summas exactionis viginti millium peditom, & quatuor millium equitum, quæ mittenda erunt, aut ullam aliam novam exactionem consentire juberentur, nisi prius exactio pro cujusque Ordinis conditione & facultate minuatur & moderetur &c. tamen cum hic agatur de re Christiana, de salute patriæ, de aris & focis, ad quæ unusquisque spontanea ope & consilio juvauda vel cum detrimento suo tenetur: & verò si moderatio nunc institui debeat, longior mora foret, quam instans periculum patiatur, multum etiam summæ, hujus institutæ expeditionis Torcicæ, per eam moderationem decederet: in Recessu quoque Wormatiensi de promissa expeditione Romana expresse statuatur, ne cuiquam de ea quicquam minuatur aut ullo modo dimittatur: Nos cum iis Ordinibua, qui super exactionum gravaminibus supplicaverunt, convenimus, ut propter supra dictas causas, ad promovendum opus hoc pium & utilissimum, io imposita sibi præstatione hoc saltem tempore acquiescerent, cum hac pollicitatione, quod in futuris exactionibus eorum deberet pro modo gravaminum ratio haberi.

24. Quod si verò expeditio hæc Turcica oon requireretur, tamen deliberatum est, ut nihilominus summa exactionum diligenter colligeretur, & apud tutum aliqoem locum adusque futura Comitia deponeretur.

25. Præterea Nos, & Electores, Principes, Prælati, Comites & Ordines, de continuatione belli Turcici diligenti consultatione habita videmus, non tantum opus esse hisce expeditis auxiliis ad resistendum Turcarum irruptioni, sed molto magis, quibus modis quibusve viribus & iidem possint repelli, & ea, quæ jam aliquot annos occupaverunt ac possident, in Christianorum potestatem redigi,

tandem

tandemque Christiani à crudelitate hereditarii istius hostis tuti securique reddi. Ea re Consultationes ac Recessus superiorum Comitiorum super continuatione talis expeditionis, Scriptum item sex Electorum & duodecim Principum in nuperis Comitiis Eslingensibus Cæsareæ Majestati oblatum, in manus sumpsimus, ex eorumque lectione & perpensione intelleximus, si talis continuatio expeditionis Turcicæ instituenda sit, ante omnia necessarium esse, ut tuta pax publica in sacro Imperio constituatur: dein ut bella, quæ inter quosdam Christianorum Principum Summates gliscunt, prius aut componantur aut certis induciis pacificentur. Et cum hæc expeditio, considerata Turcarum potentia, in solorum Electorum ac Principum Germanicæ Nationis viribus non possit consistere, sed aliorum Regum ac Principum Christianorum, quorum æque ac ipsorum Germanorum res agitur, suppetiæ requirantur, quemadmodum id à S. Imperii Vicario & Regimenti Consiliariis, duodecim simul Electoribus ac Principibus, Cæs. Majestati in dicto Scripto Eslingæ oblato demonstratum est, humiliter supplicantibus, ut Cæsarea ejus Majestas, tanquam supremum caput, hereditaria sua regna ac ditiones, alios item Christianos Potentates, in hanc expeditionem Turcicam pertrahere satagat, ad quam æquitate & Christiana charitate dictante obligati sint: tamen, conditiones illæ quum nondum fuerint acceptatæ, contra Turcarum vires indies magis augeantur & latius grassentur, nihil potuit de continuatione hujus expeditionis certi concludi, verum Electores, Principes atque Ordines iterum Cæs. Majestati in scriptis eas exposuerunt, humiliter supplicantes, ut ope consilio suo earum vellet clementer rationem habere.

26. Portò quum in superioribus Comitiis Cæsareo Regimento demandatum sit, ut super idoneis mediis, quibus judicia ipsius Regimenti & Cameræ Imperialis commode foveri & sustentari possent, deliberaret, Vicarius ac Regimentum aliquot articulos conceperunt, nobisque præsentarunt. Quos Nos, & Electores, Principes, Prælati, Comites & Ordines, diligenti consideratione habita, perpendentes, eorum quosdam nunc (ut in superioribus quoque Comitiis) satis graves, alios prolixiores esse deprehendimus, quam ut in his Comitiis de singulis agi posset: & verò Regimentum Cæsareum & Camera Imperialis ad id instituta sint, ut pax publica & justitia in Imperio conservarentur: ideo propter, & in Cæs. Majestatis gratiam, & sacri Imperii salutem, ad manutenendam pacem & justitiam in Imperio, consensimus, ut Regimentum & Camera adhuc biennium ex dimidia quasi parte earum præstationum, quæ ante factæ sunt, sustentarentur. Et primi quidem anni initium capiat mense Majo proxime futuro: cujus præstatio dimidia fieri debet in proxime futuris nundinis Francofurtensibus autumnalibus: cætera verò dimidia in insequentibus vernalibus. Similiter fiat & in sequenti anno: sed ita ut præstatio solvatur in locis antea fieri solitis & consuetis. Durante autem hoc biennio interim de modis ac viis idoneis prospiciatur, quibus sine Ordinum gravaminibus Regimentum & Camera in posterum sustentari possent.

27. Quia etiam articulus in Comitiis proxime hîc habitis insertus est de Regimenti Cæsarei & Cameræ Imperialis visitatione ac Reformatione, qui hactenus nonnullis de causis effectum sortiri non quivit: Nos tamen, & Electores, Principes ac Ordines, omnino inquisitione, visitatione & reformatione dicti Regimenti & Cameræ opus esse animadvertentes, concordavimus & decrevimus, ut nos Ferdinandus Hungariæ ac Bohemiæ Rex, S. Imperii Vicarius, &c. & Cæsarei Oratores ac Commissarii, loco & nomine Cæs. Majestatis, item Consanguinei, Domini & Amici nostri, Albertus Cardinalis & Archiepiscopus Moguntinus & Magdenburgensis, &c. Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ &c. ambo Electores, singuli unum Consiliarium: Georgius Episcopus Spirensis, & Johannes Dux Bavariæ, agnati Comites Palatini, &c. in propria persona: Wilhelmus Episcopus Argentinensis, Lantgravius Elsatiæ, & Philippus Marchio Badensis, &c. similiter pro se quisque unum Consiliarium, ad dictam inquisitionem, Visitationem, & reformationem deputaremus: & cuncti ita delegati ad Kalend. Junias in hac civitate certo comparerent, quo à S. Imperii Vicarii & Commissariorum, item Electorum Principum atque Ordinum nomine sufficiens mandatum & plenitudinem potestatis, quam illis virtute hujus Recessus impartimur, utrumque judicium Regimenti & Cameræ, summa diligentia & accurato studio juxta tenorem dicti mandati, inquirendi, visitandi, in personis aliisque defectibus reformandi, & denique in legitimum ordinem redigendi: eos item, qui mandatum inquisitionis, visitationis & reformationis contemnerent, aut alias inidonei deprehenderentur, deponendi, & Electoribus, Principibus atque Circulis, à quibus illi ordinati & constituti fuerant, scribendi, & ut maturo tempore in depositorum locum alias idoneiores personas præsentarent requirendi, acciperent.

28. Item statutum est, ut Vicarius & Regimenti Consiliarii idoneas personas ex Regimento & Camera deputent, quibus injungant, Ordinationem Cameralem ex omnibus Recessibus colligendi, superflua rescindendi, & emendata in eorum locum substituendi, componendi & rubricandi facultatem. Quam deinde idem ille Vicarius & Regimentum Cardinali & Archiepiscopo Moguntino Electori, tanquam Archicancellario, ad revidendum & recensendum mittat, ex ejusque Mandato in toto Imperio per typum publicet, ut nemo sit qui ignorantiam repetitæ lectionis excusare possit.

29. Ad hoc statutum est, ut Regimentum simul & Camera, gravissimis de causis iisdem pernecessariis, præsertim in hoc præsentium rerum & temporum statu, per supradictum biennium Spiræ persistat, nec inde transferatur.

30. Item, cum hactenus inter Jurisprudentes disputatum sit: utrum defunctorum fratrum vel sororum liberi relictam à patruo amitave, seu avunculo materterave hereditatem inter se in capita, an verò in stirpes dividere debeant: ex eaque opinionum discrepantia inter sacri Rom. Imperii subjectos, graves sæpe controversiæ, jurgia atque lites ortæ sint, non sine ingenti ipsorum detrimento; hinc sacra Cæs. Majestas propter bonum publicum, ad hujusmodi jurgia futurasque lites, & inde scaturientia mala in posterum præcavenda, cum nostro & Electorum, Principum atque Ordinum maturo consilio statuit atque ordinavimus: Si quis intestatus decedit, neque post se fratrem vel sororem, sed fratrum suorum seu sororum liberos relinquit, ut tunc tales liberi in capita, non in stirpes, hereditatem dividant, & taliter ad successionem patrui amitæve, avunculi materteræve admittantur. Et quo in posterum controversiarum ac litium fines, quoad ejus potest, amputentur, in sacroque Rom. Imperio, inter ejusdem membra atque fideles, super hoc casu par idemque jus passim observetur, sacra Cæs. Majestas, omnia & singula statuta, ordinationes, consuetudines, mores ac privilegia, quæcunque ubicunque huic Imperiali constitutioni adversari videntur, in prædicto tantum casu, cassavit, & abrogavit, hac tamen cum moderatione: nimirum sicubi locorum sacri Rom. Imperii hactenus singularia statuta, ordinationes aut consuetudines fuerunt, quibus in prædicto casu defunctorum hereditas statuatur, ordinetur aut consuefiat in stirpes, non verò in capita dividi: & iisdem in locis vel nunc jam hereditas aliqua obvenisset, aut ab hac die ad primam mensis Augusti proximi exclusive, morte alicujus obveniret, ut talis hereditas juxta tenorem eorundem singularium statutorum, ordinationum aut consuetudinum, tantum in prædicto casu & tantum abhinc usque ad modo memoratam primam Augusti diem non obstante hac Cæs. Majestatis constitutione, dividatur: si verò hereditas ibi locorum obvenisset, in quibus super prædicto casu nulla singularia statuta, privilegia, ordinationes aut consuetudines haberentur, neque in prima, secunda aut tertia instantia super eo judicatum foret, nec divisio hereditatis facta, aut abhinc ad nominatam primam diem Augusti obveniret, aut postea obventura esset, ut divisio & erctum familiæ in prædicto casu secundum hanc Imperialem constitutionem instituatur, &c. Nos igitur, & Electores, Principes, Prælati, Comites & Ordines, unanimi consensu decrevimus, hanc Imperialem sanctionem juxta omnimodum ejus tenorem conservare, & exequi: eamque subditis nostris ante dictam diem primam Augusti, juxta Cæs. Majestatis mandatum, publicare & intimare, ut de ejus voluntate omnibus constare posset, quibus ei obtemperare necesse est.

31. Item, cum Regimentum Cæsareum juxta articulum in Recessu Comitiorum Wormatiensium positum, Ordinationem criminalem, cujus indictis Comitiis formula erat concepta, &c. revidisset, nobisque nunc obtulisset: nos verò cogitantes, Ordinationem istam, quæ hominis honorem, corpus, vitam & fortunas concernit, maturiori & pensiculatiori deliberatione indigere, præsertim cum & articuli ejus Ordinationis satis multi atque longi sint, & consuetudines quoque locorum multivariæ, insuper edictalis lex perpetuo valitura esse debeat, proptereaque non festinatione, sed sufficienti trutinatione, exacta consultatione & accurato judicio opus sit: ideo Nos, & Electores, Principes, & Ordines necessarium esse existimavimus, ut singuli Ordines ejus Ordinationis copiam in scripto accipiant domique diligenter examinent, & unusquisque sex Circulorum ad festum Purificationis D. Virginis proxime futuro duas personas doctas & peritas cum deliberationis suæ Consilio huc Spiram ad Regimentum Cæsareum mittat, qui simul cum Regimento super ista Ordinatione Criminali porro deliberent, eamque constituant & in Imperio publicent.

32. Cum idem Regimentum Cæsareum nobis consilium super re monetaria, juxta ordinationem nuper Eslingæ factam, conceptum exhibuissent, & ea quoque res singulorum Ordinum, quos tangit, sententias pensiculatiores requirat, ideo Nos, & Electores, Principes ac Ordines censuimus, ut quisque nostrûm ejus Concilii copiam in scripto accipiat, domique examinet, & qui monetandi privilegia habent, monetarios suos aut alios rei monetariæ peritos ad proximum S. Jacobi Apostoli festum huc Spiram ad Regimentum Cæsareum mittant, qui porro cum Regimento super uniformi Ordinatione monetaria in toto Imperio promulganda tractent ac deliberent. Quo autem hæc tractatio utilius & fructuosius institui possit, decretum est, ut Principes, Comites & alii, qui auri & argenti fodinas habeat, prius inter se de certo & æquali auri & argenti precio conveniant, Legatosque suos ad dictum festum cum plenaria potestate amandent, qui cum Regimento Cæsareo & cæteris Legatis ejusdem pretii ergo porro conveniant, quo in sacro Imperio saltem ad aliquot annos æqualis, constans, & justa moneta ordinari ac conservari possit.

33. Item, cum Monopolia & societates negotiatorum iniquæ & intolerabiles sint, & in Cæsareis Constitutionibus sub gravibus pœnis atque mulctis prohibitæ, ideo sancivimus, ut Imperii Fiscalis adversus tales monopolos ac socios, uti leges jubent, districte in Imperiali judicio procedat, detque operam, ut ejusmodi monopolia & societates aboleantur, & bonum publicum promoveatur.

34. Cum in novissimis Comitiis Spirensibus articulus positus sit, quo statuitur, ne per ordinationem de subditis, tum sancitam transactionibus & conventionibus Fœderis Suevici propter rusticorum seditiones pactis atque initis nihil derogetur, &c. visum nobis est unanimi sententia memoratum decretum confirmare. Sancimus ergo atque statuimus, ne dictus articulus de subditis in dicto Recessu positus transactionibus & conventionibus Fœderis Suevici propter rusticorum seditiones pactis atque initis quidquam deroget, neve cuiquam jus sit adversus illas Suevicas transactiones & conventiones in quocunque judicio agere aut procedere.

35. Item cum Doctor Beatus Weidman, Joannes Melchior & Joannes Henricus à Mœrsheim fratres, Anna de Hagen, Doctoris Reinhardi Tielii quondam Imperialis Fiscalis vidua, Comitis Bernhardi

hardi ab Eberstein filius, Comes Christophorus à Tengen, Doctor Jacobus à Landsburg, Doctor Joannes à Dockheim cognomento Frisius, Angustinus Læsch, Sebastianus Schilling, Doctor Caspar Mar Imperialis Fiscalis, & Magister Joannes Lector, pro salariis in Cameræ officio contractis & adhuc debitis, nos pro eorum solutione sollicitassent & requisivissent: justum quidem & æquum judicavimus, ut cuique suum, quod debetur, salarium præstetur: sed cum hoc tempore nihil in fisco sit, unde illis satisfieri potuerit, ideo eos remisimus pro solutione ad restantes exactiones in matricula Cameralis judicii comprehensas, Fiscalique Imperiali mandavimus, ut pro impetratione dictarum restantium exactionum districte procedat, Cameræque officium imploret, quod ei præstare teneatur: & quidquid hoc modo impetraverit, ut memoratis actoribus pro satisfactione debitorum ab acceptoribus præstetur & numeretur.

36. Item, cum ab initio statim horum Comitiorum nonnulli Principes, Prælati & alii Ordines de sessione & rogatione dissiderent, tractatioque causarum Imperialium, quarum causa conventum erat, protraheretur: & Electores, Principes atque Ordines, ad nostram Vicarii & Commissariorum amicabilem requisitionem Comitia ista, quoad sessionem & rogationem, incidenter & confuse passi fuerint celebrari, ideo nos nomine Cæs. Majestatis volumus ac declaramus, ne cuiquam Electori, Principi, Prælato & Ordini horum Comitiorum inordinata rogatio & sessio, eorundemque Recessus subscriptio, in privilegiis atque juribus suis quidquam officiat, deroget aut præjudicet.

37. Hæc omnia & singula, quæ superius scripta sunt, & Cæsaream Majestatem concernunt, nos Ferdinandus, Hungariæ ac Bohemiæ Rex &c. S. Cæs. Majestatis Vicarius, & nos delegati Commissarii supra nominati, ex plenitudine nostræ potestatis, nomine S. Cæs. Majestatis pollicemur & promittimus firmiter, inviolabiliter & constanter servaturos ac prosecuturos, nec in contrarium quicquam molituros esse, agendo edendove, neque aliis nostro nomine permissuros, sine dolo & fraude. In quorum testimonium nos Ferdinandus sigillum nostrum nostro & Commissariorum nomine Recessui huic atque Decreto appendi fecimus.

38. Nosque Electores, Principes, Prælati, Comites & Barones, item Electorum, Principum, Prælatorum, Comitum & sacri Rom. Imperii liberarum Civitatum & Legati Mandatarii infrascripti fatemur palam hoc Recessu mediante, omnia & singula supradicta puncta & articulos, scientia, voluntate consilioque nostro inchoata atque finita esse: approbamus quoque & omnia & singula per præsentes & vigore harum literarum: promittimus & pollicemur bona fide, quantum cujusque Dominum aut amicos, à quibus missus est vel mandatum habet, concernit aut concernere potest, vere, perpetuo, firmiter, sincere & inviolabiliter servaturos, executuros, eosque quantum poterimus secuturos præstaturosque sine dolo & fraude.

Et sumus infra scripti Nos Electores, Principes, Prælati, Comites, Barones, & sacri Imperii liberarum Civitatum Legati & Mandatarii.

Electores.

Albertus Dei gratia sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Moguntinensis & Magdeburgensis, Administrator Halberstatensis, &c. per Germaniam Archicancellarius:

Hermannus Archiepiscopus Coloniensis, Angriæ & Westphaliæ Dux, per Italiam Archicancellarius:

Richardus Archiepiscopus Trevirensis, per Galliam & Regnum Arelatense sacri Romani Imperii Archicancellarius:

Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, sacri Romani Imperii Archidapifer: omnes quatuor Electores.

Nomine Joachimi Marchionis Brandenburgensis, sacri Romani Imperii Archicamerarii, Electoris, Melchior Barfussius Commendator Schwarzensis, & Balthasar Buck.

Nomine Domus Austriæ, Georgius Dapifer Baro in Walpurg.

Ecclesiastici Principes præsentes.

Matthæus Dei gratia sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Archiepiscopus Salisburgensis, Legatus Sedis Romanæ.

Waltherus à Kronberg, Administrator Magni Magisterii in Prussia, Magister Ordinis Teutonicorum per Germaniam & Galliam.

Wigandus Episcopus Bambergensis.

Conradus Episcopus Herbipolensis, Dux Franconiæ.

Henricus Coadjutor Wormatiensis & Ultrajectinus, Comes Palatinus.

Georgius Episcopus Spirensis, Comes Palatinus &c.

Wilhelmus Episcopus Argentinensis: Lantgravius Alsatiæ.

Paulus Episcopus Curiensis.

Christophorus Episcopus Augustanus.

Bernhardus Episcopus Tridentinus.

Johannes Coadjutor Fuldensis.

Crafto Abbas Hirsfeldensis.

Eccle-

Ecclesiasticorum Principum Legati.

Archiepiscopatuum & Episcopatuum nomine & loco:
Archiepiscopi Bremensis Henrici junioris, Ducis Brunsvicensis & Luneburgensis:
Archiepiscopi Bisantini Bertrandi de Brunis:
Archiepiscopi Rigensis, Doctor Mathias Unuerfordt.
Nomine Magistri Livoniæ, idem Doctor.

Nomine Episcoporum in Livonia { Tarbatensis, Oeselensis, Churlandini, & Revaliensis, } idem Doctor.

Episcopi Eystatensis, Wilhelmus à Seckendorff Canonicus Eystatensis.
Episcopi Constantiensis, Johannes Fabri Doctor.
Postulati Episcopi Hildesheimensis, Johannes Fabri Doctor.
Episcopi Frisingensis, Matthæus Luchsen Doctor, Cancellarius.
Episcopi Osnabrugensis, Albertus Comes & Dominus in Mansfeld & Ludovicus Hirter Doctor.
Electi & Confirmati Episcopi Monasteriensis, Doctor Bernhardus ab Hagen, Doctor Joannes Gropperus, Bartholomæus à Leyhen Cancellarius, Sigillarius, & Curiæ Magister Coloniensis, & Substitutus Hieronymus Angkom Doctor & Canonicus Coloniensis.
Administratoris Ratisponensis, Comitis Palatini, & cæt. Doctor Augustinus Rosf. Cancellarius.
Administratoris Pataviensis, Doctor Stephanus Rœsslinus Canonicus Pataviensis.
Episcopi Basiliensis Cornelius à Lichtenfels Schulasticus, Doctor Johannes Fabri, Henricus à Fleckenstein, omnes tres Canonici Basilienses.
Episcopi Leodiensis, Rupertus Banigraster Doctor.
Episcopi Brixiensis, Johannes Faber Doctor.
Episcopi Ratzenburgensis, Clemens Grofs Canonicus Ratzenburgensis.

Seculares Principes Præsentes.

Fridericus Dei gratia Dux Bavariæ, Comes Palatinus Rhenl.
Wilhelmus & Ludovicus Comites Palatini Rheni, superioris & inferioris Bavariæ Duces.
Otto Heinricus superioris & inferioris Bavariæ Dux, Comes Palatinus.
Ericus Dux Brunsvicensis.
Heinricus junior Dux Brunsvicensis.
Philippus Marchio Badensis, Comes Spanheimi.
Georgius Dux Stetini, Pomeraniæ, Cassubiæ & Wendiæ, Princeps Rugiæ, & Comes Gutzkoviæ.

Secularium Principum Legati.

Nomine Johannis Comitis Palatini Rheni, Ducis Bavariæ, & Comitis Spanheimi, Albertus Than Doctor.
Ludovici Comitis Palatini Rheni, Ducis Bavariæ, & Comitis Veldentiæ, Wilhelmus Seslerus Doctor.
Johannis Ducis Clivensis, Juliacensis & Bergensis, Wiricus à Thun Comes in Lumburgo & Falckenstein, & Johannes à Dockheim cognomento Frisius Doctor.
Alberti Ducis Megalopolensis, Fridericus Reifftock Doctor.
Ducatus Wirtenbergensis, Doctor Beatus Weidman.
Ernesti Marchionis Badensis & Hochbergensis, Lantgravii Susenbergensis, &c. Marchio Philippus Badensis.
Alberti Ducis Megalopolensis, Principis Wendiæ, Comitis Schwerini, Rostockiæ & Stargardi, Batto de Adelevesen.
Wilhelmi Comitis & Domini Hennenbergensis, Doctor Peter de Gondelsheim Curiæ Magister.
Hermanni Comitis & Domini Hennenbergensis, filius ejus Berehtholdus Comes & Dominus Hennenbergensis.

Prælati Præsentes.

Gerwicus Abbas Weingartensis.
al. Abbas. Rudigerus * Præpositus Weissenburgensis.

Prælatorum Legati.

Nomine Henrici Abbatis S. Cornelii Monasterii, Conradus Schwabach.

Abbatis

Abbatis Reichenaugiensis, Johannes Fabri & Petrus Speyser.
Abbatis Rotenmonasterii, Conradus Mock, Wilhelmus à Manderschied.
Abbatis Prumiensis & Stabulensis, Heinricus Lewensaw & Jacobus Krel.
Abbatis Rockenburgensis, Bernhardus Belserer & Daniel Schleicher.
Abbatis Petershausensis, Caspar Dornsperger.

Nomine postscriptorum Abbatum, nempe { Johannis Sebastiani Campidunensis, Conradi Kreysheimensis, Amandi Salmansuilensis, Hieronymi Elchingensis, Andreæ Ochsenhausensis, Petri Yrsinensis, Johannis Rodensis, Jacobi Mindernawensis, Johannis Schusenriedensis, Henrici Marckthalensis, } Gerwicus Abbas Weingartensis & Doctor Johannes Kœnig Tubingensis.

Rudolphi à Fridingen, Ordinis Theutonici Commendator Baliviæ Elsatiæ & Burgundiæ, Gerwicus Abbas Weingartensis.
Abbatis S. Hemmerani Ratisponensis, Augustinus Rosi & Conradus Schvvabach.
Abbatis S. Lutgeri Werdensis, Wiricus à Thun & Joannes Gogravius.
Abbatis Murbacensis, & Luderensis, Johannes Fabri & Petrus Speyser.
*Præpositi Bertholsgadensis, Simon Reibeysen. *al. Abbatis.

Abbatissarum Legati.

Nomine Abbatissæ Essensis, Caspar Westhausen & Bernhardus Schol.
Abbatissæ superioris Monasterii Ratisponensis, Conradus Schvvabach & Heinricus Levvensavv.
Abbatissæ Gernrodensis, Michael Hard.
Abbatissæ inferioris Monasterii Ratisponensis, Augustin Rosi, & Conrad Schvvabach.
Abbatissæ Lindaviensis, Petrus Speyser.
Abbatissæ Buchoviensis, Gangolfus à Geroltzeck.

Comites Præsentes.

Bernhardus Comes Solmensis.
Carolus, Wolfgangus & Ludovicus Comites Oetingenses.
Theodoricus Comes Manderschiedius.
Guntherus Comes Schvvartzenburgensis.
Albertus, Georgius & Wolfgangus Comites Hohenloenses.
Hoyerus Comes Mansfeldensis.
Philippus Comes Hanoviensis.
Adamus Baro Wolffsteinius.
Gangolfus Baro Hohengeroltzeckius.

Comitum Legati.

Wilhelmi Comitis Nassoviensis, Philippi Comitis Hanoviensis, Joanois & Antonii Eysenburgiorum, Eberhardi Comitis Kœnigsteinii, Philippi Comitis Solmensis, Beati Comitis Stolbergensis, Cunonis Comitis Leyningensis, Philippi Comitis Sarbruggensis, Philippi Comitis Wisbadensis, } nomine Comes Bernhardus Solmensis.

Johannis Comitis Wiedensis, Comes Theodoricus Manderschiedius.
Johannis Comitis Seynensis, Theodoricus à Stein.
Justi Comitis Holsteinii, Johannes Machtzol.
Reinhardi Comitis Bitschi, Jacobus à Landsperg.
Johannis & Henrici Comitum Schvvartzenburgensium, Guntherus Comes Schvvartzenburgensis.
Martini Comitis Oetingensis, Comites Carolus, Wolfgangus & Ludovicus Oetingenses.
Reinhardi & Georgii Comitum Zvveybruggiorum, Wolfgangus à Geroltzek Baro.
Ulrici & Julii Comitum Hardeckiorum, N. Hæreditarius Pincerna Austriæ.
Georgii Comitis Schavvenbergii, filius ejus Comes Johannes Schavvenbergius.
Ernesti Comitis Mansfeldensis.

Justi,

Justi, Udalrici & Bernhardi fratrum Comitum Rheinsteiniorum,
Wilhelmi Comitis Ebersteinii,
Christophori & Felicis Comitum * Werdenbergiorum,
Ulrici Comitis Helffensteinii,
Friderici Comitis Furstenbergii,
Johannis senioris, Wolfgangi, Johannis junioris & Hugonis Comitum Montfortiorum,
Georgii & Christophori Comitum Lupfensium,
Johannis, Gotofridi & Wernheri Baronum Cimberensium,
Wilhelmi & Georgii Baronum Waltburgiorum,
Schwickardi Baronis Gundelfingii,
Johannis & Marquardi Baronum Kingseckiorum, nomine Patris sui Johannis, & patrui Dionysii Baronum Kingseckiorum.
} nomine, Gangolfus baro Geroltzeckius.

* al. Wardenburg.

Johannis Comitis Oldenburgii, Evvaldus Bavvmbach.
Ennonis Comitis Ostfrisiæ, Johannes Hormannus.
Alberti, Johannis, Gotofridi & Bernhardi Baronum Wolffsteiniorum, Adamus Baro Wolffsteinius.
Nomine omnium Dominorum Blavvensium, Heinricus Reuss Dominus Blavvensis.
Wilhelmi Baronis Rappolsteinii, Ulricus Baro Rappolsteinius.

Civitatum Liberarum Imperialium Legati.

Coloniæ, Johannes à Reyd, Petrus Bellingshausen, Arnoldus à Siegen.
Augustæ, Matthæus Langenmantel & Johannes Hock.
Aquisgrani, Leonhardus ab Edelband & Petrus à Juden.
Esslingæ, N. Holderman.
Metis, Johannes à Nibrucken & Gerhardus Danner.
Rotenburgi ad Tubarim, Bonifacius Wernitzer.
Wormatiæ, Petrus Krapfius, & Johannes Glantz Archigrammateus.
Hallæ Suevorum, Antonius Hofmeister.
Francofurdiæ, Philippus Furstenberger.
Uberlingæ, Caspar Dornsperger.
Haganoviæ & Colmariæ, Bartholomæus Botzen & Hieronymus Boner, cum mandato Civitatum Advocatiæ Haganovianæ subjectarum, Schledstadii, Keyserspergæ, Monasterii, Obernehenheymi, Weissenburgi Alsatiorum, Landoviæ, Rosheimi, & Turckheimi.
Rotvvilæ, Conradus Mock.
Goslariæ, Christianus Balder.
Gemundæ Suevorum, Michael Rup.
Northausiæ, Michael Meyenburg.
Ravensburgi, Johannes Kruglin.
Wetzflariæ, Petrus ab Entzenberg, Thomas à Sandvveil & Stephanus Weigius.
Dortmundæ, Theodoricus Comes Manderschiedius.
Offenburgi, Johannes Gustenhofer Archigrammateus.
Regenspurgi vel Ratisponæ, Ambrosius Aman & Johannes Humel.
Leutkirchi, Johannes Fabri.
Friedbergæ in Wederavia, Johannes Durplatz.
Schvveinfurdiæ, Johannes Lortzen.
Wimpinæ, Petrus Berlin.
Alenæ, Johannes Decker.
Bopfingæ, Johannes Deubler & Ægydius Bronneysen.
Kauffbeuræ, Johannes Ruff.
Wangæ, Jacobus Schnitzer.

In horum testimonium nos Albertus Archiepiscopus Moguntinus, &c. Ludovicus Comes Palatinus Rheni, ambo Electores, nostro & nostrorum Coelectorum nomine: nos Matthæus Archiepiscopus Salisburgensis, Wigandus Episcopus Bambergensis, Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Heinricus junior Dux Braunsuicensis, nostro & Ecclesiasticorum ac Secularium Principum nomine: Gerwicus Abbas Weingartensis, nostro & Prælatorum nomine: nos Bernhardus Comes Solmensis, & Gangolfus Baro Hohengeroltzeckius, nostro & Comitum nomine: & nos Consul Senatusque Reip. Spirensis, nostro & Civitatum Imperialium nomine: nostra sigilla huic Recessui appendi fecimus. Datum in Sacri Imperii Civitate Spira, 22. Aprilis, anno à nativitate Christi M D XXIX.

FERDI-

FERDINANDI REGIS ET VICARII GENERALIS IN IMPERIO

EDICTUM

DE SUPPLICATIONIBUS PUBLICIS INSTITUENDIS, pro avertenda Dei ira; & de Contributionibus communibus in bellum Turcicum.

Anno Christi 1529.

FERDINANDUS Rex Ungariæ ac Bojemiæ, Principibus & magistratibus Christianis, adeoque omnibus Christi fidelibus.

1. Non dubitamus toti terrarum orbi pro comperto haberi, ac liquido constare, quemadmodum immanissimus nominis & Crucis Christi hostis, impius Turcarum Tyrannus, superbia ac rerum successu inflatus, jam pluribus annis omnes conatus suos ad id adiecerit, quo impiam, flagitiosam & impurissimam Mahumeti superstitionem ac sectam quam latissime propagaret, & nostram sacrosanctam cœlitus demissam Orthodoxam religionem ac fidem Christianam penitus exterminaret: Neque suis finibus contentus, amentia & furore præceps universum orbem terrarum prædæ suæ destinaret: omnibus denique gentibus exitiabile fœdæ servitutis jugum imponere pararet: id animo moliens scilicet, ut cunctæ nationes eum pro numine colant, reverentur, adorent.

2. Quibus furiis refectus primum Arabiam invasit. qua domita, non modo magnum illum Sulthanum, cujus universum Regnum suæ tyrannidi subjecit, acie victum in potestatem accepit, fœdeque supplicio affecit: verum etiam plurimos Orthodoxæ fidei nostræ Imperatores, Reges, Tetrarchas, Principesque in amplissimis duabus orbis terrarum partibus, Asia scilicet & Africa constitutos, dominio exuit, ejecit, trucidavit, sicque Transmarinum Orientis Imperium armis devicit, mari terraque plurima Regna vexavit & domuit, insulas innumeras & potentissimas urbes subjugavit. Neminem quippe ignorare putamus, ut ditissima Regna, Ægyptum scilicet, Syriam, Palæstinam, Judæam, superaverit, Pontum, Cappadociam, Galatiam, Bithyniam, Pamphiliam, Pysidiam, Ciliciam, Phrygiam, utramque Macedoniam, Hellespontum, Cariam, Lydiam, Græciam universam, Thessaliam, Phocidem, Bœotiam, ferro ignique desæviens subegit. Thessaloniam, Aetholiam, Epirum debellavit ac diripuit. Constantinopolim tandem, magnam urbem & præpotentem Imperii Orientalis sedem, vi occupavit, ac nobis ademit. Et omnino Europam universam spe jam & animo devoravit: & inexplebili dominandi libidine percitus, Bosnam, Bulgariam, Serviam, Croatiæ ac Dalmatiæ magnam partem, peneque totum Illyricum tractum depopulatus: Rhodum insuper, Lydiæ insulam rei nauticæ peritissimam, ante paucos annos ingenti classe tandiu obsedit, quoad illam sese dedere compulit. Belgradum quoque Taurini oppidum, & Christianitatis propugnaculum, suæ tyrannidi subegit. Nostrum præterea Regnum Hungariæ, Stiriam, Carinthiam, Carniolam, provincias nostras hæreditarias, multis & variis cladibus, tot abductis miserum in modum hominibus ac trucidatis, & immanibus ignominiis contumeliisque affectis, tot oppidis, pagis, castellis exustis, ac solo æquatis, multa in parte vastatas reddidit: sicque nos nobisque subjectas terras ac populos octo jam annis nostræ administrationis irreparabilibus damnis affecit.

3. Cujus inauditis insanisque latrociniis pro nostra virili obluctantes, magnam vim militum in confinibus provinciarum nostrarum, adversus assiduas illius incursiones, perpetuo aluimus, atque alimus, optima spe freti, nos auxiliante Deo, provinciarum nostrarum militumque robore veluti corpore objecto, à reliqua Germania ac Christiana repub. illius immanitatem exclusuros amoliturosque. Quod ut faceremus, non sumus gravati omnes facultates nostras impendere. Essemus denique promptissimo animo parati, id quod Rege Christiano dignum esse ducimus, non modo thesauros nostros, si qui adhuc restarent, terras populosque, sed hoc etiam proprium caput nostrum, & quicquid charum preciosumque habemus, si quid vita & sanguine charius esse potest, consceleratis immanissimi hostis conatibus ac causis opponere, & in discrimen ultro offerre. Sed (proh dolor) ipsi conjectura assequi, quæ vestra est prudentia, facile potestis, thesauros proventusque Provinciarum nostrarum diuturnis cladibus sic attritos & exhaustos esse, ut pro nostro studio, quod summum esse affirmare possumus, Regnis ac provinciis nostris extremo in periculo constitutis, fidemque nostram assidue implorantibus, consulere non queamus. Itaque tandem cogimur, nolimus velimus, nostro in aspectu truculentissimum prædonem Regna, provincias terrasque nostras pro libidine vexantem, & hæc propugnacula Reip. vestræ, quæ sunt provinciæ nostræ, hæc mœnia quietis & otii vestri, absque intermissione hostili animo oppugnantem subruentemque perpeti atque admittere. Ardet, ardet, quicumque Christi Crucis amici ubicumque terrarum agitis, proximus vobis paries, vestrum etiam agitur periculum, vestræ fortunæ in commune discrimen vocantur. Hoc consilio crudelissimus Turcarum Tyrannus ingenti cum exercitu, non contemnendorum militum per Hungariam effusus volat, ut non solum Regnum ac Provincias nostras sub tyrannidem suam compellat, verum etiam universam Germaniam, ac deinde quam longe lateque Christianum nomen auditur, Regna, Provincias, terras omnes sibi servire cogat.

4. Quocirca ut tantis nobis imminentibus malis occurratur, & summi Dei ira forsitan ob nostra scelera atque delicta justissime suscepta mitigetur, hortamur obtestamurque universos ac singulos, per viscera misericordiæ Domini ac Dei nostri Jesu Christi, quo erigatis animos ac corda vestra ad summum Optimum Maximumque Deum, omnis misericordiæ patrem, in oratione supplices admissam culpam deprecemini, Ninivitarum aliorumque pœnitentium exemplo, qui iratum Deum resipiscentes & lachrymabundi placarunt, vos quoque gratiam apud Deum quæratis, oculos ac manus vestras ad Deum tendatis, ejusque auxilium clamantes imploretis. Quis scit, si convertatur & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem. Hac ratione & via, nihil ambigentes, speramus & confidimus, tametsi maximum & instructissimum exercitum, & quasi in locustarum numerum ferocissimus hostis adversus nos, pusillum Christi gregem adducat, pro suis fidelibus Deum Optimum Maximum facturum, sacrosanctam fidem ac religionem non deserturum, populo suo præsens auxilium allaturum, ut quemadmodum priscis temporibus Gedeon, Josue, Machabæi, utcumque exilibus copiis innumerum impiorum hostium exercitum fundere, fugare ac profligare queamus. Solus enim Deus est, ut ait Scriptura, cui non modo non impossibile, sed in promptu etiam est ac facile, dare victoriam ac triumphum, tam in modico, quam multo populo. Et nos cum Regio Cytharœdo ingenue agnoscimus, non in gladio, neque in hoste, non in curribus aut in equis, sed in brachio Excelsi salvari omnes, qui sperent in eum. Qui si pro nobis fuerit, pro nobisque pugnaverit, quis contra nos?

5. Cum autem ad ejusmodi expeditionem immensa pecunia, belli quidam nervus, requiratur, illamque in nostris Regnis Provinciisque conficere nullo modo possimus, proinde hortamur universos & singulos, super quos dulcissimum Jesu Christi nomen invocatum est, ut intra se redeant, oculos cordis aperiant, quid & quantum Christiano nomini nunc nunc, si non astiterint, pereundi immineat, alta mente cogitent, atque tandem considerent, quam miserabiliter tot millium Christi fidelium animæ à truculentis hostibus Turcarum captivæ in exilium ac servitutem quotidie rapiantur, conjugum pudicitia dehonestetur, virginum honos violetur, infantes à matrum sæpe uberibus avulsi trucidentur, senes decrepiti & emeriti, armis laboribusque minus idonei, vario supplicii genere enecentur: reliqui ad arenam fodiendam, ad coquendos lateres, & ad metalla aliaque servitutis juga, perinde ut pecora, divendantur: & interim quot centena (proh dolor) hominum millia, ab Orthodoxa Christi fide, minis, vi, armis, ad impuram Mahumeti superstitionem ac sectam indies compellantur. Quam indignitatem nemo, in cujus corde Christi nomen insedit, non ita acerbam putare debet, ut non modo fortunas suas omnes, sed corpus, & sanguinem suum adversus illius authorem sit impensurus. Neque in dubium vocamus, si hoc, ô viri Christiani, amoris dilectionisque vestræ erga Deum ac proximum vestrum incendio flagrantes, singuli de facultatibus suis, quas à Deo pro illius gratiæ benignitate acceptas possidetis, tanquam procuratores boni præsentibus periculis commoti, in medium vel eleemosynæ loco, contulerit (quod nos Christiano Zelo ducti, ut facere non recusetis, impensissime hortamur) nos veri Domini Dei exercituum gratia & auxilio nitentes, non solum præsentia pericula à capitibus vestris, id quod ex animo volumus & optamus, propulsaturos, sed eos etiam, qui Christiani nominis fratres nostri diuturna & plusquam Aegyptiaca aut Babylonica servitute miserabiliter affecti, illic in compedibus vitā quovis supplicio acerbiorem degunt, liberaturos, & in patriam ac libertatem reduces vindicaturos, eoq; secundo Dei optimi maximi favore victricibus armis progressuros, quoad civitatem sanctā Hierusalem, crucifixi Dei nostri Jesu Christi monumentis nobilem, & sepulchrum, quod ille mortuus triduum tenuit, in potestatem nostram redegerimus, adorabimusque in loco, ubi steterunt pedes ejus; neque cessabimus, donec exitiosam Mahumeticæ perfidiæ zizaniam spurcitiamque radicitus è mortalium genere sustulerimus. Promittimus insuper & in nos recipimus, per dexteram ac fidem boni Regis ac Principis, à vestra pietate collatam pecuniam in nullum alium usum, quam alendi adversus efferatam Turcarum immanitatem exercitus impensuros.

6. Vos itaque Christianæ religioni initiati, quicumque & ubicumque terrarum has nostras literas visuri, lecturi, audituri estis, acceptas fidei Christianæ contumelias, præsentes miserorum ærumnas, imminentem omnium nostrorum calamitatem ac perniciem ante oculos positam, pro pietate vestra sedulo considerate, quem fratribus vestris debetis amorem, non inviti tribuite, memores ad Pauli doctrinam vinctorum quasi simul vincti: paternas denique summi & clementissimi Pontificis indulgentias, quæ cordis contritionē orisque confessionem, immo pœnitentiæ statum in primo omnium loco exigunt, & quibus nobis sua Sanctitas, totique Christianæ Reipubl. tali tempore consulere juxta emissarum Bullarum tenorem dignata est, Christiano animo accipite, & commendatas habete.

7. Pro qua pietate judex Justus Jesus Christus, qui cuique tribuit secundum opera sua, vos immortalibus afficiet præmiis, fatebiturque tunc, quum venerit judicaturus vivos, & mortuos coram omnibus Angelis suis, cum sancta benedictione sua, vos, quicumque suos captivos redemeritis, esurientes saturaveritis, sitientes potaveritis in carcere inclusos consolati fueritis, imo quos ex Aegyptiaca servitute liberaveritis, in sese collatum, sibique factum, èque vinculis custodiaque sese liberatum fuisse; Nos autem, quæcumque ad tanta pericula arcenda contuleritis, ea gratia accipiemus, ut perpetua grati animi memoria prosequuti, pro virili aliquando compensare, summo studio enixuri simus. Datum in oppido nostro Zinitzio, vicesimo octavo Augusti, anno millesimo quingentesimo vigesimo nono, Regnorum nostrorum anno tertio.

CARO-

CAROLI V. IMPERATORIS AUGUSTI

RESPONSIO

Anno Christi 1530.

Ad postulatos articulos Clementis VII. Pontificis Romani data Bononiæ in actu Inaugurationis Imperialis Anno MDXXX.

DE CONCILIO CELEBRANDO ET AUDIENDIS ADVERSARIIS.

AGnosco me juvenem esse, & hujus Mercurini & aliorum sapientum consiliis uti me fateor, & debere me sapientiores audire judico, & de hac ipsa deliberatione, quam scio pertinere ad gloriam Dei & ad salutem universi generis humani, cum multis collocutus sum, qui excellunt sapientia, virtute & fide, qui sentiunt Ecclesiæ opus esse Synodo. Nec tu ignoras voluntates omnium sapientum & bonorum in tota Europa, qui assiduis gemitibus Synodum flagitant talem, quæ recte gubernetur.

2. Quare cum re diu deliberata, & iis argumentis, quæ tu opponis, diligenter cogitatis, velim convocari Synodum. Scito & Mercurinum, quæ dixit, meis mandatis dixisse, & me ab hac sententia, donec vivam, non recessurum esse. Tuum consilium speciosum & plausibile profanis videri potest: sed meum & justum est, & Ecclesiæ convenientius, & si non impedieritis, Deo juvante, spero humano generi salutare futurum esse. Nec illa terribili oratione tua abducor à sententia, quod non sit audienda disputatio de absurdis & inextricabilibus. Nam nec omnia, quæ nunc disputantur, absurda sunt, nec sunt ullæ inextricabiles quæstiones in Ecclesia de rebus necessariis. Audivi & ego sæpe Platonicum illud mihi dici; *Ut parentum deliria ferenda sunt, ita in civitatibus & religionibus vitia quædam dissimulanda esse.* Modus est ejus rei & in Imperiis & in Ecclesia. Fundamentum certe in Ecclesia retineri oportet. Et hæ leges æternæ in Imperiis & Ecclesia retinendæ sunt, quæ prohibent idolorum invocationem & libidinum confusiones. Irrepserunt autem in Ecclesiam quædam invocationes contumeliosæ contra Deum, & turpitudo libidinum in conspectum est. Nec tantum horum malorum emendatio Synodum requirit, sed universæ doctrinæ integrum corpus colligendum est, quod una voce omnes gentes in omnibus templis sonent. Scis enim nunc de multis magnis rebus etiam in tuis castris dissonos clamores esse. Cum sparserit hæc ætas quædam absurda, opponat Synodus illustria & firma testimonia, ut & hoc tempore & inposterum minus decipiantur homines, moniti argumentis â Synodo ostensis.

3. Illa autem vox Pontifice indigna est, quod ais; *Quædam inextricabilia esse.* Deus immensa bonitate se patefecit, & vult nos amplecti doctrinam, quam tradidit; quæ si esset ambigua inanis sonus esset. Placet mihi autem & Theodosii consilium, qui jussit in Synodo quæri & proferri testimonia synceræ vetustatis. Certe enim Ecclesiam doctricem libenter audio, ut Samson monuit: *Si non arassetis vitula mea, non invenissetis.*

4. De dispensatione, quam offers, quanto hoc fiet commodius in Synodo? Major enim erit gentium concordia, si simul omnes talem ἐπιείκειαν, recipient. Et illo dicto Heroico delector: *In communi periculo sit communis deliberatio.* Nec defuturus sum meo officio rebus cognitis. Et ut cognitio ordine possit fieri, veterum Imperatorum exemplo adsuturus sum, & quantum potero, perficiam, ut hæ leges justissime serventur. Utraque pars pariter audiatur, & sententiæ non tyrannicis arbitriis ferantur, sed juxta leges, videlicet juxta doctrinam, quam certum est à Deo traditam esse.

5. Nunc quod jubes, ut sine dijudicatione bona pariter & mala deleam; id nequaquam faciam. Nolo enim ex Ecclesia tollere legitima judicia, & constituere tyrannidem. Declaravi autem antea non obscure in bello, meam observantiam erga Ecclesiam & erga Sedem Romanam, & erga te, quam & deinceps præstabo.

CAROLI V. IMPERATORIS AUGUSTI

ARTICULUS

Anno Christi 1530.

Ad causam Religionis spectans, extractus ex literis Augustæ Vindelicorum Conventum Imperii indicentibus, & Bononiæ XXI. Januarii datis.

DEinde & de dissensionibus in causa nostræ sanctæ Religionis ac Christianæ fidei, & ut in hac causa Religionis partium opiniones & sententiæ inter sese in charitate, lenitate & mansuetudine mutua audiantur, corá intelligantur & ponderentur, ut illis, quæ utrioque secus in scriptura tra-

ctata sunt, correctis, res illæ ad unam simplicem veritatem & concordiam Christianam componantur & reducantur, ut de cætero à nobis una syncera & vera doctrina colatur & servetur, ut quemadmodum sub uno Christo sumus & militamus, ita etiam in una Ecclesia Christiana in unitate & concordia vivere possimus.

CAROLI V. IMPERATORIS AUGUSTI JURAMENTUM

Anno Christi 1530.

DE PROTECTIONE PAPÆ ET ROMANÆ ECCLESIÆ,

Præstitum Clementi VII. Bononiæ in inauguratione Anno MDXXX. die XXIV. Februarii.

EGO CAROLUS Romanorum Rex & brevi (Dei gratia) futurus Imperator Cæsar, per Deum Divumque Petrum promitto, polliceor, testificor atque juro, me in posterum pro viribus, ingenio & facultatibus meis Pontificiæ dignitatis & Romanæ Ecclesiæ perpetuum fore defensorem, nec ullam Ecclesiasticæ libertati vim illaturum: sed potestatem, jurisdictionem & dominationem ipsius, quoad ejus fieri potest, conservaturum ac protecturum, cujus rei testem voco Deum ipsum & hæc sancta Evangelia.

S. ROMANI IMPERII

PRINCIPUM ELECTORUM EPISTOLA AD CÆSAREAM MAJESTATEM

Anno Christi 1530.

Super mora adventus ejus ad Comitia, & ordine ingressus Principum.

INvictissime Potentissimeque Imperator, semper Auguste, Domine clementissime; nostram obedientiam ac debita officia Cæsar. Majestati vestræ subjectissime offerentes, eam scire cupimus: Cum nos, juxta Cæsar. Majest. V. literas indictionis, cum aliis nonnullis Principibus & Imperii Ordinibus, debita obedientia huc venerimus, ac aliqui ex nobis, longo nunc tempore, non sine gravi & magna rerum omnium difficultate, hic commorati sint: subjectissime rogamus, ut Cæsar. majest. Vestra primo quoque tempore huc venire maturet, considerando nimirum & rei magnitudinem & necessitatem, ipsam hoc summopere postulare, ne qui vel in obviam eundo, vel in ingrediendo, error committatur, & C. M. V. tam diu detineatur, sed C. M. V. honoris gratia, singula commodè, tempestivè & bono ac convenienti ordine administrari & perfici possint.

Quare, Cæs. M. V. approbante, magnam rebus omnibus promovendis & ritè administrandis occasionem hoc præbiturum confidimus, si C. M. V. quendam suorum cum mandatis huc ablegaret, qui de egressu & ingressu aliisque rebus necessariis citius promovendis, & commodius perficiendis, placidas & necessarias deliberationes institueret, & cum Electoribus ac Principibus, nunc hic congregatis, & brevi huc venturis, commodas rationes iniret. Subjectissime igitur rogamus, ut C. M. V. has literas, ex bono & fideli animo profectas, clementissime accipere & intelligere dignetur. Cæsareæ Majestati Vestræ, cui nos tanquam Domino clementissimo commendamus, omnia debita officia subjectissime offerentes.

C. M. V.

Obedientes

Albertus Moguntinus Hermannus Coloniensis	Archiepiscopi.
Joannes Saxo Joachimus Brandeburgius	Electores.

S. RO-

IMPERIALES.
S. ROMANI IMPERII
PRINCIPUM ELECTORUM RESCRIPTUM AD CÆSAR. MAJESTATEM

Anno Christi 1530.

De Egressu & Ingressu Principum.

INvictissime Pontentissimeque Cæsar, semper Auguste, Domine Clementissime; Nos quatuor Electores, ac Treverensis & Palatini Electorum Legati, Vestræ Majest. in sacro Romano Imperio Consiliarii, acceptis literis honorariis, de egressu & ingressu, agentibus, unanimi consensu totum negotium deliberandum suscepimus, ac, re diligenter pensitata, circumspicere statuimus, qua ratione & via ingressus ille in honorem Cæs. Majest. fieri posset. Nullam vero viam aptiorem & meliorem reperire potuimus, quam si in ejusmodi pompa ab Aureæ Bullæ constitutionibus non discedatur, quam quidem, quoad nostras personas, diligenter ipsi inspeximus, quæ disertis & perspicuis verbis exprimit, ut Cæsarea Majestate vestra præsente, quæcunque etiam negotia tractarentur, nos Moguntinus & Coloniensis Archiepiscopi, utrumque Cæsareæ Majestatis Vestræ latus claudamus, & amicus noster Archiepiscopus Treverensis proxime ante Cæsaream Majestatem Vestram hujusque latus dextrum Palatinus, sinistrum vero Saxo & Brandeburgicus Electores equitando seu gradiendo claudant. Ut autem Aurea Bulla Bohemiæ Regi in processionibus proximum post Cæsaream Majestatem vestram locum assignat, & eundem ordinem in equitando & gradiendo servari jubet, nec quenquam intervenire vult, perspicuis & expressis verbis unumquemque Electorum locum suum immutabiliter obtinere præcipiens, nec ullum Principem, cujuscunque status, dignitatis & gradus sit, illis præferri volens, ita etiam Bohemiæ Regem, omnibus aliis Regibus, quacumque dignitate & authoritate emineant atque polleant, & quascumque ob causas adveniant, immutabiliter præfert & anteponit. Eum igitur ordinem, qui Cæsarea Majestate Vestra Aquisgranum, inaugurationis & coronationis gratia, ingrediente servatus fuit, illum etiamnum, quo ad nostras personas, servandum censemus. Sed quoad equitatum Electorum, inter cætera annotatum reperimus, quod in prænominato ingressu hic sit servatus ordo, ut meus Electoris Saxoniæ equitatus primum locum teneret, & hunc Palatini, deinde Brandeburgici Electorum, postremo vero Moguntini, Trevirensis & Coloniensis Archiepiscoporum equitatus sequeretur. Eundem ordinem nunc quoque servandum censemus; sic tamen ut meus, Archiepiscopi nempe Moguntini, equitatus, cum ingressus in mea provincia fiat, proximus ante Cæsaream Majestatem Vestram ingrediatur. Ac cum Bohemiæ Rex, docente id Aurea Bulla, Cæsaream Majestatem Vestram proxime sequatur, ut & equitatus Regius Vestræ Cæsareæ Majestatis equitatum proxime sequatur, æquum esse judicamus. Hac igitur ratione nos Electores & absentium Legati, nisi Cæsarea Majestas Vestra diversum senserit, de ordine in ingressu servando convenimus, hac tamen cautione, ne quid ulli nostrorum, in hoc vel simili casu, per hanc transactionem detrahatur & derogetur.

De reliquorum vero Principum ordine acturi, habita deliberatione, diligenter perpendimus, inter præcipuos Imperii Principes, utpote inter Bavarum, & Saxonem, Brandeburgicum & Brunsuigium, Hessum & Pomeranum, de sessione, processione & statione, multos nunc annos varie disceptatum esse, nec in hoc usque tempus, licet sæpe tentata sit, reconciliationem ullam fieri potuisse. Ac contentiones istæ adeo exarsisse videntur, ut licet omnes illi Principes præsentes essent, ac inter eos ageretur, omnis tamen actio nostra infrugifera & irrita esset futura. Cum igitur facile colligi possit, tum inter ipsos contentiones orituras, cujusmodi tumultus ut commode avertatur, summa necessitas flagitare videtur. Sed huic rei consiliis idoneis, præter Cæsaream Majestatem Vestram plus prodesse nemo posset, cui procul dubio Principes illi obsecuturi essent. Subjectissime igitur rogamus Cæsaream Majestatem Vestram, ut totius negotii promovendi gratia, hanc rem clementissime consideret, & idoneis ac convenientibus rationibus (quod tamen Cæs. Majest. V. judicio liberum permittimus) cum prænominatis Principibus agat, ut in honorem Vestræ Cæsareæ Majestatis egredientes & ingredientes eum servent in equitando ordinem, qui à Majestate V. præscriptus fuerit, hac tamen interposita cautione, ne qua fraus cujusque privilegiis ac libertati fiat, & hac clementissima pollicitatione addita, Majest. V. statim post ingressum, summam operam daturam, ut dissidentes Principes inter se concilientur. Si igitur Cæs. Majest. V. hoc consilium nostrum probaverit, & quod petimus agendum ac perficiendum clementissime susceperit: Nos quoque Electores & absentium Legati, operam & studium nostrum Majest. V. vicissim deferimus, ac subjectissime pollicemur, nos nihil in nobis desiderari passuros, quæ ad tollenda dissidia, conciliandos animos facere, ac in honorem V. Cæs. Majest. & utilitatem amicorum, patruelium & agnatorum nostrorum cedere posse videntur.

Hæc Invictissime Imperator, Domine Clementissime, ad V. Cæs. Majest. postulata, de egressu & ingressu, diligentissime & fidelissime fecimus & consultavimus, sic tamen ut vel probare vel corrigere ea, Cæs. Majest. V. liberum relinqueremus, subjectissime petentes, ut Cæs. Majest. V. quid sibi de

hac nostra consultatione, & constituto ordine in ingressu servando videatur, clementissime significare & literis consignatum remittere dignetur, ut quid nobis, præcipue vero mihi Johanni Electori Saxoniæ & Archimareschallo de ordine equitandi statuendum & faciendum sit, scire possimus, nos V. Majest. tutelæ ac defensioni subjectissime commendantes. Datum Augustæ.

Vestræ Cæs. Majestatis

Subjecti & obedientes in sacro Romano Imperio Consiliarii:

Albertus, Hermannus, Johannes & Joachimus } Electores.

Treverensis ac Palatini } Electorum Legati.

CAROLI V. IMPERATORIS AUGUSTI DECLARATIO

De Ordine egressus & ingressus Principum Imperii in Comitatu Imperatoris.

Anno Christi 1530.

CAROLUS Dei gratia, Romanorum Imperator, semper Augustus. Instructio, de quibus rebus Reverendus D. Philippus Episcopus Spirensis, & Johannes Albertus, Marchio Brandeburgensis, Ecclesiæ Magdeburgensis & Halberstadensis Coadiutor, ac Guolfgangus Nobilis Comes de Monteforti & Retensels, Principes, Consiliarii, devoti ac fideles nostri, cum Reverendissimis & Illustrissimis, charissimis amicis, agnatis & patruelibus nostris, Moguntino, Coloniensi, Saxone, Brandeburgico, Electoribus, ac Treverensis & Palatini Legatis, jam Augustæ congregatis, agere & consultare debent.

1. Primum gratiam nostram Cæsaream & amicitiam, ac quæque felicissima illis precari, ac deinde recensere debent:

2. Nos ipsorum in sacro Romano Imperio Consiliariorum nostrorum literas nuper Augustæ datas accepisse; cum vero inter alia in iis mentionem faciant, se, juxta postulatum nostrum, de egressus & ingressus negotio agere instituisse, & qua ratione, honoris nostri causa, primo quoque tempore commodissime & splendidissime fieri & administrari singula possent, diligenter animo circumspexisse & consultasse, ad perficiendæ ejus rei illam viam & rationem sequendam judicasse, quæ in Aurea Bulla præscripta sit & sancita, additis iis omnibus, quæ de Principum Electorum personis expresse in ea dicuntur & extant.

3. Etsi autem omnia in literis illis comprehensa clementissime intellexerimus & acceperimus, ac ob hanc rem gratiam etiam iis agamus; tamen nos reipsa videre, ipsos fortasse ignorasse, vel non satis considerasse & perpendisse, aut certe nobis non significare voluisse, quod statim post acceptum à Pontificia dignitate diadema Imperatorium, iter nostrum in sacri Romani Imperii nationem germanicam instituere & habere decreverimus, eo potissimùm affectu & voluntate, ut dissensiones inter ipsos & alios sacri Romani Imperii Ordines vigentes tolleremus, & ad concordem, Christianum & laudabilem statum singula reduceremus. Quæ ut facilius, commodius & salubrius præstare & efficere possemus, Pontificiæ Sanctitatis Legatum, cum plenis mandatis nobis adjungendum esse, non tantum necessarium, verum etiam utile futurum arbitrati simus, qui etiam hucusque sit deductus, & eo loco atque honore habitus, quem in ingressu obtinere debeat. Igitur nos diligenter considerasse, ne vel secundum Aureæ Bullæ literam, vel contra eam agentes & procedentes, aliqua impedimenta & gravamina, reliquis negociis tractandis & peragendis, objiceremus, quæ certe omnibus modis declinare & amoliri simus parati. Igitur nos de Aurea Bulla nequaquam disputaturos, sed, suam dignitatem & locum ut obtineat, operam daturos, ac in eo diligenter elaboraturos esse, ut ingressus ille in nostrum honorem, (cujus rei & ipsos avidos esse, nos nequaquam dubitare, & ex literis illud apparuisse) ipsis vero aliisque Ordinibus & Statibus nequaquam in detrimentum, sed potius in promotionem, salutem & utilitatem singulorum, ut etiam omnium nostrorum necessitas flagitare videtur, cedat. Quod hac ratione fieri posse nobis quidem videatur.

4. Cum Principes Electores, absentium Legati & alii Imperii Ordines ignorare non possent, quibus negotiis detenti, etiam contra & præter voluntatem nostram adventum hactenus differre simus coacti, & qua occasione, quibus de causis, & quo denique affectu nunc Imperatorio diademate insigniti, ad vos venire in animo habeamus, facile etiam eos colligere posse, quod Illustrissimum Principem Dominum Ferdinandum, Ungariæ & Bohemiæ Regem, dilectum & unicum fratrem nostrum

&, no-

&, nobis absentibus, per Imperii fines designatum Legatum, nobiscum esse & manere cupiamus & velimus.

5. Cum etiam jam ex nobis intellexerint, quibus de causis, quaque clementissima voluntate, Legatum nobiscum adduxerimus & retinuerimus, ita ut Pontificiæ Sanctitatis à Latere Legatus, non tantum hujus loco & ut peregrinus (quibus tamen præ reliquis honor & reverentia exhiberi merito solet) adsit: verum etiam ipsorum & sacri Romani Imperii, præsertim Germanicæ Nationis, gravaminibus & oneribus serio afficiatur, eaque ut tollantur, minuantur & leventur, omnem diligentiam adhibere velit. quam quidem ob causam, nostra quidem sententia, adventus ipsius gratior acceptiorque esse, & major illi honor atque reverentia exhiberi debeat. Commemoratis igitur de causis, & quod, si Pontificia Sanctitas & Nos, ad alios Principes Legatos nostros mittamus, Pontificiæ Sanctitatis Legati semper supremum obtineant locum, & nostri etiam Legati ad ipsos missi omnibus Electoribus, Principibus & Ordinibus præferantur, Principes Electores in hanc rem haud difficiles futuros, nos sperare. Ad hoc quod plateæ civitatis Augustanæ, per quas equitare, Deo volente, decreverimus, lætæ sint & amplæ, ita ut plures quam tres juxtim equitantes facile capere possint, & magnos ipsi nunc Augustæ sumtus fecerint, priusquam aliis detenti negotiis Augustam adventare, & Comitiorum initium facere potuerimus, de qua re & antea ad ipsos scripsimus, ne tempus frustra consumi paterentur, clementissime postulantes, & causas gravissimas & justissimas, quæ nos moverent, addentes, quas propter temporis angustiam nunc commemorate supersedemus.

6. Igitur propter enumeratas causas, & ut adventus noster tam diu desideratus sit honoratior, ipsisque gratificemur & morem geramus, non ex obligatione aut secundum Aureæ Bullæ sententiam, nos assentiri & permittere velle, ut politici Principes nos proxime antecedant. Ponè vero Patres Purpurati, Archiepiscopi & Episcopi cum Legatis, tres videlicet in ordine, sequantur, utpote Pontificiæ Sanctitatis Nuncius medius inter Galliæ Regis Legatum à dextris, & Archiepiscopum Bremensem, vel alium quempiam Episcopum à sinistris. Deinde Venetorum Legatus inter duos Episcopos medius. Post spiritualium Principum Legatos Mediolani & Ferrariæ Ducum, ac Marchionis Mantuani, Legati & alii.

7. Inter hos vero duos spiritualium & politicorum Principum Ordines atque Legatos, ut dictum est, Nos cum dilecto Fratre nostro, qui, ut antea meminimus, cum Rex sit Bohemiæ (in qua dignitate nisi constitutus esset, postulare hoc nollemus) latus nostrum dextrum, Legatus vero, ob commemoratas & alias justissimas causas, latus nostrum sinistrum, sub cœlo & inter spirituales ac politicos Principes, claudere debeat, ita ut juxta nos Electores equitent, ut Aurea Bulla docet. Deinde quod ad equitatum attinet, nos velle, ut Ducis Electoris Saxoniæ Imperii Archimarescalli equitatus primum in ordine locum obtineat; hunc vero Brandeburgici & Palatini Electorum, atque ita ex ordine Treverensis, Coloniensis & Moguntini Archiepiscopi, & post hos Fratris nostri Ferdinandi ac noster, proxime nos præcedens, equitatus incedat. Post spirituales vero Principes atque Legatos, stipatores nostri armati sequantur. Ordinem totum Purpuratorum & spiritualium Principum ac Legatorum, deinde politicorum quoque Principum & aliorum Ordinum equitatus permixtim concludat. Oeniponte.

CAROLI V. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1530.

RESCRIPTUM

AD PROTESTANTIUM PRINCIPUM ET STATUUM POSTULATA IN CAUSA Religionis,

Pontificiis Ordinibus ad deliberandum propositum in Comitiis Augustanis Anno MDXXX. die VIII. Septembr.

CUm Electores, Principes & Sacri Romani Imperii Ordines C. M. sententiam ad Electoris Saxoniæ & Sociorum in religione conjunctorum responsum postremum datam, scripto comprehensam sibi communicandam & legendam tradi petiverint, ut eo melius & diligentius de toto negotio cogitare & deliberare possent, C. M. petitioni ipsorum annuens sequentia proponi voluit.

1. Quod scilicet ignorare nullo modo possitis, quanta clementia & diligentia C. M. ratione officii semper laboraverit & operam dederit, ac propria etiam persona deliberationibus & actionibus quibusdam hanc tantum ob causam interfuerit & præfuerit, quo facilius dissensiones & errores in religionis causa exorti tollerentur & componerentur. Prædictum vero Saxoniæ Electorem & alios in religione conjunctos Principes postremo hoc responsi dedisse & significasse, se in iis articulis, quos in Disputatione cum Delectis habita exhibuissent, etiamnum acquiescere, cum

eos in sacrarum literarum monumentis fundatos & confirmatos judicent, & ab iis bona conscientia discedere nullo modo queant, amplius etiam in libero & generali Concilio doctrinam suam probaturos ac sacrarum literarum testimoniis confirmaturos esse. Etsi autem Imperator singulari naturæ bonitate adductus clementissime proposuit, se, quatenus aliquo modo ab articulis exhibitis discederent, & idonea concordiæ media proponerent, propria persona summaque Clementia primo quoque tempore denuo cum illis acturum esse, tamen omnem ulteriorem actionem detrectarunt, ac ut antea, sententiæ & proposito priori & articulis exhibitis inhæserunt. Ad hæc omnia C. M. respondit, quod nequaquam ejusmodi responsionem, ut factum esset, daturos cogitasse. Hoc enim ipsos pro certo statuere debere, quod si Majestas sua doctrinam eorum in sacris literis fundatam sciat, nequaquam cum illis litigare & contendere velit. Sed Electori Saxoniæ & aliis in religione conjunctis Principibus atque Sociis cogitandum ac perpendendum venire, quod C. M. summum caput, legitimus Dominus, protector ac defensor sit Christianæ Ecclesiæ. Quapropter aliter facere non possit, quam ut conservandæ Majestatis, existimationis, dignitatis, honoris & authoritatis suæ gratia, veterem & tanquam per manus acceptam à Patribus doctrinam, & multis nunc seculis in Ecclesia propositam defendat ac tueatur, nullisque rationibus mota vel deficiat vel eam oppugnet. Nam M. ipsius non minus, quam alii, de salute & conscientia sua sollicita est, & hoc quidem eo magis, quo majorem à Deo concessam habet authoritatem & existimationem. Insuper persuadere sibi non potest, sæpitis nominatum Electorem & alios Principes conjunctos plus fecisse & præstitisse, quam Majest. sua fecerit & præstiterit. Igitur à veteri, Christiana, perque manus tradita Religione multo minus quam ipsi, discedere constituit, neque ullo modo concessura est, ut propria authoritate & pro libitu innovent, invehant ac immutent ea, quæ veteri ac Christianæ consuetudini penitus adversantur & contraria sunt. Eo etiam insolentius nunc facere videntur, quo convenientiora media & tolerabiliores conditiones C. M. jam præsens hac in causa proponit & offert, quæ antea periculosis bellis distenta & gravibus dissensionibus distracta proponere non potuit.

2. Si igitur hæc Clementissima Cæsar. Majest. voluntas & humanissima propensio locum nullum apud ipsos habuerit, atque ita mediis clementissime propositis, & actionibus tollendorum & componendorum dissidiorum causa institutis nihil effectum fuerit, ac Elector Saxoniæ & alii Principes ad sinum Ecclesiæ reduci ac converti non potuerint, ut Cæs. Majestas (cum videat quanti privatim hujus rei, quanti item sanctæ Religionis, Christianæ fidei, ac Ecclesiæ, matris nostrorum omnium, hujusque existimationis intersit, in pristina consuetudine & authoritate illi asserenda) labanti statui hac in re diligenter prospiciat ac necessariam emendationem instituat, neque vitæ & corpori, neque facultatibus ullis parcere destinavit, omnipotentis Dei auxilio & de Electorum Principum consilio & sententia omnia factura, quæ his rebus convenire & idonea videbuntur. Cæs. Majest. etiam Pontificem Max. aliosque Reges, Principes & Christianæ Reipublicæ Dynastas solicitabit, ut, quanta possint diligentia, hanc rem juvent ac promoveant, planeque sibi promittit Cæs. Majest. ipsos in hac causa, quod ex Christianorum Principum officio est, libentissimè facturos esse.

3. Quod vero ad Concilium & hujus causa Electori ejusque Sociis à Cæs. Majestate factas promissiones attinet, significatum illis fuit, etiamnum Cæs. Majest. animum & sententiam immotam stare, ut, si interea temporis ad mutuam fidei conciliationem & concordiam, ac sanctam Ecclesiam, nostrorum omnium matrem redeant, Concilium promissum denuntietur.

4. Consultum etiam, ut antea quoque dictum, Cæs. Majestati videtur, ut, quatenus Dux Elector Saxoniæ, ac reliqui ipsi adhærentes Principes, postulatis superioribus paruerint, novitates ab ipsis tentatæ in Christiana charitate clementissime audiantur. istud vero nisi hac ratione fiat & administretur, nihil amplius esse, quod Dux Elector Saxoniæ & reliqui de Cæs. Majest. benevolentia & clementia sibi polliceri possint, sed necessitatem illis allatum iri, ut à Concilio citati sese sistant, compareant & causam dicant, idque summam necessitatem postulaturam & requisituram.

5. Quantum vero ad restitutionem bonorum Ecclesiasticorum, quæ Dux Elector Saxoniæ & ejus conjuncti socii ad se tracta possident, attinet, iis Cæsar. Majest. serio ita sentit & judicat: Cum tantum de temporalibus & evanidis hujus mundi bonis ac facultatibus agatur & lis sit, ac antea ex ipsis sit auditum, quod facultates omnes ac vitam quoque ipsam pro Cæsar. Majestatis salute sint impensuri, & in præcepto divino, juxta Evangelium, charitatem erga proximum publicam per Imperium constitutam pacem, leges naturales, omnemque honestatem & æquitatem cautum sit & mandatum, ne quis opibus suis privetur ac spolietur, ut Dux Elector Saxoniæ aliique conjuncti talia spiritualia & Ecclesiastica bona in integrum restituant, vel saltem Cæsar. Majestati, tanquam supremo Domino & Romanorum Imperatori, administranda committant. Quo facto Cæs. Majestas per certos quosdam viros ad eam rem delectos, reditus, decimas & tributa omnia suo nomine exactura & reservatura est ad usque Concilii futuri tempus, in quo quid de iis à Cæsar. Majestate decretum fuerit & conclusum, juxta tenorem determinationis & decisionis illius, firmum sit & immotum.

6. De his omnibus hactenus enumeratis, quid sui animi & sententiæ sit, ut vos Electores Principes & Sacri Rom. Imperii Ordines vicissim significetis, C. M. clementissime postulat, ut quid sibi omnibus in casibus, qui accidere possunt, per idonea media faciendum sit, scire & perspicere possit. Addatis etiam & subjiciatis, quæ facere in animo habeatis, & qua in re Cæs. Majestati opem ferre & subsidio esse velitis, & hoc vos facturos esse C. M. nullo modo dubitat. Deliberetis quoque ac perpendatis,

pendatis, qua ratione remedium dissensionibus istis commodissime parari possit, si fortasse Dux Elector Saxoniæ ac reliqui conjuncti Principes finaliter in sententia sua permaneant ac perseverent, ut nihil aliud, quàm quod in Sacri Rom. Imp. utilitatem, salutem, quietem, pacem ac concordiam cedare possit, suscipiatur ac definiatur.

CAROLI V. IMPERATORIS AUGUSTI

DECRETUM IN CAUSA RELIGIONIS

Anno Christi 1530.

Factum in Comitiis Augustanis, in pleno Principum Senatu, aliisq; omnibus Ordinibus & Civitatum Legatis præsentibus, Anno Domini MDXXX. die 23. Septembr.

POstquam Cæsarea Majestas communem Conventum Ordinum Imperii ad diem octavum Aprilis elapsum, in hac urbe Augusta indixit, ut de totius Imperii & Orbis Christiani, ac Theutonicæ Nationis negotiis, & inprimis de dissensionibus in sancta fide & religione Christiana pie componendis agi & decerni posset & deberet, ac ut omnia commoda via & salutari ratione administrarentur, de dissensionibus, in causa sanctæ religionis & Christianæ fidei componendis ageretur, & in hac causa religionis erroribus præteritis Christo condonatis partium opiniones ac sententiæ inter se, in caritate, lenitate & mansuetudine mutua audirentur coram, intelligerentur & ponderarentur, ac illis, quæ utrinque in scripturis secus tractata aut intellecta sunt, sepositis & correctis, res illæ ad unam simplicem veritatem & Christianam concordiam componerentur & reducerentur, & de cætero à nobis una, sincera & vera religio coleretur & servaretur, ut quemadmodum sub uno Christo sumus & militamus, ita in una etiam Ecclesia Christiana, in unitate & concordia vivere possemus, ac pax & tranquillitas per omnes Imperii fines in his & aliis negotiis decerneretur, constitueretur atque conservaretur, quarum rerum, ut & aliarum omnium, Cæsareæ Majestatis literæ indictionis prolixiorem faciunt mentionem.

2. In quibus Comitiis Cæs. Majestas, Electores, Principes & alii Imperii Ordines agminatim comparuerunt: hocque facto, Cæsarea Majestas cum prædictis Electoribus, Principibus, Prælatis, Comitibus, Imperii Ordinibus & absentium Legatis, omnia puncta & articulos in literis indictionis comprehensos, præcipue vero articulum, de erroribus & dissensionibus, in nostra sancta fide & Christiana religione, tollendis & componendis diligenter tractandum suscepit, ac juxta easdem Indictionis literas unicuique, qui de erroribus fidei aliquid in medium adducere vellet, nominatim vero Electori Saxoniæ, Georgio Marchioni Brandeburgico, Ernesto atque Francisco fratribus & Ducibus Lunæburgensibus, Philippo Hassorum Landgravio, Guolphgango Ascaniæ Principi, & Noribergæ, Rutelingiæ Campadoni Hailbronnæ, Vuirshemii & Vueissenburgi Civitatum Legatis, mandavit, ut opinionem & confessionem suam scripto comprehensam offerrent, eamque oblatam & præsentibus omnibus Electoribus atque Imperii Ordinibus prælectam audivit, & re diu multumque deliberata, postea firmis sacræ Scripturæ testimoniis refutavit, ac multo tam suo quam reliquorum Ordinum labore rem eo deduxit, ut primo quatuordecim utrinque ex Principibus & aliis, deinde vero sex personæ delectæ de concordia & pace constituenda agerent, quæ etiam multa actione & magna diligentia effecerunt, ut in quibusdam fidei articulis cum reliquis Electoribus Principibus & sacri Imperii Ordinibus Protestantes convenirent, in quibusdam vero à Cæs. Majestate & communibus Ordinibus diversum sentirent.

3. Ut autem Cæs. Majestas demonstret & ostendat, quàm nihil impotenter, cupide aut pro sua libidine gerat faciatque, & quàm sit amans publicæ pacis & tranquillitatis præcipue per Germaniam constituendæ, singulari quadam benignitate atque clementia Electori Saxoniæ, quinque Principibus & sex Civitatibus ad decimumquintum usqua diem futuri mensis Aprilis deliberandi spatium largitur, ut interea reputant secum atque statuant, num in iis dogmatis, quæ reliqua sunt, idem quod Pontifex, quod ipse & alii Electores, Principes & Imperii Ordines, ac quod universus denique Orbis Christianus, adusque Concilii tempus, profiteri velint necne. Interea temporis Cæs. Majest. quoqua deliberabit, quid sibi in hac causa agendum & statuendum sit. Intra decimum vero & quintum Aprilis diem Elector Saxoniæ, quinque Principes & sex Civitates, quid suæ mentis & sententiæ hac de re sit, Cæs. Majestati literis sigillo suo signatis significent, id quod Cæsarea Majestas etiam est factura.

4. Imperatoria Majest. etiam vult, atque serio præcipit, ut interea pacem per Imperium colant omnes, ne Saxo Sociique novi quid de religione, suis in Principatibus, Diœcesib. & ditionibus typis procudi, venale haberi aut vendi patiantur, ne vel ipsi, vel eorum subditi quenquam ad suam religionem, ut hactenus factum est, cogant pelliciantque, ne veterem religionem sequentes, cujuscunque dignitatis & ordinis sint, quo minus id faciant, ulla ratione prohibeant, nec denique Monasticis utriusque generis personis, quo minus & sacra peragant, & delictorum audiant confessionem, & cœnam Domini suo more administrent, ullum facessant negotium.

5. Ad

5. At hoc ut prædictus Saxoniæ Elector, quinque Principes & sex Civitates, cum Cæs. Majestatis Electoribus, Principibus, ac sacri Imperii Ordinibus deliberent, quomodo coercendi & puniendi sint Anabaptistæ, & ii, qui de Cœna Domini secus, quam Ecclesia, docent, nec in hac causa se à Cæs. Majest. aliisque Electoribus & Ordinibus sejungant aut segregent, sed suo quoque consilio rem juvent atque promoveant, id quod authoritate Cæs. Majestatis omnibus Electoribus, Principibus & Imperii Ordinibus permissum, ut supra dictum est, & promissum fuit in tantum, quantum juris & potestatis ea in re quilibet habet.

6. Postremo quia multo iri tempore in Ecclesia nullum generale Christianum & liberum habitum est Concilium, & vero tam in hoc civili, quam in Ecclesiastico statu, multi abusus aliaque onera irrepserunt, quæ emendationem requirunt, Cæs. Majestas de reformandis Ecclesiis & tollendis corruptelis cum Pontifice deliberavit, ac de consilio omnium Electorum, Principum atque Ordinum in Comitiis Augustanis congregatorum decrevit, apud prædictum Pontificem, Christianos Reges & alios Dynastas operam dare, ut generale & liberum Concilium intra semestre tempus post finem Comitiorum in loco idoneo denuncietur, & intra annuum spacium, post datas Indictionis literas inchoetur, indubitata spe, illud unicum fore remedium, per quod Christianæ societati, tam in Ecclesiasticis & spiritualibus, quam in Politicis & civilibus negociis publica pax atque tranquillitas restitui & conservari possit.

CÆSAREÆ MAJESTATIS
RESCRIPTUM
DE DECRETO RELIGIONIS RECIPIENDO,
SENATUI AUGUSTANO.

Anno Christi 1530.

Decretum Religionis cum pleræq; omnes Civitates approbassent, soli Augustani, Ulmenses, Francofurdiani & Hallenses deliberandi & ad suos referendi tempus petierunt.

IMperator CAROLUS Semper Augustus, Dominus noster Clementissimus, vestram sententiam de Decreto in Religionis causa facto, quod vos admittere non posse dicitis, audivit, illudque à vobis repudiari & declinari summopere miratur, cum consilii & facti vestri nullas rationes aut causas probabiles in medium afferatis vel exponatis. Imperator enim numquam existimavit fore, ut vos à Majestate ipsius, Romanorum Imperatore & Domino vestro legitimo segregaretis, in hoc nequaquam majorum vestrorum vestigiis insistentes, qui Cæsareæ Majestati ejusque antecessoribus debitam semper obedientiam & reverentiam præstiterunt.

2. Adhoc ignorare non potestis, qualia & quanta ab Imperatore Maximiliano, felicis recordationis, & tota domo Austriaca in vos profecta sint beneficia, quæ proculdubio recenti etiamnum memoria tenetis & recordari potestis, cum nec obscura & exigua illa sint, & quotidie ante oculos vobis posita sint & obversentur.

3. Quare Romanorum Imperator, Dominus noster Clementissimus, etiamnum postulat, præcipit & mandat, ut re bene probeque deliberata, Decretum in Religionis causa factum admittatis & approbetis, cum & Hispanicum ante hoc tempus admiseritis, & hoc Decretum antiquæ Religioni & Christianæ fidei consentaneum esse, multis sacræ Scripturæ testimoniis probari & planum fieri possit, quod & majores vestri ratum habuerunt & probarunt, præsertim cum ad futuri liberi & oecumenici Concilii judicium & authoritatem sese referat.

4. Igitur Invictissimus Romanorum Imperator denuo severe præcipit & mandat, ut Decretum admittatis, nec à Majestate ipsius, Domino vestro legitimo vos sejungatis. Imperator enim Christianissimus, Dominus noster Clementissimus, de animæ suæ salute non minus, quam alii, est solicitus, & conscientiam quoque habet, quam puram & bonam retinere cupiens à recta veritatis via illibenter certe declinaret & aberraret, multo minus sciens alios in errorem induceret.

5. Si vero hanc prætenderitis causam, vos quidem Decretum libenter admittere & ratum habere velle, nisi à civibus & subditis vestris id facere prohiberemini, tum Cæsarea Majestas bona fide promittit, se patrocinio & authoritate sua vobis adfuturam & operam summam daturam esse, ne vulgus proterve tumultuans principatum obtineat, id quod etiam in rustica na seditione prohibuit & avertit. Nam Romanorum Imperator, Dominus noster clementissimus, facile conjicit & intelligit, fore ut ejusmodi seditionis periculum in vos præcipue opinione virtutis & justitiæ celebres & opum multitudine affluentes redundet ac convalescat.

6. Igitur Maj. stas ipsius plane sibi persuadet, si vos exemplo vestro præ eesseritis, & illius causæ, cui favere & patrocinari videmini, suspicione vos exolveritis, facile cives in officio retineri & adigi posse, ne se à Cæsarea Majestate & Senatu segregent atque sejungant, sed præeuntium vestigiis insistant & in hæreant. Quod si post hanc Clementissimi Imperatoris admonitionem proterve & contumaciter facere perrexeritis, nec Majestati ipsius morem gerere & Decretum admittere volueritis, futurum est, ut hujus rei culpam omnem vobis adscribat, ex quorum officio est, subditos rebelles, inobedientes & seditiosos punire & compescere, sicut in tumultu rusticano factum esse meminimus.

7. Ad

7. Adhoc facile videre & intelligere potestis, Cæsareæ Majestatis authoritatem & existimationem per hoc vestrum factum valde imminui & elevari, qua præsenta tale quippiam facere non veremini, aliis etiam inobedientiæ & securitatis causam præbentes. Quæ res, cum Cæsareæ Majestatis personam à Deo ei impositam & divinitus concessam authoritatem mirum in modum elevet & conspurcet, serio ac severe mandat & postulat, ut de toto negocio diligenter deliberetis, ac, quid vestræ mentis ac sententiæ de eo sit, liquido respondeatis. Actum die Sabbato post Martini, quæ fuit 13. Novembris, Anno MDXXX.

FERDINANDI REGIS ROMANORUM EDICTUM

DE EXPEDITIONE CONTRA TURCOS FACIENDA.

Anno Christi 1531.

FERDINANDUS Rex Romanorum, Hungariæ & Bohemiæ, Sacri Romani Imperii Principibus. Non vos fugit, Principes magnanimi, Divum MAXIMILIANUM Augustum, parentem nostrum has nobis olim paravisse nuptias; hunc matrimonii illius sanctissimi inter nos & Annam conjugem, Reginam nobilissimam, sponsorem fuisse & paranymphum; qui inter cæteras conventiones, & hanc dotalem nobis præscripsit legem, ut si Ludovicum Regem, quem tunc unicum *Vladislaus habebat filium, sine herede legitimo decedere è vita contingeret, superstite Anna sorore conjuge nostra, ut ipsa prole fœcunda vel nos ipsi loco illius & jure maritali succederemus in Regnum. Non displicuit id seni Vladislao, & idem quoque appositis diplomati sigillis Regni Proceres comprobarunt. Migravit ex hac vita communi fatorum ordine Vladislaus; nec diu post & Ludovicus dira morte (heu horret animus dicere aut meminisse) à bestia illa Turcica fuit peremptus, patuit nobis, existente conditione, & ex pacto convento, ad Regnum aditus; sed dum huc juris suffragio fulti nitimur, solus Joannes Waiuoda nos hinc contra omnem rationis æquitatem amoliri conatur, & nec hominum fidem, nec Dei religionem respiciens, Solymannum Turcam sola invidiæ præpotentia & dominandi libidine ductus orbis in ruinam, & adversum nos solicitare est ausus, qui occupatis jam pridem antea firmissimis quibusque certum nunc miseris Hungariæ populis minitatur exitium. Nisi igitur his vestra ope, vestro auxilio, celerius succurreritis, actum erit dubio procul de tam nobili Regno, sed ne vos tunc quidem & Germania vestra à periculo & interitu longe aberitis. Nam statim ac insigni præsidio illo latus vestrum nudatum fuerit, & fortuna quoque vestra, tanquam in præcipitio posita, nutare incipiet. Nostis enim & vos ipsi multis exemplis admoniti, quam pertinax sit hostis ille truculentissimus. Serpit namque ignis more, ut plurimum vicina quæque devastans. Quare si vos sociorum miseria & infelicitas, qui hucusque non secus ac fideles Limenarchæ quidam, pro Imperii Romani & Reipublicæ Christianæ incolumitate tam diligenter vigilarunt, nihil movet, at moveat vos saltem patriæ vestræ, atque religionis communis pietas & salus: arma, arma (inquam) jam tandem non pro sociis his solum, qui sanguinem suum toties pro vobis & rebus vestris, veluti largo imbre quodam profuderunt, sed etiam pro vobis ipsis, pro liberis & conjugibus vestris, pro focis & aris, spiritu magno & Germano corripite. Neque enim nunc diutius, & donec hostis intra limites receptus fuerit, expectandum. Nam tutius longe est, si Scipioni Africano credimus, bellum foris & procul à patria, & in solo alieno gerere, quam hostem proprios intra terminos receptum ignaviter sustinere.

*Hungariæ & Poloniæ Rex.

D. KARV-

CONSTITVTIONES D. KARVLI V. IMP. CÆS. PP. AVG. INVICTISS. ET GLORIOSSIMI PRINCIPIS, SACRIQVE IMPERII ROMANI ORDINVM

Anno Christi 1532.

Interprete Georgio Remo IC. & Patritio Augustano.

LEGES CAPITALES, SIVE CONSTITVTIONES CRIMINALES PVBLICORVM JVDICIORVM.

PROOEMIVM CONFIRMATIONEM LEGVM publicorum Judiciorum continens.

KARULUS QUINCTUS, favente Dei clementia, Imp. Rom. perpetuum Augustus, Rex Germaniarum, Hispaniarum, Siciliarum, Hierosolymorum, Pannoniarum, Dalmatiæ, Croatiæ, Sardiniæ, Corsicæ, Balearum, Insularum Canariarum, Indiarum, & littoris Oceani, Dominator, &c. Exarchus austriæ, Dux Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, Limpurgi, Geldriæ, Wirtembergæ, Calabriæ, Athenarum, Neopatridis, &c. Comes Habespurgi, Flandriæ, Tirolis, Gontii, Atrebatum, Burgundiæ: Palatinus Hannoniæ, Bataviæ, Zelandiæ: Landgravius Alsatiæ, Marchio Burgaviæ: & Princeps Sueviæ, &c. Dominus Phrisiæ, &c. PIUS, felix, inclytus, victor ac triumfator: Judicibus, & cupidis Legum studiosis, S.

Posteaquam apud Majestatem nostram ab Electoribus Septemviris, Proceribus, Principibus, necnon reliquis sacrosancti Imperii Romani Ordinibus diu multumque conquestum fuit, in multis passim minorum oppidorum & communitatum foris, homines tam veteris juris, quod ne summis quidem labris degustarint, quam novissimarum Constitutionum, à majorum honoratissimæ memoriæ prædecessorum nostrorum oraculo, atque etiam ore nostro prodeuntium ignaros, cæterisque in rebus ad judicia eorumque exercitationem pertinentibus minime expertos versari: Et eorum quidem alios judicum seu Sculteторum, alios Adsessorum seu Scabinorum personas magis ludere quam agere; idque non sine pernicioso Reipub. dedecore: Sane nos pro eo ac debuimus, isto malo medicam manuum adhibere cogitavimus sedulo.

1. Nam cum ante omnia nobis incumbere non ignoremus, ut pacem (qua mortalium generi ab immortali Deo nihil majus, neque melius, nihil præstantius neque optatius dari in hac quidem vita potest) & publicam omnium quietem summo studio atque vigiliis curemus & conservemus: quam iniquis judicum, cum imperitorum, tum callidorum sententiis labefactari ac plene convelli constat; eo justiorem hanc Procerum atque Ordinum querelam esse cognovimus. Tales enim judices (ut de iis aliquid attingamus) quia cotidie plurima contra jus scriptum, sanctas & à nemine violandas Leges, sanam denique rationem committere, necessum est: duo periculosissima Reipub. vulnera infligi, hoc est, maxima & irreparabilia emergere incommoda, cum pacis publicæ jactura, contingit: quorum alterum est, insontes in vincula conjici, quæstionibus temere subjici, & majori etiam audacia pœnis immeritis affici: alterum vero, criminum veré reos diuturna & fraudulenter interposita mora, non sine accusatorum frustratione, ac subdola elusione, justæ condemnationi eximi, & carceribus liberatos absolui: quod nihil aliud est, quàm peccandi impunitatem in medium effusis habenis proponere.

2. Atque hæc quidem, dum pessimis hactenus fiebant exemplis, neque ulla de corruptelis ejusmodi tollendis, judiciisque convenienti formæ restituendis, spes aliunde affulserat; ne judicia plane corruerent, & Justitia penitus exularet, metuendum erat. Ideo nos, ne talia scientes dissimulando ac tolerando adprobare, qui prohibere possemus, videremur, ut sanis occurreremus consiliis, manifesta crebraque flagitatione officium nostrum interpellatum est.

3. Constare igitur omnibus debet, quàm ne hunc quidem in toga laborem non contemnendum, non magis quam bellicos sudores subterfugere, & istud in nobis diutius desiderari votis hominum voluerimus. Novimus enim, omnem boni Principis laudem (quam meritò affectamus) in eo consistere, ut sit ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς, κρατερός τ' αἰχμητής, & tam legibus armatus, quam armis decoratus: qui non, quam latissime, sed quam laudatissime fines suos gubernare studeat. Unde nos quoque pro salute eorum, qui Sacros. Rom. Imperio parent, domi, foris, bello & pace, dies noctesque desudamus, ab eo usque tempore, quo fortissimo, dum fuit, heroi, Divo Maximiliano, opt. Principi, à Deo coronato, avo nostro, Septemvirûm creandis Cæsaribus suffragiis in Imperii, ac virtutis, ni fallimur, heroicæ successione subrogati sumus. Et sane perquam felix noster ad hujus honoris fastigium ingressus fuit; quo divina Orbi lux inducta est: cum illis annis Cimeriis depulsis tenebris, quæ artes omnes & liberales professiones obsidebant, disciplinarum atque linguarum dignitas ubique terrarum refloruit.

4. Præ-

4. Præterea & bellicos sudores non paucos neque sine arduis periculis confecimus, qui in Insubribus, clientium nostrorum industria & peritia, hostium Rege ad Ticinum capto, & Mediolano, regia urbe, recuperato inexspectata victoria potiti sumus. Paulo post, URBEM, fatali periodo & ordine urgente, in ordinem redegimus: Diadema etiam, gestamen nostrum, solemni ritu & ceremoniis receptis, Bononiæ suscepimus. Tandem, quod non solum nomini nostro apud subjectos nostros, sed omnes omnium nationum & ætatum homines (nulla factum nostrum oblivione obliteratura) longe gloriosissimum futurum auguramur: auxiliatrice supremi Numinis gratia, quæ conatibus magnanimis à nobis susceptis hujusque propitia favit, infensissimos CHRISTO, & Christiano sanguini hostes, Eoos Getas, crudelissimos Turcas, PHILIPPO COMITE PALATINO Principe, ductore, è Germaniæ finibus, victricibus aquilis, ejecimus, expulimus, propulsavimus, & barbaricam proterviam attrivimus: tum videlicet, cum VIENNAM obsidione, Christianos vero pene cunctos internecione opt. max. Dei munere peculiari liberavimus: cum invictam, cœlestique præsidio munitam urbem tyranni faucibus, velut alterius Caci, vastationes & incendia spirantis, præripuimus. Jam, quid non posthac auxiliis Dei speremus & exspectemus? Animum paratum ad præclara facinora geramus, & semper in procinctu stemus.

5. Quare devicto Solemanno, pacatis & compositis Imperii rebus, inter alia, quæ nos urgebant negotia, ad publicorum judiciorum Leges renovandas, atque in usum revocandas mature descendimus: ut tanta mala, quæ ante commemoravimus, anticipantes, Reip. corpus saluum & incolume præstemus, è quo cum labes & vitia atque corruptelas noxias tollimus, velm archiatrum quendam agimus. Nec alia de causa, Augustæ Vind. calatis celeberrimis comitiis, in frequentissima Ordinum panegyri, illustres viros, quorum præter facundiam, legum scientiam, solertiam, & circa jussiones nostras fidem ex multis rer. argumentis ante cognitam, pro auctoritate qua pollemus, convocavimus, eamque potestatem dedimus: quo, qua Juris peritia & variarum per Imperii provincias consuetudinum cognitione excellerent, rerum magis pondere, quam inani verborum disceptatione & opinionum compilatione, gravi LIBRO, Leges publicorum judiciorum hinc inde dispersas, & ante confuse tractatas, tum etiam per pravas, quæ caterva[...] irrepserant, consuetudines antiquatas, unum in fascem colligerent: materias, cæmenta, tigna, methodi ratione servata, peritorum instar architectorum, recte disponerent: ad nostri mores sæculi accommodarent: omnia ex æquo-bono statuerent: quem librum, Romanæ Karulinæ Nemesi, (non Adrastiæ, neque Rhamnusiæ, quas veteres memorant Geographi & poetæ) hoc est, justitiæ Vindici, quoddam velut augustissimum Templum per universas Imperii regiones consecraremus; Opus, Pyramidum situ perennius, quod nec Jovis ira, nec ignes, Nec posset ferrum, nec edax obolere vetustas.

6. Has itaque Leges, uti hoc codice perscriptæ sunt, cum nobis consignatas, ducentis & viginti plus minus articulis comprehensas in altera Augustæ Tiberii, altero à trigesimo anno celebrata Imperii Synodo viri illustres nostro mandatu obtulissent: & unanimi Ordinum calculo adprobarentur atque acceptarentur; eas promulgari, ac typis mandari curavimus. Et nunc quidem eas publice proponi, in auditoriis legi, doceri, explicari, allegari, in foro teri, judicando sancte observari volumus: ut quotquot in orbe Rom. legum studiosi erunt, hinc maleficiorum puniendorum ordinem discant: prudentes alios instruant: & qui potestatem legitime usurpant, hic habeant, quod jus gladii exercentes, tam pœnis reos addicendo sequantur, quam absoluendo insontes fugiant: & quotiescunque de causis capitalibus, quæ hominum caput, salutem, famam, fortunas, non oleum, triticumve legatum, neque stillicidium avertendum, aut flumen excipiendum, tignum immittendum, aut contra nec glandem legendam concernunt, decernendum erit, hanc in æternum valituram Constitutionum nostrarum Epitomen sibi ob oculos religiose versandam proponant. Quippe hæ sanctiones nostræ è vetustissimarum Civilium Legum fontibus ut plurimum haustæ, æquitati, quæ omnia antiquitate vincit, nec non aliis laudatis consuetudinibus sunt congruentes: ad quarum tenorem, superstitiosum sententiarum rigorem judices emollient; atque etiam intempestivam erga projectæ ac deploratæ malitiæ homines clementiam, quæ effeminatæ levitatis, non moderatæ lenitatis nomen meretur, penitus ex animis evellent: denique amicorum, quoties judicum induent personas, exuent.

7. Quod quidem quæ nos spes fovet longe optima, cordatos judices, depositis consultoribus pessimis, privatis affectibus, sponte sua, nullo exhortationum calcari adhibito, facturus confidimus. Sic enim sibi prudens & circumspectus judex tuto, & in hac vita, & in altera meliore, post mille exantlatos labores & devoratas molestias, præmia à Domino, politiarum & judiciorum auctore ac vindice pollicebitur: si modo, neque periculi à sceleratis metu, neque turpis lucri spe, quod Æquum Bonum erit ex recta conscientia & legum scientia, quarum meditatio frequentissima adprime necessaria est, judicarit. Hujus sedatæ administrationi accepta ferent cives, secundum Deum, bona plurima, securas opes, immunes à prædonum incursibus agros, inviolatam conjugum ac liberorum pudicitiam, commerciorum libertatem, & pulcerrimam quietem, denique juge religionis studium, atque Ecclesiæ Christi Halcyonia. Vere enim tunc apparebit, nullam aliam compendiosiorem esse viam, à fide Christi alienos, aut in avia dilapsos, in viam reducendi, & ad spontaneum Dei cultum revocandi, quam si verbo, & spiritus potentia hæreses convincantur; errantes sanabilesque cum mansuetudine tractentur. Minime verò quisquam vi, carcere, tormentis, flagris, ferro, fune, flumine, flamma ad colendum Numen, cui non nisi voluntaria mentis nostræ victima, & labiorum ac pectoris, non thuris neque hecatombes sacrificium probatur, à nostris judicibus cogetur: ut neminem unquam pientissimi Imppp. Constantinus Magn. Jovianus, Valentinianus, & alii, quorum Exempla Legis vicem

 præ-

præbent, & nos eorum vestigiis insistere laudis opus arbitramur, violenta coactione ad suscipiendam religionem adegerunt. Gentile enim & bestiarum nimis est, & eorum, qui homicidam spiritum ductorem ac doctorem habent, religionem carnificum taureis & eculeis inculcare malle, quam placide sententias conferre: quod Decium, Diocletianum, Maxentium, Maximinum, Julianum Parabaten, paganos, & Valentem Arianum, quos omnes tragicus fere excepit exitus, decet. Quare cum hoc ita multi Orthodoxi Episcopi & Ecclesiæ veræ Catholicæ Doctores sentiant, eum, contra qui sentit, non solum nihil, sed impie sentire, credere fas est. Et nos illis in re tanti momenti suffragari ac subscribere, quid vetet?

8. Quod cum revera ita sit, nos populi nobis divinitus commissi curam gerentes, ac saluti ejusdem, quæ prima, secunda & postrema lex est, consulentes, omnes omnium locorum Judices hortamur, ut à consiliis cruentis sibi temperent, neque ad crudelitatem se armari à male feriatis ac sanguinariis hominibus patiantur: ne adversus voluntatem nostram hic attestatam, limites officii egrediantur, manusque suas innocenti maculent sanguine. Quin recenti in memoria habeant, quod profanus cecinit vates, Ad generum Cereris sine cæde & sanguine paucos descendere tyrannos: potissimum vero, quod bis sanctissimus Psaltes repetiit: Ἄνδρα αἱμάτων βδελύσσεται Κύριος, &: ἄνδρες αἱμάτων οὐ μὴ ἡμισεύσωσι τὰς ἡμέρας αὐτῶν. Jure igitur merito maximum arbitrabuntur piaculum, ex præjudicii præcipitio, quacunque tandem in causa sit, quemquam indicta causa, non servata parti alteri illibata aure altera, condemnare.

9. Veruntamen nec in sinistram nutantes partem, apertis idolomaniis, blasphemiis, lychnomœchiis, vagis libidinibus, infanticidiis, conventiculis illicitis, habenas laxabunt: ita enim publica subverteretur pessumque daretur disciplina. nam pœnas ob maleficia solui, magna ratio suadet. Atque eum in finem bicipitem accepera rhomphæam Reges & Principes terrarum, qui regna & imperia sua in feudorum vicem à Deo agnoscunt, ut malum è medio populi eradicent: severissimum est mandatum, quod interpretationem omnem respuit. Statuant judices, & id juris condant, promant, quo ipsi uti non recusent. Hac autem adeo prolixa parænesi justis judicibus nihil opus esse quis dixerit? Ergo prævaricatores, callidi, & emptitii judices, qui è Jure Lesbiam faciunt regulam, norint, se primum implacabilem Dei iram, deinde & nostram & successorum nostrorum indignationes sensuros. Inveniant, qui tales sunt, sibi nunquam nutu adversans Numen; immature ex hac vita excidant potius quam excedant: incommodis insuper afficiantur perpetuis: eorum ædium fundamenta ignis tandem devoret, & posteritas eo redigatur inopiæ, ut panem ostiatim quæritet.

10. Ceterum, has dum in medium proferimus Leges, & Judiciorum capitalium ordinem integritati suæ restituimus; nihil Electorum Septemuirum, nihil Principum & Ordinum reliquorum, Nobilitatis, Civitatumque, privilegiis, prærogativis, regionum moribus, & à longissima annorum serie deductis consuetudinibus, quæ modo à recta ratione & Aequo Bono nihil discrepent, detractum volumus: ne quod bene salubriterque à majoribus diuturno studio introductum est, ex improviso turbare videamur: sed unicuique jus suum intactum illibatumque relinquimus. Valete. D. Augustæ Tiberiæ, in Comitiis. Anno ab orbe redempto M. D. XXXII.

IMP. KÆS. KARVLI V. PP. AVG. ET SACRI ROM. IMP. ORDINVM LEGES CAPITALES.

De judicibus, adsessoribus, consiliariis, senatoribus, ceterisque personis in judicio capitali versantibus.

Cap. I.

PRincipio, præcipimus, constituimus & mandamus, ut judiciis capitalibus, viri religiosi, honesti, integræ opinionis, prudentes, & rebus forensibus exercitati, hisque negotiis pares, habito delectu (in quibus eorum, qui stemmatis nobilitate, legumve scientia clari offerentur, ratio præ aliis habebitur) judices, adsessores, consiliarii, senatores (Sculteti & Scabini) atque etiam actuarii præficiantur. Qua in re magistratus superiores (qui judiciorum constituendorum jus, vel à nostra Cæsarea clementia, vel suo quodam jure, more majorum habent) adnitentur, ut tribunalibus capitalibus, de viris, quos istis dotibus largiter ornatos & laudatos esse oportet, quam rectissime prospiciatur: à quibus nemini injuria fiat, sed qui æquum omnibus jus, ἄνευ παθῶν καὶ προσωποληψίας dicant, reddant, condant, promant: idque ea de causa diligentius curabitur: quod permulti nonnunquam innocentissimi, de opibus, existimatione & sanguine periclitentur: qui si lædantur, omissis vere facinorosis, de publica salute actum conclamatumque esse, necessum sit. Unde hoc loci, si ullibi alibi, exercitata industria atque exercitatæ diligentiæ assiduitate, opus adprime esse nemo non sanus videt. Quare nec ullus adsessor, qui operam suam locat, neque judex ullus, aut quivis alius, circa tribunal versans, si jus aliter, quam oportuit, dictũ sit, imprudentiam, negligentiam aut imperitiã suam

suis

satis excusare poterit: Quin & harum legum robore atque auctoritate, ii magistratus, qui imperitorum aut socordium hominum opera utentur, præsertim in tanta eruditorum virorum hujus sæculi inesse ac copia, pro commissi ratione (quibus magistratibus, ne se præmonitos causari & conqueri possint, omnem excusationis colorem hoc in ipsius operis limine, & post etiam in calce, præcidimus) si quæ ad nos justæ, super denegata, aut minus quam oportuit bene administrata justitia, querelæ deferentur, jure merito puniendi venient.

2. Verum, cum nonnullos equestris ordinis homines, aliosque, quorum officii capitalibus judiciis præesse, eaque exercere fuerat, munus istud, Deo primum, deinde justitiæ, tum Reipubl. adeoque Majestati nostræ Imperatoriæ debitum, atque societati humanæ, non minus quam istius solis beneficium esse potest, necessarium, subterfugere, & subrustico (citra aliam justam causam) pudore tantum deterritos subire recusasse, ad nos delatum sit: quibus ante officio suo utiliter fungentibus, justis sententiis delicta punita, & malis multis ansa prærepta, occasioque præcisa sit: Hos eosdem nobilitatis insignibus conspicuos viros, cæterosque omnes, (quod judiciorum capitalium exercitatio non solum non debeat, neque etiam possit ullius bonam existimationem, aut prosapiæ laudem, vel bonos mores, ne hilum quidem apud bonos suggillare vel lædere: ac nemini vitio verti queat: sed contra longe verius sit, hac ex bene administratæ Reipubl. parte multos ad majorum honorum fastigium conscendisse, & principibus viris, à quibus laudari & amari magnus virtutis fructus, gratos, charosque effectos) iis qui hactenus judicia capitalia exercere neglexerunt, qua debent auctoritate & diligentia, quoties opus fuerit, præsidere vel adsidere, serio volumus & mandamus: Atque eosdem secundum à nobis promulgatarum legum tenorem statuere, judicare, decernere, & hoc in negotio progredi jubemus: Quod è re Reip. esse non ignoremus: vetustis è familiis ortos, bene eductos & educatos liberaliter, non levem apud vulgus & alios inferioris conditionis viros auctoritatem obtinentes, judiciis ipsosmet præsidere & præesse: à quibus lumen & dignitas toti curiæ accedat. Quare nobiles viri sua præsentia, judicium adsessorumque animos excitabunt, & erectos conservabunt: & judicii locum, qui idem justitiæ sedes & sacrarium est, cohonestabunt. Cujus in rei præmium, in omne ævum sub nostro & successorum nostrorum felicissimis Imperiis sua jurisdictione (in qua absit, ut impediantur ab aliis, aut interpellentur) læti utantur fruantur, atque gaudeant.

De officio eorum, quorum prædiis judicandi munus cohæret, & judices vel scabini esse nequeunt.

Cap. II.

SI quis eam ob causam, quod in territorio aliquo res soli, villas, castra prædiave habeat, possideat, capitale ejus loci tribunali præsidere vel adsidere teneatur: qui tamen morbo sontico, aliove animi vitio laboret: impubes, vel admodum senex aut militiæ addictus sit, judicio viribusve destitutus, aut ob absentiam necessariam, munus judicandi subire non possit; aut si femina sit, quæ res illas possideat, habeat: Horum seu unus, seu plures pro indiviso prædium, rem soli, possideant, habeant, de idoneo homine prospicient; si quem talem perspexerint, eumque ne judicum numero quidquam desiat, & justitiæ cursus remoram patiatur, magistratui probatum, cujus facultate admittetur, surrogabunt suum in locum.

Judicis capitalibus causis dati jusjurandum.

Cap. III.

JUro me in causis capitalibus non secus unquam judicaturum, quam legibus, moribus, constitutionibus proditum, consuetudinibus rationi convenientibus introductum sit: æquo omnibus, egenis, locupletibus, pueris, senibus, exteris, civibus, jure: ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροασάμενος: nullius gratia, odio, pollicitationibus aut donis me corruptum, æquum justum mutaturum, neutram in partem nutaturum: neminem indicta (quod nefas ultimum foret,) causa damnaturum: nunquam apud me, accusasse solum suffecturum. Inprimis vero capitales KARULI Quincti Imper. Aug. & Rom. Imp. Ordinum sanctiones religiose observabo: & quibus rationibus & modis, pro viribus, potero, sartas tectas tuebor. Quæ me, ut verbis concepi, ita omnia sine dolo, fraude, mala omni malitia, sancte servaturum, ad sancta Evangelia juro: SIC ME DEUS AMET JUVETQUE.

Adsessorum, consiliariorum, senatorum, qui judici capitalium rerum adsident, sacramentum.

Cap. IV.

OMnes itidem ii, qui adsessorum, consiliariorum, senatorumque officio fungentes, judici adsident, conceptis verbis, præeunte ad sacramentum deferente judice, hunc in modum jurabunt: *Juro me in causis capitalib. animi mei sententiam, legibus, constitutionibus, moribus congruentem, bona fide, quoties rogatus fuero, dicturum & declaraturum: & quantum pollebo, curaturum, ut pari jure pauperrimus æque ac ditissimus utantur: nullius me gratia, odio, promissis, muneribus datis, ullum relicturum locum. Ante omnia capitales Imp. Aug. KARULI V. & S. Rom. Imp. Ordinum, Leges, quantum mente perspicere, & animo percipere potero, stricte religioseque observabo, observatas sequar, sequendo defendam. Quæ sancte, sine dolo & fraude servaturum jurantem, ad sancta Evangelia, me Dominus Deus cœli terræque conditor juvet.*

Actuarii seu scribæ jusiurandum.

Cap. V.

JUro me, uti ex officio tenebor, in cunctis capitalibus bona fide & singularia, nec non diligentia accurata versaturum: Accusationum, Positionum, Exceptionum, Responsionum capita: indicia, præsumptiones, suspiciones, probationes, quæstionibus subjectorum confessiones, & quæ tandem cunque scribi, adnotari, insinuari, uti oportet, oportebit, ex muneris mei obligatione sedulo me consignaturum, custoditurum: ii me scripta, si petantur, debite recitaturum: Atq; in his dolum omnem abfuturum. Præcipue, capitales KARULI V. Imper. August. Ordinumq; Imperii Leges, & quicquid eam ad rem pertinebit, servaturum, adjuturum, promoturum: Ita me ad sancta jurantem Evangelia Deus amet atq; juvet.

De captura reorum Ex officio magistratus.

Cap. VI.

SI quis ob delictum in vulgus diffametur, vel alias indiciis verisimilibus, suspicionibus, præsumptionibusve oneretur; eaque de causa Ex officio magistratus in vincula conjiciatur: is non prius eculeo subjicietur, quam urgentibus præsumptionibus allatis, & indubitatis indiciis probaris, de crimine à reo patrato judici fides facta sit. Quare consulto fecerint judices, qui istas tanti ponderis causas tractant, si ante quæstiones, pro ratione cujusque delicti, & personæ discrimine, diligentissime, quantum eniti possunt, inquirant; & quid certi de facto apparere habereque possit, investigent; cujus is qui in vinculis est, insimulatur. Quod qui fiat, bono ordine pluribus enucleabimus.

Cap. VII.

SI judicem adsessoresque de hoc invicem dissidere contigerit: neque animis convenire possint, fatisne causæ sit captivum (ne quid temere fiat) torturæ subjici, vel secus: eo casu ad magistratum suum, seu Principem, sive Legatum ejus, qui eo loci Potestatem obtinet, de lite sua dissidentes referent: simulque ea, quæ circa captum acta sint, quæ contra eundem diffamatio emanarit, quæ indicia suspicionesque adsint, in scripta redacta transmittent, & se responso edoceri patientur. Poterunt autem & Prudentes consulere: quod quale sit, suo loco videbimus.

Cap. VIII.

SI de delicto, quod capitis supplicium mereatur, constet, & (ut loquuntur) notorium sit, aut ejus indubitata indicia probata sint: is modus in quæstionibus, & aliarum rerum, quæ ad investigandam facti veritatem, & convincendum reum spectabunt, servari debet, qui vero ordo, & progressus in iis, qui accusatorem inscriptum nacti sunt, servandus, paulo post adnotabitur.

Cap. IX.

AT si reus delictum, neque sponte, neque (doloribus eculei spretis) per tormenta fateri velit, cujus tamen criminis, quod proterve negat, coargui possit, tunc ea agendi ratio, qua reus nolit velit convictus fateri cogatur, & is de delicto cognoscendi processus observandus, quem itidem in iis servari, qui accusatorem suum habent, mox ostendemus.

Cap. X.

SI verò quis plena, manifesta, & numeris suis absoluta probatione delicti reus peractus sit: & ob admissum à magistratu Ex officio (quo Justitiæ indissolubili vinculo obstrictus tenetur) puniendus sit, secundum nostras Romanique Imperii Ordinum sanctiones eo pœnæ genere, quo neque vita ei auferatur, neque etiam (quæ duo æquiparantur) perpetuis vinculis addicatur, sed (verbi gratia) membro mutiletur, castigetur virgis: in ejusmodi pœnis decernendis quid fieri velimus, capite centesimo nonagesimo sexto exponemus.

De captura reorum, contra quos se accusator offert.

Cap. XI.

ACcusator, qui à magistratu vel judice adito, alterum quempiam publicis constringi vinculis petit, primum delicti à delato commissi genus, ejusque indicia certa, quibus postea latius ac sufficienter probatis pœna decernenda sit, summatim edere debet: (Neque satis erit, ob hominum scilicet, suo quandoque damno etiam innocentium famæ & saluti insidiantium, malitiam, de accusatione persequenda accusatorem satisdare) & una se cum delato custodiæ offerre. Quod si præstitent accusator, vinculis demum accusatus constringetur: accusationis autem capita ab actuario diligenter consignabuntur. Ubi silentio præterire non possumus, quod olim juris religiosissimus Ulpianus prodidit: Carceres ad continendos homines, non puniendos, aut excruciandos, aut male tractandos haberi atque destinari debere. Quibus & illud addimus: Quoties plures ejusdem delicti socii fuerint, segregandos esse; ne de confictis confessionibus edendis clam conspirent: aut de supprimendo crimine deliberent. Unde major difficultas verum probandi accusatori, tum etiam inveniendi judicibus molestia creetur: carceres itaque pluria habere receptacula consultum fuerit.

De

De detinendo accusatore, donec idoneè caverit.

Cap. XII.

IGitur, cùm delatus in carcere erit, accusator aut procurator ejus, quem cum mandato accusationi substituit, custodiæ dari debet, quousque prædibus prædisve caverit. Quam satisdationem Judex una cum quatuor adsessoribus seu consiliariis suis, pro gravitate causæ & accusatoris reique dignitate, decreto interposito, moderabitur, & oblatam accipiet. Id quod hunc in modum fiet, ut Accusator, si accusationem ad exitum non perduxerit, aut in probatione succubuerit: Hoc est, si crimen objectum, indiciis legitimis & certis intra tempus modicum, vel constitutum à Judice diem non ita quidem verum esse evicerit, ut judicibus singulis, majorive judicum parti satisfecerit: vel etiam tota inferior sit causa: his casibus omnes litis impensas solus sustineat: & delato omne damnum, quod eam ob causam, quia in mala mansione fuerit detentus, tam in bonis, quàm in corpore & famæ læsione passus est, protinus & penitus resarciat: quemadmodum fere in civilibus causis, in quibus victus victori in impensas & omnem causam damnatur, jure observari atque pronunciari solet. Et ut falsò delatus qui absolutus est, jactutæ à se factæ restitutionem eo certiorem consequatur: eidem, vel apud judicem (accusatoris forum sequendo) ordinarium, vel capitalem eundem judicem, quo cognoscente se purgavit, accusatorem suum pro restitutione omnium à se factorum damnorum, judicio convenienti optio datur. Quæ res citra solemnitatem strepitum, & figuram judicii (præciso accusatori omni provocationis ulterioris remedio) summarie & de plano decidi debet. Id autem hic jubemus accipi, ut quoties judex capitalis cognoscet, nullum aliud jus in alterius fori accusatorem reconventum seu citandi seu pignora capiendi sibi quæsitum, postquam lis de restitutione damni finita erit, intelligat.

De satisdatione accusatoris, cum delatus quidem admissum fatetur, sed excipere poterit.

Cap. XIII.

CUm delatus delictum quidem non inficiabitur, sed facti tamen sui causas legitimas (velut cum quis inculpatæ tutelæ exceptionem opponet) afferre possit, quibus probatis reatui eximatur: Accusator contra vehemens replicet, falsas & fictas esse, neque admittendas, ac de iis dispici debere contendat: Is accusator in tantum cavere, quantum judici & adsessoribus quatuor cognoscentibus, pro personarum & causæ quantitate ac qualitate videbitur, debet: Eum scilicet in finem: ut si delatus causas allegatas sufficienter probaverit, neque capitalem subire sententiam cogatur; adversus accusatorem suum regressum habere, ut loquuntur; & ab eodem, de damno ex carceris causa illato sibi satisfieri desiderans, expensarum & incommodorum compensationem eodem judicio exigere possit: ac tum accusator delato in omnem causam damnabitur. Qui verò, ab exacta & præstita cautione, admissum jure defendi possit, & quis in tali causa cognoscendi progressus institui debeat, capite supra centesimum quinquagesimo primo latius exponemus.

Cavendum autem judicibus singulariter, ne quemquam facile, ante legitimam defensionis per exceptionem peremptoriam peragendæ cognitionem, ad tormenta deposcant.

Accusator, si vades dare nequeat, qua ratione detineri debeat.

Cap. XIV.

ACcusator quamdiu vadimonium sistere non poterit, accusationem autem cœptam persequi velit: una cum delato usque ad pleniorem cognitionem, an indicia contra reum sufficientia sint, necne, vel carceri mancipabitur, si judici pondus causæ & personarum dignitatem perpendenti videatur: vel custodiæ tantum dabitur. Utrique interea tam reo quàm accusatori (æquitate, quæ neminem in suo jure impediri, aut juris sui usu prohiberi patitur, suadente) integrum liberumque esto, eos ad se accersi jubere, quorum hic quidem fidejubendo, vel intentatum crimen probando, ille verò defendendo se, & objecta repellendo, opera uti voluerint: & ita accersitis liber accessus & abitus concedi debet. Quo pertinet: Quoties Ecclesiastici vel Politici (Sæculares vocant) Principes, aut aliæ in dignitate illustri collocatæ personæ accusationem contra inferioris conditionis hominem instituunt: ejusmodi vadem, qui delato par, & nihilo inferior sit conditione, in judicio sistent, & custodiendum vel carceri immittendum dabunt: qui vas si alios rursus vades offerre, aut cautione quavis se liberare possit, dimittetur.

De alio cautionis genere, cum accusator indicia probarit: aut suapte sponte manifestum delictum sit; notorium vulgus appellat.

Cap. XV.

ACcusator, quoties justam delationem suam per indicia satis probata ostenderit; aut ipso facto crimen notum omnibus sit, reus verò, accusatoris objectionem, excipiendo, quo reatui eximi possit, depellere nequeat: Tum accusator iste accusationem suam, qua ad pœnam capitalem agit (ut hisce nostris Imperiique Ordinum sanctionibus cautum est) persecuturum se, judicialiter cavebit: cavere aliud ne cogatur. Quo sic jacto totius negotii fundamento, reoque in vinculis constricto, actuarius, (qualem singula judicia capitalia obstrictum sibi habebunt) pro suo munere, quæ accusatio-

nes, exceptiones, satisdationes, interrogationes, quæstiones, confessiones, inquisitiones, delictique commissi evidentes demonstrationes incurrent, proponentur & exhibebuntur, quæve alia incident, & quam tandem sententiam ferri continget, diligenter omnia & singillatim consignabit. Sed quæ actuarii partes sint, ubi commodios erit, prolixius declaraturi, hic exponere supersedebimus.

De notoriis delictis seu criminibus manifestis.

Cap. XVI.

ADmonendi nobis sont tam jodices, quam adsessores (aut quodcunque aliud, ii, qui judici adsident, vel adsunt, nomen sint sortiti) ut, delicta, (extra tameo quam justis de causis ultimo supplicio multari non debebunt) quoties manifesto de iis liquet, aut ex indiciis certissimis ita ad oculum probantur, ut de iis amplius dubitari fas non sit: verbi gratia, si quis pacem publicam, consulto, sciens prudens violet, hostemve se alicujus palam dictis, pactis profiteatur & gerat: aut, si quis in crimine aliquo ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehendatur: aut, si quis rem à se furto manifesto ablatam, raptove possessam, abalienare deprehensus sit: quæque ejus generis erunt delicta vel crimina comperta, & luce meridiana clariora: delatum & in carcere custoditum, si sorte præfracto animo, & perfricta fronte admissum negare, testibusve oculatis contra stare audeat, vi tormentorum ad confessionem adigant: & veritatem, quo suo ipsius ore convincatur, (suo ipsius gladio, quod ajunt, juguletur) hoc pacto exsculpant. Quam, good abesse non potest, si obtinuerint, sententiam ferre maturent, ut sumptibus, præsertim supervacuis, parcatur: & justitiæ omoibus modis satisfacientes judices executionem sententiæ minime differant. Interest enim Reip. & ipsorum puniendorum utilitas in eo versatur, ut mortuis quam citissime adnumerentur, qui vita indignum patrarunt. Denique ut Deo gratum faciant, qui eradicari animam, quæ execranda commiserit, serio & sæpe præcipit: cui, secundum Stoicorum acutissimum philosophum, nulla mactari victima pinguior potest, quam homo sceleratus.

Delato in vinculis versante, accusatorem aliter territorio excedere non debere, quam locum certum nominarit, ad quem ei, quæ cum reo aguntur, denunciari possint, & unde citari queat.

Cap. XVII.

UT verò rarum & insolens non est, accusatione pendente accusatorem, negotiorum suorum causa abire & abesse cogi: nos & huic casui salubriter prospiciendum esse, necessarium duximus. Itaque Accusatorem, reo, ut dictum est, in carcere detento, sine permissu judicis, cui locum domumque idoneam, quæ commode atque sine periculo adiri & accedi possit, nominatim designabit, ad quam ea quæ opus sit, denunciare curet; neque aliter exire territorio debere, constituimus: Eundemque accusatorem volumus viatori, qui denunciat, à judicii loco ad nominatam à se domum decurrenti, in singulos lapides, ad viatici mercedem exsolvendam, è ejusque regionis consuetudine æstimandam, ex hac constitutione teneri: Atque loci situm, domusque nomen, quam accusator indicaverit, actuarius in acta judiciaria referet.

De indiciis delictorum criminumque: unde ea fere petantur & sumantur.

Cap. XVIII.

QUia hactenus juri communi convenientia, de reorum captura, accusatorumque cautionibus & aliis præparatoriis ad processum diximus: Nunc ut indiciorum, præsumptionum, signorumque (& unde peti debeant ac soleant, quibus legitime probatis ad quæstiones devenitur) materiam enucleatim explicemus, restat. Verum, quæ tanta personarum rerumque varietas est, & quod permulta, quæ uno quasi obtutu judicem adsessoresque considerare necessum est, incidere possint, singulorum casuum indicia & circumstantias enumerare nostri neque laboris (quia immensum foret) nec instituti ducimus. Ne tamen judices, adsessores, & quicunque delictis puniendis præfecti sunt, quos erudiendos suscepimus, plane ignaros dimittamus: age, quæ frequentiorum criminum & delictorum indubitata indicia & non contemnendæ præsumptiones feruntur, (quæ inspectio oppido necessaria) subsequentibus aliquot capitibus enucleatius exequamur.

De verbi, indiciorum, significatione.

Cap. XIX.

QUotiescunque posthac Indicia dicemus, monitos volumus omnes, à nobis τεκμήρια, σημεῖα, argumenta, suspiciones non leves, conjecturas jure probatas, adminicula, præsumptiones, & quæ id generis sunt, intelligi: idque eo consilio, ut verborum tum prolixitatem, tum ambiguitatem, si qua hinc oriri possit, evitemus, & spinosis hominibus occasionem argutandi hac velut falce præcludamus.

Ne quis sine legitimè probatis indiciis torqueatur.

Cap. XX.

SI quando legitima delicti, quod capto intentatur, indicia desunt, eaque probari legitime nequeunt, ad tormenta deposci nemo debet. Et, ut maxime fiat, reum per eculei cruciatus crimen fateri, ejusmodi tamen confessioni minime gentium credendum: & multo minus sententia ferenda est, Judex autem, aut magistratus, qui per culpam, errorem vel ignorantiam, aut fraudem contra

ea, quæ

ʃa, quæ hic inhibemus, quidquam commiserit, litem suam faciet, sive causæ faciendæ obnoxius erit, hoc est, in syndicatu, quem pragmatici vocant, tenebitur: io tantum, ut ei, quem adversus harum Legum præscriptum torsisse deferetur, insonti, quodcunque damni, ignominiæ, injuriæ, in bonis, fama, corpore, fecerit, acceperit, passus fuerit, compenset, restituat & resarciat.

1. Quam ob causam vetamus, ne quisquam judicum, magistratuum, urbiumve rectorum, contra illud cautionis genus, Urphedas idiomate Germanico vocamus, non ultum iri, (quibus à puniendis ex justa nempe causa de vindicta privata, nec per se, neque alios, nec elam, neque palam exercenda, judicibus capitalibus cavetur) jure judicio experiri volentem, qui se & injuste torum, & cautionem illam inique à se extortam docere possit, prohibeat: extra quam si vi, qua omnibus interdictum est, agere quidquam attentet.

Ne indiciis, quæ à Magis proferuntur, fidem judices adhibeant.

Cap. XXI.

NEmo, quod à mago, maleficasque exercente artes, crimen commisisse dicatur, & ad hæc indicia magi delatus sit, in carcerem conjici, multoque minus quæstionibus subjici potest. Quin potius & accusator & magus, cujus ille pseudovaticiniis malecredulus inductus quem detulit, uterque graviter puniendus est. Et si quis judicum ob magica indicia hominem in vincula conjici & torqueri mandarit: is delato in omnem damni, injuriarum, ignominiæ, & corporis dolorum causam, uti capite præcedente dictum, tenebitur.

Ad indicia criminis, accusatum torqueri tantum, non etiam pœna ultima affici posse.

Cap. XXII.

OBservandum est hoc loci: Neminem ad sola indicia, suspiciones, præsumptiones, capitis damnandum esse: sed indiciorum hunc esse usum, ut, si quæ contra accusatum habeantur, tuto torqueri possit. Namque ut quis ultimo percellatur supplicio, voluntariam rei de crimine admisso confessionem citra metum factam (id quod passim adnotatum his ipsis legibus reperire est) aut probationem plenissimam præcedere, omnino necessum erit. Igitur judex, qui hanc non obtinuerit, & præter indicia mera nihil præ manibus oculisve habuerit, atrocius quidquam ne statuat, cavebit.

Quomodo indicia, quæ ad torturam sufficiant, probari debeant.

Cap. XXIII.

QUodvis indicium, ad quod accusatus torqueri possit, duobus testibus idoneis probari debet; quod qui fiat, ubi de plena probatione pertractabitur, à nobis disseretur. Verum tamen, si id, quod in causa delicti præcipuum & caput est, uno exceptione omni majore teste probetur, ea, semiplena à Doctoribus practicis appellata probatio, sufficiens judicium præbet: quemadmodum capite XXX. ostendemus.

Ex indiciis nominatim hic expressis, ad non expressa, neque nominata, per comparationem arguere licere.

Cap. XXIV.

EX iis indiciorum & præsumptionum formis, quas disertis mox verbis exprimemus, argumenta, ad non expressa indicia, quoties similis militet ratio, deducere nil vetat. Fieri enim non posse, ut omnium factorum, quæ innumera cotidie accidunt, circumstantias indiciorum vicem præbentes, hac præsertim in Epitome, qua brevitati studemus, singillatim enumeremus, nemo non sanus agnoscit.

Indicia omnibus delictis communia quæ sint.

Cap. XXV.

ANte omnia videndum est judicanti, quæ in quovis delicto singularia sint, & ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ contingere soleant, & quæ inde indicia peti possint soleantque. Sed, ut maxime ea indicia, quæ ad quæstiones habendas sufficere inferius declarabimus, desint: ad ea quæ nunc ordine commemorabimus, judicem progredi animumque advertere consultum erit.

1. Primum perpendendum est, an delatus talis sit, & iis moribus, cujus fama laboret: qui à delicto, cujus insimulatur, non abhorrere videatur: &, num quid ante ejusmodi facinus commiserit, attentarit, aut admisisse convictus fuerit. Ista tamen tum demum fidem merebuntur, cum non à nihili hominibus, aut quibus cum delatus capitales gerit inimicitias, sed viris bonis, honestis, constantibus, à quibus nihil temere confingi appareat, in medium proferantur, aut prolata sint.

2. Deinde perspiciendum est, Delatusne suspectis in locis, & ad delinquendum aptis, visus, deprehensus fuerit.

3. Præterea, num in ipso admisso, ἐν ἔργῳ cum adhuc calentem tremulamque manum haberet; aut dum ad locum maleficio patrando destinatum se contulerit, vel discesserit, visus à quoquam sit; & si de facie cognitus non fuerit, quæri oportet, ao ex statura corporis, vel habitu ipso, vestibus, armis, equo, equique colore, aut aliis signis, dignosci potuerit: quæ in testium depositione diligenter advertenda erunt.

 4. Por-

4. Porro, numquid eum iis, qui eadem agant, iisdem assuevere, habitarit, familiaris fuerit, adlerit, salutarit, conventicula habuerit,

5. Item aliud indicium esto in cædibus, vulneribus: Odione prosecutus sit læsum, qui defertur, & inimicitias capitales, quibus reconciliatio nulla intervenerit, cum eodem gesserit minatusve sit. Et, Bonone fuerit, quod L. Cassius verissimus & sapientissimus judex, teste M. Tullio, in omnibus causis quærere solebat.

6. Sextum judicium: Num moribundus ex vulnere ipsemet suo ore certis de causis hominem certum constanti sermone incusarit, & accusationem ingeminarit, idque ante mortem solemni asseveratione testatum reliquerit, aut jurejurando confirmarit.

7. Penultimum: Num fuga, quæ consciam fere arguit mentem, sibi consulere voluerit: eamque arripere paraverit, aut fugiens apprehensus sit.

Cap. XXVI.

ULtimum iudicium: Num qua delato de patrimonio, cum eo qui occisus dicitur, aut de maxima bonorum parte, in qua maximam rei familiaris jacturam faciat, si causa cadat, lis fuerit. Namque iste (qua etiam de causa à tutela filiorum adversæ partis arcetur) si tantum non pro hoste aperto, saltem pro eo, qui summa invidia contra litigatorem suum flagret, ab ipsis legibus judicatur. Unde, si is, adversus quem litigat, clam occidatur, præsumi potest, eum ipsum adversarium, neque alium, homicidii reum: præsertim, si moribus talis sit, ut à cæde & sanguine alienus non censeatur: proinde, ni se legitime purgare possit, velitque, & in carcerem conjici, & ex hoc indicio torqueri poterit.

Canon, quo declaratur, quando ea indicia, quæ recensuimus, singula, aut juncta simul plura ad quæstiones sufficiant.

Cap. XXVII.

QUæ duobus capitibus præmissis octo indiciorum genera in medium attulimus, singula ad torturam nunquam sufficiunt: quod remotiora neque ipsi maleficio quasi insint & inhæreant. Sin verò plura, quæ contra accusatum recta faciant, concurrere deprehendantur; tum ii qui torquendi potestatem habent, prius rite recteque perpendent, suone pondere tantum ea plura indicia valere possint, ut æquiparari simul juncta uni eorum, quæ post indicabimus, digna sint, quorum quidem singula satis ad quæstiones habendas esse constituimus.

Canon alius eadem in re.

Cap. XXVIII.

PRæter hæc meminisse judicantes volumus: Quoties quis ex aliquot supra indicatis indiciis onerari de delicto objecto possit: duo, quæ sane magni sunt momenti, observanda esse: Primum, unde sumpta sit, tale quippiam de accusato præsumendi, occasio: Deinde, quæ ipse reus, ex hominis circumspecti remque omnem justa trutina examinantis judicio & sententia, ad sui defensionem proferre possit. Inde, habito velut æquilibrio, ubi iudiciorum causam & occasionem rationibus defensionis præponderare compererint, tortura judicantes uti libere possint: At si contra, leviculas, neque urgentes esse adversus reum suspiciones, fortiorem autem defensionem, viderint, quæstiones haberi vetamus. Quod si se extricare nequeant, qui torsionibus præsunt, Prudentes consulant, vel ad superiores rem referant: ut in extremo harum sanctionum capite docebimus.

Indicia certissima, indubitataque ad quæ torqueri reus potest.

Cap. XXIX.

QUi, dum delictum committit, quid amittit, à se relinquit, aut dilabi (forte dum profugit) sinit, vel etiam projicit, quod quidem in delati, accusati, dominio & potestate fuisse constet: & quam proxime ante ejusmodi rei amissæ jacturam, ex inquisitione, rei ejusdem fuisse comperiatur, is equuleo subjici potest: nisi tamen æque certis aut etiam liquidioribus rerum argumentis aut testimoniis ea docere & confirmare contra possit, quibus innocentiam ostendat, contrariaque refellat. Quod quidem, si se offerat, prius, quam ad quæstiones ultimum subsidium legibus permissum deveniatur, excuti debet.

Cap. XXX.

CUm hucusque de indiciis, quæ copiam torquendi judicibus faciunt, tractaverimus, operæ pretium esse duximus indicare, semiplenam (ita à practicis dictam) probationem (quæ uno teste omni exceptione majore, qui juratus de eo, quod in causa caput est, deponit, perfici solet) tale judicium dare, & præbere. Verum si quis plures unius facti circumstantias, signa, indiciaque probare conetur; id nisi duobus idoneis, contra quos nihil objici, nihil excipi possit, testibus fecerit, vix est ut audiri debeat.

Cap. XXXI.

COnvictus, de crimine, cujus socios habuit, si quem eorum nominarit, cujus ope, auxilio adjutus, compertum maleficium perpetrarit: ejusmodi confessio, prægnans est præsumptio, quæ contra indicatum militat: si modo ne aliena salus in alterius arbitrio & levitate posita esse videatur, neque

quisquam

quisquam temere crimine alieno prægravetur, simul istæ inciderint circumstantiæ; absintque ea, quæ abesse oportet: quia in re subsequentes observari distinctiones volumus.

1. Primum, ne indici torto in quæstionibus socii correi nomen proferatur: neque in eam personam singillatim tortus aut quæsitus sit: sed ut generatim de sociis interrogatus, sua sponte nominatim Titium, vel Nævium, indicarit, ejusque mentionem sua sponte injecerit.

2. Deinde, ut index, qui de socio confessus est, exacte respondere sciat, quomodo, ubi & quando illius socii ope auxilio adjutus sit, & in quæ societatis pacta coierint, conjurarint, conspirarint. Quod cum compertum fuerit: is, qui auscultandis quæstionibus præerit, consequenter eodem tenore, alia quæ ad rem pertinebunt, inquiret: quo facti veritas & citissime, & certissimo habeatur. Quod cum recte successerit, via ad dijudicationem strata est. Cuncta verò velut præmansum exhibere cibum, regulisque definire, & de singulis quærendi modum præscribere, quorsum opus sit, haut quidem videmus. Difficilia namque & magis ardua enodantes, nonnihil judicantium prudentiæ fidentes, multa consulto relinquimus.

3. Præterea, advertendum est: Numquid cum eo tortus, quem socium dicit & defert, simultates gerat, inimicitias exerceat, & unde eæ ortæ sint, sagaciter investigandum. Quamprimum enim de inimicitiis inter indicem tortum & socium, qui nominatus est, constiterit, adversario, hosti, inimico contra inimicum, hostem, adversarium deponenti nequaquam fides adhibebitur: nisi tamen, nulla simultatum, quæ tanti ponderis non sit, ratione habita, justas causas, & argumenta signaque sui dicti afferat, quæ ex inquisitione vera dignoscantur, ut fidem emereantur, atque dictum socii contra socium indicium faciat.

4. Porro, ut talis sit socii persona, & iis moribus, quæ de ejuscemodi commisso merito in suspicionem venire possit.

5. Denique, ne quid tortus vacillet, aut ex confessione mutet, sed constanter, citra vim & vincula rogatus, denuo repetat, ratificetque dicta.

6. Culpandus, neque ullibi locorum tolerandus mos est presbyterorum, qui reis à confessionibus sunt, quos suis male instructos documentis illud ipsum, quod ante vere apud judices confessi fuerant, supplicio proximos & ad catastam deductos, inficiari instigant. Igitur severe de eo interpellandi sunt: quod nemini licere debeat contra publicam utilitatem condemnatis & jam puniendis quidquam opis consiliive dare, quo sua crimina cælent, aut negent: præsertim, cum, ut sontibus parci, ita & innocentibus noceri facile, ni illud caveatur, possit: & judices recte officio perfuncti in vulgus non facilius neque improbius traducantur.

7. Si verò tortus ea quæ de criminis sociis, aptè congruentibus circumstantiis, recte prius indicavit, ex animi desperatione ad extremum revocet, falso persuasus, hac se in dubium revocatione dictorum, sociis nonnihil profuturum: vel id à confessionibus presbyteri instinctu fecerit: tunc diligenter perpendenda fidiculis subjecti dicta, & cum iis, quæ extrinsecus cognoscentur, conferenda: indeque colligendum potissimum, legitimumne commissi communicato auxilio malefici indicium torti dictum faciat, necne: Quibus discussis, delati & nominati socii conditio vitæ, fama, & existimatio, & quibus communionis ac societatis vinculis inter se connexi fuerint, inspicienda.

Cap. XXXII.

SI quis duobus testibus, uti cap. XXX. explicatum est, non risus, joci, dicisve causa, sed ut fortis viri, aut potius audacis opinionem venetur, de crimine delato, cujus insimulatur aut insimulari possit, ultro, nemine cogente, extra judicium per colloquia, se jactasse & confessum esse, convincatur: minitansve auditus sit, cujus post minas non longo temporis spatio interjecto crimen designatum sit, seque idem ante talem gesserit, ut non injuria suspectus esse possit: hæc indicium legitimum præstant, ad quod talis jactator eculeo subjici possit,

De indiciis, quæ singulis criminibus peculiaria sunt, uti ea quoque ad torturam sufficientia, in singula capita redegimus.

Indicia legitima homicidii clandestini.

Cap. XXXIII.

SI is, de quo suspicio est, quique delatus in vinculis detinetur, eo tempore, temporisque momento, quo homicidium perpetratum est, vestibus armisve cruentis, prægnante, quam vocant, præsumtione existente, visus fuerit: Vel; Si quis ex interempti rebus, bonis, quid acceperit, asportaverit, vendiderit, donaverit, quovis alio alienaverit modo, aut penes se retinuerit, horum si quid fiat, factumve sit, legitimum indicium est, ad quod reus torqueatur; Præterquam si se purgando contrariis in medium adductis probationibus adversum se urgentem diluere præsumptionem possit: de quibus ante quæstionem cognoscetur habendam.

Indicium homicidiorum manifestorum, quæ per rixas & clamores in pugnas desinentes concurrente vulgo fiunt, quorum tamen auctores ignorantur.

Cap. XXXIV.

SI per digladiationes, & pugnas, concursu hominum per clamores facto, cædes admissa sit: & is, qui cum occiso inimicitias gesserat, pugnæ interfuerit, ferrum è vagina eductum strinxerit,

punctim cæsim percusserit, & plenis ictibus in interfectum invectus sit: hinc indicium sufficiens contra percussorem peti potest: neque differendæ quæstiones; eoque magis, si ejusdem gladius sanguina madens, tabeque respersus fuerit visus. At si hæc singula, vel quæ maxima sunt, non apparuerint, quantumvis talis forte fortuna pugnæ ejusmodi interfuerit, torsione excruciati, dum non aliud evidentius appareat, minime debebit.

Partus clam à matre enecti indicium.

Cap. XXXV.

SI puella, virgo vulgo habita, de partu edito & clam sublato suspecta sit: quæri oportet diligenter, num ante uterum solito majorem habere visa fuerit: Et illud; an uterus subito decreverit, palloque faciei atque virium imbecillitas subsecuta sit. De quibus si constiterit, & puella, de stupro furtum passo, suspicioni locum relinquat, quod moribus virgine indignis, fronte procaci & ore liberiore judicetur: ejus puellæ corporis inspectionem (qui & rarior casus nec impudicum, aut castitati repugnans haberi æquum sit, quod indagandæ veritatis causa suscipitur) à fœminis in arte peritis, velut obstetricibus fieri volumus remotis loco arbitris. Quæ si suspicionem suis dictis confirment, illa verò inficiando factum pergat, veritati tormentis via patefacienda est.

Cap. XXXVI.

SI verò ob interemptum recenti nece fœtum matri ex uberibus lac adhuc profluat, ejus ubera emulgeri possunt. Igitur, cujus è papillis lac promanans distillârit, seipsa suomet ipsius indicio [illegible] prodit, & hinc ex eculeo crimen fateri cogenda est.

1. Non tamen nos fugit, quod naturalium indagatores rerum prodiderunt: Fieri quandoque, licet raro, ut fœmina, quæ gravida non sit, neque etiam pepererit, lac habeat; suppressis mensibus scilicet. Per naturam enim lac tantum fœtus tum in utero conclusi, tum in lucem editi nutriendi gratia in mammis generatur. Illo igitur diverticulo si qua uti velit puella, per obstetrices, aliasve harum rerum callidas matronas experientia fieri potest.

Veneficii indicia.

Cap. XXXVII.

SI, contra quem veneficii præsumptio est, venena mala coemisse, aut passim tractasse, convictus sit: & cum eo, qui veneno extinctus dicitur, inimicitias capitales gessisse: aut ex morte hæreditatem, aliudve commodum sperasse: dignitatis prærogativam, officii, munerisve successionem expectasse, probari possit: aut veneficus ea morum levitate sit, ut, mercede pacta se conduci passum, probabiliter credatur: fit, ut hinc indicium ad quæstiones enascatur: extra quam, si se eo veneno ad res minime malas, legibusque non prohibitas usum & uti solitum sæpius, liquido ostenderit.

1. Sed & si quis malum emerit venenum, emptum tamen à se, coram magistratu, aut rectore civitatis, vel in judicio negaverit: qui contra empti veneni possit convinci (quo enecandus aut jam enectus quis perhibeatur) indicium hinc sumi potest fidiculis quærendi hominis, quem in usum venenum pararit.

2. Curandum autem est municipiorum magistratibus, consulibus, præfectis & rectoribus urbium, ut pharmacopœos aromatarios, seplasiarios, aliosve, qui venena important, tractant, vænum exponunt, ad fidem dandam adigant, ne cui ullum venenum citra permissum indultumve suum divendant.

Rapinæ, seu vi bonorum raptorum indicium.

Cap. XXXIIX.

SI, quem ea bona, quæ rapta dicuntur, detinere, possidere, aliisve vendidisse, aut tradidisse, aliave quavis ratione mala fide tractasse, constet: neque tamen is auctorem suum laudare velit: indicium raptorum bonorum contra se præbet, cum ignorantiam, bona rapta esse, amplius prætexere non possit, quod ea bona Domino contra fidem faciente legitimam probationis, bono titulo, bonaque fide ad se translata esse præ se tulerit, neque probarit.

Cap. XXXIX.

HUc accedit, quotiens equites aut pedites publicas in cauponas frequentius diversantes, passim discursitant, & in sylvas proximas, aut loca minus tuta excurrunt, qui de stipendiis, negociationibus, annuisve censibus, ex quibus honeste vitam tolerent, sumptuumque onus sustineant, docere non possint: hos malis artibus, præsertim verò ex rapto ac latrociniis victitare non levis est suspicio. Quod equidem diligenter in Constitutione de Pace publica, in Imperio Rom. communi omnium Ordinum auctoritate constituta atque erecta expressum denuo repetere nobis visum est: in qua nominatim mandatum est omnibus magistratibus, ut incertis laribus sedibusque vagantes, nullius professionis, artificii, opificii homines, ociose degentes, vinculis constringant, eculeo subjiciant, & condignis afficiant suppliciis. Neque minimam curam habeant, ut Provinciæ atque Urbes validis mendicis & circumforaneis purgentur.

Indi-

Indicia contra eos qui fures prædonesve ope consilio juvant: & eorum receptatoribus.

Cap. XL.

SI quis ſciens, mala fide ex rapta furtove ſublata re, partem portionemve paciſcatur, accipiat: aut ſi quis eorundem delictorum reos ſciens, ſuis impenſis, ſuoque periculo alat, recepter, hoſpitetur: atque etiam ſi quis res ab iis ſubtractas, vive aliis ereptas clam poſſideat, occultet, vendat, abalienet: aut ſi quis ejusmodi perſonas in furtis, rapinis, ope conſilio juvet, ſive ſe ſocium (contra quam tales legibus contrariæ ineantur ſocietates) addicat, ſingulis caſibus facultas datur ad quæſtiones poſcendi eum, adverſus quem hæc indicia militabunt.

1. Si quis è carceribus effugientes receptet, à quibus certior fiat, ubi & qua de cauſa captivi detenti fuerint: Itemque ſi quis iis ſit moribus, ut ab occultationibus reorum alienus eſſe non videatur, præſertim qui reorum cauſis aperte faveat: & inſcio magiſtratu captivi, pretio interveniente pro liberatione ejus paciſcatur, & pretium ſibi vel numerari ſinat, aut pro eo fidejubeat: Hæc duo ſeu conjunctim, ſeu disjunctim appareant, utroque caſu certa ſunt argumenta indubitataque indicia opem auxilium in crimine latum eſſe: ideoque judices ad tormenta deſcendere poſſunt.

Incendii Indicia.

Cap. XLI.

SI de quo, quaſi incenderit, ſuſpicio ſit, vel eo nomine accuſetur: perſpiciendum eſt judicanti, ſitne reus eo ingenio, ut non abhorrere à tanto facinore exiſtimetur. Verum & hoc inquirendum, viſusne ſit paulo ante, quam incendium factum ſit, res ſeu materias ignem occultum diu foventes, aut facile concipientes, velut picem, pulverem bombardicum, fomites, quibusve incendia excitari ſoleant, & incendiariis in uſu ſint, tractare: idoneum hoc indicium erit: Niſi tamen vivis & luce meridiana clarioribus rationibus demonſtrare poſſit, ſe ea materia vel re ad finem licitum, neque pœna dignum adhibuiſſe, aut deſtinaſſe: quo caſu immunis abito.

Proditionis Indicia.

Cap. XLII.

SI, qui proditionis inſimulatur, clam præter ſolitum & officium, non ſine urgenti præſumptione, iis, quibus ſuam in prodendo operam locaſſe dicitur, adfuiſſe, adſtitiſſe, colloqui, conſpectus auditusve ſit, à quibus tamen ſe maxime alienum ſimulet: ſed & hominis mala mens inde apparcat, à quo impelli potuiſſe credatur: hinc indicium ſufficiens ad torturam ſumi poteſt.

Furti Indicia.

Cap. XLIII.

CUm res furto ſublata apud delatum concipietur, vel exſtare, ejusque in poteſtate eſſe oſtendetur, quam vel integram, partemve ejus apud ſe habuerit, vendiderit, donaverit, aut abalienarit: neque auctorem ſuum laudare, & venditorem nominare poſſit, velitve: is indicium furti contra ſe dat, quamdiu legitimum poſſeſſionis titulum, & bonam fidem, vel dominii adquiſiti modum, probare non poterit.

1. Pariter, ſi furtum, ad effringendum vel reſerandum paratis inſtrumentis, factum dicatur: & qui delatus eſt, ibi locorum, opportuno ad furtum tempore viſus, vel à ſuis domi deſideratus ſit: & effractoria ejusmodi inſtrumenta, quo genere furtum factum appareat, tractare viſus ſit, & tum etiam ſi de audacia hominis tale quid credendum videatur: hic eculeo ſubdi poteſt.

2. Si, cum furtum rei magnæ & pretioſæ factum erit, is de quo ſuſpicio mota eſt, poſt commiſſum, majores, quam per rem familiarem poſſit, ſumptus faciat, liberius licentioſiusque pecunias profundat; qui tamen ſubitæ prodigalitatis bonorumque incrementi idoneas edere cauſas nequeat: & tum maxime ſi à facinore per mores alienior eſſe non cenſeatur, indubitatum hoc contra talem indicium erit.

Magiæ Indicia.

Cap. XLIV.

SI quis infelices maleficorum artes profiteatur: aut hominem incantationibus malisque carminibus ſe faſcinaturum aut læſurum minetur: & paulo poſt eveniat, ut is, cui minatus eſt, detrimenti quid acceperit: atque is, cui minatus eſt, cum magis, lamiis, ſortilegis verſetur, tum ejusmodi res, characteres, libros, ſchedas, ſigna habeat, verbaque carmen in ſe continentia effari, ritus & geſtus inſolitos exprimere ſoleat; quem itidem fama vulgi pro mago, & qui magia delectetur, eique adhæreſcat, collaudet, excuſet, ferat, hæc magiæ certa indicia ſunt, ad quæ ſubjici quæſtionibus delatus poſſit.

De quæſtionibus.

Cap. XLV.

IGitur cum præſumptiones, ſuſpiciones, indicia delicti, accuſatum non ancipiti probatione onerabunt, & à judice pro plene probatis acceptabuntur: Vel, cum ad eorum probationem accuſator in judicio admittetur, dies petenti condicenda eſt, qua de accuſato, ſi legitime accuſator probaverit, delictum pertinaciter negante, quæſtiones habeantur.

Cap.

Cap. XLVI.

VErum priusquam accusatus, seu id Justitiæ officio, seu actore privato existente, tormentis subjiciatur: ante omnia, judice ipsomet, duobusque ad minimum adsessoribus, & actuario præsentibus, de spontanea confessione, & cruciatu eculei vitando serio toterpellandus est: Etrum iis potissimum verbis interrogationes concipiantur, quibus ad aperiendum delictum inducatur: Quod si suo marte commissa fateri nolit, neque circumstantias omnes, quorumque sibi conscius est, & auctores, hortatores, socios, qua spe impulsus, aut quibus de causis delictum aggressus sit, non indicant, quæstiones subsecuturas minitabuntur; sin constanter oeget, id, quibus tationibus & fundamentis faciat, prius audiendum, & ponderandum.

Innocentiæ assertio quomodo deducenda sit ante quæstiones: & quid deinceps agendum.

Cap. XLVII.

ERgo si accosatus, antequam eculeo subjiciatur, falso intentatum delictum constanter neget, quærendus est, qua tatione de innocentia sua docere judicem queat; inprimis: Numquid se, eo tempore ipso, die, hora, quibus crimen admissum fertur, cum aliis honestis personis, in loco non suspecto fuisse, ostendere possit. Unde liquido, quam longe absuerit, quamque nihil hornm in eum conveniat, apparere possit. Quod sane absque præjudicio accusatoris, reique commodo ullo fieri potest: quippe usuvenire solet, rusticiores atque etiam plos æquo meticulosos ignorare ionocentiæ suæ satis peritè & promptè patrocinari, eamque pro magnitudine periculi vivis rationibus, velut ad oculum, demonstrare. Quare si hisce vel aliis ad rem pertinentibus argumentis se accusatus purgarit: judicis partium erit, de veritate purgationis, ipsius rei delati, vel agnatorum ejus sumptu quam ocyssime inquirere: Aot, si ita cadat, testes, quos idem reus agnative ejus sistere habent, qui ea quæ jure axiguntur, præstabunt, deponentes audire: quod quale sit, ad cap. 62. reservabimus. Atque hæc quidem iooocentiæ (quod favorabilis lagibusque amica sit) probandæ & asserendæ per testes ratio, neque in carcere detento, neque agnatis deposcentibus sine magna & gravi causa deneganda erit. Sin vero captivus, aut ejosdem agnati per pauperiem, quia vix vitam tolerent, sumptus ad testium productionem necessarios facere nequeant; ne sontibus effugium latebrasque egestas præbeat: vel etiam ad injustas temerariasque delationes indefensi insontes damnentur, cautum est, ut ex publico impensæ persoluaotur: & sic judex in causæ cognitione legitimo tramite pergat.

1. At cum ex inquisitione vel testium depositione innocentia delati noo apparuerit, ad indicia prius allata & probata torqueri tutò poterit, judice & adsessoribus duobus cum actuario præsentibus: quorum hic in conscribendis torti ex eculeo dictis atque confessionibus omnem adhibebit diligentiam: è quibus accusatori, quantum ejus intererit scire, denunciabitur, confessionumque exemplum, si petat, dabitur: neque per dolum quidquam cælabitur.

Quomodo ex iis, à quibus per tormentorum cruciatus aliquatenus maleficii exsculpta est confessio, veritas plene indagari possit: ubi de cade primum agetur.

Cap. XLVIII.

IStum in modum quæsitus, cum adversum se per tormenta, maleficium fatebitur: ejusque confessio consignabitur, hoc porro factu opus erit, ut ii, qui confitentem coram audiere, confessionis capita distincte (quod & post attingemus) & eo ordine, qui ad veritatis investigationem commodissimus haberi poterit, è torto singillatim exquirent: velut, cum homicidium quis fassus fuerit, interrogari debet: Quibus id de causis, qua die, hora, quo loci, quorum ope, consilio, solusve, commiserit: quorsum cadaver projecerit: an terræ, & ubi mandarit: quo teli genere usus sit, cæsim punctimne vulnerarit, & qua corporis parte læserit, confoderit, occiderit: qoid occisus litterarum, pecuniarum, rerumve pretiosarum secum habuerit: num cadaver spoliarit, & spolia quem in usum converterit, servarit, vænum dederit, donarit, abalienarit, cælaverit. Qui omnes interrogationum modi non incommode furibus, prædonibus, latronibusque mutatis mutandis, ut fantur, proponi possunt.

Tortus si proditionem fateatur.

Cap. XLIX.

SI quæsitus fateatur proditionem, interrogari debet: A quo conductus sit, quid quantumque ejus rei nomine acceperit, aut accepturus esset mercedis, ubi locorum, quomodo & quando, quibus præsentibus, & instigantibus, quibusque de causis tale in se susceperit facinus.

Si veneficium quis fateatur,

Cap. L.

QUæsitus de veneficio, si commissum à se crimen, aut committendi criminis (vulgo intoxicationem appellitant) voluntatem sibi fuisse fateatur: de iis circumstantiis, nonnihil tamen pro judicis prudentia variatis, interrogari debet: quibus addi poterunt: ut, quo mali veneni genere usus, quibus de causis veneno hominem extinxerit, aut extinguere voluerit: venenum unde habuerit, deprompserit, à quo emerit: quemque suasorem, aut conductorem habuerit, indicet.

Qui in

Qui incendium fatebitur.

Cap. LI.

ECuleo subjectus si incendium fateatur, ex eo cognoscendum erit, quæ ipsi causa fuerit, quo tempore incenderit, quos socios habeat: & hoc amplius; qua materia ignem injecerit subjeceritve: à quo, & ubi locorum eam coemerit materiam, numquis eum precio corruperit, promiseritve, & quantum: quæque ejusmodi erunt pro re nata quærenda.

Magiæ sortilegiique reum quæ interrogari oporteat.

Cap. LII.

SI magus, sortilegus, lamia, venefica, incantationes confiteatur, iisdem de circumstantiis, quæ jam ferè γενικῶς indicatæ sunt, interrogari poterit: Hæc verò peculiariter subjungenda: Quomodo, & quando, & quibus characteribus, signis, herbis, morticinis, sacrificiis, venenis, liquoribus, pulveribus, suffitibus, aliisque rebus adhibitis incantarit: & si quæ defodisse humum, aut sibi superesse ex iis rebus dixerit, quorum quidem in faseinis usus sint, ea refodi & investigari debent. Si vero sortilegium dictis, verborumque conceptis formulis, diris, devotionibus, cacodæmonis invocationibus, susurris, chiasmis, aut aliis gesticulationibus se exercuisse ostenderit, pio & caro videndum est judici, ejusmodine nocendi vires cæteres, facta, dicta habeant: unaque exquirendum: Quo in magica arte magistro usus, qua occasione in consortium magorum illectus illectave ad sabbatha perductus, pertractus, pertractave sit; num & aliis, & quibus, & quomodo & quantum incantando nocuerit.

Interrogationum modos generales, pro varietate personarum, locorum, temporum attemperari debere, ut confessiones in tortura plene habeantur.

Cap. LIII.

QUæ hactenus in genere tradita & præscripta sunt quemvis rerum non imperitum forensium hominem (quales capitalibus judiciis adhiberi ipso in limine harum Sanctionum volumus,) quid in negocio quæstionum agi & suscipi oporteat, docere possunt: & quid causa quælibet, confessione facta, exigat, ut factorum veritas eliciatur. Non enim, quod perquam scite Salvius Julianus scripsit, omnes articuli singillatim aut Legibus, aut Senatusconsultis, (addamus & Constitutionibus) comprehendi possunt: sed is qui jurisdictioni præest, ad similia procedere debet. Igitur cordati atque exercitati viri sans intelligent, quid maxime urgendum sit. Ejusmodi enim si interrogetur, qui vere insons est, nihil horum ne minimum quidem nosse vel indicare poterit; quem intus conscientia, foris vultus rectus, & dictorum factorumque suorum constantia absolvet. Eo autem ordine, quo reus crimen enarrat, iisdemque formalibus quæ vocant verbis, in consignatione actuarius utetur.

De inquisitione indicatarum à reo circumstantiarum habenda.

Cap. LIV.

IGitur, cum reus ad interrogationes propositas, seu tortus, seu ultroneus, convenienter responderit: non prius adquiescendum est judici, neque nude fides habenda confessionibus, quam de singulis, aut saltem majoris momenti circumstantiis, quas reus enumerarit, per inquisitionem certior fiat, quousque de facto dubitandi locus nullus supersit: Conveniant, nimirum, necne, eorum, quibus nocitum fuit, delationes, cum rei confessionibus. Qui enim occasionem & quid primum, secundum & amplius fuerit in maleficio, recensere potest: (quod ex inquisitione habita, ita se habere deprehendator) quin ab eo crimen admissum sit, aut adfuerit ad minimum socius: nemo prudens ambigere debet: præsertim si quis eas deducat circumstantias, quas alios, qui præsentes non fuerint, ignorare necessum sit.

Si confessiones falsæ confictaque ex inquisitione appareant.

Cap. LV.

SI inquisitione habita circumstantiæ secus se habere, & confictæ falsæque deprehendantur, objurgabitur acriter eo nomine reus, neque solum ex mendacio nullum percipere commodum, sed ne hoc quidem dum falsa pro veris narrat, impune ferre debet: Itaque jam quæstionibus acerbioribus percelli potent, ut citra omnem fucum liquido veritatem edisserat. Non enim dolo caret, qui commenticiarum circumstantiarum colore decipere judices conatur: & cum mentiendo irritet animos judicum, se magis & magis reum prodit, & è mala causam efficit pejorem: & supervenientis inquisitionis diligentia eo manifestius redarguitur atque convincitur.

Ne quis de crimine quæsito circumstantias verbis præiens enarret: sed ut suis verbis suo marte eas reus edicat.

Cap. LVI.

HActenus explicatum est, qui reus, qui delictum (de quo tamen nondum liquidò constet) per tormenta confitetur, de circumstantiis singulis quærendus sit: &, qua ratione, ut Sole meridiano clarius veritas facti elucescat, inquisitio instituenda sit. Quod equidem nonnunquam impediri contingit: & ipsi hac in re incautius agentes suis quasi officiunt luminibus judices: videlicet, cum reo, imprudenter sane, in interrogationibus aliquas suggerunt ex opinione sua & ingenio circumstantias, &

ille, si ita sibi prodesse putet, mox iis adnuat. Talia igitur fieri serio vetamus: & potius esto, ut ad eum, quem commonstravimus, modum, ante & in quæstionibus, & post quæsitiones, reum explorent & expiscentur: qua nec tutior neque commodior ratio hactenus excogitata aut tradita est.

2. Quam primum autem à quæstionum doloribus quieverit, viresque refecerit, reus, è carceris latebris, in lucem & locum liberiorem, unde tamen elabi non possit, quem in usum commoda cubicula & conclavia haberi debent, altero post tertiove die, dum recenti adhuc memoria confessiones recolat, educi, & coram judice capitali duobusque adsessoribus sisti debet: in quorum præsentia ea quæ ante confessus fuerat verbotim, repetentur ab actuario. Quo facto, citra minas, vim, metum, vincula, civilibus & mitioribus verbis interrogabitur denuo de admissis: & tum si quæ revocabit, aut fatebitur, vel rectius explicabit, vel ante minus recte dicta emendabit, ea omnia consignabuntur.

Tortus si confessiones revocet.

Cap. LVII.

QUod si revocet, quæ prius fassus erat, contra quem indicia probata (basis & fundamentum tormentorum) militent: is in vincula denuo reducatur: & quod secundum torqueatur, de se tantum, non alio, queratur. Cæterum, si quas graves revocationis suæ causas tortus in medium afferet: velut, cum ad ejusmodi confessionem errore magno, quem nunc demum agnoverit, aut sævitia eculei se inductum, dixent: eæ causæ à judice examinandæ sunt: præsertim si quæ sui erroris, crudelitatisve adhibitæ, argumenta declarabit, pondus habebunt, audiendus erit.

Tormentis qui modus adhibendus.

Cap. LVIII.

QUæstio, res dira, corporibus hominum admodum noxia, & quandoque lethalis: cui & mors ipsa prope præponenda, quod dolor, ut ait Mimus, etiam innocentes mentiri cogat: mori autem vir bonus & pius centies, quam mentiri semel, & mentiendo peccare, & peccando Deum offendere malit. Eoque miserior judicum conditio est, quorum ignorantia plerunque calamitas est innocentis; quibus consectanea multa in medium attulit sanctissimus priscæ Ecclesiæ Antistes & Doctor, AUR. AUGUSTINUS magno illo opere, quod de Civitate DEI inscripsit, & posteritati piæ evolvendum reliquit. Qua de causa, modum quæstionis (quam vere Tarquinii Superbi, aut Mezentii, vel Phalaridis, alteriusve immanioris tyranni inventum non immerito credimus, quo tamen recte uti & in loco nihil prohibet) magis est, judicem arbitrari oportere: qui sedulam operam navabit, ut, quantum personarum ætas, sexus, vires, conditio, & ratio ipsa permiserit, tormenta attemperet, sæpius, rarius; remissius, intentius, habeat: quod vel innocentiæ vel supplicio torti salvi permanere debeant. Neque iis, quæ mediis profundent rei cruciatibus, credet: sed iis demum, quæ recens quæstionibus exempti indicabunt & confitebuntur, perscribenturque; tanquam ea quæ momentum ad veritatis investigationem sint allatura.

Vulneratus quemadmodum torqueatur.

Cap. LIX.

ACcusatus, si periculum sit, ne inter vel post tormenta ob vulnera exspiret, ea arte torquendus est, ne quid damni accipiat. Eadem pene ratio prægnantis mulieris: de qua ne quæstio habeatur, observatum à se magnus Ulpianus memoriæ prodidit, ne calamitas scilicet matris ei, qui in utero est, noceret.

Materia quæstionum epilogus.

Cap. LX.

QUandoquidem quæstioni fidem non semper, nec tamen nunquam habendam, Constitutionibus Principum declaratur: quod res sit fragilis & periculosa, & quæ veritatem tam propter patientiam, aut potius duritiam, quam impatientiam quorundam fallat: uti & disertissimus Cicero, & post eum Fabius, & hos secutum Rhetorum vulgus, recte monuere: Nimirum, quando confessioni per tormenta factæ standum sit, magnæ opus esse dexteritatis; & maturæ prudentiæ, eum animadvertere, tum declarare. Itaque eum vel testes idonei, vel apertissima documenta cognoscentis religionem instruere poterunt, eculeus, non aliter, quam dictum supra est, expedietur. Ut eum postea torti confessioni inquisitio instituta responderit (præsertim cum utrobique eæ circumstantiæ indicabuntur, præter quas tale quod facinus committi non potuerit, quasve nemo alius nisi criminis conscius aperire possit) tunc firma fides confessioni tuto adhibeatur: & hinc de pœnæ genere deliberatio exoriatur: quod fusius cap. 104. persequemur.

Si, qui ad idonea tortus est indicia, innocens deprehendatur, neq; convinci de crimine intentato possit.

Cap. LXI.

CUm verò accusatus, ad indicia legitima, (quibus habitis quæstiones haberi permittunt jura) in carcerem conjectus, neque accusatoris probatione, neque à se confessione extorta criminis intentati coargui possit: nullam neque judex, neque actor, qui ordinariis & jure concessis modis ac mediis veritatem investigare, nec aliud quærentes, institerunt, pœnam incurrunt: quod indicia probata causam

sam torturæ dederint. Nam hoc sanctissimæ leges exigunt, ut non solum crimine ipso, sed & suspicione criminis, unde indicia desumuntur, carere, sibi parentes, oportere judicent: Et olim idem de suis Romanæ monarchiæ fundator respondérit. Igitur ne moribus quidem quisquam talis esse debet, ut non alienus à maleficio esse videatur: hocque potissimum pacto se traducat, & famam suam, quæ vita nobis commendatior chariorque esse debet, falsa criminis simulatione inconsulto lædat: unde merito inter bonos suggillari possit. Commisit enim illud, cujus causa non injuria quæstionibus subditus est: licet puniri, deprehensa simulatione, non debeat. Porro, si ita eveniat, si sumptus accusator imputabit: æque accusatus & tortus ex suo alimenta sua exsolvet, & carceris squalorem, quæstionumque dolores æqua mente feret: judex autem ex publico, quæstionum impensas, lictorum sportulas, tortoris mercedem, & quidquid ex ea causa impensum est, depromet. Si verò judices, contra Legum Imperialium sanctiones, quæstionibus sæviant; ii, qui injuste torsisse probabuntur, in pœnam (syndicatus) incident: Atque pro ratione crudelitatis suæ puniti, inique torto de damno & doloribus satisfacient: quo nomine conveniri apud superiorem suum judicem possunt.

Accusatorem probare volentem audiendum esse.

Cap. LXII.

QUia actori omni jure probatio incumbit, reus verò, quantumvis nihil præstet, absolvatur: accusator ad probationem criminis, accusato nihil confitente, (modo aliud nihil prohibeat) utique admittendus est, si id postulet; & audiendus, quousque solemnia accusationis perficiat.

Si testes ignoti producantur.

Cap. LXIII.

TEstes quos reus, neque de auditu, neque visu, notitiave quamvis levissima, agnoscit, si repellat, atque contra eos excipiat: tum neque jurare neque deponere admittentur: Nisi tamen actor, testes & exceptione majores, & à calumnia alienos, & testimonium non impedire, quod eos reus non norit, probaverit.

De pretio corruptis testibus.

Cap. LXIV.

SI quis testes, pecuniis corruptos, aut pollicitis ad testimonium illectos, liquidis probationibus ostenderit, ii testes omni jure reprobantur: qui quidem, tantum abest ut audiantur, ut etiam competenter sint puniendi.

Quibus de rebus testes deponere debeant.

Cap. LXV.

TEstes jurisjurandi religione arctati de eo quod ipsimet in re præsentes viderunt, & per causas sciunt, non opinantes, deponent: suæque scientiæ causas idoneas exponent. Si quid ex vulgi fama auditum proferent, pro legitimo testimonio non habebitur, neque recipietur.

Testes idonei qui dicantur.

Cap. LXVI.

IDonei testes sunt, qui sine exceptione legibus fundata reprobari non possunt: nec à jure repelluntur.

Idoneum testimonium quod sit.

Cap. LXVII.

SI duobus ad minimum, tribusve idoneis fideque dignis, & omni exceptione majoribus testibus, qui de crimine deponunt, admissum probetur, & sic accusatus convincatur: de eo facto, pro qualitate ejus sententia ferri, publicari, & executioni mandari debet.

De falsis testibus.

Cap. LXVIII.

QUicunque falsis & subdolis attestationibus seu depositionibus suis quemquam malitiose oneravint, sive taliter prægravatus supplicium sustinuerit, seu non: eos testes ad vindictam justa poscit criminis intentati talio.

Si reus de crimine convictus, id confiteri nolit.

Cap. LXIX.

REo, à plena & indubitata probatione confiteri delictum recusanti, demonstrare oportet, judicem pro convicto eum habere: eo id consilio, ut vel hac ratione ad confessionem promoveatur: Plane, sine tormentis, atque etiam tormentorum repetitione, de crimine satis superque convictum, licet nihil fateatur, ultima condemnari sententia, nihil vetat.

De productione & examinatione testium.

Cap. LXX.

QUia verò testimonia, ad quæ quis ultimo affici supplicio possit, liquidissima nec non apertissima esse debeant: Constituimus, ut quoties certum quidem maleficium, incertus tamen auctor fuerit, (quod fit, cum is qui defertur, id inficiatur, neque ad interrogata respondet) accusator, qui cœptæ accusationis cursum perficere desiderat, &, accusatum, se convicturum offert, accusationis suæ capita, quæ probare volet, bono ordine consignari curet, consignata judici insinuet, testiumque, quos audiri necessum erit, nomina exprimat, & ubi domicilium habeant. Hoc enim commodius examinandis testibus, & qua fieri poterit industria celeritateque testimoniis audiendis, commissarii dati vel deputati operam suam navabunt.

Quod sit officium eorum, qui ex judicii corpore sive collegio delecti depositiones testium audiunt.

Cap. LXXI.

CUm in judicio capitali tales personæ esse debeant, quæ ad audiendos & examinandos testes idoneæ sint: Judex una cum duobus ex eorum numero, quos ad hoc negocium desumet, quosve ordo tanget, aut necessitas postularit, adjunctoque sibi scriba, depositiones, non secus quàm in civilibus causis observari solet, iisdem adhibitis solennibus, cum attentione audient: ubi quidem diligentiæ erit judicantis explorare: sitne quis testium in depositione inconstantior: qui vel in substantia rei, vel qualitatibus, & accidentibus à semetipso vel aliis discrepet: sive etiam in testis moribus, sermone animique moribus perspicere quidquam possit, quod notasse ad rem faciat, eaque consignari mandabit.

De audiendis testibus extra territorium.

Cap. LXXII.

SI quod verò tribunal capitale homines examinandis testibus aptos non habuerit: hoc discutiendum necessario incidit, quod jure communi cautum novimus: Ne extra eos, qui judicium constituunt, quisquam commissarius audiendis testibus destinetur. Igitur, ne cui injuria fiat, aut præjudicio temere prægravetur: quod pronum adeo est, si debita testimoniis recipiendis datis & deputatis examinatoribus desit dexteritas & exercitatio, in qua maximum sæpe rei periculum, immo totius negotii cardo versatur: Ideo sancimus, & istam animi nostri sententiam declaramus; ut, ubicunque ejusmodi hominum penuria erit, capita accusationis, prout paulo ante dictum, insinuata, judex & quatuor adsessores, peculiarem negocii curam gerentes, citra partium sumptus superiori suo magistratui vel principi transmittant: ad quem de iis simul, quæ ad rem spectare cognoverint, referent. Atque ille magistratus interpellatus idoneas examinandis testibus personas, quas quidem ex eo judicio, in quo accusatio pendet, non esse nihil prohibet, consulto designabit, quo succurratur ei, qui testes ad probandam intentionem producere potest: Et eas personas literis mutui passus, quas vocant, necnon iis, quibus legitime possunt compelli testes inviti testimonium ferre, si ita opus fuerit, & litigator desideret, idem ille magistratus instruet; qui hoc amplius curabit, ut negotium rite expediatur: usque adeo, ut si quid casibus incidentibus dubiis minus noverit, quid juris sit, Togatos, viros legum consultissimos adeat; quo testes eum ad modum audiantur, quem jura dictant; & ut omnia sine præjudicio partium peragantur, cavebit.

De publicatione testimoniorum sive Rotuli, quod vocant.

Cap. LXXIII.

IGitur cum testimonia audita sunt, hunc in modum publicari debent: ut si ea testimonia à personis è corpore judicii capitalis aptis & delectis audita & recepta sint, judex publicationi diem certum constituat: quibus si quis contradicere, vel contra eadem excipere in scriptis velit, potestatem habeat, ut jam declarare aggredimur.

1. At, cum audiendis testimoniis testiumque depositionibus recipiendis nemo è judicii collegio idoneus esset, si testimonia per commissarios audita fuerint: vel adsessores ejus judicii non in eodem loco, oppido, communitate, castro, domicilia habuerint, ad quos convocandos sumptum fieri oporteret, multumque temporis in ea re insumeretur, præsertim, cum eorum convocatio ad singulos actus neque necessaria neque commoda sit, ut dilationes sumptusque inutiles vitentur: Mandamus & sancimus, hoc casu, eos commissarios hunc in suo munere obeundo ordinem, quem sequentibus præscribimus, observare debere.

2. Primum, Dati commissarii & testimoniorum auditores diem partibus nominabunt, qua testimonia publicent: & ad constitutam publicationi diem exempla (copias appellant) testimoniorum pro tolerabili descriptionis pretio partibus offerant: deinde, tantum temporis concedant, quantum causæ magnitudo & necessitas ipsa postularit, quo omnia ad eos quorum interest, inprimis ad reum deferri, eique denunciari, cujus res agitur, commode possint: neque enim à reo ii, quorum patrocinio utitur, arceri debent. Posthæc unaquæque partium, si quid adversum testimonia proferre habeat, de eo ad testimoniorum auditores ad diem, quem iidem pro causæ qualitate breviorem, aut longiorem præfigent (ita tamen, ut nullum interstitium longius admittant, neque nimis festinent) in scriptis duplici exemplo exhibitis referet: quorum alterum sibi auditores asservabunt: alterum adversariis exhibebitur, ut exceptiones, si quas habent, opponant.

3. Deni-

3. Denique si quid sit, quod contra testes, personas, vel dicta eorum excipere partes possunt, vicissim duo exempla ejus scripti ad diem, quem testimoniorum auditores constituere, offerent: ut tamen neutri partium amplius quam duabus vicibus, quibus fundamenta sua, defensionesque (ne in infinitum inutilibus disputationibus negocium, quod brevibus expedire queat, extrahatur) in medium afferent, inque causa concludent, agendi facultas detur. Nisi forte justis & magnis de causis aliud necessarium judicent commissarii: neque aliter causam enodari posse videant, tertia vice scriptum suum (omni ulteriore disceptatione exclusa) sine tamen mora longiore exhibere concedant. Itaque cum ad hunc modum à nobis demonstratum, testimonia audita, & publicata, itemque objecta, quæ potuere, fuerint, & in causa conclusum erit: commissarius, vel testimoniorum auditor magistratui, à quo sibi hanc provinciam impositam agnoscit, acta omnia ocyus transmittet, & magistratus ad judicem, qui rebus capitalibus præest, reumque in vinculis detinet, eadem acta, & quæ fieri debere statuet, quamprimum remittet.

Si testimoniis innocentiam suam probare reus velit.

Cap. LXXIV.

ACcusatus contra, si testimonia aut probationes exhibere vel deducere velit, quibus aut excusetur ab intentato crimine, aut purgetur, ne pejor rei quam actoris conditio esse dicatur: si alicujus momenti futuras judex præviderit, aut alias è re esse, testimonia non repudiari, & defensiones audiri existimaverit, non alia ratione id fiet, quam superius in testimoniis ab accusatore adductis ostensum est, & postea, ubi de innocentiæ probatione pleniore manu agetur, cap. 151. & aliquot sequentibus capitibus fusius explicabitur.

Cujus sit in testes evocatos sumptum facere.

Cap. LXXV.

QUi in causa capitali testes evocat, (quod sane non temere faciendum, & de iis accipiendum, qui ad investigationem vel criminis aut innocentiæ necessarii erunt) iis testibus singulis, qui quidem è plebe erunt, & pedestre iter facere solent, in dies singulos, quamdiu testimonii ferendi causa à rebus suis absunt, numulos cruciatos non minus octo, aut pretium æquivalens (mutant enim numismata pro regionum varietate) numerabit: idque ne cui officium suum damno aut oneri sit. Quid verò si quis nobiles, illustres, aut clarissimas personas ad ferendum testimonium evocet? quid si magnam testium multitudinem, qua non adeo opus sit, evocet? Ea de re commissarii, ex viri boni arbitrio quod justum æquum erit, statuent; & ex numero testium, quot volent, resecabunt.

Testes in jus salvo conductu dato, non vocandos.

Cap. LXXVI.

NUlli partium aut testium à judicibus aut commissariis (quod in jure nemini injuria exspectanda aut metuenda sit) salvus conductus concedendus est. Nisi tum, cum vis ab extero aut potenti adversario metuenda erit, rectè salvus conductus, aut quam appellant, salva guardia elargienda erit.

Ne mora longa in processu toto interponatur.

Cap. LXXVII.

SUmptuum præter necessitatem effugiendorum causa, neve frustra tempus teratur, sed melioribus aliisque causis servetur, Constituimus, ut in causis capitalibus, eum ad modum, quem Leges definiunt, mature progrediantur judices: ne qua dolo aut culpa eorum mora fiat.

De constitutione diei, qua de crimine cognoscetur ac decidetur.

Cap. LXXVIII.

ACcusator, si ad confessionem à reo factam, aut plenam absolutamque per testimonia deductam probationem, & in causa conclusionem, capitalem reo diem constitui petat, ejus desiderio judex deesse non debet, atque omnino diem condicet. Quod si accusator hoc nolit petere, ad ipsius rei (qui vel absolvendus vel condemnandus est) petitionem, dies constituetur Ex officio.

Ut reo dies capitalis denuncietur.

Cap. LXXIX.

EI, adversus quem ad accusatoris petitionem sententia ultima ferenda est, triduo ante denunciari oportet, ut tempestive commissa sua, quibus tum *Deum Jehovam* conditorem & benefactorem, tum homines proximos suos graviter offendit & læsit, serio lugeat, deprecetur, toto pectore resipiscat, & ad *Dominum*, qui *multus est ad ignoscendum*, sese convertat: nec puniendo, vera pœnitentia præparato, si sacræ Eucharistiæ particeps fieri efflagitet, deneganda est, sed omnino ei hoc officii deberi pietatis causa volumus. Quæ ut rectius perficiantur, & æterna hominis salus diligentissime curetur, ad eundem adducantur, à quibus consternata illius conscientia divinis solatiis erigatur, corroboretur & confirmetur, nec non de Christi Soteris & Mediatoris erga resipiscentes clementia abunde instruatur: Simul ac cavendum, ne reus mortis meditationibus occupatus cibo potuve sese oneret, quibus ratio obruta, istius vitæ muniis, ne dicam pietati, rite vacare nequit.

Judicum convocatio.

Cap. XXC.

QUoties causa capitalis definitione decidenda est, cuncti, qui è corpore judicii sunt, pro more, quibusque locis bene recepto, per viatorem publicum, aut campanæ signo, convocari debent; neque eorum ulli sine causa legitima abfuisse, impune erit.

Judicum ante diem ferendæ sententiæ consultatio qua fit.

Cap. XXCI.

DEbebunt etiam judices, præparationis loco, ante sententiæ capitalis definitionem, sibi acta recitari curare: & ante bene cognitis ac perponderatis, quæ ad causam faciunt, momentis & circumstantiis omnibus, quid decidendum sit, sententiarum collatione facta, deliberabunt. Si quis oriatur scropulus; Prudentes, vel alios (ut in calce harum Legum monebimus) de jure consulent. Si quid decreverint, adscribi actis curabunt. Sic enim sibi peroptimè viam ad ipsam sententiam capitali die ferendam muniunt: ut cum ea post advenerit, sine ambagibus & mora ulla sententiam confirmare atque publicare possint.

De solemni Judicum consessu, & signo convocationis dando.

Cap. XXCII.

DIe capitali, cum hora est, signum tuba, ære, vel campana, ut fieri assolet, dandum est: judex autem & assessores in prætorio seu curia, aut aula judicii, præsentes adesse mature debent: qua ex consuetudine, judicis mandatu, ordine considant: & ipse judex pedum judiciale, gladiumve vagina exertum, pro regionis cujusque more non illaudato, erectum dextra teneat, debitamque præ se ferens auctoritatem, præsideat judicio tantisper, donec, quæ ad actum requiruntur, omnia rite peracta transacta sint.

Harum capitalium nostrarum sacrique Rom. Imperii sanctionum codicem in medium proponi in judicio debere: nec non partibus ipsis, ea quæ scire debent, aperienda esse.

Cap. XXCIII.

MAndamus, ut in omnibus, quæ criminum delictorumque pœnas concernunt, judiciis harum sanctionum capitalium Volumen, in conspectu propositum sibi judices & adsessores, dum judicant, religiose versent: ut hinc agendi modum accipiant, & nihil diversum à nostris Constitutionibus dicant, faciant. Tum etiam partibus, cum doceri de aliqua re petent, quantum necessitas postulabit, judices explicent, ne per imperitiam ineptas forte instituant accusationes, aut ordine inverso contra præscriptum harum legum agant, vel injuriam cui inferant: quod omnibus modis anticipandum præcidendumque ducimus. Danda autem sunt partibus ea capita hujus Codicis descripta tolerabili pretio, si quæ erunt, quorum pleniorem considerationem & intellectum pro sui informatione requirent.

Quomodo judex de judicio recte constituto quærat.

Cap. XXCIV.

POstquam ita in judicio consessum erit, singulos adsessores judex in hæc compellans verba interrogat: LUCI, SEMPRONI, ex te scire & cognoscere jura me volunt, justumne & sufficientem hunc adsessorum, qui adsunt, numerum esse, à quo capitalis sententia in CAJUM feratur, ex animo credas? Ubi ergo non minus septem adsessorum, collegarum, consiliariorum, senatorum, scabinorum (quos variis nominibus appellant) aut octo aderunt, singuli, ut ex serie compellabuntur, respondebunt: CLARISS. JUDEX: Hoc judicium, ut occupasti, quo de crimine CAJI ultimo supplicio coërcendo agatur, ad præscriptum SANCTIONUM à KAROLO V. IMP. PP. AUG. & S. Roman. Imp. Ordinibus latarum, recte considere & concelebrari.

Si reus publice in numellis aut compedibus exhibeatur.

Cap. XXCV.

CUm jam contra reum condemnatoria sententia lata est: si qua locorum id moris sit, ut ante executionem puniendus aliquot diebus vel horis, compedibus vinctus, aut numellis collo inserto publice in foro vel ante templum aut alio loco, quo frequens it vulgus, ostendi & produci soleat istam consuetudinem sublatam nolumus.

Ut reus in judicio sistatur.

Cap. XXCVI.

HInc per justitiæ administrum, carnificem, lictorem aut apparitorem, madet judex reum ligatum in judicio sisti.

De diffamatione reorum.

Cap. XXCVII.

IN diffamatione instituenda ea ad postulata accusatoris observari præcipimus, quæ hactenus servari in quibusque judiciis solita sunt. Cum autem accusator, quia accusati fama de eo crimine non laboret,

laboret, ex remedio facto accusationem persequi nolit, & contra, reus sibi jus dici, seque absoluto sibi regressum dari adversus accusatorem desideret, eo casu diffamatione opus non erit.

De Procuratoribus & defensoribus utriq; partium dandis.

Cap. XXCIIX.

Quia neminem causa non ptius legitime discussa atque cognita damnari vel absolui fas & jus est: eam accusatori quàm reo, si nominatim petant, huic defensor, illi procurator è judicum numero concedi & designati debent. Et qui dantur, omnem operam & studium in hoc collocabunt, ut quod justum erit, quantum & de facti controversi veritate illis constabit, & juris scientia poterunt, ante omnia secundum præscriptum capitalium nostrarum Constitutionum tam agant accusando, quam excipiendo defendant: neque dolo malo malitiave scientes volentes jus calumnientur, personas criminentur: hocque pacto, quo minus recte de delicto statuatur, impediant, animosque judicum pervertant, & in transversum quovis colore rapiant. Quamobrem eos judex sacramenti religione ad officium adiget: neque in consilium eo tempore, quo sententiæ rogantur, admittet: quo judex cum reliquis adsessoribus suis libere in causa dicat sententiam. Integrum autem est & actori & reo, vel ex adsessoribus electos, vel personas extra judicium constitutas, causæ suæ procuratores vel patronos, à quibus defendantur, dare: quin ne hoc quidem prohibemus, ut si id malint, suam ipsorum met causam agant, sibi patrocinentur. Qui vero extra numerum adsessorum offeretur: hunc judex prius jurejurando adstringet, eadem fide versandi in causa, qua patronum ex adsessorum numero debere nunc commemoratum est.

1. Porro, ad sequentis capitis, quod accusationis formulam continet, faciliorem intellectum spectat, ut ubi Titii nomen, actor; ubi Caii, reus; ubi delictum, genus pro specie dicetur; nomen maleficii expresse, verbi gratia, homicidii, assasinii, furti, incendii, &c. alteriusve, de quo quæstio est, verborum compendio accipiatur & intelligatur: idque Procuratores observare meminerint. Neque hic silentio à nobis prætereundum est, ut in accusatione ex officio, libellus edatur; & inscribatur: Accusatio ex officio.

Petitio Procuratoris, qui ex officio, vel ab accusatore datus, accusat.

Cap. XXCIX.

Clariss. Judex, Titius accusat Cajum, in judicio præsentem, delicti, quod (latrocinando, incendendo, incantando &c.) commisit: prout jam ante accusatione in judicium deducta & ventilata est: simulque petit, ut in ea, probationibus indubitatis confirmata, non aliter, quam ex Karuli V. Imper. August. sacrique Rom. Imper. Ordinum Constitutionibus laudatissimis, & forensi usu frequentatis, jus in consimilibus criminibus antehac dictum est, & dici debuit, pro prudentia tua statuas: ut maleficium, convicto reo, probatum, ultima sententia tua ex justitiæ debito severe plectatur, & hinc delinquendo alii deterreantur: & omnia in ea re fiant, uti leges judiciorumque ordo postulat.

1. Si vero Procurator accusationem suam & petitionem coràm effari non possit, tunc in scripta relatam, apud judicium insinuare potest, his præfatis: Clarissime judex, peto, ut quæ accusatoris nomine accusationis capita cum adnexa petitione offero, ea ab auctuario ex hac ipsa scheda, quam insinuo, publice recitentur.

Quid reus petere & agere per defensorem suum possit.

Cap. XC.

Cum iam maleficium reus libere & constanter confessus est, aut vivis probationibus convictus erit (quæ quidem quo se modo habeant, satis, nisi fallimor, superius indicatum est) & nihil aliud sibi superesse videbit, quàm ut ad extremam recurrens anchoram, judicis clementiam imploret, ad quam ut patronus confugiat, atque animum judicis ad eam, qua potest ratione, permoveat, petet, petique curabit.

1. Sin verò maleficium non ita atrox se admisisse afferat, vel inficietur nonnulla: aut si factum quidem fateatur, exceptione tamen ejusmodi sese tueatur, cujus beneficio liberatus supplicio, reatui eximi, & levi pœna defungi se posse speret: hunc in modum verbis conceptis apud judicem per patronum agere poterit: Clariss. Judex, Cajus contra accusationem Titii, qua hoc vel illud ei delictum intentatur, repetendo excipit, quæ ante excepit, & vera esse liquido probavit: instanterque petit, ut tam de accusatione quam exceptione, exactis, quæ in judicium deducta sunt, secundum capitales Karuli V. Imp. PP. Aug. sacratissimique Imp. sanctiones nunquam satis laudatas, jure & æqua lance dispicias: ut ejus innocentia comperta, & manifesta facta, sententia tua reatui exemptus absoluatur: & Titius injustus accusator in impensas omneque damnum, Cajo, quanti ejus interest, captum, tormentis subjectum, diffamatumque non fuisse, ante exitum hujus judicii, ea forma & modo, quem eædem Sanctiones optime definiunt, damnetur.

2. Ut vero defensor à reo datus hanc exceptionis formulam petitionemque absolutionis coram judicio (recessando) eloqui non possit, vel id moris non sit, in scripta redactam insinuans, judicem compellabit: Clariss. Judex. Caii rei exceptionem atque petitionem, ex scheda à me hic oblata, palàm à scriba recitari desidero. Hinc judicis partium est, ad desideria patroni, schedas judicio oblatas prælegi curare.

Si reus quod ante confessus erat & ratificavit delictum, ad extremum revocet.

Cap. XCI.

SI reus quod ante quidem constanter & liberè confessus erat crimen, indicto capitali sententiæ ferendæ die, dolo, qui nulli prodesse debet, revocet atque inficietur: contra, judex ex inquisitione habita ab eo admissum, omnibus circumstantiis congruentibus, deprehenderit: & hoc tantum à reo quæri animadverterit, ut differat diem, impediatque executionis processum: Huic malo competens afferentes remedium, constituimos, ut judex eos adsessores (quibus cum tam confessiones tormentis excussas, quàm liberas & citra vim factas, & à reo libera voce confirmatas ratificatasque audivit) jurejurando adactos publicè in judicio interroget: rectène à reo confessiones, altera vice editas, & nunc in judicio recitatas, audierint? Quod si illi rem ita habere adnuent: judex, quid jure de reo ad extremum revocante maleficium fieri debeat, & quam pœnam maleficium mereatur, Legum peritissimos viros, superioresve suos, consulet. Quod cum observabitur, ii adsessores non amplius testium loco habebuntur, sed ut conjudices adhiberi, nec ullo modo à consessu excludi poterunt.

Quomodo Judices, adsessores, & qui judicio præsunt, post accusationem & exceptionem in medium allatas factamq; in causa conclusionem ad sententiam ferenam pergere debeant, quidq; judex ex adsessoribus quærat.

Cap. XCII.

AGitatis judicio accusationis & exceptionis probationibus, factaque causæ conclusione, judex, adsessores, & qui suffragii jus habent, acta diligentissime visa examinent & ponderent. Quod quo accuratius fiet, eò magis sententiam hisce nostris Imperiique sanctionibus accomodatam, hoc est, maleficio condignam, concipient, quæ mox in scripta redigetur: ea perscripta, judex, qui judicium moderatur, è singulis adsessoribus quæret: Luci, Semproni, &c. Hocne isto casu juris esse statuis? Hoc crimen hunc in modum, neque aliter, & hac pœna secusve puniendum, ex animo credis? decernis?

Quale responsum Adsessores subjiciant.

Cap. XCIII.

CLariss. Judex, uti acta pellecta à nobis audita, & probe excussa sunt, judiciique ordo servatus est diligenter, neque à pœna lege præscripta discessum: ita rite, & solenniter proferendam è breviculo esse sententiam ajo, suffragioque meo adprobo.

Sententia quemadmodum publicentur.

Cap. XCIV.

UBi ex ordine ab adsessoribus responsum datum erit, statim sententiam condemnatoriam, per preconem, aut actuarium juratum præsentibus & accusatore & reo, curabit judex è breviculo publice recitari: & cum pœna corporalis decreta fuerit, diserte & singillatim exprimi debet, quomodo ea pœna in corpore puniendi executioni mandari debeat: quod conceptis in eam rem verbis fieri, inferius cap. 104. ostendemus. Qua denique ratione actuarius sententiam publicandam & proferendam in ordinem redigere debeat, illud cap. 190. habebitur.

Cap. XCV.

UTut leviculum videri possit, admonendos tamen esse duximus actuarios: Nostras loquendi formas, accusatoris & rei unius tantum mentionem facere. Ne quis hoc miretur. Nam cum plures accusatores, reive concurrent, sermo plurium numero efferendus est.

Solenne, quando Judex bacillum manibus medium elidat.

Cap. XCVI.

EXtremum hoc restat, ut, accusato sententia supplicio addicto, judex baculum, quem ex more manu gestat, medium collidens infringat, atque damnatum carnificis potestati traditum, recte custodiri mandet: carnificem jurejurando adigat, ut omni studio pœnæ destinatum commerito afficiat supplicio. His peractis è judicio disceditur, & sententia è vestigio executioni mandatur.

Ne vis fiat Carnifici.

Cap. XCVII.

SEntentia publicata, baculoque manibus Judicis confracto, jam jamque reo ad supplicii locum pertracto, judex, seu qui vicariam Judicis vicem agit, sub pœna violatæ publicæ pacis prohibebit, Ne quis justitiæ administrum, dum officium suum peragit, impediat, neve vim, quantumvis casu aliquo minus feliciter munere defungatur, inferat.

Ab executione supplicii quid fiat.

Cap. XCVIII.

TAndem peracta executione, rogat Judicem carnifex, Rectène executioni sententiam mandarit? Cui Judex, si nihil desideret, respondebit: si tu quidem officium secundum sententiæ latæ tenorem perfunctus es, acquiesco.

Accusatus

Accusatus si absolvatur.

Cap. XCIX.

SIn accusatus judicum suffragiis à crimine absolvatur, pari jure absolutoria executioni mandari, & liber abire in res suas absolutus debet. Ad restitutionem verò impensarum, & damni facti quod attinet, absolutus, qui jam actoris partes sustinet, civili actione apud eundem judicem agere potest, & ab actore suo, qui in probandi onere defecit, suum consequetur.

Captiosas, inutiles, & minus necessarias interrogationes in judicio fieri non debere.

Cap. C.

ESt & hoc abusus ad nos delatum, nonnullis in judiciis captatorias partim, partim ociosas superfluasque, neque ad indagationem veritatis facientes interrogationes reis quandoque proponi: quibus cum supersederi possit, hoc etiam maximum inest incommodum, ut intricatos magis reddant animos judicum, & cognitionem impediant. Has igitur & consimiles quæstiuncularum labyrinthos, quibus non solum nihil juvatur, sed etiam differtur causæ notio, & quibus falli simpliciores possint; hac consultissima lege sublatas volumus; usque adeo, ut si quas à judicibus in posterum propositas magistratus superior cognoverit, de culpa admissa eos, qui sic peccarint, puniat, quoties id fieri contigerit: & ne quid in posterum hac in parte peccetur, severe inhibebit.

De pœnis corporalibus, quæ vitam tamen non adimunt, neq; ad perpetuos carceres damnant, quando ex officio infliguntur.

Cap. CI.

QUemadmodum autem (quod in ordine sequitur) pœnæ corporales, hoc est, corporibus, ut membri amputatione illatæ, quæ morti, aut perennibus vinculis non mancipant, ex officio decernantur & infligantur, id reservabimus in commodiorem locum, & cap. 196. explicabimus.

Ut ad mortem se comparare debeat puniendus.

Cap. CII.

PRæcipimus, ut puniendus conscientiam suam seria criminum perpetratorum deploratione atque detestatione exoneret, cujus rei gratia, ei ad supplicium prodeunti unum duosve Ecclesiæ presbyteros adjungi volumus, à quibus de immensa & inexhausta Dei clementia & misericordia erudiatur & confirmetur: ad veram item in DEUM, omnium patrem, fidem & fiduciam, plenamque spem unice, non in alia ulla re collocandam admoneatur, eique CHRISTI JESU SOSPITATORIS NOSTRI *ἱδρῶτα ἢ μερίτα* sanguineum sudorem, vulnera, crucem, meritum cruentum, quibus salutem solus cunctis credentibus peperit, sedulo inculcent: Exempla subinde, quorum vis maxima est in consolandis miseris è vita ablegandis ex locupletissimo sacrorum Bibliorum penu depromant, Davidis, Magdalenæ, Telonæ, Petri, Latronis CHRISTO appensi: Non enim ullum contra desperationem præsentius antidotum invenire est.

Ne, qui damnatis à confessionibus sunt, ad temerariam delictorum confessorum revocationem instigent.

Cap. CIII.

COnfessionarii, sic dicti, patres, puniendos ad revocanda ea, quæ vel de se vel aliis, vere constanterque dixere, ne edoceant vel incitent, vetamus: quod nulli contra utilitatem publicam (quæ suas quemque vult pendere pœnas sine procrastinatione frustranea) maleficos in tegendis criminibus confessis, vel pernegandis consilio, multoque minus ope juvare liceat. Ita enim peccata nocentium & nota esse, & commeritis plecti pœnis expedit societati hominum: è qua ablegari maleficos, & resecari putrida membra, summa exigit ratio.

De pœnis, & quemadmodum veteri jure proditas pœnas secundum nostras Constitutiones & temporum regionumq; usum interpretari oporteat.

Cap. CIV.

SI quis maleficium, crimenve, quod jura olim scripta capite luendum præscripsere, admiserit: in id, eo potissimum pœnæ genere, quod ratione longoque tempore subnixa consuetudo invexit, vel ex arbitrio suo cordatus legumque peritus judex, qui naturam ejus criminis, & quam atrox, & quam magno futurum sit scandalo in vulgus, bene appendere novit, decernet, vindicabitur. Quibus autem casibus veteres Leges Imperatorumque Constitutiones capitis pœnam infligi nolunt, iisdem neque nostris hisce sanctionibus novissimis ultimum supplicium infligimus. Sed & cum pœnas corporales, quibus tamen vitæ parcitur, jura, ad punienda quædam delicta, admittant, eas itidem pœnas non aliter decerni volumus, quam cotidianus usus, & cujusque regionis mores rationabiles ferunt, vel etiam prudens judex ex arbitrio statuet. Atque idem esto judicium, quoties vetera, velut Digestorum jura, quædam exoleta pœnarum genera statuunt, quæ nostris sæculis provinciisque non conveniunt, & partim ex vi verborum frequentari non possunt, partim etiam modum executionis non definiunt, sed judicis prudentiæ, quid ipse fieri velit, committunt, & integrum relinquunt.

1. Observandum autem judicibus, & ne latum quidem unguem à nostro hoc præcepto discedere eis fas erit, quod ita se habet: Ne, quibus delictis leges vetustæ, vel nostræ Constitutiones supplicium

tium capitis vel membri amputationem, aut infamiam non irrogant, legibus contravenientes, sanguinis, aut mutilationis membri ignominiæve pœnam ex suo ingenio decernendo statuere audeant. Quæ nos potissimum causa permovit, cur hoc capitalium Legum Enchiridio pœnas (ne quid à quoquam Judieum, Senatorum, Scabinorum hac in parte per imprudentiam peccaretur) quibus casibus, permittentibus legibus, consuetudinibus hactenus receptis essent irrogandæ, connotaverimus, atque inseruerimus.

De maleficiis, quorum pœna non sunt expressa: & rarius eveniunt.

Cap. CV.

ANimadvertendum & istud est, ut quorum delictorum maleficiorumque sequentibus capitibus pœnæ nominatim expressæ, constitutæ, aut declaratæ non sunt, de iis judices consulere debere viros consultissimos, aut superiores: quid factis ejusmodi dubiis, obscuris & raris, quod à Legum præscripto, & harum sanctionum tenore quamproxime absit, decerni quam tutissime possit. Fieri enim non posse (id quod immensi voluminis fuerit) ut singulorum maleficiorum species singulæ recitentur, & adnotatis pœnis declarentur, sæpius dictum est, quod ab ipsa rerum natura conditum sit, ut plura sint negotia quam vocabula.

Pœna blasphemia.

Cap. CVI.

PRincipio, ut DOMINO, DEO, qui tios condidit, sanctissimum nomen illibatum, & honor sartus tectus permaneat, qui honorantes se honorat: ob blasphemias vero fames, terræmotus & pestilentia oboriantur: Constituimus, ut si quis (quod convicia hominibus ingesta inulta non relinquantur) blasphemo ore DEUM OPT. MAX. impietatis, impotentiæve insimularit; qui quod DEO dandum est, detraxerit, vel negarit: quod non dandum aut imputandum, adscripserit: denique qui DEO maledixerit: Item, qui ΤΗΝ ΘΕΟΤΟΚΟΝ ΑΕΙΠΑΡΘΕΝΟΝ, aut quos sanctos Dei homines sacra prædicat pagina, injuriose proscinderit, scommatis, conviciis incesserit: is à loci judice, castri vel oppidı præfecto, ex officio in vincula conjici, & ob blasphemiam dictam, prout atrocior leviorque fuerit, in corpore, membri, velut lingoæ resectione aot evulsione; vel etiam mulcta, coherceri poterit. Quod ita tamen accipi debet, ut judices prius ad magistratum referant, qui cognitis circumstantiis secundum leges sacratissimas, præsertim novissimam constitutionem Augustanam Anno M. D. XXX. editam, quid facto opus sit & qui plecti blasphemus debeat, respondebunt.

Pœna perjurii.

Cap. CVII.

QUi in judicio, vel à judice sacramento delato, conceptis verbis sciens falsum dejerat, si qoidem in civili causa; peconiæ oomine, reive, quæ pretio æstimanda est, gratia, ut ea suum incommodum cedat, pejeret: perjurus primum ad restitutionem pecuniæ reique, cujus possessionem perjurio interveniente adeptus est, si possideat, dolove malo possidere desierit, cum fructibus & quæcunque alia perceperit ex eo contractu, reddere cogendus est: & præter hæc sententia judicis ignominia notatus, honoribus, dignitatibus, beneficiis, prærogativis omnibus privabitur. Et, quæ inveterata usuque comprobata toto Imperio consuetudo est, ut perjuris digiti, quibus sacros. Evangelus tactis falsum jurarunt, amputentur, quin vigorem obtineat suum, nihil vetamus, neque immutamus.

1. Si quis vero falsum juret, onde quem capitis damnari contigerit, eadem perjurus pœna multabitur; quam perjurio alteri intentavit.

2. Pari item pœna afficiendus est, qui ut falsum juretur, sciens dolo malo alios conducit & subornat.

Pœna eorum, qui cautionibus juratis. (urphedas vocant) contraveniunt.

Cap. CIIX.

SI quis ejusmodi crimine, ob quod per Leges & has nostras Publicorum Iudiciorum Constitutiones, capitis pœna affici potuerat, cautionem juratam de non ulciscendo scilicet carceris injuriam, ruperit, fregerit, nec se prius absolui fecerit, pœnæ capitali illi maleficio competenti prorsus subjaceat. Si vero quis aliud quidvis, quod ultimo plecti supplicio non solet, sciens licet & prudens contra ejusmodi cautionem postea admiserit, is solum tanquam perjurus, (de quorum pœna jamiam dictum est) digitorum quos jurans sustulit amputatione, vel pœna consimili affici debet. Quem si nec ita quidem cautioni pariturum appareat, de eo id suscipi debet, quod paulo post suo loco explicandum nobis reservamus.

Pœna magia.

Cap. CIX.

QUi aruspex, magus, humani generis inimicus, maleficus, ariolus, augur, incantationibus, sortilegiis, malis carminibus, nodis, illicio, Platoni ἐπῳδαὶ, καταδέσεις, κ. ἐπαγωγαὶ dictis, infelicibus artibus uni pluribusve nocuerit, damnũ intulerit, fruges incantarit, ex Lege Constantini concremabitur. Qui vero magiam exercet, aut arte divinandi utitur, nemini tamen nocuerit, quia rei illicitæ, & Deo abominandæ operam dat, merito extra ordinem puniendus erit, pro nefandi studii tractatione: & judex Togatos, quid statui debeat, consulet. Ea consultatio quomodo fiat, in calce libri exponetur.

Pœna

Pœna famosi libelli, vulgo pasquilli, pictura, &c.

Cap. CX.

QUi convicium alteri in scriptis fecerit, hoc est, libellum famosum, titulum, epigramma, carmen, picturam, alicujus famam lædens, scripserit, & ediderit, proposuerit, decantarit, sparserit; neque nomen quod in sacro fonte impositum sibi habet, & cognomen quod à familia usurpat, subscripserit. (Potest autem quisque per leges inventis & scriptis suis nomen integrum præfigere, & addere: imo vero debet.) Atque is eo libello aut carmine injuste innocentis famam suggillet, atque laceret, eundemque oneret reum quæ dicat eorum criminum, ob quæ, si probari possent, læsus saoguinis pœnæ subjiceretur: Si deprehendatur auctor, ea pœna, secundum æquissimum talionis jus, quam famoso mendacique libello irrogari convitium passo voluit, plecti scriptorem jus & fas est: Neque obstat, vera quem probra alteri objecisse & ingessisse: quod puniri debeat is, qui quemcunque alio, quam debuerat modo, diffamare attentarit: capitali quandoque pœna: interdum mitius. Adire enim ad tribunal potuisset, ubi cum suis adsertionibus veri fides fuisset opitulata, laudem maximam & præmium consecutus esset.

Pœna falsæ vel adulteratæ monetæ: & si quis sine privilegio monetam cudat.

Cap. CXI.

TRibus ut plurimum modis moneta publica adulterari solet: Primum, si dolo malo alienum signum monetæ imponatur: Deinde, si aliud metallum auro vel argento admisceatur: Tum si justum monetæ pondus tundendo, radendo, mutilando, excoquendo, adimatur. Et in ejusmodi monetæ adulteratores, (paracharactas dictos,) eo, qoo dicemus modo, ex rigore animadvertendum erit: Nempe, ut qui nummos falsa fusione formant, falsam monetam feriundo, flando cudont, aliis palam ostendunt, aut permutant, aliis persuadent, ut eam fraudulenter doloque malo, alios damno afficiendi & fallendi animo, exponant: & ipso facto exponunt, & expendunt, ii per Legem Constantini consuetudine ad nostra usque tempora confirmata, omni dilatione semota, flammarum exustionibus mancipantur: Et domos eorum, quas ad ministeria hujus criminis scientes domini elocarint, fisco vindicantur. Qui vero justi valoris & ponderis nomismati, circumcidendo & radendo, aut nova arte aliquid detraxerit, ademerit; Aot, (quia suis tantummodo studiis, ut idem Imp. rescripsit, & quibus clementia imperatoria potestatem diplomatibos fecerit, cudendæ pecuniæ, regale frequentari vult) sioe privilegio à Majestate nostra Cæsarea impetrato monetam quis percusserit, is in vincula coojici, & pro commissi gravitate corporis pœna, vel si levios peccarit, mulcta coherceri debet. Sin vero probatam quis grandiorem monetam reflaverit, & in fornacem conjectam resoloerit, ut minorem efficiat, itidem corporis pœna vel mulcta pro ratione delicti puniri potest. Et si sciente connivente magistratu tale quid fiat, tunc ipso jure cudendæ monetæ jus & privilegium magistratus ille, seu Princeps, amisit, & regali tam amplo excidit non injuria.

Pœna eorum, qui falsa instrumenta, sigilla, litteras, libros redituum, rationes, publicas accepti & expensi tabulas, indices falsos, falsa inventaria, chirographa conficiunt.

Cap. CXII.

QUi falsa sigilla, falsas litteras, Instrumenta, libros rationum, vel redituum annuorum, & censuum, tabulas publicas accepti & expensi, falsos indices confecerit, conscripserit: is, si falsum cum irreparabili damno decepti conjunctum sit, & manifesto dolo in ea re falsarius versatus sit capitali supplicio: interdum membri amputatione, ex consilio prudentum, pro circumstantiarum ponderibus puniri potest.

Pœna eorum, qui pondere, mensura vel adulteratis fucosisq; mercibus falsum commiserint.

Cap. CXIII.

QUi fallendi animo (dolus enim malus est, ex quo delicta æstimantur) pondera, mensuras, aridorum, liquidorum, vel ipsas merces, aromata, & quicquid vænumdari solet, adulterat, ac pro bonis justis quæ divendit, ad corporalem pœnam deposci potest: vel ut in exilium mittatur, vel virgis cædatur: aut consimili qua pæna, quam magnitudo delicti, & frequentia majorem exigit, vel minorem, (si in re minima sit) reddit, affici debeat. Nam si diu satis, & in magni pretii mercimoniis falsum dolo malo commiserit, non injustum, neque legibus contrarium erit talem falsarium capitis damnari: ut tamen nihil nisi disertissimis Jurisconsultis in consilium adhibitis decernatur.

Pœna termini moti.

Cap. CXIV.

QUi dolo malo terminum lapidem, fines, sepes, fossas, arbores, columnas, vel quicquid distinguendorum dominiorum causa sit, collocatur, ponitur, statuitur (seu ut fines agri sui extendat, seu ut negotium cui facessat, seu ut fines obscurentur) mutaverit, loco moverit, effoderit, transposuerit, alveum fluminis termini aliò direxerit, is pro atrocitate criminis, præsertim cum publicos amovent terminos, & secundum ea, quæ circumstabunt, vel capitali supplicio, vel mitius plecti aut castigari poterit.

Pœna

Pœna Prævaricationis.

Cap. CXV.

QUi Procurator in & ad litem datus, aut conductus, vel rogatus dolo malo prodita causa clientis sui, seu civilis seu capitalis fuerit, diversam partem adjuvarit, proprias probationes dissimularit, falsas excusationes, exceptiones, probationes, & coosimilia, per collusionem admiserit : qui causam adversariis donarit, eos in lite vincere, quibus superior esse poterat, passus sit; sponte lite concesserit; ex actoris parte in rei, vel contra, jerit: Hic, primum, clienti suo jacturam omnem, quam inde fecerit, & omne commodum, quod, ni causa prodita fuisset, percipere potuisset, quantum ejus intererit, restituere & resarcire damnas erit; Dein etiam publice in numellis (quod ignominiæ notationis signum nostris moribus habetur) exhibebitur: virgis cædetur, in exilium mittetur; aut his pari qua pœna afficietur.

Pœna eorum, qui contra naturam luxuriantur.

Cap. CXVI.

SI quis brutum inierit, conscenderit, si vir in virum Sodomitarum nefandissimos imitatus furores nupserit; si fœmina in fœminam egerit, morte crimen piabunt, in quod insurgere leges & armari jura gladio ultore Constantius & Constans Impp. jubebant. Nos vero duplicem Justiniani optimi Principis constitutionem νεαρὰν adprobantes, atque divinitus præscriptam pænam sequentes, κλινοβάντας ἀνδρομανεῖς, qui cum masculis nefandam libidinem exercere audent, ut & eos, qui huic sceleri adfines sunt, vivos exuri; inque pulveres redigi volumus.

Pœna Incestus.

Cap. CXVII.

SI quis cum privigna, nuru, noverca, aliisve adfinitate, cognatione, adgnatione priore junctis commisceatur, incestum committit: is quia legibus prohibitas adamat nuptias, & tam semina confundit, (quod etiam bruta quædam aversantur) quàm familiam suam injuria afficit, merito iis pœniarum generibus, quæ legibus & constitutionibus expressæ & declaratæ sunt, subjacebit. Præcedere autem Prudentum consultationem volumus.

Pœna raptus virginum aut nuptarum.

Cap. CXVIII.

RAptus multis olim bellis ansam occasionemque dederunt, præsertim Trojano illi decennali, quod certatim à vetustis historicis descriptum, & poetis decantatum est: & dissensionum maximarum varias inter nationes scaturigo fuerunt. Ideo bene constituit prædecessor retro noster Justinianus, ut parentibus & maritis raptores calente facinore deprehensos liceat occidere, quam in Codice suo legem descripsit: Nos autem raptorem, nuptæ mulieris, matronæ, aut honestæ cujuscunque virginis contra patris maritive voluntatem illegitime abductæ, (ut nihil penitus eo relevetur aut juvetur raptas consensisse) à patre conjugeve ad capitale supplicium posci posse constituimus. Et qua ratione pro modo admissi puniendus sit raptor, à Prudentibus consultis Judices discere jubemus.

Pœna Stupri per vim illati.

Cap. CXIX.

SI quis matronæ, (ut consceleratissimus quondam Tarquinius Lucreciæ) nuptæ, viduæ aut virgini repugnanti, & clamore auxilium poscenti, stuprum per vim intulerit, capitis reus est, communi omnium legum calculo: & protinus ad accusationem à stupratis perfectam & probatam, pari cum homicida pœna, nempe ferro puniri debet. Si quis verò, cum nuptæ, viduæ aut virgini stuprum vi intentasset, repulsus sit, quod auxilium oppressæ latum sit: hic ad accusatricis vim passæ delationem, pro conditione, & ipsius vis atrocitate, & pro ratione eorum, quæ in facinore attentato incurrerunt, ex Togatorum consilio, quod omnino judicantes adhibere decernendo, non negligent, punietur.

Pœna Adulterii.

Cap. CXX.

QUæ severissima cœlitus tradita Lex est, οὐ μοιχεύσεις, præterquam quod vagas inhibet scortationes, adulterium, abominandum & execrabile coram DOMINO malum, SUMMUS LEGISLATOR per Mosen repetita voluntate, mortis pœna plectendum testato præcepit. Et fortasse vel Augustus Cæsar Lege Julia mitiorem, quam tantum mereatur crimen, pœnam sanxit, vel mores à severitate legis & constitutionum, pravitate hominum, deviantes, mollitiem secuti sunt: merito hanc præposteram lenitatem indignam suis moribus & temporibus judicat sapientissimus Imp. Constantinus M. qui se divinis jussionibus parere debere agnovit, emendavit, & cœlesti voluntati correspondens supplicium in alienarum nuptiarum sacrilegos æterna lege sanxit, quæ in Codice Justinianeo inter alias fulget. Nos itaque eandem in usum revocantes, utriusque Decalogi tabulæ vindices nos agnoscentes, constituimus, ut si maritus quem de adulterio, reum capitis peregerit, is adulter eaque adultera secundum dictam saluberrimam & consultissimam Constitutionem morti debitæ addicantur.

1. Vicissim pari jure pari in causa utetur contra maritum adulterum fœmina: quem cum ea alterius mariti uxore, quacum adulteratus sit, ad pœnam deposcere per judicis notionem potest. Divina

enim

enim lex ita duos in unum matrimonium, quod est in unum corpus, pari jugo conjungit, ut adulter habeatur, qui compagem corporis in diversa distraxerit, & peregrino partu contaminare nisus sit. Quibus neminem Christianum jure reluctari facile animum inducimus.

Pœna Digamiæ & consequenter polygamiæ.

Cap. CXXI.

CUm ex instituto CONDITORIS DEI, sua, & una unumquemque uxore contentum esse deceat, idque omnia jura constituerint, præsertim civilia, quæ nemini, qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere permittunt: hanc legem promulgamus, ut si quis maritus, vel uxor, ligata persona, consorte & socio vitæ superstite, aliam uxorem, vel alium maritum superinduxerit, quod admissum adulterio gravius est, cum quidem competens judex inultum esse non pati debeat, & satis severa vel certa pœna veterib. legibus non præscribatur: in eos qui quæve matrimonium contraxerint cum aliis, viva conjuge vel vivo marito, & debito reddito perfecerint, non minus quam in adulteros capitis supplicio severius etiam vindicetur.

Pœna mariti & parentum, qui uxorem liberosque suo lenocinio alienæ prostituunt libidini.

Cap. CXXII.

QUia quemque castitatem colere: præsertim parentes & maritos & ex se natos ad morum puritatem vitæque innocentiam educare & edocere deceat: constituimus, ut qui uxorem liberosve suos sceleratí cujuscunque lucri causa, aliorum libidinibus prostituerit, infamia notatus jure constitutam subeat pœnam.

Pœna lenocinii, & quorum ope, auxilio consilioque adulteria conciliantur.

Cap. CXXIII.

QUoniam sæpesæpius puellæ miseræ & simpliciores per lubricum ætatis consiliique inopiam, & aliæ muliebris sexus personæ, honeste eductæ atque educatæ, perniciosorum hominum & publicæ castitatis corruptorum, nempe lenonum lenarumque blanditiis insidiisque expositæ & deceptæ in malas atque infelices prolabuntur libidines, unde pudicitiæ irreparabilis irrecuperabile damnum faciunt, quod admissum perennis conscientiæ morsus subsequitur. Hujus averruncandi sceleris causa, mandamus, ut lenones lenæve, quorum ope, opera, stupra, adulteria conciliantur, committuntur, nec non ii, qui scientes domus suas præbent, in id elocant: aut patiuntur & connivent, quod inde quæstum faciant, pro delicti qualitate, prudentum consilio, mulctentur: & vel exilio, pro numellis exhibitione, aurium mutilatione, cauterii inustione, virgarum castigatione aliave qua pœna non dissimili coherceantur.

Pœna proditionis.

Cap. CXXIV.

QUi proditionem machinatur, molitur, tractat, is, ut hactenus observatum est, fere in quatuor partes dissecatur. Si femina fuerit, in profluentem projecta suffocabitur. Quod si ejusmodi proditione de capite & salute sua periclitetur Princeps, magistratus, feudi dominus, conjux aut cognati, vel etiam civitas aut provincia tota in periculum adducatur, augeri pœna potest: ut trahæ impositus proditor forcipibus candentibus aduratur: & hinc in partes findatur: vel, quadrigis, ut solebat, in diversum actis dilaceratus distrahatur: Atque hoc summum sustineat supplicium. Mitius si plecti debeat caput proditori prius amputabitur, & truncus quatuor in partes discindetur. Quod in cordatorum. Judicum arbitrio relinquimus, qui quoties de jure dubitabunt, consultationem instituent.

1. Proditorum vero significatione non veniunt, quorum utili alicubi opera & sagacitate magistratus in requirendis reis, quos justis dedi pœnis Reip. interest, utitur: ideoque in eos hæc pœna minime quadrat.

Pœna incendiariorum.

Cap. CXXV.

INcendiarii qui deliberato animo, propter inimicitias, vel prædæ causa incenderint, si notorium sit, vivi exuruntur.

Pœna grassationis.

Cap. CXXVI.

GRassatores, latronibus proximi, qui ex proposito homines in publicis viis cum ferro aggredi, & pecuniis, vestibus, &c. exspoliare solent, si de crimine convicti sint, ut à pientissimis retro Principibus constitutum, & Legibus vetustissimis cautum est, capite puniuntur: aut si qua alia magis recepta sit pœna, ea plectuntur: ut tamen omnino ultimo afficiantur supplicio.

Pœna seditiosorum.

Cap. CXXVII.

QUi in provincia, territorio, urbe, castro aliquo, consulto animo, ad seditionem, tumultum, armatorum concursum, contra quietem & disciplinam publicam, mobile vulgus excitarit, commorit: & crimen contra eundem probatum fuerit: is quandoque gladio puniri, pro gravitate criminis: non nunquam si levius sit delictum, virgis, fustibus cædi, & in perpetuum exilium ex eo castro, urbe, territorio, provincia, in qua seditionis tempestatem concitârit, expelli debet. Et si qua inter scabinos, adsessores, senatores, disceptatio cooriatur, judex, ex prudentum consilio, partes suas interponens, quod æquissimum erit, statuet.

Pœna eorum, qui animo alios offendendi, à domo sua profugiunt.

Cap. CXXVIII.

CUm non raro accidat, ut facinorosi homines (cum prius cædem & atrocia quæque aliis quiete degentibus minati sunt) domicilio suo deserto profugiant, & ad loca suspecta atque infamia se conferant, & iis sese associent, à quibus receptati ope auxilio adjuventur, quo eos quos volunt eo loci, qua iter facere sciunt, in turba manu potentiore aggrediantur, & ad injustas conditiones, & pacta iniqua ineunda adigant, vel insigni alio afficiant damno: quibus, si quod jus esset, illud apud judicem potius exequi deberent: Hi pro aggressoribus & Pacis publicæ violatoribus habendi sunt. Et quotiens in ejusmodi latibula, & receptacula, desertis laribus solitis, abire, eaque frequentare cognoscuntur: simul & publica via utentes: vel ruri habitantes minis atrocibus terrere, bonis exspoliare, & excurrere deferuntur: ii, cujuscunque in magistratus potestatem capti pervenerint, gladio ultore, quæ pœna & ante constituta est, puniendi sunt: quantumvis cædem non commisissent: quod itinera quam tutissima esse, & quietis publicæ turbatores è medio tolli oporteat: atque hîc voluntas, non exitus, affectus, non effectus spectandus. Idem æque supplicium de iis sumendum est, qui ipso facto & talia attentarunt, & ad effectum deduxerunt.

1. Si quis autem, non quidem quo se adversæ parti difficiliorem conventu reddat, sed justo inductus metu è domo sua, in asylum forte, vel quem alium locum tutum, in quo sui copiam, quatenus jure tenetur, exhibeat, profugerit, hanc in pœnam non incidit. Ut vero quidquam judices subdubitare contigerit, Prudentum consilio utentur: vel ad eos, quos debent, hac de re[illegible]erent.

Pœna concussionis.

Cap. CXXIX.

QUi contra Leges, Æquitatem, & Pacem publicam, alterum vi, dolo concutit, aut ab eo quomodolibet turpiter quidquam extorquet, gladio plecti solet. Si quis tamen in alios inquirendi, vel etiam excutiendi jure magistratus (uti fieri posse declaramus) potestatem habuerit, nempe illud juris ab Imperatoria majestate nostra nominatim acceperit: vel qui hostem publicum, qui cuique etiam privatus hostis intelligitur, contra quem dolus & virtus adhiberi potest, concusserit: aut alia quavis justa ex causa id fecerit, (faciunt enim variæ circumstantiæ, ut qu[illegible]doque, quo prohibitum est, liceat) quam primum facti sui veram rationem reddiderit, ea pœna, quæ expressa est, non afficietur. Talia cum usu venerint, judices, à Prudentibus erudiri se patientur: quorum ad vocem, non secus atque oraculum confugient.

De homicidiis: quorum alia atrocitatem in se habent: nonnulla leviora sunt: ob quaedam etiam pœna nulla irrogatur. Ac primum de venenariis, eorumque pœna.

Cap. CXXX.

REscripsit Imp. Antonius Aug. Plus esse hominem veneno extinguere, quam gladio occidere. Quod ita se habere, omnibus persuasissimum credimus. unde & nos talem rogamus legem, ut qui malo veneno hominem enecârit, hominisve corpori nocuerit, si vir sit venenarius, latroni professo æquiparatus, vivus rota contundatur. Sin fœmina venefica fuerit, aquis submergatur, aliove quo violento mortis genere, quæ violentia fraudulenta & blanda usa sit, interimatur. Verum, si ita opus sit, cum crimen fit frequentius, ut alii deterreantur, exempli statuendi causa, purissime puniri potest venenorum artifex, si, dum ad supplicium deducitur, trahæ imponatur, & forcipibus candentibus aduratur, plures vel pauciores per vices: quod maleficii dictabit atrocitas: quemadmodum & in latronis supplicio adsignabimus.

Pœna Matris, quæ infantem suum occidit.

Cap. CXXXI.

FEminæ, quæ infantes vivos, membris distinctis præditos, clam enecant, vivæ in terram defodi, perque medias stipes præacutus adigi debet. Cui quidem supplicii generi, quia ob cruciatus moram desperationis subest periculum: si per eum locum profluens præterlabatur, submergi tales expediet. Si qua vero id teterrimi maleficii frequentius occurrat, defossionis stipidisque adactionis pœnam præscriptam, ad terrorem aliarum servari atque observari præcipimus. Neque displicet quasi media via, ut quæ suffocandæ aquis erunt, candentibus prius forcipibus adurantur. Et hic quidem judices consilium Togatorum sequi, non inutile fuerit.

1. Si quæ

1. Si quæ femina, ut modo dictum est, fœtum vivum, & forma naturæ congruente præditum, clam pepererit, atque abſcondiderit, qui poſtea exanimis inveniatur: mater autem necis inſimulata, ſeſe, quod ita fieri ſæpe ad nos relatum eſt, hoc excuſet colore, quod fœtum vivum in lucem ediddiſſe neget; hoc urgendum erit, ut omnibus circumſtantiis enumeratis, probatione legitima innocentiam ſuam tueatur, fidemque de naturali fœtus morte judicibus faciat. Hoc ſi potuerit, ſequentur judices ea, quæ cap. 74. præſcripſimus: ita tamen ut inquiſitio exactiſſima fiat. Non enim nudæ aſſertioni, nullisque argumentorum ponderibus munitæ temere credi oportet. Etenim, quam tandem adeo excordem repente erit, quæ commenticio vel hoc, vel alio prætextu, effugioque mani, uti non norit? Porro, ſi fœtum vitalem, & humana membra diſtincte habentem femina, partui proxima, clam in utero geſtarit, eundemque ſtudio, ſola enixa ſit, ne aliarum mulierum interventu res pateſiat: partum, quia ſine obſtetricantium auxilio editus eſt, jam tum ſuſpicio urget, enecatum eſſe: Et magna eſt ratio, nihil aliud captatæ ſolitudinis conſilio ſibi matrem voluiſſe, quam ut nefanam fœtus dirâ nece interempti cædem, cujus ante & in partu & poſt partum rea eſt, hoc quaſi velo obtegeret. Cum igitur malefica femina, ementito ejusmodi omnisque probationis vel fuco deſtituto defenſionis genere, præfracta inſiſtet, contra quam infanticidii (criminis omnem [illegible] excedentis) indicia, velut ſi quæ ſigna necis in infantis corpuſculo appareant: habeantur, ex eculeo interrogari poteſt, ut crimen eruatur. Quod ſi fatebitur, ei ſupplicio, quod jam conſtitutum eſt, mancipabitur. Si quæ tamen de jure juſta incidat dubitatio, conſulendi ſunt ii, quos adiri in calce harum ſanctionum præcipimus.

Pœna matrum, quæ infantes exponunt.

Cap. CXXXII.

CRimen non ſolum à ſenſu humano, ſed & ferarum beſtiarum natura alienum eſt ex ſe natos exponere, neque ſobolem ſuam nutrire velle: ideo conſtitutionem ejusmodi promulgamus, ut ſi quæ femina infantem ſuum, ne apud ſe habere & alere cogatur, exponat, & is infans reperiatur, atque in brebotropheio alatur, ut bene innocentiſſimus infantibus proſpexere leges, ne matris impietas eis obeſſet quicquam, quod prope tam nefanum ſit exponere, quàm necare: ei matri, ſi de facto indubitatis convincatur probationibus, pro maleficii ratione, ex conſilio Togatorum, pœna exemplaris irrogabitur. Si verò infans per inconſultam matris expoſitionem moriatur, ea quæ expoſuit, quia mortis cauſam dedit, capitali ſupplicio percelletur.

Pœna eorum, qui abortionis cauſam dant.

Cap. CXXXIII.

QUi gravidæ poculum præbiberit, ſeu, quo veſcatur, exhibeat, cujus vi fœtus vitalis abigatur: Præterea, qui virum hymenæo ineptum reddiderit, ſteriſemve feminam effecerit: ſi id deliberato & dolo malo fiat, ſiquidem vir ſit, homicidæ comparatur, & ferro ferietur: ſi femina, in profluentem deturbata ſuffocabitur. Si verò fœtus, quia quadraginta quinque à conceptione nondom ceſſerint, vitalis non ſit, & preſſo dato abortiat mulier, ne hoc quidem impune feret quisquam, ſed judices eam pœnam, quæ æquiſſima Prudentibus ſuperioribusve videbitur, in rem tam mali exempli ſtatuent.

Pœna Medici, qui medicamentis occidit.

Cap CXXXIV.

HIs ſubjungemus conveniente rerum ſerie medicos, qui quod negligentius in cura verſati ſunt, aut non ſatis eruditi in arte ſua medicando occiderint. Quorum quem, ſi Medicinæ peritiſſimi viri, archiatri, qui in collegio ſunt, deſultorie & non ſine periculo, ad fortunæ velut aleam, medicinam feciſſe: cave propinaſſe pharmaca ægrotis, aut ſecuiſſe, cum minime oportuent: atque hinc morti anſam præbuiſſe, pronuntiârint: incivile hoc medici factum pro damni dati ratione judices punient: prudentumque conſilium expoſcent. Prohibendi igitur ii ſunt, profiteri vel facere medicinam, qui non per ſtatuta tempora Medicinæ eruditioni inhæſiſſe noſcantur, ne medicorum conſortio ſocientur. Si quis verò medicus ſciens prudens, necandi hominis cauſa, medicinam propinârit, dederit: is latroni profeſſo æquiparatus rotæ ſupplicio adjudicandus erit.

Pœna ejus qui ſibi ipſe mortem conſciſcit.

Cap. CXXXV.

SI quis deferatur, capiaturque ob crimen, de quo admiſſo convictus vitam & bona ſua amittat: futuræ ſententiæ metu conſcientiaque ſibi violentas manus intulerit: in hujus bona hæredes non ſuccedunt: ſed fiſco, cui omnia bona vacantia concedunt, ut Conſtitutione Friderici Ænobarbæ, quam de Jure fiſci fecit, enumerantur, addicuntor. Si verò quis, hunc extra caſum, ob delictum, de quo convinci poteſt, ſed bona in fiſcum redigi non ſoleant, quod vitæ tantum amiſſione luat: ſibi vel dolore corporis, furore, inſania, aliave ex cauſa mortem inferat: ejus hærodes à bonis damnati non excluduntur: neque ulla quamvis longiſſima conſuetudine, aut ſtatuto municipali (quibus hac conſultiſſima conſtitutione vires derogamus) impediri debent: quia hæc noſtri animi voluntas eſt, ejusmodi caſibus & paribus in cauſis jura Imperialia ſalva & inviolabilia cuſtodiri.

Si quadrupes pauperiem fecerit.

Cap. CXXXVI.

QUi feram, bestiam, quadrupedem habet, alit, cui genitalis insit feritas, ut periculum sit, ne iter facientibus noceat, vel quem occidat: ea fera in urbe, oppido, castro ferenda non est, sed Dominus eam feram removere teneatur. Si enim ea fera damnum dederit, pauperiem fecerit, noxam nocuerit, hominem occiderit, pœna Domino feræ imponetur, qui pro damni dati qualitate, arbitrio judicantium mulctabitur: eoque gravius, si ante à judice aut magistratu loci feram custodire, vel dimittere jussus fuerit.

Pœna latronum, sicariorum, assasinorum, qui nullam excusationem facti allegare possunt.

Cap. CXXXVII.

LAtro, sicarius, homicida, qui se jure occidisse probare non potest, summo supplicio afficitur.

1. Quæ verò consuetudo est nonnullarum provinciarum, ut promiscue latrones, sicarii & quivis homicidæ rota plectantur, id in melius reducentes, aliquid hac in re discriminis adhibendum præcipimus, ut latrones quidem, & sicarii rota, ut dictum est, puniantur: ii verò qui hominem inconsulto calore, & iræ fervore occiderint, (quod minus lattonibus professis peccarint, reatui tamen eximi plane nequeant) gladio feriantur. Augeri autem homicidiorum deliberatorum supplicium debet, cum ex circumstantiis accedentibus aggravatur crimen: velut, si occisus sit, qui in dignitate versatur, aut honesto natus loco: si dominum suum, patronum, parentem, conjugem, adgnatum, cognatum vel adfinem quis interemerit (ubi Legi Pompejæ locus est) ut forcipibus candentibus aduratur, & trahæ injectus reus ad supplicium raptatur.

De homicidiis manifestis, quæ jure facta, pœna eximunt reum.

Cap. CXXXVIII.

IN omnibus maleficiis non tam qoid fiat, quam quo animo, quibusque de causis fiat, spectandum est. Unde evenire videmus, ut homicidia quoque committantur, propter quæ, quia ex justis, & legibus adprobatis causis fiunt, nullo reatu auctor teneatur: sed ab omni pœna tam civili quam capitali, atque etiam ab Ecclesiastica censura immunis fit. Quas quidem causas & casus, quia omnium interest cognoscere, ne quis per ignorantiam judicantium ad immeritas deposcatur pœnas, totum negotium sequentibus declarare visum est consultum.

Quos moderata sui tutela excuset.

Cap. CXXXIX.

QUi, cum justam vitæ corporisque sui defensionem suscepisset, eum, qoi vim injustam intulit, occiderit, omni culpa caret: quod defensor propriæ salutis in nullo peccasse videatur.

Inculpata tutela moderatio qua dicatur.

Cap. CXL.

QUi armis, telo lethali, ferro, lapide mortem alteri per vim intentat (si aggressos fine vitæ corporisque periculo, honoris & famæ suæ jactura, ulla ratione effugere, abire, evitare periculum nequeat:) iste aggressor, omni jure permittente, vi contraria repelli, & ab aggresso in dubio vitæ discrimine constituto necessariam sui defensionem suscipiente vulnerari, imo & occidi potest, neque vim vi repellens pœnis ullis subjacebit. Nemo autem donec feriatur aut vulneretur, & licitam sui defendendi occasionem è manibus dilapsam amittat, sibi expectandum putet: quod adeo verum est, ut nulla consuetudo, neque lex ulla municipalis in contrarium veniens obstare debeat, possitve.

Ejusdem probatio.

Cap. CXLI.

JUris est axioma: unumquemque de facto suo teneri: & id defendere, vel luere: Ita jure merito ei, qui à commisso homicidio, quod non inficiatur, inculpatæ tutelæ moderamen prætenderit, & jure factum contenderit, contra quem accusator insurgens id negat, incumbit tutelæ moderatæ probatio omni jure. In qua si occubuerit, homicida punietur.

Quando & quomodo accusator inculpatam tutelam neganti, probatio cadis injusta incumbat.

Cap. CXLII.

QUoties actor ab occiso primum vim illatam (quæ inculpatæ tutelæ basis est) & offensum alterum fatetur, aut constanter & vere negare non potest, his tamen verbis replicat: Reum hac inculpatæ tutelæ exceptione ideo se tueri non posse: quod aggressor occisus vim inferendi, & mortem intentandi, causam legibus probatam pro se habuerit: verbi gratia: Quod in adulterio comperto cum uxore aut filia sua, vel noctu furtum facientem, aliudve grave delin quentem domi suæ, occisus deprehensum, letho afficere potuerit, tamque ob causam lege permittente vim justam intulerit,

captumve

captamve detinere potuerit: Aut, quod occisus ex officio, armata vi reum ad deditionem cogere, quia à magistratu hoc jussus fuerit, minari & offendere, licuerit: quod nemo, quin jure fecerit, inficiari possit: Aut hoc objiciat: Homicidium illud de quo quæritur, ideo inculpatæ tutelæ nomine non venire, quod tum temporis, cum aggressor occisus esset, aggressus superior pugna fuerit: ideoque repulsa vi extra periculum constitutus recedere, & nihil tale perpetrare debuerit. Seu hoc asserat: Quod occisus, quamprimum vi contraria repulsus sit, statim abierit, discesserit, quem reus sponte, non coactus, pone insectatus sit, & in fuga, abiiuve occiderit. Vel denique hoc urgeat actor: Quod reus sine ullo capitis periculo, famæque jactura cedere loco, & effugere, seque recipere tutum in locum potuerit: & ideo homicidam esse, &, hac tutelæ exceptione abutentem, eaque eludere judicium & judices fallere conantem, damnari non posse, contendit. Istas à nobis commemoratas (& quæcunque aliæ in eam sententiam replicationes afferri ab accusatoribus possunt) is actor, si contra reum vim illatam falso allegantem obtinere in judicio velit, ante omnia se eam qualitatem, quam hoc modo intendit, probare debere meminerit. Qui si hoc debito sun se exsolverit, probationemque legitime deduxerit, præstiterit, perfecerit, seu ex earum numero ea objectio, quas recitavimus, seu non multum dispar, parisque momenti alia sit, ejusmodi tamen quæ admitti possit, si actor plene probaverit, reo hæc exceptio denegabitur: & frustra, sibi vim primo illatam esse, jactabit. Quamobrem eum, qui occasionem scelere suo dedit, de vi justa quærentem, judices rejicient.

1. Contra si actor vim primum justa ex causa, & ideo juste illatam, ostendere non possit: adversus quem reus de inculpatæ defensionis moderamine liquido judices doceat, & ubi lethali telo vim factam, neque aliud, quod consultius esset, potuisse, quam sicarium se aggredientem occidendo, jam jam imminentis fati mortisque metu præsenti animo caput & salutem suam liberare, demonstret: hoc casu exceptio admittenda est: ita tamen ut ab utraque parte producti testes si qui haberi possunt oculati audiantur: & in factum ipsum diligens habeatur inquisitio.

2. Hoc porro loci animadvertendum esse duximus, quod singulare habetur. Si quis vim primum illatam, sui defendendi, & vim vi propulsandi justam causam habuerit: interea verò dum se defendit, non omnia ea, quæ in moderata tutela requiruntur, stricte observant, & septa quidem finesque jure nostro præscriptos egressus fuerit, hoc opus, hic labor erit, adnumeratis singulis facti totius circumstantiis perpendere, qua in re limites illos excesserit: qua prætergressus modum: qua occurrere aggredienti aliter atque aliter (si modo furor sanum admittit consilium, & quisquam primos animi motus in manu sua habet) debuerit: quibus ad æquitatis examen revocatis, & juste adpensis, pœna mulctave mitior modo, modo gravior irroganda erit, quidquid ex consilio prudentum judices statuendum existimarint, verum enim est de juris apicibus hîc agi: in quibus enodandis religiosissimos esse judices oportet, quod ut præclare Divus Trajanus rescripsit, satius interdum sit, impunitum relinqui facinus nocentis, quàm innocentem damnare. Atque hæc cum vulgi captum superare non ignoremus, parcius attingere placuit.

De homicidio remotis, ut ajunt, arbitris, nullis præsentibus testibus commisso, cui inculpata tutela moderamen prætexitur.

Cap. CXLIII.

SI quis nemine præsente, & vidente alterum, solus solum, extra aliorum conspectum, hominem occiderit, & cædis auctor tutelæ moderamen prætendat, cui contra accusator fortiter reclamet: perspicienda sunt judicanti utriusque personæ, tam occisi quàm ejus qui cædem patravit, conditio atque vitæ status: locus, ubi cædes facta dicatur: quo quisque armorum genere usus sit: quæ & quot quisque vulnera acceperit: quo se modo ante & post factum homicidium gesserint, & affecti invicem fuerint: quis eorum ex vita ante acta majorem fidem & innocentiæ opinionem mereatur: quid causæ fuerit, quid spei reum commovere potuerit: id est vetus illud, CUI BONO hominem eo loci, quo occisus est, tali tempore, interfici, aut vim illatam esse. Hinc, ni fallimur, pronum erit judici, illud pervidere, reone inculpatæ defensionis clypeo se munienti credendum sit, necne. Namque ut ejusmodi tutelæ præsumptio, cum cædes manifesta est neque negatur, locum habeat, causas esse magnas & graves, quæ contra occisum faciant, velut disertissimus Tullius P. Clodium hominem conscleratissimum, vel insidiarum nomine jure sublatum, copiosa oratione Annium clientem suum defendens affirmat, necessum est: quas si liquido probatas reus contra interemptum, suæ causæ patrocinandi causa, afferat, quin absolvatur, nihil vetabit. Eæ causæ quales sint, his sanctionibus enucleari nihil opus est. Atque hic denuo mente tenendum est, Reo, qui ait, si modo præsumptiones tales sint, quas attendere operæ precium sit, onus probandi injici debere: quod tamen hac cum salis mica accipiendum, ut & actorem, qui adversus reum opponere, & probare objecta possit, audiri, neque excludi, aut à judicio repelli oporteat. Sin vero in utramque partem, verisimilibus argumentis & actore & reo instructis, res intricata propendeat, ut ea recte dijudicetur, Prudentibus omnia, quæ incidisse memorantur, explicanda erunt: quo rectius respondere possint.

Si adversus feminam inculpata tutela prætendatur.

Cap. CXLIV.

SI, qui feminam occidisset, moderatæ defensionis exceptione utatur, inspiciendæ sunt atque inter se conferendæ viri illius, & mulieris occisæ qualitates: quibus armis usa sit illa, quis hic, qui pugnæ modus fuerit, & quæ vulnera inflicta: ut his in considerationem deductis, apertius consilio

Prudentes adesse possint. Licet enim improbabilius, virum ad sui defensionem à muliere cogi posse dicatur, & credatur: fieri tamen, ut virago quæpiam mollem, meticulosum & effeminatum virum, verbis provocet, à quibus ad verbera, & rursus ab his ad arma (quæ furor ministrat) deveniatur, & ita vir insensam insania feminam vi repellere cogatur, negandum non est. Fidem autem suæ exceptioni conciliabit reus, si feminam telum lethale strinxisse, eoque necem intentasse: se, minus noxium telum habuisse, ostenderit.

Si non percussor, sed alius, præter voluntatem vim vi repellentis, occidatur.

Cap. CXLV.

Si quis Tertium, illac forte iter facientem aut forteforttuna supervenientem, dum se justo moderamine defendit, punctim cæsim, cominus contra aggressorem pugnans occiderit, si modo fraus nulla intercesserit, & vim facientem ea ratione repellere aut impedire voluerit, coactusve necessitate fuerit, à pœna excusatur, fatoque singulari potius, quàm noxæ, imputatur factum ejuscemodi.

De homicidiis casu, nec occidendi animo, factis: extra moderatam tutelam.

Cap. CXLVI.

Si, qui rei licitæ, loco ei rei exercendæ destinato, operam dederit, casu, citra culpam & dolum, hominem occiderit, hic multis nominibus & causis, quibus enumeratis supersedemus, absolvitur, & excusatur. Quod ut dilucidius percipiatur, subjecta hypothesi manifestius declarabimus. Cùm Tertius in tonstrina sua (qui locus ei negocio commodus est) Sempronio barbam raderet, inopinato casu in manus tonsoris jactatum quid est, aut tonsor percussus, unde gula ejus, quem radebat, cultello præciditur. Exemplum dari & hoc potest: Si balearis quis funditor, aut miles in campo Martio jaculatoribus atque militaribus exercitationibus destinato, jaculis ludens, palum jaciens, dum telum emittit, bombardam ad metam exonerat, transeuntem transcurrentemve læserit, trajecerit: vel si, cum nondum collimasset, telum invito manu fugerit, atque hominem occiderit, quia improviso casu factum est, nulla horum culpa intelligitur.

1. Si verò tonsor in via publica, aut ubi homines ex consuetudine tonderi non solent, quem radat: aut miles sagittarius, sclopetarius sive bombardarius in alio loco, quam qui ad exercitandum datus est, ut qua vulgo iter fit, ejaculatus fuerit: aut si imprudenter arcum, tormentumve in loco ipso destinato tractarit & versarit: si quis ab eo tonsore vel milite occidatur, quod in lata culpa sint, puniri possunt. Humaniores tamen in homicidiis per lasciviam imprudentiamve & invito auctore admissis: severiores in plectendis, studio & deliberato factis judices esse præcipimus: Et si quæ cædes ejusmodi facta deferetur, Togatos consulant, qui, quæ cuique facto apposite respondeat pœna, ex jure ejusque arte, pro sua peritia, statuent. His & paribus aliis exemplis non obscure ostenditur, quæ homicidia casu fiant, & quomodo rei excusentur. Unde factum est, ut in homicidiorum casu factorum modò casus contingant, & in iis diversi diversa, & tantum non contraria statuant; isthæc à nobis materia, non plane sicco pede transmittitur, sed hac mediocri planaque explicatione enodata, ut quid sequendum, quid judicando fugiendum sit, omnes intelligant: neque rem scitu tam necessariam ignorent. Neque tamen multa pro circumstantiarum varietate, subtilius (quam quæ ad oculum demonstrari possint, ratione percipienda) excogitata esse discrimina diffitemur: quare ut monuimus, quo tutius sententias suas ferant judices, neque in ancipiti tot factorum discrepantia labantur, Prudentum quoties opus fuerit, consilio utantur, neque illud temere aspernandum norint.

Vulneratus si moriatur: & utrum vulnus morti causam dederit, necne, quæstio exsurgat.

Cap. CXLVII.

Si quis vulneratus non è vestigio, sed post temporis, hoc est, aliquot dierum interstitium moriatur, quæstio agitari solet: Ex vulnere mortuus sit, necne. Ergo quid attendendum sit, audiamus. Poterunt ab utraque parte (ut ante de probationibus dictum est) testes in judicium produci: potissimum verò chirurgi, vel medici, quibus utpote peritis in sua arte credendum sit: deinde & domestici ac vicini: quorum illi de vulnere, lethale fuerit, num secus: at hi, quam se bene æger ad medici præscriptum in cura gesserit, num cibis potuque interdictis usus sit: Num ob intemperantiam aliquo novo symptomate correptus fuerit: itemque & hoc, an si ipse sibi deesse noluisset, convalescere potuerit, necne: denique quamdiu à vulnere supervixerit, jurati depoent: & consultum erit, judices à jurisconsultissimis viris responsum exposcere.

Pœna eorum, qui cum homicidium in rixa, vel digladiatione fieret, sibi invicem auxilium tulerunt.

Qui conspiratione facta, destinata voluntate, deliberatoque animo, hominis occidendi causa, sibi mutuam opem auxilium ferunt singuli, quod occidendi animum habuerint, capitali supplicio afficiendi sunt. Si verò alii pugna ex rixa casu exorta incalescentibus animis in impetu junctis

viribus

viribus hominem occidant: si quidem is, qui manu sua cædem perpetravit, deprehendi possit, ut homicida ponietur: reliqui tantum de vulnerato tenebuntur: Sin, qui occisus à pluribus, quorum nomina certa sint, vulneratus & percussus fuerit: & is qui peremerit, & cujus manu interfectus occubuerit, ignoretur: ex his omnes, qui lethale vulnus occiso inflixerint, pœnæ homicidii subjacebunt. Cæterum de pœna eorum, qui cum aliis suppetias ferrent, lethali vulnere occisum non percussere: Item, quid agendum sit, si quis per tumultum, aut digladiationes occidatur, neque eorum quisquam, qui occiderint, certò sciri possit: id consilii superest, ut consilium à Prudentibus, quibus judices quidquid circumstantiarum investigare poterunt, exponent, & consilium, ut suo loco dicetur, expetent: quod nostri instituti non sit, ad vivum omnia resecantes, singulos casus recitare: quod alia atque alia facta pro diversitate varia requirant judicia.

De cadavere occisi ante sepulturam inspiciendo.

Cap. CXLIX.

ITaque ut nihil eorum, quæ tam ad probationem quam dijudicationem quæstionis, (eone ex vulnere exspirarit occisus, potueritue diligentia curæ supervivere) desideretur, & ne postquam justæ sepulturæ traditum, hoc est, terra conditum corpus inquietari opus sit: judex unaque duo ex adsessoribus (quos & Scabinos dici, dictum est) actuarium & chirurgum unum seu plures, si haberi possint, juratos ad domum defuncti mittent, qui ante cadaver, quam funus ducatur, diligenter inspiciant: & omnium vulnerum, ictuum, & quæcunque symptomata accesserint, quid viderint, animadverterint, consignationem accuratam instituant.

Alia homicidiorum genera, in quibus nulla culpa admissa & pœna cessare intelligitur, si modus quidem non excedatur.

Cap. CL.

POrro, enumerari & alia homicidiorum genera possunt quæ ex causis minime prohibitis fiunt: si modo modus adhibeatur: ut qui in adulterio cum uxore, domi suæ, aut filia in stupro ἐν ἔργῳ deprehensum occidit, quod enucleatius cap. 121. exposuimus.

1. Par est ratio ejus, qui alterius defendendi causa, vim injustam ab amico depellens, aggressorem interfecerit. Adeo favorabilis est à natura nobis insita defensio: & percussorum audacia legibus exosa, atque ipsi humanitati contraria.

2. Eodem habendus loco furiosus, quem fati infelicitas excusat, qui pro absente, ignorante, & adeo pro mortuo, in omnibus habetur: itemque infantem, si hominem occiderit, innocentia consilii tuetur.

3. Præterea lictores, officiales, ministri prætoriani, viatores, quorum muneris est reos requirere & in vincula deducere, temerario periculosoque conatu resistentes, & in officio se impedientes, impune occidunt.

4. His addimus, si quis domi suæ, quem noctu rem illicitam tentantem, aut facientem deprehenderit, cui sine periculo parcere non possit, occidat.

5. Et, quem casum superius retulimus: si quis à fera, in qua Dominus feritatem tantam ante nunquam animadverterit, enecetur, dominum feræ non videri occidisse, extra tamen culpam non esse. Item si quis hastiludiis concurrentem, aut in palæstra se exercentem, sine tamen dolo, occiderit.

6. Item, si arborum putator ramum dejiciens prætereuntem, ubi tamen, proclamarit, necne, attenditur, obtriverit; Vel qui venationi operam dans, & in feram telum mittens, hominem percusserit. Hi casus multum reapse inter se differunt, cum fiat, ut excusationem quandoque mereantur, aliquando secus; quæ quidem ad amussim revocare, locus hic non patitur, tum maxime, quia paucis efferri, quandoquidem vulgus judicum in harum rerum cognitione defatigari & impingere soleat, non possint. Quare tutissimam viam monstrantes, præcipimus judicibus, ut si tale quid incidat, Juris consultos, vel eos, quos debent, adeant, neque ex jure Lesbiam faciant suo ingenio fidentes regulam; aut ullas sine probabili ratione consuetudines, & legibus nostris è diametro pugnantes, quas judicando sequi velint, novè introducant, neque prius, quam justo examine unamquamque causam perpenderint, decernant. Illud enim si locum habere debebit, nihil certe fieri à religione judicantium alienus, dici potest. Ejusmodi namque judices primum in manifestos incidere errores, deinde apertam multis facere injuriam; tum inconsulto hac ratione immerenti fuso sanguine manus conscientiamque suam commaculare necessum est. Et ista consequi, nemo non sanus videt. Neque vero desunt judices, qui reos jam convictos intempestivo complectantur favore, quorum causæ cognitionem ideo protrahere consueverunt, ut temporis longinquitate, delicti interea atrocitate exolescente, vel mitius puniantur vel etiam elabantur, & pœnis ultimis eximantur. Hos nunc discere & cognoscere volumus, quam graviter peccent; eoque nomine, & divina & humana vindicta exposcente accusatoribus sedulis, qui publicam utilitatem præmiis remunerandam quærunt, ad satisfactionem elusione omni exclusa teneri; Vnumquemque enim judicem (nisi se turpissimo polluere perjurio, cujus certissimus vindex JEHOVA est, animæ salutem in periculum vocare, & caput suum diris omnibus objicere velit) ex legibus æquo & justo, sepositis affectibus, quantum ex certa allatorum probatorum scientia sibi constabit, statuere & decernere in omnibus causis oportet. Si quid exuperare captum animadvertet, ad Prudentes velut anchoram confugiat; vel ad eos, quos superiores agnoscit, referat, eo maxime quod ad causas ad publicam tranquillitatem commodumque, & sanguinem humanum effundendum pertinentes recte dijudicandas, κρίσις ἀκριβὴς judicium acutum & perpolitum, summaque prudentia desideretur.

Qui exceptionem suam reus probare teneatur.

Cap CLI.

SI, qui de maleficio fatetur, eas afferat sui facti causas, quibus jure factum defendat, iisque probatis pœna capitali liberetur, (declaratæ autem à nobis sunt ii casus & causæ, quæ ab ultimo supplicio reos absolvunt) judex antequam quidquam agere pergat, interpellans reum interrogabit: Possitne exceptionem suam, quæ nihil aliud est, nisi à pœna excusatio, liquido probare? Quod si se facturum citra comperendinationem elusoriam offerat: exceptionis (exceptionumve suarum, quod pluribus uti non prohibeatur capita, & quæ alia pro se suique facti defensione allegans in medium afferre poterit, ab actuario consignari curet. Igitur judex habito Prudentum coosilio, (si capita illa, seu defensionales articuli, quibus probatis reus reatui exsolvi possit, pro idoneis & concludentibus habeantur & probentur) eum reum ad probationem admittere & audire debet: neque tamen actorem, si quid replicare habeat, à judicio repellet. Id quo meliore ordine administretur, à magistratu loci audiendis testimoniis, quæ partes producent, commissarii constitui debent, & iis omnibus prospicere, quæ eam ad rem requirantur: non aliter quam cap. 62. & sequentibus præscripsimus, & hæc quidem pro norma servabuntur. Io his autem si quid controversi incidat, judex Prudentes consulat.

Articuli defensionales si non concludant.

Cap. CLII.

SI verò communicato cum Prudentibus coosilio, capita exceptionis, licet facta reo probandi facultate satis & plene probarentur, ea judex ad perimendam maleficii pœnam oon relevare viderit: ea probandi, quia frustra susciperetur negocium, copia reo deneganda. Quio potius ad sententiæ dictionem & publicationem, quod in manifestis maleficiis moram interponi nihil opus sit, judices mature festinabunt.

Reo se ad exceptionis probationem offerente de sumptibus in litem faciendis, quomodo caveatur.

Cap. CLIII.

SI, qui hominem occiderit, in vinculis factum fateatur: idem tamen sese exceptionum supra enumeratarum quacunque defendat, onde vel absolvi mereatur: aut multam, pœnamve aliam levem, levissimamque subiturus sit: hoc casu adgnati rei ex arbitrio judicis & quatuor adsessorum, quorum erit impensas æstimare, actori idonee cavebunt, ni exceptionem suam reus in jure probarit, sumptus omnes accusanti, salvo judiciali moderamine, restitu iri: quos, si plane commenticia, vel non satis idonea exceptio foret, facere cogeretur. Non enim commodiore via indemnis actor servabitor: nec reus ipse ementitis prætextibus elabi ullo modo poterit. Ceterum & in impensarum æstimatione jurisperitorum consilio judices utentur.

De paupertate rei qui exceptionem probare vult.

Cap. CLIV.

CUm autem nemini paupertas sua fraudi damnove esse debeat, atque pauperes in jure miserabilium personarum loco, ideoque favorabiles sint: fieri potest, ut homicidii sine dolo, sed caso vel inculpata tutela commissi reus adeo pauper sit, pauperesque adgnatos, à quibus cautio, litis impensas restitu iri, præstari non possit, habeat: Quo tamen casu exceptionem sufficienter esset probaturus necne, merito dubitari possit: ne igitur innocens propter inopiam capitis luat pœnas, Judicis partium erit, in singulas cædis circumstantias, quantum potest, inquirere, quas magistratui descriptas transmittet, rescriptumque expectabit: & sumptus inquisitionis, cæteraque omnia, quæ in eam causam expendet, ex publico faciet.

Absentem damnatum, si in carcerem ex post facto deveniat, audiendum esse.

Cap. CLV.

ABsens ne quis puniatur, neve damnetur, rescriptum est: quod inaudita causa quemquam damnari æquitatis ratio non patiatur. Diverso tamen jure nonnullæ provinciæ, ex consuetudine utuntur, quod in medio relinquentes, constituimus, ut si is, qui ob homicidium proscriptus fuit, capitur, è vinculis causam dicere velit, hoc est, ad exceptionis suæ probationem se idonee offerat: ei reo hoc non tam beneficium quàm debitum legitimum ex judicis arbitrio indulgendum, neque denegandum esse.

Quomodo reus in judicium exceptionem ante deducat, quàm in carcerem conjiciatur.

Cap. CLVI.

QUi prius, quàm in vincula mittatur, delictum suum jure defendere volet, se quantocyus ad capitalis judicii tribunal sponte sua sistet, quemadmodum in ejuscemodi casibus, ex legibus municipalibus, aut moribus observari consuevit: Hinc in utramque partem diligens inquisitio habenda judicis & testimonia tum etiam virorum integræ atque illæsæ opinionis dicta, quæ ab utraque parte proferentur,

ferentur, audienda: Neuteri denique partium, id, quod per civilia jura, æquitatem, & consuetudinum receptarum observationem facere licet, sine caosa adimendum: contra quam in aliquot judiciis fieri inaudimus. Qui enim causæ suæ bonitate fretus ultro judicem adit, seque in judicio stiterit, præterquam quod conscientiam se intus absolutentem habere præsumitur, cui judicis vocem suffragari desiderat, si judicio manifesta sententia, innocens pronuncietur, nulla ei neque calumnia postea fieri, nulla privata neque publica vis inferri, sed libero prodire publicitus pede, libera aura frui, & uti foro debet.

De furtis. Quam varia eorum genera & pœna sint, consectaneum est ut dispiciamus.

Cap. CLVII.

REm non novam introduximus, cum furta, quæ XII. primum tabulis capitali pœna plectebantur, gravius punire nostra ætate solemus. Sed antequam ad atrociorum furtorum pœnam descendamus, varias eorum species recensebimus: & omnium primum de levissimo eoque nec manifesto furto videbimus. Si quis igitur prima vice humana infirmitate, ut videtur, circumventus infra quinque solidos, aut rem tanti non æstimari dignam furatus sit, & cum furto, ante, quam quo deferre vel deponere destinârat, pervenerit, non deprehendatur, neque quisquam post furem proclamarit, eumve diffamârit: quo & illud accedat oportet, ne fores, arcamve, aut quo res pecuniave conclusa continebatur, effregerit, ruperit: neque scalis admotis aliuve in eum locum compendio ascenderit: hoc furti, ut dictum est, nec manifesti, & minimi genus est. Istud furtum, si postea compertum, & fur cum re furtiva aut sine ea capiatur, judex furem, ante omnia furtum restituere, ei, cujus rem fraudulenter contrectavit, & duplum dare, si in ære tantum habeat, damnabit. Sin furis inopia hoc non patiatur, in corpore luet: hoc est, ad tempus carcere detentus punietur: & si tantum in bonis non habeat, ut duplum soluat, rem ad minimum furtivam, vel quod ex ea supererit, reddet, restituet: vel etiam, simplum soluet: aut quo potest pacto cum læso transiget. In qua transactione prima ipsius simpli, hinc mulctæ à magistratu dictæ, demum alterius simpli domino restituendi, si tantum possit fur, ratio habebitur. Et alimentorum quoque nomine, quæ in carcerem, carcerisque causam impendit, ut sunt sportulæ officiis exsoluendæ, tenebitur, si modo tantum in facultatibus furis superfuturum sit. Tandem cum dimitti volet, meliori modo & forma cautionem de non ulciscendo conceptam (quæ & turbarum emplastrum, & publicæ quietis singulara vinculum est) præstabit.

De furto manifesto.

Cap. CLVIII.

SI quis in primo furto, quod quinque solidorum valorem non attingit, prius quam rem eo loci quo destinarat pertulerit, ἐπ' αὐτοφώρῳ deprehendatur: aut, cum quis ad comprehendendum furem procurrerit, vel proclamarit, is tamen fur nihil fregerit, ruperit, nec in locum editiorem ascenderit: furtum manifestum commisisse dicitur. Atque hic quidem hac proclamatione & concursu facto ita diffamatur, & onetatur, ut jure pro numellis publice exponi, virgis cædi, & relegari possit. In primis autem læso furtum, aut æstimationem, si soluendo sit, fur ante omnia restituere debet: & eum in modum qui capite præcedenti dictum est, cavebit. Si vero fur, quia honesto loco natus, iisque moribus sit, de quo melioris spes frugis habeatur, eum judex, ad magistratum relatione facta, civili aliqua pœna mulctabit: ut quadruplum ei, cujus interest, qui actionem furti habet, restituat: Tum, cætera superius dicta, observentur.

De furto violento, quod per effractionem, aut in locum superiorem adscensu fit.

Cap. CLIX.

SI quis in furtum faciat, fores arcamve ruperit, effregerit: aut in ædes scalis admotis, vel alia quavis ratione adscenderit: aut cum telo (quo eos, à quibus se impediri, aut comprehendi metuit, repellat, & lædat) eo scilicet animo, ut furetur, domum alterius ingressus sit: seu hoc primum, sæpiusve admiserit, seu magnum exiguumve furtum sit, & fur in comperto furto deprehensus sit, seu post de eo crimine sit diffamatus: hic furtum deliberatum & destinata voluntate nec sine violentia fecisse dicitur. Ideo, quia vis à tali fure cum telo accedente metuenda est: si vir fuerit, suspendio: si femina, submersione puniendi sunt: aut alia quavis extra ordinem pœna, pro personarum qualitate ex arbitrio judicis, velut oculorum effossione, manusve amputatione, coherceri possunt.

De furto quinque solidorum, vel majoris pretii.

Cap. CLX.

SI primum furtum magnum sit, quo quis quinque solidus vel amplius contrectarit; nulla tamen earum adsit circumstantiarum, quibus furta atrociora fiunt & aggravantur, ut sunt effractio, ruptio, adscensus in ædes, teli gestatio: tale furtum (etsi simplex & nec manifestum sit) tamen magnitudinis pretii contemplatione majori pœna plecti oportere, quam quo res minoris valoris contrectatur, nemo non animadvertit. Inspici enim omnino æstimatio rei furto ablatæ debet: (non quidem quasi rei magnitudo sola delictum augeat, sed argumentum sit certissimum dolosi consilii, & exquisitæ fraudis.) Et illud quoque considerari oportet, deprehensusne cum re fuerit, & de furto cum ipsa re diffamatus necne: (hoc est, sitne ex hoc accideoti, quia visus & ei fuerit acclamatum, furtum factum manifestum vel etiam violentum, & per effractionem perpetratum:) præterea, & conditio

personæ

personæ furtum committentis attendi debet, & quantum intersit ejus cui res subrepta est, furtum factum non esse: ut pœna vel capitalis reo infligatur: vel pro modulo admissi attemperetur. Quæ sane cum non nisi ab iis, qui diu multumque in forensibus negociis & legum tractatione versati, judicium exacuerint, & experientiam consecuti sint, rectè dinosci & decerni possint: mandamus ut judices ab his consiliū petentes totum factum iis aperiant, & exponant, qui cum singulas inspexerint circumstantias, de jure respondebunt. Verum enimuero, si eum, qui quinque solidos, aut valorem, vel amplius, furatus fuerit, ut pacem publicam violasse videatur ex Friderici Imper. Constitutione suspendi laqueo debere, juris est: non iniquum est, hunc, qui quid effregerit, ruperit, scalas admorit, aut cum telo accesserit, factum suum morte expiaturum: idque adeo certum, ut nullius Legum periti schola eo nomine amplius adeunda sit.

Si furtum iteretur.

Cap. CLXI.

SI quis secundum, quo nihil effregerit, ruperit, neque scalas admorit, furatos sit, & de otroque furto ex inquisitione habita, quæ qnomodo instituatur, explicatum est, judex reum convictum teneat: neque conjnnctim illa doo furta quinque solidorum æstimationem excedant: hoc casu, quia fur, furti repetitione habitum sive adfectionem furandi habere, & in posterum eodem in delicti genere malus, præsumi potest, primum admissum exaggerat alterum. Ideo fur iste pro numellis exhibebitur, & hoc pacto punietur, ut relegatus territorium ejuret: vel etiam territorii fines egredi prohibeatur, ab eoque cautio solita exigatur. Neque furi secundum furanti, deprehensum, vel ad se proclamatum nnn esse quidquam prodest. Sio quinque solidos duobus furtis excesserit, Prudentum consilio standum erit.

Si quis tertium furatus sit.

Cap. CLXII.

QUi tria admisit furta, si in vincula deveniat, & post inquisitionem veritatis de tot furtis convinci possit, is pro famoso fure, qui furandi habitum acquisierit, habebitur: & latroni æquiparabitur, qui homines furti causa occidere audeat. Atque hic pro tot admissis, si vir sit, laqueo, si femina, aquis suffocabitur: aut alio supplicii genere. quod in quaque frequentius erit provincia, afficietur.

Circumstantiæ quando furtum exaggerent.

Cap. CLXIII.

SI in uno eodemque furto plures circumstantiæ, (quas supra enocleate expositas, onerare fures, & atrociora reddere furta diximus) concurrerint, pœna judicando decerni debet, quæ condigna audaciæ delicto accedenti videbitur.

De furibus impuberibus.

Cap. CLXIV.

IN infantem, quia doli capax non est, furtum non cadit. Si quis autem puer, seu quæ puella, annis quatuordecim minor, furtum commiserit, capitali supplicio, nisi gravissimus de causis, nunquam affici: sed alia qua pœoa, ut commemoravimus, exacta de non ulciscendo cautione, emendari debet. Et si usuveniat, ut fur, qui jamjam decimumquartum ætatis annum completurus sit, furtum rei magnæ admiserit: aut eæ circumstantiæ, quibus aggravari hoc delictum diximus, incurrant, ita ut maoifesto malitia ætatem suppleat & adeo exsuperet: quid statuendum sit à Prudentibus judices edoceri volumus: qui, quid convenientissimum sit, respondebunt.

Expilata hereditatis, & rerum amotarum, pœna.

Cap. CLXV.

SI quis animi levitate, incogitantia, consiliive inopia, clam ex hereditate jacente, ad quam vocattr, quid subtraxerit: aut si uxor maritusve res dotales, aut ex donatione propter nuptias amôrit: & eam ob rem conjunx, coheresve contra conjugem, coheredemve jure experiatur: de eo judices, ad Prudentes explicatis facti circumstantiis referent, à quibus quid statui oporteat cum edidicerint, id judicando sequentur. Atque hac utraque actione judex vel magistratus ex officio neque accusat, neque damnat: ut sufficiat, mercenarium ejus officium intervenire.

Qui fame vel frigore coactus cibum, vestes & similia furto abstulerit.

Cap. CLXVI.

CUm quovis modo se salutemque suam non mious conservare quam defendere & redimere liceat: fames autem (quam, quod Rom. historiæ parens asserit, unam natura vinci non sinit, & Josephus belli judaici scriptor, τὸν λιμὸν πάντων παθῶν ὑπερεστάναι prodidit) inevitabilem inducat necessitatem, qua omnes soluit leges, & culpam omnem incolpabilem facit: merito etiam sapientissimæ antiquitati visum est, parcere ei, qui esurientem replere velit animam. Igitur, si quis per diram famem, aut frigus diuturnum & insolens, quæ maxima vitæ incommoda cum uxore & sobole vincere aliter nnn possit, cibaria, obsonia, vestes, surripiat: si quidem furtum rei magnæ & maoifestum sit, de pœna Judices, quos opus est, consulent. Sed, quod tentant pragmatici, ejusmodi furem, licet ad pinguiorem fortunam pervenerit, de æstimationis restitutione non teneri, quam belle asserant, ipsi viderint. Sane, quantumvis furtum tale non puniatur, calumniæ tamen actione furi esceario vestiariove accusator non tenebitur.

Deglan-

De glande, frugibus, fructibus, & quidquid ex agris percipitur, furto ablatis.

Cap. CLXVII.

EUm, qui noctu alterius glandem sublegerit, messem, fruges, fructus, stantes, pendentes, pomumvè decerpserit, demessuerit, interceperit, prata detonderit, aut pecus suum depascendi gratia immiserit, aut quæcunque alia ex agris percipi solent, lucrandi animo, ex alieno agro, quem ad alium omnibus modis pertinere noverat, contrectarit, abduxerit, avexerit, abstulerit: furtum vere commisisse dicimus, ordinariaque pœna plectendum. Cui consequens est, ut, si quis interdiu alterius fruges fructusve, ut eorum dominum magno afficeret damno, unde rei familiaris jacturam non facile resarciendam patiatur, sciens dolo malo avexerit, subripuerit: hoc factum pro furto puniatur. Si quis item interdiu rem esculentam, ut ex arbore pomum, è vinea uvam, præteriens forte, auferat, decerpat, quod damnum non magnum afferat, is pro personæ conditione & rei qualitate civiliter tantum punietur, idque prout locorum consuetudines ferunt.

Furum lignariorum, & arborum furtim cæsarum, pœna.

Cap. CLXVIII.

QUi ligna jam cæsa, secta, furto aufert, furtum dubio procul committit: & pœna dignus est. Qui verò in alterius silvam ingressus, lucrandi animo arbores clam succiderit, ex moribus cujusque regionis & loci puniri potest.

1. Gravius autem in eum qui vel, cum cædendæ materiæ tempus annuum menstruumve non esset, ex observatione Lunæ, vel edicto prohibitum, ut noctu, diebus feriatis, vel alias: alterius arbores furtim succiderit, animadverti sana suadet ratio.

Fures piscarii ut puniantur.

Cap. CLXIX.

QUi è stagno, vivario, area piscaria, pisces asservatos furto aufert; furti pœnæ subjacet: Si verò è præterfluente, privati dominio subjecto, pisces furtim capiat, is pro qualitate personæ ratione piscandi, & damni illati quantitate, ex Prudentum consilio, quod consulentibus judicibus suggerent, in corpore, aut pecuniæ summa mulctabitur.

Si quis depositi vel commodi furtum committat.

Cap. CLXX.

COmmodatarium, si re ad usum non destinata abutatur potius quam utatur: item, qui alienas res penes se depositas & custodiendas datas, sciens dolo malo, inviro creditore, unde deteriorationem res sentiat, contrectarit, utrumque pœnali furti actione teneri & puniri posse, nemo est legum cognitione vel leviter tinctus, qui ignoret.

Sacrilegium quod dicatur.

Cap. CLXXI.

QUod semel Deo dicatum est, non sine scelere profanari, & in usus humanos converti potest. Ideò qui sacrilegium commiserit, hoc est, res sacras, vel quascunque in locis sacris constitutas compilarit, extra controversiæ aleam se gravissimo obstringit crimine: quod trifariam fieri traditur: Primum, si quis rem sacram, aut Deo, hoc est, divino cultui dicatam in loco sacro: deinde si rem sacram in profano: tum si rem non sacram in loco sacro, furtim auferat vel intercipiat.

Pœna sacrilegii.

Cap. CLXXII.

QUi hierothecam sive ædiculam, in qua ἄζυμος, hoc est, consecratus panis repositus habetur, compilaverit, vivus uret. Si verò alia sacra vasa aurea argenteave, calices, patinas, thuribula, anathemata seu donaria, furto quis auferat, seu locis sacris profanisve id fiat, singula sunt sacrilegia: Item, si quis furandi animo, ædem sacram, sacrarium, cui illa ædicula inclusa est: vel adytum effregerit, seu instrumentis aliis reserarit, recluserit: pro qualitate facti, mortis pœna plectetur.

Eleemosynarum sacrilegium.

Cap. CLXXIII.

IS, qui sacrarum eleemosynarum arcam sive capsam, gazophylacium, effregerit, ruperit, reserarit, aut aliis artibus inde pecunias pauperibus alendis elargitas piorum liberalitate extraxerit, seu in ipso opere dum suffurari conatus sit, deprehensus fuerit: capitis supplicio, vel quidquid Prudentes statuerint, afficietur.

Quod sit sacrilegium minimum.

Cap. CLXXIV.

SI quis interdiu res sacras minoris pretii (extra eas, quas diximus majoris esse & haberi momenti) ex æde sacra abstulerit, velut cereos, candelabra, altarium vela: quæ fur neque in templum illicito loco atque tempore ingrediendo, aut effringendo quidquam auferat, si quis res privatorum in ædem sacram depositas, subripuerit, si tamen ille fur templum vel sacrarium vi non effregerit, aut clam reseràrit: Hæc sacrilegia ex circumstantiis differentibus recte distinctis & expensis, ea plecti pœna, quam in furtis rerum pure profanarum infligi ostendimus, debebunt.

1. Appendicem his omnibus adjicimus: severius sacrilegia, quæ contemptum religionis habent, quæque admissa ad sacrilegiorum naturam accedunt: mitius atque moderatius furta alia puniendas esse.

Personarum conditionis rationem in furtis habendam.

Cap. CLXXV.

TAm in furtis, quam sacrilegiis, quæ in locis rebusve sacris committi declaratum est, ot & aliis quibuscunque delictis, fantis necessitas, impubertas, consilii inopia, & alia, quæ his similia sunt, in furibus, & delinquentibus, inspici debent. Non enim minus in capitalibus, ad absolvendum quam condemnandum: quam in civilibus causis ad negandum & liberandum, SI HABEAMUS OCCASIONEM, propensiores esse debemus, ut odia constringentes, favores ampliemus.

Pœna eorum, a quibus vis damnumve metuitur, & de eorum custodia.

Cap. CLXXVI.

SI quis contra cautionem, non ultum iri, vel, de non offendendo à se præstitam, facto aliquo, cujus pœna capitalis non sit, venerit & egerit: Item, si quis (ultra vim ante factam, aut spolium simplex, de quo satisfecerit, vel transegerit, vel punitus sit) de armis sive vi denuo inferenda, nudis quidem verbis vel epistola, sine tamen circumstantiis factum aggravantibus, comminari pergat: atque etiam si quid conatus sit, (quod tamen ultimo plecti supplicio non mereatur, qui casus est cap. 178. ad quod proxime accedemus:) Verum tamen si justus his minis & conatibus subesset metus, qui in virum fortem cadat, & ex causis, quæ afferendæ & deducendæ sunt, talis describatur, cui temere fidendum non sit, qui non jactationis causa ista dicat faciatve: denique ea sit persona, quæ minas suas executioni mandare soleat, & animum inquietum dissimulare ullo modo nequeat: Hoc, ubi in judicio à parte probatur, judicibusque adprobatur, nec tantæ facultates accusato sint, quibus de damno infecto, quod jure timetur, cavere possit: Constituimus merito, ut metus iste à cervicibus bonorum & officiosorum gentium civium, competenti remedio efficaciter depellatur: quod omni jure prohibitum sit, ne alter alterum vi armata, dolo malo, ex proposito & insidiis lædat, & hoc pacto pax publica perturbetur: Serio itaque mandamus, ut is, qui tam effrenato in alios animo, indomitaque mente fuerit, in carcere tam diu detineatur, quousque personæ justum metum alleganti & probanti, idoneè, non offendi, caverit: Quod judicis ordinarii officio fieri volumus: eam tamen cautionem levissimis de causis (quod [illegible] esse placeat: ut desperatis tantum morbis extrema, ignem ferrumque, remedia adhibent medici) nisi præsens & ob oculos versans, inque sensum cadens periculum suaserit, Prudentum consilio accedente, exigi non debere cavemus. Igitur qui de ejusmodi factis dictisque in judicio accusatur & convincitur, in ejusdem judicii vinculis detineatur. Et captus reus si ex suo, unde se alat, heredio, sive patrimonio non habeat, tantum actor lictori, quantum judex, qui & alimentis & sportulis modum dicet, arbitrio suo decrevit, sumptus dabit, & de iis subministrandis cavebit. Ut verò neque actori, unde has faciat impensas, superetit, ex publico reus aletur. Sin captus tantum in bonis, sub ejus magistratus, sub quo domicilium habet, districtu, vel principis alterius jurisdictione territoriove possideat bonorum redituumque, unde custodia alimentorumque sumptus commode deduci possint, eos sumtus, illo magistratu minime vetante aut impediente, ex iis prædiis bonisve, fieri omnino æquum pronunciamus.

Pœna eorum, qui ope, consilio maleficos juvère.

Cap. CLXXVII.

OPem, auxilium ferri tribus temporibus, vel ante delictum: vel in ipso delicti actu: vel post delictum commissum, ita pragmaticis distinguentibus, intelligitur: qui hoc amplius: Eadem pœna eum, qui auxilium secundo tempore, quod sit proximum delicto, tulerit, cum auctore criminis plectendum esse, tradunt: nempe istud in genere dictum sustineri posse non ambigimus. Et sane κατὰ τὸν ὀρθὸν λόγον verum est, eum qui maleficum, ope, auxilio juverit, suppetias tulerit, pœnam non levem mereri. Quod pro varietate factorum, aliarumque circumstantiarum occursu perpendent Prudentes atque magistratus, qui referentibus Judicibus consilio tam præerunt, quam aderunt.

Pœna conatus ad delictum.

Cap. CLXXVIII.

SI quis non extrinsecis tantum & remotis factis, ut apparatu telorum, veneni mali præparatione, &c. sed proximis, quæ ad perfectionem criminis pertingunt, maleficium designare conetur, in quo tamen divinitus quasi immissis obstaculis contra voluntatem deliberatam, opere complendam impeditus fuerit: hic animus malus, hæc mens mala & ad malum projecta, hæc male faciendi libido, è qua quid intus fuerit, promanârit, si manifesta facta deprehendatur, extremo supplicio quibusdam atrocioribus casibus percellenda est. Aliquando tamen gravius: interdum, observato delicti genere levius punitur conatus, quo in negocio judicum prudentia elucebit, qui ut tutius decernant, Togatorum clarissimorum consilio utentur.

De iis,

De iis, qui per ætatem, furorem, aut aliis ex causis delinquunt.

Cap. clxxix.

SI quis per ætatem doli fraudisque incapacem, furorem non simulatum, aut aliud mentis non sanæ vitium: vel quia præcipientis imperio parere necessum habuit: Item, per vinum, somnum, iram, amorem insanum, deliquerit: de eo facto, observatis & consignatis circumstantiis, ad eos, quos opus est, & optimum videbitur, referent iudices.

Pœna commentariensis, qui reos clam dimittit.

Cap. clxxx.

COmmentariensis, qui diarium custodiarum conficit, ita veteribus dictus, idem cum carceris custode est: hominum genus quod fere omnia violenter & acerbe facit. Quo in officio minime ii constitui debent, qui corrumpi se de facili patiantur, aut quibus, quod contra publicam utilitatem est, persuaderi possit: neque etiam iis, qui moribus immanes sint. Atque si horum cui carcerum cura demandata est, qui capitalis reum criminis sciens effugere siner, ei pœnæ generi, quod reus si non effugisset, sustineret, se subiacere norit. Si vero per negligentiam custodis, sontium quisquam effugerit: ea negligentia pro ratione delicti & Prudentum consilio in commentariensi cohercebitur.

De officio actuarii seu scribæ, aut notarii iudicii.

Cap. clxxxi.

VLtimæ non sunt actuarii partes, neque contemnendæ in capitali iudicio operæ, sed adprime necessariæ. Is igitur ea fide atque diligentia, qua se iureiurando iudici adstrinxit, eoque ordine, quo singula fiunt, accusationum & defensionum capita, recessus, omnia denique acta, distincte & singillatim consignabit. Et ut prima tempore, ita & prima ordine, delatio (antequam de persequenda accusatione vadibus actor caveat, vel se custodiendum una cum reo sistat, atque etiam quæstiones suscipiantur, vel de ullo supplicio incidat deliberatio) adnotari debet: quæ quidem delationis sive denuntiationis consignatio, præsentibus iudice, eiusve vicario, & duobus ad minimum iudicii adsessoribus, ab actuario nullo addito, dempto nullo, bono ordine, & fide bona fiet: Deinde ut accusator ad cœptæ accusationis principium, vades in iudicium produxerit: & quos dederit: aut (quia non omnibus in promptu & facile est, vades dare) si dare prædes nequeat: an & quibus persequendæ accusationis conditionibus custodiæ dari se permiserit: quæ singula ex cap. 14. colligi possunt.

Ut nomen suum, & qui præsentes cuique actui adfuerint, diem annumque actis adscribat actuarius.

Cap. clxxxii.

POsthæc, quæ contra asseret atque afferet accusatus, cum primum extra tormenta de facto suo interrogatur, conscribi debent: & hoc amplius, annum, diem, horam, qua quisque actus susceptus & peractus fuerit, & qui interfuerint, adnotabit scriba: subjiciet etiam nomen & cognomen suum: & quod eorum quæ scripserit auritus testis fuerit, subscribet.

Ut quæ indicia & probationes actor habet, & deducet, conscribat.

Cap. clxxxiii.

QVod plurimum consuevere rei, ut accusationes nude negando repellant, sciendum est, non satis esse vel accusasse solum, vel negasse. Ergo accusatori probationis onus, quod indubitatis iudiciis perficitur, incumbet: & ea indicia, præsumptiones, suspiciones quæcunque in iudicium vel apud adsessores eius causæ notioni datos, proferet, quæque iis indiciis probabuntur, diligentissime actuarius adnotabit.

Ut vicissim rei allegationes chartis mandet actuarius.

Cap. clxxxiv.

POstquam indicia, ut iam in principio harum nostrarum Constitutionum docuimus, & suspiciones criminis probatæ fuerint, & pro probatis recipiuntur: de suo delicto citra torturam reus serio interpellabitur, quod ni sponte fateatur, aut se legitime purget, de quæstionibus habendis mentio injicietur: atque hoc quoque loci actuarius tam quæ rogando, quam respondendo proferentur, & quæ interea ex inquisitione cognoscentur, conscribet.

Ut idem confessiones rei adnotet.

Cap. clxxxv.

SI ad quæstiones deventum fuerit, ea quæ tortus fatebitur, quæque de crimine confesso nominatim, ut unum quodque ad investigandam facti veritatem faciet, & quæ dehinc vera confessioniq; congruentia deprehendentur, scriba suo officio functurus consignabit.

Ut, quæ in convincendo reo geruntur, perscribat.

Cap. clxxxvi.

QVod si accusatus crimen nude inficiabitur: contra quem adversarius probationum urgeat, ut solemnibus accusationis impletis confundat reum, nec ea omittet actuarius. Sin magistratus ordinarius certos eius rei notioni homines delegarit, quidquid & iis cognoscentibus peragetur perscribet.

Vt idem Rei defensiones adnotet.

Cap. clxxxvii.

FAtente vero delictum reo, qui defensionis suæ causa, ea excipiat, quibus reatui eximatur, ea nempe & quas probationes, instrumenta, testimonia adducet, & quæ ex inquisitione cognoscentur, denique omnia, quæ ad commodiorem iudicum informationem servient, consignabit.

Vt adnotet, quomodo ad officium delata sit accusatio.

Cap. clxxxviii.

POrro nec id diligentiam actuarii effugiet, cum ex officio accusatio instituetur, neque privatus existat accusator: nempe, quomodo ad iudicem devenerit diffamatio, quæque accusatus responderit, & cetera, quæ peragentur, singula consignabit.

Vt scripta asservet, in libellos redigat, & secreta ne pandat actuarius.

Cap. clxxxix.

IGitur acta, ut accusationes, seu à privatis aut ex officio magistratus instituantur, ita & defensiones, confessiones singula, uti dictum, diligenter scriba capitalis, suo quodq; loco & ordine adnotabit: atq; ut in civilibus caussis per libellos agitur, ita & hoc progressu iudiciario in libellos quævis redigat, & cuivis actui annum, diem, horam, qui præsentes adfuerint, adscribet: Nomen suum, ut explicatum est, addet: ut hac ratione in scripta redactis & dispositis omnibus, tuto & libere secundum Legum præscriptum sententia ferri, aut si opus sit, ad Prudentes, vel Superiores referri de negotio possit. Quo in munere suo ita versabitur, ut fidem, quam iudici dedit, exsolvens muneri suo omni studio satisfaciat: nihil arcani foras effutiat: quod & sui officii esse intelliget. Denique eos libellos, in quos acta rediguntur, statim ut è iudicio discedetur, tuto in loco clausos asservabit.

Actuarius uti sententias concipiat.

Cap. cxc.

ITaque cum delictum, maleficium, crimen, instituto ex nostris sacrique Ro. Imperii Constitutionibus progressu, certum est, de quo reus convictus, & sententia publicanda sit: Eam actuarius iis verbis concipiet & concinnabit, ut die executionis ad mandatum iudicis publice ex periculo recitari possit.

Admonitio.

Cap. cxci.

IN sequentibus capitibus, qua Caii nomen erit actuarius, qui præscribet sententiam, rei nomen & cognomen, atque patriam adnotabit, & delicti generis voce, illud quale quale sit, ob quod vel plura, condemnatio facta est, explanabit.

Forma sententiæ, quæ morti vel perennibus vinculis mancipat.

Cap. cxcii.

AD accusationes, exceptionem, & alia in iudicio acta, perlecta & discussa, ad informationem & diligentem de crimine habitam inquisitionem, quæ omnia secundum tenorem sanctionum capitalium à KAR. V. Imper. Aug. & sacratissimi Imp. Rom. Ordinibus latarum & confirmatarum facta & peracta sunt, istæc nominatim sententia à IVDICE & adsessoribus, pro tribunali iusto numero præsentibus & legitime procedentibus, contra Caium lata est ob delictum, quod occidendo, incendendo, &c. commisit,

Sententiarum clausula.

Vt (qui exurendus damnatur) vivus flammis ultricibus exuratur, & in cineres redigatur.

Vt (qui ferro, securi, &c. percutiendus est) gladio ad mortem feriatur.

Vt (qui in partes quatuor secandus est) quatuor in partes dissecetur, atque ad mortem mulctetur: partes cadaveris singulæ singulis in viis publicis suspendantur & defigantur.

Vt (qui ad rotam damnatur) rota suffractis cruribus & brachiis vivus letho demittatur: & sumpto supplicio eidem rotæ imponatur.

Vt (qui furcæ adiudicatur) è furca publica laqueo aut catena suspendatur, & morte plectatur.

Vt (quæ aquis suffocanda est) aquis submersa vitam in profluente finiat.

Vt (quæ defodietur) viva in terram defodiatur, & stipite per mediam adacta transfigatur.

Qui trabe imponendus est.

Cap. cxciii.

ACcumulantur etiam supplicia, cum reus ob plura maleficia, vel insignem unius atrocitatem puniendus venit. Fit enim, ut quis in ultimo supplicio afficiatur, & alio velut præparatorio affici possit, ut condemnatus ad ignominiam trabæ illigatus ad locum supplicii pertrahatur: quod si decernatur, sententiæ publicandæ sequentia verba actuarius adiiciet: Et ad supplicii locum usque Caius trabæ impositus à quadrupedibus trahatur.

Qui candentibus adurendus est forcipibus, vel uncis trahendus.

Cap. cxciv.

SI sententia hoc habeat, ut damnatus forcipibus candentibus ustolandus sit, hæc sententiæ adpendix adnectetur: Et anteultimum supplicium vehiculo impositus, trahæve illigatus, usque ad destinatum executioni peragendæ locum ducatur, trahatur, Caiique corpus forcipibus candentibus aduratur, ternis quaternis vicibus.

Sententia ut concipiatur, cum is vinculis addicitur, à quo vis metuitur.

Cap. cxcv.

CVm legitime habita inquisitio, & indicia super vi inferenda adprobata sint, quæ debent: Ne à Caio vis ulli fiat, damnumve inferatur, sententia iudicum decernitur & declaratur: Caium qui præsens est, in carcere detineri tamdiu debere, quousque, defervescentibus animis, idoneè prædibus & prædiis caverit, neminem hominum à se offensum, neque res, pecunias, bona, prædia ullius turbatum iri.

De pœnis, quæ citra mortem, & perpetuos carceres infliguntur.

Cap. cxcvi.

SI quis ob delictum rite probatum, de quo convictus fuerit, in corpore puniendus sit citra mortem; Iudex non prius, quam ad Superiorem suum, Prudentesve eade re retulerit, sententiam feret: atq; eam in rem adsumptis quattuor adsessoribus, quos circa hoc negotium bene versatos viderit, quos etiam parere iudici ius est, eandem sententiam ex officio suo confirmabit, atque ab actuario publicari curabit. Idem deinde Iudex à se latam sententiam executioni mandari omnimodo efficiet.

Sententia corporibus citra mortem infligenda quemadmodum concipiantur.

Cap. cxcvii.

IN causa vertente inter N. & N. iudiciario ordine, qui à KARVLO V. & Rom. Imper. Ordinibus introductus ac confirmatus est, recte riteque observato, iudices decrevere, Caium ob delictum admissum puniendum esse.

Amputatione linguæ.

Cap. cxcviii.

VT in numellis publice exhibeatur, eique lingua exerta amputetur, & relegetur, donec concessa à magistratu licentia revocetur.

Mutilatione digitorum.

Vt in numellis proponatur, eidemque digiti duo, quibus sublatis periurium Deo invocato commisit, resecentur: hinc in exilium abeat, donec ei gratia à magistratu fiat.

Aurium resectione.

Vt in numellis publice exhibeatur, aures Caio amputentur, & solum vertere iubeatur, donec magistratus permissu civitati restituatur. Ita fit, ut & cauteriis alii insigniantur.

Fustigatione seu virgarum castigatione.

Vt pro numellis sistatur, & fustuario emendetur, vel (quod nunc magis usus adprobat) virgis cædatur, è territorio exulet, donec ei gratia redeundi fiat.

1. Meminisse & hoc actuarios volumus: ut, si quis ob delictum corporis pœna afficiatur, simul autem læso ex ea causa quid debere sententia declaretur, ut raptam furtove subtractam rem reddat, vel etiam ex suo multam dare, aut damnum alteri factum certa quantitate compensare iudicetur, quod capitibus aliquot, præsertim 107. & 120. cum sequenti, nec non eo quo de levissimi furti pœna agebatur, ostensum est: tunc eius pecuniæ restituendæ in sententia verbis disertis inseratur necessitas.

Sententiæ absolutoriæ forma.

Cap. excix.

SI eum, qui de crimine delatus, & in carcere custodiave detentus, accusatus fuit, ordine iudicario secundum nostras & Imp. Rom. Statuum Leges capitales observato, sententia iudicum absolvi contigerit: ea sententia eum in modum concipi debet, quem iam exponemus, itidemque ab actuario recitari publicè debet.

Cautio sive admonitio.

Cap. cc.

IN sequenti capite, ad formandam sententiam & recte intelligendam facit, ut sub nomine Titii actorem; Caii reum: Delicti appellatione, quidquid puniendum erit, accipiatur.

Verba sententia absolutoria.

Cap. cc1.

IN causa criminali, vertente inter Titium & Caium: visis & ponderatis actis actitatisque: ad accusa-
tionem delicti, cuius Caius qui in iudicio præsto est, à Titio insimulatus fuit, & accusati exceptiones:
& quæ alia in iudicium uutionem deducta fuere, tum etiam diligentem habitam inquisitionem: prout
ad præscriptum KARVLI QVINTI, sacrique Rom. Imp. Ordinum Constitutionum capitalium con-
cta acta & peracta sunt: Caius iudicum sententia & suffragiis ab omni corporis sanguinisque pœna ab-
solvitur, & pro absoluto pronunciatur, declaratur atque habetur. In quo, si accusator legitimam pro-
babilemve accusandi causam habuisse certis documentis ostenderit, Iudex litis iuspensas compensa-
tione mutua tolli iubebit. Si quid vero litigantes damni passi & litis sumptuum resarciendorum nomi-
ne mutuis petitionibus se consequi posse existimant, id apud eosdem iudices civili instituta persecutio-
ne obtinebunt. At si ex officio facta accusatio est: de ea re apud magistratum principemve superio-
rem experiantur.

Vt acta iudiciaria diligenter adserventur.

Cap. cc11.

ACta, & ipsas sententias, in caussis capitalibus latas (quemadmodum omnia consignari debere di-
ximus, cum de actuarii officio præcipimus) penes iudicium, & in archivo eiusque potestate asser-
vari, atque loco tuto custodiri debere mandamus: quo, si ea edendi, aut secundum res olim iudicatas
simili in casu pronunciandi necessitas inciderit, depromi sine mora possint.

Ne quis error ab actuario committatur.

Cap. cc111.

SI quis actuarius hîc ex nostris præceptionibus, de iis rebus quas ad munus suum pertinere viderit,
præsertim si de concipienda sententia dubitarit, se non satis instructum agnoverit: iudices suos, ut
errorem omnem evitet, consulet: quod si nec à iudicibus satis plane res explicari possit, Prudentes
ipsi iudices adeant.

Sportularum custodibus debitarum modus qui sit.

Cap. cc1v.

NE sumptus & sportulæ hisce in caussis in immensum excrescant (quorum magnitudine multi ab
excusationibus deterrerentur: unde paucos tantum, pluribus liberè pro libitu delinquentibus, pu-
niri contingeret: id quod non sine Reip. palpabili detrimento, iustitiæque neglectu fieri non ignora-
mus) iis magistratus modum, qui singulis locis conveniat, dare debere, placet: ut nemo ultra nummu-
los cruciatos septem in singulos dies lictori, cum ad alendum, tum custodiendum reum expendat: Et si
quibusdam in locis minus dari consuetudine receptum sit, nihil immutantes, illud servari volumus.
Quæ autem salaria iudicibus, & adsessoribus, item & actuariis, carcerum custodibus, suppliciorum ex-
ecutoribus debentur, eorum nihil ab accusatoribus, quibus, quia utilem Reip. operam navant, offi-
cium suum damnosum esse non debet, sed ex publico ærario exsolvetur.

Ne iudex, ut iudicet, quidquam accipiat.

Cap. ccv.

MAlo exemplo pessimæ rei morem aliquot locis inolevisse nobis suggestum est: iudices, quoties
reum capitali addicunt supplicio, non solum munera accipere, sed etiam, quod intolerabile est,
petere nil erubescentes audere. Quod, nisi iis in provinciis fiat, ubi officia publica sub hasta venundan-
tur, quo qui emit, vicissim vendat necessum, ferendum minime ducimus. Nihil enim magis contrarium
iuriiurando iudicis, quod in auspiciis officii sui præstat: neque repugnans magis quidquam BONI & IN-
CORRVPTI IVDICIS MVNERI, quales iudices sub nostro Imperio militare & honoribus fulgere
volumus: ceteros ignominia notatos dimitti. Præterea hoc totum, nempe lucri spe, homines damna-
re, ad quos conservandos omnia iura scripta sunt, totum plane omnibus legibus & æquitati è diametro
obstat. Quid enim ab ipsius carnificis contemptissima professione, cui in singula capita merces solvitur,
hæ iudicum harpyiarum rapinæ distent, facile apparet. Itaque constitutis ex publico salariis & annonis
iudices contenti, nihil tam ob damnandum quam absolvendum paciscentes, in posterum nullibi loco-
rumve quidquam accipiant: tantum, ut petant, absit. Quod severissime inhibitum omnes omnino
noverint.

De bonis reorum, qui in fuga degunt.

Cap. ccv1.

SI, qui requirendus adnotatus erat, profugerit, eius bonorum omnium, & rerum soli & moventi-
um, quantum eo in territorio possederit, ab actuario iurato inventarium confici, & descriptio fieri,
indice duobusque adsessoribus, qui suspecti non sint, præsentibus, debet: ad quam quidem descri-
ptionem duos vel tres rei profugi cognatos iudex convocabit: ne quid ex iis bonis reo alienare per-
mittatur, & per hoc illius fuga instruatur. Ea autem quæ facile subripi vel auferri possunt:
itemque ea, quæ mora deteriora fiunt, & servando servari nequeunt, aut quovis alio modo in-
tereunt: hæc iisdem personis, cognatis & adsessoribus adhibitis, æstimata iudex divendi atque
distrahi curabit: & pretium inde redactum una cum inventario apud iudicium in deposito erit,
ubi tutissima in custodia, uxoris, liberorum, heredumque commodo asserventur. Quod si vero fugitivi

cognati

cognati, bona in inventarium relata, antequam apud iudicem deponantur, aut postquam deposita sunt, apud se esse elegerint, id sane concedendum est sanguinis effectui: ita tamen, si prius cautionem, nihil alienari, neque reo fugienti quidquam ex iis subministrari, donec vel redierit & se purgaverit aut in fuga constituti causalisque pendens iure iudicio finiatur, idoneè præstiterint. Tum vero, si cognati bonis fugitivi curatores dentur, necessaria uxori liberisque alimenta ex iis bonis, à iudice decreta præstabunt. Ceterum, ex reliquis bonis, sine decreto magistratus, cuius etiam cavere est, ne quid ei qui profugit medio tempore à debitoribus solvatur, cognati nihil immutabunt.

Si res furtiva aut vi raptæ possessa in iudicium veniant,

Cap. ccvii.

SI quæ res furtiva aut vi possessa in iudicium venerit, qua cum fur aut raptor non deprehendatur, eius rei custodiam in se iudex capitalis suscipiet, ut ei, cui rapta aut furto sublata erat, si hoc dominus rei vel bonæ fidei possessor iudicem docere possit, sine mora restituatur. Neque obstat, diversam loci consuetudinem esse: quæ abusus potius dicenda. Si rem restituendam Primo non esse, quod non plenam, sed qualem qualem probationem domini seu possessionis suæ produxerit, visum sit iudici: ne lites augeat, & in præiudicium aliorum quid faciat: cum post secondus exstet, qui eandem rem petat, ut de ea cognoscatur & quamprimum definiatur apud civilem magistratum, iudex curabit, litigantes eo remittens. Hoc tum potissimum ibi locorum observandum, qua de causis civilibus & criminalibus diversa fora constituta sunt: & ubi adsessores non absque difficultate atque sumptu in unum coguntur & convocantur: quod ipsa ratio, ut impensis supervacuis parcatur, suadeat. Igitur partes ad forum causarum civilium iudex amandabit. ubi Primus fideiussoribus datis cavebit, aut si fideiussores habere non possit, iuratoriam præstabit. Secundo, si causa cedat, iudicatum solvi, cum impensis, iudicis arbitrio æstimandis: Vicissim Secundus, qui in iure respondet, eundem in modum cavebit.

1. Cum autem Primus rem sibi furto vel rapina ablatam evidentissimis probationibus ostenderit, ei res litigiosa iudicis civilis sententia adiudicabitur & restituetur. Quod si vero Secundus rem in iudicio sibi vindicare velit, deque restituendis, eo quo diximus modo, litis impensis caveat: si, post rem primo adiudicatam, iotare non possit, se vitii in re inhærentis inscium, legitimo titulo & causa legib. non prohibita rem eam adquisiisse: aut, si rem à Secundo, malo titulo, adquisitam Primos probet: Secundus tam in id, quod in rem petitam alimentorum nomine, vel, quod res in custodia detenta fuerit, expensum est, quam in hoc, quod Primus in litem sumptuum faciens damni passus fuerit, arbitrio iudicis æstimandum, damnabitur. Quod si secundus titulum bonum se habuisse, & rei vitium ignorasse, iurare possit, uterque hoc casu impensas in litem factas sibi ex æquo imputabit. Atque hoc ulterius, si de re animata velut quadrupede lis sit, cuius alendæ causa necessario sumptus facti sint, certum est. Primum, cui res adiudicata est, arbitrio iudicantis eos sumptus in rem detentam lite pendente factos, refundere debere: verum & eum in casum, Primum, cui ea restituitur, licet non supervenisset Secundus, alimentorum impensas in quadrupedem factas, restituere oportere, æquum est.

Vt res litigiosa Domino restituatur.

Cap. ccrix.

QVod si veto Primos, eadem quæ iam exposita est hypothesi constituta rei litigiosæ dominium recte probaverit: probare autem rem sibi furto raptove ablatam non possit: Contra, Secundus, & (si qui sit) Tertius, qui duo in necem primi litem inter se iungunt, rem de qua litigatur, à primo ante alienatam esse, & legitimo, iusto, legibusque concesso titulo adquisitam sese possedisse in iudicio probare non possint: Ea via tenenda est, ut Primo iusiurandum deferatur, quo rem sibi furto aut rapina ademptam iuret: & iurantis fidem iudicantis relligio tune tuto sequetur: Quo præstito res, refusis in rem sumptibus necessariis factis, Primo addicenda & restituenda erit.

Res furtiva, aut vi possessa nullam usucapionem esse.

Cap. ccrx.

NVlla autem (quæ certi & liquidi iuris regula longe certissima in Iuris consultorum scholis decantata, foro ipso traditur & servatur) rei furtivæ aut vi possessæ, nec si longo tempore bona fide possessæ sint: quod vetustissima etiam XII. Lege atque Attinia rerum furtivarum. Iulia & Plautia lege, vi possessarum inhibita sit, usucapio esse dicive potest. Si vero Primus (ut ad propositæ materiæ examen revertamur) domini, probationem implere non possit: Secundus & Tertius, tanquam rei, absolventur: quibus illa res litigiosa (quod primo velut actore in onere probandi destituto, rei quamtumvis nihil præstent, absolvantur, & causam obtineant) adiudicabitur: & Primos, qui plene probare non poterat, in impensas à iudice moderandas, duobus illis absolutis, & rem auferentib. resarciendas condemnabitur.

Qua & quomodo super re litigiosa exigatur cautio, qua alterutri partium committitur.

SI res eiusmodi à iudice petita, alimentorum nomine, aut quavis alia gravi ex causa, usque dum lis sententia definiatur, ab eodem iudice aut iudicio servari nequeat: hoc servabitur, ut quæ partium, fideiussoribus dative pignoribus satis obtulerit, primum eam rem, quoties opus fuerit exhibe-

re: iudicio sisti: deinde, impensas litis, si ita sententia ferat, ut in eas se damnari contigerit, refundi: tum, si ante litem finitam, deterior fiat, aut quovis casu interierit res, deteriorationem vel interitum eius præstari, omnia ex iudicis iudiciique arbitrio: Et sane partium, ut damnum præveniatur, sumptusque vitentur, rem de cuius dominio controvertitur, præstita cautione tradi, commodissimum fuerit. Quod si utraque pars satis obtulerit, ei potius committenda res est, quæ in iure respondet: quod rei causæ semper faveatur. Sin quidquam, in quo merito hæreant animi iudicantium, incidat: Prudentes, vel eos quos ex more recepto debent, iudices consulent, sicut in calce harum Sanctionum, ad quam plenis velis festinamus, indicabimus.

Si res furtiva, apud furem: rapta, apud raptorem concipiatur.

Cap. ccxi.

SI fur, raptor cum re, furto, vive possessa, deprehendatur, carceribusque impingatur: & petitor contra furem raptoremve criminali experiri actione velit: aut quod perinde est, iudex ex officio, persecutionem suscipere adversus delinquentem velit: eo casu non aliud agi aut institui debet: & is omnino servandus ordo, quem his constitutionibus, haud longe ab exordio tractavimus.

Res furtivæ raptæve indicia.

Cap. ccxii.

COnveniet autem, ut actor indicia contra reum delatum proferat, quibus deductis & probatis, quando & quomodo rei ad eculeum deposcantur, dictum est capitibus duobus supra, nempe 38. & sequenti, quo Lectorem, ne cramben reponere velle videamur, remittimus.

Impensæ in rem furtivam, vel raptam, recuperandam factæ, mediocres tantum refundendæ.

Cap. ccxiii.

IGitur cum eiusmodi furtivæ aut vi possessæ res mobiles (furtum enim rerum imobilium per naturam nullum est) in iudicis manum ac potestatem devenerint, eæ quales tandem sint, ei, cui ablatæ fuerint, ut is modo vel è bonis, vel in bonis suis se habuisse eas ostenderit, ubi alimenta simul necessariosque sumptus in rei, verbi gratia, quadrupedis &c. nutritionem factos, nec superfluos, sed mediocres tantum refuderit, restituentur. Quibus denuo addimus: si quis rem, ut sumptibus parcatur, ante finitam litem, quæ in longum extrahenda sit, suæ committi fidei, & apud se suo custodiri periculo voluerit, illud, quod cap. 210. expositum est, observabitur.

Neminem ut accuset cogendum.

Cap. ccxiv.

DOminus, vel bonæ fidei possessor, cuiusve interest rem salvam esse, qui rem furto aut rapina subtractam à fure vel raptore, sine vi aut clam recipit, recuperat, (quod unicuique de rebus suis disponere, quarum moderator sit & arbiter, nisi lege impediatur, possit) nemini quidquam ob eam caussam debet: aut in culpam incidit: Neque etiam vel hoc vel alio in casu ad delationem atque accusationem rei cogendus erit. Verum, cessante læso, iudici ex officio reum in vincula conicere, accusare, & pro delicti qualitate punire ius & fas est, integrumque.

De erigendis, vel reparandis furcis.

Cap. ccxv.

FVrcæ supplicium, ut exteris nationibus, ita hodie & in imperio Rom. frequentatur, quod introductum demum est, cum crucis supplicium ex usu publicorum iudiciorum sustulisse Constantinus memoratur, ut tamen usitatissimum sit, ius illud & privilegium erectam habendi furcam, si conciderit, vel non usus fuerit, præscriptione longissimi temporis nemo amittet, si facinorosos puniendi nullus interea casus se obtulerit. Quæ quidem & alia pragmatici disputando latius persequuntur. Nobis vero intra metas consistere placet, & corrigere abusus, qui irrepsere, animo sedet. Quando enim in quibusdam provinciis hoc moris esse nobis suggestum est, ut, si furca nova, novo privilegio iure gladii indulto: aut alia loco veteris collapsæ erigenda, vetusve reparanda sit, omnes fabri qui in territorio domicilium laremq; constitutum habent, convocati communi opera illud operis perficiant. Nos modum statuere rei, vani nimiique sumptus, hanc absurditatem, & alteram (cum absurditas nulla sola sit istius comitem tollere cordi habentes, quæ est, ut sumptus in fabros & furcæ fabricam facti, ab iis, qui reos accusant, exigantur: hæc aversantes, sancimus, ut quoties nova furca erigenda sit, fiat, & curetur eum in modum: Nempe, ut per apparitorem omnes fabri qui artem tractant fabrilem mercede, eum in locum oppidum, pagum, castrum, ubi extruenda vel reficienda erit arbor infelix (lignum benedictum, per quod fit iustitia) condictum ad diem compareant. Et illud quidem ante, dies non minus quatuor decim eis denunciari quam adesse debeant, oportebit: Quibus ad domum præsentib. (præsentes autem hîc intelliguntur, qui vel domi, vel intra tertium ab eo loco lapidem Germanicum, hoc est, intra quindecim millia passuum erunt, artemq; tractant) hoc denunciabitur, eo in loco à viatore constituta comparere, nî decem solidis mulctari malint, festinabunt: ubi excusationem absentiæ nullam, nisi valetudinis causam, quam qui se non stiterit iure iurando probare debebit, admitti volumus. E fabris ita congregatis eum numerum iudex loci deliget, qui operi faciundo sufficere videbitur: atque ex iis fabris sorte demum iacta constituentur, quos sors à iudice iacta tetigerit, ut his ipsis opus furcæ erigendæ reparandæve

iusta

iusta & consueta mercede sub pœna florenorum decem ni paruerint, (citra quam quidquam ab accusatoribus præstari debeat) iudex capitalis elocet. Quod sine ulla existimationis suæ iactura fabros opus Reip. necessarium suscipere & perficere volumus: adeo, ut qui aliquem è fabrorum sorte delectorum numero, velut infamem, & furcæ architectum scommatibus incesserit, suggillarit, factum exprobrarit, in auri marcam, quoties id fecerit, condemnandus sit: & illius auri semissis magistratui, cuius iurisdictione delinquens paruerit alter semis læso & iniuria incesso cedet: quamobrem magistratus de iniuria querenti executionem pœnæ non denegabit. Neque post auri semissem perceptum læso iniuria à mulctato facta dictave nocebit: sed opificium ut ante absque ullius obstaculo aut interpellatione exercebit.

Vt qui non sufficit mulcta exsolvenda, luat carcere.

Cap. CCXVI.

SI qui alteri furcam ædificanti aut reparanti factum exprobrarit, marcæ auri solvendo non sit, in vinculis tamdiu detinebitur, donec læso de iniuria, quam pro more qui fecit revocabit, satisfaciat: & hoc protestetur, nolle se verba sua factave in ignominiam eius qui ædificarit, ullo modo cedere: & de iniuria in posterum eo nomine non inferenda cuiquam caveat. Nemo etiam sit, qui iniuriæ auctorem defendat, in instituto confirmet, vel laudet: adeo ut eiusmodi suasor, hortator, instigator itidem marcæ auri mulcta cohercendus sit.

Extendendam superiorem consuetudinem & pœnam ad cæmentarios.

Cap. CCXVII.

IDem, & in consuetudine cæmentarios fabros convocandi, & pœna iniuriantium, qui in territorio iudici capitali subiecto domicilium habent, cum muro substructo furca inædificata imponitur: aut catasta, in qua plecti capite sontes solent, è saxo latereve exstruitur: idem scilicet, quod in fabris lignariis diximus, obtinebit.

Consuetudines, seu corruptelas potius, ex usu forensi multas & malas, tolli oportere.

Cap. Penultimum.

MAximum vitium, quod consuetudines aliquot locis introduxere, quib. plerumque vel calamitas calamitoso, afflictio afflicto hactenus addebatur augebaturque vel innocentib. immerita irrogabatur mulcta, (unde fiscus in rebus luctuosis compendium sectabatur) è medio tollere atque corrigere cupientes, primum Friderici Ahenobarbæ Imper. constitutionem novo robore confirmamus, quæ Codici Iustinianeo inserta, vult, ut navigia, quocunque locorum peruenerint, si quo casu naufragio facto rupta scopulisve illisa fuerint, tam ipsa navigia quam navigantium bona, nautis, naucleris & mercium Dominis, ad quos antequam navigia huiusmodi periculum incurrissent spectabant; integra omnia reserventur: neque Domino fluminis addicantur: vel in commissum cadant: sublata penitus omnium locorum consuetudine, quæ huic adversatur sanctioni.

1. Huic casui, eiusdem farinæ corruptelas alias subiungimus, quas eodem remedio è medio sublatas volumus: videlicet, cum res furtivæ aut vi ablatæ, si apud furem raptoremve concipiantur, quibus cum in carcerem conicitur, domino eive ad quem pertinent, auferentur, neque ei, cui sublatæ erant, redduntur & restituuntur, sed ærario applicantur.

2. Alius item neque levis abusus est, ut aurigæ, qui plaustro rhedave mercibus onerata casu inconsiderate eversa hominem occiderit; equi plaustrum, & quas vehit merces publicentur.

3. Est etiam hæc consuetudo pessima, cuius & supra mentionem fecimus, ut carceres non tam custodiendorum quam puniendorum atque excruciandorum reorum causa fiant, in quibus vel ob sordes, squaloremque, vel frigore perire cogantur.

4. Huic consimilis culpa est ut ad quamvis levissimam sinistramque opinionem, malevolorum detractionem, honestæ auctoritateque graves personæ sine legitima & vel summaria cognitione ex inconsulto iudicum calore in carcerem impingantur; quem vindicem nefariorum ac manifestorum scelerum maiores nostri, quod Marcus Cicero ait, esse voluerunt: unde illi se, famamque suam non parum lædi conqueruntur.

5. Alia item in re peccatur: sententias non à iudice, vel actuario, iudice præsente, sed lictore, aut etiam ultimi supplicii administro recitari ac publicari.

6. Denique iudices gravissime delinquunt: cum (extra læsæ maiestatis crimen, quod tam perfectum, quam affectatum perpetuo sanguinis pœnam, bonis omnibus rei fisco principis addictis irrogat) ob delicta alia capitali supplicio, non autem bonorum confiscatione plectenda, sontes puniunt, damnatorumque bona in ærarium redigunt. Unde eorum uxores & liberos, illa dote, his patrimonio exspoliatis (contra quam ratio naturalis, quasi lex quædam tacita, liberis parentum hereditatem addicens velut ad debitam successionem vocat) ad summam miseramque paupertatem recidere oportet. Hi omnes abusus, corruptelæ, & consuetudines irrationabiles, absurditates, & scandala foventes publica, & contra omne ius & æquum introductæ, ex nostris iussionibus æterna sepeliantur oblivione, & aboleantur ab universis magistratibus, quib. istud ipsum iure Imperii & auctoritatis nostræ, qua divinitus ornati pollemus, serio mandamus: & ut posthac in his sibi sedulo caveant, ac prospiciant, ne eiusmodi rebus ansa in posterum vel occasio præbeatur, quo unquam in usum redeant.

Quomodo Prudentes, togati, advocati disertissimi consuli, vel ad superiores de rebus dubiis atque obscuris referri debeat.

Cap. ultimum.

DEcurrente feliciter ad metam nostro hoc labore, nobis quidem promissis satisfacere omnibus modis laborantibus, agite, judices, & hoc accipite animis. Quandoquidem in his nostris Constitutionibus de consultationibus, à facundissimis Prudentibus exquirendis, nec non relationibus ad principes magistratusque superiores faciendis, crebrius vobis mandato injunximus: Convenit, ut qua ratione utræque instituti debeant, coronidis vice explicemus. Igitur si quidquam ambigui obscuri, ac quod mentes vestras exerceat suspensasque teneat, forte incidat; primum ii, qui sub principum ditionibus & diœcesibus judicandi munus sustinent, ad aularum principalium juridicos, nomophylaces, præfectos, aut quidquid nominum ii habuerint, ut à longissima annorum serie usu servatum cognorint, de rebus dubiis referre debent. Ut vero civitatum liberarum, imperialium & municipiorum conditio fert, judices magistratus suos, à quibus capitalibus causis cognoscendis dati & delegati sunt, exponentes factum, & quid fieri debeat exposcentes, adibunt. Ubi animo advertendum est, quoties magistratus ipse, ex officio apud iudices à se datos accusat, & magna dubitatio incidat: eo casu non magistratum, qui accusatoris partes agit, sed collegia Doctorum in Academiis, quæ sunt velut oracula provinciarum, constituta, vel alios aliarum civitatum Prudentes, aut aliorum locorum judices de illo scrupulo dissolvendo consulendos esse: ubi tamen, ne in hujusmodi consultationes superflui sumptus fiant, bene cavendum.

1. Observandum autem est, non capitales solum iudices, sed & ipsos magistratus, quoties nodus, qui non nisi consilio à Prudentibus expetito, dissolvi possit, inciderit, eos consulere, idque citra partium impensas, de iure obligatos intelligi. Nisi forte à iudice accusator nominatim petat, ut Togatos consulat: quod accusatoris eiusdem sumptibus fieri nemo indignum putabit. Verum tamen, ne peiorem accusat: conditionem facere videamur, idem adgnatis, aut aliis, qui pro reo in iudicio interveniunt, si consultationem haberi desiderent, eorumdem impensis iudex eam fieri non impediet. Quin eo usque rei favorem extendendum duximus, ut adgnatis, intercessoribusve paupertatem allegantibus, qui rem à Prudentibus discuti petent, ex publico sumptus iudex suppeditet. Nisi tamen, ut causa mala trahatur, & actio mora interiecta, per hoc diverticulum retardetur ac refrigescat: vel etiam ut superflui sumptus fiant, tales expeti consultationes Iudex cordatus suboderetur: quare adgnati, aut intercessores id à se non agi nec quæri, & dolum abesse prius iurabunt.

2. Quod ultimo superest loco, ut in circulum nostra redeat oratio, præcipimus, constituimus & mandamus, ut nomen operam, studium, excitatam atque exercitatam diligentiam & iudicium exactum ad tantum negotium tantique ponderis onus omnes iudices, sculteti, adsessores, consiliarii, senatores, scabini afferant, adhibeant, & impendant: & cuncti sciant: nullius iudicis adsessorisve negligentiam & imperitiam ullo excusationis colore tegi posse, sed pœnæ, si secus quam oportuit iudicent, subiacere. Quare nunc quod faustum fortunatumque sit, attingentes operis extremum, omnem magistratibus tam per imprudentiam, quam dolo malo, male iudicandi prætextum adimimus & præcidimus, quos supremi omnium Iudicis, & magnæ diei memores, simul & nostræ indignationi subiacentes, totam recte iudicandi facultatem duabus rebus contineri, intelligere volumus, ut & Numen, ad tribunal accessuri implorent divinum, & Leges assidue meditentur, quib. admoneantur, ne quid plus deteriusve de aliis statuant, quam ipsi de se iudicari & statui velint. Hanc itaque à clementia nostra profectam admonitionem & obtestationem omnes lubentibus accipiant animis, ut tam civilibus quam capitalib. causis laudabiliter præsint, ut salva & incolumis perennes in annos Resp. permaneat.

eo nomine Primi. Anno Chr. 1535.

Francisci Regis Franciæ
RESCRIPTUM
De emendatione & unione Ecclesiæ.

FRANCISCVS Dei gratia Francorum Rex, dilecto nostro Philippo Melanthoni S. D. Singulare tuum ad sedandas eas, quæ in doctrinam Christianam invectæ sunt, altercationes studium intellexeram, antea quidem ex Guilelmo Bellaio Langio, Cubiculario atque Consiliario nostro, quo ego præcipue sum usus ad eam rem administro & interprete; nunc vero ex literis ad eum tuis, & sermone redeuntis à te Barnabæ Vocei Fossæ intellexi, te etiam hoc laboris perlibenti animo suscepturum, ut ad nos primo quoque tempore te conferas, deque unione doctrinarum cum selectis aliquot nostratib. Doctorib. hic apud nos coram disseras, atque rationes ineas, quo resarciri possit pulcherrima illa Ecclesiasticæ politiæ harmonia. Qua una re cum ego mihi nihil umquam quicquam maiori cura, studio, & solicitudine animi complectendum esse duxerim, committere nolui, quin hunc statim Voceum Fossam ad te dimitterem, cum his velut publicæ fidei obsidib. literis: obtestatus etiam, abduci te ullius persuasione ut ne sinas ab hoc pio sanctoque instituto. Venies omnino mihi gratissimus, seu privato tuo, seu publico vestrorum nomine adveneris, meque reipsa experieris, & privatim vestræ Germaniæ dignitatis, & publicæ in universum quietis, ante omnia esse, & adhuc semper fuisse, studiosissimum. Vale. Ex oppido Gulsi. die xxviii. Iulii, Anno MDXXXV.

FERDI-

Ferdinandi Regis Romanorum SCRIPTUM DE VERITATE DOCTRINÆ EVANGELICÆ per Lutherum repurgatæ.

Venerabili & Docto, nostro & Imperii dilecto fideli, Martino Luthero sacræ Scripturæ Doctori Wittebergæ.

FERDINANDUS DEI GRATIA ROMANORUM, Hungariæ & Bohemiæ, Rex, &c.

VEnerabilis, docte, devote: Tametsi antehac, cum in juventute nostra in Germaniam venimus, & primum Ducalem, postea itidem divina favente clementia Regiam Administrationem ingressi sumus, libri tui tunc & deinceps editi nobis displicuerint, & ex instructione quorundam Concionatorum & Confessariorum nostrorum eosdem hæreticorum seductoriorum & sanctæ Romanæ Ecclesiæ statutis & præceptis adversantium loco habuerimus: nihilo minus proxime præterito biennio, tantum temporis & otii de negotiis necessario nobis incumbentibus detraximus, quantum ferebat & sinebat necessitas, ut quosdam tuos libros, præsertim Commentarios in Psalmos ad Principum & Regum gubernationem præcipue formatos, percurreremus.

2. His etiam hoc intervenit, quod quidam ex Confessariis nostris, Ordinis Minorum, quem nobiscum ex Hispania adduximus, non ita pridem in Domino defunctus, paulo ante suum obitum nos ad se evocavit, fassus, nos hactenus à se fuisse seductos, nec veram semitem ad cæleste regnum monstratam, etiam atque etiam obsecrans, ut amore Dei ducti sibi ignosceremus, utque in posterum una cum à Deo nobis concessis Regnis, Principatibus, & Regionibus salutiferum Evangelium per te diligenter & fideliter traditum, & in lucem prolatum, absq; omni mora amplecteremur, & charissimum Dominum & fratrem nostrum Romanum Imperatorem eo dirigeremus & adduceremus, ut similia factitaret. Hoc si fieret, eo libentius & alacrius se obiturum mortem.

3. Adhæc ex Generosis & Nobilibus Consiliariis nostris, Regnique dilectis & fidelibus Joanne Offling Cancellario Bohemico, & Andrea Ungnad, utroque Barone, qui concionem tuam superiore autumno Torgæ audiverunt, & præterea colloquium tecum instituerunt, intelleximus, quomodo tunc Christianum sermonem habueris, & inter bona opera bonum discrimen statueris, illisque sufficienter & cum ratione, quibus tua doctrina nitatur fundamentis, exposueris.

4. Ex his & id genus aliis Christianis motivis, potissimum quia vidimus, Papam & defensores ejus, quos tu propter doctrinam & mores, ut partim ex lucubrationibus tuis cognovimus, variis modis aspere & severe aggressus es, in magnam pusillanimitatem redactos & (quod tibi dictum volumus) prorsus imparatos ad tibi resistendum esse, accidit, ut Regius noster animus tibi antea parum propitius, fuerit mitigatus, & (Deo in æternum sint debitæ grates laudesque) eo impulsus, ut doctrinam tuam, quatenus constanter divinæ & Biblicæ scripturæ insistes, nec quidquam seditiosum vel Christo dissentaneum docebis, æquo animo tolerare possimus. Jam enim, proh dolor, experimur, Papam ejusque asseclas hactenus quæsivisse quæ sua sunt, nobisque paleas pro tritico præbuisse & venditasse.

5. Hinc constituimus, hujus & aliorum magni ponderis negotiorum gratia, ad Cæsarem Majestatem, Dominum & fratrem nostrum charissimum, commemorabilem Legationem, Evangelio faventem, in Hispanias amandare, quæ ad Majestatem suam preces, obsecrationes & obtestationes nostri Confessarii, piæ memoriæ, & easdem, quæ ex libris tuis ipsimet cognovimus, referat, cumque Majestate & Charitate ejus diligenter tractet, num in eandem sententiam pertrahi possit: de quo quidem minime dubitamus. Posito autem, Cæsaream Majestatem in eandem sententiam adduci non posse, decrevimus nos nihilominus, tanquam Romanorum Rex non obstante indicto à Papa Concilio, Comitia loco & tempore opportuno convocare, ut nos cum Ordinibus & Civitatibus sacri Romani Imperii, ex tuo & aliorum Theologorum consilio, æquitati divinæ & humanæ convenienter, in rebus ad Religionem spectantibus, tandem unanimi consensu conformemus & uniamus. Hoc te, veritatis eo efficacius promovendæ gratia, celare noluimus. Datum in Comitatu nostro Tyrolensi, in civitate nostra Oeniponte, primo die Februarii, Anno 1537. Nostrorum Regnorum, Romani septimo, cæterorum duodecimo.

FERDINANDUS.

Ad mandatum.

DECRE-

Anno Christi 1539.

DECRETUM
Comitiorum Imperialium Francofordensium.

De Pace in causa Religionis servanda, & Conventu componenda Religionis habendo, factum Anno MDXXXIX.

Ex libello Watemundi Luicholdi edito 1540. nobis describi & perferri curavit V. CL. Fridericus Hortlederer, Illustrissimorum Principum Vinariensium Moderator, & Imperii nostri status rerumque publicarum peritissimus exceptor, & studiosissimus indagator.

LUDOVICUS Dei gratia Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, Rom. Imperii summus dapifer: Item Joachimus Marchio Brandenburgensis, Dux Stetinen. Pomeran. Cassuben. Venden. Slesiæ, Crossen. Burgravius Nurembergensis, Princeps in Ruegen, Rom. Imp. summus præfectus cubiculo, ambo Principes Electores, fatemur, atque his literis publice testamur, cum è Nurembergensi compositione paceque quæ anno XXXII. facta fuit, dissentientes sententiæ extiterint: Illustrissimus ac potentissimus Princeps atque Dominus Carolus Romanorum Rex semper augustus, Rex Germaniæ, Hispaniæ, in utraque Sicilia, Hierosolymæ Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Archidux Austriæ, Burgundiæ, Brabantiæ, Comes in Habspurgo, Flandria, & Tirol, &c. clementissimus Dominus noster, pro singulari & paterna suæ majestatis clementia & voluntate, motus intercessione Regiæ Romanorum majestatis, & nostræ, duorum Electorum, quorum opera interposita fuit: motus etiam his gravissimis, & periculosissimis, & miserrimis temporibus, atque necessitate sacri Imperii Germaniæ gentisque Christianæ: quo aliquando calamitosissima religionis discordia, Christiane & cum summa consensione placetur, omnesque offensiones, periculosæque suspiciones, & metus ordinum, per Imperium deponantur: & caritas, pax, ocium, concordiaq; existat: quo etiam Turcæ immanissimo Christianorum hosti fortius constantius, diligentiusque resistatur, tandemque vindicetur cum conscientiarum tranquillitas, tum innocens Christianorum sanguis, quo se jam diu crudelissime parum à nobis repulsus, maximo successu oblectavit: imprimis vero quo Christiana & amica collocutio, & religionis consultatio commodius habeatur: Cum hæc ergo extiterint, & quo hæc fiant, Imperatoria majestas permisit, ut hic conventus in hac urbe constituatur, & per nos æquis conditionibus transigatur, eaque de causa, honorabilem Principem & Dominum Johannem electum Archiepiscopum Londeosem, postulatum Constantiensem, Episcopum in Rosschilden, oratorem generalem per Germaniam, data ei hac in re potestate agendi misit: Regia etiam majestas, suos qui post nominabuntur, consiliarios misit, atq; commissarios. Quamobrem nos nostra diligentia & industria decidimus, decrevimus, & statuimus ad hunc modum.

1. Primum igitur Cæsar ad tollendas hujusmodi suspiciones, & metus, & ut commodius in collocutionem, eamque Christianam veniatur, pro sua clementia, iis qui Augustæ, religionis confessionem exhibuerunt, & in eadem nunc sunt doctrinæ societate, pacem, induciasque dat proximorum quindecim mensium: quæ principiũ Calendis Maii suum habeant, eamq; rem literis confirmat, iis conditionib. ut his, qui Augustanæ confessionis, ejusdemq; religionis nunc socii sunt, à nullo, religionis nomine, tempore harũ induciarum, aut vis adferatur, aut bellum moveatur, aut insidiæ periculave intententur.

2. Deinde pax Nurembergæ constituta, eademq; Imperatorio edicto Ratisponæ confirmata etiam per has inducias rata fixaq; manere debet. Ac si per has inducias quod omen Deus avertat, decidi de religione non poterit, tamen pax Nurembergensis, & edictum Ratisponense, desinentibus induciis, his, qui Augustanæ confessionis sunt, & eorum nunc necessariis negari non debet, sed usque ad proxime futura comitia Imperii, aut hujus generis conventum aliquem, ita ut scripto comprehensa est, debet servari: ita tamen ut etiamsi interea, priusquam induciæ finem habeant, comitia imperii celebrentur, tamen Nurembergensis pax, & Ratisponense edictum, non tollatur, sed usque in insequentia comitia, quæ post hasce inducias fient, retineantur: & simul cum his publicentur. Licet etiam, quæcunq; in hac causa contra ipsos institutæ sunt, in Cameræ, & aliis Imperii judiciis per Cæsarem, pacis causa, pro sua clementia intermittentur: eodem modo de Mindensium proscriptione interea, & similibus controversiis, quæ contra hos motæ sunt, fiet, dum & hæ induciæ & Nurembergensis concordia, ut antea dictum est, stabit.

3. Quod si qui ex numero Augustanæ confessionis, eorumque sociis, quos nunc habent, per has inducias, aut etiam per Nurembergansem concordiam, in jus vocentur, religionis causa, ob eamque forensis aliqua molestia adferatur: irrita esse, & vim nullam habere debent hujusmodi judicia, ex formula decreti irritantis, quod est in Nurembergansi contractu. Cæsar etiam ipse rogatu laborantis & afflictæ partis, eadem rumpet & improbabit. Contra Augustanæ confessionis viros, eorumque religionis nunc socios, dum & hæ induciæ & Nurembergensis compositio durat, ut ante dictum est, neq; publice neque privatim religionis exceptio, in judiciis locum habebit qua illi ab agendo in judiciis removeantur. Contra etiam hi, qui Augustanæ confessionis, & religionis nunc sunt, cujuscunque loci aut ordinis sint, interea temporis, & per has inducias, aut impressionibus vexare, aut vi affligere, aut bello invadere, aut quemquam re consiliove religionis nomine, circumvenire non debent, neq; quemquam per hos XV. induciarum menses, in suum fœdus vel vocare, vel admittere. Veruntamen ita, ut nemo confessionis religionisque Augustanæ aut armis opprimatur, aut patiatur aliquem molestiam, dum hæ induciæ durant. Cæsar verò pro sua singulari clementia & pacis causa constituit, cum altere parte efficere, ut per has inducias, neminem in suum fœdus accipiat. Augustanæ etiã confessionis homines, &

qui

qui his coniuncti sunt, per has quindecim mensium inducias, Ecclesiasticis, sive in suis locis habitent, sive extra versentur, census, reditus, canonicas pensiones, decimas, facultates, immobiliaq; bona, quæ ante hac habuerunt, & adhuc possident, neque auferent, neque obstabunt, quo minus utantur.

4. Tertio, quoniam neque constans aut perfecta pax, neque tranquillitas conscientiarum, neque certa charitas & necessitudo veraque coniunctio, per sacrum Imperium sperari potest, antequam de religione, quæ caput est causæ, Christianè & plene decidatur: concessit Cæsaris legatus, de quo antea est dictum, ut ad calendas Augusti, aut circa id tempus, diem conventumque Nurembergæ edicat: ad quem tum Romanæ Ecclesiæ, tum Augustanæ confessionis & illorum iam sociorum ordines, aut ipsi coram præsentes, aut si aliud videatur, horum legati debeant comparere: sed qui mittentur ab utraque parte, probi, iusti, prudentes, Dei timentes, pacis amantes, & honestatem vitæ amplexi: non protervi, contentiosi, præfracti homines, existant: simul etiam testimonia ab iis ordinibus, à quibus mittentur, adferant: iisdem quoque inter se utrinque ordines, aut legatis eorum de numero sapientium Theologorum, & prudentium laicorum, cuiusmodi iam designati sunt, maiore & minore parte conveniet, dissensioque religionis primum per maiorem, deinde per minorem partem tractari debet, de eaque Christianè, amicè & benevole disceptari, omnisque actio ad Christianam atque laudabilem concordiam dirigi: & ad extremum, quodcunque actum, constitutumque inter hos ordines, legatosve fuerit, proferri & exhiberi.

5. Ac quamquam nos duo Electores, nostra sponte pro ipsa causa eo rem deduximus, ut si Cæsari placeat, & velit, Pontifici significet, quod ad eum conventum, si videatur, mittat: tamen his, qui ab Augustana confessione stant, & horum sunt socii, quoniam Papam pro capite Christianæ Ecclesiæ agnoscere nolunt, neque quicquam committere velint, quod suæ protestationi sit contrarium, non placuit hunc ad istum conventum advocare, neque utile videbatur eos oratores, ad hanc collocutionem & compositionem adhibere.

6. Potle etiam Cæsarem atque Regem designare viros Principes, honestos, autoritateque præditos, huiusmodi actionibus adiungere: ut si inter partes convenire in aliquibus non possit, hi qui designati sunt, pro Christiana concordia ex utriusque partis consensione, intercedant & agant.

7. Quodcunque vero amice atque benevole ab ordinibus utriusque partis, aut eorum legatis, aut ab his, quos Cæsar Rexque miserit, utrisque consentientibus, sive ordinibus sive legatis, constitutum decretumque fuerit, id ad reliquos ordines, qui absfuerint, deferri debet, eorumque sententiæ audiri, ac deinceps, si hi quoque comprobarint, per Cæs. Maiestatis oratorem, ut recepit, pro sua potestate & pro Cæs. Maiest. confirmari. Aut ordines utriusque partis, si velint, poterunt à Cæsare postulare, ut Imperii comitiis, aut aliqua alia honesta, & utili, & necessaria ratione, huiusmodi compositio comprobetur, publicetur, atque retineatur.

8. Apparatus autem bellici utrinque deponendi sunt, & de quo legitima apparatus alicuius suspicio sit, vocari debet, & literis accersiri, & pro causæ necessitate cognosci. Omnes etiam absque huiusmodi certa veraque cognitione præparationis armorum, ab apparatu abstinere, præter eum, qui contra vim subitam sit necessarius.

9. In aliis vero causis Cæsar, Rex, Electores, Principes cæterique Imperii ordines, in externis rebus, ita agere debent, ut publicæ atque Cæsareæ pacis iure, legibusque standum existiment.

10. Ex his inducus exclusi sunt omnes Anabaptistæ, cæteræque impiæ sectæ, quæ ab Augustana confessione, eorumque qui sunt sociorum confessione dissentiunt: neque Romanæ Ecclesiæ subiectæ sunt, ideoque à nullis ferri debent.

11. Augustanæ etiam confessionis homines, & horum socii non recusant contra Turcam, eum cæteris ordinibus sese ad opem ferendam instruere: item sex Electores, & alii præcipui principes atque ordines imperii, nomine Cæs. Maiest. conscribuntur, ab iisque impetrabitur, quo legatos, atque consiliarios cum plena potestate proxima dominica Exaudi, Vormaciam mittant. Ad hæc etiam, qui Augustanæ confessionis sunt, & qui eorum nunc sunt socii, suos quoque legatos mittent, ad consultandum de conferendis contra Turcam subitis necessariisque præsidiis: ut quemadmodum Ratisponæ, in comitiis Imperii constitutum, indeque factum etiam fuit, ita nunc quoque fiat, constituatur, & decernatur, & præstetur: quodcunque vero tum ex Electoribus principibus atque ordinib. maiori parti bonum necessariumque videbitur, atque statuetur: id etiam ab Augustanæ confessionis hominibus, eorumque hoc tempore sociis, simul cum cæteris Imperii ordinibus erit comprobandum: Itaque omnibus ordinibus Augustanæ confessionis, eorumque sociis, quique præsentes coram hisce negotiis interfuerunt, hæc dies iam sit denunciata. Ac si per has inducias ferox hostis Turca, arma moveat, qui Augustanæ confessionis sunt, & his religione coniuncti, præsidia, ut Vormaciæ decreta fuerint, pro sua parte simul cum maiore parte aliorum ordinum Imperii, ferent.

12. Et de his actis per nos duos Electores, tanquam intercessores inter Cæsariæ Regiæque Maiestatis oratorem & commissarios, & inter eos, qui Augustanæ confessionis sunt, eorumque nunc socios, decisum, decretum, conventumque usque ad duo capita fuit: quorum unum est, de eo, quod in secundo articulo notatum est, ut Nurembergensis compositio, & Ratisponense edictum, post has inducias, illis qui Augustanæ confessionis essent, & eorum in hoc tempore sociis, usque ad proxime insequentia comitia Imperii, aut aliquem alium proximum Imperii conventum, quemadmodum verba scripti ostenderent, retinerentur.

13. Idem enim quod ponitur, *eorum in hoc tempore sociis*, admittere ii, qui August. confessionis sunt, recusarunt: propterea quod ea particula, compositio Nuremb. & edictum Ratisponense arctari & adstringi

ſtringi videretur, & petebant, ut ea integra ipſis, & nulla in parte mutata relinquerentur: ita ut ſcripto comprehenſa eſſent. Sed Cæſ. Legatus, & Regii Commiſſarii certis de cauſis concedere, ut ea particula omitteretur, noluerunt.

14. Alterum caput eſt de fœderibus, in quo Cæſareæ Majeſt. Legatus gravibus de cauſis Cæſarem, ut amplificationem fœderis non faceret, & ne alii ampliarent, efficeret, non aliis, quam poſt dicetur, conditionib. aſtringere voluit. Contra qui Auguſtanæ confeſſionis ſunt, eoumque in hoc tempore ſocii religionis, pactis ſuperioribus aſſentiri noluerunt, niſi ab amplificatione fœderis utraque pars abſtineret. Itaque nos, qui interceſſimus, conſilium dedimus oratori, eumque adduximus, ut pacis cauſa, & ut ne auxilia contra Turcam hac controverſia non ferrentur, conſenſerit conſtitueritque: ut hic contractus ad Cæſaream Majeſtatem mitteretur, quo de eo clementer ſtatueret: ut ſi aſſentiat pro ſua clementia, curaret, ut verba illa capitis proteſtantibus moleſta, quibus pax Nurembergenſis adſtringeretur, tollerentur, neque per has inducias quindecim menſium, ullus in fœdus Nurembergenſe reciperetur: atque hac ratione ratus hic contractus per omnia capita eſſet, & ab utraque parte conſtanter fieret, quod eſſet deciſum.

15. Ac quo reſcriptum de voluntate Cæſaris in hac re impetrari poſſit, conſtituti ſex proximi menſes, qui Calendis Maii principium capient, per quos nos qui interceſſimus, hæc acta ad Cæſ. Maj. diligentiſſime perſcribi curabimus: qua in re Cæſ. Legatus etiam ſuam operam obtulit: Interea vero temporis, hoc eſt per hos ſex menſes proximos, hujus contractus, harumq; induciarum, eum omnia capita atque articuli, tum præcipue ut per hos ſex menſes à neutra parte amplificatio fœderis fiat, omnes ex æquo, conſtanter, & bona fide præſtabunt. Quod ſi his ſex menſibus proximis reſcriptum, ut dictum eſt, duorum iſtorum punctorum non impetrabitur, omnia in eundem ſtatum habebunt, poſt hos ſex menſes proximos, qui verbis Nurembergenſis Compoſitionis, eſt explicatus, quemadmodum & ante hunc conventum.

16. Et nos Cæſareæ atque Regiæ majeſtatis clementiſſimi domini noſtri Legatus generalis per Germaniam, etiam commiſſarii, ſcilicet Johannes electus Archiepiſcopus Lundenſis, poſtulatus Conſtantienſis, & Epiſcopus in Roſſchilden ac Melchior à Lamberg, & Jacobus Francfurter Legum Doctor.

17. Et nos Dei gratia Johannes Fridericus Dux Saxoniæ, & ſacri Rom. Imperii Equitum magiſter atque Elector, Lantgravius Turingiæ, Marchio Miſniæ, Burgravius Magdenburgen. & Philippus Lantgravius Heſſiæ, Comes in Catzenelenbogen, in Dietz, Ziegenhain & Nidda: & nos Conſules Senatusque Francofortenſis, noſtro cæterorumq; Principum, Comitum, dominorum, civitatum, ordinum, noſtræ Auguſtanæ confeſſionis, & ſociorum nomine confitemur, hunc contractum hancque compoſitionem amicam, noſtra omnium voluntate, factam comprobatamque eſſe. Addicimus etiam nos & obſtringimus nos, Imperatoriæ & Regiæ Majeſtatis Clementiſſimorum noſtrorum Dominorum, Orator & Commiſſarii, noſtræ poteſtatis autoritatem, atque vim Imperatoriæ Regiæque Majeſtatis, noſtrorum Clementiſſimorum Dominorum nomine. Et nos jam nominati Electores, Principes, Comites, Domini, civitates ordinesq; Auguſtanæ confeſſionis, totiusq; hujus ſocietatis, qui præſentes adfuimus, tum nos pro nobis, tum pro illis, qui abſunt, Principibus, Comitibus, Dominis, civitatibus, atq; ordinibus eorum legati, nomine ſuorum Dominorum atque magiſtratuum, promittimus per noſtram fidem, quam principes præſtare debent, omnia, quæ antea commemorata ſunt ſervaturos, nihilque contra conaturos, neque per nos, neque per alios, omnia abſque dolo & fraude. Atque ad hæc teſtanda, nos Imp. & Cæſ. Majeſt. Orator atq; commiſſarii: & nos duo Electores, Palatinus atque Brandenburgenſis, interceſſores, in hoc negocio: & Johannes Fridericus Saxoniæ Dux atque Elector, ſed ita, ut Regiæ Majeſtati, titulum Romanorum Regis non concedamus, neque tribuamus, ſed Cadavico & Viennenſi pacto ſtare volumus: Et nos Philippus Lantgravius Heſſiæ, Comes in Catzenelenbogen &c. Et nos conſules ſenatusque Francofordienſis, noſtra ſigilla appendimus. Datum atque actum Francofordiæ ad Mœnum, die Sabbati 19. Aprilis, poſt nativitatem Chriſti, Milleſimo quingenteſimo, trigeſimo nono.



Caroli V. Imperatoris Auguſti

CONSTITUTIO

De obſervatione canonum ſynodalium, & Advocatiis protectionibusque Eccleſiarum.

Anno Chriſti 1549.

CAROLUS Quintus, divina favente clementia, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus ac Rex Germaniæ, Hiſpaniarum, utriusq; Siciliæ, Hieruſalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Archidux Auſtriæ: Dux Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Comes Habsburgiæ, Flandriæ, Tyrolis, &c. Univerſis & ſingulis Principibus Eccleſiaſticis & Secularibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Prælatis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Militibus, Miliaribus, Præfectis, Poteſtatibus, Vicedominis, Caſtellanis, Magiſtratibus, Conſulibus, Judicibus, Officialibus, Advocatis, Procuratoribus, Civibus, Communitatibus, & omnibus aliis noſtris & Imperii ſacri & ditionum noſtrarum hæreditariarum in provincia Archiepiſcopatus Colonienſis, comprehenſarum ſubditis, & ita Eccleſiaſticis reb. ejusdē provinciæ Epiſcoporū & Prælatorum juriſdictioni ſubjectis, cujuscunq; præeminentiæ, dignitatis, ſtatus, gradus, ordinis & conditionis exiſtant, gratiam noſtram & omne bonum.

1. Venerabiles & Illuſtres Electores, Principes, & Conſanguinei chariſſimi, Generoſi, Nobiles, Honorabiles, devoti & fideles dilecti: Quum Venerabilis Adolphus Archiepiſc. Colonienſis, S. Rom. Imperii per Italiā, Archicancellarius, Princeps Elector, & conſanguineus noſter chariſſimus, & ejus Compro-

vinciales

vinciales Episcopi, In executionem formulæ *reformationis in nupertimis Comitiis apud Civitatem nostram Imperialem Augustam Vindelicam habitis, eidem Archiepiscopo & aliis Episcopis & Statibus ecclesiasticis per nos propositæ, & ab ipsis probatæ, & quantum in ipsis esset, receptæ, ot monitis nostris ea de causa factis parerent, & eidem reformationi commodæ viæ præsternerentur, per qoas ad meliorem vivendi rationem transitus fieret, in Concilio Provinciali apud Coloniam Agrippinam habito, Canones quosdam Synodales, tum ad efficacem & indies surgentem ac permansuram reformationis executionem, tum ad mores pravos exstirpandos: potissimum vero manifestos abusus in Clero & populo coercendos, & seductores, qui corrumpendis simplicibus hominibus student, è grege propulsandos ediderint, & nobis obtulerint, authoritate nostra, quatenus expedire videretur, muniendos, & in executionem mittendos: Nos vero eosdem Canones primatiis nostris Consiliariis, & aliis rerum Theologicarum peritis, ad id specialiter per nos deputatis, propositos, & per eos diligenter revisos & examinatos, eorumque relatione nobis facta, cum illos prædictæ formulæ reformatioois conformes invenerimus, proiode ipsos Canooes Synodales, ratos & gratos habentes, & quoad opue est, & per nos fieri potest ac debet, approbantes, & decreto nostro corroborantes, Imperiali authoritate nostra & qua aliàs fungimur, vobis omnibus & singulis, seriò & sub pœna gravis indignationis nostræ & aliis pœnis nostro arbitrio imponendis, huius edicti nostri vigore præcipimus & mandamus, ut ea omnia Provincialis huius Concilii Coloniensis decreta, in omnibus suis punctis, clausulis, articulis, sententiis, & verborum expressionibus, eo modo, quo illa quemlibet vestrûm coocernunt, ritè, sanctè, inviolabiliter, citra ullam fraudem & tergiversationem observetis, impleatis, & exequamini.

*quam habes supra tom. 2. pag. 326.

2. Vosque Principes & Magistratus civiles, in refrenandis & coercendis iuxta eadem decreta rebellibus, perversis & refractariis, sive illi Ecclesiastici sive Leici sint, Ecclesiarum Episcopis & Prælatis, ubi ab illis requisiti fueritis, omnem legitimum favorem, auxilium, opem præbeatis, & per ministros & Officiales vestros atque alios, in quos vobis imperiom competit, præberi iubeatis & curetis. At nullus omnino vestrûm, euiuscunqoe præeminentiæ, dignitatis, gradus, ordinis & conditionis sit, aut quocumque munere aut iurisdictione fungatur, memoratos Episcopos & Prælatos in eorum munere, iurisdictione, officio, secundum canooes & leges, ad ipsorum functionem pertineotes, quovis modo impediat aut turbet, neque id ab aliis fieri iobeat, nec permittat.

3. Præterea quicunque vestrûm, Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum piorum locorum Advocati, Præfecti & Protectores fuerint, ac Prælatos, Ecclesias & loca pia eorumque bona in fidem, tutelam & protectiooem suam, sive ex commissiooe * Divinorum Principum, prædecessorum nostrorum in sacro Imperio, sive nostra, aut alio quovis iure receperint, eadem Præfectura, tutela seu protectione neutiquam abutantur, neque ipsos Prælatos, Ecclesias, Monasteria & loca pia, contra formam & naturam protectionis usurpent, opprimant, gravent. Quin potius illos & illa in suis privilegiis, iurisdictionibus & rebus conservent & tueantur, & tam ii, quam vos alii omnes supradicti, contra præmissa facere seu attentare, neque præsumatis, neque ab aliis fieri aut attentari sinatis, qoovis quæsito colore seu prætextu: quatenus pœnas sopradictas, & alias in Formula memoratæ Reformationis à nobis propositæ, & decretis Provincialis Synodi Coloniensis contentas, præter eas, quas alioqui canones & leges in violatores personarum & rerum Ecclesiasticarum decernunt, malueritis evitare. Hæc est enim nostra sententia & seria volnntas. Datum io oppido Bruxellensi Ducatus nostri Brabantiæ, sub impressione sigilli nostri, quarto Nonas Iulii, Anno a Nativitate Domini supra sesqoimillesimom quadragesimo nono, Regoorum nostrorum, Imperii vigesimo nono, & aliorum omnium trigesimo quarto.

*fer. Divorum.

CAROLUS

Ad mandatum Cæsareæ & Catholicæ
Maiestatis proprium.

Vt. Anton Perenot.

Obernburger subscr.



Ferdinandi Imperatoris Augusti EDICTUM DE CATECHISMIS DOCTRINÆ Christianæ.

Anno Chr. 1554.

FERDINANDVS divina favente clementia Romanorum Rex semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ, &c. Rex, Infans Hispaniarum, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, & cæt. Marchio Moraviæ, &c. Comes Tyrolis, &c. Vniversis & singulis fidelibus nostris tam Ecclesiasticis quam Secularibus, Prælatis, Comitibus, Baronibus, Dominis, Militibus, Clientibus, Capitaneis, Marschalcis, Provinciarum Præsidibus, Vicedominis, Præfectis, Burggraviis, Officialibus, Iudicibus, Burgimagistris, Consulibus, & Communitatibus, omnibusque aliis & singulis subditis & fidelibus nostris inferiorum Provinciarum nostrarum Austriacarum & Comitatus nostri Goritiæ Principalis, cuiuscunque gradus, status, ordinis, conditionis & dignitatis extiterint, gratiam nostram Regiam & omne bonum.

1. Magno cum animi nostri moerore perpendimus & videmus, quibus hodie quantisque motibus & periculis orbis Christianus undique concutiatur; potissimum vero miserandus ille status neglectæ adeoque contemptæ passim Religionis sæpe multumque nos & pios omnes discruciat. Qua quidem Religione ut nihil est sanctius in terris, ita præclarius ac firmius Reipub. ornamentum ac robur esse nullum potest. Atque idcirco malarum artium nefarius artifex, sanctæ Ecclesiæ, bonorumque omnium hostis atrocissimus Sathan, quantum humano generi præsidii in vera Religione positum sit, minime ignarus, annis adhinc multis causam Religionis passim oppugnat ac perturbat, ita ut maioribus viribus & copiis, frequentioribusque dolis & fraudibus, uno eodemque tempore ipsam antea nunquam oppugnasse videatur. Nec desinit adhuc satellites quosdam & ministros suos, qui editis suis libellis omnia impietatis studia foveant, disseminent ac propagent, subornare: partim aut qui à Religione orthodoxa semel defecere, in erroribus & sectis, quibus se addixerunt, confirmentur; partim ut, qui etiamnum in tutissimis Ecclesiæ Dei castris perdurant, hinc seducti, factionum discipuli & Religionis nostræ Catholicæ desertores fiant.

2. Inter hos autem libellos, quorum ingens ubique proventus est, non parum virium ad Religionem evertendam habent Catechismi (sic enim appellant) qui sæpe tum brevitatis, tum verborum elegantiæ, & methodi specie commendati egregie fallunt, & imperitam illam nobilemq; iuventutem, veritatis synceritati natam, graviter vitiant atq; corrumpunt. Dum enim ex istorum libellorum lectione, venenum ipsa dulcedine blandum, simplicibus & incautis sumendum præbetur, priusquam id sentiant, eorum animi novis & pestiferis opinionibus, quas evellere postea sit difficillimum, depravantur. Unde fit, ut eo doctrinæ fermento semel infecti, Catholicæ fidei & sanctæ matris Ecclesiæ dogmata & instituta veneranda negligant, fastidiant, atq; nonnunquam etiam per contemptum oppugnent. Qua quidem in re si quid consiliis, monitis, iussis & edictis publicis Rege Christiano dignis profici potuit, nos profecto cum ad ista impietatis studia profliganda, tum ad sacrosanctæ Religionis nostræ Catholicæ iura retinenda, officio nostro minime defuimus. Attamen grassatur indies magis ac magis hæc fœda lues, noviq; subinde ac novis illecebris infecti prodeunt Catechismi, sparguntur, leguntur, proponuntur in scholis, maiore sane periculo, quam simplices pueri, & creduli improvidiq; adolescentes, imperitiq; homines, & pleriq; omnes istiusmodi præceptores sentire aut iudicare queant. Quod igitur in gravi morbo boni Medici, in exorta tempestate fidi naucleri faciunt, à nobis alienum non esse existimavimus, ut præsentissima nobisq; ob oculos posita atq; prospecta longe gravissima pericula, ratione quadam aut depellamus omnino aut saltem, quoad Deus potentem manum suam admoverit, mitigemus.

3. Quamobrem matura super his deliberatione habita, fidelibus nobis subiectis populis saluberrimum fore duximus, si in tanta dogmatum & sectarum varietate Catechisticæ doctrinæ librum, qui Orthodoxus sit, conscribi simul & fidelibus nostris populis evulgari commendarique curemus. Proinde ad huiusmodi Catholicum opus conscribendum, non dubiæ fidei & doctrinæ viros delegimus, conscriptumq; eorum quos non solum sacrosanctæ Theologiæ scientia, verum etiam vitæ innocentia & integritate perspicuos esse constat, iudicio & censuræ subiecimus, ne authoritate nostra in lucem quicquam prodiret, quod Evangelicæ doctrinæ & sanctæ Catholicæ Ecclesiæ ullo modo adversaretur.

4 Cum igitur Dei Opt. Max. gratia iam commemoratus liber ita conscriptus, magnoque Theologorum Catholicorum consensu approbatus sit, mandamus vobis prædictis omnib. & singulis, præcipue vero iis, qui nostro nomine & loco, iuris & iustitiæ administrationem in provinciis nostris Austriæ inferioris, & Goritiæ Comitatu exercent, ac in magistratu constituti sunt, ut hunc Catechismum solum, nullumque alium, per Ludimagistros, Præceptores, ac Pædagogos pueris in scholis publice aut privatim proponi, prælegi, ediscendumque tradi magnopere curetis, atque omnino efficia-

efficiatis: quatenus cum vos, tum ipsi gravissimam indignationem nostram, aliasque pœnas delinquentibus, & huius Edicti nostri contemptoribus pro arbitrio nostro irrogandas volueritis evitare. Hæc enim est expressa mens & voluntas nostra. Datum in Civitate nostra Vienna, die XIV. mensis Augusti, anno Domini MDLIV. Regnorum nostrorum XXIV. aliorum vero XXVIII.

Ferdinandi Imperatoris Augusti RESOLUTIO

Anno Chr. 1557.

DE COLLOQUIO WORMATIENSI, ET SECTARUM AUGUSTANÆ CONFESSIONIS DISSENSIONIBUS.

Reverendo, Iulio Episcopo Naumburgensi, Principi & Præsidenti nostro in Senatu Colloquii & venerabili dilecto: & Nobilibus spectabilibus nostris & Imperii fidelibus dilectis, N. & N. nostræ antiquæ veræ Religionis & Augustanæ Confessionis Substitutis Adsessoribus, nunc in dicto Colloquio Wormatiæ congregatis.

FERDINANDUS DEI GRATIA ROMANORUM REX, SEMPER AUGUSTUS.

Reverende Princeps, Nobiles, Spectabiles, dilecti fideles. Literas Venerabilitatis, Præsidens, satis longas, quarum datum erat dies XXVII. Octobris proxime præteriti, accepimus, ex iisque controversias & dissensiones, quæ primum inter ipsos Augustanæ Confessionis socios Colloquutores & Adiunctos ortæ sunt, deinde etiam tum hac tum aliis præterea de causis inter Colloquutores & Adiunctos antiquæ nostræ Religionis ex una, & Augustanæ Confessionis deputatos Colloquutores & Adiunctos ex altera partibus, inciderunt, & eo usque processerunt, ut instituti Colloquii cursum interruperint & remorentur: insuper Venerabilitatis tuæ supplicationem subiectam enixeque petentis, ut Nos prima quaque occasione, quid cum de his iam natis contentionibus, tum etiam in commune, si Colloquium hoc diutius duraturum sit, & eiusmodi controversiæ plures inciderent, de quibus inter Assessores utriusque partis votando non posset conveniri, & à Venerabilitate tua nomine nostro agendum sit, clementi responsione & resolutione significare velimus, clementissime pet omnia cognovimus.

1. Et quidem has contentiones graviter molesteque intelleximus, vellemusq; ut summo quoquo studio adhibito præcaveri potuissent: nec dubitamus, quin Venerabilitas tua omnem lapidem moverit, quo prædictas contentiones averteret & amoliretur, nec ea in re fidei & diligentiæ suæ defuerit. Quandoquidem autem id fieri non potuit, & Nobis vero super memoratis controversiis qualemcunque nunc Declarationem facere grave & intempestivum videtur, (sicuti tamen Venerabilitas & vos cæteri, quantum ex scriptis vestris ad Nos missis colligere possumus, ipsi cogitare habetis:) tamen nihil gratius nobis accidere potuisset, quam ut pars utraque nupero Recessui Imperiali Ratisponensi fideliter obtemperavissent, deque articulis Christianæ nostræ fidei, doctrinæ & religionis, fructuose, Christiane & concorditer; iuxta formam, modum atque ordinem ab ipsis Colloquentibus & adiunctis, nostræ antiquæ Religionis & Augustanæ Confessionis, conventum & accordatum, egissent, aut etiamnum agerent, in totoque negotio sic maxime versarentur, ut in primis gloria & honor Catholicæ Christianæ veritatis, dilectionis proximi & communis concordiæ atque unitatis quæreretur & promoveretur, considerato quod opera huius tam gravissimi negotii non solum temporalis utilitas, verum etiam animarum salus & beatitudo procurari possit. Quæ etiam causa nos novit, ut ipsius Colloquii institutionem & celebrationem quo potuimus studio promoverimus, impensasque & sumptus quarundam personarum ad id delegatarum in nos receperimus, eosque in posterum quoque ad promovendam desideratissimam unitatem, & conciliandam sanctam nostram religionem, ferre ac suppeditare prompti paratique clementissime simus.

2. Quamobrem non potuimus nec voluimus, quin Venerabilitatem tuam & vos hisce literis clementer hortaremur, severiter mandantes, ut adhuc modos ac vias idoneas, quibus existentes illæ contentiones cum partis utriusque consensu & voluntate sopiantur, ante omnia & rebus relictis omnibus fideliter & Christiane quæratis, eaque diligentia adiuvetis, ut non tantum acriores acerbitates in posterum præcidantur, sed etiam utraque pars ad fraterniorem, amiciorem & Christianiorem Collationem, & (quantum Omnipotentis gratia dederit) conciliationem in nostra sancta fide & Christiana religione, reipsa constituendam permoveantur. Quod fortasse ab iis tali modo impetrari poterit, si primum Colloquutores & adiuncti Augustanæ Confessionis se abducei patiantur, ut exclusos Theologos ad Colloquium iterum requirant, eisq; e sub securitate promittant, quod ea cum potestate, quam ab suis Electoribus, Principibus & Ordinib. plenariis eum mandatis acceperunt, sine ulla contradictione porro admittere velint, & pari eademque auctoritate ut agant usque ad finem Colloquii tanquam iustis & legitimis sociis concedere: Denique si diligente tuæ Venerabilitatis

& vestra opera Colloquutores & Adiuncti nostræ antiquæ Religionis, ad quæstionem Colloquutoribus & Adiunctis Augustanæ Confessioois propositam pet responsionem facta declaratione & pollicitatione contenti acquiescant. Nam etiam si iure meritoque, iuxta sanctionem nuperi Recessus Imperialis, quæstio ista moveri potuerit, nec alterius partis Theologis debuerit vitio aut iniuriæ verti, si in specie declaravissent, quorum opiniones Augustanæ Confessioni congruas tenerent; tamen quia se Augustanæ Confessioni adhærere declararunt, confessique sunt se omnem doctrinam ei contrariam damnare, & ad cunctos articulos sigillatim respondere se paratos obtulerunt, æquum est ut & Theologi antiquæ nostræ Religionis hanc declarationem æquanimiter accipiant, & in ea acquiescant.

3. Quod si vero unus aut plures Theologi Augustanæ Confessionis in sequentibus articulis unam aut plures opiniones siue sectas dicta Confessione oon comprehensas defendere ac propugnare conaretur, adversus illum procedi, ut iustum est, poterit, illique in faciem & præcisè mandari, ut argumentis & opinionibus Augustanæ Confessioni non correspondentibus abstineat. Siquidem notum est ex tenore memorati Recessus Imperialis, hoc Colloquium inter antiquæ Religionis tantum & Augustanæ Confessionis Status eorumqoe Deputatos institutum esse: quemadmodum & in Pace Religionis tantum comprehensi fuerunt & sunt antiquæ Religionis & Augustanæ confessionis socii, cæteris omnibus alterutri harum religionum non adhærentibus in ea Pace non intellectis, sed ab ea totaliter exclusis.

4. Per istos aut alios idoneiores & opportuniores amicabiles modos ac vias Venerabilitas tua & vos etiam atque etiam intenti estote, ut hoc summe necessarium Colloquii opus cum utriusq; partis consensu & voluntate iterum instauretur, redintegretur & frequentetur, ad quod efficiendum velimus vos summis opibus atq; industriis omnibus incumbere. Quod si vero tractationi amicabili nullum locum reliquerint, tum volumus ac iubemus ut omnia, quæ in antedicto Recessu Imperiali statuta & ordinata sunt, exequamini, eique in omnibus pareatis & obtemperetis, quemadmodum non dubitamus Venerabilitatem tuam & vos facere vestra sponte promptos paratosq; esse. Qua in re facietis nostrum beneplacitum; ac erimus Venerabilitati tuæ & vobis cæterisque personis ad hoc Colloquium deputatis pro obsequiis vestris cum omni gratia & clementia semper benevoli ac faventes. Et litibus istis atque contentionibus sublatis, confidimus clementer, eiusmodi dissensiones præterhac non facile emersuras, sed Venerabilitatem tuam & vos operam daturos, ut suppullulantes iuxta sæpe memoratum Recessum Imperialem inhibeantur & tollantur, Colloquiique processus recte atque ordine promoveatur. Hæc Venerabilitatem tuam & vos clementer scire volumus. Datum in Civitate nostra Vienna, die IX. Novembr, Anno MDLXVII. Regnorum nostrorum, Romani XXVII. cæterorum vero omnium XXXI.

FERDINANDUS.

Ad mandetum Regis proprium
I. Ionas D. Vicecancellarius.

L. Kirchschlager manu propria.

COLLOQUUTORUM ET ADIUNCTORUM VETERIS RELIGIONIS

RESPONSIO

Anno Chr. 1557.

Ad literas Regias Præsidi exhibita XXIX. die Novemb. Anno MDLVII.

TEstes nobis esse possunt in omnibus, qui actibus Colloquii ab initio interfuerunt, nos ad iustam & æquabilem instituti Colloquii continuationem, propensam semper voluntatem attulisse, sed continuationi moram iniecit Colloquutorum alterius partis tergiversatio, qui sectas cum Augustana Confessione dissidentes, ab ea iuxta tenorem Recessuum Imperialium, & Statuum voluntatem, segregare & nominatim abiicere recusarunt.

2. Præcipue vero Colloquii progressum abscidit nata inter adversam partem contentio, quæ Augustanam Confessionem, quam unam veteri Religioni in hac Collatione oppositam esse Status Imperii voluerunt, in duas pene æquas partes dissecuit, ut & duodecim, quos Imperii Status huic negotio ex altera parte destinarant, residui manarent septem, quinque vero discederent, qui vi & importunitate reliquorum sese exclusos, & loco suo per iniuriam motos esse quererentur.

3. Hinc progressui allata cunctatio, quod nos iusta causa & prudenti ratione moti hærere cœpimus, an cum discussa & dimidiata, & tam variis inter se dissentientibus opinionibus, quas hactenus ab ea segregare Collocutores alterius partis satis suspecta dissimulatione recusarunt, permixta Confessione Augustana, suscepti Colloquii actiones nobis continuandæ essent. Prudenter enim adverterunt Status Imperii, in tanta sectarum multitudine rem infiniti laboris per singulas certamen circumferre: ideoque severis edictis, quasi uno ictu numerosa istius monstrosæ hydræ capita decutere volentes, reliquas omnes sectas ab illa Collatione secluserunt, & cum una & sola Confessione Augustana conciliationem in hoc Colloquio tentari voluerunt.

4. Huc non obscure voluntas prudentissimi & piissimi Regis Romanorum in his postremis literis respicit, qui ante omnia disiectam & in frusta discissam, adeoq; pene dimidiatam Confessionem Augustanam rursus adunandum & coniungendam suasit, & his, qui hinc discesserunt, spem atq; pollicitationem & rectificationem esse faciendam, ut quemadmodum initio per suæ religionis Electores, Principes & Status ad Colloquium delecti sunt, sic illi continuando usque ad finem interesse permittantur, siquidem prudenti ratione collegit, in hac divisione nos, qui veteris religionis partes tuemur, si non ad inanem, certe ad duplicatum laborem redigendos esse, si Collationem cum residuis continuemus: ut vbi Wormatiæ certamen finierimus, cum reliqua parte in Saxonia necessario resumere, aut imperfectam Conciliationem (ut pote cum dimidiata parte Augustanæ Confessionis tentatam) relinquere cogamur: ut nihil de aliis sectis hactenus nondum ab Augustana Confessione separatis adiiciamus. Qui residui manent alterius partis Collocutores plane sibi Augustanæ Confessionis nomen & partem vindicant, & ad Collationem cum veteri Religione continuandam, operam suam satis animose pollicentur. Nos, ut eos Augustanæ Confessionis partem esse non negemus, tantam sane Confessionem in illis agnoscere nequaquam possumus, à qua videmus eorum, quos Status delegerunt, dimidiatam fere partem abesse. Huc accedit, quod ei, qui discesserunt, non minus quam qui remanserunt, Augustanæ Confessionis titulum ad se rapiunt, quam se purius & rectius tenere & sequi asseverant, & nequaquam ab dictæ Augustanæ Confessionis & inde pendentis fœderis consortio excludi volunt. Negant residui se alios exclusisse: at qui discesserunt, vi se loco pulsos & plane ab aliis exclusos esse relictis literis & protestationibus queruntur. Nos contentionem eorum non iudicamus. Iudicent Status Imperii, à quibus utrique pari ratione ad Colloquium delecti sunt, alteram certe partem in culpa deprehendi necesse est.

5. Hoc certum est, è duodecim, quos Status Imperii delegerunt, quinque Colloquio deesse, & deesse (quantum nos iudicare possumus) non ex his causis, in quibus Recessus Imperialis potestatem reliquis facit alios substituendi, si videlicet aut morte aut infirmitate aut simili causa Colloquio subtrahantur. De hiis, qui vi se extrudi queruntur, dispositionem in Recessu nullam videmus, & non absurda ratione dubitamus, an Status Imperii hanc illorum divisionem probent, & cum reliquis actionem nos continuare velint.

6. Itaque denonciamus ac plane de nobis testatum facimus, nos actionem Colloquii præsumere & continuare nec posse nec velle, nisi hac conditione, ut secundum mentem Recessus Imperialis, & voluntatem Serenissimi Regis, aliis reductis Confessio Augustana rursus adunetur, & in unam contrahatur partem, aut saltem de voluntate Statuum (quod non attenta aliorum segregatione in residuis integram Confessionem Augustanam agnoscere debeamus) certum & indubitatum testimonium perhibeatur, & nobis fidem certam faciant Colloquutores adversi, se saltem circa singulos articulos, spem nostram de legitima & plena separatione sectarum, nulla ampliore tergiversatione aut in speciem confictis rationibus elusuros, ne pro una Augustana Confessione cum duabus, aut tandem cum infinitis sectarum generibus certamen suscipere, aut laborem duplicare contra mentem Recessus & Statuum voluntatem cogamur. Vt interim nihil huc adferamus, quæ tamen maximi nobis momenti videntur, de offensa Principum & Magistratuum eorum, qui hinc discesserunt, quos contra nos aut Principes nostros, ut in protestatione nostra liquido ostendimus, nulla ratione irritandos censemus. Rursus vero adunata Confessione ad voluntatem Serenissimi Regis, quantum in nobis erit, nos accommodare, & colloquium æquis conditionibus continuare, nequaquam gravabimur: separationem sectarum ab Augustana Confessione, quæ iustissima ratione ab initio fieri debuit, circa singulos articulos patienter expectaturi.

7. Hic Reverendissimi Domini Præsidis prudentiam appellamus & imploramus fidem, ut iustas has & æquabiles rationes nostras æquo animo admittat, nec pro arbitratu adversariorum conditionibus parum æquis ad continuationem nos inducere tentet, aut nos eorum legibus subiiciat, qui quod volunt, statim nobis pro lege obtrudere conantur. Continuationem colloquii non detrectamus, nisi forte detrectare videamur, quoties ab adversariis quascunq; nobis leges præfigere tentant, non recipiamus. Imo cogitare debent, negotium sibi esse cum hominibus liberis, qui cum nullam iustam & æquabilem continuandi rationem abnuamus, tamen ex arbitrio adversariorum pendere, & eorum legibus parere nolumus. Alioquin nisi æquis conditionibus, & ante omnia Augustanæ Confessionis redintegratione, continuatio instituatur, Deum testamur, & plane nobis persuademus, bonos omnes & æquos rerum æstimatores ita iudicaturos esse, adeoque si necesse sit, multis & gravibus rationibus monstrabimus, non nos Colloquii dissolutioni causam præbuisse, sed eos, quicunque tandem sint, qui Augustanam Confessionem in partes secuerunt, & à tam infinitis sectis repurgare suspecto prorsus concilio hactenus dissimularunt, & ne rursus adunetur, moras obiicere non cessant. & sic nobis necessitatem obiicere volunt, ut aut imperfectam (cum dimidiata scilicet Confessione Augustana) conciliationem tentare, aut duplicare laborem, & cum duabus Augustanæ Confessionis partibus fore (quantum nos videre possumus) æqualiter magnis, duo, aut cum sectis aliis, si ab ea liquido seclusæ non fuerint, infinita tandem Colloquia pro uno instituere cogamur. Nec dubitamus has rationes Recessui Imperiali Ratisponensi per omnia conformes esse, à quo recedendi nos nec potestatem nobis nec voluntatem esse liquido testamur.

Colloquutores & Adiuncti ex parte veteris & Catholicæ Religionis.

* eo nomine IX.

Anno Chr. 1563.

Caroli Regis Franciæ
ARTICULI
DE REFORMATIONE MORUM, ET Ecclesiæ disciplina,

Propositi in Concilio Tridentino, quibus Cæsareorum Oratorum Mandata quoque consentiebant, Capitulis XXXIV. comprehensi.

VT Sacerdotes, quos castos esse oporteat, & ex quorum incontinentia, in Ecclesia magnæ nascuntur offensiones, non alii in posterum ordinentur, quam qui seniores sint, & à populo bonum habeant testimonium, ut ex anteacta vita, quales postea sint futuri, non levis fiat conjectura: & Sacerdotum libidines ac flagitia acerrimis Canonum pœnis coerceantur.

2. Caveatur, ne eodem die aut tempore omnes sacri Ordines uni conferantur.

3. Nullus Presbyter ordinetur, cui non continuo, secundum Concilium Chalcedonense, detur una cum Ordine beneficium ac ministerium. Sic enim fieri consuevisse Ordinationes à priscis illis Patribus, qui Titulos multo post tempore inventos ignorarint.

4. Diaconis & aliis sacris Ordinibus restituantur sua munia, & antiqua functio, ne amplius nuda & in ceremoniis tantum posita nomina dicantur.

5. Presbyteri & sacris initiati, & cuiusvis Ecclesiæ ministerio addicti in ea vocatione, ad quam à Domino vocati sunt, permaneant: neque in alio munere & officio, quam quod Dei ministerium deceat, versentur.

6. Nullus eligatur Episcopus, qui non & ætatis sit legitimæ, iisque moribus & doctrina præditus ut & populum docere, & ei vitæ exemplar esse possit; & qui non sit satis iis omnibus instructus, quæ ad tantum munus obeundum sint necessaria.

7. Is item creetur Plebanus, qui probatæ sit vitæ, qui sacrificium rite celebrare, & sacramenta, ut par est, administrare. & illorum usum & effectum eos, quibus ea administrat, recte docere & instruere possit.

8. Ad Cœnobium & Prioratum Conventualem nemo admittatur, nisi prius in celebri aliquo Gymnasio sacras literas publice professus, & Magisterium aut alium gradum adeptus fuerit.

9. Episcopus per se, aut per eos, quos ad prædicationis munus assumet, qui tot erunt, quot pro diœcesis amplitudine videbitur opus esse, omnibus Dominicis & festis diebus, tempore item Quadragesimæ, Ieiuniorumque & adventus Domini, cottidie Dei verbum annunciet, & quotiescumque id opportune fieri posse iudicaverit.

10. Idem faciat Plebanus.

11. Abbas & Prior Conventualis libros Veteris & Novi Testamenti interpretetur: Xenodochia ac Valetudinaria instituat; & ita Monasteriis antiquæ Scholæ restituantur.

12. Qui hodie sunt Episcopi, Plebani, Abbates aut alii Ecclesiastici, si suum munus obire non possint, accipiant Coadiutores per quos illud præstent, aut omnino Sacerdotia à se abdicent.

13. De Catechesi, summa doctrinæ Catholicæ conscribenda, & brevibus Evangeliorum explicationibus, quas vulgo Postillas vocant, ea decernantur, quæ Cæsareæ Maiestati visum est referre ad hoc sanctum Concilium.

14. Unum beneficium uni tantum conferatur, sublata eorum, quæ simul teneri & non simul teneri possunt, personatumque differentia; quæ distinctio, ut est nova & antiquis Decretis incognita, ita, tanquam Ecclesiæ damnosa in posterum tollatur. Regularia item regularibus, secularia secularibus cedant.

15. Qui duo plurave nunc possident, aut illud tantum retineant, quod optaverint, aut in canonum pœnas incidant,

16. A Sacerdotali Ordine sordes & omnis avaritiæ labes procul expellantur, nec ullo prætextu pro rebus divinis quicquam exigatur. Curet Episcopus per unionem beneficiorum, aut per decimarum assignationem, &, si hoc commode fieri non possit, per parœciarum symbola ac collectas, ut Plebani, & cum illis duo pluresve Clerici, habeant, unde vitam tolerent, & hospitibus viaticum præbeant.

17. In sacrificiis Parœcialibus Evangelium aperte & dilucide, & pro populi captu copiose, ex suggestu exponatur, quo in loco, quæ Plebano præeunte fient preces, lingua fiant vernacula, peracta autem re divina Latine & mysticis precibus, lingua etiam vernacula publicæ ad Deum precas fiant,

fiant,

fiant, & eo tempore ac aliis præstitutis cantica pia aut psalmi Davidici canentur itidem populari sermone, prius ab Episcopo diligenter examinati.

18. Antiquum Leonis & Gelasii Decretum de communione sub utraque specie in usum revocetur.

19. Ut omnes præcipue literarum periti. usum & efficaciam sacramentorum animo percipiant, præcedat semper lingua vernacula brevis ac dilucida explicatio, quæ sacramenti, quod administratur, rationem reddat.

20 Beneficia secundum antiquos Canones non amplius exteris & per Vicarios conferantur, sed per ipsos Ordinarios, quorum est in hoc maxime electa industria, & illis intra sex menseis non conferentibus, potestas conferendi ad proximum superiorem, devolvatur, & per gradus ad Pontificem, juxta Concilium Lateranense, neque aliter Collatio valeat.

21. Mandata de providendo, expectativæ, regressus, fiduciariæ resignationes, commendæ revocentur, & tanquam sacris Decretis contrariæ, ab Ecclesia omnino arceantur.

22. Resignationes in favorem eliminentur omnino à Curia Romana, quippe cum sacris canonibus institutum sit, ne quisquam sibi officii sui quærat aut eligat successorem.

23. Prioratus seculares, aut (ut vulgo dicuntur) simplices, quibus contra institutionem cura animarum adempta est, & translata in Vicarium perpetuum, parva tantum quadam decimarum aut aliorum proventuum pensione ei assignata, cum primum vacaverint, curam animarum recipiant, & in antiquum statum reformentur.

24. Cum beneficium sine officio nec esse debeat, nec possit, Episcopus, si quæ sint ejusmodi, quæ nullo enunciandi, sacramenta administrandi, aut alio onere Ecclesiastico teneantur, iis ex Capituli consilio curam aliquam spiritualem imponat, aut si utilius videatur, ea vicinioribus Parœcialibus Ecclesiis uniat.

25. Pensiones super beneficiis non constituantur, & quæ sunt constitutæ, tollantur.

26. Episcopis intra omnem diœcesim Ecclesiasticæ jurisdictiones restituantur, sublatis exemptionibus, nisi certis casibus.

27. Canonici Cathedralium Ecclesiarum sint assidui in Cathedrali Ecclesia bonis moribus ac doctrina præditi, quique saltem vigesimum quintum annum attigerint, ex quorum consilio Episcopus jurisdictionis suæ munus exerceat.

28. Retineantur antiqui, aut novi constituantur consanguinitatis, affinitatis vel cognationis spiritualis, gradus, intra quos non liceat obtentu cujusvis dispensationis matrimonium contrahere, exceptis solis Regibus aut Principibus propter bonum publicum.

29. Doceatur populus, quid de imaginum cultu sit sentiendum, curetque Synodus, ut si quæ in iis colendis irrepserunt superstitiones & abusus, tollantur, quo Iconomachis nuper exortis tumultuandi causa præcidatur. Quod idem dictum intelligatur de indulgentiis, peregrinationibus, reliquiis Sanctorum, & iis sodalitatibus, quas vulgo Fratrias vocant.

30. In Ecclesia propter graveis & publicas offensas publica pœnitentia instituatur, & ad Dei iram placandam jejunia & luctus publici.

31. Excommunicatio, quæ supremus est Ecclesiæ gladius, non passim pro quovis delicto aut contumacia decernatur, sed pro gravissimo tantum peccato, si in eo post unam & alteram & nonnunquam tertiam monitionem reus non resipiscat.

32. Ad forenseis controversias, quæ universum fere Ecclesiasticum ordinem contaminant, contrahendas, petitorii & possessorii in causis beneficialibus nuper inventa distinctio aboleatur, & sublatis à Concilio Constantiensi introductis Universitatum nominationibus, præcipiatur Episcopis, ut beneficia secundum Gregorii auctoritatem non ambientibus, sed fugientibus & de Ecclesia bene meritis conferant.

33. Si de conferendi aut præsentandi jure lis oriatur, primum ab Episcopo, Capitulo consulto, Oeconomus vacante beneficio præficiatur, qui fructus omneis percipiat, & munia omnia Ecclesiæ subeat: dein litigatores in aliquot viros doctos Ecclesiasticos consentiant: & si non elegerint, ab Episcopo dentur, qui saltem intra sex menseis litem omnem dirimant, à quibus appellari non liceat: aut si appellationi deferendum videatur, mandetur interea executioni sententia: nec teneatur Oeconomus, aut qui prior obtinuit, restituere fructus, pendente lite perceptos, in ministri & pauperum tantum alimenta expendendos.

34. Synodi Episcopales quotannis semel ad minimum, tertio quoquo anno Provinciales congregentur, in quibus de iis, quæ ad statum Ecclesiasticum spectant, diligenter tractetur, de ministrorum delictis mature cognoscatur, & in eos, qui deliquerint, severe animadvertatur. Concilia item generalia, nisi obstet aliquod impedimentum, decimo quoquo anno celebrentur.

EJUSDEM
PROTESTATIO

Anno Christi 1563.

Contra Pium IV. Pontificem Maximum, pro præeminentia ac præsessione Regis Christianissimi ante Regem Catholicum, adversus Papæ iniquos & impios processus, & nullitatem Concilii Tridentini, facta per Oratores in Concilio Tridentino, Mense Septembri. Anno Christi MDLXIII.

CUm videmus, Patres Sanctissimi, vos ex omnibus totius orbis Christiani Provinciis, conciliendarum de religione controversiarum causa, in hunc locum convenisse: idque maxime factum fuisse diligenti opera & studio Francisci & Caroli fratrum Regum Christianissimorum, qui apud Pontifices Maximos Cæsarem, Regem Catholicum, & cæteros Principes Christianos, hanc Synodum Oecumenicam primi promoverunt; non possumus non graviter & moleste ferre, nostram Legationem in ea miserrima tempora & angustias incidisse, ut cogamur, aut re infecta hinc abire, aut antiquam regni nostri Majestatem minuentibus adsentiri.

2. Quæ fuerit Regum Christianissimorum præ cæteris auctoritas & prærogativa, norunt optime, qui juri Pontificio, & receptis in Ecclesia Romana Christianorum libris, operam dederunt. Sedisse autem, & incessisse in Conciliis Ecclesiæ generalibus, antiquis & novissimis, Regis Christianissimi Oratores, primos post Imperatoris, & ante Regis Catholici, & omnium Regum Oratores, vos, qui Conciliorum volumina legistis, non potestis ignorare: qui vero Jurisconsulti sunt, negare hujus antiquæ & perpetuæ possessionis, cum sint plura conjuncta, & necessario consequentia capita, vim, in uno factam, in omnibus factam videri. Videtis autem, Patres sapientissimi, & oculis cernitis, quod hodie fit, adversus antiquissimam possessionem contra omnia jura divina & humana, pupillumque Regem Christianissimum fieri. Regis Catholici Oratores, in Conciliis generalibus, post Regis Christianissimi Oratores, semper sedebant & incedebant, ecclesiasticarumque cæremoniarum honores accipiebant. Immutata hodie res est, & Regi Christianissimo prærogativa adempta non quidem à vobis, Patres sanctissimi, qui potius majorum nostrorum exemplo, Regibus & Principibus avita Regna & Imperia, unde essent inique expulsi, restitueretis, quam antiqua possessione quemquam moveri pateremini. Nihil item hac in re factum est ab optimo & religiosissimo Principe, Rege Catholico, cui cum Rege pupillo quanta sit amicitia, eaque cum affinitate conjuncta, nemo est, qui non intelligat.

3. Quem igitur accusamus? Adeo nos, Patres sanctissimi, hujus impietatis pudet, piget, tædet, & miseret, ut si fieri ulla ratione posset, auctoris nomini parceremus. Quis enim adeo impius pater à quo si filius panem petierit, non ei panem det? si piscem, piscem? si ovum, ovum? Et tamen inventus est omnium Christianorum pater sanctissimus, *Pius Quartus*, qui pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro ovo scorpium, filio primogenito dederit. Eramus nos Galli esurientes & famelici petentes à beatissimo Papa, veluti communi patre, panem, non quidem naturalem, cujus non indiget Gallia, regio feracissima, sed illum divinum Angelorum super substantialem, cujus in toto fere orbe Christiano, tanta fuit primum caritas, deinde etiam nunc inopia, ut vix unquam post Christum natum, major. Ille vero, non quidem panem, quem petebamus, dedit, sed scorpium, cujus cauda, unico ictu, simul duos potentissimos Reges, Ecclesiam Gallicanam, & Theologorum Parisiensium doctrinam feriret.

4. Sic enim existimat, *Pius Quartus*, hoc suo discordiæ pomo, maximorum Regum bene compositam pacem posse infringere: unanimesque Reges fratres in prælio armare, ac mutando ordinem & gradum, quo in Concilio Constantinensi & ultimo Lateranensi sederunt Regum Christianissimorum Oratores, omnibus manifestum facere, Papam esse supra Concilium. Sed errat toto cœlo: quoniam horum Regum amicitia altius radices egit, quam ut isto levissimo vento evelli posse videatur. Nostra vero, de Decretis Concilii Constantiensis & Basiliensis, ea semper erit constans & perpetua sententia, quæ Conciliis Ecclesiæ universalibus inter Catholicos esse debet.

5. Audierat & didicerat Petrus, aut ex statere in ore piscis invento, aut cum rogaretur Pharisæus, *cujus esset imago*, aut cum dictum est, *quis me constituit Judicem?* aut ex responso matri filiorum Zebedæi dato, non esse miscendum psalterium cum cythara. Hic autem Petri successor, ausus est Regibus & Principibus non solum novos honores & prærogativas tribuere & præscribere, sed etiam veteres suo nutu & voluntate mutare.

6. Magna fuit quidem jure divino, gentium & civili habita ratio filii primogeniti, qui non solum vivo patre inter fratres semper priorum & præcipuum honoris gradum teneret, sed etiam patre defuncto, nonnunquam hereditatis paternæ majorem partem cerneret. Hic autem *Pius Quartus*, cum Dei locum in terris tenet, non existimat Christianissimum Regem, Ecclesiæ Catholicæ primogenitum filium, ulla in re præferendum fratribus Regibus, qui longo post tempore Ecclesiæ Catholicæ nati sunt.

7. Fuit certe Regis Salomonis, & quorundam Judææ Regum, magna impietas, & gravissima scelera: verum noluit Dominus, propter Davidis memoriam, & egregia ejus in Ecclesiam merita, quamdiu Salomon vixit, de Regni paterni amplitudine, dignitate, auctoritate quidquam detrahere; neque

neque duas illas Tribus, quibus Reges Judææ imperabant, omnino perdere. *Pius* autem *Quartus*, nulla habita ratione meritorum in Ecclesiam Romanam, Pipini, Caroli Magni, D. Ludovici, & aliorum Regum, qui Romanum Pontificem urbe profugum & exulem, in suam sedem & dignitatem restituerunt, carcere detrusum exercuerunt, & Romam obsidione liberarunt: qui omnem, quem habet Ecclesia Romana, reditum, & multo majorem quam nunc possidet, munificè & tam large donarunt: quodque intolerabile est, hoc tempore, quo Regina Christianissimi pupilli Regis mater in periculum adduxit tanti regni imperium, ob hanc solum causam, ut possit Ecclesiæ Romanæ auctoritatem in Gallia sartam tectam conservare: iste, inquam, *Pius Quartus*, priscam Regibus prærogativam & honorem, quæ semper fuerunt Regibus carissima pignora, suo decreto abstulit.

8. Noluit Dominus Deus prius judicare, quam descendisset & vidisset. Prohibent Pontificum & Imperatorum constitutiones, Jureconsultorumque responsa, quemquam indicta causa condemnare. Hic autem *Pius*, contemptis omnibus legibus divinis & humanis, non solum de plano, aut per libellum, sed etiam sine ulla omnino cognitione, regem condemnat.

9. *Maledictus*, inquit Dominus, execratus, infelix, infaustus, aut si quod aliud vocabulum lingua latina habeat, quod Hebraici nominis vim & proprietatem significet, *qui movet limitem proximi sui: & dicet omnis populus, Amen.* Magna fuit etiam inter Barbaros homines sententia longissimæ possessionis, quæ semper vim constituti, jurisque legitimi auctoritatem habuit. Hic autem *Pius*, mutare sedes & antiquas possessiones, deque illis possessores dejicere, nihilum quiddam esse putat.

10. Sæpius Deus per majores & minores Prophetas, commendavit Principibus & Judicibus, pupillorum & viduarum causam: nihilque est in toto jure civili, in quo tanta, jus dicentis religio desideretur, quam in condemnando pupillo. Noluerunt Paulus, sanctissimaque Ecclesiæ decreta, quemquam excommunicari, nisi ob magnam in gravissimo delicto contumaciam. Abstinuerunt prisci, Patres à quibusvis decretis faciendis, interea dum sedebat & coacta erat sancta Synodus Oecumenica, penes quam semper fuit summa Ecclesiæ potestas: aut, si quid aliquando constituerant, id sacro probante Concilio definiebant. Nihil est, quod Dominus noster Jesus Christus magis curaverit, quam ut suæ & discipulorum actiones essent omnibus manifestæ, perspectæ & cognitæ. *Pius*, ut uno decreto omnia omnino jura divina & humana confunderet, vobis autem, Patres, in Concilio universali legitime congregatis, & qui universam Ecclesiam merito repræsentatis, ausus est Romæ de Regis pupilli Oratorum, qui ad vos tantum, & non ad illum, missi erant, prærogativa pronunciare, pupillumque regem non solum non auditum, sed ne vocatum quidem condemnare.

11. Ac, ut nulla in hoc decreto iniquitas desiderari posse videretur, & nos Oratores exequutio imparatos offenderet, non solum cavit diligenter, ne quis nostrum de ea quidquam resciret, sed etiam vos, Illustrissimi Legati, si contra faceretis, hoc est, si id feceritis, quod sine nefario scelere prætermittere non poteratis, excommunicavit. Videte, rogamus, Patres sanctissimi, qui Theologiæ, Pontificio & civili juribus operam dedistis, num verissime hic dici possit; *Ista quidem vis est.*

12. Num hæc sunt Petri, Lini, Damasi, Gregorii, aliorumque Summorum Pontificum facta & gesta? Num *Pium Quartum* pro Summo Pontifice & Petri successore habere debeat Gallia, qui ne antiquam dignitatem & Majestatem pupilli regis minueret, omnia divina & humana jura pervertit? Num nobis, etsi ingratissimo animo, justa tamen & necessaria causa, hinc ut ne discedendum sit, ubi nullum legibus locum, nullum antiquorum Conciliorum libertatis vestigium *Pius Quartus* reliquit? Quid enim vobis judicandum proponitur, aut à vobis judicatum publicatur, quod non prius Romæ missum, & *Pio Quarto* placuerit? Quam putaris aliam esse causam toties dilati & procrastinati judicii petitionum nostrarum, quam quod illa, in epistola D. Hadriani Sexti Pontificis Maximi, optime noverat, curatis quantumvis membris, corpus sanum esse non posse, nisi etiam caput diligenter curetur? Huic autem capiti quæ quantave immineant, quoniam bona pars vestra optime novit, in aliud tempus dicendum reservamus.

13. Hic igitur est *Pius Quartus*, ad quem solum, neminem præterea, nostra hæc Denuntiatio & Protestatio pertinet. Sedem Apostolicam, sanctos Pontifices, sanctam Ecclesiam, pro cujus dignitate augenda majores nostri sanguinem fuderunt, & adhuc hodie in Gallia acriter pugnatur, veneramur, reveremur, suspicimus. *Pii* autem *Quarti* imperium detrectamus, quæcumque sint ejus judicia & sententiæ, rejicimus, respuimus & contemnimus.

14. Et quamquam, Patres sanctissimi, vestra omnium religio, vita & eruditio magnæ semper fuit & erit apud nos auctoritatis, cum tamen nihil à vobis, sed omnia magis Romæ quam Tridenti, agantur: & quæ hic publicantur, magis *Pii Quarti* placita, quam Concilii Tridentini Decreta jure existimentur, denunciamus & protestamur, quæcumque in hoc Conventu, hoc est, solo *Pii* nutu & voluntate, decernuntur & publicantur, ea neque regem Christianissimum probaturum, neque Ecclesiam Gallicanam pro Decreto Oecumenici Concilii habituram.

15. Interea, quotquot estis Galliæ Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, Doctores, Theologi, vos omnes hinc abire Rex Christianissimus jubet, redituros, ut primum Deus Optimus Maximus Ecclesiæ Catholicæ in generalibus Conciliis antiquam formam & libertatem restituerit:

Regi autem Christianissimo suam dignitatem &

Majestatem.

Maximi-

Maximiliani II. Imperatoris Augusti EDICTUM

DE STVDIIS LITERARVM PROMOVENDIS.

MAXIMILIANUS II. Divina favente clementia electus Romanorum Imperator semper Augustus, Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, & Sclavoniæ, &c. Rex, & Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Stiriæ, Carinthiæ, Carniolæ, & Wirtambergæ, Comes Tyrolis, &c. Recognoscimus & notum facimus tenore præsentium universis. Inter alia majorum nostrorum consilia, illud haud postremum fuisse comperimus, ut ad Imperii Romani decus & dignitatem plurimum facere arbitrarentur, non minus rem literariam, quam militarem disciplinam propagare: quod literarum monumentis quidquid fortiter & præclare gestum esset, illustrari cognoscerent, & æternæ memoriæ consecratum ad posteros ita transmitti, ut tam exteris quam domesticis populis exemplo ad virtutem esse posset: quodque optimarum artium studia, & quidquid ad humanæ vitæ cultum atque utilitatem in quaque arte fuisset excogitatum, literis & contineri & conservari optime didicissent. Illorum nos laudatis vestigiis insistere summo studio cupientes, dignum in primis duximus prudenter & accurate cavere, ut si quis ad eam rem quidquam vel industria vel laboribus & impensis suis contulerit, ne huic fraudi beneficium publicum sit.

2. Cum itaque syncere nobis dilecti ac fideles Typographi nobis humiliter exponi curarint, se veteres nonnullos auctores, vel nunquam antea visos, vel emendatiores, aliave opera magni momenti vel antea non edita, vel emendatiora, locupletiora, auctiora & illustriora facta, quacumque in lingua, imprimere constituisse; veteri autem, ne, quod sæpenumero usu venire consueverit, alii nonnulli, qui alieno labore & industria partis, fucorum more inhiare & frui soleant, ea quæ illi magnis sumptibus & impensis collegerint, & typis procuderint, mox ad suum compendium, minore sumptu & labore imitentur, atque effingant, illisque labor omnis, sumptus & impensæ, omne quoque lucrum & laboris præmium, atque adeo (quod dici solet) oleum & opera pereat: ideoque suppliciter à nobis petierint, ut contra hujusmodi improbos quorundam lucri cupidorum conatus, fraudem & injurias, sanctionis nostræ ordinationem edicere dignaremur.

3. Nos hujusmodi illorum precibus æquis & justis benigne annuentes, & prædictorum honestos conatus promovere, atque indemnitati illorum quam maxime consultum cupientes, hoc publico edicto cautum volumus, & sancimus, ne quis, cujuscumque status, gradus, ordinis aut conditionis fuerit, quacumque sacri Romani Imperii & ditionis nostræ fines patent, deinceps prædicta, aut alia quæcumque probatorum auctorum opera, quotquot vel hactenus nondum impressa, vel ab aliis quidem impressa, novis autem deinceps scholiis, annotationibus, aut commentariis aucta & illustrata, Typographi primi typis procuderint, intra proximum sexennium à prima cujusque operis aut voluminis editione ullo pacto ejusdem vel diversi characteris forma excudat, aut excusa ab aliis intra nostros & Imperii fines vendenda importet, seu quovis modo distrahat manifeste vel occulte, sub pœna decem marcharum auri, quarum dimidia fisco nostro Imperiali fraudis vindici, residua vero pars prænominatis Typographis cadat, præter librorum, sicut præmittitur, ad imitationem impressorum amissionem, quos iidem Typographi ubicumque locorum nacti fuerint, per se vel suos, adjumento Magistratus loci, vel citra, propria auctoritate sibi vendicare, inque suam potestatem redigere possunt. Datum in civitate nostra Vienna Austriæ, die XXI. mensis Februarii, Anno Domini MDLXV. Regnorum nostrorum, Romani III. Hungarici II. Bohemici vero XVII.

MAXIMILIANUS.

Ad mandatum sacræ Cæs. Majest. proprium.

Haller.

Maximi-

Maximiliani II. Imperatoris Augusti DECRETUM

Anno Christi 1573.

De Pace Religionis, & damnatione Georgii Ederi, Doctoris turbulenti ac seditiosi, famosorum mendacium & injuriosorum libellorum, quos pro fide Romana adversus Protestantes edidit.

SAcra Cæsarea Majestas Consiliario suo Aulico, Georgio Edero, J. V. Doctori, significari jussit, suam Majestatem in libro, quem suæ Majestati nuper offerri voluit, molestissime & indignantissime ferre nimiam ejus vehementiam, acerbitatem & immodestiam, injuriosaq; verba in multos Imperii Status ac personas, inprimis autem Augustanæ Confessionis socios, quorum non modo religionem & confessionem, sed statum quoque, honorem & dignitatem gravissime læserit, taxaverit ac condemnarit: quum tamen & ipsi & omnibus notum sit atque constet, quanto zelo, labore ac sollicitudine tam Majestatis suæ majores laudatissimi, quam ipsa etiam sua Majestas, ot jam annos in omnibus Imperii Comitiis ac Congregationibus, semper intenti fuerint, ut, quod à communibus etiam Imperii Statibus in Pace religionis & alias salubriter accordatum & constitutum est, nemo alterum in honore, dignitate, statu, conscientia, aut alio quocunque modo, taxet, molestet, offendat, lædat, calumnietur aut injuriet: id quod sua Majestas non modo in Imperio, sed Regnis quoq; & Principatibus hæreditatis summa ope hactenus nixa fuerit, ut diligenter & exactè observaretur. Quapropter sacræ Cæsareæ Majestati liber ille à Doctore Edero editus summopere displicet, & disgratissimus est: nec ea sibi persua fere poterat, tantam imprudentiam, audaciam & immodestiam in eum cadere potuisse, qui tanto tempore suæ Majestatis Consiliarius in Aula extiterit: quippe cui præcætet.s cognitum ac perspectum est, ne infimos quidem homines, nedum Majestatis suæ Consiliarios decere, contra Majestatis suæ & sacri Imperii Constitutiones & pacem religionis, atque adeo suæ Majestatis in Imperio factam severam ordinationem, quidquam tale vel in ipsis suis hæreditariis terris publicandum curare. Neque etiam ignorat Doctor Ederus, Majestatem suam Inferioris Austriæ Regimento, Universitati Viennensi, cunctis Typographis & Bibliopolis, omnibusque aliis, non semel sub maxima pœna interdixisse, ne in illis terris vel minimum quidquam, sive religionem sive res alias spectet imprimant aut impressum recudant, nisi prius in Cancellaria Aulica præsentatum à Regimento & Universitate censitum, & à Cæsarea Majestate permissum fuerit. Quæ tamen omnia Doctor Ederus *ἀξιωτέως* sciens prudens contempsit & insuperhabuit.

2. Et, quod plus est, in ipso libro per summum nefas, & in aliorum scandalum, cum abusu Cæs. Majest. suæ nominis ac tituli, subscribi atque cudi jussit, *cum S. Cæs. Majestatis gratia, privilegio ac permissu, & Theologicæ Facultatis ratificatione,* quum tamen suæ Majestati de ea re nihil unquam quidquam constiterit neque relatum sit. Unde sua Cæs. Majest. rem non sine fraude gestam, & insuper ex eo potest colligere, quia librum non Viennæ, sed Dillingæ excudendum curavit, ut dubio ut Majest. suæ bene constitutam ordinationem & censuram Aulicam præfractè & conspiratò transgrederetur.

3. Ideo sua Cæs. Majest. ipsi Doctori Edero mandat, si summam suam disgratiam & pœnam severissimam vitare velit, ut ab hac die in posterum ab omnibus scriptis in negotio Religionis componendis prorsus abstineat, & nec privatim nec publice, in suo vel alieno nomine, quicquam typis aut alio modo divulget.

4. Deinde, ut in conspectu omnia & singula exemplaria supramemorati libri, compacta & incompacta, quotquot adhuc habet, sine demptione in suæ Majest. Inferioris Austriæ Regimentum sigillo firmata, deferat, nec ulterius ullum alienet aut distrahat.

5. Tertio, ut in continenti Majest. suam in Cancellaria Aulica perfecte edoceat, quot exemplaria excudi curaverit, & ad quæ loca distraxerit ac transmiserit, aut ubi plura reperiri possint.

6. Quarto, ut omnia & singula dicti libri exemplaria, quæ in hac Urbe Viennæ inter quosdam singulariter distribuit, statim ac sine mora repetat, eademque ad dictum Regimentum deferat.

7. Quinto, quum se in suo libro ad censuram & ratificationem Theologicæ Facultatis in hac Academia Viennensi referat, jubet sua Majestas, ut sibi in specie declaret ac nominetenus personas, à quibus liber revisus ac censitus fuerit, rationesque reddat, cur adversus suæ Cæs. Majestatis expressum mandatum ea inscia ratificationem dederint, & quare ipse Doctor hac in parte Majestatem suam circumvenire voluerit.

8. Postremo, suam Cæs. Majest. scire omnino refert, per quas personas librum Dillingæ excudendum, & postea in hanc Urbem devehendum procuraverit. Huic Mandato Doctor Ederus in omnibus ac singulis suis articulis statim obedienter pareat & obsecundet. Nam si in uno aut altero delinquere deprehensus fuerit, sua Cæs. Majestas adversus eum non modò privatione Consiliariatus, verum etiam aliis viis severiter ac districtè procedet, & ad multo graviores pœnas alligabit. Hæc est suæ Cæsareæ Majestatis seria & severa voluntas ac sententia.

Decretum per Imperatorem, 2. Octobr. Anno 1573.

Maxi-

Maximiliani II. Imperatoris Augusti

RESCRIPTUM

DE CANTU ECCLESIASTICO, ET DIVINI OFFICII EMENDATIONE.

Anno Christi 1575.

MAXIMILIANVS DEI GRATIA, ROMANORVM IMPERATOR Semper Augustus, Rex Hungariæ, Bohemiæ, &c.

Hæc verbotim transscripsit Henr. Mollerus in programmate anno 1574. Witembergæ publicè proposito, & Explanationibus ejus in Psalmos præfixo: aut quod mihi verosimilius videtur, hujus Rescripti conditor programma illud adeptus, inde hanc epistolam nomine Imperatoris proscripsit.

VEnerabilis, devote, nobis dilecte. Semper in Ecclesia lecti & decantati sunt Psalmi Davidis, ut assidua repetitione auditoribus fierent familiares. Et B. Augustinus scribit, cum abjectis erroribus Manichæorum amplexus esset doctrinam Christianam, & ingressus in ædem sacram audivisset decantari à cœtu fidelium psalmos, non potuisse sese continere, quin lacrymas funderet. Tanta enim est rerum magnitudo in psalmorum libro, tanta verborum & sententiarum gravitas & elegantia, ut legentem vel audientem cum aliqua attentione non possit non vehementer movere, & in admirationem cum ipsius doctrinæ, tum & auctoris horum scriptorum adducere. Ac, sicuti rectè judicas, id quod Cicero de Euripide dixit, singulos ejus versus singula testimonia seu oracula verius multo de psalmis dici potest, quorum auctorem constat esse non tam Davidem, Regem alioqui præstantissimum & sapientissimum, quam ipsum Spiritum Sanctum, cujus sermo, ut scribitur 2. Regum 23. sonuit per linguam Davidis.

2. Cumque primus David huic doctrinæ, quæ Ecclesiæ Dei ab initio patefacta est, numeros adjunxerit, tota antiquitas hæc scripta magnifecit, & quotidianis decantationibus & repetitionibus sibi familiarissima fecit: non tantùm quod illa, quæ numeris inclusa sunt, faciliùs in memoria hærent, sed etiam, quia mutari aut depravari non ita facile possunt, quin error statim cognoscatur. Nunc (proh dolor) ea profanitas invasit Ecclesiam Dei, atque temeritas Sacerdotes, ut quod à sanctis Patribus & priscis Ecclesiæ Confessoribus pie institutum est (a) alicubi eos omnino exterminarint, (b) alicubi mancè & truncatim quasi centones quosdam male consutos proposuerint, alicubi quanquam de veteri consuetudine in Ecclesia decantentur, tamen propter vel levem vel inconditam carminum modulationem paucissimi sint, qui dulcedine eorum afficiantur, fitque id quod B. Augustinus de quibusdam suæ ætatis profanis hominibus queritur, ut quanquam verba subinde decantando repetant, tamen corda ipsorum plane sint muta.

3. Itaque non à tua solum Venerabilitate, sed ab aliis quoque piis viris Ecclesiæ Dei & Imperii nostri fidelibus admoniti, hunc defectum & negligentiam non inter postrema signa esse, quæ ruinam portendant Ecclesiæ & veræ pietati, & quibus ira Dei super nos provocetur, ut nos tam diuturno bello, fame, pestilentia, aliisque plagis & ærumnis, quæ ante oculos positæ sunt, affligat, Nos exemplo sanctissimorum Regum Davidis ac Salomonis, & Maximorum nostrorum in Imperio prædecessorum Constantini atque Caroli, de emendatione Ecclesiasticæ disciplinæ, quoad ejus fieri posset, omnibus modis serò & sollicitè cogitavimus, nec defuere nobis nec desunt, quibus cogitationes & sollicitudines nostræ paternæ probarentur, sed vicit hactenus (c) aliorum pervicax potentia. In primis autem nihil magis in votis habuimus & habemus, quam ut veteris Ecclesiæ officium & Cantus restaurentur, psalmi & hymni integri, quemadmodum à sanctis Patribus præscripti sunt, non mutilati, non confusi, nec male consarcinati, à Clericis in choro decantentur; sed & hoc nobis semper à pietate non abhorrere visum est, ut psalmi & hymni à viris piis & Spiritu Sancto instinctis vernaculo carmine compositi, decenter, moderatè & attentè, choro præcinente, ad plebis & laicorum ædificationem & devotionem, in templo personent.

(a) ut Tiguri ex instituto Zuinglii, quod tamē anno 1598. reformatū, & psalmodia in Ecclesiam reducta est.
(b) apud Pontificios Romanistas est.
(c) Papæ, Cardinaliū & Episcoporum.

4. Quapropter si divini in psalmodia cultus restaurationem ea intentione tibi permitti postulas, ut omnia meliori ordine in Ecclesia peragantur, & officium Ecclesiasticum ad primam institutionem quam proxime reducatur, Clericorum affectio renovetur, Choraularum harmonia vigeat, plebis devotio magis magisque incendatur, & ab omnibus Deus invocetur, qui omnium preces exaudire promisit, non vetamus, quo minus cum consilio Presbyterorum & Diaconorum desideriis parœcianorum tuorum satisfacias, modo omnes novitates, quæ apud novatores hujus seculi sub reformationis prætexto nimium frequentes sunt, caveantur, & publicum scandalum devitetur, cujus authoribus & gravissimam indignationem nostram & alias pœnas pro arbitrio nostro irrogandas esse noveris. Hæc est clementiæ nostræ seria voluntas. Datum &c. 1575.



Gregorii

Gregorii XIII. Pontificis Maximi
B U L L A
DE EMENDATIONE CALENDARII.

Anno Chri 1582.

GREGORIVS Episcopus, servus servorum DEI, ad perpetuam rei memoriam. Inter gravissimas pastoralis officii nostri curas ea postrema non est, ut quæ à sacro Tridentino Concilio, Sedi Apostolicæ reservata sunt, illa ad finem optatum, Deo adiutore, perducantur. Sane eiusdem Concilii Patres, cum ad reliquam cogitationem, Breviarii quoque curam adiungerent, tempore tamen exclusi, rem totam, ex ipsius Concilii Decreto, ad auctoritatem & iud cum Romani Pontificis retulerant. Duo autem Breviario præcipue continentur; quorum unum preces laudesq; divinas, festis profestisque diebus persolvendas complectitur: alterum pertinet ad annuos Paschæ, festorumq; ex eo pendentium recursus, Solis & Lunæ motu metiendos. Atque illud quidem felicis recordationis PIVS V. prædecessor noster, absolvendum curavit atque edidit. Hoc vero, quod nimirum exigit legitimam Calendarii restitutionem, iam diu à Romanis Pontificibus, prædecessoribus nostris, & sæpius tentatum est, verum absolvi, & ad exitum perduci ad hoc usque tempus non potuit: quod rationes emendandi Calendarii, qui à cœlestium motuum peritis proponebantur, propter magnas & fere inextricabiles difficultates, quas huiusmodi emendatio semper habuit, neque perennes erant, neque antiquos Ecclesiasticos ritus incolumes (quod in primis hac in re curandum est) servabant. Dum itaque nos quoque credita nobis, licet indignis, è Deo dispensatione freti, in hac cogitatione curaque versaremur, allatus est nobis liber à dilecto filio Antonio Lilio artium & Medicinæ Doctore, quem quondam Aloysius eius germanus frater conscripserat, in quo per novum quendam epactarum cyclum ab eo excogitatum, & ad certam ipsius Aurei numeri normam directum, atque ad quamcumque anni Solaris magnitudinem accommodatum, omnia quæ in Calendario collapsa sunt, constanti ratione, & seculis omnibus duratura, sibi restitui posse ostendit, ut Calendarium ipsum nulli unquam mutationi in posterum expositum esse videatur.

2. Novam hanc restituendi Calendarii rationem exiguo volumine comprehensam, ad Christianos Principes celebrioresque Vniversitates, paucos ante annos, misimus, ut res, quæ omnium communis est, communi etiam omnium consilio perficeretur; illi cum, quæ maxime optabamus, concordes respondissent, eorum nos omnium consensione adducti, viros ad Calendarii emendationem adhibuimus, in alma Vrbe harum rerum peritissimos, quos longe ante ex primariis Christiani orbis nationibus delegeramus. Ii cum multum temporis & diligentiæ ad eam lucubrationem adhibuissent, & Cyclos tam veterum quam recentiorum undique conquisitos, ac diligentissime perpensos inter se contulissent, suo & doctorum hominum, qui de ea re scripserunt, iudicio hunc præ cæteris elegerunt Epactarum Cyclum, cui nonnulla etiam adiecerunt, quæ ex accurata circumspectione visa sunt ad Calendarii perfectionem maxime pertinere.

3. Considerantes igitur nos, ad rectam Paschalis festi celebrationem, iuxta sanctorum Patrum ac veterum Romanorum Pontificum, præsertim PII & VICTORIS primorum, necnon magni illius Oecumenici Concilii Niceni, & aliorum sanctiones, tria necessario coniungenda & statuenda esse: primum, certam verni æquinoctii sedem; deinde rectam positionem XIIII. Lunæ primi mensis, quæ vel ipsum æquinoctii diem incidit, vel ei proxime succedit; postremo primum quemque diem Dominicum, qui eandem XIIII. Lunam sequitur: curavimus non solum æquinoctium vernum in pristinam sedem, à qua iam è Concilio Niceno decem circiter diebus recessit, restituendam: & XIIII. Paschalem suo in loco, à quo quatuor, & eo amplius dies hoc tempore distat, reponendam: sed viam quoque tradendam & rationem, qua cavetur, ut in posterum, æquinoctium, & XIIII. Luna, è propriis sedibus nunquam dimoveantur. Quo igitur verum æquinoctium, quod è Patribus Concilii Niceni ad XII. Calendarum Aprilis fuit constitutum, ad eandem sedem restituatur; Præcipimus & mandamus, ut de mense Octobri anni MDLXXXII. decem dies inclusive, à tertia Nonarum usque ad pridie Idus, eximantur, & dies, qui festum S. Francisci, IIII. Nonas celebrari solitum sequitur, dicatur Idus Octobris, atque in eo celebretur festum SS. Dionysii, Rustici & Eleutherii Martyrum, cum commemoratione S. Marci Papæ & Confessoris, & SS. Sergii, Bacchi, Marcelli & Apuleii Martyrum. Septimodecimo vero Calend. Novembris, qui dies proxime sequitur, celebretur festum S. Callisti Papæ & Martyris. Deinde 16. Calend. Novembr. fiat officium & Missa de Dominica XVIII. post Pentecosten, mutata litera Dominicali G, in C. Quintodecimo denique Calend. Novembr. dies festus agatur S. Lucæ Evangelistæ, è quo reliqui deinceps agantur festi dies, prout sunt in Calendario descripti.

4. Ne vero ex hac nostra decem dierum subtractione alicui, quod ad annuas vel menstruas præstationes pertinet, præiudicium fiat, partes iudicum erunt, in controversiis, quæ super hoc exortæ fuerint, dictæ subtractionis rationem habere, addendo alios decem dies in fine cuiuslibet præstationis.

5. Deinde, ne in posterum à XII. Calend. April. æquinoctium recedat, statuimus Bissextum quarto quoque anno, uti mos est, continuari debere, præterquam centesimis annis, qui quamuis Bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse volumus annum MDC. post eum tamen, qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles sint, sed in quadringentis quibusque annis, primi quique tres centesimi, sine Bissexto transigantur, quartus vero quisque centesimus Bissextilis sit: ita ut annus MDCC. MDCCC. MDCCCC. Bissextiles non sint: anno vero MM. more consueto dies Bissextus intercaletur, Februario dies 29. continente, idemque ordo intermittendi intercalandique Bissextum diem, in quadringentis quibusque annis perpetuo conservetur.

6. Quo item XIIII. Paschalis recte inveniatur, itemque dies Lunæ, iuxta antiquum Ecclesiæ morem, ex Martyrologio singulis diebus edicendi, fideli populo vere proponantur, statuimus, ut amoto Aureo numero de Calendario, in eius locum substituatur Cyclus Epactarum: qui ad certam (uti diximus) Aurei numeri normam directus efficit, ut novilunium, & XIIII. Paschalis vera loca semper retineant. Idque manifeste apparet ex nostri explicatione Calendarii, in quo descriptæ sunt etiam tabulæ Paschales secundum priscum Ecclesiæ ritum, quo certius & facilius sacrosanctum Pascha inveniri possit.

7. Postremo, quoniam partim ob decem dies mense Octobri anni 1582. qui correctionis annus recte dici debet, exemptos, partim ob ternos etiam dies, quolibet quadringentorum annorum spatio minime intercalandos, interrumpatur necesse est Cyclus literarum Dominicalium 28. annorum ad hanc usque diem usitatus in Ecclesia Romana, Volumus in eius locum substitui eundem Cyclum 28. annorum, ab eodem Lilio, tum ad dictam intercalandi Bissexti in centesimis annis rationem, tum ad quamcumque anni Solaris magnitudinem accommodatum; ex quo litera Dominicalis, beneficio Cycli Solaris æque facile, ac prius, ut in proprio canone explicatur, reperiri potest in perpetuum.

8. Nos igitur ut quod proprium Pontificis Maximi esse solet, exequamur, Calendarium immensa Dei erga Ecclesiam suam benignitate iam correctum atque absolutum, hoc nostro Decreto probamus & Romæ una cum Martyrologio imprimi, impressumque divulgari iussimus. Ut vero utrumque ubique terrarum incorruptum, ac mendis & erroribus purgatum servetur, omnibus in nostro & sanctæ Romanæ Ecclesiæ dominio mediate vel immediate subiecto commorantibus Impressoribus, sub amissionis librorum, ac centum ducatorum auri Cameræ Apostolicæ ipso facto applicandorum; aliis vero in quacumque orbis parte consistentibus, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac aliis arbitrii nostri pœnis, ne sine nostra licentia Calendarium, aut Martyrologium simul vel separatim imprimere, vel proponere, aut recipere ullo modo audeant vel præsumant, prohibemus.

9. Tollimus autem & abolemus omnino vetus Calendarium, volumusque ut omnes Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates, & cæteri Ecclesiarum Præsides, novum Calendarium, ad quod etiam accommodata est ratio Martyrologii, pro divinis Officiis recitandis, & festis celebrandis, in suas quisque Ecclesias, Monasteria, Conventus, Ordines, Militias, & Diœceses introducant, & eo solo utantur, tam ipsi, quam cæteri omnes Presbyteri & Clerici sæculares & regulares utriusque sexus; nec non milites, & omnes Christi fideles; cuius usus incipiet post decem illos dies ex mense Octobri anni MDLXXXII. exemptos, iis vero, qui adeo longinquas incolunt regiones, ut ante præscriptum à nobis tempus harum literarum notitiam habere non possint; liceat, eodem tamen Octobri mense, insequentis anni MDLXXXIII. vel alterius, cum primum scilicet ad eos hæ nostræ literæ pervenerint, modo à nobis paulo ante tradito, eiusmodi mutationem facere, ut copiosius in nostro Calendario anni correctionis explicabitur.

10. Pro data autem nobis à Domino auctoritate, hortamur & rogamus charissimum in Christo filium nostrum RODOLPHUM Romanorum Regem Illustrem in Imperatorem electum, cæterosq; Reges, Principes ac Respublicas, iisdemque mandemus, ut quo studio illi à nobis contenderunt, ut hoc tam præclarum opus perficeremus, eodem, imo etiam maiore, ad conservandam in celebrandis festivitatibus inter Christianas nationes concordiam, nostrum hoc Calendarium & ipsi suscipiant, & à cunctis sibi subiectis populis religiose suscipiendum inviolateque observandum curent.

11. Verum quia difficile foret præsentes literas ad universa Christiani orbis loca deferri, illas ad basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ valuas, & in acie Campi Floræ publicari & affigi, & earundem literarum exemplis, etiam impressis, & voluminibus Calendarii & Martyrologii insertis & præpositis, sive manu tabellionis publici subscriptis, nec non sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ obsignatis, eandem prorsus indubitatam fidem ubiq; gentium & locorum haberi præcipimus, quæ originalibus literis exhibitis omnino haberetur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum præceptorum, mandatorum, statutorum, voluntatis, probationis, prohibitionis, sublationis, abolitionis, hortationis, & rogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Tusculi, Anno incarnationis Dominicæ MDLXXXI. sexto Calend. Martii, Pontificatus nostri anno decimo.



Rudolp

Rudolphi II. Imperatoris Augusti EDICTUM

AnnoChr. 1594.

DE OFFICIO PRINCIPIS MILITARIS IN *hoste persequendo.*

RVDOLPHVS II. Romanorum Imperator Serenissimo ac Potentissimo Duci Theodoro Wanowitz Czaro & Magno Duci Russiæ, Wlodimiriæ, Moscoviæ, Novogradiæ: Illustribus, Aaroni Principi a Walachiæ, Iannsio Duci Zbaraviæ & Palatino Brezlaviensi, cæterisque exercitus Zaporoscienses militibus, salutem & animum benevolum, ac gratiam nostram Cæsaream.

a Moldaviæ.

1. Dilectioni vestræ, & vobis, amanter, benevole & clementer significamus, quod præsentium exhibitor Generosus & fortis Stanislaus Clopitzius, Senior exercitus Zaporosciensis coram nobis comparuerit, nobisque servitia sua militaria adversus perpetuum Christiani nominis ac fidei hostem Turcam, una cum octo vel decem millibus suorum commilitonum, nempe Cosacorum, humiliter obtulerit, nosq; illum cum dictis copiis (siquidem Cosacorum gentem liberam, & operam militarem quibuscumque velint, ad libitum navare posse profitetur) ad expeditionem nostram bellicam contra Turcam, quam propterea, quod pacem, quæ inter nos mutuo intercedente iuramento religiose sancita & firmata fuerat, perfidè violaverit, & provincias nostras superiori tempore hostiliter invaserit, apparamus, clementer recepimus, tum quod illi vexillum nostrum Cæsareum, Imperiali Aquila insignitum, quo secundum morem militarem, quamdiu in serviciis nostris fuerit, utatur, tradi mandavimus, spectantes non tantum Regno nostro Hungariæ & vicinis provinciis nostris, sed toti Reipubl. Christianæ, cuius hic potissimum res agitur, magnum emolumentum atque commodum inde accessurum esse. Quandoquidem in hunc modum cum illo transegerimus, ut omnes suos conatus in id maxime intendant, quo Tartaris à Turca evocatis viarum transitus intercludant, illosque inhibeant, ne in fines nostros irrumpant, simulque pro viribus enitantur, ut in Turcæ regionem traiecto Danubio Selistnam incursionem faciant, & obvia quæque longe lateque ad Adrianopolim usque vel ulterius igne & ferro depopulentur, vastent ac pessumdent, neque solum hosti occasionem præbeant exercitum suum distrahendi, & in plures partes dividendi, verum etiam ista locorum desolatione commoditatem cibariorum & commeatus eripiant. Cavemus tamen, ne vel Regno Poloniæ Provinciisque ad illud pertinentibus, vel aliis Christianorum Principum locis ac dominiis ullam molestiam aut damnum ullum quovis nomine & prætextu inferant, sed potius ab iisdem auxilium, opem ac promotionem exspectent.

Mos investiendi Principem Imperii.

2. Quapropter Dilectiones vestras amanter & fraternè, vosque alios benigne ac clementer cohortamur, ut nostrum hoc pium institutum, & toti Reip. Christianæ salutare futurum, approbate, & præfato Clopitzio copiisque cum ipso profecturis, non modo nihil impedimenti & molestiæ inferre, sed magis pro Dilectionum vestrarum & vestro erga patriam & sacrosanctam fidem Catholicam promptissimo studio, tum erga nos quoque & sacrum Romanum Imperium benevolentia atque devotione, eorum conatus iuvare ac promovere, illisque per loca vestra, tam terra quam aqua, liberum transitum permittere, & viarum securitatem concedere velitis, quo opus hoc magnum necessariumque rectè ad effectum atque optatum finem deducere possint. In his nobis Dilectiones vestræ & Vos rem gratissimam, & Christianæ Reipubl. utilissimam, Dilectionibus autem Vestris & Vobis ipsis longe honorificentissimam facturi estis, quod nos fraternè, benevolè ac clementer, quoties sese obtulerit occasio, nostræ benevolentiæ ostensione & Cæsarea gratia compensare & recognoscere non intermittemus. Datæ in arce nostra Regia Pragæ, 3. Februarii, anno 1594.

Rudolphi II. Imperatoris Augusti

Anno Chr. 1594.

RESCRIPTUM

AD ORDINES REGNI POLONIÆ, DE *pactis non contraventis.*

RUDOLPHUS II. Romanorum Imperator Senatoribus Regni Poloniæ. Literæ vestræ ad diem XXVIII. Aprilis Varsoviæ ad nos datæ, in quibus de egregio Stanislao Chlopizio conquerimini, recte nobis allatæ & perlectæ sunt. Quanquam autem non dubitemus, vos pro vestra prudentia, & nostrarum literarum exemplo, quas Chlopizio circa initium mensis Februarii Pragæ ex Aula nostra Cæsarea discedenti clementer dari iussimus, haud obscure intellexisse, quid Chlopizius à nobis in mandatis habeat: tamen ut omni scrupulo vos liberemus, paulo fusius, quomodo se tota hæc res habeat, vobis exponendum censuimus. Postquam Chlopizius de bello inter nos & Turcarum Regem gliscente inaudiverat, nosque de apparandis rebus bellicis & conscribendis copiis deliberaremus, in nostram Aulam Cæsaream tunc forte advenit, & nobis servitia sua militaria cum octo vel decem millibus Cosacorum Zaporescensium contra Turcas, & præcipue Tartaros in Regnum nostrum Hungariæ perrumpere conaturos, devoto animo obtulit: asserens Cosacos istos esse liberos, & nulli Domino parere, sed operam suam militarem, unde potissimum viverent, pro libitu addicere & navare, quibus velint; atque ideo prompte & alacriter sub nostro & sacri Romani Imperii vexillo in hac duntaxat expeditione adversus Turcas & Tartaros magno cum emolumento totius Reipublicæ Christianæ militaturos. Hæc cum altius expenderemus, & non tam ex usu nostro & Regni nostri Hungariæ, quam universæ Christianitatis futura consideraremus, facile in eandem sententiam ivimus, committendo ipsi, ut cum dictis Cosacis Zaporescensibus, quorum maiorem partem in procinctu iam esse aiebat, Tartaris in Christianorum regiones impressionem facturis sese opponeret, transitumque intercluderet, ac ipsis quoque Turcis, si posset, detrimentum inferret, impediretque, quo minus totas vires suas in Hungariam converterent, ex qua in vicinas provincias & Regna, vi & armis sibi viam facile aperturi essent. Qua conditione tamen istud à Chlopizio & Cosacis ad effectum perduci debeat, ex iis ipsis literis, quas Clopizio super ea re tradidimus, manifesto apparet, ubi inter cætera sic expresse legitur; *Cavemus tamen, ut hanc expeditionem ita aggrediantur & suscipiant, ne vel Regno Poloniæ provinciisque ad illud pertinentibus, vel aliis Christianorum Principum locis ac dominiis ullam molestiam, nec damnum ullum quovis nomine vel prætextu inferant.* Et sane polliciti nobis fuimus, & adhuc certo pollicemur, tale nostrum institutum, siquidem pactis & fœderibus neutiquam adversatur, vobis, quibus Tartari viciniores sunt, & per quorum loca transitum iam diu animo conceperunt, non ingratum esse futurum: cum vos non lateat, quæ Tartarorum immanitas & barbaries sit, qui quocumque se vertunt, obvia quæque nulla datæ fidei nec ullorum pactorum habita ratione, prosternunt, vastant & desolata relinquunt. Quapropter cum eum in modum sese res habeat, nobisque propositum non fuerit, præter pacta & fœdera, quæ inviolata maxime cupimus, cuiquam in Regno Poloniæ quicquam committere, vestrum erit de nobis & nostro erga Remp. Christianam pio ac paterno affectu & propensa voluntate bene sentire, nihilque sinistre interpretari, sed potius opus hoc tam necessarium, & toti Reipubl. Christianæ inprimis salutare, communi vestro consensu approbare, iuvare, & omnibus modis promovere. Quod vos pro vestro in bonum & commodum publicum egregio ac debito studio, lubenti & alacri animo facturos esse non tantum penitus nobis persuasum habemus, verum etiam ut omni contentione faciatis, benigne vos hortamur & requirimus, quos bene & feliciter valere cupimus. Datum Pragæ 3. Iunii, Anno 1594.

Rudolph

Rudolphi II. Imperatoris Augusti RESCRIPTUM

Anno Chr. 1594.

DE BELLI ALEA, ET RECIPIENDIS PRINcipibus à Turca ad Imperium Christianum deficientibus.

RVDOLPHVS II. Romanorum Imperator Stephano Feyerkovvy Episcopo Nitriensi Locumtenenti, cæterisque universis Statibus & Ordinibus Regni Hungariæ.

1. Reverendi, Spectabiles, Magnifici, Egregii ac Nobiles, Prudentes item ac Circumspecti, fideles nobis dilecti: Quæ superioribus diebus in Insula Chalokeor vocata circa exercitum nostrum gesta sunt, & quam inopinata illos calamitas obruerit, sic etiam recentem celebris confinii Iaurinensis amissionem, non sine singulari animi perturbatione intelleximus. Etsi vero non dubitemus inde & Regno nostro Hungariæ ac vicinis etiam regionibus ac provinciis nostris magnam consternationem incussam esse, multosque de salute ac permansione sua mire solicitos, varias cogitationes volvere; quia tamen externa auxilia, uti vobis omnibus optime constare non ambigimus, in tam celeri necessitate & contra tam potentem hostem, undique subito comparari nequiverunt; & alioqui exitus seu fortuna belli, non semper in unam eandemque partem inclinet, sed promiscue modo illi, nunc huic vel faveat vel adversetur, animum propterea non despondendum esse, neque spem felicioris rerum exitus abiiciendam, verum divinam hanc visitationem Christiano plane pectore suscipiendam, & patienter ferendam benigne censemus. Si enim Deus optimus maximus peccatis populi sui offensus, hostibus contra gentes invalescere nunc concessit, rursus propitius & reconciliatus iram suam misericordia temperabit, & iniquum hunc casum pietate sua vindicabit, iramq; suam in hostes nostros convertet.

2. Nos vero, prout hactenus semper quoad uspiam possibile fuit, Regni huius ac vestri omnium fidelium sedulam ac plane paternam curam gessimus, ita deinceps quoque nullo pacto deerimus, sed omni contentione animi nostri omnia ea, quæ non solum ad vestram ulteriorem permansionem & salutem, & ad Regni huius nostri Hungariæ reliquias conservandas, verum etiam Deo auxiliante ad amissa recuperanda, Regnumq; hoc plane liberandum, & pristino decori & libertati restituendum idonea & necessaria videbuntur, clementer curaturi sumus: idq; non tantum propriis viribus, sed externorum etiam Principum & Sacri Romani Imperii auxiliis. Qua de causa potissimum Imperialia Comitia nuper in nostra Imperiali civitate Ratisbona celebravimus, Deoq; propitio ad bonum quoque finem perduximus, & proximo vere sat copiosa auxilia omniaque faciliora & paratiora, volente Deo, expectamus.

3. Cum autem hoc tempore, singulari Dei optimi maximi providentia & dispositione, non solum Transsylvania, verum etiam Walachia & Moldavia, iugum Turcicum, quo à tanto tempore duriter pressi fuerunt, à cervicibus suis excutere, ac nobiscum contra hostes præfatos pacta & fœdera inire, & se cum *Regno hoc nostro Hungariæ denuo omnino coniungere cupiant: eiusque rei gratia iam quoque Legatos suos in itinere habeant, quorum adventum indies præstolamur. Idcirco fidelitatem vestram & vestrûm singulos benigne hortamur & requirimus, ut avitæ virtutis & constantiæ ac fortitudinis vestræ militaris memores, nequaquam in perturbato hoc rerum statu animum despondere, sed in bonam & certam spem victoriæ & liberationis vestræ erecti, sicuti hactenus laudabiliter fecistis, in officio fideliter & obedienter perseverare, nihilque eorum omittere velitis, quæ ad resistendum viriliter & fortiter hosti atrocissimo, eiusque vires, priusquam exercitum suum in hyberna deducat, attenuandas & infringendas, magis commoda & necessaria existimaveritis. Hortamur præterea vos, & committimus vobis elementer; postquam præfatarum trium Provinciarum Legatos iam ad nos appropinquare certo intelligimus, ut sine ulla mora, statim visis præsentibus, è medio vestri tres aut quatuor præcipuos Consiliarios nostros, ad præmissos tractatus habiles & idoneos deligere, eosque una cum fideli nostro Reverend. Ioanne Kutassy Episcopo Iauriensi, locique eiusdem Comite, perpetuo Consiliario & per dictum Regnum nostrum Hungariæ Aulæ nostræ Cancellario, cum plena potestate agendi, tractandi & concludendi, quanto citius, & priusquam dicti Legati huc veniant, in Aulam nostram mittere & expedire velitis & debeatis, quo cum præfatis Nunciis & Deputatis nostris, tum de Transsylvanicis, Moldavicis, & Walachicis rebus, tum vero de aliis ad Regni huius nostri utilitatem & incolumitatem spectantibus, commodius agere, & tempestive ante prædictorum, ut præmissum est, Legatorum adventum deliberare & concludere possimus. In quo rem nobis gratam, & patriæ vestræ necessariam & salutarem facturi, nostramque seriam ac omnimodam voluntatem executuri estis: de cætero gratia & clementia nostra erga vos omnes benigne sumus propensi. Datum Pragæ, 7. die Octobr. 1594.

* Iunxerunt se cum Imperio Germanico, Sacri Romani Imperii Principes appellari, & cũ vexillis Aquiliferis investiti,

Rudolphi II. Imperatoris Augusti
RESCRIPTUM

AnnoChr. 1595.

DE MUNDIBURDE PRINCIPUM PROTECTIONEM IMPERII SUSCEPTORUM.

* In literis publicis hoc ipso anno scriptis vocatur, der Durchl. Hochgeborne Fürst u. Herr/ H. Sigismund Bathory/ des Heiligen Römisch. Reichs Fürst u. Weywoda in Siebenbürgen/ Moldaw u. Walachen/ Graf der Zeckeln/ zu Fogross/ &c.

RVDOLPHUS II. Romanorum Imperator, Sigismundo * Principi Transsylvaniæ. Illustrissime Princeps, noster charissime: Quod Dilectio tua arma adversus communes Christiani nominis ac fidei hostes, Turcas & Tartaros, alacri animo dudum sumpserit, atque in eo virtutem, pietatem ac industriam suam, cum erga nos, tum universam Rempub. Christianam haud obscuris exemplis testata sit; præterea hucusque rem adversus dictos hostes in partibus illis tam strenue & fortiter gesserit, gratissimum sane nobis accidit, meritoque Dilectionem tuam ob id laudamus, & benignitate nostra Cæsarea impense complectimur.

2. Quamvis autem de Dilect. tua firmissimam spem conceperimus, quod ea ita perseveratura, nec à virtute, constantia & fide sua quicquam remissura sit, uti quidem rei magnitudo in primis postulat, tamen has nostras Cæsareas ad Dilect. tuam per præsentem hominem nostrum, donec alios brevi submittamus Nuncios, benigne dandas esse censuimus, eandem obnixe ac paterne commonefacientes atque exhortantes, ut constantissimo animo in laudabili proposito suo ac pia intentione persistet, bellumque hoc sacrum Dei optimi maximi auspiciis feliciter captum, adversus perfidum & impium hostem, qui toti Christiano orbi avidissime inhiat, & supremum excidium minatur, nobiscum & cum sacri Romani Imperii Electoribus ac cæteris Principibus Europæ, continuet, tum omnia ea, uti hactenus, ita in posterum, cum immortali, nominis sui gloria præstet, quæ ex nostro, imo suo & totius Reipublicæ Christianorum emolumento & salute fore prudenter intellexerit.

3. Ante omnia vero à venenatis Turcarum blanditiis ac blandis insidiis sibi diligentissime caveat, cum nullum sit dubium, illos manibus pedibusque laboraturos, ut Dilect. tuam una cum Waivodis Moldaviæ & Walachiæ, vel multis pollicitationibus, vel etiam acerbis comminationibus, à nostra coniunctione ad partes suas abducant, ac deinceps longe tristissimo & immanissimo iugo in retia sua pertractos subiiciant.

4. Vicissim nos Dilectioni tuæ sub verbo nostro Cæsareo promittimus, quod eius & dictorum Waivodarum summam ac paternam curam semper geremus, validissimasq; copias tam equitum quam peditum, cum aliis rebus bello necessariis, ad partes illas & confinia Transsylvaniæ curabimus, (uti iam illæ undiq; confluunt, ac in itinere sunt) quæ quidem cum Dilect. tuæ copiis coniunctæ in hostem progredientur, & numine divino auxiliante, eius conatibus ita resisteot, ut is intelligat Christi Dei populum non frivole contemnendum, belloq; temere & sine causa lacessendum esse. Nihil præterea in partibus inferioris Hungariæ, & ubi præterea opus fuerit, eorum omittemus, quæ ad rem bene gerendam, distrahendasque & comminuendas hostis vires necessaria habebuntur. Promittentes igitur nobis de Dilect. tua præclara & optima quæque, eidem felicem omnium rerum successum precamur. Datum Pragæ, 7. die Mensis Maji, Anno Domini 1595.

Rudolphi II. Imperatoris Augusti
AD PONTIFICEM ROMANUM

De contributione ad bellum Turcicum facienda.

Si Regnũ Hungariæ est feudatarium Papæ, cur non ab eo tanquam feudi Domino debitum auxilium flagitatur?

RVDOLPHUS II. Romanorum Imperator, Clementi Papæ VIII, Beatissime in Christo Pater: Percusserunt haud dubie Sanctitatis vestræ, æque ut nostrum, animum ea, quæ nostris in Hungariâ nuper adverse cõtigerunt. In quibus ut præpotentis Dei manum agnoscimus, ita spe nova in eadẽ defixa, rationes nobis solidas certasque ineundas ducimus, ut quæ minus prospere cesserunt, qua fieri possit corrigantur. Cum itaq; in omnes Christiani orbis sive propinquas sive remotas nos partes convertimus, in primis sese Sanctitas vestra offert, à qua, dum auxilia quærenda sunt, secundum Deum auspicemur: neq; nobis dubitare in mentem venire potest, quin Sanctitas vestra, præsenti necessitate sibi ob oculos posita, paternæ liberalitatis sinum, & propter maximas rerum nostrarum angustias benevolè apertura sit, ut insigne iis, à quibus opem flagitamus, exemplum, quo animentur & excitentur, nobisq; adeo ipsis subditisque nostris præbeat. Quod eò magis futurum est, si Sanctitas vestra, licet his literis nostris non rogetur, quasi sponte sua, non exspectato solenniore, quem mittere decrevimus, Legato, Apostolicum Zelum in hac gravissima naufragantis Christiani Imperii tempestate Regnique Hun-

garia

gariæ gemitu, ultro ostenderit, nobisque auxilia se digna, prout maxime res laborans publica requirat, quam primum decreverit. Non jam præteriti temporis defectus, quid fieri potuerit debueritve, urgendi, sed præsentis periculum, & quid in posterum statui conveniat, spectandum, ut superiores calamitates felicioribus deinde successibus compensentur. In celeritate vero spes omnis sita est, ut hostis consilia, priusquam redintegratis ille viribus in ulteriores sese ditionis nostræ partes explicet latiusque diffundat, antevertamus. Quam breve autem nobis temporis intervallum ad nos armandum detur, Sanctitas vestra conspicit: conspicimus ipsi quoque nos, quam festinandum, quam maturandum sit. Eaque de causa jam nunc, quæ per hos dies meditati sumus, consilia exequimur: ad sacri Rom. Imperii Septemviros, quorum consilio & assensu in iis, quæ in Imperio hac hyeme urgenda sint, opus est, Legatos celerrime dimittimus: Regnorum nostrorum ditionumque Conventus indicimus: Principes exteros, à quibus subsidia speranda putamus, Legationibus ac literis interpellamus: ex peculiari ac privato patrimonio nostro, ut lectam externi militis manum conducamus, ac multiplicibus tanti belli oneribus prospiciamus, magnas pecuniarum summas conflandas statuimus: nihil denique in cæteris intentatum relinquimus. Ad quod quidem eo magis animamur, ne pacem diversis modis callide ostentatam amplectamur, quod multis insignibus, quas divino per hos annos beneficio obtinuimus, victoriis, & quidem in conflictu nupero, ubi majorem Turcæ, quam nostri cladem acceperunt, etsi minus idem nostris feliciter evenerit, didicerimus, eum, qui superiori ætate invictus habebatur, vinci superari hostem posse, si ea, quæ in nostris desiderata fuere, corrigantur. Corrigentur autem, uti plane confidimus, si ope celeri in primis Sanctitatis vestræ, & aliorum deinceps Principum, periti & exercitati militis exercitum primo statim vere in promptu habuerimus, priusquam hostis equitatum, cui præsidit, per revirescentis anni tempus instauret. Præcipuam enim calamitatis, quam hactenus accepimus, causam fuisse necesse est quilibet fateatur, quod propter auxilia, quæ passim ursimus, tarde impetrata, tarde armare exercitum, & quidem ex propinquioribus tantum nationibus hoc anno potuerimus, cui Sanctitatis vestræ auspicia defuerunt: quibus si hanc, quam modo paramus, expeditionem auspicari dabitur, spe firma nitimur fore, ut omnia deinceps felicius prosperiusque succedant. Si vero (quod absit) iis nos destitui contingeret, videt Sanctitas vestra, ut reliqui Italiæ Principes eo exemplo à conferendis auxiliis abducendi sint: quorum sane interest, communes Christiani numinis ac nominis hostes tempestive ab Italiæ finibus arceri, cum non minus illi Italiam, quam ante pedes videant, quam Germaniam, cujus modò linguam audiunt, spe devorent. Quid enim restat, quid obstat aliud, quam unica Austriæ nostræ Metropolis Vienna, quin mediam illi sese in Germaniam, nationibus barbaris undique confluentibus, tanquam diversa in magnum quoddam mare flumina exonerent, ac longe lateque sese effundant; & mox æstuantis instar & exundantis Oceani Alpes ipsas, & quicquid in Italiam objectum est, ceu aggerem quendam aut disjiciant, aut transcendant, non aliter atque Gothi olim ac Vandali, aliæque remotæ gentes, una cum Germanis in suam multitudinem pertractis, transcenderunt. Sed hæc Sanctitas vestra pro summa sua prudentia ultro pensitabit, aliisque Italiæ Principibus solicite pensitanda suadebit, ut tum à Sanctitate vestra, tum ab aliis, nulla mora interposita (neque enim ullam hæc summa rerum necessitas moram patitur) certum responsum accipiamus, ne longa, quemadmodum antehac, expectatione suspensi, inter incerta hærere ac fluctuare consilia cogamur, quo nihil in præsenti periculosius, nihil esse perniciosius possit. De his autem cum nostro nomine cum Sanctitate vestra diligentius, Reverendissimi Cardinales Matrutius & Parravicinus, & Sessæ Dux Serenissimi Regis Catholici, avunculi nostri charissimi, Orator, agent, benevole patienterque eos, dum quodum peculiarem isthic Oratorem habemus, audiri cupimus, nosque ac ditionem Sanctitati vestræ etiam atque etiam commendamus, quam Deus Opt. Max. quam diutissimè nobis incolumem velit. Datum Pragæ, 26. Novembr. Anno Christi 1596.



Rudolphi II. Imperatoris Augusti

Anno Christi 1598.

RESCRIPTUM

De Feudis Imperii sine Electorum & Ordinum consensu nemini auferendis, aut in alium transferendis.

Summam Rescripti hisce verbis refert Rodolphus Boterus Commentar. de Rebus in orbe gestis lib. 5. Anno M D XCIIX.

PHilippus Rex Hispaniæ, Franciscum Mendosam Tarraconensem Amirallum ad Cæsarem oratum mittit, ut Rodolphus Imp. gentilem suum Philippum Vicariatu (a) Vesontii donaret. Urbs est in Sequanis, quam jure Feudi clientelari obsequio, ab Imperiali Camera Guillielmus Nassovius Arausiensis (b) Dynasta possidebat, cujus bona ob vassalli noxam legibus feudorum, fisco suo Philippus jam pridem applicuerat, proposito exemplo Cæsari, ut simili jure (quod in Germanis invaluit) Vesontium Nassoviis adimeret. Mendosæ vero sic paucis Rodolphus· Exploratum habere, quantum intersit agnato Philippo, in Comitatu suo Burgundico, amicos & fœderatos habere Vesontinos: quàm mature fieri poterit, de tota re deliberaturum cum Imperii Ordinibus. Amirallus non utiquam huic responso acquievit, adjicitque, consilia exquiri nihil esse necesse; in gentem (c) Bæticam Imperii Proceres non paucos iniquiores esse & malevolos, rem esse sui supremi arbitrii & potestatis, ut quæ impatiens sit consortis. Cui Cæsar: Decori sibi inserviendum, nec inconsultis Principibus Imperii rite negotium peragi; admoniturum ut æquis animis postulata accipiant.

(a) Burggraviatu vel Vicecomitatu Besontii.

(b) Princeps.

(c) Hispanicam.

F I N I S.



PRÆ-



PRÆTERMISSA CONSTITUTIONUM IMPERIALIUM,

QUÆ IN HOC TERTIO TOMO JUXTA ANNORUM SERIEM, SUO QUÆQUE LOCO, INSERENDÆ SUNT.

LECTORI.

Has reliquias, quæ nobis tardius descriptæ, aut serius ab amicis transmissæ fuerunt, quam Typographi depropcratio postularet, visum est non negligere, sed in communis Patriæ & Reipublicæ, cui juvandæ (quod in me est) unice addictus sum, usum heic adjicere. Si quis porro quid, quisquis erit, aut cuiatis erit, Patriæ & Reipub. amans, communicare voluerit, promittimus etiam eum laborem non detrectare, operamque dare, ut in Appendicem aliquem referatur. Vale.



Alarici

Alarici Gothi Imperatoris

EDICTUM

Anno Christi 410.

De Crudelitate Militum in captarum Urbium incolas & loca sacra reprimenda.

* sc. Roma

† ob asylum.

ALaricus publicè edixit, ut capta * Urbe, pro se quisque bona', fortunasque civium raperent; verum à cæde hominum, & direptione sacrorum se continerent, atque omnibus parcerent, qui ad † basilicam sancti Petri omnium in terris angustissimam confugissent. Qui secus faxit, capital esset.

Orosius lib. 7. cap. 39.

ADest Alaricus, trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit: dato' tamen præcepto prius. Ut si qui in sancta loca, præcipueque ad sanctorum Apostolorum Petri & Pauli basilicas confugissent, hos inprimis inviolatos securosque esse sinerent: Tum deinde, in, quantum possent, prædæ inhiantes, à sanguine temperarent.

Athaulphi * Gothi Imperatoris

EDICTUM

* ei nupta erat Galla Placidia Honorii Imp. soror, & Theodosii Imp. filia.

De Legum Romanarum Restauratione.

Anno Christi 412. Orosius li. 7 c. 43. sed hic quædam addita sunt, quæ illic non leguntur.

POstquam inprimis ardenter inhiavimus, ut obliterato Romano nomine, Romanum omne solum, Gothorum Imperium & faceremus, & vocaremus: essetque Gothia, quod Romania fuisset, fieretque nunc Athaulphus, quod quondam Cæsar & Augustus, at tandem multa expetientia probavimus, neque Gothos ullo modo parere Romanis Legibus posse propter effrenatam barbariem, neque Reipublicæ interdici leges oportere, sine quibus Respublica non est Respublica. Ideo matura deliberatione apud nos elegimus & constituimus, ut gloriam nobis de restituendo in integrum, augendoque Romano nomine, Gothorum viribus quæreremus, haberemurque apud posteros Romanæ restitutionis auctor, postquam esse non potuimus immutator. Ob hoc abstinere à bello, ob hoc inhiare paci nitimur, præcipue religiosarum legum, quas vel Romani Principes sanciverunt, vel Gothorum consuetudines habent, aut nostra Serenitas de novo adinvenit, prudentiumque virorum ad omnia bonarum ordinationum opera persuasu & consilio utrumque populum sub felici pacis compositione temperaturi. Datum Narbonæ.

Honorii & Theodosii II. Imperatorum Augustorum

RESCRIPTUM

Anno Christi 418.

Contra Pelagianorum hæresin de gratia Christi & originali peccato.

IMperatores HONORIUS & THEODOSIUS Augusti, Palladio Præfecto Prætorio.

1. A d conturbandam Catholicæ simplicitatis lucem semper splendore radiantem, dolosæ artis ingenio', novam subito emicuisse versutiam, pervulgata opinione cognovimus: quæ fallacis scientiæ obumbrata mendaciis, & furioso tantum debacchata luctamine, stabilem quietem cœlestis conatur attrectare fidei, dum novi acuminis commendata vento insignem notam plebeiæ æstimat utilitatis, sentire eum cunctis; ac prudentiæ singularis palmam fore, communiter approbata destruere. Cujus impiæ commentationis auctores Pelagium Cælestinumque percrebuit extitisse. Hi parenti cunctarum rerum Deo, præcipuæque semper Majestati, & ter omnipotenti ultra omne principium transeunti tam truœem inclementiam sævæ voluntatis assignant, ut cum formandi mundi opificem curam

curam sumeret, qualitatemque hominis struendi profunda Spiritus conceptione libraret, fundati muneris fidei anteferret exordium, & mortem præmitteret nascituro, non hanc insidiis veteri fluxisse peccati, sed exegisse penitus legem immutabilis constituti: ad declinandum leti exitialis incursum nihil prodesse abstinentiam delinquendi, cujus ita vis putatur adstricta, ut non possit aboleri deinceps: primitivi hominis errorem, in quem captæ mentis inops rationis cæcitas irruisset, dilapsum ad posteros non fuisse; tantumque apud eum, quem malesuadæ gratiæ infelix repulisset illecebra, transgressionem interdicti extitisse & discriminis: Cum evidens Catholicæ legis omnifaria testetur auctoritas, illum interitus omnium fuisse vestibulum, quem divinæ præceptionis sedulum liqueat corrupisse mandatum. Aliaque quam plurima, quæ sermo respuit, lex refutat, quæ perpetue cum sit recordari etiam sub dispositione plectendi: quæ maturato remedio & celeritate festina oporteat intercipi, ne corroborato usu nequitiæ adolescentes vix valeant enecari. Siquidem aures mansuetudinis nostræ recens fama perstrinxerat, intra sacratissimam * Urbem nostram, aliaque loca hoc pestiferum virus quorundam *Romam insolevisse pectoribus, ut interrupto directo credulitatis tramite, scissis in partes studiis disserendi, monstra impacatæ dissensionis inducta sint; novoque scandali fomite concitato, beatissimæ Ecclesiæ hactenus nutet intentata tranquillitas, aliis iter aliud ancipiti interpretatione sectantibus. At absoluta sanctorum apicum claritas, ac dilucide quod sequi universitas debeat, explanans, pro capite versipellis ingenii profanam novorum more anserum moventibus quæstionem, Palladi parens carissime atque amantissime.

2. Ob quam rem illustris tua auctoritas victura in omne ævum, lege nos statuisse cognoscet, ut pulsis ex Urbe primitus capitibus dogmatis execrandi, Cælestio atque Pelagio: si qui hujus decreto sacrilegii sectatores quibuscumque locis potuerint reperiri, aut de pravitate damnata aliquem rursus proferre sermonem; à quocumque correpti, ad competentem Judicem pertrahantur: quos, sive Clericus sive Laicus fuerit, deferendi habeat potestatem, & sine præscriptione aliqua perurgendi, quos relicta communis sententiæ luce, novæ disputationis tenebras introferre deprehenderit, contra Apostolicam scilicet disciplinam, Evangelicamque claram & sine errore sententiam, vafra rudis sectæ calliditate pugnantes, involventesque splendentem fidem veri, ambagibus disserendo.

3. Hos ergo repertos ubicumque de hoc tam nefando scelere conferentes, à quibuscumque jubemus corripi, deductosque ad audientiam publicam, promiscue ab omnibus accusari, ita ut probationem convicti criminis stylus publicus insequatur, ipsis inexorati exilii deportatione damnatis. Decet enim originem vitii à conventu publico sequestrari, nec in communi eos celebritate consistere, qui non solum facto nefario detestandi, verum etiam exemplo venenati spiritus sunt cavendi. Juvat autem per omne pene Imperium nostrum, quâ mundus extenditur, hujusmodi promulgata diffundi: ne scientiæ fortasse dissimulatio pastum præstet errori, atque impune se quisque putet audire, quod condemnatum vigore publico, sese finxerit ignorare. Data prid. Kalendas Majas, Ravennæ, DD. NN. HONORIO XII. & THEODOSIO VIII. AA. COSS.

Honorii Imperatoris Augusti

DECRETUM

DE CONFIRMATIONE EULALII ELECTI Pontificis, & reprobatione Bonifacii.

Anno Christi 419.

IMperatores, HONORIUS Augustus, Symmacho Præfecto Urbi. Gestis omnibus recensitis laudanda sublimitatis tuæ relatione præclaruit in ordinatione venerabilis Sacerdotii quietem veterem paucorum insolentia attentare voluisse. Nam cum post abscessum venerabilis viri Zosimi, circa meritum Eulalii ordine subrogandi communi judicio conveniens multitudo sonuisset, ac plena erga se omnia, quæ regula Catholicæ posceret disciplinæ, successoris confirmatio custodiret: vehementer miramur aliquos extitisse, qui solemnitate contempta, circa ordinationem alterius festinarent. In quorum castigandum factum mansuetudinem nostram rite oporteret insurgere, nisi hoc tantum gerere decerneremus, eos ad veniam pertinere, quod lapsum cito propriom contuentes, ad deprecandi suffragium sunt relapsi, ignosci sibi super id, quod vim perpessi conquesti sunt postulantes. Convenire ergo votum & studium nostrum circa Eulalium sacræ legis Antistitem, sublimitas tua Clementiæ nostræ auctoritate præsenti cognoscat; cui competens numerus ordinantium legitimus, solemnitas temporis, locique qualitas recte venerandum nominis apicem contulerunt.

2. Cum autem Bonifacio constet omnia defuisse, superflue expectatam sententiam nostram esse sensimus: cum factum suum ipsi, qui præsumserant, admotis damnasse precibus videantur. Absoluta itaque decernimus jussione, extraordinaria præsumptione summota, Bonifacium interdicta confestim Urbe prohiberi: (erit verecundiæ ejus, ut morem gerens cœlestibus constitutis, sponte discedat) pertinacius resistentem, invitum præcipimus expelli. Plebejæ sane seditionis auctores

cum fociis fuis, Symmache parens chariffime atque amantiffime, ftatuat attineri, atqua in eos congrue vindicari, ut res temere præfumpta non tranfeat impunita. In qua re Aphrodifium Vicarium Tribunum & Notarium dirigi à noftra manfuetudine placuit, ut præfenta ao, quæ ftatuimus, celerius impleantur, quateous quies populi nulla perturbatione vexetur, & pacata eum veneretur univerfitas, quem fecundum veterem confuetudinem obfervata facræ legis myfteria fufceperunt. Datum III. Non. Januarii, Ravennæ.

Anno Chrifti 419.

Honorii Imperatoris Augufti
RESCRIPTUM

De duobus Electis in fchifmate Papis ad Judicium Imperiale præfentandis, ut fuper eorum electione cognofcatur.

SYmmacho Præfecto Urbi. Poft relationem fublimitatis tuæ delatam manfuetudinis noftræ auribus, Presbyterorum allegatio caufam nobis non fupervacuæ deliberationis injecit. Ideo decet, ambiguitate fepofita fidelem rerum ordinem cominus experiri; quamque partem prætermiffus geftæ rei ordo arguat, qua n fervatis adjuvat, multis coram cenfentibus, approbari, ut utriusque facti fimul qualitate perpenfa, & circa unam rite definita confiftat, & circa aliam temere affumpta non maneat, Symmache parens cariffime & amantiffime. Ob quam rem illuftris & præcelfa magnitudo tua fufpenfis omnibus, quæ fuperius funt decreta, nullique totetim præjudicio comparato auctoritate præfentis oraculi, ut utrumque, hoc eft, Bonifacium & Eulalium, religiofiffimos viros, inftantia digna conveniret, ut intra diem fextum Iduum Februarii Ravennatum civitatem, præfentiam fuam maturare non differant: omnibus æque admonitis, qui auctores utriusque ordinationis exftiterunt, ut amota excufatione, non defint, ut facto quisque erga alterum proprio prolatis Ecclefiafticæ inftitutionis exemplis, defenfor exiftat; fequepurgato, alium magis in legem Catholicam deliquiffe, præfumpta immeriti electione convincat; judicium de ftatu fuo quisqua, fi adeffe neglexerit, fortitutus, nimirum intelligi improvide, immo illicite fe feciffe, quod entam non audeat defenfare. Nos quoque ex diverfis provinciis competentem numerum Sacerdotum fcriptis noftræ Serenitatis accimus, ut rem dednctam in dubium abfolvat nobis coram difceptatio plurimorum. Cum antem omnia futuro integra funt judicio refervata, de tranfactis fibi blandiri neminem decat: præfentis etiam judicii docebit exemplum, quod in ejusmodi negotiis obfervari debeat in futurum. Dat. XVIII. Kal. Februarii, per Aphronium.

Anno Chrifti 419.

COMMONITORIUM

Ad Epifcopos Ravennæ congregatos, ut de alterutrius ex electis Papæ electione legitima cognofcerent, nec Epifcopi, qui electionibus interfuerunt, ad judicium reciperentur.

OMnia qnidem Clementia noftra in præfenti beatitndinis veftræ congrua ordinatione mandavit, ut fequeftratis omnibus, veftro judicio quid obfervari propter quietem populi deceat, finceritis. Meminimus quoque hoc à nobis in primis, quod æquitas exfpectabat, effe mandatum: Ut hi Epifcopi, quos interfuiffe eorum ordinationibus conftat, & poftea fubfcripfiffe, fine injuria fui, & manente reverentia, Judicas non fedarent, nec ullum præftare teftimonium poffent; ne non tam novam prolaturi fententiam, quam fervaturi factum præteritum viderentur. Hi ergo, ficut fuperius diximus, ab ea difceptatione fe abftinere debebunt. Illud quoque fimiliter cuftodiendum beatitudo veftra cognofcat: Nulli parti præjudicium comparatum, quod nobis antea claruerat conftitutum. Cum & aeleriter deftinata juffa propter quietem populi, pietatis noftræ, fecuta auctoritate, fummota fint; nihil hinc aut vindicare pars altera poterit, aut altera formidare. Attendeates ergo judicium Dei, quod in tali caufa vobifcum fimul refidere manifeftum eft, examinatis omnibus, id vos cuftodire decet, quod, in fundente cælefti Spiritu, habere Chriftianæ legis integram reverentiam poffit.

Quæ fequuntur, in MSS. exarata funt alio charactere.

HAec Synodus inter fe diffentiens præfentem caufam terminare non potuit. Unde venerabilis Imperator Honorius ad Majas Kalandas hoc credidit negotium differendum: & interim propter dies, qui imminebant, fanctæ Pafchæ, utrosque, Bonifacium fcilicet & Eulalium, ab Urbe juffit abfcedere. & Spoletinum Epifcopum Achilleum Romæ facra myfteria celebrare: Symmachoque Præfecto Urbi hoc idem fuis fcriptis infinuat.

RESCRI-

RESCRIPTUM

De recipiendo Vicario Intersacerdotii Papalis per Imperatorem ordinato.

An. 419.

Symmacho Præfecto Vrbi. Magnarum deliberationum non debet scitum esse judicium: nec temere proferenda sunt, quæ servanda in perpetuum sanciuntur. Sæpe de Episcopis Vrbis æternæ altercatione partium sub examine Sacerdotum concessa cognitio est: sed ne quod festinum celeritate judicii proferatur, id clementiæ nostræ sedit arbitrio. At quoniam vicinitas sanctorum dierum Episcopi præsentiam postularet, nec in Vrbe sacratissima fas est Pascharum præsertim dies sine Sacerdote celebrare: idcirco, Symmache parens carissime atque amantissime, illustris magnificentia tua Achilleum nos elegisse cognoscat, quem à favore partium constat esse alienum, qui mysteria sacræ observationis impleret. Transactis vero festis diebus, ex judicio Sacerdotum, quæ debeant custodiri, consilio maturiore tractabimus. Monemus sane, ut regionum Primatibus evocatis, disciplinæ publicæ quietique prospicias: quibus decretorum nostrorum præcepta jubeas aperiri: Ne quis scilicet ullum tumultum, neq; seditionem audeat commovere, quam si quis insana persuasione conquiret, non in eos tantum, qui in perturbatione fuerint deprehensi, sed in regionum quoque Priores noverit vindicandum. Novimus enim quietem publicam facile custodiri, si incentorum cupiditates & fomenta cessaverint.

MANDATUM

Ad Achilleum Episcopum Spoletinum, quo ei Vicariatus Intersacerdotii Papalis committitur.

An. 419.

QVoniam de Romano Sacerdotio propter angustiam temporis, quam dierum solemnitas fecit, quæ abesse Episcopos à suis Ecclesiis non sinebat, dilatum constat esse judicium: recte nostra Serenitas credidit ordinandum, ut beatitudo tua ad venerabilem Vrbem congrua devotione festinet, quatenus sanctæ paschæ dies, ea qua convenit quiete, cum solemnitate consueta, populis repræsentes: nec consuetudini obsit, quod differri Synodum multiplex necessitas fecit. Illud sane in primis ac præcipue commonemus, ne umquam ulla *illorum mentio fiat, de quibus constat suspensos esse judicio.

* Electorũ in schismate Paparum.

SACRA

Ad Senatum Romanum, de recipiendo Vicario Sedis Papalis per Imperatorem ordinato.

An. 419.

SCimus, Patres Conscripti, à vobis cunctationem nostram non posse repræhendi, quibus semper in re omni probatur consiliorum judiciique maturitas. Nec sane de summis cita debuit & potuit esse sententie, quam ut æternam, ita probabilem ex omni parte decet esse perfectam. Inter Episcopos, quos in Vrbe sacratissima faventium studia & partium voluntas elegerat, ab omnibus qui aderant Sacerdotibus jusseramus audiri: & aliquoties iterata cognitio est. Verum cum longiores moras examinatio tantæ cognitionis afferret, & plura inquisitio Iudicum diligens inveniret, quibus finis citus non posset imponi, & festorum dierum celebritas celeritatem definitionis exposceret: ne quid temerarium promeremus, rem omnem credidimus differendam. Missus itaque est Achilleus vir religiosus, Episcopus Spoletinæ civitatis, per quem Sanctorum dierum celebritas impleretur. Amplitudinis vestræ est, popularium mentes ad quietem consilii salubriter retinere, cum probabilem ac necessariam dilationem nostram dubitare nequeatis, Dat. Idibus Martii.

SACRA

Ad Populum Romanum super eodem.

An. 419.

FIdei curam, Quirites optimi, maximam judicantes, nihil festinum aut immaturum credidimus proferendum. Ea enim in causa religionis decerni censemus, quæ sine errore ac repræhensione sententiæ ab omnibus comprobentur. Itaque cum in cognitione, quam de Episcopis, qui in Vrbe fuerant constituti, sub judicio Sacerdotum intentionis hæreret ambiguum, nec, nascentibus subinde causis, finis certantibus studiis posset imponi, ac diu de rebus variis deliberatio nostra penderet, futuram cognitionem ad integrum Sacerdotum numero pleniore Concilium omne negotium constituimus differendum: ut causa ex omni parte liberata, transactis paschæ diebus, terminum, quem æquitas & religio poscebat, acciperet. Simul, quia de Sacerdote nihil poterat definiri, temporariè elegimus, qui referenda sacris diebus *mysteria celebraret: ut ibi, Quirites, ad honorem sacræ Vrbis præsto esset solennitas Sacerdotis. Quare imitati patientiam vestram, placitis animis quæ pro pace publica sua demus accipite: Sanctorum cultus dierum debita tranquillitate transcurrat; quietem publicam seditio nulla perturbet: favor proprius circa nullum, qui notetur, appareat. Decet enim suspensis sensibus omnia nostro integra reservare judicio: nec furore quodam, sed debita probitate expectare potius quam poscere Sacerdotem. Quod si pravos incentores secuti, turbarum tumultus potius quàm quietem ac modestiam legeritis, quibus favetis, monstrabitis: non solum vobis, sed & auctoribus vestris, quorum consiliis inhæretis, periculum salutis, ad quod nos compellitis, imminebit. Neque enim

* sc. Baptismatis & Eucharistiæ.

venia dignus est, qui ab improbitate humanitatis nostræ munitis non potest retineri. Dat. Idib. Martii.

An. 419.

S A C R A

Ad Episcopum Nolanum de Synodo Spolets cogenda in causa schismaticorum Pontificum.

Papæ pravi & ab antiquo ambitiosi contra Apostolicã institutionem.

SAncto ac Venerabili Patri Paulino Episcopo. Tantum fuit apud nos certa sententia, nihil ab his Sacerdotibus, qui ad Synodum conuenerant, posse definiri, cum beatitudo tua de corporis inæqualitate causata, itineris non potuit iniuriam sustinere. Et propter absentiam sancti viri nõ quidem obtentura, interim tamen vitia gratulantur, eum prava & vetus ambitio & cum benedicto viro sanctæq; vitæ diu velit habere certamen, ut contra hæc Apostolicæ institutionem bona, de præsumptis per vim patrecibus existimet confidendum. O vere digna causa, quam non nisi coronæ tuæ beata vita designat. Dilatum itaq; iudicium nunciamus, ut divina præcepta ex venerationis tuæ ore promantur, qui ea secutus implesti: nec potest alius eorum præceptorum lator existere, quam qui dignus Apostolicis disciplinis est approbatus. Specialiter itaque, Domine sancte, merito venerabilis Pater, iustus Dei famulus divinum opus, contempto labore, tributum hoc nobis visitationis tuæ (si ita dicendum est) munus indulge, ut postpositis omnibus, quantum temperantia & his tranquillitas suffragantur. Synodo profuturus, sine intermissione etiam desideriis nostris & benedictioni, quam cupimus, te præstare digneris.

An. 419.

S A C R A

Ad Episcopos Africanos, super eadem re.

SErenitas nostra in omnibus causis, tamen præcipue in his, quæ ad venerabilem religionem pertinent, propensum cupit habere iudicium. De Sacerdotio Vrbis æternæ exorta contentione, etiam trans maria credimus esse nunciatum, quod à paucis non potuit terminari. Ideo multorum constat necessarium esse iudicium. Quapropter Sanctitas, quos vitæ bonum & legis doctrina commendat, intra diem Id. Iuniarum ad Spoletinam civitatem, amputatis excusationibus, properare dignetur: ut id, quod veritas & religionis norma dictaverit, Deo pariter cunctorum mentibus inspirante, sententia iudicetur, ne diutius Apostolicæ Sedis Sacerdotium differatur.

An. 419.

S A C R A

Ad Aurelium Carthaginensem Episcopum, super eadem re.

ALiam quidem veniendi causam optaveramus evenisse, ut desiderato benedictionis tuæ frueremur aspectu. Sed quia adversus Papam urbis Romæ ambitio reprehendenda certamen indixit, & sanctam vitam in Episcopo æstimat non requirendam: cœptum super hac discussione iudicium non minor numerus Sacerdotum, quam Synodi consuetudo poscit, in plures doctissimosque viros, quorum Sanctitas tua princeps est, prorogavit. Neque enim præmia castitatis & meriti summoris vitiis, quæ respuit divinæ religionis sacrosancta præceptio, per alios quam tales viros oportuit revelari. Et quamvis sufficerent Domini Germani mei *Augusti Principis scripta, poterunt etiam in ea tantum, quibus adventum sanctitatis tuæ pariter adiunxi. Quæso itaque, Domine sancte Pater merito venerabilis, ut duplex beneficium tribuatis, & desideratæ nobis benedictionis tuæ, & necessarii pro habitudine iudicii proferendi, intermissis omnibus, Dominum intuens, de eius Sacerdote firmando labor veniendi non debet recusari, præstare dignetur.

*Constantii Cæsaris.

An. 419.

S A C R A

Ad Episcopos Africanos, super eadem re.

PErvenisse ad venerationem tuam, certa est pietas nostra, certamen adversus Papam urbis Romæ, vitia eum castitate pugnare, & huiusce rei tam diuturnum esse conflictum, ut inter tot Sacerdotes, qui ad Synodum convenerunt, quibusdam dissensionibus nondum potuerit, Apostolica præceptione firmata *a* ita præferri, quam tantum se interdum bene scire astipulanti quoque ea parte, quæ disceptat, sine dubitatione consensisset: ut plane fuerit manifestum, expectari tuæ iudicium sanctitatis, in cuius præsentia promenda sententia differretur, qui merito vitæ præcedens, recte etiam ex transmarinis regionibus, ut indicare possis, expecteris. Sed quamvis Sacra Domini germani mei Augusti Principis ad Italiæ Synodum evocans auctoritas non negligenda provenerit, socianda specialiter etiam Serenitatis nostræ scripta iudicamus: quibus precor, ut desiderabilem affectum benedictionis me sine excusatione concedens, omnipotenti Deo gratum indices bene laborem, & pro proximo Sacerdote, & pro sanctæ vitæ meritis sententiam prolaturus, remunerationem vexationis huius in præmio divino intelligas constitutam. Dat. III. Kalendas Aprilis Ravennæ.

a vita.

Eodem exemplo scriptum Augustino Hipponensi, Alypio Tagastensi, Evodio Vzalensi, Donatiano Teleptensi, Silvano Numidiæ, Nuvaro Sitifensi, & Venerio Archiepiscopis.

Constan-

Constantii III. Cæsaris

RESCRIPTUM

Anno Chr. 419.

De Seditionis auctoribus in schismate duorum Paparum, & præceptis Imperialibus de ordinato Papalis sedis Vicario exsequendis.

SYMMACHO præfecto Vrbi. Vt certa possimus quæque cognoscere, & factionum auctores fideli nuncio & inspectore non lateant, Cancellarium nostrum Vitulum direximus, ut domini invictissimi *Principis †affatus atque iudicium ad eximietatem tuam & ad populum Cleri festinatione deferret. Illudque monemus, ut quicquid sacris auctoritatibus continetur, nulla temeritate violetur: & quæ præcepta sunt, effectui celeri mandentur instantia: ne Augusti clementia, quod nunc agnoscit distulisse, commoto Maiestatis suæ vigore emendare non differat.

* Honorii Imp.
† De Vicario Pontificiæ sedis instituendo

Honorii Imperatoris Augusti

RESCRIPTUM

Anno Chr. 419.

De Eulalio schismatico Papa ex Vrbe pellendo, & Vicario sedis Papalis recipiendo.

SYMMACHO præfecto Vrbi. Cum ad sanandum primæ perturbationis etrorem, hoc genus consilii clementia nostra reparandæ pacis cupida teperisset, ut donec de confirmatione *Vrbani Sacerdotii sententia procederet absoluta, uterq; eorum, quorum causa tumultus antea concrevisset, à sacratissima Vrbe conversatione seiunctus, futuri iudicii expectatione penderet & spatio, quo contineretur alteruter, evidenter expresso: æquo animo dissimulare non possumus, præceptis clementiæ nostræ publicum pene bellum, quo calcarentur, indictum: movendi eius caput Eulalium, qui iussa transcendit, extitisse, secundum ordinem præceptorum paulisper abesse non passum, Symmache parens carissime. Vnde sublimitas tua hoc non statuisse cognoscat, ut & salubris superior ordo præcepti, & moderata Synodi ordinatio deberet custodiri, quod aliter fieri non posse censemus, nisi Eulalius omnimode urgeatur, ut omni celeritate ab Vrbe discedens, insolenti populo præsens incitamenta non præbeat, nec innocentib. causa mortis existat: cui esse dubium non debebat, si in hac præsumptionis obstinatione, duraverit, non solum de statu suo iudicium iam prolatum, verum etiam de salutis discrimine proferendum. Culpæ n. nullam veniam iam meretur, quam prædicitur, non cavetur. Nihil ex hoc excusationis habiturum, quod eo invito, à plebe asserat retentari. Si qui autem ex numero clericorum communicandum Eulalio, iudicio pendente, censuerit, pari se sciat sententia esse damnandum. Laicos vero, qui post interdictam mansuetudinis nostræ communionem Eulalio putaverint expetendum, honestioris loco pœnam proscriptionis, servos vero capitis esse subituros, nec ab hoc periculo domi nos exuendos: Primates vero regionum, nisi spiritum plebis inconditæ domuerint ac frenarint, sciant se raptos, ultimo iudicio esse subdendos.

* i. e. Rom.

Anno 419.

2. Spoletinus autem episcopus, sicut dudum fuerat definitum, sanctis Paschæ diebus ordinem festæ solemnitatis implebit, cui ad celebranda mysteria Lateranensem Ecclesiam soli patere decernimus; reliquis, qui hoc præsumere voluerint, propulsatis. Sane ut prædictus Sacerdos Spoletinæ civitatis in loco eius sanctorum mysteriorum ordinem completurus suscipi debeat admonemus.

3. Per omnes vero Titulos & loca, quæ conventu celebri frequentantur, hæc, quæ statuimus, proponentur: ut universis liqueat, & noluisse nos turbidum aliquid perpetrare, & ad hoc ut turbata componi debeant, operari. Sciat sane sublimitas tua, Primiscrinium, & reliquum Officium, quod tuis actibus obsecundat, non solum gravissimæ mulctæ dispendiis affligendum, sed & supplicium capitis sortiturum, nisi enixa opera commodata, statutis clementiæ nostræ præbere maturarit effectum. Dat. VIII. Kalend. Aprilis, Ravennæ.

Imperator ad placandum populi furorem in partes scissi, consenserat, ut de utriusq; electione Episcopi, se præsidente, cognoscerent: interdicto utriqi ad Vrbem accessu, usque dum de alterutrius legitima electione iudicaretur. Sed Eulalio contra interdictum Vrbem ingresso & seditionem causato, commotus Imperator, non expectato Episcoporum iudicio, vi Imperialis Edicti & Cæsareæ potestatis eum deposuit, & Bonifacium in sede confirmavit.

RESCRIPTUM

De confirmatione Bonifacii electi Papæ, & reprobatione Eulalii Schismatici.

Symmacho Præfecto Vrbi. Moderatione præcipua egit nostra Serenitas, ne locum posset invenire præsumptio. Dei enim iudicio venerabilium Sacerdotum est dilata cognitio: ut quicquid religio, quicquid veritas postulabat, absque ulla perturbatione hoc disceptatio tranquilla decerneret. Sed per Eulalium usurpatione contra sententiam venerabilis Synodi multa illicite commissa fuisse, relationis textus edocuit: qui præsentia sua causam futuris populo subministrans, totum perire voluit, quicquid moderatio nostra conservat. Nam cum ordinatione nostra, & sententia Episcoporum, quorum in Synodo maior se multitudo collegerit, consensu etiam partium, & professione id fieri definitum esset, ut sciret se specialiter esse damnatum, quicumq; ad incitandum populum Vrbem fuisset ingressus, oblitus sui, probavit ex præsenti facto, quale videatur habuisse principium. Quoniam ergo recte hunc, post tot admissa, Vrbe constat esse depulsum: ad quam eum accedere non debere, clementiæ no-

stræ & Episcorum videretur statuisse iudicium: Bonifacium venerabilem virum Episcopum, ad cuius moderationem auctoritatem nostram recte censuimus iungendam, Symmache parens carissime & amantissime, sublimitas tua Vrbem ingredi debere, nos statuisse cognoscat: ut sub eius gubernaculis gloriosæ legis reverentia, moderatione solita compleatur.

AnnoChr. 419.

PRAECEPTVM

Vt iudicio de schismaticis Papis per Imperialem auctoritatem terminato, Episcopi ad Synodum vocati domi maneant.

VIctor HONORIVS inclytus Imper. semper Augustus, Largo Proconsuli Africæ. Inter omnes curas, nec illa nos minus sollicitat, quam pertinere ad sacerdotium iudicamus. Cum enim de confirmando Episcopo Vrbis æternæ controversia tractaretur: atque hi, qui in unum positi erant, Episcopi de tanto negotio, paucos se existimaverint ad sententiam proferendam: placuerat, sicut sacri apices cucurrerunt, ut ex Africanis & Gallicanis provinciis plures Episcopi commearent. Ea videlicet ratione, ne medio tempore quicquam præsumeretur: id quod nostra senteotia ordinaverat, & quod statuisse Synodi sententia videbatur. Sed his omnibus despectis, Eulalius sola usurpatione moram credidit occupandam: quem, sicut decebat, nostra auctoritate constat expulsum, ac sanctum Bonifacium Episcopum roboratum. Et quoniam consumptum negotium est, incongruum oostra clementia iudicavit, si Episcopi navigationis & itineris iniuriam paterentur. Vnde sciat spectabilitas tua, Synodum fuisse solutam. Admone igitur, præmissis sacris affatibus, auctoritate tua singulos Sacerdotes, ut sciant hanc ordinationem esse servandam, quæ continet, ut quisque in Ecclesia sua orationibus vacet, ut convenit: propterea quod causa optimo iudicio iam terminata videatur. Data sub die VII. Idus Aprilis.

Honorii Imperatoris Augusti

RESCRIPTUM

AnnoChr. 419.

De electione Romani Pontificis.

VICTOR HONORIVS, inclytus, Triumphator, semper Augustus, sancto ac venerabili Bonifacio Papæ Vrbis æternæ.

1. Scripta beatitudinis tuæ debita reverentiæ gratulatione suscepimus, quibus recensitis, egimus omnipotenti Deo maximas gratias, quod sanctimoniam tuam post longum incommodum optatæ redditam didicimus sanitati. Et ideo revertentibus venerabilibus viris, gaudium nostrum sacrorum apicum attestatione signamus, ac petimus, uti quotidianis orationibus Apostolatus tuus studium ac votum suum circa salutem atque imperium nostrum dignetur impendere.

2. Illud autem pietati nostræ satis placitum esse cognosce: quod sanctimonia tua de Ecclesiarum aut populi perturbatione solicita est: quæ ut ne aliqua ratione possit evenire, satis clementia nostra credit esse provisum.

3. Denique beatitudine tua prædicante, id ad cunctorum Clericorum notitiam volumus pervenire, ut si quid forte Religioni tuæ, quod non optamus, humana sorte contigerit, sciant omnes ab ambitione esse cessandum. At si duo contra fas temeritate certantes, fuerint ordinati, nullum ex his futurum penitus Sacerdotem: sed illum solum in sede Apostolica permansurum, quem ex numero Clericorum nova ordinatione divinum iudicium & universitatis consensus elegerit. Vnde id observandum est, ut omnes tranquillam mentem & pacificos animos ex Serenitatis nostræ admonitione custodiant, nec aliquid, seditiosis conspirantibus, tentare conentur: cum certum sit, nulli partium sua studia profutura.

Honorii & Theodosii II. Imperatorum Augustorum

RESCRIPTUM

AnnoChr. 419.

Adversus Pelagianos.

IMPERATORES HONORIVS & THEODOSIVS Augusti, Aurelio Episcopo Carthaginensi salutem.

Dudum quidem fuerat constitutum, ut Pelagius & Celestius nefandi dogmatis repertores ab urbe Roma, veluti quædam Catholicæ veritatis contagia, pellerentur: ne ignorantium mentes prava persuasione pervetterent. In quo secuta est Clementia nostra iudicium

Sanctita-

Sanctitatis tuæ, quo constat eos ab universis iustæ sententiæ examinatione esse damnatos. Sed quia obstinati criminis pertinax malum, ut constitutio geminaretur, coegit: recenti quoque sanctione decrevimus, ut si quis eos io quacumque provinciarum parte latitare non nesciens, aut propellere aut prodere distulisset, præscriptæ pœnæ velut particeps subiaceret. Præcipue tamen ad quorundam Episcoporũ pertinaciam corrigendam, qui pravas eorum disputationes tanto consensu asserunt, vel publ[illegible] oppugnatione non destruunt, Pater carissime atque amantissime, sanctitatis tuæ auctoritate mo[illegible] convenit, quatenus in abolitione præposteræ hæresis omnium devotio Christianorum consentiat. Religio itaque tua competentibus scriptis universos faciat admoneri: scituros definitione testimonii tui, banc sibi definitionem esse præscriptam, ut quicumque damnationi supra memoratorum, quo pateat mens pura, subscribere impia obstinatione neglexerit, Episcopatus amissione mulctari, interdicta in perpetuum expulsi civitatibus communione priventur. Nam cum ipsi nos iuxta Synodum Nicænam confessione sincera, conditorem rerum omnium Deum Imperiique nostri veneremur auctorem, non patietur sanctitas tua, sectæ detestabilis homines in iniuriam religionis nova & inusitata meditantes secretis tractatibus occultare sacrilegium publica semel auctoritate damnatum. Vna enim eademque culpa est eorum, qui aut dissimulando conniventiam, aut non damnando favorem noxium præstiterint. *Et alia manu.* Divinitas te per multos annos servet incolumem, Pater carissime atque amantissime. Data V. Idus Iunias, Ravennæ, Monaxio & Plinta Coss.

Eodem tenore etiam ad sanctum Augustinum Episcopum datum Rescriptum.

Constantii III. Imperatoris Augusti EDICTUM

Anno Chr. 420.

CONTRA PELAGIANOS.

IMPERATOR CONSTANTIVS, Volusiano præfecto Vrbi. Cum tum præteritæ superstitionis, tum recentis plena vanitatis iamdudum corrigi iusserimus, quotidianis insinuationibus maior fieri nunciatur. Et quoniam discordia animos commovet populorum, ea quæ iamdudum iusseramus, præcepimus iterari. Vnde his lectis, eximietas tua omnes, qui Dei invident pietati, diligenter inquirat, & eos faciat statim è muris Vrbis expelli: ita tamen, ut ne intra centesimum quidem lapidem habeant licentiam consistendi. Cœlestium quoque magis ac magis ex Vrbe expelli mandamus. Constat enim iisdem ex medio sublatis, gratiam & concordiam tenere veterem firmitatem. Sane deinceps si tale quippiam fuerit nunciatum, Officium præstantiæ tuæ capitali sententiæ subdendum esse cognoscet. Non enim patimur impunitum esse, præcepta nostra executionis negligentia protelari. Vale, Parens carissime & amantissime.

Impleatur quod iussimus, quia hoc famæ tuæ expedit.

EXEMPLAR EDICTI PROPOSITI À VOLVSIANO præfecto Vrbi.

VOlusianus Præfectus Vrbi dixit: Hactenus Cœlestium, divinæ fidei & quietis publicæ turbatorem iudiciis amica reis secreta subduxeront. Iam leges etiam dicti persequentur absentem. Cui, quod primum est, æternæ Vrbis negatur habitatio: ut si vel in proximis fuerit diversatus, debitum non evadat exitium. Pro merito etiam temeritatis atque ausus sui cunctos huius Edicti cautione præmonemus, ne quis iniquus noxio latebram putet esse præbendam, ne cum huiusmodi sit posita pœna, supplicium ac stylum necesse sit proscriptionis incurrere, quisquis reum divinis humanisque legibus apud se putaverit occultandum.

Exemplar Edicti Præfectorum Prætorio.

IVnius, Quartus, Palladius, Monaxius, & Agricola iterum Præfecti Prætorio dixerunt: Adversus Pelagium atque Cœlestium Catholici dogmatis fidem sævis tractatibus destruentes, sententia Principalis invaluit, ut venerabili Vrbe summoti bonorum concilio mulctarentur. Hoc igitur omnes admoneri oportet edicto, ne quis sinistræ persuasionis erroribus credulum præstet assensum. Et si ille sit plebeius, ac Clericus, qui in caliginis huius obscœna reciderit, à quocumque tractus ad Iudicem, sine accusatricis discretione personæ, facultatum publicatione nudatus irrevocabile patietur exilium. Nam superna maiestas ut colligit ex secreti ignoratione reverentiam, ita & ineptæ disputationis iniuriam eximit per Edictum.

Theodosii II. & Valentiniani III. Imperatorum Augustorum
SACRA

Anno Chr. 430.

De indictione Concilii Ephesini per Imperatores convocati.

IMPERATORES Cæsares THEODOSIUS & VALENTINIANUS, Victores, Triumphatores, Maximi, semper Augusti, Cyrillo Episcopo *S. D.

* Alexandrino.

1. Reipublicæ nostræ constitutio, ea, qua erga Deum est, pietate præcipue nititur, multaque inter hanc & illam cognatio ac familiaritas intercedere solet. Nam & ex se invicem pendent, & utraqua posteris alterius successibus incrementa sumit. Quandoquidem ut vera religio iusta actione perficitur, ita & Respublica utriusque ope nixa florescit. Cum itaque Deus optimus maximus Imperii habenas nobis tradiderit, iisque qui Imperio nostro parent, pietatis & iustæ actionis quoddam quasi vinculum nos esse voluerit: harum inter se societatem, partim quidem privata nostra providentia freti, partim quoque humano præsidio usi, indivulsam perpetuo hactenus conservare enixe contendimus: ad eumque modum promovendæ pietati propter Reipublicæ salutem incumbimus, ut in omnibus fere subditorum nostrorum commodo intenti, unum hoc perpetuo urgeamus, contendamusque sedulo, ut pie religioseque privatim vivant omnes, & ut pios decet, in Republica versantur universi. Denique utrique, quam par est, curam impendere non desistimus. Fieri enim vix potest, ut qui alteri serio invigilant, alterius curam neglectui habeant.

2. Ante omnia autem operam damus, ut Ecclesiasticus status eiusmodi sit, qui & Deum deceat, & temporibus nostris quam maxime congruat: idemque ex omnium concordia & consensione suam tranquillitatem obtineat, tum per Ecclesiasticarum controversiarum pacem à turbis & seditionibus liber existat, tum demum ut pia religio ab omni omnino nota & reprehensione immunis perseveret, eorumque vita, qui vel inter Clericos censentur, vel magno quoque inter illos sacerdotio funguntur, omni prorsus nævo & culpa vacet.

Quia vero intelligebamus, eum per eos, qui Deum diligunt, pietatique addicti sunt, tum per animos rursum pietatis studiosos istæc obtineri posse: sæpe numero iam ante ob ea, quæ subinde accidunt, religiosam sanctissimorum Episcoporum undiquaque in unum coactorum Synodum necessariam indicavimus. Hactenus tamen, ne eorum pietati molestiam exhiberemus, cunctantiores hac in re fuimus. At nunc vero tam Ecclesiasticarum, quam quæ hisce cohærent, publicarum rerum controversia eam usque adeo necessariam declarat, ut refutari nullo modo queat.

2. Quamobrem ne illa, quæ ad præsentem rerum tantopere utilium inquisitionem spectant, si negligentius curentur, in peius incrementa sumant, (id quod à temporum nostrorum pietate alienum esse decet) tua pietas, Deo bene propitio, operam dabit, ut sacrosancto Paschate, quod iam in foribus urget, elapso, sub sacræ Pentecostes diem ad Ephesiorum Asiæ civitatem accurrat, nonnullosque, quos nimirum idoneos iudicabit, sanctissimos provinciæ suæ Episcopos simul eodem secum adducat, ita ut neq; necessarii sanctissimis eiusdem provinciæ Ecclesiis desint, neq; ii rursum, qui ad eam rem apti censebuntur, in sacra Synodo desiderentur. De indicta autem sanctissima Synodo nostra Serenitas ad omnes omnino Deo dilectos Episcopos Metropolitanos litteras scripsit: quo nimirum hac tandem ratione turbæ, quæ ex multis dissidiis & concertationibus hinc inde enatæ sunt, rite secundum Ecclesiasticos canones consopiantur: & illa præterea, quæ parum decenter hactenus admissa sunt, corrigantur, & pietatis denique, quæ in Deum est, publicæque utilitatis firmitati consulatur.

4. Cæterum ante sanctissimam coactam Synodum, communemque eiusdem, quæ de omnibus dicitur, sententiam, nihil quicquam in ulla prorsus re privatim à quoquam innovetur. Omnino autem persuasum habemus, neminem ex piissimis Deoq; devotissimis Episcopis fore, qui simulatque rerum Ecclesiasticarum causa, atque adeo controversiarum totius Orbis gratia, nostro hoc Decreto sanctissimam Synodum cogi intellexerit, non propere studioseque occursurus, rebusque tantopere necessariis ac Deo usque adeo gratis pro virili consulturus sit. Nos quoque harum rerum curæ sedulo incumbentes, nullum impune abesse sinemus. Nec ullam ille vel apud Deum, vel apud nos quoque habiturus est accusationem, qui statim impigre secundum præfinitum tempus ad destinatum locum præsto non fuerit. Enimvero quicumque ad Sacerdotalem Synodum accitus, alacriter non accurrit, is sane conscientiæ parum sinceræ se esse ostendit. Deus in multa tempora incolumem te conservet, sanctissime piissimeque Pater. Dat. Constantinopoli, tertiodecimo Kalendas Decembris, Consulatu Dominorum nostrorum semper Augustorum, THEODOSII quidem decimotertio, VALENTINIANI vero tertio.

Theodosii & Valentiniani Impp. Augg.

CONSTITUTIO

Anno Christi 431.

De officio Legati imperialis in Concilio.

IMperatores Cæsares Theodosius & Valentinianus, Victores, Triumphatores, Maximi, semper Augusti, Synodo S. D.

1. Cum magnam omnium, quæ è Republica sunt, curam habeamus, tum vero maximam illorum, quæ ad pietatem religionemque conservandam pertinere arbitramur. Per ea namque cætera quoque bona hominibus suppeditantur. Scripsimus proinde non ita multo ante de pietatis vestræ Synodo apud Ephesiorum metropolim congreganda: eaque Sacræ nostræ inseruimus, quæ institutæ rei quam maxime convenire censebamus. Quia vero ordinis quietisque, quam sacræ vestræ Synodi consultationes jure deposcunt, decentem quoque curam adhibitam oportuit, ne hanc quoque partem, quo undique tranquillitas adesset, prætermittendam existimavimus. Non arbitramur autem pietatem vestram, ut aliis pacem conciliet, alterius cujuspiciam extrinsecæ opis egere: siquidem ad nostrum erga Religionem studium singularemque providentiam pertinaret & hanc quoque non negligere.

2. Igitur Candidianum præclarissimum religiosissimorum Domesticorum Comitem ad hanc sacram vestram Synodum abire jussimus, sed ea lege & conditione, ut cum quæstionibus & controversiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat, Nefas est enim, qui sanctissimorum Episcoporum catalogo adscriptus non est, illum Ecclesiasticis negociis & consultationibus sese immiscere)verum ut Monachos & sæculares ac cæteros denique omnes, qui hujus spectaculi causa vel eo nunc confluxerunt, vel in posterum forta confluent, ab eadem illa civitate omnibus modis submoveat, quandoquidem non licet illos, qui omnino necessarii non sunt, sacrorum dogmatum examen aliquo tumultu impedire, & iis, quæ cum tranquillitate à vestra sanctitate constitui definirique debent, obstaculum aliquod offerre: tum rursus ut diligenter prospiciat, ne qua gravior dissensio ex mutuo repugnandi studio coorta, & sævæ tempestatis instar debacchata, sanctissimæ Synodi vestræ consultationem, exactioremque veritatis indagationem quovis modo obturbet: tum denique quo operam det sedulam, ut omnibus & singulis, quæ dicuntur, rite perceptis, singuli inoffensa quod visum fuerit, in medium proponere, vel ab aliis propositum, si opus id fuerit, refutare queant: quo ea tandem ratione, ubi per singulas propositiones exceptionesque inquisitio citra ullam omnino turbam contentionemque habita fuerit: quod omnibus placitum probatumque erit, communi vestræ sanctitatis sententia constituatur decernaturque.

3. Ante omnia autem severe eidem magnificentissimo Candidiano mandatum est, ut quam studiosissime observet, ne quem ex sanctissima Synodo vestra aut reditum molientem, aut iter ad exercitum nostrum affectantem, aut ad alium quemcunque locum abscedere cupientem, prius inde abire permittat, quam diligenti adhibita discussione, ea omnia decreta definitaque fuerint, quæ in disquisitionem venerant. Hinc, ne ullam omnino aut Ecclesiasticam, aut aliam quamcunque controversiam undecumque natam vel motam, quæ ad propositam sancti dogmatis considerationem non pertinaat, ante moveri sinat, quam eorum omnium, quæ nunc in quæstionem vocata sunt, ambiguitate soluta, ea quæ ad veritatis investigationem faciunt, exactissimo judicio discutiantur, finemque Orthodoxæ religioni congruum sortiantur.

4. Quin & hujus quoque admonita sit vestra pietas, nempe Serenitati nostræ visum esse, ut nulla omnino in sacra vestra Synodo, aut etiam in publico Ephesiorum judicio, pecuniaria aut criminalis causa adversus aliquem agitetur. Quod si quid hujusmodi extiterit, cuipiamve, ufovanarit, hujus integram cognitionem magnæ huic nostræ * Civitati reservatam volumus.

* Constantinopoli.

5. Denique nec id quoque vobis clam sit, videlicet magnificentissimum Comitem Irenæum neque sanctissimæ vestræ Syndi consiliis, neque his quæ eximio Legato nostro Candidiano à nobis demandata sunt, ullatenus communicare debere, ut qui solius amicitiæ causa cum sanctissimo piissimoque celeberrimæ Civitatis hujus Episcopo Nestorio Ephesum profectus est. Dat. Constantinopoli.

Theodosii & Valentiniani Impp. Augg.

SACRA,

Anno Christi 431.

De confirmatione actorum Synodalium.

IMperatores Cæsares, Theodosius, & Valentinianus, Victores, Triumphatores, Maximi, semper Augusti, Cœlestino, Rufo, Augustino, Alexandro, Acacio, Tracyllino, Valentio, Iconio, Joanni, Acacio, Urso, Firmo, Himerio, Dexiano, Vereniano, Palladio, Asterio, Juvenali, Flaviano, Helladio, Rembulo, Alexandro alteri, Maximo, Phrytilæ, Perigeni, Cyro, altero Joanni, Hellanico, Bosphorio, alteri Cyro, Vinatio, Petro, Dynato, Dorotheo, Antiocho, Dalmatio, Eusebio, Seleuco, Eleusio, Eulogio, Sapido, Olympio, Theophilo, Pio, Juliano, Basilio, Timotheo, Troilo, Erenlano, reliquisque religiosissimis Episcopis.

1. Quanto pietatis avitæque religionis zelo flagremus, id cum ex aliis non paucis argumentis notisque indiciis liquidum, ut putamus, evasit, tum vero ex eo maxime terrarum orbi patefactum credimus, quod vestram Synodum nuper convocaverimus. Neque enim parvam quandam controversiam oboriri sivimus, quam è vestigio componi profligarique non curaverimus. Quare & nunc quoque Sanctitatem vestram per sacras literas ad communem Synodum evocavimus, rati, nullum pro pietate laborem vestræ pietati molestum fore. Quod si quam ea res difficultatem forte adferre potuerit, illam Regia nostra providentia temporis locique opportunitate plurimum mitigavit. Deputavimus enim ad hoc opus Ephesiorum civitatem terra marique accessu percommodam, omnibusque rerum copiis affluentem, necnon ad usum vitæ affatim omnia suppeditantē. Fecimus hoc autem ea de causa, quo pius Serenitatis nostræ scopus, & Sanctitatis vestræ Synodus expeditiori cursu ad propositam sibi metam pertingat. Quapropter & Nestorii quoque, & Cyrilli, & Memnonis itidem exauctorationem à Sanctitate vestra nobis insinuatam calculo nostro approbavimus.

Cæsar confirmat Cyrilli Alexandrini & Memnonis Ephesini exauctorationē, sed male informatus.

2. Ad reliqua vero acta vestra quod spectat, comperimus, eam vos fidem Christianæque religionis integritatem custodivisse, quam à majoribus suscepimus, quam etiam sanctissima Synodus sub sacram Constantini mortem coacta confirmavit. Quamobrem unusquilibet sanctæ vestræ congregationis operam dabit, ut omni controversia soluta, omnibusque offensionibus sanatis, cum pace & concordia domum revertatur.

3. Ut autem Sanctitas vestra agnoscat, se non modo per nostræ pietatis literas ad concordiam communemque pii dogmatis pacem consensionemque incitari, etiam Acacii Beroensium Antistitis epistolam, qua idem vir ille inculcat suadetque sedulo, ad vos misimus. Hic enim cum propter extremæ senectutis imbecillitatem sanctissimo vestro Concilio adesse non posset, ea per literas exposuit, quæ & suæ pietati conveniebant, & Orthodoxæ Religioni non parum quoque prodesse posse intelligebat, verum cujusmodi isthæc sint, id Epistolæ illius series declarabit.

4. Sciat etiam Sanctitas vestra, nos magnificentissimum præclarissimumque Joannem Comitem Sacrensem ea de causa hinc istuc amandasse, ut simulatque vestræ Sanctitas circa fidem scopum cognoverit, ea mox fieri curet, quæ ad rem fore censebit quam maximè accommoda.

Theodosii & Valentiniani Impp. Augg.

SACRA,

Anno Christi 431.

De revisione Actorum Synodalium, ut rescissis omnibus, quæ antea per Concilii Patres acta fuerant, fides & controversiarum quæstio resumta de integro legitime discutiatur.

IMperatores Cæsares, Theodosius, & Valentinianus, Victores, Triumphatores, Maximi, semper Augusti, sacræ Synodo Ephesinæ.

*hic Nestorianus fuit.

1. Magnificentissimi * Candidiani devotorum Domesticorum Comitis relatu, pietas nostra accepit, quædam in Ephesiorum metropoli per tumultum potius, quam decenti ordine transacta fuisse. Nam neque omnes, ut decretum erat, sanctissimi Episcopi convenerant (cum tamen magnæ Antiochiæ civitatis Episcopus cum suis Metropolitanis jamjam adventaret) neque omnes, qui ibidem aderant, in consultationem adhibiti sunt, neque qui adhibiti sunt, inter se consenserunt, neque de fide, ut par erat, inquisierunt, neque Sacris nostris, quas subinde misimus, paruerunt: sed id potius egerunt, unde manifestum evadebat, alios aliis vehementer esse offensos. Etenim dum quisque, quod sibi probatur, quocumque modo tueri, mordicusque obtinere nititur, fit ut conceptum odium aliquo prætextu difficulter celetur. Denique quæ illic gesta sunt, malo studio acta esse quis non videat? a Quamobrem nostra Majestas ea pro ratis ac legitimis habere non potest: immo vero omnia, quæ citra ordinem hactenus acta sunt, pro irritis ac omnino nullis habenda esse decernit.

a Imperator Concilii acta rescindit, & simul superius Decretum abrogat.

2. Primum

2. Primum proinde juxta *a* Decreti nostri rationem, quæ ad religionem & pietatem faciunt, diligenter examinentur ac discutiantur. Post diligentem autem discussionem id servandum proponatur & promulgetur, quod communi totius Synodi consensu receptum approbatumque fuerit. Neque enim pietas nostra præjudicia de industria præsumpta in posterum feret: quin immo hactenus præsumpta usque adeo ægre tulit, & fert, ut donec pietatis dogmata ab universa Synodo accuratè fuerint examinata, eaque de causa quispiam ex illustri hoc nostro Palatio una cum Candidiano Comite præclarissimo destinetur, qui nostro jussu & auctoritate, quæ hactenus acta sunt, cognoscat: quippe quæ legitimo ordini dissentanea sont, prohibeat neminem omnium Episcoporum, qui istic convenerunt, ab Ephesiorum civitate abscedere, vel ad Majestatis nostræ exercitum venire, vel domum quoque reverti, ullatenus sit passura. Sed neque ulli omnino quoqua quacunque spe ducto isthæc tentare licebit. *a* Edicti de convocatione Concilii.

3. Hæ itaque literæ nostræ sufficiant ad denunciandum, & persuadendum pietati vestræ, ne quid, præter nostram jussionem, jam ante perpetratis in posterum adjiciat. Quin & hoc quoque Sanctimoniam vestram non lateat: nempe nos illustrissimis provinciarum Præfectis scripsisse, ne ullum prorsus in patriam, vel civitatem suam nostro injussu redire permittant. Oportet enim omnia juxta Dei beneplacitum, omni contentione seclusa veritatis studio adhibito excuti, ac tum demum à nostra pietate confirmationem expectare: quandoquidem Majestas nostra non pro homine quopiam, aut etiam pro sanctissimo piissimoque Nestorio solicita est, sed ipsius veritatis & religionis cura sauciatur. Datum XIII. Kalend. Julias, Flavii Antiochi alteriusque designandi Consulatu.

Valentiniani III. Imperatoris Augusti

Anno Christi 433.

DECRETUM

In Causa Sixti III. Papæ & Bassi exconsulis.

Cap. I.

VAlentiniano & Anatolio VV. CLL. Consulibus: Crescentius quidam timens Deum, quas ex nobilitate composuerat per annos vitæ suæ, omnes facultates suas Ecclesiæ reliquit, in integro fecit Ecclesiam heredemque instituit. In qua dimisit prædium in partes Siciliæ, quod nominatur Argianum, quod præstat solidos septingentos. Huic prædio proxime non longe erat prædium Mariniani. Veniens autem in urbem Romam Octavius servus Mariniani, intimavit ei, & laudavit prædium Ecclesiæ. Tunc Marinianus pergit ad Episcopum urbis Romæ Sixtum, & cœpit rogans postulare ab eo fundum supradictum Ecclesiæ. Respondens Sixtus Episcopus urbis Romæ, dixit: Nihil ex meis redditibus crevit Ecclesiæ. Unde, Charissime fili, pauperum senecta sublevari desidera, nec veni Ecclesiam subvertere. Hoc audito, Marinianus habuit in semetipsum, & discessit ab eo.

Cap. II.

EPiphanius igitur ingenuus ex nobilibus parentibus procreatus, & facultatibus. Hic nutritus fuerat quasi in domo Bassi Exconsulis. Litigies ergo inter servum Bassi & Epiphanium nascitur eventu, Hic venit ad Sixtum Episcopum, & cœpit rogare eum, ut ingenuitas ejus servaretur per Ecclesiam. Veniens autem Sixtus Episcopus urbis Romæ ad Bassum, cœpit rogare eum de ingenuitatis munimento. Tum iratus autem Bassus, respondit ad Sixtum Episcopum: Nemo enim judicabit dominum in consilio servi. Nam & misit, & universa prædia ejus occupavit.

Cap III.

EXiens autem & Sixtus Episcopus, venit ad Valentinianum Augustum, & cœpit rogare eum de ingenuitate Epiphanii, tantum ut Chirographo Augusti munitus per Ecclesiam vindicaretur. Et cœpit studiose, sicut decet Ecclesiam semper, sublevare gravatos. Iratus autem Marinianus, de his quæ supra dicta sunt, venit ad Bassum, dicens, quasi de malitia Sixti Episcopi, & quod Petrum audierat servum Episcopi Sixti, eo quod consecratam Chrysogonem stuprasset.

Cap. IV.

COnsilio inito cœperunt ambo accusare eum apud Augustum Valentinianum, ita ut accenderetur Augustus vel *b* mater ejus furore, & suspenderunt se ab invicem à communione. Sixtus autem Episcopus urbis Romæ, sciens omnia, quæ de eo ad Augustum intimabantur, & quia à communione multus populus Romanus se *c* irrigerat; venit in Basilica B. Petri Apostoli, & fecit quasi suprascriptum verbum, & per Leonem Diaconum populo enarrabat, dicens: Si delicta mea contra me sunt semper, ratprobatio quare non fit? Et cœpit omnis plebs urbana clamare, ut dicta ejus Augustus & Clerus urbis Romæ probarent examine.

b Eudoxia Augusta.
c al. exigere.

Cap.

Cap. V.

AUdito hoc, Augustus Valentinianus dixit: Pia petitio. Et jussit fieri secundum dicta, & rogavit universum Senatum urbis Romæ. Et Sixtus Episcopus rogavit Presbyteros urbis Romæ vel Clerum, nam & monasteria servorum Dei. Ersederunt in uno conflictu in basilica Heleniana, quod dicitur Sessorium: & cœpit studiose clamans dicere ad Augustum: Intrent, qui seperaverunt filium à matre Ecclasia, & corroborent universa velamina cordis mei. Augustus autem Valentinianus tacebat. Respondit Leo Diaconus, & dixit: Justa petitio non abscondatur. Erant enim ibi Patritii & Consules isti: Paterius Exconsul, Anatolius Exconsul, ipse Bassus Exconsul, & Marinianus Patricius, Albinus Patricius, Sigisbuldus Patricius, & Honoratus Patritius, & Præfectus Urbis Euthymius, Expræfectus Urbis Valerius Patricius, Claudius Patricius, Fonteius Expræfectus. Et Advocasti isti, Quirus, Deuterius, Alexander, Heliocarus. Presbyteri autem Urbis Romæ omnes XLVIII. Diacones quinque. Interrogati enim Epiphanius Presbyter, & dixit cum lachrymis: Fiat probatio, ut Ecclesia non maculetur. Respondit Maximus Exconsul, & dixit: Non licet enim adversus Pontificem dare sententiam. Respondit Sixtus, & dixit: Quoniam in meo arbitrio est judicare, *a* & in judicare tamen meo non abscondatur veritas. Respondit Augustus Valentinianus, & dixit ad Bassum: Confitere publicè universas intimationes tuas, quoniam si non probavetis, erit obnoxius Ecclesiæ & Pontifici. Nam & damnatio tibi commanet. Et iterum Augustus dixit ad Maximum: Parens Maxime, justa fuit postulatio tua. Levavit se Augustus, & dedit in arbitio *b* Sixti Episcopi, judicare judicium suum. Et discesserunt cum Augusto omnes. Et erat sicut in pristinum munita Ecclesia, ita ut cum gaudio & joco discederet Valentinianus Augustus à Sixto Episcopo, insultans Mariniano & Basso.

a al. & non judicari, tamen non absc.
b Imp. audi tis allegationibus Bassi contra Papam, & ipsius Papæ defensionalibus, litis arbitrium commisit urbis Romæ Presbyteris à quib. Bassus & Marinianus excommunicati sunt, ceu calumniatores. Anno Christi 436.

Theodosii & Valentiniani Impp. Augg.

DECRETUM

De condemnatione Nestorii.

ISIDORO Prætorii Præfecto Consulique. Etsi nostrum erga Rempublicam studium conspicuum sit, haud minoris tamen nobis est curæ, ut sacrosancta quoque vel religio recte constituator. Si enim hanc rite curaverimus, fore speramus, ut publicis quoque rebus hac ratione probe consulamus. Quare cum Nestorius Catholicæ quondam Ecclesiæ Sacerdos, nunc vero fidei proditor, tantorum scelerum mole oppressus teneatur, operæ pretium est ut Serenitatis nostræ sententiæ subjiciatur, calamitateque moribus illius digna opprimatur, ut qui Venerandis Ecclesiæ legibus abjectis, traditionibusque contemptis, nefandæ hæreseos auctor extiterit: quique dum illorum, quos proditioni suæ socios sibi adjunxit, fidem corrupit, alienæ corruptionis crimen suo ipsius capiti accivit. Tua proinde celebris auctoritas, Curiæ hujus potestate nixa, tum propria quoque auctoritate & viribus freta, prædictum Nestorium ob admissam à se impietatem, in perpetuum exilium Petras abire compellat: omniaque illius bona Ecclesiæ Constantionopolis Fisco addicat, quo augusti loci illius opes cujus ille sacra mysteria nuper prodidit, auctiores evadant. Hac enim ratione futurum est, ut religio sanctissimæ fidei intacta in mentibus hominum perseveret, & Regni nostri felicitas religione munita, quotidie magis magisque floreat.

Cætera Decreta & Edicta contra Nestorianos habes in Actis. Conc. Ephesini tom 5 cap. 13. & seqq. integriora sane quam in Cod. Theodosiano vel Justiniano, & multò plura.

Athilæ Huni Imperatoris

RECESSUS

Comitiorum Isenacensium de Imperio Occidentali constituendo.

Anno Christi 444.

Nicolaus Olahus Archiepiscopus Strigoniensis in Athila, Cap. XI.

ATHILA Remensibus expugnatis, pervagata Gallia, ac Flandria direpta depopulataque, in Thuringiam proficiscitur. Hic volens declarare, se universæ Galliæ totiusque Occidentis esse victorem, solennem (ut vocant) Curiam in Isinaca urbe se celebraturum indixit. Plerique vicinorum Regum ac populorum, partim metu, partim quod eum ejusque apparatum videre optabant, eo confluxere. Quos Athila magnis oneratos donis, liberos remittit. Erant plerique populi, circa litora maris Britannici & Balthici sive Germanici, degentes, quibus non adhuc magnæ erat formidini Athilæ potentia. Igitur ut ii quoque ejus arma sentirent, decrevit ut aliquot Duces eum exercitu Normannos, Caletes, Morinos, Tungros, Phrisos, Cimbros, & Pruthenos invadant, omniaqoe (ne ejus Imperio pareant) ferro igneque vastent.



Athilæ Huni Imperatoris ORDINATIO DE VEREDARIIS.

Anno Christi 447.

Nicolaus Olahus in Athila Cap. XII.

ATHILA, ut rerum, quæ in omnibus orbis regionibus agerentur, esset conscius, quatuor veredariorum constituit stationes: primam in Colonia Agrippina, alteram in Jadera civitate Dalmatiæ, tertiam in Lithuania, quartam in Scythia ad fluvium Tanaim. Ex his locis singula totius fere orbis acta, permutatos in locis suis nuncios, * Sicambriam ad eum deferebantur. Contra ipse quoque illorum quoslibet voluntatis suæ certiores faciebat.

* Budam, Germanis Etelburg ab Aula, nunc Offen.

Theodosii II. Imperatoris Augusti EDICTUM

Anno Christi 449.

*De confirmatione Ephesinæ secundæ * Synodi & libris Hæreticorum cremandis.*

* quam Eutychianorũ artibus circumventus convocavit & confirmavit.

OLIM quidem prius Nestorius, qui fuit Constantinopolitanus Episcopus, nova & pestifera, præter illa quæ tradita sunt, tentans inducere dogmatum Christianorum puræ & Orthodoxæ fidei contraria, à sancta Synodo est ejectus, quæ Ephesum ex universo orbe Principali sanctione convenit. Quæ sancta Synodus pariter confirmavit etiam Catholicam fidem ab Episcopis, qui Nicææ congregati sunt, traditam. Et nos confirmantes quæ salubriter instituta sunt ab eodem sancto Concilio, quod Ephesi congregatum est, generalem promulgamus legem, quæ tam prædictum Nestorium, quam eos qui similia sapiunt, damnat: præcipientes ne Christiano saltem nomine censerentur, sed ut Simoniani potius vocarentur, quoniam blasphemiam Simonis dilexerunt. Definivimus enim cæteris eos debere ultionibu subjacere, quas continet præfata præceptio.

2. Quoniam vero præsenti tempore, dum post illa jampridem quietæ essent Ecclesiæ, Flavianus Constantinopolitanus Archiepiscopus & a Eusebius alter Episcopus, perniciosas seditiones sequendo Nestorii b schismata Ecclesiis injecerunt: præcepimus rursum in ejusdem civitatis Ephesiæ sanctissimam Ecclesiam utique denuo convenire Concilium, ut cum omni subtilitate vera fide firmata, à sanctis Ecclesiis injecta per eos hæresis auferretur. Hæc ipsa igitur sancta Synodus definivit, obtinere quidem fidem, quæ Nicææ à trecentis decem & octo patribus tradita est: excludi vero ab Episcopatu non solum Flavianum & Eusebium, sed & Domnum qui fuit Antiochiæ Episcopus, & c Theodoretum, & alios quosdam, qui eadem præfatæ hæreseos cæcitate participant, & ab hoc Sacerdotalibus indigni sunt sedibus. Et nos igitur ejusdem sanctæ Synodi decreta laudamus atque firmamus, hanc orthodoxam fidem putantes atque nominantes; quæ à trecentis decem & octo Patribus exposita est, & firmata in sanctis Conciliis, quæ Ephesi congregata sunt.

a Episcopus Dorylei.
b sectiones.
c Episcopũ Cyri.

3. Ut vero & in reliquum tempus perfectissima fiat totius solutio quæstionis, jubemus, ut in omni orbe terrarum huic ipsi fidei, quæ in Nicæa prolata est, undique Episcopi universi subscribant per Metropolitanos singulorum locorum, & hoc ipsum nobis per proprias eorum litteras intimetur. Omnino autem nullus, qui Nestorii & Flaviani, & eorum qui ejusdem sententia detinentur, ullo modo Episcopus ordinetur: sed & si quis jam maligno præventu est ordinatus, aut si quis de cætero per concursum fuerit simulationemque provectus: hic Orthodoxorum projiciatur decreto Pontificum. Et nec usque ad verbum eidem sanctæ fidei vel adjiciatur aliquid, vel dematur. Sed nec habeat aliquis, vel legat, aut transcribat, proferatve Nestorium, vel terniones ejus, aut codices noxios, & maxime quos contra solas Porphyrius edidit Christianas literas, neque Theodoreti scripta: sed quicumque hujusmodi codices habet, publicè illos proferat, & cunctis videntibus igni tradantur.

4. Et eos, qui hanc religionem colunt, vel doctores eorum nullus neque in civitate, neque in agro, neque in suburbio suscipiat, neque eos secum patiatur habere consessum: alioquin rebus ejus publicatis, ipse perpetuo exilio relegabitur, quisquis hoc egerit; vel qualislibet extiterit, vel quisquis codices habuerit interdictam fidem Nestorii ac Theodoreti continentes, ut interpretationes eorum, qui vocantur *Sermones allocutorii*, sive *Traditiones*, iisdem tormentis subjaceat: vel si ea, quæ sunt ab illis composita, alterius nominis fuerint prænotata.

Valen-

Valentiniani III. Imperatoris Augusti

SACRA,

Anno Christi 499.

Vt liceat Romano Pontifici auctoritate Imperatoris in partibus Italia Concilium celebrare, & de auctoritate ipsius Pontificis in fide & sacerdotibus judicandis.

DOMINO Theodosio, gloriosissimo Victori & Triumphatori, perpetuo Imperatori & Patri, Valentinianus gloriosus Victor ac Triumphator semper Augustus & filius.

1. Cum advenissem in urbem Romam ad Divinitatem placandam, sequenti die ad basilicam Apostoli Petri processi, & illic post venerabilem noctem diei Apostoli, à Romano Episcopo & aliis cum eo ex diversis Provinciis congregatis, rogatus sum scribere vestræ Mansuetudini de fide, quæ, cum sit conservatrix omnium fidelium animarum, dicitur perturbata, quam nos à nostris majoribus traditam debemus cum omni competendi devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam & in nostris temporibus conservare: quatenus beatissimus Romanæ civitatis Episcopus, cui principatum Sacerdotii super omnes antiquitas contulit, locum habeat ac facultatem de fide & Sacerdotibus judicare, Domine sanctissime Pater & venerabilis Imperator. Hac enim gratia secundum solennitatem Conciliorum & *a* Constantinopolitanus Episcopus eum per libellos appellavit, propter contentionem, quæ orta est de fide.

a Flavianus Archiepiscopus & Patriarcha Constant.

2. Huic itaque postulanti & conjuranti salutem nostram communem, annuere non negavi, quatenus ad tuam Mansuetudinem meam petitionem ingererem, ut prædictus Sacerdos congregatis ex omni orbe etiam reliquis Sacerdotibus, intra Italiam, omni præjudicio submoto, à principio omnem causam, quæ vertitur, solicita probatione cognoscens, sententiam ferat, quam fides & tetio *b* veræ divinitatis expostulat. Non debet enim nostris temporibus contra religionem turbarum petulantia prævalere, dum incommota fides hactenus fuerit conservata. Ad perfectiorem vero agnitionem vestræ dignitatis direximus etiam Gesta, per quæ & desideria & exclamationes omnium pietas vestra cognoscat.

b al. vestræ dignitatis.

Theodosii II. Imperatoris Augusti

RESCRIPTUM

Anno Christi 449.

De confirmatione Ephesina Synodi secunda.

DOmino meo Valentiniano Augusto Theodosius. Et Romam pervenisse tuam Mansuetudinem, & petitionem oblatam à sene *c* reverendissimo Patriarcha, in ipso principio litterarum, ex tua Majestate significatum est. Et de tua quidem incolumi in Romanam urbem reversione gratias competentes divinæ Majestati reddimus, Domine sanctissime fili & venerabilis Imperator.

c Leone Archiepiscopo & Patriarcha Romano.

2. De his autem, quæ dixit memoratus reverendissimus vir, indicatum est ad eundem latius atque plenius, sicut arbitrati sumus, & cognovit nos in nulla parte â paterna religione & majorum traditione resiliisse. Nihil aliud volumus, quàm sacramenta paterna per successionem nobis tradita inviolabiliter custodire. Propter hanc igitur causam, quoniam quosdam cognovimus sanctissimas Ecclesias nocibili novitate turbare, Synodum decrevimus Ephesi fieri. In præsentia quippe reverendissimorum Episcoporum cum multa libertate & integra veritate, & indigni sacerdotio amoti sunt: & qui judicati sunt esse digni, suscepti sunt. Nihil igitur ab his contra regulam fidei aut justitiæ factum esse cognoscimus. Omnis igitur contentio sacro judicio examinata est. Flavianus autem, qui reus inventus est læsibilis novitatis, debitum excepit: & hoc remoto, omnis pax & omnis concordia regnat in Ecclesiis, & nihil aliud quam veritas viget.

Mar-

Anno Chr. 450.

Marciani Imperatoris Augusti

SACRA

De Electione Imperiali, & celebratione Concilii universalis.

VICTOR MARCIANVS, gloriosus Triumphator semper Augustus, Leoni reverendissimo Archiepiscopo gloriosæ civitatis Romæ. Ad hoc maximum Imperium venimus Dei providentia, & electione Senatus excellentissimi, cunctæque militiæ. Vnde pro reverenda & Catholica raligione Christianæ fidei, cuius auxiliis virtutem nostræ potentiæ confidimus gubernari, tuam Sanctitatem principatum in Episcopatu divinæ fidei possidentem, secris literis in principio iustum credimus alloquendum, invitantes atque rogantes, ut pro firmitate & statu nostri Imperii, æternam Divinitatem tue sanctitas deprecetur, ut & tale propositum etque desiderium habeamus, quatenos omni impio errore sublato per celebrandem Synodum (*te auctore,) maxima pax circa omnes Episcopos fidei Catholicæ fiat, ab omni scelere pura & inteoierata consistens. Actum Constantinopoli, Consuletu Domini VALENTINIANI perpetui Augusti.

*hæc verba esse addititia patet ex seq. Rescripto. Non enim Papa, sed Imperatore auctore Synodus celebrata, ut testantur Edicta ipsi Synodo præfixa, quibus singuli in orbe terrarum Episcopi ad Synodum venire Imperiali auctoritate iubentur.

Anno 450.

Marciani Imperatoris Augusti

RESCRIPTUM

Ad Archiepiscopum Romæ Leonem, qua vocat eum ad Synodum.

VIctor Marcianus, gloriosus Triumpheror semper Augustus, Leoni reverendissimo Episcopo Ecclesiæ gloriosissimæ civitatis Romæ. De studio & oratione nostra, sanctitas tue non dubitat: quoniam veram Christianorum religionem & Apostolicam fidem firmiter volumus permanere, & ab omni populo pia mente servari. Deniq; solicitudinem nostræ potentiæ, ex recta religione & propitiatione Salvatoris nostri consistere non embigimus. Quapropter reverendissimos viros, quos ad nostram pietatem Sanctitas tua direxit, libenter & (sicut decebat) animo grato suscepimus. Soperest, ut si placuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur, nostris utiq; desideriis tua Sanctitas satisfaciet, & sacræ religioni, quæ utilie sunt, decernet. Si vero hoc onerosum est, ut tu ad has parres edvenias, hoc ipsum nobis propriis litteris tua sanctitas manifestet, quatenus in omoem Orientem & in ipsam Thraciam & Illyricum sacræ nostræ litteræ dirigentur, ut ad quendam diffinitum locum, ubi a nobis placuerit, omnes sanctissimi Episcopi debeant convenire, & quæ Christianorum religioni atque Catholicæ fidei prosint, sicut Sanctitas tua secundum Ecclesiasticas regulas diffiniverit, sua dispositione declarent.

a Ita leg. In Volum. Concil. quod Baron. mutavit in *vobis* ad fa sam suam suppositionem astruendam sc. de superioritate Pontificis, quum prisci illi Impp. Papam non multitudinis numero, sed singulari, utpote subditum, alloqui consuevetint.

Anno Chr. 450.

Atilæ Huni Imperatoris

RECESSUS

COMITIORVM SICAMBRIENSIVM

De Romano Imperio conquirendo.

Nicolaus Olahus in Atila cap. XIII.

ATthila, convocatis Regibus ac populis, qui per id tempus Imperio suo obsequebantur, huiusmodi verbis disseruit.

Quando virtutem vestram, animi ad res bellicas alacritatem, Duces optimi militesque strenui mecum ipse considero: simulque, quot populos, natioues, provincias, regna virtute vestra, viribus, societate fretus, meo Imperio subiecerim: quantum denique victoriæ ubique terrarum pepererim: non videtur esse operæ precium, me vos multis ad ea, ad quæ vestrepte natora, consilio ac virtute duaimini, aut hortari, aut excitare. Quandoquidem ad omnia strenua ac militaria facinora, quæ fortes docent viros, intrepide subeunda, quam propensi ab initio fueritis, reipse compertum habeo. Enitendum modo est ac summis contendendum viribus, ut rei bene gerendæ occasionem, quæ rerum omnium apud mortales prima habetur, dum occurrerit, haud gravatim capessamus. Quam si amplexabimur, Socii optimi, res omnis demum in promptu nobis erit. Si contre neglexerimus, quid non laboris, curæ ac solicitudinis ante nobis subeundum erit, quam ea se nobis rursus offeret? Romanorum vires, Imperiumque magnum, emplum, magnificum & memorabile fuerit, universum complectens terrarum orbem, iampridem vobis satis est perspectum. Id quo latius, illustrius & excellentius antea fuerat, eo maiori nunc obnoxium est præcipitio, ruinæ, periculo. Si enim diligentius conditionem illorum consideraveritis, quid non detrimenti atque generis malorum, sive fato nostra hac tempesta-

te passi sunt, siva viribus eorum iam consenescentibus ac debilitatis. Vandali, Visigotthi, Britanni, Germani, Romanorum Imperium sua ex libidine invadentes, sunt nobis documento, quam sint illorum vires nunc tenues, attritæ, exhaustæ. Africam, Iberiam, Galliæ non minimam partem, quæ omnia Romano parebant Imperio, nunc hostis habet. Pannonia, Mysia, Thracia, Macedonia, Illyria, ac aliæ Orientis regiones, virtute, Milites, vestra Romanis ademptæ, nostro parent Imperio. Quid igitur iam aliud restat, quam ut Italiam, omnium regionum, quas dixi, principem, invadentes, nostræ subiiciamus ditioni? quod in occasionem divinitus vobis datam, Milites, è manibus ignave turpiterq; emittere malueritis, factu erit vobis haud difficile. Nam quæ oppida, urbes, qui denique populi, quæ regna, arma vestra non timuerunt, senserunt, experta sunt? Quid unquam visum est, Milites fortissimi, vobis tam difficile, quod vestra virtus, fortitudo, in rebus omnibus constantia, non facile reddiderit? Quod si in regnis ac provinciis, quas memoravi, suo Imperio antea parentibus resistere vestris Romani armis, virtuti ac potentiæ haud quaquam potuerunt: quid nunc contra vos viribus integros, temporis quiete corroboratos, multorum sociorum accessione auctos, Romanum Imperium iam fractum posse censebitis? Pugna Catalaunica (ne nostram etiam cladem, dum mala commemoro aliena, silentio præteream) licet aliquam sociorum & commilitonum nostrorum stragem, *Ecrii olim virtute intulerit: si tamen hostium cæsorum numerum nostris amissis contuleritis, ludum iocumque, quæ passi sumus, præ his iudicabitis. Nec hanc etiam pugnæ præteritæ, si quam accepistis, calamitatem, ignaviæ atque socordiæ vestræ expensam ferre debeo. Quotus enim quisque vestrûm fuit, cuius manus sanguine hostium non maduerit, vitamque hostis non eripuerit? Verum quicquid nobis illatum fuit malorum, id evenit Martis vario eventu ac Fortunæ: quæ viros fortes & ignavos, sine discrimine, detrimento plerumque afficere solet. Nunc igitur, Socii & milites strenui, tempus est, ut hanc quoque olim acceptam cladem nova virtute vindicemus. Quod fiet proculdubio, ni ignavia, torpore, occasioni præsenti deesse, quam eam prosequi, malueritis. Animus meus, earum, quæ sequuturæ sunt, rerum vates, mihi præsagit, Italiam brevi non magno labore nostram futuram. Qua in potestatem nostram redacta, quid residui in Europa erit, quod non facile iugum vestrum admittere cogatur? Agite igitur, Socii optimi, ut alia in hunc diem omnia, ita hanc quoque expeditionem Italicam alacri capessite animo. Non deestis fortunæ, opibus & dignitati vestræ. Quæ usui sunt bello, nunc parate. Mecum una prosequimini fortunam. Equidem non labore, non periculo, non aliis, quæ in bello accidere solent, rebus incommodis, à vestris opibus augendis, ab amicitia societateque colenda, salute vestra tuenda avocabor. Omnia vobiscum una subire, imo ante vos experiri volo: me modo, Fortunam atq; Occasionem, quæ solæ res in bello primæ habentur, sequamini. Faciam, Diis volentibus, ut Italia non minima pars vestro ante pareat Imperio, quam Romanorum vires vobis occurrant.

* Aetii, Germanis Heer Eck.

Hac propositione Athilæ, Principum ac Militum animi concitati ita fuere ut, magna acclamatum sit lætitia, se non modo ad Italiam cum eo profecturos, sed in omnem orbis partem, quam Athila iubeat illius signa intrepide sequuturos, iussaque facturos. Coactus erat Conventus Scytharum, Gothorum, Sarmatarum, Gelonorum, Neurorum, Erulorum, Turcibingorum, Quadorum, Rugorum, Bastarnarum, Marcomanorum, Burgundionum, Thuringorum, Bructerorum, Saxonum, & Francorum Orientalium.

Edictorum Atila hæc erat solemnis subscriptio:

Atila Mundizici filius, & magni Nembrothi nepos, Engadiæ natus, divina benignitate Rex Unnorum, Medorum, Gothorum & Danorum, metus orbis, Deique flagellum, *hoc fieri* mandat.

Valen-

Valentiniani III. & Marciani Impp. Augustorum
EDICTUM

Anno Chr. 452.

De prohibitis disputationibus à Christianis.

IMPERATORES Cæsares, FLAVIVS VALENTINIANVS Pontifex Inclytus, Germanicus inclytus, Alamanicus inclytus, Sarmaticus inclytus, Tribunitiæ potestatis vicies septies: & FLAVIVS MARCIANVS, Pontifex inclytus, Germanicus inclytus, Sarmaticus inclytus, Alamanicus inclytus, Francus inclytus, Tribunitiæ potestatis vicies septies, Imperator ter, Consul semel: Civibus nostris Constantinopolitanis.

1. Tandem aliquando, quod summis votis atque studiis optabamus, evenit. Remota est de orthodoxa Christianorum lege contentio, tandem remedia culpabilis erroris inventa sunt & discors populorum sententia in unum consensum concordiamque convenit. E diversis enim provinciis religiosissimi Sacerdotes Chalcedonam venerunt iuxta nostra præcepta, & quid observari in religione debeat, perspicua definitione docuerunt. Cesset igitur iam profana contentio. Nam vere impius atque sacrilegus est, qui post tot Sacerdotum sententiam, opinioni suæ aliquid tractandum relinquit. Extremæ quippe dementiæ est, in medio & perspicuo die commentitium lumen inquirere. Quisquis enim post veritatem repertam, aliquid ulterius discutit, mendacium quærit. *Nemo itaque vel clericus vel militaris, vel alterius cuiuslibet conditionis, de fide Christiana publice turbis adunatis & audientibus tractare conetur in posterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occasionem requirens. Nam iniuriam facit iudicio religiosissimæ Synodi, si quis semel iudicata ac recte disposita, revoluere & publice disputare contendit, cum ea, quæ nunc de Christiana fide statuta sunt, iuxta Apostolicas expositiones & statuta sanctorum patrum trecentorum decem & octo, & centum quinquaginta, definita esse noscuntur.

*hinc sumta est L. 4. C. de sum. Trin. & fid. Cath.

2. Nam in contemptores huius legis pœna non deerit, quia non solum contra fidem bene compositam veniunt, sed etiam Iudæis & Paganis ex huiusmodi certamine profanant veneranda mysteria. Igitur si Clericus erit, qui publice tractare de religione ausus fuerit, à consortio Clericorum removebitur: si vero Militia præditus sit, cingulo spoliabitur. Cæteri autem huius criminis rei, de hac sanctissima urbe pellentur, pro vigore iudiciario etiam competentibus suppliciis subiugandi. Constat enim hinc hæreticæ insaniæ exordia fomitemque præberi, dum publice quidam disputant atque contendunt. Vniversi ergo, quæ à sancta Synodo Chalcedonensi statuta sunt, custodire debebunt, nihil postea dubitaturi. Hoc igitur nostro commoniti Serenitatis Edicto, abstinete à profanis vocibus, & ulterius definite de divinis disputare, quod nefas est. Quia non solum divino iudicio peccatum hoc, ptout creditmus, punietur, verum etiam legum & iudicum auctoritate coercebitur. Datum Constantinopoli, VII. Kalendas Februarii, Sporacio viro clarissimo, & qui fuerit nunciatus, Consulibus.

Marciani Imperatoris Augusti
EDICTUM

Anno Chr. 452.

De prohibitis disputationibus de fide, & gestorum Chalcedonensis Synodi observatione.

VEnerabilem Catholicæ Orthodoxorum fidei sanctitatem, manifestam & indubitatam omnibus nostris constituere cupiens nostra Serenitas, ut maior erga Divinitatis obsequia hominibus religio traderetur, tantam atque talem Synodum ex omnib. pæne provinciis, coadunatis Episcopis, in Chalcedonensi civitate colligi iussit, atque ibi plurimis diebus tractatu habito, quod verum & infucatum Christianæ fidei esset, invenit. Votis etenim & orationibus plurimis exorevere Divinitatem, quatenus sancta & plena eos veritas non lateret. Secutique sunt statuta venerabilium Patrum, ea videlicet, quæ apud Nicæam trecentorum decem & octo sanctorum Episcoporum sunt sententia definita, similiter & quæ centum quinquaginta in hac amplissima coadunati urbe constituerunt, atque ea quæ apud Ephesum pridem statuta sunt, cum beatissimæ recordationis Cœlestinus Romanæ urbis, & Cyrillus Alexandrinæ urbis Episcopi invenere veritatem. Quo tempore etiam Nestorianus error exclusus est, eius auctore damnato. Quibus ita rite & venerabiliter apud Chalcedonam inquisitis, Eutyches, qui plura affirmabat illicita, cum sua assertione eiectus est, ne decipiendorum ulterius ei hominum præberetur facultas. Ordinatis itaque religiose & fideliter, quæ venerandam Orthodoxorum fidem fundasse noscuntur, ita ut nulla in posterum dubitatio, vel illis qui calumniari Divinitatem essolent, relinqueretur: sacro nostræ Serenitatis edicto venerandam Synodum confirmantes, admonuimus universos ut de religione disputare desinerent; quoniam unus & alter

tanta ſecreta invenire oon poſſet, maxime cum ſummo labore & ampliſſimis orationibos tot venerabiles Sacerdotes, niſi Deo (ut credendum eſt) auctore, ad indaginem veritatis non potuerint pervenire.

2. Verum, ſicut manifeſta ratione cognovimus, non deſinunt quidam in eadem perverſitate permanere, & publice de religione contendere populis coadunatis, & myſteria divina, Iudæorum Paganorumque ſub obtutibus, publicare & profaoare, quæ rectius * velanda ſunt, quam inqnirenda. Oportuerat itaque in eadem pertinacia conſiſtentes, ſtatuta dudum animadverſione compeſci, ni pœna corrigeret, quos reverentia iuſſionum emendare non potuit. Verum in hoc ſequentes conſuetudinem noſtram, oofcentes præ omnibus, qnod Divinitas pietate lætetur, pœnam nocentium credidimus differendam, iterata hac ſancientes noſtræ clemenoiæ iuſſione, ut in futurum à probibitis omnes abſtineant, nec conventicula colligant ſuper religione certantes: quia in huiusmodi perverſitate & vanitate detecti, & ſtatutas dudum ſuſcipient pœnas, & iudiciario motu, prout religioſis temporibus convenit, punientur. Oportet enim Chalcedonenſem Synodum ſequi, in qua, omnibus diligenter quæſitis, ea definita ſunt, quæ pridem tres prædicti cœtus Apoſtolicam fidem ſecuti, omnibus obſervanda tradiderunt civibus Conſtantinopolitanis. Datum III. Idus Martii, Conſtantinopoli, Sporatio Viro clariſſimo, & qui fuerit nunciatos, conſulibus.

* al. volenda al. dedenda.

Et eodem exemplo ſcriptum Palladio viro Illuſtri Prætori Orientis, Valentiniano Viro Illuſtri Illyrici, Tatiano Viro Illuſtri præfecto Vrbis, Vincomalo viro Illuſtri Magiſtro officiorum & Conſuli Deſignato,

Marciani Imperatoris Auguſti

RESCRIPTUM

Anno Chr. 452.

Vt nemo ad fidem cogi debeat.

Integram conſtitutionem in habes inter Epiſtolas poſt concil. Chalced. ep. 4. Tom. 2. Concil. gen.

IMperator MARCIANVS Auguſtus, Archimandritis, Monachis & reliquis habitantibus in Helia, & circa eam. Noſtra tranquillitas Symbolum treceotorum decem & octo Patrum tempore iam præcedente ſecuta eſt, & in futuro: *Credo Dominum noſtrum Salvatorem Ieſum Chriſtum, ex Spiritu ſancto & Maria virgine Dei genetrice natum, atque profiteor.* Orthodoxaoı namque fidem, ſicut accepimus, ſervare in perpetuum feſtinamus. Quemadmodum etiam S. Synodus nuper in Chalcedonenſium civitate celebrata, credens docet, Symbolumque confirmans, & conſona ſapiens ipſis Patribus Epheſioq; Coocilio, cuius Cœleſtinus & Cyrillus reverendæ memoriæ Præſules fuerunt, errorem Neſtorii condemnantes. Igitur noſtra Clementia nulli penitus neceſſitatem præcepit imponi, quatenus aut ſubſcribat aut conſentiat, ſi noluerit. Non enim terrore aut violentia aliquos volumus ad viam trahere veritatis. Diverſo autem vos ſuper ea, quæ dudum præſumpſiſtis, gladiis aliisque crudelitatibus, inſuper & iniuriis & tormentis in mulieribus honeſtis & nobilibus perpetratis, etiam neceſſitatem plurimis non dubitaſtis inſerre, ut conſentirent quidem perverſis doctrinis, & cum clamoribus atque ſubſcriptionibus anathematizarent eandem ſanctam Syoodum, & ſanctiſſimum Patriarcham Sedis Apoſtolicæ maximæ Romæ Leonem, & ſanctiſſimos Patres, pro quibus auſibus neceſſario reddituri eſtis omniom Deo & Domino rationem, in cuius iniuriam, ſi dici fas eſt, talia facere præſompſiſtis, opprobrium & riſio ſceleſtis Pagaois & Hæreticis iuſtiſſime conſtituti, quib. eſtis exemplum confuſionis effecti, &c.

Valentiniani III. & Marciani Impp. Augg.

EDICTUM

Anno Chr. 452.

De infirmanda Lege Theodoſii Imperatoris pro confirmatione Epheſina ſecundæ Synodi edita.

Plura harum Impp. Edicta contra Eutychianos, & pro Synodo Chalcedonenſi, habes in Actis ipſius Concilii, tom 2. Concil. gener.

IMpp. Valentinianus & Marcianus Auguſti, Palladio Præfecto Prætorio Orientis. Gloria nomquam glorioſa morte perimitur: nec pereunt, cum deficient, virtutes. Immo etiam obitu exiſtimatio augetur bonorum, quia omnis adverſum mortuos evaneſcit invidia. Inde tanto ſtudio ac præconiis maiorum facta laudantur: inde optimorum maxima cum veneratione memoria celebratur: inde magnorum animi virorum, exitus appetivere vere glorioſos: quia compertum erat eos ſolummodo perpetoe mori, quorum de vita ac morte taceretur. Id ita eſſe, etiã præſenti in tempore divinum oſtendit humanumq; iudicium. Cum n. falſa invidia & improbe concinate calumnia, religioſæ ec venerabilis recordationis Flavianus huius almæ urbis Epiſcopatu fuiſſet expulſus (quamvis hoc fuit plenius retinere ſacerdotium, fidem, quam acceperat, conſervare: is enim ſolus eſt, qui eſſe meretur Epiſcopus) tamen ita eius reliquias & expetiit hæc ſacratiſſima civitas, & recepit, ut beatior omni viventi videretur: ut exitus ille, qui putabatur acerbus, optandus credatur fuiſſe, qno illam mortalem mercatus eſt laudem: ſequutumque eſt illud, quod meritis eius Divinitas præſtitit, ut veoerabilis Synodus innumerabilium pene Sacerdotum Chalcedone conveniret: quæ dum fidem diligenter inquirit, aucto-

auctoritate beatissimi Leonis Episcopi æternæ urbis Romæ, & religionis fundamenta constituit sanctæ civitati, & Flaviano palmam mortis tribuit gloriosæ.

2. Ergo *quoniam venerabilis recordationis Flavianus, tanto ac tali decoratus est testimonio, ut Eutyches, qui contra sensetat, cum sceleratis dictis suis ab omnibus uno ore damnaretur, aboleatur illa *a* constitutio, quæ subreptione sceleratorum, post obitum sanctæ memoriæ Flaviani adversus eum lata cognoscitur, cessetque in totum, cuius initium fuit iniquum, & iniusta sententia. Nihil obsit Eusebio *b* & Theodoreto *c* religionis Episcopis, qui eadem lege continentur: quoniam non possunt Sacerdotes constitutione damnari, quos Synodicum ornat super conservanda religione decretum. Expulsâ itaq; illa sanctione, retineat vitæ gloriæq; Flavianus, quam meretur, perpetuam laudem, cæteris constantiæ erga fidem futurus exemplum. Illa igitur & magnifica auctoritas tua hanc saluberrimam legem, edictis propositis, ad omnium notitiam faciat pervenire. Datum Constantinopoli pridie Nonas. Sporatio viro clarissimo, & qui fuerit nunciatus, Consulibus.

* hinc sumta est L. 23. C. de Episc. & Cleric.
a sc. Theodosii.
b Dorylæi.
c Cyri.

Genserici Wandali Imperatoris

EDICTUM

Anno Chr. 455.

De Crudelitate militum in captæ Vrbis incolas reprimenda.

INtercessu beatissimi Leonis Papæ mitigati, ab incendio, cædibus atque suppliciis *Vrbem immunem servari iubemus: omnibus tamen opes auferendi, & captivos inde abducendi potestatem facimus.

* sc. Romam.

EDICTUM

An. 456.

De Constitutionibus Principum.

VOlumus, & necessitas vobis divina imperat, ut legem putetis, quicquid Maiestatis nostræ thronus profatur. Nam quicquid Principis sanctitas statuerit, hoc multitudini iustum esse debeat. Obedientia enim vita est, & mors inobedientia.

Leonis I. Imperatoris Augusti

*ENCYCLICA

Anno Chr. 457.

* al. Edictum Circulare.

De pace Ecclesiæ, & confirmatione Chalcedonensis Concilii.

IMperator Cæsar Leo piissimus, Victor, & Triumphator Maximus, semper Augustus, Anatolio Regiæ *d* Civitatis Episcopo. Votum quidem meæ pietatis fuit, universas Orthodoxorum sanctas Ecclesias, necnon & Civitates sub Romano Imperio constitutas, maxima frui quiete, nihilque contingere, quod possit earum statum tranquillitatemque turbare. Qualia vero in Alexandrinorum civitate nuper evenerint, iam quidem nosse tuam credimus Sanctitatem. Vt tamen perfectius cuncta cognoscas, quæ causa tanti tumultus confusionisque fuerit, exemplaria precum quas reverendissimi Episcopi & Clerici à prædicta civitate & Ægyptiaca diœcesi ad Regiam Constantinopolim venientes, contra Timotheum meæ clementiæ porrexerunt, necnon & exemplaria precum, quas hi, qui in sacratissimum nostrum expeditum pro Timotheo & ab Alexandrina civitate venientes, obtulerunt nostræ tranquillitati, tuæ Sanctitati direximus, quatenus quod actum est de prædicto Timotheo, quem Alexandrinorum populus, & Honorati, & Curiales, & naucleri, Episcopum sibi petunt, aliisque negotiis, quæ ipsarum precum continet textus: adhæc autem & de Chalcedonensi Concilio, cui nullo modo consentiunt, clare possit agnoscere. Tua siquidem reverentia omnes Orthodoxos Episcopos, qui in præsenti in hac urbe Regia commorantur, necnon & reverendissimos Clericos ad se repente faciat convenire, & diligenter omnia pertractantes atque discutientes, quoniam Alexandrinorum civitas perturbata est, pro cuius disciplina & quiete maxima solicitudo nobis existit, aut de prædicto Timotheo, aut de Chalcedonensi Concilio, quid in commune sapitis, sine quolibet humano terrore, & absque gratia cuiuscumque vel odio, solummodo omnipotentis Dei timorem vestris oculis proponentes (quoniam sicut nostris, de tali causa intemeratæ Divinitati rationem eritis sine dubio reddituri) cum omni celeritate meam facite cognoscere pietatem, ut ex omnibus vestris literis hæc integre cognoscentes, formam congruam dare possimus, quatenus Ægyptiaca diœcesis & Alexandrinorum civitas, pro cuius quiete nos præ omnibus convenit cogitare, tranquillitate sanctarum Ecclesiarum, & disciplina, & inconcussa pace potiatur.

d Constantinopoleos.

Hoc modo scriptum est & aliis Metropolitanis Episcopis.

Richi-

*al. Gothi, al. Rugii.

Richimeris *Suevi Imperatoris Augusti

RESCRIPTUM

Anno Chr. 472.

Pro pace publica, Ad Anthemium Imperatorem socerum suum.

DIvino consilio factum est, ut is Rempublicam teneat, qui per Catholicam fidem Deum omnis pietatis auctorem agnoscit, per quem bellicus furor pacis armis infringitur, & quod à fortitudine non potest, à concordia superatur. Sic Davidem illustriorem reddidit certa Clementiæ opinio, quam prompta animi ad vindicandum propensio, & optimi Reges supplicantibus indulgere divino oraculo sunt edocti. Nam divinum Imperium exprimit, qui dominatum suum pietate extollit. Hoc igitur iudicio, Anthemi parens ac Domine Auguste carissime, Epiphanium Episcopum ad te orandum misi, haud dubia spe fretus, te pacem Dei munus daturum esse, quam universos postulat Occidens. Erit enim egregius triumphus, si sine sanguine viceris. Quanquam nescio quæ species fortitudinis illustrior possit esse, quam iracundiam temperare, & fortissimi generi pudorem beneficiis onerare. Vehementius enim afficitur, qui postulata obtinet, quam hactenus pudivit, eum supplicavit. Dat. Ticini.

Olybrii Imperatoris Augusti

COMMONITORIUM

Anno Chr. 472.

De Eutychianorum cavendis erroribus, ad Eudoxiam Augustam socrum suam.

Hæc epistola scripta est ab eo nondum Imperatore, anno 455. * erat ei desponsata Placidia Eudoxiæ filia.

VT per totam vitam abstineas ab hac à ratione aliena contentione, oportet te præter tres sanctas & Oecumenicas Synodos, nempe Nicæam, quæ convenit adversus Arium: & Constantinopolitanam, quæ ipsa quoque congregata fuit adversus Macedonium: & Ephesinam priorem adversus Nestorium: accipere etiam Decretum, quod fuit editum ab ea, quæ nunc fuit congregata Chalcedone: & cum te separaveris à communione Dioscori, Iuvenali Hierosolymitano Archiepiscopo omnino communicare, & cum eo omnino consentire.

* *Cyrillus in vita S. Euthymii*: Valerii fratris & Olybrii a generi sæpe mittuntur litteræ ad Imperatricem Eudociam hac de causa, ut Eutychianistarum relicta communione, sequatur ea quæ decreta fuerunt ab Ecclesia Catholica.

Basilisci Imperatoris Augusti

ENCYCLICA

Anno Chr. 476.

De concordia Ecclesiæ, & actis Chalcedonensis Concilii abolendis.

Anno primo Odoacris Regis in Italiam missa.

IMPerator Cæsar Basiliscus, Pius, Victor, Triumphator, Maximus, semper Augustus, Timotheo reverendissimo & sanctissimo nobilis civitatis Alexandriæ Archiepiscopo salutem.

1. Leges pro defensione sinceræ & Apostolicæ fidei à sanctissimis Imperatoribus, qui nos sunt antegressi, quippe beatam & æternam vitæ parentem Trinitatem rite coluerunt, sancitas, utpote qui universo mundo semper salutares fuerint, nullo tempore antiquari, immo vero eas ut nostras ac proprias divulgari volumus. Nam & pietatem & singularem amorem erga Deum & Salvatorem nostrum IESVM, qui nos tum fabricavit, tum ad gloriam extulit, universo illi studio, quod in rebus humanis poni solet, præponimus: proque certo credimus, firmam Christi gregis in charitate colligationem cum saluti vobis ipsis, subiectisque omnibus, tum fundamentum quod nequit frangi, atque adeo murum qui expugnari non potest, nostro Imperio esse.

2. Itaque divinæ mentis impulsione commoti, concordem sanctæ Ecclesiæ consensum non sine causa velut primitias Imperii nostri Deo & Salvatori nostro Iesu Christo offerre animo instituentes, basim & firmamentum vitæ beatæ, quæ hominibus tribuitur, Symbolum nimirum trecentorum decem & octo sanctorum Patrum Nicææ olim Spiritus sancti instinctu in unum congregatorum, in quod quidem cum nos, tum maiores nostri omnes credentes baptizati sunt, decernimus, ut solum in omnibus sanctissimis Dei Ecclesiis à populo Orthodoxo servetur, custodiaturque: quippe in quo uno sincera

sincera fides vere & abunde satis tum ad errorem quemque tollendum, tum ad concordiam sanctarum Dei Ecclesiarum stabiliendam definita sit. Quinetiam Acta, quæ ad illius Symboli confirmationem edita sunt, satis revera ad eam rem habeut in se virium & firmitatis. Porro sanctum Symbolum à centū quinquaginta sanctis Patribus in urbe Constantinopoli contra eos, qui blasphemias contra Spiritum sanctum locuti sunt, compositum, ratum facimus. Itemque Acta Concilii Ephesini contra impium Nestorium, & eos qui post eadem cum illo sentiebant, edita confirmamus.

3. At ea, quæ consensum & ordinem sanctarum Dei Ecclesiarum & pacem totius terræ disturbant, nempe † Leonis de Fide Decisionem, & omnia quæ in * Concilio Chalcedonensi de fide definienda, de expositione Symboli, Interpretatione, doctrina, aut disceptatione ejusdem dicta actave, quo nova fides contra sanctum illud Symbolum à trecentis decem & octo Episcopis compositum, de quo diximus, introducatur: statuimus, decernimusque, ut tum hic, tum in singulis aliis passim Ecclesiis, à sanctissimis ubique Episcopis anathemati addicantur, ut ubicunque locorum forte reperta fuerint, igni tradantur comburenda, quandoquidem Imperatores piæ memoriæ, ac beatæ memoriæ Constantinus ac Theodosius Junior, qui ante nostram ætatem vixerant, eodem modo de omnibus Hæreticorum dogmatibus decrevere. Atque ita abrogata ex una solaque Catholica Apostolica & Orthodoxa Ecclesia prorsus ejiciantur: utpote quæ tum salutaria illa trecentorum decem & octo sanctorum Patrum, quæ perpetuo rata esse debent, tum ea quæ B. Patres Spiritus sancti impulsu in Concilio Ephesino sancivetunt, penitus tollunt.

† Imperatoris sc. quæ tamen non exstat.
* Eutychianus in quo fuit his Imperatoris cō sanctū hoc Concilium damnati quod, receptum tamē ab universali Ecclesia & confirmatum ab Imp in l. 7. §. 4. C. de sum. Trinit.

4. Denique ne cuiquam vel Sacerdotum vel Laicorum integrum sit divinissimam sancti Symboli legem violare, sed ut una cum omnibus novis sanctionibus in Concilio Chalcedonensi editis, etiam hæresis eorum, qui non confitentur Filium Dei unigenitum ex Spiritu sancto & sancta Maria semper Virgine & Deipara vere incarnatum, hominemque factum, sed carnem ejus aut de cœlo delapsam, aut visu quodam & specie figuratam monstrasse confingunt: & omnis omnino error, & si quid aliud aliquo tempore, aliquo modo locove in toto mundo novandarum rerum studio vel cogitatum vel verbis expressum ad divinum hoc Symbolum evertendum fuerit, funditus profligetur.

Nonne eodem pacto & hodie Naumburgensis Conventus Decisio, & Expositio Augustanæ Confessionis ab ipso ejus auctore facta rejiciuntur?

5. Et quoniam Imperatoris est, sedulo prospicere, ut subjectis non in præsentia solum, sed etiam in posterū secura tranquillaque vita provido ejus consilio suppeditetur: decernimus, ut sanctissimi ubique Episcopi his divinis nostris litteris generatim scriptis ad omnes, palamq; divulgatis *a* subscribant, quo declarent præcipue se in solo divino trecentorum decem & octo sanctorum Patrum Symbolo velle insistere: quod etiam centum & quinquaginta sancti Patres confirmarunt: idemque post ab Orthodoxis & sanctis Patribus, qui Ephesi urbis primariæ convenerunt, definite stabilitum: visumque solum illud trecentorum decem & octo Sanctorum Patrum Symbolum velut ratam fidei decisionem sequendum: anathemaque indicendo Actis Concilii Chalcedonensis, quæ populo Orthodoxo offensioni esse possunt, eaque Ecclesiis penitus ejiciant, utpote à quibus cum totus orbis terrarum conturbetur, tum nostra impediatur felicitas.

a Aut subscribe, aut abi: formula suū perpetua Tyrannicæ Concordiæ etiam nostris moribus non ignota.

6. Eos autem, qui post has nostras divinas litteras acceptas, quas (uti credimus) Dei nutu divulgari curavimus, quo concordia, quæ omnibus optabilis est, in sanctis Dei Ecclesiis stabiliatur aliquando, aggredientur vel proferre, vel nominare, sive disputando, seu dicendo, seu scriptis ullo tempore, modo, aut loco novam illam decisionem à Concilio Chalcedonensi contra fidem promulgatam: veluti tumultus & perturbationis sanctis Dei Ecclesiis, omnibus qui nostro parent Imperio, auctores Deo præterea & nostræ saluti adversarios, jubemus, idq; secundum *b* legem jam ante nostram ætatem ab Imperatore beatæ, & divinæ memoriæ Theodosio contra talem & tam perversam amentiam conditas, hisque nostris divinis litteris generatim ad omnes scriptis subjunctas: si Episcopi fuerint, aut Clerici, dignitatis suæ & ministerii gradu abdicari, sin Monachi aut Laici, exilio, omnium bonorum publicatione, & aliis gravissimis suppliciis mulctari.

b Quas habes in Concil. Chalced. act. 3. in favorem Eutychetis promulgatas.

7. Enimvero sancta consubstantialis procreatrixque omnium & vitæ parens Trinitas tali à nobis observantia honorata, jam non solum propter Zizania, quæ modo commemoravimus, per nos radicitus extirpata, sed etiam propter rectas & Apostolicas sancti Symboli traditiones à nobis stabilitas, propitia & clemens animis nostris, omnibusque nobis subjectis futura est, semper una nobiscum administratura Imperium, rebus denique humanis statum pacatum & quietum allatura. Dat. Constantinopoli.

Basilisci Imperatoris Augusti & Marci Cæsaris
EDICTUM

Anno Christi 476.

De Fide Catholica.

IMperatores ac Cæsares BASILISCUS & MARCUS Apostolicam & Orthodoxam fidem ab initio Ecclesiis conservatam, & ad nostrum usque continuatam Imperium, & nobis jam regnantibus custoditam & in perpetuum custodiendam, in qua baptizati sumus & credimus, solam integram firmamque retinendam, retentamque in omnibus Catholicis & Apostolicis Orthodoxorum Ecclesiis perpetuo continuandam decernimus, nullamque præterea quærendam esse.

Hoc edicto abrogatur superior Encyclica.

Quam ob causam litteras nobis imperantibus seu generatim ed omnes scriptas, seu alias, vel si quid præterea fidei & Ecclesiasticæ constitutionis gratia à nobis editum sit, mandamus irrita fieri abrogarique, atque tum Nestorio & Eutycheti, tum omnibus qui sunt ejusdem cum illis opinionis. tum denique hæresi anathema denunciari, & nec Concilium cogi, nec inquisitionem fieri, de fide, sed ea, quæ de ea decreta sunt, rata stabiliaque manere.

* Constantinopoleos.

2. Quin etiam provincias, quarum Episcoporum creatio penes sedem hujus * Regiæ & illustris civitatis est, reverendissimo & sanctissimo Patriarchæ & Episcopo Acacio restitui: atque Episcopos, qui illis etiam præsunt provinciis, proprias nihilominus sedes tenere, sic ut post istorum mortem nullum præjudicium contra ordinationis jus, quod ad sanctam sedem hujus Regiæ & eximiæ urbis pertinet, ex ea re fiat. Denique quod hoc divinum nostrum Decretum vim habeat divini Edicti, nemini dubium & obscurum esse volumus. Dat. Constantinopoli.

Anno Christi 480.
* ei nupta erat Eudocia Valentiniani Imp. filia.
† Olybrii Imp. relicta Eudociæ soror.
a Homousianæ, ita enim ab Arianis appellabatur Catholica religio.
b Arianæ, cui addictus erat Hunericus.

Hunerici * Wandali Imperatoris

EDICTUM

De Pace Religionis, & libero utriusque Religionis exercitio in toto Imperio.

IUssit vobis Dominus dici, quia Imperator ZENO & nobilissime † Placidia per Alexandrum virum illustrem, scripserunt, petentes ut Ecclesia Carthaginis religionis *a* vestræ proprium Episcopum habeat: hoc fieri præcepit, atque eis rescripsit, vel Legatis ab eis directis dici jussit, ut sicut petierunt, vobis Episcopum, quem volueritis, ordinetis: eo sub tenore, ut *b* nostræ religionis Episcopi, qui in Constantinopoli sunt & per alias provincias Orientis, ex ejus præcepto Episcopi liberum arbitrium habeant in Ecclesiis suis, quibus voluerint linguis populo tractare, ex legem Christianam colere, quemadmodum vos hic, vel in eliis Ecclesiis, quæ in provinciis Africanis constitutæ sunt, liberum arbitrium habetis in Ecclesiis vestris Missas agere, vel tractare, & quæ legis vestræ sunt, quemadmodum vultis, facere. Nam si hoc circa eos non fuerit observatum, tam Episcopus, qui ordinatus fuerit, vel Clerici. vel alii Episcopi cum Clericis suis, qui in Africanis provinciis sunt, jubentur inter Mauros mitti. Dat. XIV. Kalendarum Juliarum, Carthagine.

Anno Christi 482. Anno VII. Odoacris in Italiam missum.

Zenonis Imperatoris Augusti

ENOTICON

De pace & reconciliatione Ecclesiæ.

ZENO Imperator Cæsar, Pius, Victor, Triumphator, Maximus, semper Augustus, reverendissimis Alexandriæ, Ægypti, Libyæ & Pentapolis Episcopis, Clericis, Monachis, & Laicis salutem.

1. Quoniam pro certo scimus Imperium nostrum à sincera solum & vera fide tum initium habuisse, tum stabilitum esse, tum robur ac præsidium, quod expugnari, neque at, ex ea sumpsisse, quam quidem fidem divini numinis instinctu trecenti decem & octo sancti Patres Nicææ congregati exposuerunt, quam etiam confirmarunt centum & quinquaginta sancti Patres Constantinopoli coacti noctes diesq; non precibus solum, sed studio omni & legibus sanctis laboravimus, ut in ea in sancta Catholica & Apostolica Dei Ecclesia, quæ ubique terrarum est, quæque immortalis & sempiterna nostri Principatus quasi parens est, plene perfecteque expleatur: plusque Dei populus in pace & divina concordia perseverans, gratas acceptasque precationes una cum sanctissimis Episcopis & Clero pietati dicatissimo. Monasteriorum Præpositis & Monachis, Deo pro nostri Imperii conservatione offeret. Nam si præpotens Deus & Salvator noster Jesus Christus, qui ex sancta Virgine Maria Deipara carnem sumpsit, & natus est, & nostras consentientes laudes & cultum, quem ei tribuemus, approbet, lubensque, & quasi parato animo excipiat: non modo omnia adversariorum genera fracta debilitataque concident, verum etiam alii omnes mortales suam ipsorum cervicem jugo nostri Imperii, proxime, ac secundum Deum, sponte subjicient: & pax ejusque commoda, æquabilis aeris temperatio, fructuum cujusque generis abundantia, aliaque omnia, quæ sunt ad humanæ vitæ usum accommoda, affatim suppeditabuntur.

* Nonne eadem tempora, iidem mores hodie? Certe tum de Nicæno Symbolo agebatur, ut nunc de Confessione Augustana.

2. Jam igitur cum constet inter omnes, nos Imperiumque Romanum sinceræ fidei subsidio conservari afferuntur nobis libelli supplices à piis Monasteriorum Præfectis, Eremitis, & aliis reverendissimis viris, qui nos vehementer obtestantur, ut sanctissimis Ecclesiis restituatur concordia, membraq; membris conjungantur. quæ hostis probitatis Dæmonium longissimo temporis spatio dirimere pro virili laboravit, pro certo persuasus, si corpus Ecclesiæ concordiæ vinculis firmæ cohærens impugnaret, se superatum iri. Nam quia membra Ecclesiæ non coalescebant, factum est, ut infinitæ hominum multitudines, quas temporis longinquitas tot annorum curriculis ex hac vita exemerit, partim baptismatis lavacro carentes mortem obierint, partim divinæ communionis minime factæ participes, ex

corporis

corporis custodia, quod nemo homo vitare potest, emigrarint: quin etiam cædes fere infinitæ inde factæ, & non terræ modo, verum etiam aer copiosa sanguinis affusiona inquinatus. Quotusquisque ergo est, qui non optarit ista corrigi, erque statum reduci maliorem?

3. Quocirca dedimus operam, ut voe intelligatis, tum omnes ubique Ecclesias non aliud Symbolum, vel doctrinam, vel decisionem fidei, quam sanctum Symbolum, da quo diximus, trecantorum decam & octo Episcoporum, quod cantum quinquaginta Patres, quos supra commemoravimus, confirmarunt, aut habuisse, aut habiruros asse, aut scire alios habere. Quod si quisquam aliud habeat, aum alianum ab Ecclasia axistimamus. Nam hoc solo nostrum Imperium, uti docuimus, conserveri confidimus, idamque ipsum populi amplexati, salutari Spiritus sancti illustrantur lumine, sacroque baptismatis lavecro tinguntur: idem quoqua assensi sunt sancti Patras in Concilio Ephesino congragati, qui impium Nestorium & ajus erroris fautores ministerio Ecclasiast.co abdicarunt. Cui atiam una cum Eutychete (uterque enim fidei Decretis, quæ diximus, repugnat) anathama danunciamus, approbamusque ea, quæ duodacim Capita dicuntur Cyrilli piæ mamoriæ sanctæ & Catholicæ Ecclesiæ Alexandrinæ Archiepiscopi.

4. Nam confiremur, unigenitum Dai filium Dominum nostrum Jesum Christum vere incarnatum esse, consubstantialem Patri secundum divinitatem, secundum humanitatam nobis consubstantialem, dascendissa de cœlo, carnem suscepissa à Spiritu sencto & Maria virgina Deipara: unum essa, non duo. Unius enim essa dicimus & miracula quæ edidir, & passiones quas in carne sustinuit. Eos autem, qui eum dividunt, aur naturas ajus confundunt, aut carnam suscepisse imaginariam introducunt, omnino rejicimus. Quippa incarnatio sina labe peccati ax Deipara ravara facta, eccassionem alterius Filii non effecit. Nam manat Trinitas, etiam cum una Trinitatis persona, nempa Daus verbum, incarnata sit. Quapropter cum axploratum habeamus, cum omnas sanctas ubiqua & Orthodoxas Ecclasias, tum earum Præsides Deo carissimos, tum nostrum Imperium nullum elIud Symbolum, aliamva Fidei dacisionam, præter Symbolum, de quo sumus modo locuti, vel edmisissa, vel admittere valle, absque olla hæsitatione nos ed concordiam reducemus. Ista quidem certe vobis scripsimus, non ut novaremus fidam, sed ut vobis da fida penitus persuadaramus. Cuiqua aurem, quialiud quiddam val seusarit, vel santiat, seu jam, sau alias, seu in Concilio * Chalcedonansi, seu in alio quovis Concilio, anathema dicimus, maxime vero omnium Nestorio, Eutychesi, & illorum doctrinæ fautoribus.

5. Quocirca vos spirituali matri Ecclesiæ adjungite, atque secundum unam solamqua fidei decisionam trecantorum decem & octo sanctorum Patrum nobiscum una divine in aa communiona fruimini. Nam sacrosancta vastra mater Ecclesia tum vos ingenuos suos filios emplecti cupit, tum vestram diu optatam dulcemqoe vocem audire desiderer. Propere igitur vos ad eam racipita. Nam si hoc præstiteritis, non modo Domini Salvatoris & Dei nostri Jesu Christi benevolentiam vobis conciliabitis, verum etiam à nostra Celsitudine magnam laudem consequamini. Dat. Constantinopoli.

* Non quod damnaret Decreta hujus Concilii, sed quia id videbatur esse seminarium perpetuæ discordiæ in Ecclesia & politie, ad tempus sustulit, ut in libertate utræq; partes viverẽt, & fine coescientiæ scrupulo ad officie Ecclesiastice admitterentur. Unde vidamus, ejusmodi temporisationes non esse novas in Ecclesia, quum hanc Imperatori persuaserit Acacius Archipatriarcha Constantinopolitanus.

Odoacris Heruli Regis Romanorum.

Anno Christi 483.

EDICTUM

De Electione Romani Pontificis & non alienandis bonis Ecclesiæ Romanæ.

QUamquam studii nostri & religionis intersit, ut in Episcopatus electiona concordia principalitar servetur Ecclasiæ, ne per occasionem seditionis status civitatis vocetur in dubium: tamen admonitione beatissimi viri Papæ nostri Simplicii, quam ante oculos semper habere dabemus, hoc vobis meministis sub obtestatione fuisse mandatum, ut propter illum strepitum & venerabilis Ecclasiæ detrimentum, cum de hac luce transire contigerit non sine nostra * consultatione cujuslibet celebraretur electio.

2. Nam & cum quid confusionis atque dispandii venerabilis Ecclasia sustineret, miramur, prætermissis nobis, quicqoem fuissa tentatum, cum etiam Sacerdote nostro superstite, nihil sine nobis debuisset assumi. Quare si Amplitudini vestræ vel Sanctitati placet, incolumia omnia, quæ ad futuri Antistitis alectionem respiciunt, religiosa venerationa servemus, hanc legem specialiter præferentes, quam nobis hæredibusque nostris Christianæ mantis devotione sancimus.

3. Ne umquam prædium seu rusticum sau urbanum, vel ornamenta, aut ministeria Ecclesiarum quæ nunc sunt, val quæ ex quibuslibet titulis ad Ecclesiarum jura pervanerint, ab eo, qui nunc Antistes sub alectione communi fuerit ordinandus, & illis, qui futuris sæculis sequentur, quocunque titulo & commento aliauentur. Si quis vero aliquid eorum alienare voluerit, inefficax atque irritum judicetur, sitqua facienti, vel consentienti, accipientique anathema.

* Regis vicem in electione Pontificis gerebat Præfectus Prætorio, qualis tum erat Basilius, qui hoc edictum in Synodo Romana publicavit, ut testatur acta Concil. Rom. III. sub Symmach. PP. c. 12. Sub Gothis Regib. Præfectus Urbis Electioni intervenire solebat. Sub Græcis Imperatoribus Exarchus Ravennas: sub Francis Impp. Legatus Imperialis.

4. Et solebat

4. Et is, qui prædium rusticum vel urbanum juris Ecclesiastici fuerit consecutus, noverit, se nulla lege vel præscriptione munitum: sed sive is qui alienaverit, sive qui eum sequetur, voluntate contraria prædium hujusmodi alienatum revocare tentaverit, id cum fructibus restituat, qui illud fuerit consecutus. Quam etiam pœnam placuit accipientis hæredes prohæredesque respicere. In qua re cuilibet Clericorum contradicendi libera sit facultas. Iniquum est enim & sacrilegii instar, ut quæ pro salute vel pro requie animarum suarum unusquisque venerabili Ecclesiæ pauperum causa contulerit, aut certe reliquerit, ab his quos hoc maxime servare convenerat, *a* in aliquem transferantur.
a in alienationem et. Plane quæcumque in gemmis, vel auro, vel argento, necnon & vestibus minus apta usibus vel ornatui videbuntur Ecclesiæ, quæ servari ac diu manere non possunt, sub justa æstimatione vendantur, & ergoationi religiosæ proficiant. Dat. Romæ.

Anno Christi 484.

Hunerici Wandali Imperatoris

EDICTUM

Contra Homousianos sive Catholicos.

Ariani Principis Edictum. REx HUNERICUS Wandalorum & Alanorum universis populis Regno nostro subjectis. Triumphalis majestatis & Regiæ probatur esse virtutis, mala in auctores consilia retorquere. Quisquis enim aliquid pravitatis invenerit, sibi imputet, quod incurrit. In qua re nutum divini judicii clementia nostra secuta est, quod quibusque personis, prout eorum facta meruerit, seu bona, seu forte talibus contraria, dum facit expendi, simul etiam provenit compensari. Itaque his
b Genserici, Principis similiter Ariani. provocantibus, qui præceptionem inclytæ recordationis *b* patris nostri, vel mansuetudinis nostræ, crediderint esse temnendam, censuram severitatis assumimus. Auctoritatibus enim cunctis populis fecimus innotesci, ut in sortibus Wandalorum nullos conventus Homousiani Sacerdotes assumerent, nec aliquid mysteriorum, quæ magis polluunt, sibimet vendicarent. Quod cum videremus esse neglectum, & plurimos esse repertos, dicentes, se integram regulam fidei tenere, postmodum universos constat fuisse commonitos, spatio temporis prorogato mensium . . . , novæque contentionis, si quid ab eorum proposito posset optari, ut ad Kalendas Februarias anni octavi Regni nostri sine metu aliquo convenirent.

2. Qui dum hue ad Carthaginensem confluerent civitatem, post moram temporis præstituti, aliam quoque dilationem aliquantorum dierum dedisse cognoscimur. Et dum se conflictui paratos abstruerent, primo die à venerabilibus Episcopis nostris eis videtur esse propositum, ut Homousion, sicut admoniti erant, ex divinis Scripturis proprie approbarent, aut certe quod à mille & qui id excurrunt Pontificibus de toto Orbe in Ariminensi Concilio, vel apud Seleuciam amputatum est, prædamnarent. Quod nequaquam facere voluerunt, universa ad seditionem per se concitati populi revocantes. Quin immo & secunda die, dum eis mandaremus, ut de eadem fide, sicuti propositum fuerat, responderent, hoc evidenter assumpsere temeritate transacta, ut seditione & clamoribus omnia perturbantes, ad conflictum facerent minime perveniri.

c nos. *d* pertenere. 3. Quibus *c* hoc provocantes statuimus, ut eorum Ecclesiæ clauderentur, hae illis conditione præscripta, ut tamdiu essent clausæ, quamdiu mallent propositum *d* pervenire, quod ea obstinatione facere noluerunt, quam pravis videntur assumpsisse consiliis. Adeo in hos est necessarium ac justissimũ retorquere, quod ipsarum legum continentia demonstratur, quas inductis secum in errorem Imperatoribus diversis, tunc contigit promulgari: quarum illud videtur tenere conceptio: ut nulla super exceptis institutionis suæ Antistitibus Ecclesia patuisset, nulli liceret alios aut convictus agere, aut exercere conventus, nec Ecclesias aut in urbibus, aut in quibusdam parvissimis locis penitus obtinere, neque construere: sed præsumpta Fisci juribus juperentur; sed etiam & eorum patrimonia Ecclesiæ suæ fidei sociata suis Antistitibus provenissent: nec commemorare quæcumque loca talibus licentia patuisset, sed extorres omnibus urbibus redderentur & locis, nec baptismatis omnino haberent aliquam facultatem, aut forte de religione disputarent, & nullam ordinandi haberent licentiam sive Episcopos, sive Presbyteros, vel alios quos ad Clerum pertinere contingeret, proposita severitate vindictæ: ut tam hi, qui se paterentur hujusmodi honores accipere, quam etiam ipsi ordinatores denis libris auri singuli mulctarentur, eo adjecto, ut nullus eis locus esset vel aditus supplicandi, sed etiam
e proprio. si quæ specialia meruissent, minime prævalerent: & si hae pernicie perdurarent, & de *e* populo ablati, in exilium sub persecutione idonea mitterentur.

4. In populos quoque præfati Imperatores similiter sævientes, quod eis nec donandi libertas, nec testandi, aut capiendi, vel ab aliis derelictum, penitus subjaceret, non fideicommissis nomine, non legati, non donationis, aut relictionis, quæ mortis causa appellatur, vel quolibet codicillo, aliisve forsitan scripturis: ita ut etiam qui suis palatiis militarent, condemnationi gravissimæ pro dignitatis merito facerent subjectos, ut omni honoris privilegio spoliati, infamiam incurrerent, & publico criminis hujusmodi personæ se cognoscerent esse subjectos: Officialibus etiam judicum diversorum triginta argenti pondo pœna proposita: quam si quinque vicibus in errore perdurantibus contigisset inferre tum demum tales convicti atque subjugati verberibus in exilium mitterentur.

5. Deinde

5. Deinde codices universos Sacerdotum, qoos persequebantur, præceperunt ignibus tradi. Quod de libris hujusmodi, qoibus si bi nominis illius errorem persuesit iniquitas, præcipimus faciendum. Hæc enim, ut dictum est, pro singulis quibusque personis illi observenda præceperent, ut Illustres singillatim euri pondo quinquaginta darent, Spectabiles auri pondo quedragene, Senatores auri pondo tricena, Populares auri pondo vicena, Secerdotales euri pondo tricena, Decuriones auri pondo quina, Negotiatores auri pondo quina Plebeii auri pondo quina, Circumcelliones auti pondo dena. Et si qui forte in hac pernicie permanerent, confiscatis omnibus rebus suis, exilio mulctarentur Ordines autem eivitarum, sed & Procuratores & conductores possessionum tali pœna videbantur affligere, ut si fotre tales celare detegerentur, & minime publicassent, & rerentos judicio non facerent præsentari ipsi tenerentur ad pœnam. Conductoribus etiam Regalium prædiorum hac mulcta proposita, ut quantum domui Regiæ iofertent, tantum etiam Fisco pœnæ nomine eogerentur exsolvere. Id generalirer in omnibus Conductoribus vel possessoribus, qui in eadem superstinone crediderint perdurandum, constituerunt observeri. Judicibus etiam, qui buic rei instantissime non imminebant, pœna proscriptionis & sanguinis supplicium poneretur; sed & de Primatibus Officiorum tres oumero puniretur, aliis viginti librarum euri condemnatione mulctandis.

6. Quare his oecesse est constitotionibus obligari Homousianos omnes, quos hujusmodi malæ persuasionis constat tenuisse & renere materiem: quos ab omnibus supradictis abstinere decrevimus in prosecutione venturis per Ordines cunctarum urbium: sed etiam Judices, qui superioribus neglectis * dicta supplicia diversis non intulisse monstrantur, omnes supradictæ fidei Homousionei-* dira. roribus implicatos, quæ cuncto prædamnata est Concilio tantorum numero Sacerdotum, universie rebus prædictis & cootractibus præcipimus abstinere, quod oihil sibi ooverint esse permissum. Sed universos similis pœna maneat & edstringat, si ed veram religionem, quam veneramur & colimus, iotra diem Kalendarum Juniarum anni octevi Regni oostri conversi non fuetint. Ad diem autem præstitutum eadem pietas oostra constituit, ut prædamnatis errorum indulgentia non negetur, & obstinetos animos supplicie digna eoerceant. Qui autem in eodem etrote permanserint, seu domus nostræ occupati militia, seu forsitan diversis titulis necessitatibusque præpositi, pro gradibus suis dictarum superius mulctatum illationes eogeotur excipere, nihil valituris, quæ forisao per subreptionem quemquam talium contigit promereri. In privatos etiam, vel cujus cumque gradus & loci personas, hoc nostra promulgatio præcepit observaodum, quod circa tales supradictis legibus videbatur expressum, ut pœnæ congruæ subderentur. Judices autem provinciarum, quod statutum est, negligentes exequi, superiori pœna, quæ talibus est præscripta, constituimus obligandos.

7. Veris eutem Majestatis divinæ cultoribus, id est, Sacerdotibus nostris, Ecclesias universas vel totius Cleri nominis supradicti quibuscumque terris & regionibus constitutas, quæ, propitie Divinitate, Imperii nostri regimine possidentur, una cum rebus, quæ ad easdem pertinent, hoc Decreto statuimus debere proficere: non dubitantes plus alimoniæ inopum proficere, quod sacrosanctis Pontificibus nostris collatum est.

8. Hanc igitur legem è fonte justitiæ prodeuntem, eunctis præcepimus innotescere, quatenus nullus sibi ignotum esse, quod præceptum est, possit obtendere. Optamus vos bene valete. Data sub die sexto Kalendas Martii, Carthagine.

Theodorici Gothi Regis Romanorum EDICTUM

Anno Christi 494.

De Romanæ Libertatis Jure non concedendo rebellibus.

Enodius Ticinensis Episcopus in Vita S. Epiphanii Episcopi.

INterea subita animum præstantissimi Regis THEODORICI deliberatio occupavit, ut illis tantum Romanæ libertatis jus tribueret, quos partibus ipsios fides examinata junxisset. Illos vero quos aliqua necessitas diviserat, ab omni jussit & testandi, & ordinationum suarum ac volontatum licentia submoveri.

Theodo-

CONSTITUTIONES

Theodorici Regis Romanorum

RESCRIPTUM

Anno Chr. 494.

De generali Indulgentia rebellibus Imperii præstanda.

Theodoricus Rex Ephiphanio Ticinensi Episcopo.

QVamvis te, Venerabilis Episcope, pro meritorum luce suspiciam, & multa apud me confusionis tempore reposuisses beneficia, quibus frui te convenit, tranquillitate revocata: regnandi tamen necessitas, qua concludimur, misericordiæ, quam suades, non ubiq; pandit accessum. Et inter res duas nascentis Imperii, pietatis dulcedinem censuræ pellit utilitas. Exemplorum cœlestium testimonio as-
*Saulem, 1. Reg 15. sertio mea nititur. Offendisse legimus * Principem, qui cœlitus destinatum nec inimicum subduxit exitio. Pœnam metuit levitas, quam potuit intulisse districtio. Ultionem suscepit, qui detrectat inferre. Locum divini judicii, aut attenuat, aut contemnit, quod hosti suo, cum potitur, indulget. Justitia coercendi sunt, quos constat gratiam non secutos. Vitia transmittit ad posteros, qui præsentibus culpis ignoscit. Nam quod de Redemptoris nostri patientia loqueris, illos verè amplectitur lac gratiæ, quos auctoritas legis informat. Nunquam à medico ad plenissimam curationem æger adductus est, nisi ab illo, qui primum putrida ferro membra desecuit, & latentem saniem penitus è sinu viscerum produxit in lucem. Qui criminosos patitur impune transire, ad crimina hortatur insontes. Tamen quia precibus vestris, quibus superna assentiuntur, obsistere terrena non possunt, omnibus generaliter errorem dimittimus: nullius caput noxa prosternet: quoniam potestis apud Deum nostrum agere, ut sceleratæ mentes à propositi sui perversitate discedant. Paucos tamen, quos malorum incentores fuisse cognovi, locorum suorum tantummodo habitatione privabo, ne forte exurgens necessitas vicinos inveniat nutritores, & malorum adiuta successibus bella consurgant. Dat. Ravennæ, &c.

Ennodius in vita Epiphanii subjicit.

Urbicus Comes Palatinus superiorem legem de banno & proscriptione rebelliũ jussu Regis abrogat.

HIs præcellentissimus Rex scriptis, virum Illustrissimum Urbicum acciri jubet, qui universa Palatii ejus onera sustentans, Ciceronem eloquentia, Catonem æquitate præcesserat, cui præcepit, ut generalis indulgentiæ Pragmaticum promulgaret. Quod ille ad omnem benignitatem paratissimus illico tanta brevitate & luce contexuit, ut & illa culparum genera cognoscerentur abolita, quæ putabantur fuisse reservata.

Theodorici Regis Romanorum

DECRETUM

Anno Christi 495.

In Apostatam.

QUia à fide descivisti, caput tibi resecetur. Si enim Deo fidem sinceram non servasti, quomodo mihi, qui homo sum, conscientiam sanam præstabis?

Hoc Decretum referunt Nicephorus Ecclesiast. hist. lib. 16. c. 35. Theodorus Lector Collectaneor. lib. 2. Zonaras & Cedrenus in Histor.

Theodorici Regis Romanorum

DECRETUM

Anno Christi 498.

De electione Romani Pontificis, & confirmatione ab Imperatore petenda.

Anastasius Bibliothecarius de Vitis Pontific.

FActa contentione (*in schismate Laurentii & Symmachi*) hoc construxerunt partes, ut ambo Ravenn. pergerent ad judicium Regis Theodorici. Qui dum ambo introissent Ravennam, hoc judicium æquitatis invenerunt, ut qui primo ordinatus fuisset, vel ubi pars maxima cognosceretur, ipse sederet in Sede Apostolica, quod tandem æquitas in Symmacho invenit & cognitio veritatis, & factus est Præsul Symmachus.

Sigebertus Gemblacensis in Chronic. Anno 493.

SYmmachus Romanæ Ecclesiæ præsidet: Ordinatio contra eum per contentionem Laurentio. Quæ res grave dissidium Ecclesiæ diu usque ad ipsa protraxit homicidia: donec tandem hanc altercationem compressit Theodorici Regis, quamvis Ariani, potentia, hoc æquitatis judicio obtinente, ut Symmachus Papa esset, quia prior ordinatus fuerat, eique pars maxima faveret.

Theodorus Lector Collectan. lib. 2.

THeodoricus Romæ tunc temporis potens licet Arianus esset, collecta Episcoporum Synodo Symmacho Romanum Pontificatum confirmavit: Laurentio vero unius civitatis nomine Nuceriæ Episcopum constituit.

Theodo-

Theodorici Regis Romani
CONSTITUTIO
DE ELECTIONE ET ORDINATIONE ROMANI PONTIFICIS.

AnnoChr. 499.

Publicata in Synodo Romana prima sub Symmacho Papa, Anno Domini CCCCXCIX.

PRopter frequentes ambitus quorundam, & Ecclesiæ nuditatem, vel populi collisionem, quæ molesta & iniqua incompetenter Episcopatum desiderantium generavit aviditas, ut extinguatur futuris præsumtio tam perniciosa temporibus, constituit *sancta Synodus, ut si quis Presbyter, aut Diaconus, aut Clericus, Papa incolumi, & eo inconsulto, aut subscriptionem pro Romano Pontificatu comodare, aut pittacia promittere, aut sacramentum præbere tentaverit, aut aliquod certe suffragium polliceri, vel hac de causa privatis conventiculis factis deliberare atque decernere, loci sui dignitate atque communione privetur.

2. Pari severitate feriendo eum, qui hoc, vivo (sicut dictum est) Pontifice, quolibet modo fuerit ambisse convictus, aut certe tentasse: omnibus pariter huius culpæ reis anathematis pœna plectendis.

3. Si (quod absit) transitus Papæ inopinatus evenerit, ut de sui electione successoris (ut supra placuit) non possit ante decernere; si quidem in unum totius inclinaverit Ecclesiastici ordinis electio, consecretur electus Episcopus. Si autem (ut fieri solet) studia cœperint esse, diversa eorum, de quibus certamen emerserit, vincat sententia plurimorum; sic tamen, ut Sacerdotio careat, qui captus promissione non recto iudicio de religione decreverit.

4. Propter occultas autem fraudes & coniurationum secretas insidias, quas huius sententias districtionis consequitur; si quis ad Ecclesiasticam pertulerit notitiam consilia eorum, qui contra hanc Synodum de Pontificali egerint ambitu, & rationali probatione convicerit; particeps actionis huiusmodi non solum purgatus ab omni culpa sit, sed etiam remuneratione, quæ non indigna sit, sublevetur.

*Theodorico adscribit Theodorus Lector Collectaneor. lib. 2 quê sane cōstitutionem ea de re edidisse cōstat ex Athalatici constit. 10. p 95 huius Tomi nostri. Forte Præfectus Vrbis, qui Regis nomine Synodo præsidebat, eā recitari iussit & Actis inseri.

Theodorici Regis Rom.
RESCRIPTUM,

Quod Romanus Pontifex supra se Iudicem habet Imperatorem.

AnnoChr. 500.

Theodoricus Rex Clero & populo Romano.

IVstum est, ut facti sui lege teneri debeat Romanus Pontifex obligatus, ut qui Visitatores ad cognoscenda aliorum Episcoporum delicta mittit, ipse etiam Visitatorem & cognitorem suorum criminum à nobis accipere & subire debeat.

Ennodius lib. pro Symmac. tom. 1. Concil.

Theodorici Regis Rom.

Decreta Palmaris Synodi Romanæ, in causa Symmachi Papæ.

AnnoChr. 502.

SAncta Synodus apud urbem Romam ex præcepto gloriosissimi Regis THEODORICI diversis e regionibus congregata in Christi nomine dixit.

1. Cum ex diversis provinciis ad Vrbem convenire Sacerdotes Regia præcepisset auctoritas, ut de his, quæ venerabili Papæ Symmacho Sedis Apostolicæ Præsuli ab adversariis ipsius dicebantur impingi, sanctum concilium iudicaret: Liguriæ, Aemiliæ, vel Venetiarum Episcopis, quos ad præsentiam Principis ipse itineris ductus attraxit, *a* consulendi Regem incubuit necessitas, quare hos voluisset ætate fractos, debilitate corporis invalidos congregari? Respondit præfatus Rex pissimus, bonæ conversationis affectu plura ad se de Papæ Symmachi actibus horrenda fuisse perlata, & in Synodo oportere, si vera essent inimicorum eius obiectiones, iudicatione constare.

2. Memorati Pontifices, quibus allegandi imminebat occasio, suggesserunt, ipsum qui dicebatur impetitus, debuisse Synodum convocare, scientes quia eius Sedis primum Petri Apostoli est meritum vel principatus: *b* deinde secuta iussione Domini Conciliorum convocandorum auctoritas ei singularem in Ecclesiis tradidit potestatem: nec antedictæ Sedis Antistitem minorum subiacuisse iudicio, in propositione simili facile forma aliqua testaretur. Sed potentissimus Princeps ipsum quoque Papam in colligenda Synodo voluntatem suam literis demonstrasse, significavit. A mansuetudine eius paginæ postulatæ sunt, quas ab ea directas constabat: basque dari Sacerdotibus sine tarditate constituit, & quicquid in eodem negotio actum, scriptis Romam ex diversis terrarum vel regionum partibus Dei prosecutione præventum est.

a apud Cresconium: Consuluimus Regē, qua causa nos voluisset debilitate corporis &c.
b proinde secuta.

3. Et dum in venerabili collectione sermo de incipiendo haberetur negotio, prout suscipiebat causæ tractatu; sanctus Papa Symmachus basilicam Iulii, in qua Pontificum erat congregatio, prout habuit cura, celeriter ingressus est. & de vocatione Synodali clementissimo Regi gratias retulit, & rem *a* desiderii sui evenisse testatus est. Causa ergo de Sacerdotum animis, quæ de Concilio nondum firmato tristitiam ministrabat, abscissa est. auctoritatem ordinis colligendi, sicut poscebant Ecclesiastica statuta, in omnium, qui ibi aderant, Episcoporum præsentia, *b* se date professus est, sperans, ut * Visitator, qui contra religionem vel contra regulas maiorum à parte Cleri vel ab aliquibus Laicis fuerat postulatus ex ordinatione Antistitum prima fronte cederet, & omnia quæ per suggestiones inimicorum suorum amiserat, potestati eius legaliter ab honorabili Concilio redderentur, & tanti loci Præsul regulariter prius statui pristino redderetur, & tunc veniret ad causam, & si ita recte videretur, accusantium propositionibus responderet.

a ex desiderio suo.
b à se datâ.
* is fuit Petrus Episcopus Altinensis à Rege missus.

4. Digna res visa est maximo Sacerdotum numero, quæ & meretur effectum. Decernere tamen aliquid Synodus sine Regia notitia non præsumpsit. Sed suggestio *c* iusta per Legatorum negligentiam non meruit secundum vota responsum. Iussus est Regis præceptionibus Papa Symmachus ante patrimonii vel Ecclesiarum, quas amiserat, receptionem cum impugnatoribus suis in disceptatione confligere, qui potestatis suæ privilegia æque pro conscientiæ, quantum iustè æstimamus, emendatione submiserat, nec hac voluit vice resumere.

c ista.

5. Sed dum esset Synodus in Hierusalem basilica Sessoriani Palatii constituta, aliquibus Sacerdotibus visum est, ut libellus, quem accusatores paraverant, qui quotidie seditionibus *d* intendebant, susciperetur à Synodo. In quo suscepto libello duo erant, quæ vel veritati inimica essent, vel ipsi (quantum ostenditur) Conventui, vel Ecclesiastico proposito repugnarent. Vnum, quia dicebant, crimina memorati superius Symmachi Papæ apud Regiam constitisse notitiam; quod falsum esse *e* perclaruit. Non enim quasi novam causam audientiæ commisisset, si eius conscientiam, convictam de errore solam ferret expectare sententiam. Aliud, quod per servos de his, quæ obiiciebant, se eum loquebantur posse convincere: addentes, ut ipse mancipia traderet, quibus (quantum illi asserebant) posset in iudicatione superari. Quæ res canonibus & ipsis publicis erat legibus inimica; cum Patrum statuta sanxissent, ut quos ad accusationem leges sæculi non admittunt, iis dicendi in cognitione, vel accusandi aliquid deleganda non esse licentia.

d appellabant.
e declaravit.

6. Et dum inter ista, quæ essent facienda, tractabantur, præfatus Papa, ut causam diceret, occurrebat. Qui veniens, ab irruentibus turbis æmulorum suorum ita tractatus est, ut multis Presbyteris, qui eum ipso ierant, per cædem ipsam mortis fuisset occasio, (quod probant recentium adhuc vestigia vulnerum) nisi vir illustris Comes Aligernus & Sublimes viri Gudila & Vedeulphus Maiores Domus Regiæ prospexissent, quos secum, unde egressus fuerat, (*sc. Papa*) ad beati Petri Apostolici septa *f* cõvexit.

f conducunt.

7. His ita actis, & varia confusione turbatis, iterum nos ad iustitiam contulimus Principalem: scientes, Divinitate propitia, Regem Dominum, quem ad Italiæ gubernacula ipse præviderat, eius mansuetudini omnia per relationis seriem, sicut res poscebat, ingessimus: intimantes etiam, sæpe nominatum Papam post cædem, cui subiacuerat cum suis, si voluntatem rursus haberet exeundi ad iudicium, fuisse commonitum, sed allegasse eum per directos Episcopos, nominatis canonibus se cessisse, affectu purgationis suæ culmen humilians, qui tantis periculis pene fuisset oppressus: Dominum Regem habere quod vellet ius faciendi, sed interim iustitiæ tenentes statutis canonibus non posse compelli.

8. Ad hæc Serenissimus Rex, Deo adspirante, respondit; in Synodali esse arbitrio in tanto negotio sequenda præscribere, nec aliquid ad se præter reverentiam de Ecclesiasticis negotiis pertinere: committens etiam potestati Pontificum, ut sive propositum vellent audire negotium, sive nollent, quod magis putarent utile, deliberarent, dummodo venerandi provisione Concilii pax in civitate Romana Christianis omnibus redderetur.

9. Quæ cum ista offerrentur, Dei mandata *g* complentes, Italiæ suum dedimus Rectorem, agnoscentes nullum alium laborem nobis remansisse, nisi ut dissidentes eum humilitate Præpositi nostri ad concordiam hortaremur. Quia unum tantæ rei restabat, unde Deo placeremus, scilicet ut *h* sancti Principis voluntate invitaremus Senatum Amplissimum, quali oportuit Legatione destinata monentes & instruentes, causas Dei ipsius iudicio committendas, qui valet corpus occidere, & animam mittere in gehennam: qui dicit, *mihi vindictam, & ego retribuam:* apud quem conscientia nuda est: cui non absconduntur occulta. Cogitare prudentes viros oportere, quanta inconvenienter in huius negotii principio contigissent, & eos per hanc, quam ipsi vocant, remissionem peccatis non aperire, sed claudere: qui, quod dicebatur, maiori Iudici servamus, instruentes eos, quia per quos illis Christus innotuit, non esse ovium lupi insidias prævidere, sed pastoris; maximè quia in causa præfata multos, qui se dedignabantur agnoscere & Deo satisfacere, error involverat. Et quia non *i* oportebat plura sub hac occasione membra dispergi, sed magis per mansuetudinem sustineri, sicut boni nos operis Paulus magister instruxerat, dicens sanandos esse plurimos per patientiam & doctrinam.

g complétur Italiæ suæ dare rectorem.
h tanti.
i poterant.
2. Timoth 4.

10. Sed quicumq; putantur rei & gravibus peccatis involuti, (quando nullus est qui delicto careat, sicut Ioannes testatur Apostolus: *Si dicam quia peccatum non habeo, mendax sum.*) hoc tamen magis pressuris hominum funestari & perterreri, hasq; passiones iudicio divino suspendi: maxime cum illa, quæ præmisimus, inter alia de auctoritate Sedis obstarent. Quia quod *k* possessor eius quondam beatus Petrus meruit, in nobilitatem *l* possessionis accessit, & claritatem veterum nobis dat de Christi dote rectorib. clamantib. scriptum esse per Prophetam in persona Dei; *Numquid non valet manus mea ad consumen-*

1. Ioan. 1.
k prædecessor
l possessoris successoris.
Isa. 50.

consumendos eos qui erraverunt? Hæc autem sæpissime, sicut oportuit, commonentes, ut ab ista intentione discederent, & factum nostrum, quod Deus adspiraverat, iuxta mandatum Principis non discuterent, sed sequerentur, sicut decebat Ecclesiæ filios; nec sub hac intermissione contenderent, & crescerent Ecclesiæ detrimenta: quæ res poscebat cum festinatione succurri; & nobis huius celeritatis & illis obedientiæ necessitas imminebat: maxime cum omnem pene plebem cernamus eius communioni indissociabiliter adhæsisse, cuius vos non modica cura stimulabat, ne in aliquo laberetur errore.

11. Quibus allegatis, cum Dei nostri obtestatione decernimus, harum necessitatum, vel religionum consideratione adstricti, & cœlesti inspiratione perpensis omnibus, quæ in causa erant decretis, ut Symmachus Papa Sedis Apostolicæ Præsul ab huiusmodi propositionibus impetitus, quantum ad homines respicit, quia a totum causis obsistentibus superius designatis constat arbitrio divino fuisse dimissum) sit immunis & liber, & Christianæ plebi, sine aliqua de obiectis oblatione, in omnibus Ecclesiis suis ad ius Sedis suæ pertinentibus tradat divina mysteria: quia eum ob impugnatorum suorum impetitionem, propter superius designatas causas, obligari non potuisse cognovimus. a tot.

12. Vnde secundum Principalia præcepta, quæ nostræ hoc tribuunt potestati, ei quicquid Ecclesiastici intra sacram urbem Romam vel foris iuris est, reformamus: totamque causam Dei iudicio reservantes, universos hortamur, ut sacram communionem, sicut res postulat, ab eo percipiant, & Dei & animarum suarum meminerint: quia ipse & amator pacis est, & ipse pax est, qui monet; *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis.* Et in quacumque civitate pacem esse confirmandam affirmans, beatos dicit esse pacificos. Ioan. 14. Matth. 1c

13. Hæc quicumque ex instructione nostra, quod non existimamus, vel non admittit, vel retractari posse crediderit; sciat, quia in divino iudicio contemptus sui rationem est, sicut de Deo confidimus, redditurus. De Clericis memorati Papæ, qui ab Episcopo suo ante tempus aliquod contra regulas discesserunt, & schisma fecerunt, hoc fieri decrevimus, ut eos satisfacientes Episcopo suo misericordia subsequatur, & officiis Ecclesiasticis se gaudeant restitui: quia Dominus & Redemptor noster oves perditas ab errore lætatur inventas; & super profugum filium paternam libertatem cælestis mediator accommodat. Quisquis vero Clericorum post hanc formam à nobis prolatam quocumque sacrato Deo loco in Ecclesia Romana Missas celebrare præsumpserit præter conscientiam Papæ Symmachi, dum vivit, statutis Canonicis velut schismaticus percellatur. Ista sufficiat nunc cum Dei notitia nos sincere protulisse. Anno Chr. 503

Anastasii Imperatoris Augusti

RESCRIPTUM

DE INVALIDA ARROGANTIS ROMANI PONTIFICIS in Imperatorem excommunicatione.

Hoc Rescriptum (quod merito dolemus) Pontificiorum dolo interiit. Quod tamen cuiusmodi fuerit, & qua in bruta excommunicationis Pontificia sententiam argumenta protulerit, satis liquet ex adversaria Symmachi Papæ Apologia, quam, quia totius, Imperialis Rescripti summam breviter (malitiose licet & criminose) recitat, iuvabit adscripsisse.

Imperator propter constitutā Pacem religionis inter Catholicos & Eutychianos excommunicatus fuit à Papa. Eam excommunicationem ut in competentem, illegitimā & iniustā publico edicto excepit Imperator. Ad id hæc apologia replicat Papa, qui primus Pontificū ausus est contra ius divinum & humanū legitimæ Potestati resistere, & occasione ex divisio Imperio arrepta Monarchiam invadere.

AD Augustæ Maiestatis, Gratiani Imperatoris Epistolam, octo libris beatus respondit Ambrosius, quia pro fide Catholica & illum non piguit prolixius prædicare, & hic non fastidivit granter accipere. Hæc dixerim, ut si modum libelli promendo collegerim, ne existimer, quæ non oportuit, locutus. Si mihi, Imperator, apud exteros Reges, eosq; totius Divinitatis ignaros, pro fide Catholica dicendum foret, quicquid eius veritati rationique congrueret, etiam prætenta morte perorarem. Væ mihi erit, si non evangelizavero; meliusque est iacturam vitæ præsentis incidere, quam sempiterna damnatione puniri. Verum tu, si Romanus Imperator es, etiam gentium barbararum Legationes debes clementer admittere. Si Christianus Princeps es, qualiscumque Præsulis Apostolici debes vocem patienter audire.

Contumelias tuas, Imperator, quas sub divino iudicio ipse perpendis, utrumne in me religiosa mente profuderis, fateor vel mei causa vel tui dissimulare me non posse. Mei causa, promissionem Domini recolendo, dicentis: *Quum vos persecuti fuerint, & dixerint omne malum adversum vos propter iustitiam, gaudete.* Tui autem, quia nollem sic meam gloriam provenire, ut te possit non mediocriter onerare. Et ego quidem Dominicis & Apostolicis eruditionibus institutus, benedictionem studeo tuis, Imperator, referre maledictis, contumeliis honorificentiam reddere, & odiis redhibere caritatem. Sed vide, quæso, ne ab eo, qui ait: *Mihi vindictam, & ego tribuam*, quantum à me remittitur, tantum à te cumulatius exigatur. Quid enim Christus dicat de his, qui vel minimum in eum credentem scandalizaverint, Evangelium referat, non mea voce promatur.

Sed fortasse dicis, Imperator, potius te esse minimum, qui credas in Christo, & de te hoc rectius accipi, & me esse scandalizantem tuam fidem; Christus itaque Deus veraciter totus, & totus homo est

 sic con-

Papa Imperatoris fidem scandalizat.

sic conceptus, sic editus, sic conversatus in sæculo, sic passus, sic apud inferos, sic resuscitatus, sic cum discipulis apparens, sic elevatus in cœlum, sic exinde dictus est esse venturus, sic hodieque in cœli regione persistit, dicente Apostolo; *In quo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter*; & certe de eo dicit, quod nunc est ipse. Ergo ille est minimus, qui sic credit in Christum; sed huiusmodi in Christum credit, qui in integrum Christum credit, non in semi-Christum, & ideo non in Christum, quia Christus nō nisi integer: integer autē nō nisi huiusmodi. De tali ergo in se credēre dicit; ipse etenim minimus eius & parvus est, pro quo scandalizato quid promiserit, ipsius (ut dictum est) verbis melius ostenditur.

a Eutychianis sc.

Fortasse dicas, Imperator; Sed ego quoque talem Christum credo, & ideo inter eius minimos iure commemoror. Hoc gravius, si & talem credis, & talem non *a* credentibus communione misceris. Hæc enim, inquit Apostolus, *non solum qui faciunt, sed etiam qui consentiunt facientibus.* An communicare non est sentire cum talibus? Proinde aut doce, alienos non esse, aut longe gravius, ut dictum est, contra notam sibi erit tendere veritatem.

Contumelias igitur, quas in meam proferendas putas esse personam, utinam quam mihi gloriosæ sint, ita te gravare non possent. Domino meo dictum est à quibusdam; *Dæmonium habes, Vorator, De fornicatione natus*: & putas quia ego debeam mihi dolere? Quam talia proferenti cautum est & divinis legibus & humanis? *In ore duorum aut trium testium stat omne verbum.* Quid cum & humano te examinante iudicio falsa fuerint comprobata? Quid Imperator in divino iudicio? An quia Imperator es, nullum Dei putas esse iudicium? Taceo quod Imperatorem accusatorem esse non conveniat. Postremo iisdem divinis humanisque legibus nemo possit esse accusator & iudex. Numquidnam sub alieno iudicio dicturus es causam, vel accusator astabis?

Papa Manichæus est.

Dicis me esse Manichæum. Numquid ego Eutychianus sum, vel Eutychianos defendo, quorum furor maxime Manichæorum suffragatur errori? Roma mihi testis est, & scrinia testimonium perhibent, utrum à fide Catholica, quam in sede beati Apostoli Petri veniens ex Paganitate suscepi, aliqua ex parte deviaverim. Procedat aliquis, & quilibet ratione convincat: alioqui convicia sunt ista, non criminum probamenta. Nescio utrum quibus obiicitur falsum, an falsis obiectoribus inimica dicentibus me non ordine consecratum. Inter imbres lapidum totus evasi: iudicavit Deus.

Non ordine electus & consecratus.

Malus & noxius esse a Deo permittitur.

An quia Imperator es, divinum putas contemnendum esse iudicium? Sed fortasse dices, etiam indignantem Deum noxia quoque plerumque permittere. Scriptum est; *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Ostende ergo, quid existime arguendum, ut iratum maxime Deum, quæ non conveniebant, permisisse demonstres. An quia Eutychianis nullatenus acquiesco? Me quidem ista non sauciant, sed te palàm aperteque demonstrant meum cogitasse honorem repellere, quem interventu suo B. Petrus imposuit. An quia Imperator es, contra Petri niteris potestatem? Et qui Petrum Alexandrinum recipis, B. Petrum Apostolum in suo qualicumque Vicario calcare contendis? An bene factus essem, si Eutychianis faverem? si Acacii nomini communicarem? Latere non potest, cur ista prætendas.

Inferior Imperatore,

Conferamus aut honorem Imp. cum honore Pontificis; inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Tu Imp. à Pontifice baptismum accipis, sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, pœnitentiam rogas: postremo tu humana administras, ille divina dispensat. Itaq; ut non dicam superior, certe æqualis honor est. Nec tu putes mundi pompa præcellere: quia quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Itaq; videris quid te deceat. Tamen cum in accusationem prætuperis, tam divinis legib. quam humanis pari mecum sorte consistis, in qua cariturus honore sum si fuero, quia id mavis, te accusante, convictus, amissurus pari ratione, si non conviceris, dignitatem, sit istud in mundo iudicium; spectante Deo & Angelis eius, spectaculum omni sæculo simus, quo aut Sacerdos bonæ vitæ, aut Imp. religiosæ modestiæ consequatur exemplum, quia his præcipue duob. officiis regitur humanum genus ut non debeat aliquid eorum existere, quo valeat offendi Divinitas: maxime cum uterq; honor videatur esse perpetuus, atq; ita humano generi ex alterutro consulatur.

eique subditus,

Precor, Imperator, pace tua dixerim, memento te hominem, ut possis uti concessa divinitus potestate: quia etiamsi hæc sub humano prævenerint iudicio, sub divino necesse est ut discutiantur examine. Fortassis dicturus es, scriptum esse; *Omni potestati nos subditos esse debere.* Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas non erigunt voluntates. Cæterum si omnis potestas à Deo est, magis ergo quæ rebus est præstituta divinis. Defer Deo in nobis, in Senatu, & Collegio Clericorum Romæ, & nos deferemus Deo in te. Cæterum si tu Deo non defers, non potes eius uti privilegio, cuius iura contemnis.

Excomunicat in aliorū potiorum favorem, ut Theodorici Regis & Senatus Romani.

* Patriarcha Constantinop.

Dicis, quod mecum conspirante Senatu, excommunicaverim te. Ista quidem ego, sed rationabiliter factum à decessoribus meis sine dubio subsequor. Dicis, quod male te Romanus tractet Senatus. Si nos te male tractamus, suadentes ut discedas ab Hæreticis; tu nos bene tractas, quos vis sociare præcipitantes cum Hæreticis? Quid ad me, inquies, quod egit *Acacius? Recede ergo & nihil ad te. Nam si non recedis ab eo, pertinet ad te. Relinquamus uterque mortuum. Et nos hoc petimus, ut nihil ad te hoc pertineat quod egit Acacius. Tu nos facis obiicere tibi, qui vis ad te pertinere quod egit Acacius. Nos vitamus quod egit Acacius: vita & tu; & ad utrosque non pertinet, quod egit Acacius, ut possis sine iis, quæ egit Acacius, ea quæ ad nos pertinet causa coniungi, ut possis sine Acacio nostræ communioni sociari. Nos non te excommunicavimus, Imperator, sed Acacium: tu recede ab *Acacio*, & ab illius excomunicatione recedis. Tu te noli miscere excomunicationi eius, & non es excomunicatus à nobis. Si te misces, non à nobis, sed à teipso excommunicatus es. Ita fit ut in utroq; sive discedas, non sis excomunicatus à nobis, sive non discedas, non sis excomunicatus à nobis. Catholici Principes quidē semper Apostolicos Præsules institutos suis literis prævenerunt, & illā cōfessionem fidemq; præ-

cipuam

cipum, tanquam boni filii quæsiverunt debitæ pietatis affectu, cui noscis ipsius Domini Salvatoris ore curam totius Ecclesiæ delegatam. Quod quia per occasiones fortasse publicas, tua creditur præteriisse tranquillitas, ne magis honorem meum, quam sollicitudinem Dominici gregis appetere iudicaret, appellare non destiti meis te sponte colloquiis.

Vulgatum fuisse designas, quod tua Serenitas directa militari manu compelleret eos, qui se à contagione perfidorum moltis temporibus abstinere delegerint, vi & armis in prævaricatæ communionis consortia detestanda compellere. Vbi te rerum humanarum Princeps, qualiscumque Sedis Apostolicæ Vicarius contestari mea voce non desino, ut te memineris hominem quantalibet sis mundi potestate subnixus, circumspiciasque cunctos, qui ab initio dogmatis Christiani Catholicam fidem diverso proposito persequi, vel affligere sunt conati, quemadmodum (vastitatis insectatione, cuius placuit contritionis illatæ) ipsi, qui intulerint ista prævalendo defecerint, & orthodoxa veritas hoc prævaluerit magis, quo putaretur oppressa: quæ sicut ab insectatoribus suis crevisse monstratur, sic obtrivisse cognoscitur insequentes.

Pacem publicã perturbat & ab Imperatoris obedientia subditos alienat, calumniando pacem religionis in Republica.

Miror, si non humanus sensus intendit, præcipue qui se Christiann vult vocabulo nuncupari, inter illos sine dubio deputandum, qoi rectam confessionem, communionemque Christianam variis superstitionibus impugnare sunt nisi, dum hanc & ipsi quocumque modo percellere moliuntur. Quid interest enim, utrum Paganus, an quod est deterius, sub nomine Christiann veram synceramque traditionem Apostolicæ regulæ conetur infringere, atque in hanc prorumpere cæcitatem, ut cum in illis regionibus cunctæ prorsus hæreses, opiniones suas habeant publice licentiam profitendi, sola Catholicæ communionis libertas putetur ab iis, qui se religiosos existimant, sibi ruenda? Quæ si putator errat (quod non licet) cum cæteris, quibus illic facultas est agere, si atur erroribus, in integritas æstimatur, sequenda potius fuerat, quàm violenta persecutione vastanda: nec eam probantur insequi potuisse, nisi prava sectantes.

At ne ipsi convincerentur errare, repellere cogitarunt quo nutabantur errantes, malentes non assectari quod iustum est, sed potius submovere quo docentur iniusti. Sic recessit ab humanis mentibus Deus, ut obstinate contra eius voluntatem non aspiciaot, & in isto sæculo divinum non deesse posse iudicium, & post huius vitæ cursum illis sit tremendo non defuturus examini, sub quo perditorum studia modis omnibus actionum discussa pateſiant, & patefacta puniantur, nisi qui hæc omnino non credunt, quive illa se perpetrasse impune confidunt. Nos autem humani generis conscientiam contestari qua possumus voce nullatenus cessamus, omnipotentem Deum suis causis minime defuturum, & quantacumque sit humana præsumptio, quantacumque potentia, sub divino nutu huius atrocitatis censuram sine dubitatione vindicandam. Nam talem ausum neque hic confidimus evasurum, in illo magno Dei iudicio recepturum, quod iis temeritatibus divina retributione debetur. Hæc nos nequaquam tacuisse sufficiat: ut cum superna fuerit ultio subsecuta, & vera nos protulisse consideratio humana cognoscat, & pœnam non inaniter pronunciasse venturam: & præposuisse præmonitionis formam, qua huiusmodi præcipitiis de cætero temperetur. Certe si huiusmodi propterea relinquendus proprio definitis arbitrio, quia nec à Christianis vexari deceat, Christum quocumque titulo confitentes, nec viventes in iure Romano lacerari conveniat à Romanis, consequenter ostenditur Romanos homines, & qualiscumque Christianæ professionis impetere, nec Christianum dici posse modis omnibus, nec Romanum. Proinde aut repellendi fuerant, aut nullus penitus impetendus: & quod in uno genere iudicas amovendum, in omnibus repelle, si prævales: si omnia sunt sinenda, nullus penitus excludendus, alioqui dum parcendo cunctis erroribus sis amicus, non nisi solum tibi probatur displicuisse quod verum est.

Omnes Catholici Principes, sive cum Imperii gubernacula susceperunt, sive cum Apostolicæ Sedi novos agnoverunt Præsules institutos, ad eam sua protinus scripta miserunt, ut se docerent eius esse consortes. Itaque qui hoc non fecerunt, ab eadem seipsos profitentur alienos: quod chartis quoque tuis apod te etiam possumus astruere, nisi te æmulum & reum & inimicum vitaremus & iudicem. Nec mirum, si Catholicos persequuntur Manichæorum patroni, cum falsitas non possit non persequi veritatem. Non mirum, si in Orthodoxos sæviunt, quibus potest cum cunctis hæresibus convenire; & universis erroribus amici non possint nisi solis esse non errantibus inimici. Si error est, convincendus est: verum si error non est, tibi verum deesse cognosce, qui persequeris, quo profiteris errare. Sed pravitatis complex non potest nisi eum persequi, qui est pravitatis inimicus.

Clodovei Regis Francorum Augusti

AnnoChr. 507.

EDICTUM

DE PACE ECCLESIARVM, ET PERSONARVM RE- rumq. ad eas Spectantium.

Baronius Annal. Ecclesiast. tom. 6.

VNiverso exercitui edita sanctione mandavit, ne quid per huiusmodi bellum damni inferretur Ecclesiis, sacrisve Ministris, personis, rebusque ad eos spectantibus.

Gregorius Turonens. Hist. Franc. lib. 2. cap. 37.

Dedit edictum in toto exercitu, ut nullus de regione illa aliud quam herbarum alimenta aquamque præsumeret. Et qui vim faciens aliquid vi abstulisset, gladio perimeretur.

Clodovei Regis Aug.

AnnoChr. 507.

RESCRIPTUM

DE PACE ECCLESIARVM ET PERSONARVM Rerumq. Ecclesiarum.

DOminis sanctis & Apostolica Sede dignissimis *Episcopis CLODOVEVS Rex.

1. Enuntiante fama quid actum fuerit, vel præceptum omni exercitui nostro, priusquam †in patriam Gothorum ingrederemur, beatitudini vestræ præterire non potui. In primo quoque de ministerio Ecclesiarum omnium præcipimus, ne ad subripiendum ea aliquis conaretur, neq; de Sanctimonialibus, neque de viduis, quæ in religione Domini devotæ esse probantur: simili conditione de Clericis, vel filiis supradictorum tam Clericorum, quam viduarum, qui cum illis in domo ipsorum consistere videbantur. Idem & de servis Ecclesiarum, quos de Ecclesiis tractos per Episcoporum sacramenta constiterit, præceptum est observare, ut nullus ex ipsis aliquam violentiam vel damnum patiatur.

2. Quod ita ad integrum est intelligendum, ut ex his supradictis si aliquis vim captivitatis pertulisset, sive in Ecclesia, sive extra ecclesiam, omnino sine aliqua dilatione præcipiamus esse reddendos. De cæteris quidem captivis laicis, qui extra pacem sunt captivati, & fuerint approbati *Apostolici, aut cui volueritis arbitrii vestri, non est negandum. Nam de his qui in *a* pace nostra tam Clerici quam laici subrepti fuerint, si veraciter agnoscitis, vestras Epistolas de annulo vestro infra signatas sic ad nos omnimodis dirigatis, & à parte nostra præceptionem latam noveritis esse *b* firmandam: sic tum populus noster petit, ut cuicumque epistolas vestras præstare fueritis dignati, eum sacramento per Deum & benedictione vestra dicere non tardetis, rem istam quæ poscitur, veram esse: quia multorum varietates & falsitates inventæ sunt, ut comprehendantur: sicut scriptum est; *Perit iustus cum impio.* Orate pro me, Domini sancti, & Apostolica sede *Papæ dignissimi.

* in Synodo Aurelianensi cōgregatis.
† Galliam Narbonēsem cui Alaricus Gothus imperabat, hodie Languedoc corrupte, pro Land der Gothen.
* i.e. Catholici & non Arriani.
a parte.
b servandā. Genes. 18.
* i.e. Episcopi.

Anastasii Imperatoris Augusti

AnnoChr. 414.

SACRA

DE CONCILIO CONGREGANDO AD COMPONENDA IN SCYthiæ partibus orta dissidia.

VIctor ANASTASIVS, pius, felix, inclytus, Triumphator, semper Augustus, Hormisdæ sanctissimo ac religiosissimo Archiepiscopo & Patriarchæ. Beatitudini vestræ non putamus ignotum, quod pro temporis qualitate loquendum, atque tacendum, etiam divinæ scripturæ provida est admonitione dispositum. Exactum proinde silentii tempus incitamenta nobis loquendi concessit. Atque ideo opportunum esse perspeximus, quæ apud nos sub religionis specie commoventur, auditui vestro committere. Ante hoc siquidem durina *eorum, quibus Episcopatus, quem nunc geritis, erat solicitudo commissa, temperare nos à transmittendis faciebat epistolis. Nunc autem currens de vobis *suavis* opinio, ad memoriam nostram bonitatem paternæ affectionis adduxit, ut illa requiramus, quæ Deus & Salvator noster sanctos Apostolos divino sermone docuit, ac maxime B. Petrum, *in quo* fortitudinem

* ut Gelasii atq. Symmachi.

titudinem Ecclesiæ suæ constituit. His igitur præfatis ioitiis hortamur, ut ad ea, quæ de Scythiæ partibus mota sunt, unde & Concilium fieri convenite perspeximus, mediatorem se Apostolatus vester faciat, ut contentionibus amputatis, unitas sanctæ restituatur Ecclesiæ. Nobis autem omnia optata præstantur, si orationibus vestris, & frequenti paginarum alloquutione nostri memores fueritis. Dat. v. Kal. Januar. Constantinopoli, Senatore V. C. Cons. Accepta Anthemio & Florentino VV. C.C. Cons. v. Kal. April. per Patritium.

Anastasii Imperatoris Augusti

SACRA,

Anno Chr. 515.

QVA PONTIFEX ROMANVS VOCATVR AD CONCILium Heraclea congregandum ob componendas in Scythia de Fide ortas quæstiones.

ANastasius Augustus Hormisdæ Papæ. Omnibus negotiis divinæ res præponendæ sunt. Deo etenim omnipotente propitio, Rempublicam & conservandam & meliorandam esse confidimus. Quia igitur dubitationes quædam de Orthodoxa religione in Scythiæ partibus videntur esse commotæ, id specialiter clementiæ nostræ placuit, ut venerabilis Synodus in Heracleotana civitate provinciæ Europæ celebretur, quatenus concordantibus animis & omni veritate discussa, vera fides nostra orbi terrarum omni manifestius innotescat, ut deinceps nulla possit esse dubitatio vel discordia. Quapropter Sanctitas tua, cum quibus sibi placuerit reverendissimis Episcopis, quos de Ecclesiis sub sui Sacerdotii cura constitutis, idoneos & instructos erga Orthoxorum religionem esse probaverit, ad præfatam Heracleotanam civitatem intra diem Kalendarum Juliarum venire dignetur. Data pridie Idus Januarii, Constantinopoli. Accepta pridie Idus Majas, Florentio V. C. CONS.

Anastasii Imperatoris Augusti

RESCRIPTUM

Anno Christi 516.

De Fide Catholica, de Chalcedonensis Concilii Decretis custodiendis, & Pace servanda.

EXemplum Sacræ Anastasii Augusti Hormisdæ Papæ per Euodium, per Furtunatum Episcopos, Venantium Presbyterum, Vitalem Diaconum, & Hilarium Notarium.

1. Gratias omnipotenti Deo referimus, quod Sanctitas vestra disciplinis cœlestibus instituta, sicut popolscimus, Legatos fidei, Euvodium & Fortunatum venerabiles Episcopos, sed etiam viros religiosos, Venantium Presbyterum, Vitalem Diaconum, & Hilarium Notarium, quales poscebat causæ sublimitas destinavit; qui negotii magnitudinem implere possint, Ecclesiastici luce sermonis, quique operante Deo omnia subtiliter requirentes, quæ ad rectam & veram Christianorum pertinent fidem, & ipsi, sicut decuit, declararunt, & à nobis, sicut oportuit, agnoverunt; quia una est Ecclesia Dei, Apostolicis ubique firmata doctrinis. Unde quis audeat de Domini nostri Jesu Christi incarnatione aliter, quam habet veritas ipsa sentire, nisi qui confiteatur æqualem & consubstantialem Patri Filium salutis nostræ causa, juxta annunciationem Archangeli, in utero Virginis carnem ex eadem assumente, hominem factum? Et, sicut ait Apostolus, in servili forma, ut crucem pro nobis carne susciperet. De quo B. Petrus Apostolus Judæis dicit; *Vos petistis vobis dimitti virum homicidam, auctorem vero vitæ interfecistis.* De quo etiam legitur in Paulo Apostolo; *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis.*

2. Confitemur enim, quod genetrix Dei beata Virgo Maria in vera carne, & anima rationabili, & intelligibili, nobis Deum peperit Salvatorem, quem Homousion Deo Patri & Spiritui sancto ante sæcula, eundem nobis quoque Homousion præter peccata nostra in fine temporum credimus, & prodamus fuisse progenitum, sicut Propheta David dicit; *De ventre matris meæ Deus meus es tu.* Qua tamen ita sine defectu vel confusione nostri corporis est assumpta nostra substantia, ut in eadem carne Dei Filius mundum examinaturus adveniat, oculis omnium, vulnerum & clavorum indicia repræsentans, sicut scriptum est; *Et videbunt in quem pupugerunt.* Cum omnibus etiam Orthodoxis impiissimos Nestorium atque Eutychetem vitamus pariter & horremus, eorum condemnantes & anathematizantes, & personas & dogmata detestabilibus sacrilegiis comparanda, qui dispensationem divinam, & humanæ remedia infirmitatis, similiter aut nescire voluerunt, aut cognita blasphemate. Tale igitur circa fidem Clementiæ nostræ propositum summus Deus ab exordio vitæ sensibus nostris immisit. Unde & Imperium nostrum credimus custodire.

3. Miramur autem, quamobrem de beatissimis Patribus, qui in Chalcedone convenerunt, aliqua nobis scribere voluistis, dum ea, quæ ab his fuerant constituta, prædecessorum nostrorum multiplicibus decretis confirmata monstrantur. Et cum nec alia Synodus facta fuerit, per quam, quæ ab illa disposita sunt, redderentur infirma, nec lex à nobis processerit, cujus novitate statuta præfati Episcopalis Concilii solverentur, maxime cum ipsa Synodus dixerit anathema esse debere, quicumque aliam fidem, quam apud Nicæam trecenti decem & octo venerabiles Patres constituerunt, docere vel immutare voluerit: ad hoc etiam eos, quos superius comprehendimus, id est, Nestorium & Eutychetem, damnaverunt, quos nos quoque damnamus. Nam pro hac causa attestantur nobis etiam divinæ literæ ad Alexandriam non semel, sed multotiens destinatæ: per quas objurgavimus, cur sibi non arbitrentur posse sufficere directam fidei doctrinam, recedentes ab anathemate Chalcedonensis Synodi, vel venerandæ memoriæ Leonis Episcopi. Unde non parvum studium apud nos, & intentio in præsenti quoque perdurat, quatenus à superfluo anathemate eosdem possimus abstrahere, & sanctæ Ecclesiæ universali conjungere.

4. De capitulo vero, quod solum videtur esse residuum, nostra voluntas petitioni vestræ fortasse propter unitatem Ecclesiarum convenerat, nisi alia venerabilibus Ecclesiis ex hoc revocari scandala crederemus. Nunc universa, quæ sint facienda, perpendite, quia grave esse Clementia nostra judicat de Ecclesia venerabili propter mortuos, vivos expelli, nec sine multa effusione humani sanguinis scimus posse ea, quæ super hoc scribitis, ordinari. Omnia tamen à Deo sperantes per Consilium melius agere poteritis, quam ab his hominibus, qui propter errores suos provincias percurrentes, inimicam Evangeliis sanctis & Ecclesiis volunt esse discordiam. Ergo ut sit placens supernæ Majestati Ecclesiarum, unitas, providete; quia qui nobis in his, quæ præfati sumus, obsistit, ignoramus, si bene nos arguit. Per omnia tamen voluntatis nostræ puritatem Legatorum nostrorum poteritis narratione cognoscere.

5. Petimus autem, ut pro nobis Apostolatus vester orare dignetur: quod vos libenti animo facere, hac poterimus maximè ratione cognoscere, si perfectam nobis unitatem Ecclesiarum dignatus fuerit Deus, vobis disponentibus, condonare. Illam enim vox Dei magnam benedictionem diligentibus se mandavit, atque donavit, qua declaravit; *Pacem meam do vobis, pacem meam dimitto vobis.*

Anno Christi 516.

Anastasii Imperatoris Augusti

SACRA,

DE PACE PUBLICA CONSERVANDA.

IMperator Cæsar FLAVIUS ANASTASIUS, Pontifex inclytus, Germanicus inclytus Alamanicus inclytus, Francicus inclytus, Tribunitiæ potestatis xxv. COS. III. Pius, Felix, Victor, ac Triumphator, semper Augustus, Pater patriæ, Consulibus, Proconsulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, Senatui suo salutem dicit. Si vos liberique vestri valetis, bene est; ego exercitusque meus valemus. Quotiens utriusque publicis rebus, prospera voluntate consulitur, non solum exhortatio, sed postulatio quoque creditur esse conveniens, ut duabus in unum concurrentibus causis animus incitatus, & quod felix & bonum partibus sit, valeat adipisci. Si enim Christus Deus & Dominus noster, & per mitissimam voluntatem, & quandam dispensationis petitionem nos revocavit ad se, & redemptos proprio sanguine libertati restituit, ut salutem mortalitati præstaret; non videtur absurdum, tam apud gloriosissimum *a* Regem, quam apud beatissimum Papam almæ urbis Romæ, Patres conscriptos imperiali petitioni conjunctos ea sperare, quæ & nobis & sibi Deo annuente in commune proficiant, hoc est ne fugitivorum audiant concinnatos sermones, & mendacio solo compositos, sed satisfactione suscepta, quam & veritas & Legatorum, qui directi sunt, inquisitio patefecit, ad desideratam pacem acceptabili Deo voluntate concurrant. Indubitatum siquidem est ex longa annorum serie, multam partem Reip. vestram judicare constantiam. Proinde oportet sanctissimum cœtum vestrum solerti studio, ac provido labore contendere tam apud excelsum Regem, cui regendi vos potestas, vel solicitudo commissa est, quam apud venerabilem Papam, cui intercedendi apud Deum facultas est præstitâ, ut in ea parte animi sui bonitatem dignentur impendere, in qua utriusque Reipubl. membra *b* sperata sanitate salventur. Implebitis enim veterem consuetudinem, & nimis consilio vestro nobilissimam, si ea, quæ publicæ utilitati conveniunt, tractando, sperando, postulando, effectum adipisci Deo auspice feceritis. Dat. V. Kalend. August. Chalcedone, Petro Cons.

a Theodoricum.

b al. separata, quia Germani Occidentale Imperium ab Orientali disjunxerant.

Missa Senatui Urbis Romæ per Theopompum & Severianum VV. CC.

Anastasii

Anastasii Imperatoris Augusti

S A C R A,

QUOD IMPERATOR A PAPA JUBERI non possit.

AnnoChristi 517.

ANASTASIUS Augustus Hormisdæ Papæ. Et si magnum aliquid taciturnitas judicatur, tamen necessarium est admirantes Dei misericordiam assidue frequentare sermonem: & quia initium fidei, quam Dominus & Deus Salvator noster Jesus Christus docuit, in remissione peccatorum præcellit, nulli habetur ignotum. Ipse enim per propriam passionem omnia Adam peccara mundavit, & hæc fuit negotiatio humilitatis ipsius, ut & præfatum & omnes fratres liberaret servitute peccati, voluntarie personam servi suscipiens. Nam B. Apostolus Panlus docuit nos scribens ad Romanos; *Regnavit mors ab Adam usque ad Moysen, & in eos qui non peccaverunt:* ex quo est universitati quodammodo declaratum ex generali dispositione, sive mirabilibus, specialia quæque exempla debere suscipera semel tam magnæ legis jussiones, & tam pia bonitate firmatæ, ut omnis doctrina, quam discipulis suis tradidit, in hoc firmamento consistit. Fugavit ægritudines, sive multifaria genera passionum: nodum peccati propria (sicut dictum est) passione resolvit; & agens, ad implenda similia discipulos suos factis & sermonibus instruebat. Verum si, sicut aliqui nituntur ostendere, certi ex ipsis Apostolis tam piam doctrinam per inobedientiam implere dissimulant, ignoramus ubi magisterium misericordis Domini ac magni Dei nobis possit occurrere. Nos autem non ea credimus ratione, ut immisericordes esse putemus, qui misericordiam didicerunt: sed postulatinnem nostram à præsenti tempore taciturnitate comprimimus: irrationabile judicantes illis precum adhibere bonitatem, qui rogari se nolint, contumaciter respuentes. Injuriari & annullari sustinere possumus * juberi non possumus. Data Constantinopoli, V. Idus Julii, Anastasio Augusto quartum, & Agapito COSS.

Paparum arrogantia notatus.

* *Anastasius Bibliothecarius in Vita Hormisda Papa.*

Tunc furore repletus Anastasius Imperator contra Hormisdam Papam inter alia in Sacra sua hoc scripsit: *Nos jubere volumus, non nobis juberi.*

Fl. Justini I. Imperatoris Augusti

SACRA,

DE ELECTIONE IMPERIALI.

AnnoChristi 518.

JUSTINUS AUGUSTUS HORmisda Papa.

DEI beneficia, licet multis, maxime tamen summis Pontificibus, convenit indicari. Proinde Sanctitati vestræ per has Sacras declaramus epistolas, quod primum quidem inseparabilis Trinitatis favore, deinde Amplissimorum Procerum sacri nostri Palatii & sanctissimi Senatus, nec non alectione firmissimi exercitus ad Imperium nos licet nolentes & recusantes electos fuisse atque firmatos. Precamur proinde, ut sanctis orationibus vestris divinæ potentiæ supplicetis, quatenus initia nostri roborentur Imperii. Hoc enim & nos sperare, & vos decet implere. Data Kalend. Augusti, Constantinopoli, Magno V. C. Consule.

Vetus mos Imperatorum fuit & est, ut simulac essent electi Augusti ad fideles Imperii, tam Ecclesiasticos quam politicos, literas darent, quibus electio sua intimaretur. Ex hinc vides, unde paulatim abusus confirmandi Imperatorē apud Papas irrepserit.



Fl. Justini I. Imperatoris Augusti

Anno Christi 519.

RESCRIPTUM

DE UNITATE ECCLESIÆ.

VIctut JUSTINUS, Pius, Felix, Inclytus, Triumphator, semper Augustus, Hormisdæ sanctissimo ec beetissimo Archiepiscopo & Patriarchæ.

Scies effectum nobis, Peter teligiosissime, quod din summis studiis quærebetut. Noveris patefactum, & entequem edvenerint, qni à vobis destinati sunt, quod Joannes vir beatissimus Antistes novæ nostræ Romæ, unà cum Cleru ejus, vobiscum sentiunt, nullis variantes ambiguitatibus, nullis divisi discordiis. Scias libellum ab eo subscriptum, quem offerendum indicaveses sanctissimorum Petrum Concilio congruentem. Omnes concurrunt alacri upere ad suscipienda votatam vestræ quam Constantinopolitanæ Sedis, quos veritatis coruscus fulgor illuminat: omues accelerant libentissime, qnos oblectat via dilucida: sequuntut scita Pattum sanctissima, leges probatissimas, & Conciliis quorundam firmatis, qui tectum tenebant tremitem, eliotum correctis, quia vagebantur incerti. In eo res colligitut, ut nnitatem individuæ Trinitatis, ipsi quoque nnitate colant mentium. Negatum est inter divine mysteria memoriam in posterum fieri pro tenore libelli, quem diximus, Acacii prævaricatoris quondam hujus Urbis Episcopi, necnon eliorum Sacerdotum, qui vel primi contra constitute venerunt Apostolice, vel successores erroris fecti sunt, nulla usqne ad ultimum diem suum pœnitentia correcti. Et quuniam omnes nostræ regiones admonendæ sunt, ut eeemplum imitentur Civitetis Regiæ, dest oande ubique Principalia præcepta duximus. Tento flagramus religionis officio, tanto affectamus studio pacem Catholicæ fidei pro remunerande cœlitus pace nostræ Reipublicæ, pro conciliando subjectis meis superno præsidio. Quid enim gratius reperiti potest? quid justius? quid illustrius? qnam quos idem Regnum continet, ejusdem fidei cultus irradiat, eos non diversa contendere, sed collectis in eodem seosibus, instituta veneteti non humana mente lata, sed divini prudentia spiritus. Oret igitut vestræ religionis Sanctitas, ut quod pervigili studio pro concordia Ecclesiatum Catholicæ fidei procuratut divini muneris opitulatio, jugi perpetuitate servari annuat.

Anno Christi 520.

Justiniani I. Cæsaris Rescriptum

DE RESTITVTIONE EPISCOPORVM IN SVIS Sedibus, quam Papa postulaverat.

JUSTINIANUS Augustus Hormisdæ Papæ. Cum in animo nobis sit, Peter religiosissime, ut in omni re nostre inter se concurrant consilia, tum & in Elie vito reverendissimo Episcopo id coostituendum credimus, Legatis admonentibus vestris, quod inter varias utrasque rationes eepeditius esse perspectum est. Nam & inpræsenti Pontificem Cæsariensiû Urbis favor tutatur omnium, quem ob instituta pulchertima non solum incolæ validissime retinendum erbitrentus, sed prope cunctus Oriens sioedubio veneratur. Visum est itaque convenire, ut nec faciemus impetum contra infiniterum vota multitudinum, aut homo integritate nobilis sede dejiciatut, qua se dignum exhibet, nec anteriori spem ptorsus adimi patiamur repetendi locum denuo, quo se spoliatum sine causa confirmat: sed in re dubie temperantius versemnt, ita ut interim quidem hic idem Elias vit reverendissimus Episcopus in quiete permaneat: verum postquem successot ejns vitem deposuerit, tum demum ed Sedem revertatur, quie destitit adhibendis prius omnibus, quæ ad impetrandam reditionis licentiam sacratissimerum tegularum postulant definita, interponendo etiam consensu tem tuæ Sedis Apostolicæ, quam florentissimæ hujus Urbis, nec non elietum, quarum hoc interest. De Thoma etiam & Nicostrato viris religiosissimis Episcupis omnie mencipabuntur effectui, postquam cæteræ etiam vobis copulatæ fuetint, sed ed unitetem venerabilis Ecclesiæ, quæ præcedeote superno præsidiu retuende duxerimus, pro secratissimarum regularum itidem ordine. Quoniem itaque vestræ quoque Sanctitudini deliberationem nostrem oportuerat declarate, ut ex hec etiam patefiat desiderium, in quu omnem operam intendimus ad compescendas atque temperandas controversias, & optatem inter omnes concordiam prorogandam, præsentes quoque litteras duximus destinandas, mooentes præcipue, ut pto incolumi statu Reipublicæ numen supernum vestris exoretur precibus.

Data vi. Idus Junias, Constantinopoli, Vitaliano & Rustico Consulibus.

Fl. Justi-

Fl. Justini I. Imperatoris Augusti

RESCRIPTUM

DE NON DAMNANDIS EPISCOPORUM Nominibus, ne scandala & tumultus fiant populo.

JUSTINUS Augustus Hormisdæ Papæ. Quo fuimus semper, & quo sumus studio pro conciliandis sententiis Catholicam fidem colentium, ut eodem animo cuncti venerentur lumen individuum Trinitatis. palam fecisse dignoscitur: nunc Legatum ad vestram Beatitudinem ultro ob hoc ipsum dirigentes Gratum virum sublimem Magistrum scrinii, quo remedium tandem reperiatur discordiis varia cunctantium nunc prono libentique suscipientes affectu, viros religiosissimos, quos interventores unitatis vestra Sedes Apostolica credidit destinandos. Profecto etenim tamquam ipsam pacem, & jucundis eos oculis aspeximus, & extensis manibus duximus amplectendos. Quin etiam omni intentione ordinavimus, ut venerabilis Ecclesia Constantinopolitana, nec non complures aliæ, vota suscipiant vestra, non solum in cæteris, sed in anferendis etiam nominibus ex sacris diptychis, quæ removenda maxime postulastis. Verum nonnullæ fuerunt urbes & Ecclesiæ, tam Ponticæ, quam Asianæ, & præcipue Orientales, quarum Clerici vel populi omnibus pertentati minis & persuasionibus, tamen nequaquam flexi sunt, ut tollant Antistitum & repellant nomina, quorum apud eos opinio floruit, sed morte vitam duriorem æstimant, si mortuos condemnaverint, quorum gloriabantur vita superstitum. Quid igitur faciamus hujusmodi pertinaciæ, quæ nec dicto audiens exstit, & tormenta in tantum despicit, ut amplum sibi ac festivum judicet, si corpore prius, quam religioso desistat instituto? Nobis quidem videtur esse mollius agendi & clementius, quæ si non in tua Sanctitate, jam nec in alio potuerunt inveniri, Nam neque sanguinis & suppliciorum cupidi (quod dictu etiam grave est) libellum suscepimus, neque ut parvo discrimine remaneant imperfecta concordia desideriæ, sed ad prorogandam quo possumus ordine conjunctionem membrorum Ecclesiæ. Verum itaque præstantius erit, minorum gratia in totum esse nobis adjectas tantas multitudines, an concessis exiguis, & remissis majora, & omni ratione quærenda corrigi, ut quæ non licuit per omnia, saltem ex necessariis partibus allegentur. Veniam itaque nominum postulamus, non Acacii, non utriusque Petri, non Dioscori, vel Timothei, quorum vocabula ad nos datæ tuæ Sanctitatis epistolæ continebant, sed quos in aliis celebravit civitatibus Episcopalis reverentia, & hoc exceptis urbibus, ubi vestræ Beatitudinis libellus jam in plenum admissus est, nisi hanc quoque partem benevolentia statuerit vestra mitius corrigendam. Verum nec judicio res caret Sedis Apostolicæ, ut non magis venia dicenda sit, quam deliberata jam ac perfecta diffinitio. Anastasius quidem religiosissimæ memoriæ, vestræ culmen Ecclesiæ, palam aperteque constituit, cum hoc idem scriberet negotium prædecessori nostro, satis esse pacem affectantibus, si nomen tantum reticeatur Acacii. Ergo propria vestræ Sedis constituta sequitur, qui non omnes memorias mortuorum judicat contemnendas, ut indignum habeatur & incongruum, si non placidior omnibus non solum defunctis, sed etiam superstitibus vestra divulgetur in omni fine terrarum lenitas. Et hoc quidem non dubitaverimus ita gratiosum vobis futurum, ut pacifico statim responso lætior mundus reddatur. Retinet autem vestra Sanctitas, quod dudum scripsimus, ex Oriente supplicationes nobis esse destinatas, voluntatem ipsorum continentes & arbitrium, in quo sese duraturos ostendunt firmiter, & quo nulla ratione desistendum æstimant. Hanc itaque Chartulam secundum nostra promissa, per Joannem virum reverendissimum Episcopum dirigendam vobis in præsenti merito credidimus, ut à vestra Sede etiam tenor ejus admissus, ad colligendas proficiat, & adunandas ubique venerabiles Ecclesias, & Hierosolymitanam præcipue, cui tamen omnes favorem impendunt, quasi matri Christiani nominis, ut nemo audeat ab ea sese discernere. Consensum itaque proprium tuam Sanctitudinem epistolari quoque pagina convenit declarare, ut cognito omnibus atque patefacto tenorem ejusdem chartulæ à vobis etiam laudari, & tenaciter custodiri, lætior mundus exiftat. Data V. Idus Septembris, Chalcedone; Rustico V. C. COS. Accepta pridie Kal. Decembr. Consule supradicto.

Vide quid non & paci Ecclesiasticæ, unde & politica dependet, & gliscenti simul jam tum Paparum tyrannidi Imperatores tribuerint, metuentes, ne eorum opera Occidentales populi ad defectionem ab Imperio sollicitarentur, quod tandem Gregorius III PP. fecit.



Fl. Justiniani

CONSTITUTIONES

Fl. Justiniani I. Imperatoris Augusti

... ochristi 535.

SACRA,

De Societate adversus Orthodoxæ Fidei Perduelles ineunda.

*JUSTINIANUS AUGUSTUS FRANCORUM * Principibus.*

*Childeberto, Theodorico & Clothario Regib. quorũ pater Clodoveus similiter ab Anastasio Imp. in societatẽ belli sollicitatus, collega Imperii & August. in Occidente renũciatus fuit, si Gothos Italia pelleret. Anno Christi 545.

NOstræ ditionis Italiam per vim Gothi ceperunt, nec solum restituere hanc nobis haudqoaquam decernunt, sed injuria insuper nos afficere nec toleranda quidem, nec mediocri. Quocirca exercitus adversus hos mittere cogimur. Vos vero par fuerit, nobis hoc bello ut auxilio sitis; quod utrisque utrisque nostrûm commune rectior illa ac vera de Deo opinio facit, in Gothosque odium, ut Arianorum errores rejicientibus detestandos. Data Constantinopoli. Belisario V. C. Consule.

Fl. Justiniani Imperatoris Augusti

CONSTITUTIO

De celebratione Paschatis, & tempore Quadragesimæ.

Hinc vides ad cujus officium Calendarii emendatio spectarit. Vide Caroli M. rescript. ad Alcuinũ p. 157 hoc tom.

Concil. general. Tom. 2. pag. 513.

JUstinianos Imperator suo Edicto jejonium Quadragesimæ una hebdomada aoxit, & de Paschali tempore sanctionem promulgavit.

Theophanes in Miscella Histor.

ANno Imperii Justiniani decimo nono, everso die sancti Paschæ, cœpit vulgus abstinere à carnibus mense Februario, die quarto. Imperator autem præcepit alia hebdomada carnem apponi, & omnes carnium venditores occiderunt & apposuerunt, & nemo emebat aut edebat. Porro Pascha factum est, ut Imperator jussit, & inventus est populus jejunans hebdomada superflua.

Anno Christi 547.

Totilæ Gothi Regis Romanorum

RESCRIPTUM

DE HONORE LEGATIS HABENDO ET *pœna perfidorum.*

* Cujus ut Tyranni cõstitutiones cassantur à Justin. Imp. in Pragmat. sanct. c. 2. §. 8. & 24.

TOTILAS * REX Pelagio Diacono Urbis Romæ & Oratori misso. Constat sane apud Barbaros omnes, id lege cautum esse, Oratores ut hi plurimum colant & revereantur. Mihi vero, qui virtutis sibi aliquid compararunt, qualis es tu, honorem deferre simul & reverentiam jampridem studium fuit. Sed Oratoribus delatos honores, sive illatam his ignominiam, oon personarum mansuetudine, sive verborum tumiditate & elegantia decerni reor, sed cum vera quædam fatentur, vel non sanis admodum verbis utuntur. Oratori illi itaque honor deferri maxime solet, qui veritate mox patefacta, ad suos dimittitur: sed is ignominia præ cæteris affici, qui ubi commentitia quædam & subdola fecerit verba, ad soos mox redeat. Cætera quidem, Pelagi, quæ à nobis petieris, facile consequeris, tribus duntaxat exceptis; & ubi hæc caveris, ut plane subjicias magis expediet, ne forte maximam ipse causam præbeas, quo minus eorum vel peragas, quorum ob gratiam hue advenisti, vel nos forte ex re infecta incoses. Petere namque, quæ præsentibus haudquaquam rebus conveniant, plurimum proculdubio facit, nemo pro votis ut quippiam consequatur.

2. His autem sic interdico, ne quoquam pro Siculis, vel Urbis Romanæ mœnibus vel transfugis servis verba nunc facias: quandoquidem fieri non potest, ut aut Gothorum opera uti pro Siculia queas, aut murus ut Romanus integer maneat, vel servi ipsi, qui nobiscum nunc militant suis quondam de cætero dominis serviant. Verum ne videantur hæc inconsiderata quadam per oos prætendi sententia, & causas ipsas explicaturi nos sumus.

3. Fuit olim Sicilia insula & priscis quidem temporibus pecuoiarum ut felix proventu, ita & cujusvis

cujusvis generis frugum in ea nescentium cæteris terris fœcunditate præstantior; atque ut non solum hæc incolis suppetant, sed vel vobis Romanis itidem ad vitam sint necessaria per annos singulos exportantibus satis. Unde tunc primum Romani THEODORICUM deprecabantur, ne es in insula mejus aliquod Gothorum præsidium collocaret, ne ea res forte ad easteras prosperitetes eorum libertatem interpellaret. His ita peractis, hostium exercitu in Siciliam navigavit, qui ferme nec hominum multitudine, nec re alia ulle nobis essent in bello pares. Siculi vero, visa hostium classe, non ad Gothos quicquam denunciare, nec se continere munitionibus, nec hostibus saltem censere utcumque occurfandum tunc esse, sed promptissime patefactis tunc urbium portis, supinis hostium exercitum menibus exceperunt, & haud secus egere, ac infidissima servitia solent, quæ diutius in carcere asservata, dum dominorum volunt manus effugere, in novos quosdam & alienigenas statim incidunt. Ea itaque ex insule hostes, ut è loco munito impetu facto, omni Italiæ ore sine ullo potiti negotio sunt: quinetiam vel urbem nostram Romam cepere, ac tantum inde frumenti numerum importarunt, ut vel obsessi in anni spatium queant Romanis obsistere. De Siculis hactenus, quibus per Gothos ut venia detur, fieri nullo modo jam poterit, criminum magnitudine misericordiam ab his adimente, qui affecti injuria sunt.

4. Nunc vero intra Romanos moros hostes se exercendo, in campum quidem descendere, & nobiscum ecie decertare minime censent: dolis vero & deceptiunculis continenter & per singulos dies nos oppugnando, injuste quidem nostris rebus & plane absurdius nunc potiuntur. Ne itaque iterato hæc eadem patiamur, providendum jam ducimus. Qui enim præ ignorentia semel circumventi falluntur, si rursus in infortunium recidant, qui e minus periclitando prævideant consuetam sibi calamitatem, haud quaquam ex advarsante fortuna id fieri videbitur, sed quie se deliquisse plene ignorent: vel illud quidem adiecerit quispiam, & vobis omnibus maxime profuturum, ut Urbis Romanæ mœnia solo æquentur, me cum eliis & ipsi demum coerciti, vel ab insultantibus hostibus circumvallati, sed malis exclusi alieno periculo, nec ullo vestro discrimine victoribus futuri sitis in præmium.

5. De servis vero, qui ultro ad nos concesserunt, dicturi hæc sumus. Si enim, qui nobiscum fuerunt in hostem instructi, & è nobis deinde fidem nostre ex confessione acceperunt, ne se umquam veteribus dominis utcumque restituemus, vestras in manus dedendos esse nunc censuerimus, profecto nec nobis quidem traditam fidem servaturi quandoque essent. Non enim qui vel cum omnium miserrimis pactiones factas neglexerit, erga elium quempiam firmiorem præ se ferre animum quiverit, quin potius veluti absurdioris naturæ indicium; ad omnes, qui secum versantur, circumferre perfidiem videtur. In Castris epud Romem.

TOTILÆ REGIS ROMANORUM

EDICTUM

Anno Christi 547.

De vitæ emendatione, & justitiæ correctione.

FUere quondam Gothis militum millia centum bellicosissimorum in unum tunc coeuntium, qui utique maximum in modum ad gloriam opibus utebantur: & equorum armorumque summa hic copia suppetebat, veterenorum præterea & prudentissimorum vis ingens, qui sene ipsis in certaminibus constituti nostris rebus conducere plurimum videbantur: & eliquia Græcorum militum millibus septem hi omnes devicti, Imperio primum fuera, deinde & cæteris rebus priveti. Nunc vero nos, qui reliqui sumus, & tanta præsertim paucitate, nudi quidem & plane calamitosi & ignavissimi omnium, hostium ultra viginti millie vicimus, & summatim ut dicam, quæ gesta fuere, ejusmodi sunt, ut credi vix possint. Causas vero, cur hæc ita nobis contigerint, statim eperiam. Gothi tunc primum præ cæteris omnibus æquitate posthabita, ut inter se invicem, ita & in Romanos tunc subditos indigna quædam patrabant: quibus, uti pateret, permotus & ira succensus Deus, pro hostibus & contra nos depugnabat. Quo factum, ut etsi multitudine ac virtute, cæteroque belli apparatu hostibus essemus maximo intervallo superiores, vi quadam tamen occultiore ac plane divina devicti nos simus. Vestra itaque interesse jam reor, quæ rectiore foot ut servetis, Ideſt, ut æquitatem de cætero tueamini. Nam hanc pervertentibus vobis vel divina quidem subsidia infestiora mox erunt. Non enim Deus sine ullo delectu vel temere humano generi, vel privatæ cuiquam rationi ferre præsidium consuevit; sed his quem maxime favet, apud quos æquitatis ratio habeatur: & illi quidem haud quaquam difficile est ad alios bona transferre, ut qui rerum omnium habeat potestatem. Illud itaque vobis per necessarium fore asseveraverim, justitiam ut invicem & in subditos quosque vetis, hoc est, ut perpetuam vobis edipiscamini felicitatem.

CONSTITUTIONES
FL. JUSTINIANI I. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 553.

SACRA FORMA

DE FIDE CATHOLICA, ET CONCILIORUM PER Imperatorem celebratione ac confirmatione.

IN nomine Domini Dei nostri Jesu Christi. Imperator Cæsar FLAVIUS JUSTINIANUS Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Aoticus, Alanicus, Vandalicus, Aphricanus, Pius, Felix, Inclytus, Victor ac Triumphator, semper Augustus, beatissimis Episcopis, & Patriarchis, Eutychio Constantinopolitano, Apollinario Alexandrino, Domino Theopolitano, Stephano, Georgio & Damiano religiosissimis Episcopis vicem agentib. Eustochii viri beatissimi Archiepiscopi Hierosolymitani & Patriarchæ, & reliquis religiosissimis Episcopis ex diversis provinciis in hac Regia * Urbe degentibus.

* Constantinopolitana, ubi Synodus V. Oecumenica celebrabatur.

1. Semper studium fuit Orthodoxis & piis Imperatoribus Patribus nostris, pro tempore exortas hæreses per congregationem religiosissimorum Episcoporum amputare, & recta fide sincerè prædicata, in pace sanctam Dei Ecclesiam custodire. Quapropter & Constantinus piæ recordationis, Ario blasphemante & dicente, Non esse filium consubstantialem Deo Patri, sed creaturam, & ex non extantib. factum esse, congregavit Nicææ ex diversis diœcesibus trecentos decem & octo sanctos Patres. Et cum ipse etiam Concilio interfuisset, & adjuvisset eos, qui consubstantialem Filium Patri confessi sunt, condemnata Ariana impietate, studium habuit rectam fidem obtinere. Exposito itaq; sancto Symbolo vel mathemate fidei, per hoc sancti Patres confessi sunt, consubstantialem esse Filium Deo Patri.

2. Sed & Theodosius Senior piæ recordationis, Macedonio negante deitatem Sancti Spiritus, & Apollinario vel Magno ejus discipulo in dispensatione incarnati Verbi blasphementibus & dicentibus, sensum humanum non recepisse Deum Varbum, sed carni unitum esse, animam rationabilem habenti: congregatis in Regia Urbe centum quinquaginta sanctis Patribus, cum & ipse particeps fuisset Concilii, damnatis prædictis Hæreticis, una cum impiis eorum dogmatibus, fecit rectam prædicare fidem. Secuti enim iidem sancti Patri expositam rectam fidem à trecentis decem & octo sanctis Patribus, explanaverunt de Deitate Sancti Spiritus, & perfectè de dispensatione incarnati Dei Verbi docuerunt.

3. Iterum Nestorio impio alium dicente Deum Verbum, & alium Christum, & hunc quidem natura filium Dei Patris, illum autem gratia filium impiè introducente, & sanctam gloriosam semper Virginem Dei genitricem esse negante, cum pene omnes Orientalas partes sua impietate adimplesset idem Nestorius, Theodosius Junior piæ recordationis congregavit priorem Ephesinam sanctam Synodum, cui præsidebant Cœlestinus, Cyrillus & sancti Patres, & directis Judicibus, qui deberent Concilio interesse, compulit & ipsum Nestorium ibi pervenire, & judicium propter eum procedare: & tali examinatione facta, secuti iidem sancti Patres per omnia ea, quæ de fide definita sunt ab anterioribus Patribus, condemnaverunt Nestorium, una cum ejus impietate. His ita subsecutis, eum insurrexissent contra Cyrillum sequaces Nestorii impii, festinaverunt (quantum in ipsis fuit) refutare condemnationem contra Nestorium factam: sed prædictus piæ recordationis Theodosius, vindicans ea, quæ ita rectè contra Nestorium, & ejus impietatem fuerant judicata, fecit firmiter obtinere contra eum factem condemnationem.

4. Et post hæc iterum cum Eutyches demens emersisset, negando consubstantielem nobis esse carnem Domini, multis interee motis tam Constantinopoli quam Ephesi, tanta pro illo facta est Hæreticorum circumvantio, ut etiam eiiceretur propter eum Flavianus religiosæ memoriæ, Regiæ Urbis Episcopus. Piæ autem recordationis Martianus congregavit Chalcedone sanctos Patres, & magna contentione inter Episcopos facta, non solum per suos Judices, sed etiem per seipsum in Concilium pervenit, & ad concordiam omnes perduxit. Qui sancti Patres in omnibus secuti ea, quæ pro fide definita sunt à prædictis tribus sanctis Conciliis, & quæ judicata sunt de Hæreticorum damnatione & impietate eorum, damnaverunt & anathematizaverunt Eutychen dementem, & impia ejus dogmata, necnon & Nestorium cum impiis ejus dogmatibus, quoniam tunc festinaverunt quidam defendere Nestorium & impia ejus dogmata. Super hæc autem iidem in Chalcedone sancti Patres anathematizaverunt eos, qui aliud Symbolum tradiderunt aut tradunt, præter hoc quod expositum est à trecentis decem & octo sanctis Patribus, & explanatum à centum quinqusginta sanctis Patribus.

5. His itaque omnibus per diversa tempora subsecutis, prædicti piæ recordationis nostri Patres, quæ in unoquoque Concilio judicata sunt, legibus suis corroboraverunt & confirmaverunt, & Hæreticos, qui definitionibus prædictorum quatuor Conciliorum resistere, & Ecclesias conturbari conati sunt, expulerunt.

6. Defuncto autem Martiano divæ recordationis, cum contentio est per diversa loca de Chalcedonensi sancto Concilio * LEO piæ recordationis ad omnes ubique Sacerdotes scripsit, ut unusquisque eorum propriam sententiam manifestaret de eodem sancto Concilio: & cum alius alium Episcopum non expectasset, ad hoc, quod interrogati sunt, responderunt.

* Imperator.

7. Exiguo autem tempore transacto, iterum insurrexerunt Nestorii & Eutychetis sequaces, & tantas turbas in sanctis Dei Ecclesiis fecerunt, ut divisiones & schismata in eis fierent, & nullam communionem

nionem

nionem ad se invicem Ecclesiæ haberent. Nec enim præsumebat aliquis de civitate ad civitatem veniens communicare, nec Clericus ex alia civitate in aliam civitatem veniens in Ecclesiam procedere. Cum autem secundum suam misericordiam Dominus Deus Reipublicæ gubernationem nobis crediderit, initium & fundamentum nostri Imperii fecimus, conjungere divisos Sacerdotes sanctarum Dei Ecclesiarum, ab Oriente usque Occidentem, & omnem contentionem imputantes, quæ contra Chalcedonensem sanctam Synodum, ab Eutychis & Nestorii impiorum sequacibus movebatur, fecimus prædicare eandem sanctam Synodum cum prædictis aliis sanctis tribus Conciliis in Dei Ecclesiis, certe scientes, quod ea, quæ ab ea de fide exposita sunt, consonant per omnia aliis tribus sanctis Conciliis: & multis quidem ad eandem sanctam Synodum contradicentibus satisfecimus: alios autem, qui perseveraverunt eidem sancto Concilio contradicentes, expulimus sic à sanctis Dei Ecclesiis & venerabilibus monasteriis, ut concordia & pace sanctarum Ecclesiarum & earum Sacerdotum firmiter custodita, una & eadem fides, quam sanctæ quatuor Synodi confessæ sunt, in sanctis Dei Ecclesiis prædicetur. His ita pro firmitate sanctarum quatuor Synodorum Deo propitio per nos factis, & obtinentibus in sancta Dei Ecclesia, Nestorii sequaces propriam impietatem applicare volentes sanctæ Dei Ecclesiæ, & non potentes hoc per Nestorium facere, festinaverunt eam introducere per Theodorum Mopsuestenum, doctorem Nestorii, qui multo peiora Nestorio blasphemavit, & super alias innumerabiles suas blasphemias, contra Christum Deum nostrum factas, alium dixit Deum Verbum, alium Christum, necnon & per impia conscripta * Theodoreti, quæ contra rectam fidem, & Ephesinam primam sanctam Synodum, & contra sanctæ memoriæ Cyrillum, & duodecim ejus Capitula exposuit, & insuper sceleratam Epistolam, quam dicitur Ibas ad Marim Persam scripsisse, quæ plena est omni impietate Theodori & Nestorii. Per hanc etenim impiam epistolam non solum impietatem, sed etiam ipsas personas Theodori & Nestorii, quas maximè laudat & judicat eadem impia Epistola, festinaverunt condemnatione liberare, dicentes, eam susceptam esse à sancta Chalcedonensi Synodo. Hoc autem dicunt non pro defensione sanctæ Synodi, sed nomine ejus, sicut putent, suam impietatem confirmare festinantes. Certum autem est, quod impia intentio est ista vindicantium, ut si eis evenerit, non prædicetur Deus verbum homo factus esse, nec sancta gloriosa semper Virgo Maria Dei genitrix prædicetur. Hæc enim Theodorus & Nestorius in suis conscriptis impie exposuerunt, & qui Epistolam scripsit, in ea blasphemat.

* Atque hic in Conc. Chalcedonensi Eutycheti & Nestorio anathema dixit, & à Patribus pro Orthodoxo absolutus à calumniis fuit.

8. Nos igitur sequentes sanctos Patres, & volentes rectam fidem sine quadam macula in Dei Ecclesiis prædicari, & impiorum conatum resecare, primum quidem & in vestris vos degentes Ecclesiis interrogavimus de prædictis impiis tribus Capitulis, & vestram nobis voluntatem manifestam fecistis, pro qua & comprobavimus vos, quod indubitanter & cum omni alacritate rectam fidem confessi estis, & impiam condemnastis. Quoniam vero & post condemnationem à vobis factam, in eisdem ipsis permanent quidam, eadem impia tria Capitula vindicantes, ideo vocavimus vos ad Regiam Urbem, hortantes communiter convenientes, quam habetis pro his voluntatem, iterum manifestate. Et Vigilio enim religiosissimo Papæ antiquioris Romæ, cum pervenisset ad hanc Regiam Civitatem, de tribus Capitulis subtiliter omnia manifestavimus, & interrogavimus eum, quid sapit de hoc: & ipse non semel, nec bis, sed etiam sæpius in scriptis & sine scriptis anathematizavit impia tria Capitula. Quod vero ejusdem voluntatis semper fuit de condemnatione trium Capitulorum, & per plurima alia declaravit, & per condemnationem Rustici & Sebastiani, aliquando Diaconorum antiquioris Romæ, qui cum primum suscepissent factum ab eo judicatum in quo anathematizavit eadem impia Capitula, postea susceperunt & defenderunt eorum impietatem. Sed etiam Valentiniano Episcopo Scythiæ, & Aureliano Arelati, quæ est prima sanctissimarum Galliæ Ecclesiarum, scripsit & manifestavit de condemnatione istorum Capitulorum, & præcepit eis nihil suscipere, quod à condemnatis Diaconis scribitur contrarium prædicto judicato: & compendiose dicere, semper in eadem voluntate perseveravit. Et hæc omnia per suum tempus vobis manifesta faciemus. Quomodo vero postea, cum pervenissetis, sicut dictum est, ad hanc Regiam Civitatem, scripta facta sunt ad invicem à vestra Sanctitate, & à Vigilio religiosissimo Papa antiquioris Romæ, ut omnes vos unum conveniatis, & propter illos, qui sive ex ignorantia, sive scientia impietatem Capitulorum defendunt, contrarium judicium eis, quæ à Sanctis quatuor Synodis pro fide definita sunt, proferatis, mandavimus illi etiam per nostros Judices, & per quosdam ex vobis, ut una cum omnibus conveniret, & communiter disceptaret de prædictis Capitulis, ut forma daretur rectæ fidei conveniens. & quod & ipsum & vestram Sanctitatem in scriptis interrogavimus de hoc, ut aut tanquam impia Capitula ab omnibus condemnarentur, aut si putat recta esse, aperte suam manifestaret voluntatem. Alienum est enim Christianorum, cum recta fide impia suscipere, & non à malis recte discernere. Ille vero nobis mandavit, quod de prædictis Capitulis per semetipsum faciens, porriget nobis. Adhortamur igitur etiam vos de his disceptare.

9. Scire etenim vos volumus, quod nos ea, quæ à sanctis quatuor Conciliis, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino primo, & Chalcedonensi, de una eademque fide exposita & definita sunt, & de Ecclesiastico statu regulariter disposita servavimus & defendimus, & ea sequimur, & omnia, quæ consonant istis, suscipimus & amplectimur. Quicquid autem non consonat istis, vel à quacumque persona scriptum invenietur contra ea, quæ de una eademque fide à sanctis quatuor Conciliis, vel uno ex his, definita sunt, hoc tanquam alienum omnino pietatis execramur, sequimur autem in omnibus sanctos Patres & Doctores sanctæ Dei Ecclesiæ, id est, *a* Athanasium, *b* Hilarium, *c* Basilium, Gregorium *d* Theologum, & Gregorium Nyssenum, *e* Ambrosium, *f* Theophilum, Joannem

a Alexandrinum Archiepiscopum
b Pictavienſem Episcopum.
c Cæsariensem.
d Nazianzenum.
e Mediolanensem.
f Alexandrinum.

g Chrysostomum. h Alexandrinum. i Hipponensem. k Constantinopolitanum. l Romanum Pontificem.

Joannem g Constantinopolitanum, h Cyrillum, i Augustinum, k Proculum, l Leonem, & omnia quæ ad his de fide recta & ad condemnationem Hæreticorum, conscripta & exposita sunt, suscipimus. In prædictis igitur omnibus permanentes, illos Patres & Sacerdotes suscipimus, qui ea, quæ à sanctis quatuor Conciliis de fide exposita sunt, & à prædictis sanctis Patribus prædicata sunt, servant & prædicant in sancta Dei Ecclesia.

10. Quando vero Hæretici per omnia Theodorum & Nestorium, & eorum impietatem vindicare volentes, sicut prædictum est, & susceptam esse dicunt à sancto Chalcedonensi Concilio impiam epistolam, quæ ad Marim Persam ab Ibâ scripta esse dicitur; hortamur vos considerare ea, quæ à Theodoro impie tam in aliis scripta sunt, quàm in Judaico Symbolo, quod & Ephesi & Chalcedone prolatum, anathematizatum est ab utraque Synodo cum his, qui ita sapuerunt, vel sapiunt: considerare autem, & quæ de ipso & ejus blasphemiis sancti Patres conscripserunt, & antecessores nostri promulgaverunt: necnon & quæ Ecclesiasticarum historiarum scriptores de eo exposuerunt. Ex his etenim omnibus cognoscitis, quod ab illo tempore condemnatus est tam ipse, quam blasphemiæ ejus à sanctis Patribus, & quod propter istas superioribus temporibus deletum est & nomen ejus à sacris diptychis Ecclesiæ, cujus fuit Episcopus.

11. Hortamur autem etiam illud disceptare, quod vane profertur ab eis, qui dicunt, non oportere post mortem Hæreticos anathematizari, & sequi in hoc doctrinam sanctorum Patrum, qui non solum viventes Hæreticos condemnaverunt, sed & post mortem, utpote in sua impietate mortuos anathematizaverunt, sicut eos, qui injuste condemnati sunt, revocaverunt post mortem, & in sacris diptychis scripserunt. Quod factum est & in Joanne, & in Flaviano, religiosæ memoriæ Episcopis Constantinopolitanis. Scit enim vestra reverentia, quod positum in Domino in Evangelio de ipso, quod *qui credit in eum, non judicatur; qui autem non credit in eum, jam judicatus est, quod non credit in nomine unigeniti filii Dei.* Manifestum autem est, quod hoc non tantum de vivis, sed etiam de his dictum est, qui in sua impietate mortui sunt.

12. Insuper hortamur vos inspicere, & quæ impiè scripta sunt à Theodoreto contra rectam fidem, & Ephesinam primam sanctam Synodum, & contra sanctæ memoriæ Cyrillum, & contra duodecim ejus Capitula, & quæ impie idem Theodoretus conscripsit pro Theodoro & Nestorio, & blasphemiis eorum contra sanctæ memoriæ Cyrillum. Examinare autem & de impia Epistola, quæ dicitur ab Iba ad Marim Persam scripta esse: in qua scriptor ejus abnegat, Deum Verbum hominem factum esse, & sanctam gloriosam semper Virginem Mariam Dei genitricem esse. Condemnat eadem impia Epistola & Ephesinam primam sanctam Synodum, tanquam sine judicio & quæstione Nestorio condemnato: & sanctæ quidem memoriæ Cyrillum Ecclesiæ Doctorem, Hæreticum vocat, & impia dicit duodecim ejus capitula: Theodorum autem & Nestorium, & eorum impietatem defendit & laudat. Et quoniam, sicut dictum est, præsumunt quidam dicere & Epistolam, quæ prædictam impietatem continet, susceptam esse à Chalcedonensi sancto Concilio, hortamur vos conferre ea, quæ dicta sunt ab eodem sancto Concilio in definitione pro fide exposita cum his, quæ in impia Epistola continentur, ut undique recta quidem confirmentur, impia autem condemnentur.

13. Omnia igitur prædicta cum omni subtilitate disceptantes, sicut Sacerdotes decet, in mente habentes Dei timorem & futurum judicium, & nihil pietati & rectæ fidei, & veritati, & Dei gloriæ & honori præponentes, in mente autem habentes & Apostolicam pronuntiationem, quæ contra eos, qui contraria rectæ fidei tradunt, prolata est, manifeste dicentem, quod licet nos *vel Angelus de cælo evangelizaverit vobis præterquam quod Evangelizavimus vobis, anathema sit: sicut prædiximus, & modo iterum dico: si quis vobis evangelizaverit præterquam accepistis, anathema sit:* scientes autem & Petri Apostoli præceptum, dicentis; *Parati semper estote ad satisfactionem omni petenti vos rationem de spe, quæ in vobis est*, celeriter da his, quæ interrogavimus, vestram manifestate voluntatem. Cum enim, qui de recta fide interrogatur, diu protrahit, nihil aliud est, nisi abnegatio rectæ confessionis. In interrogationibus enim & responsis, quæ de fide sunt, non est primus vel secundus, sed qui in recta confessione paratior invenitur, acceptabilis apud Deum est. Divinitas vos servet per multos annos sancti ac religiosissimi Patres. Datum III. Nonas Majas, Constantinopoli, Imperii Domini Justiniani perpetui Augusti anno XXVII. post Consulatum * Basilii viri clarissimi Anno XII.

* Bellisarii.

JUSTINIANI IMPERATORIS AUGUSTI FORMA

Anno Christi 553.

DE ERRORIBUS ORIGENIS, AD CONCILIUM V. Oecumenicum Constantinopolitanum.

DE Origine & iis, quæ ab ejus sunt secta, operam dedimus, justum esse intelligentes, ut sanctam Dei Apostolicamque Ecclesiam à turbis securam præstemus, utque ea, quæ quocumque modo adversa rectæ fidei enascuntur, condemnentur. Cum ergo compertum habeamus esse Hierosolymis quo-

quosdam Monachos, nimirum qui Pythagoræ, Platonis, Originis Ademantii impios errores sectentur atque doceant, existimamus curam & inquisitionem de his adhibendam, ne hi ad extremum Græcanicis & Manichæicis suis imposturis multos perdant. Nam ut de multis pauca commemoremus, mentes ajunt esse innumeras & nominis expertes, omniaque ratione prædita unum esse idemque substantia & efficacia, facultateque ad Deum & cognitione omnia unita. Has mentes, cum amoris ac contemplationis Dei satietas eas cepisset pro eo, ut quæ vis magis minusve in deterius desciverat, vel crassiora vel tenuiora corpora indui, atque omnia sortiri, atque cœlestibus & administris facultatibus esse subjectas: ipsum adeo Solem, Lunam & Stellas, cum ipsa quoque in rationali ista unitate essent, mutatione in deterius facta, id cœpisse esse quod sunt. Eas vero mentes, in quibus Dei amor magis etiam refrixit, animas factas, & crassioribus, qualia nostra sunt, corporibus, immitti: quæ vero ad extremum perversitatis venerint, eas frigidis & caliginosis inferi corporibus, quos Dæmonas vocant: ex Angelico proinde statu animalem, ex animali Dæmoniacum fieri & Humanum.

2. De tota autem unitate mentium unam dumtaxat perstitisse immotam, neque ab amore & contemplatione Dei passam esse abduci: eum esse Christum, qui Deus & homo fuerit. Affirmavit etiam corpore prorsus interire, ipsumque primo Dominum corpus suum abjecisse, & id omnes facere: rursusque omnes in unitatem redire, ac mentes fieri, sicut ab initio fuerant: ipsum videlicet etiam Diabolum, & reliquos Dæmonas, impiosque homines in eandem cum sanctis & divinis hominibus & cœlestibus facultatibus, eodemque quo ipse Christus modo cum Deo unitum iri, sicut & à principio uniti fuerant: atque adeo Christum plane nihil à reliquis ratione præditis differre, neque substantia, neque cognitione, neque facultate, neque efficacitate. Sane Pythagoras principium omnium rerum esse unitatem pronunciavit: Idemque & Plato docuerunt, esse quandam gentem animarum corporis expartium, quæ si quid delinquunt, pœnæ loco in corpora demittuntur, quamobrem Plato corpus σῶμα quasi σῆμα, id est, vinculum appellevit, in eo animam quasi sepultura alligari, indicans.

3. Idem de futuro judicio, & præmiis, ac Pœnis animarum sic scribit: *Philosophi anima, qui masculorum amore & flagitiis se polluit, tres millenarias circuitione pœnas luit: itaque millesimo anno allata exitur & abit; reliqua hac vita defuncta, alia ad tribunalia infra terram deferuntur, pœnas ibi datura dicta causa; aliæ in cœlestem quendam locum sublevata à Justitia pro vita meritis beatitudine fruuntur.* Est autem in promptu hujus sententiæ absurditatem perspicere. Quis enim eum docuit millenarias istas annorum conversiones, & quod mille annis elapsis quævis anima ad suum perveniat locum? Nam quæ in medio sunt horum de his ne libidinosos quidem decuit ita pronunciare, nedum tantum Philosophum. Quippe eos, qui vitam perfectissimis functi officiis egerunt, cum intemperantibus & masculorum amatoribus composuit, eademque utrosque manere dixit.

4. Pythagoras ergo, Plato, Plotinus, aliique horum tribules, immortalitatem animæ uno sensu scribentes, eas corporibus priores affirmant, & esse quandam animarum gentem, ac eas quæ peccent ideo in corpora dilabi, pigrorumque animas abire in asinos, rapacium in lupos, dolosorum in vulpes, mulierum amore furentium in equos. Sed Ecclesia divinis astipulans Scripturis, animam una cum corpore condi affirmat, neque alterum altero prius esse, ut vecordi visum est Origeni.

5. Propter has igitur malas & perniciosas opiniones, aut deliria potius, vos hortamur, ô sanctissimi Patres, ut in unum collecti subjectam expositionem & singula ejus capita examinetis, damnetisque una cum Origene omnes qui idem sentiunt, aut quocumque tempore sentient.

† *Patres his acceptis literis, omnibus perpensis, exclamaverunt:* damnamus hæc omnia, & omnes qui ita sentiunt & scribent.

JUSTINIANI IMPERATORIS AUGUSTI FORMA

Anno Christi 553.

DE FIDE CATHOLICA, ET CONCILIORUM PER

Imperatorem celebratione & confirmatione, ad Concilium V. Oecumenicum Constantinopolitanum.

MAjores nostri veræ fidei cultores, qui ante nos Imperium pie administraverunt, operam dederunt, ut quovis tempore enascentes Hæreses Conciliis sanctissimorum Pontificum exscinderent, veræque fidei puro præconio vulgato sanctam Dei Ecclesiam pacatam conservarent. Ideo CONSTANTINUS Magnus, Ario impie affirmante Filium non esse ejusdem cum Deo Patre substantiæ, sed ex nihilo conditum, Nicæam CCCXVIII. Patres convocavit, atque ipse Concilio ei interfuit: Ubi Ario damnato & proscripto, veræ fidei confirmandæ intentus fuit, quam divini illi Patres professi sunt, & quæ hodieque cantatur, Filium ejusdem esse cum Deo Patre essentiæ, non ex nihilo creatum.

2. Ac THEODOSIUS deinde Major, Macedonio deitatem Spiritus sancti negante, & Apollinario

discipulo ejus Verbi in natura humana administrationem calumniante, & affirmante Verbum mentem humanam sibi non sociasse, verum carni unitum fuisse rationis experte anima præditæ: Constantinopolim Patres CL. convocavit, ipsoque præsente, cum dicti Hæretici una cum impiis suis opinionibus & sectatoribus damnati, communioneque Ecclesiæ exclusi essent, curam adhibuit, ut veræ fidei doctrinæ prædicaretur.

3. Sed & THEODOSIUS Minor, cum Impius Nestorius diceret, alium esse Deum Verbum, alium Christum: ac Verbum quidem natura esse Filium Dei, Christum tantum ex gratia impie autumaret, negaretque beatam Mariam esse Dei genitricem: priorem sanctam Ephesinam Synodum CC. Patrum convocavit, missis qui ei interessent Præfectis, citato etiam ad dicendam causam Nestorio. Re diligentissime cognita, Nestorius & ejus Sectatores damnati sunt.

4. Re hoc modo procedente, contra sanctissimum Cyrillum insurrexerunt, qui erant à parte detestabilis Nestorii, conatique sunt (quantum in ipsis erat) rescindere sententiam, quæ erat in Nestorium lata. Ibi THEODOSIUS defendens Orthodoxos contra Nestorii factionem, damnationem ipsius & impiarum opinionum, quas asserebat, ratam haberi curavit. Nam cum Nestoriani præterea etiam alia quædam crimina Cyrillo apud Imperatorem mendaciter impingerent, ad eum Cyrillus in hanc sententiam scripsit: *Postquam mihi, Piissime Imperator, renunciatum est, quosdam garrulos instar vesparum verarum susurris suis aures tuas personare, & maledicta in me eructare, nugantes me asserere Christi divinum corpus cœlo delatum, & non de sancta Virgine assumptum; itemque duos filios de sententia Nestorio confiteri; existimavi debere me adversus ipsos pauca in hanc sententiam dicere. O fatui, & nullius rei nisi calumniandi gnari, quomodo in hanc devenistis sententiam, tantumque insania concepistis? Omnino enim oportebat hoc vos perspicue sentire, totam hanc nostram de fide disputationem inde ortam, quod nos Mariam Deiparam esse contendimus. Atqui si, ut illi dicunt, nos corpus Christi divinum cœlitus venisse, non ex ipsa natum dicimus, qui ea possit Deipara dici? Quem enim tandem peperit, si hoc verum non est, quod secundum carnem peperit Emmanuelem? Rideantur ergo, qui hæc & talia de me blaterant. Non enim mentitur Esaias, cum ita vaticinatur: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & ei nomen facient Emmanuelo, quod est, Nobiscum Deus. Et haud dubie verum dixit Gabriel Angelorum princeps, Mariam ita alloquens: Ne metuas tibi Maria: nam in gratiam Dei venisti. Ecce gravida eris, & paries filium, eique nomen Jesu impones, quia populum iste suum peccatis solvet. Cum autem Dominum nostrum Jesum Christum dicimus desuper de cœlo venisse, non eo sensu id dicimus, quasi dicimus eum sanctam suam carnem de cœlo detulisse, sed sequimur sanctum Paulum, qui ita ait: Primus homo ex terra pulvereus; secundus, Dominus è cœlo. Recordemur etiam ipsum Dominum dixisse: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit inde, filius hominis. At vero quod ad carnem attinet, natus est, sicut diximus, ex beata Virgine. Sed quoniam Verbum Dei cœlo degressum, se ipsum exinanivit, formam servi assumendo filiusque hominis appellatus est, cum quidem idem permaneret qui antea fuerat (est enim immutabilis & nulli alterationi obnoxia natura) cum jam unus intelligeretur esse cum propria carne, dicitur de cœlo venisse. Et nominatur etiam homo de cœlo profectus, cum sit perfectus Deus, idemque perfectus homo, intelligiturve una esse persona. Unus enim est Dominus Jesus Christus; tametsi naturarum discrimen non ignoretur, ex quibus ineffabilem illam dicimus factam unitionem. Fatemur itaque Verbum, unigenitum Dei Filium, Deum esse perfectum, & perfectum hominem corpore & anima ratione prædita constantem: quod ad deitatem attinet, genitum à patre ante secula; ultimis autem temporibus eundem nostrum & salutis nostra causa natum ex Maria Virgine, quod ad humanam spectat naturam eundemque & essentia cum Patre ejusdem, ratione deitatis, & ejusdem nobiscum essentia, ratione humanitatis. Duarum enim naturarum facta est unitio. Inde est, quod unum Christum, unum filium, unum Dominum confitemur. Atque hujus inconfusa unionis consideratione, fatemur etiam sanctam Virginem vere fuisse Deiparam, ideo quod Deus Verbum carnem induit, & homo factus est, inque ipsa conceptione sibi univit templum, quod ex ipsa assumebat. Si placet, exempli loco assumamus nostrum ipsorum compositionem, quatenus homines sumus. Constamus nimirum anima & corpore. Ac videmus duas naturas, aliam corporis, aliam animæ: hominem vero, ex utrisque unitione facta, unum; neque compositio ex duabus naturis efficit, ut pro uno homine duos cogitemus, sed unum (ut dixi) intelligimus hominem, ex anima & corpore compositum. Si enim hoc tollamus, ex duabus & differentibus naturis unum & indivulsum Christum ab unitione extitisse, dicent adversarii: Si una natura totius Christi est, quomodo potuit humanam naturam induere aut quam carnem sibi propriam adsciscere? Eos autem, qui dicunt, contemperationem, confusionem, aut mixtionem naturarum Verbi Dei cum carne factam, palam iis ora obturare tua pietas dignetur.*

5. Post hæc Cyrillo mortuo, extitit Monachus quidam, & Claustri Princeps, nomine Eutyches. Hic non exiguam populi partem sibi adjunxit, Nestorii opiniones probans, dicensque carnem Christi non ejusdem cum nostra esse naturæ. Et quidem rursus non multo post Diabolica manu prævalente, aliud Ephesi Concilium latronum, nequaquam sanctum, cogitur, misso ad id etiam Flaviano Constantinopolitano Episcopo, cum penes Dioscorum Alexandriæ Episcopum summa rerum ibi esset. Flavianus veritatem tuens in eo Concilio, occiditur; & priori Synodo Ephesinæ authoritas abrogatur, subscribentibus posteriori huic quibusdam Episcopi vi latronum eo compulsis, inter quos fuit etiam Basilius Seleuciæ Episcopus. Inde cum publice docerentur Nestorii, Dioscori & Eutychetis perniciosæ opiniones, magnique præsertim in Oriente existerent tumultus, occisi sunt Proterius a Episcopus, & alii plurimi.

a Alexandrinus.

6. Eo

6. Eo rerum statu divina providentia MARCIANUM Imperatorem creat. Is interfuit à se coacto Chalcedone DCXXX. Patrum Concilio, præsentibus etiam Dioscoro & Eutychete. Ibi rursus damnantur Dioscorus, Eutyches & Nestorius: approbantur Theodoritus, Ibas & Basilius Seleuciæ Episcopus, cum tandem priori Concilio subscripsissent. Ita abolitis prædatoriæ Synodi actis, & damnatis, concordia à sanctis Patribus inter omnes conciliata est.

7. His quatuor Conciliis sic actis, & autoritate roboratis, eamque in Ecclesia Dei obtinentibus, Nestoriani denuo conati sunt suam hæresim confirmare, opera Theodori Mupsuestiæ Episcopi, qui magistrum suum Nestorium impiè de rebus sacris loquendo superabar. Proinde nos vestigiis majorum nostrorum insistentes, cupientesque varam fidem integram conservare, hortamur vos, ut hujus quoque scelerata mendacia examinantes, de eo sectatoribusque ipsius statuatis. Nam præter innumera alia, quæ impiè in Christum Deum nostrum maledicta evomuit, id quoque protulit, alium asse Deum Verbum, alium Christum, qui animi perturbationibus & carnis cupiditatibus molestiam ipsi exhibentibus paulatim à deterioribus desistens, factorum profectu in melius evaserit, inculpataque optimæ vitæ ratione usus sit. Qui, ut nudus homo, in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti baptizatus, per baptismum gratiam Spiritus sancti consecutus, adoptione sit dignatus: ad similitudinem Regiæ imaginis Christum in persona Verbi Dei adoratus, post resurrectionem animo constanti & peccatorum vacuo fuarit. Præterea pronunciavit, eam fuisse Verbi cum Christo unitionem, quæ est ab Apostolo dicta viri cum muliere. *Et erunt duo in una carne.*

8. Ad hæc vos hortor, ut ea etiam examinetis, quæ à Theodorito & Iba male scripta sunt contra prius Ephesinum sanctum Concilium, contraque eos eodem modo sententiam feratis.

FL. JUSTINI II. IMPERATORIS AUGUSTI

EDICTUM

DE FIDE CATHOLICA, ET CONCORDIA ECCLESIÆ.

Anno Christi 566.

IN nomine Domini Jesu Christi Dei nostri. Imperator Cæsar Flavius JUSTINUS, fidelis in Christo, Mansuetus, Maximus, Beneficus, Alemanicus, Gothicus, Germanicus, Articus, Francicus, Herulicus, a Gipedicus, Pius, Fortunatus, Gloriosus, Victor, Triumphator, semper Augustus. a Gepidicus.

1. *Pacem meam do vobis*, inquit Christus Dominus verus Deus noster; *pacem meam relinquo vobis*, idem Dominus omnibus prædicat. Atque istud aliud nihil est, quam ut credentes in eum, ad unam eandemque Ecclesiam se conferant, & in recta Christianorum fide ipsi inter se consentiant; eosque, qui ei contradicunt, opinionemve adversariam consectantur, penitus detestentur. Est etenim prima omnibus hominibus salus, ingenua veræ fidei confessio. Quocirca nos eum præceptis Evangelicis, tum sancto Symbolo, id est, doctrinæ sanctorum Patrum obsequentes, hortamur omnes, ut ad unam eandemque Ecclesiam & disciplinam se recipiant, credentes in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem, unam Deitatem, id est, naturam & substantiam ratione & reipsa unam, vim, potentiam & facultatem unam in tribus personis glorificantes, in quibus baptizati sumus, in quas credimus, quibus in unum conjungimur. Unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate adoramus, tum divisionem habentem, tum conjunctionem plane admirabilem: unitatem secundum substantiam, id est, Divinitatem: Trinitatem secundum proprietates, id est, personas (dividitur enim ratione, ut ita dicam, individua, conjungitur autem dividua: siquidem Divinitas unum est in tribus, & tres unum, in quibus est Divinitas, vel, ut accuratius dicam, quæ sunt ipsa Divinitas) Deum Patrem, Deum Filium, Deum Spiritum sanctum: quando quidem singulæ personæ per se considerantur, mente ea quæ sejungi non possunt sejungente; Deum nimirum tres esse personas, quæ in unum motus & naturæ ut ita dictum) identitate conjunctæ intelliguntur. Nam oportet & unum confiteri Deum, & tres personas sive proprietates prædicare.

2. Confitemur etiam ipsum unigenitum Filium Dei, Deum Verbum ante sæcula & ab æternitate à Patre genitum, non factum, & in novissimis diebus propter nostram salutem descendisse de cœlis, & incarnatum de Spiritu sancto, & ex Domina nostra sancta & gloriosa Deipara semperque Virgine Maria, & natum ex ea, qui est æqualis Patri & Spiritui sancto. Nam quartæ personæ accessionam, id est, Dei verbi incarnati, quia est una persona Trinitatis, sancta Trinitas non admittit: sed est unus & idem Dominus noster Jesus Christus, qui est consubstantialis Patri secundum humanitatem, patibilis quidem carne, Divinitate autem impatibilis. Non enim alium Deum Verbum, qui miracula edidit, & alium qui passus est, agnoscitur: sed unum eundemque confitemur Dominum nostrum Jesum Christum Dei Verbum incarnatum & vere hominem factum; & tum miracula, quæ edidit; tum afflictiones, quas sua sponte pro nostra salute carne sustinuit, unius & ejusdem fuisse. Nam non homo aliquis se ipsum pro nobis tradidit, sed ipsa Deus Verbum, qui sine Divinitatis mutatione factus est homo, & sua sponte passionem & mortem pro nobis subiit. Quapropter dum Deum istum confitemur, non inficiamur hominem esse: & dum illum confitemur hominem, Deum esse non negamus. Unde dum unum Dominum nostrum Jesum Christum ex utraque natura, divinitate & humanitate, constare asserimus, non confusionem in unitate introducimus. Etenim quod secundum nostram naturam factus

ctus sit homo, non desinet esse Deus: neque quod Deus sit secundum suam naturam, similitudinemque habeat nostræ similitudinis haud capacem, homo esse detrectabit: sed manet sicut Deus in humanitate, sic non minus in divinitatis præstantia homo.

3. Ambo igitur in eodem, & unus Deus pariter & homo, qui est Emmanuel. Eundem porro dum perfectum in Divinitate, perfectum quoque in humanitate, ex quibus duabus rebus constat, concedimus; uni ejus compositæ personæ divisionem sectionemve particularem non inferimus, sed naturarum significamus differentiam, quæ propter copulationem minime tollitur. Siquidem neque divina natura mutata est in humanam, neque humana natura in divinam conversa: sed quia utraque in propriæ naturæ finitione rationeque melius intelligatur existatque, idcirco copulationem factam in persona dicimus. Copulatio autem, quæ est in persona, ostendit Deum Verbum, hoc est, unam ex tribus personis in Divinitate, non homini, qui ante extitit, conjunctum fuisse, sed in utero Dominæ nostræ sanctæ & gloriosæ Deiparæ & semper Virginis Mariæ sibi ex ea in propria persona carnem nobis consubstantialem, & iisdem nobiscum affectionibus, peccato excepto, obnoxiam, eamque anima rationis & intelligentiæ participe imbutam fabricasse. In se namque propriam habuit personam, & factus est homo, & est unus & idem Dominus noster Jesus Christus ejusdem cum Patre & Spiritu sancto particeps gloriæ.

4. Acdum mente complectimur inexplicabilem ejus copulationem; confitemur vere unam naturam Dei Verbi incarnatam carne anima rationali & mentis participe imbuta. Rursus autem cum cogitatione comprehendimus naturarum differentiam; duas naturas, nulla tamen inducta earum diremptione, asserimus. Nam in eo utraque inest natura: & propterea unum & eundem confitemur Christum, unum Filium, unam personam, sive unam proprietatem essentiæ divinæ a Deum pariter & hominem.

5. Quocirca omnibus, qui istis contraria vel senserunt vel sentiunt, denuntiamus anathema, alienosque à sancta Catholica & Apostolica Dei Ecclesia judicamus. Et cum recta veraque dogmata, quæ sancti Patres nobis tradiderunt, nobis prædicata sint, hortamur vos omnes, immo vero etiam obsecramus, ut in unam eandemque Catholicam & Apostolicam Ecclesiam coalescatis. Nam non gravamur, licet simus in hoc eximio Imperii gradu locati, ejusmodi verbis pro omnium Christianorum concordia & conjunctione uti, eo quidem consilio, uti omnes uno ore laudem & gloriam Dei optimi maximi & Salvatoris nostri Jesu Christi celebrent; & nemo de reliquo ulla de causa vel de personis Trinitatis, vel de ulla syllaba in ea comprehensa digladietur: quandoquidem ipsæ syllabæ nos ad unam & sinceram fidem sententiamque ferant, & eadem consuetudo & modus in sancta Catholica & Apostolica Dei Ecclesia hactenus omnino firmus & minime novatus manserit, & in universum posterum tempus mansurus sit.

JUSTINI II. IMPERATORIS AUGUSTI ORDINATIO

Anno Christi 582.

DE OFFICIO IMPERATORIS.

JUSTINUS IMP. AUGUSTUS TIBERIO CÆSARI. Ecce Deus, qui benefacit tibi, *hunc* habitum dedit tibi, non ego. Honora illum, ut tu quoque honoreris ab illo. Honora * matrem tuam, quæ aliquando Domina tua fuit. Nosti quod primum servus ejus fueris, nunc autem filius. Non gratuleris in sanguinibus, nec communices homicidio, nec malum pro malo reddas, ne in malo inimicitiæ similis mihi efficiaris. Ego enim ut homo culpavi: etenim culpabilis factus sum, & recepi secundum peccata mea; sed causam habeo cum his, qui hoc mihi fecerunt, ante tribunal Christi. Ne eleuet te habitus, quemadmodum me. Sic attende omnibus, sicut tibi. Scito quis fueris, & quis modo existas. Ne superbias, & non peccabis. Nosti quis fuerim, & quis factus sim, extiterim & existam. Omnes isti † filii tui sunt & servi. Scis quod pro visceribus meis honoraverim te. Hoc tu cum videas omnes, quæ Reipublicæ sunt vides. Exercitus curam geras: molles & impudentes ne præficias; neque eo tibi persuadeant, quod priores te tales Imperatores fuisse dicent. Hæc tibi præcipio, meoque edoctus malo, hortor ut iis stes. Qui habent substantias, fruantur eis: his vero, qui non habent, dona. Deus, qui fecit cælum & terram, ipse omnia, quæ dicere oblitus sum, in cor tuum mittat.

* Sophiam Augustam intelligit.

† sc. Aulici & Consiliarii.



GUN

GUNTHERAMNI REGIS FRANCORUM

CAPITULA

Statuta in Synodo Matisconensi, Anno Domini DLXXXII.

Anno Christi 582.

13. Nec Judæi Christianis populis judices deputentur, aut telonarii esse permittantur, per quod illis (quod Deus avertat) Christiani videantur esse subjecti.

14. Ut Judæis à Cœna Domini usque ad primam diem post Pascha, secundum Edictum bonæ recordationis Domini CHILDEBERTI Regis, per plateas aut forum, quasi insultationis causa, deambulandi licentia denegatur: & ut reverentiam cunctis Sacerdotibus Domini vel Clericis impendant, nec ante Sacerdotes consessum, nisi ordinati, habere præsumant. Qui hoc facere forte præsumpserit, à judicibus locorum (prout persona fuerit,) distringatur.

15. Ut nullus Christianus Judæorum conviviis participare præsumat. Quod si facere quicumque (quod nefas est dici) Clericus aut Sæcularis præsumpserit, ab omnium Christianorum consortio se noverit compescendum, quisquis eorum impietatibus fuerit inquinatus.

16. Et licet quod de Christianis, qui aut captivitatis incursu, aut quibuscumque fraudibus Judæorum servicio implicantur, debeat observari, non solum canonum, sed etiam legum beneficio jam pridem fuerit constitutum, tamen quia nunc ita quorundam querela exorta est, quosdam Judæos per civitates aut municipia consistentes, in tantam insolentiam aut protervIam prorupisse, ut nec reclamantibus Christianis liceat vel precio de eorum posse servitute absolvi. Idcirco præsenti Concilio, Deo authore, sancimus, ut nullus Christianus Judæo deinceps debeat deservire, sed datis pro quolibet bono mancipio duodecim solidis, ipsum mancipium quicumque Christianus, seu ad ingenuitatem, seu ad servitium licentiam habeat redimendi: quia nefas est, ut quos Christus Dominus sanguinis sui effusione redemit, persecutorum vinculis permaneant irretiti. Quod si acquiescere his, quæ statuimus, quicumque Judæus noluerit, quamdiu ad pecuniam constitutam venire distulerit, liceat mancipium ipsum suum cum Christianis, ubicumque voluerit, habitare.

17. Id etiam pati conniventia placuit, quia in universo populo multi peccatis involuti esse dicuntur, qui ambitionis instinctu sunt perjuriis irretiti, ut si quis convictus fuerit alios ad falsum testimonium vel perjurium attraxisse, aut quacumque corruptione solicitasse, ipse quidem usque ad ex tum non communicet; hi vero, qui ei in perjurio consensisse probantur, post ab omni sunt testimonio prohibendi, & secundum legem infamia notabuntur.

18. De his vero, qui innocentes aut coram Principe, aut Judicibus accusare convicti fuerint, si Clericus honoratior fuerit, ab officii sui ordine regradetur: si vero secularis, communione privetur.

FL. TIBERII II. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 582.

ORDINATIO

DE OFFICIO IMPERATORIS.

TIBERIUS IMP. AUG. MAURITIO CÆSARI. Tu vero, MAURITI, pulcherrimum mihi epitaphium Imperium tuum facere perge, & sepulchrum meum virtutibus tuis exorna, neq; spem eorum, qui tibi concrediti sunt, per dedecus fallens, neq; virtutes ipse tuas oblivioni tradens, & veluti pristinam animi tui generositatem fugiens. Proinde potestatis insolentiam ratione fac frenes, & Philosophiæ artibus sapienter potentiæ scapham gubernes. Imperium namq; res est sublimis & excelsa, in altum qui ei insidet sustollens, & recta cogitata excutiens. Minimè verò opinionem eam, quod prudentia omnibus anteeas, concipe, quamvis fortuna, quæ tibi sublimis contigit, omnes superas. Porro civium & subjectorom benevolentiam potius quam metum fac consecteris: & objurgationem magis, perinde atque magistratum quendam, quam assentationem complectere. Potestas namque res est quædam, quæ admoneri docerique nolit, & castigationem ægre ferre. Ante oculos tuos assistens justitia excubet, quæ vitæ nostræ actionum remunerationem pro summa sua potestate constituit. Purpuram perinde atque vilem pannum tibi injectam esse per Philosophiæ studium existima: Coronam autem, qua caput tuum cinctum est, nihil à lapillis, qui circa marinum littus fluctibus abluuntur differre puta. Iste purpuræ flos, qui subtristior est exhortari mihi Principes videtur, ut moderationem animi in rebus secundis servare assuescant, neque nimium lætentur, ut luctuosa ista Monarchiæ stola superbiant. Imperii siquidem sceptrum, non immoderatam potestatem, sed splendidam potius servitutem exercere admonet. Itæ imperet humanitas & misericordis; arrogantiæ autem timor. Nam & apibus natura duces dedit, earumque regem aculeo

quasi quadam ſpontanea & naturali poteſtate atmavit, ut pungara atiam aum poſſit, qui lagitima non pareat: ſad apis minima tyrannicum, varum communi utilitati commodum & juſtum aculeum habet. Itaque ejus ſaltam erimus imitatores, ſiquidem ratio ipſa conſilia meliora ſubiicera non valeat. Ego quidem hæc ad te veluti productor tuus ac parens. Conſilii autem noſtri indicem habebis poteſtatem ab affectione omni & muneribus incorruptam, ſimul & virtutes ipſas remunerantem, & vitia coercentem.



GUNTHERAMNI REGIS FRANCORUM PRÆCEPTIO

DE OBSERVANDO DIE DOMINICO.

Anno Christi 588.

GUNTHERAMNUS Rex Francotum omnibus Pontificibus, ac univerſis Sacerdotibus, & cunctis Judicibus in reginna noſtra conſtitutis.

1. Per hoc ſupernæ Majaſtatis auctoram, cujus univerſa reguntur Imperio, placari cradimus, ſi in populo noſtro juſtitiæ jura ſervamus: & ille pius patar & dominus, qui humanæ fragilitatis ſubſtantiam ſon ſemper adjuvara conſuevit auxilio, melius dignabitur cunctorum neceſſitatibus quæ ſunt opportuna concedara, quos cognoſcit præceptorum ſuorum monita cuſtodire. Dum ergo pro Regni noſtri ſtabilitate & ſalvatione ragionis, val populi ſolicitudioa pervigili, attantius pertractavimus, agnovimus infra Regni noſtri ſpatium univerſa ſcalera, quæ canonibus & legibus pro divino timora puniri conſueverunt, ſuadenta advarſario boni operis, perpetrari. Et ex hoc proculdubio indignationa cœlaſti per divarſas ſæculi tampeſtates, homines aut pecora, aut morbo conſumi merentur aut gladio, dum divina judicia non timantur: atqua ita fit, ut admittando illicita per ignorantiam multi dapareant, & non ſolum præſentem vitam celerius cogantur amittera, ſed & inferni ſupplicia ſuſtinere.

2. Ad vos argo, Sancti Pontifices, quibus divina clamentia potaſtatis patarnæ conceſſit officium, io primis Serenitatis noſtræ ſarmo dirigitur, ſperantes quod ita populum vobis providentia divina commiſſum frequanti prædicationa ſtudeatis corrigere, & paſtotali gladio gubernare, quatanus dum univerſi diligando juſticiam conſervatione præcipua cum omni boneſtata ſtudiarint vivera melius, cuncta rerum adverſitate remota, cœleſti benaficio concadatur tranquillitas temporum, & congrua ſalvetio populorum. Et licet abſque noſtra admonitione ad vos ſpecialiter prædicandi cauſa partinaat: attamen reliquorum peccatis vos omnino credimus aile participes, ſi filiurum veſtrorum culpas non aſſidua objorgatione corrigitis, ſed ſilentio præteritis. Nam nec nos, quibus facultatem regnanti ſuperni Ragis commiſit auctoritas, iram ejus avadere poſſumus, ſi da ſubjacto populo ſolicitudiuam non habemus.

3. Idcirco hujus Decreti ac dafinitionis generalis vigore dacernimus, ut in omnibus diebus Dominicis, in quibus ſanctæ Reſurrectionis myſterium vaneramur, vel in quibuſcumque reliquis ſolamnitatibus, quando ex more ad veneranda templorum oracula univerſæ plabis conjunctio devotionis congregatur ſtudio, præter quod victum præparari convenit, ab omni corporali opata ſuſpendantur, nec ulla cauſarum præcipuè jurgia moveantur.

4. Sad vos Apoſtolici Pontifices, jungantes vobiſcum Conſacerdotes veſtros & *filios* ſenioris Ecclaſiæ, ac Judices locorum, quoſcunque agnoſcitis quod vitæ qualitas honeſta commendat, ita univarſam populi multitudinem conſtanti val Deo placita jugiter prædicationa corrigite, ut bene vivantes myſticus adhortationis ſarmo mulceat, & excedentes ad viam recti itinaris correctio paſtoralis abducat, quatanus omnes unanimi daliberatione laudabilitar ſtudeant vivara, vel æquitatem & juſtitiam conſarvara, qualiter ab omni peccatorum feca liberos ſuos ſancta ſuſcipiat Eccleſia Chriſtianos.

5. Enimvero quicumque Sacerdotum aut ſæcularium intentione mortifera perdurantes, crebrius admoniti amendera neglexerint, juxta quod conditiones cauſarum aut excellus parſonarum exagerint, alios canonica ſeveritas corrigat, alios legalis pœna percellat; quoniam nec innocentes poteſt reddera collata ſecuritas liberos, niſi culparum probatio puniarit criminoſos: nec minor eſt pietas protervos cooteri, quam relavara compraſſos. Convanit argo, ut juſtitiæ & æquitatis in omnibus vigore ſarvato, diſtringat legalis ultio Judicum, quos non corrigit canonica prædicatio Sacerdotum: quo fiat, ut dum præterita reſecantur ſcelera, nullus audaat perperrare futura, & in univerſos axcedentes pro diſciplinæ tenora ſarvando correctionis frena conſtringant, & in univerſa ragiona noſtre pacis & concordiæ jura proficiant. Cuncti itaqua Judices juſta, ſicut Deo placet, ſtudeant dara judicia. Nam non aſt dubium, quod actius illos condamnabit ſantantia noſtri *judicii*, à quibus non tenetur æquitas judicandi. Non Vicarios aut quoſcumque à latere ſuo par *regionem* ſibi commiſſam inſtituere aut deſtinara præſumant, qui (quod abſit) malis operibus *conſentiendo* venalitatem exerceant, aut iniqua quibuſcumque ſpolia inferre præſumant.

6, Cleri-

6. Clericorum transgressiones, cum adversario instigante contigerint, quantum illis pro divino amore reverentia major impenditur, tantum convenit, ut acrius resecentur: quoniam si sancti Pastores, aut instituti Iudices, quod nefas est, subditorum suorum scelera potius occultare quam resecare tentaverint, se ex hoc amplius reos esse vel noxios non ignorent.

7. Cuncta ergo, quæ hujus Edicti tenore decrevimus, perpetualiter volumus custodiri; quia in S. Synodo Matisconensi hæc omnia, sicut nostis, studuimus definire, quæ præsenti auctoritate vulgamus.

Subscriptio Domini GUNTHERAMNI REGIS. Data sub die quarto Idus Novembris, vigesimo quarto anno Regni supradicti Regis.

GUNTHERAMNI REGIS FRANCORUM

DECRETUM, Anno Christi 589.

UT EPISCOPI CANES NON ALANT IN domibus suis.

VOlumus quod Episcopalis domus, quæ ad hoc, Deo favente, instituta est, ut sine personarum acceptione omnes in hospitalitate recipiat, canes non habeat, ne forte hi, qui in ea miseriarum suarum levamen habere confidunt, dum infestorum canum morsibus laniantur, detrimentum versa vice suorum sustineant corporum. Custodienda est igitur Episcopalis habitatio hymnis, non latratibus; operibus bonis, non morsibus venenosis. Ubi igitur Dei est assiduitas cantilenæ, monstrum est & dedecoris nota, canes ibi vel accipitres habitare.

MAURITII IMPERATORIS AUGUSTI ET THEODOSII CÆSARIS

EDICTUM Anno Christi 592.

Ne quis miles, nondum expleta militia, Monachus effici possit.

Gregorius Magnus Papa Rom. lib. 2. epist. 63. Indict. 11. ad Mauritium Imp.

OMnipotenti Deo reus est, qui Serenissimis Dominis in omne, quod agit & loquitur, purus non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione neque ut Episcopus, neque ut servus jure Reip. sed jure privato loquor: quia, Serenissime Domine, ex illo jam tempore Dominus meus fuisti, quando adhuc Dominus omnium non eras. Longino viro clarissimo Stratore veniente, Dominorum Legem suscepi: ad quam, fatigatus tunc ægritudine corporis, respondere nil valui. In qua Dominorum pietas sanxit, ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceat. Quod valde laudavi, evidentissime sciens, quia qui sæcularem habitum deserens, ad Ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult sæculum, non relinquere. Quod vero in eadem Lege dicitur, ut ei in monasterio converti non liceat, omnino miratus sum, dum & rationes ejus possint per monasterium fieri, & agi potest, ut ab eo loco, in quo suscipitur, ejus quoque debita solvantur. Nam etsi quispiam devota mente converti voluisset, prius res male ablatas redderet, & de sua anima tanto verius, quanto expeditior cogitaret. In qua Lege subjunctum est, ut nulli qui in manu signatus est, converti liceat.

Idem lib. 2. epist. 65. Indict. 11. ad Theodorum Medicum Imperatoris.

QUanta bona omnipotentis Dei & Serenissimi Domini mei Imperatoris habeam, lingua mea non sufficit explere. Pro quibus bonis quid est meum retribuere, nisi eorum vestigia pure amare? Peccatis autem meis facientibus (ex quorum suggestione vel consilio, nescio, an vestro) transacto anno talem in Republica sua Legem protulit, ut quisquis eum pure amat, flere vehementer debeat. Ad quam Legem tunc respondere non potui, quia ægrotus fui: modo autem eidem Domino aliqua suggessi. Præcepit enim, ut Nullus, qui actionem publicam egit, nullus, qui officio & manu signatus, vel inter milites fuit habitus, ei in monasterio converti liceat, nisi forte si militia ejus fuerit expleta. Quam Legem primum, sicut ii dicunt, qui Leges veteres noverunt, Julianus protulit, de quo scimus omnes, quantum Deo adversus fuerit.

MAURI-

MAURITII IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 602.

RESCRIPTUM

QUO PROBATUR, * IMPERATOREM ESSE SUB Ecclesia in spiritualibus.

* Cedrenus mentem huic rescripto aperit his verbis: *Libellos supplices scripsit ad omnes Patriarchas, & Monachos in omnia monasteria, etiã Hierosolymã misit, ut à Deo peterent, ut ipse de peccatis admissis in hac vita, & non in futuru pœnas lueret.*

MAURITIUS Imperator Gregorio Romano Pontifici. Sero tandem animadverti, me à recta vivendi ratione ad deteriora prolapsum. Nam & tam multa portenta Deum optimum maximum mihi infensum significant, ut dies & noctes perniciem clademque mihi instare plane videam. Sed quando unus is tantum pœnitentiæ locus superest, oro te reliquosque viros Deo addictos & charos, ut irata mihi numina precibus vestris mitiora efficiatis, meque ad sinum matris Ecclesiæ redeuntem excipiatis. Confido enim fore, si me amicè more majorum complecti velitis, ut quæ incommoda Romana Urbs ipsaque Ecclesia per nos passa est, maximis officiis aucta instaurari, excitari cumulatique possit. Vale, Constantinopoli.

SENATUS POPULIQUE ROMANI

Anno Christi 602.

EDICTUM

DE PHOCA CORONATO, ET MAURITIO interfecto cum filiis suis.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, per indictionem sextam, die XXIII. mensis Novembris, temporibus Domini & beatissimi Papæ Gregorii, coronatus est FOCAS & LEONTIA Augusta septimo in palatio, quod dicitur Secundianas, & occisus est MAURITIUS Imperator cum omnibus filiis suis masculis, id est, THEODOSIO jam coronato, Tiberio, Petro, Paulo, & Justiniano, simul & Petro fratre suprascripti MAURITII Augusti: sed & aliqui Procerum, qui ei cohærebant, id est, Constantius Patricius & Curator, & Placidas, sed & Georgius Notarius Principis. Venit autem icona suprascriptorum FOCÆ & LEONTIÆ Augustorum Romam VII. Kalend. Maii, & acclamatum est eis in Lateranis in basilica * Julii ab omni Clero vel Senatu, *Exaudi Christe*, FOCÆ *Augusto* & LEONTIÆ *Augusta vita*. Tunc jussit ipsam iconam Dominus beatissimus & Apostolicus Gregorius Papa reponi in Oratorio sancti Cæsarii Martyris intra palatium.

* al. Vigilii.

PHOCÆ IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 606.

CONSTITUTIO

DE PRIMATU ROMANÆ ECCLESIÆ.

Anastasius Bibliothecarius in Vita Bonifacii Papa III.

HIc obtinuit apud PHOCAM Principem, ut Sedes Apostolica beati Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, id est, Romana Ecclesia; quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat.

Paulus Diaconus De gest. Longobard. lib. 4. cap. 11.

HIc PHOCAS Imperator, rogante Papa BONIFACIO, statuit Sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ primam esse, cum prius Constantinopolitana se primam omnium scriberet.

PHOCÆ

PHOCÆ IMPERATORIS ET SYNODI ROMANÆ

CONSTITUTIO

De Electione Romani Pontificis, & caeterorum Imperii Episcoporum.

Anno Christi 606.

COnstitutum est in Ecclesia beati Petri, in qua sederunt Episcopi septuaginta duo, Presbyteri Romani triginta quatuor, Diaconi & Clerus omnis, sub anathemate, ut nullus, Pontifice vivente, aut Episcopo civitatis suae, praesumat eloqui de successore, aut partes sibi facere, nisi tertio die depositionis ejus, adunato Clero & filiis Ecclesiae, tunc electio fieret; & quem quisque voluerit, haberet licentiam eligendi sibi Sacerdotem.

CLOTHARII REGIS FRANCORUM

RESCRIPTUM.

Quod Episcopus Deo magis servire possit in populo, quam in eremo.

Anno Christi 615.

CLOTHARIUS Rex Francorum Arnulfo Metensi Episcopo. Hoc quod per epistolem vestram, Domine Pater, rogare voluistis, ut in loco vestro alter substituetur Episcopus, nullatenus nostra praesumptio fecere praesumit, sed potius omni devotione rogamus; ut si in bonorum operum exercitio vitam alicubi ducere deliberatis, apud populum vobis commissum, sicut coepistis, conservando exemplum ei sitis promerendae salutis.

HERACLII IMPERATORIS AUGUSTI

ECTHESIS

De sancta Trinitate & fide Catholica.

Anno Christi 639.

EXpositio Orthodoxae Fidei facta à piissimo & à Deo conservando nostro Domino magno Principe HERACLIO propter emersam ab aliquibus altercationem pro requisitione operationis, consonans in omnibus sanctis & universalibus quinque Conciliis: quam cum multa satisfactione & gratie exceperunt Patriarchalium sedium Praesules, & gratantes et consenserunt, utpote pacem sanctis Dei Ecclesiis inferentem.

1. Credimus in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem consubstantialem, unam Deitatem, sive naturam & essentiam, virtutemque & potestatem in tribus subsistentiis sive personis, cognoscentes uniuscujusque subsistentiae familiaritatem, unitatem in Trinitate, & Trinitatem in unitate; unitatem quidem secundum essentiae sive Deitatis rationem, Trinitatem autem secundum subsistentias sive personas: neque enim unum secundum essentiam confitentes, à personarum differentia excedimus: neque autem Trinitatem personarum confitentes, unam denegamus Deitatem. Unus Deus Pater, unus Deus Filius, unus Deus Spiritus sanctus: unus haec tria, Deus in eadem & immutabili Deitatis ratione. Nam personarum differentia Deitatis sive essentiae non infert divisionem. Unam igitur confitemur Deitatem, familiaritates inconfusas servantem, & non in unam personam tribus nominibus nuncupatam allegantes haec tria secundum Sabellium, neque autem in tres essentias unam Deitatem dividentes, aut extraneum facientes à Patris essentia Filium, aut Spiritum sanctum, secundum insanam Arii. Unum enim est in tribus Deitas, ut dicit magnus Gregorius in Theologia, & tria unum, in quibus Deitas sive (ut verissime dicatur) quae Deitas.

2. Confitemur autem unum sanctae Trinitatis unigenitum Filium Dei, Deum verbum à Patre progenitum ante omnia saecula, lumen de lumine, splendorem gloriae, vultum paternae substantiae, per quem

quem omnia facta sunt *, in extremis diebus propter nos & propter nostram salotem descendere de cœlis, dignatique in intacto utero sanctissimæ Dei genitricis & semper virginis Mariæ habitare, & ex ea conglomerantem sibi carnem in nna substantia, animam babantem rationalem atqua intellactualem, natum esse ab ea, & semper manentem perfectum Deum, eumdemque fieri perfectum bnminem, inconfusc atqua indivisa, consubstantialem Deo Patri sacundum Deitatem, & consubstantialem nobis eundem secundum humanitatem, & per omnia similem nobis sine peccato. Unda & duas nativitates ajusdem onigeniti Dei Verbi confitemur, unam anta sæcula à Patre sine tempore & incorporaliter, alteram ipsius in axtremis diebus à sancta intactaque Dei geoitrice & semper virgine Maria cum animato intellectuali ajus corpore.

3. Quapropter sanctam & nimis laudabilem sempet virginem Mariam recte & veraciter Dei genitricam prædicamus: non quia Dei Varbum initium ab ea accepit, ut aiiai, sed in extremis diebus incarnatus ex ea, immutabilitar homo factus est, & passionem pro nobis spontaneam carne sustinuit. Compositum autem Christum glorificamus, sanctorum Patrum sequentes doctrinam. Pro mysterio enim, quod in Christo ast, per compositionem unioo & confusionam & divisionem eiicit, & servat quidam utraque natura proprietatam, unam autem substantiam & unam personam Dei Verbi cum animata intellactualiter ejus carne ostendit, neque quaternitata nobis pro sancta Trinitate introducta; absit: nec enim quartæ personæ additamentum sancta Trinitas suscepit, incarnato uno ex ea Deo Verbo. Neque autem alter erat, qui miracnla operabatur sicut Deus, alter autem qoam ipsa qui passiones sustinuit, sad unum eumdemque Filium confitemur Deum simul & hominem, unam * substaotiam, unam parsonam passibilem carne, impassibilam Deitata, perfectum Deitate, & perfectum eumdem humanitate, & ipsius miracula & passiones, quas sponte sustinuit corpore.

* subsistentiam.

4. Unda & ex duabus naturis unum Christum confitemut, unum Filium, oonm Dominum, unam personam, unam substantiam composiiam, & unam naturam Dei Verbi incarnatam corpore animato intellectualiter, sicut Cyrillus magnus sapuit & docuit: Et in duabus naturis eumdem esse glorificantes, ut in deitate & humanitate unum Dominum nostrum Jesum Christum verum Deum cognitum essa confitamur, differentiam per hune modum solum significantes naturarum, pro quibus inconfusa ineffabilis onitas facta est. Nec enim Deitas transmigravit io earnam, naque caro in Daitataam transmutata est, sed in proprietate oatutali, & pro uniuseujusqua subsistenoæ unitate utrumque permansit. Unda unum scimus Filium Dominnm nostrom Jesum Christum ex initium non habente Patra, & ex intacta matre, eumdam ante sæcula & in extremis diabus constituum, impassibilem atque passibilem, visibilem & iovisibilem, unius ejusdemque miracula & passiones prædicamus, & omnem divinam & humanam operationem uni eidemque incarnato Dèo Verbo tribuimus, & unam ei offerimus venetationem sponte & veraciter propter nos crucifixo in carne, & exsurgenti ex mortuis, & in cœlos asceodenti, & rasidenti in dextera Patris, & iterum venienti judicare vivos & mortuos: Nullo modo concedentes alicui & omnibus unam vel duas dicere sive docere operationes in divina Domini incatnatiooe, sad magis, sicut sanctæ & univarsales tradiderunt Synodi, unum eumdemqua Filium unigenitum Dominum nostrum Jesum Christnm verom Deum confiteri operari divina & humana, & omoem Deo congruam & homini operationem ex uno eodemque incarnato Deo Varbo indivisa & inconfuse procedere, & in unum eumdemque sortiri; eo quod unius quidem operationis vox licet ab aliquibus Patribus dicta ast, tamen turbat & exterret quorumdam autes arbittaotium in interitum eamdem prolatam essa dnarum naturarum, quæ in uoa subsistentia unitæ sunt in Christo Deo nostro.

Hanc sententiam de una voluntate ur Monotheliticam Hæreticam Ecclesia Catholica non recipit.

5. Similiter autem & duarum operationum vocem multos scaodalizare, otpote à nemine dictam Sanctorum & præcipuorum Patrum: sed & sequi in eo, ut duas confiteamur voluntates contrarie ad invicem venientes, Deo quidem Verbo volente saloberrimam passionem explere, incarnationem autem io eo factam obviam euntem ipsius voluntati, & oppugnantem, & exinde duo contratia volentes introduei, quod impium est & extranaum Christiani dogmatis. Si enim insanus Nastorius, licet dividens divinam Domini oostri humanitatem, & introducens Filios duos, voluntates istorum dicete oon est ausus, è contratio autem consonantem voluotatem in eo, formatis duabus personis, confessus est, quomodo possibile, Orthodoxam confitentes fidam, & uoum Filium Domioum nostrum Jasum Christum verum Deum glorificantes, duas & has contrarias voluntates suscipera?

6. Unda sanctos Patres in omnibus & in hoc sequentes, nnam voluntatem Domini nostri Jesu Christi verissimi Dei confitemur, utpote in nullo tempora animati intellectualiter ejus corporis separatam, neo ex proprio impetu contratio motu, unito ei Verbo in una substantia, naturalem ejus producere motionem, sed quando & qualem & quantam ipsa Deus Varbum voluerat. Hæc pietatis dogmata tradiderunt nobis, qoi ab initio præsentialiter viderunt & ministri Verbi facti sunt, eorumqua discipuli & successores; quique sequentet à Deo inspirati Ecclesiæ Doctores, id est, sanctæ & nnivarsales quinqua Synodi, Nicæam & in haoc Regiam civitatem, nec non in Ephesum primum & in Chalcedonam, & iterum in Constantioopolim in quinto coogregati Còncilio.

7. Et hæc in omnibus sequentes, & divioa eornm suscipientes dogmata, omnes, quos exceperunt, excipimus, & omnes, quos eiecerunt, aiicimus & anathematizamus, præcipue Novatum, Sabellium, Ariom, Eunomium, Macedonium, Apollinarem, Origenem, Evagrium, Didymum, Thaodorum Mopsuestenum, Nestorium, Eutychen, Dioscorum, Sevarum, & impia scripta Theodoriti, quæ contra rectam fidem & Ephesinam Synodum & duodecim Capitula sancti Cyrilli,

Cyrilli, & quenti pro Thendoro & Nestui io conscripserunt, & nuncupatam Ibæ Epistolam: & hortamut omnes Christienos sic sapere, & sic glorificare, nihil addentes his, nihil subtrehentes, nihil ttansmutantes, secundum quod scriptum est.

Definitiones æternales à Deo inspirati Ecclesiæ Sacerdotes ad salutem cunctorum præfixerunt.

HERACLIUS fidelis in Jesu Christo Deo Princeps subnotavit. Constantinopoli.

HERACLII IMPERATORIS AUGUSTI

RESCRIPTUM.

Anno Christi 638.

DE SACRILEGII POENA, ET SUPPLICATIONIBUS CONTRA TURCORUM PERFIDIAM ad Deum feciendis.

HERACLIUS Impetetor Severino Pontifici Romeno. Maxima molestia me affecerunt literæ tuæ, quibus Isacium Exarchum nostrum eccusabas, quod Lateranense templum exspoliaverit, prædam Ravennam detulerit, mihique optimem spoliorum partem etiam adjudicaverit. Ego sane, ut Imperatorem Christianum decebat, vitum secrilegum odi: Deumque obtestor, me nihil plane rerum secratum aut cepisse, aut capi voluisse: daturumque operam, ut Isacium sceleris sui pœniteat, quendoquidem nihil est, quod animum meum magis, quam res sacra, moveat.

2. Vix ctedas, quam acerbus mihi nuntius fuent Mahometis nuper invecta religio; qua effecti Sareceni, qui mihi ex Arebia militabant, in Syriam secessere, Phœnicem, Syriam, Æ, yptumque occupevere. Arabes enim omnes Mahometie legem susceperunt, Persatumque regnum opulentissimum, cæso Rege * Armisda, invaserunt, eoque periculi ventum est, ut tentis viribus nullus exercitus occurrere tutò possit. Quare ebs te etiem atque etiam peto, ut rem Christianam multis piis precibus Deo commendes, meque tibi devinctissimum putes. Vale. Constaotinopoli.

* Hormisda.

CONSTANTIS II. IMPERATORIS AUGUSTI

TYPUS

Anno Christi 648.

DE CONCORDIA ECCLESIASTICA ET SILENTIO ERISTICIS ac seditiosis Scriptoribus & Concionatoribus imponendo.

COnsuetudinem habentes de omnibus curam agere, & intendere, quæ respiciunt ed utilitatem Christianissimæ nostræ Reipublicæ, & præcipue quæ feruntut ed immaculatam nostram fidem, per quam nobis omnie prospera fieri credimus, cognovimus in multe pertui hatione esse nostrum Orthodoxum populum, utpote dicentibus quibusdam unam voluntatem in dispensatione magni Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, & * eandem ipsam operati divine & humana; aliis autem dogmatizantibus duas voluntates & duas operationes in eadem dispensatione incatnati Verbi: & illis quidem in satisfactione propter unam personam esse Dominum nostrum Jesum Christum in duabus naturis inconfuse & indivise volentem & operantem divina & humana, eliis eutem propter convenientes naturas indivise in ipsa una persona, & ut salnetur & maneat earum differentia secundum naturas, eumdem ipsum unum Christum naturaliter operari divina & humena: & ex hoc in multam dissensionem & contentionem nostram Christianissimam Rempublicam perduci, ut discordantes invicem non convenirent, & ex hoc secundum multos modos eam lædi oportere.

* eumdem ipsum.

2. Igitur arbitrati sumus, eb omnipotenti Deo inspiteti, sicut talem eccensem discordiæ flammem extinguere, & non concedere eam ulterius bumanas enimas depasci. Quapropter sancimus, nohis subjectos, qui consistunt in Orthodoxa & immaculata nostta Christienorum fide, qui sunt Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, non habere licentiam invicem à præsenti de una voluntete, eut una operatione, eut duarum voluntetum, aut duarum operetionum qualemcumque proferte altercationem, eut contentionem, eut rixam. Hæc autem sancimus, nihil aliud intercipientes penitus de piissimis dogmatibus, quæ à sanctis probabilibus Patribus de dispensatione incarnati Dei Verbi dogmatizata sunt,

sed

ſed ulterius contentionem, quæ gratia propoſitæ quæſtionis orta eſt, ceſſare præcipientes, & tantummodo de eis ſequi, & ſufficienter habere divinas Scripturas & traditiones ſanctorum quinque univerſalium Conciliorum, & ſimplicibus ſine quæſtione ſanctorum probabilium Patrum uti vocibus, quorum dogmata regula & lege ſanctæ Dei Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ conſiſtunt, nihil eis addentes proprium, neque minuentes, aut per ſuam intentionem eas interpretantes, ſed priorem habitum ubique cuſtodiri, ſicuti antequam procederet contentio prædictarum quæſtionum, quaſi nulla de eis exorta eſſet contentio. Nulli de omnibus, qui uſque ad præſens unam voluntatem & unam operationem, aut duas voluntates & duas operationes dogmatizaverit, ſub qualemcumque querelam hujus gratia aut accuſationem facito, niſi tantummodo qui ex ſanctis quinque univerſalibus Conciliis & cæteris Orthodoxis probabilibus Patribus ejecti ſunt Hæretici cum impiis eorum dogmatibus atque ſcriptis, & (ut compendioſe dicam) quod ſancta Catholica & Apoſtolica Eccleſia non accepit, ſed abjecit.

3. Ad perfectam autem unitatem ſanctarum Dei Eccleſiarum, & communem concordiam, & ut nulla occaſio relinquatur eis, qui ſine fine volunt contendere, & *a* Chartas quæ poſitæ fuerunt in Narthica ſanctiſſimæ magnæ Eccleſiæ hujus à Deo conſervandæ Regiæ noſtræ Urbis, quæ continent prædictas quæſtiones, juſſimus levari. Qui autem ea præſumpſerint prævaricari, primum quidem ſubjaceant judicio terribili Omnipotentis Dei, deinde autem qualemcumque Regalem indignationem revereantur; per quam, ſi quidem Epiſcopi aut Clerici ſunt, ſui Sacerdotii, ſive ſui Cleri modis omnibus excidant: ſin autem Monachi, ſegregentur & alieni fiant de ſuis locis; ſin autem dignitatem, aut cingulum, aut militiam habeant, nudentur eis: ſi autem ſint privati, ſi quidem Nobiles conſiſtunt, ſuarum ſubſtantiarum proſcriptionem patiantur: ſin autem ignobiles conſiſtunt, non ſolum in corpore verberentur, ſed exilio perpetuo caſtigentur: ut omnes timore Dei compreſſi, & comminata eis digna ſupplicia reverentes, immobilem & ſine turba pacem ſanctarum Dei Eccleſiarum cuſtodiant. Dat. Conſtantinopoli.

a ſcriptum de una voluntate affixum januæ majoris Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.

FL. CONSTANTINI V. POGONATI IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Chriſti 678.

SACRA

De unitate Eccleſiaſtica, & diſſidiis in Eccleſia obortis per Concilium tollendis.

IN nomine Domini & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, FLAVIUS CONSTANTINUS, Fidelis, Magnus, Imperator, DONO ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo antiquæ noſtræ Romæ, & univerſali Papæ. Sacra data prid. Idus Auguſtas Conſtantinopoli, Indictione ſexta.

1. Per omnia novit veſtra paterna Beatitudo & plures veſtræ ſanctæ Eccleſiæ antiquæ Romæ, quia ex quo juſſit Deus principaliter nos imperare, dum voluiſſent quidam motionem facere de verbis, de quibus eſt contentio pro dogmate pietatis inter partes tam ſanctæ veſtræ Eccleſiæ, quamque hujus ſanctæ magnæ Eccleſiæ, ut ambigerent: & hoc prohibuimus fieri tempore non admittente, cognoſcentes quod ex particulari contentione non ſolum unitas fieri non poſſet, ſed magis malum accreſceret. Et licet animo doleremus ultra omnem dolorem tam pro exprobratione, quæ nobis ob hoc ab inimicis inferebatur, & propter ipſam veritatem, quod Pontifices ſecundum nos & Orthodoxus noſter populus propter quaſdam novitates vocum in * ſchiſma incidiſſent, exultatioque ex hoc fieret impiis Hæreticis, attamen Deo noſtro commiſimus, ipſo pro nobis potiora providente, & dum ejus benignitas juſſerit, correctionem hujus rei fieri, tunc nobis donante opportunitate temporis ad generalem Collectionem faciendam utrarumque Sedium, quatenus conſiderantibus eis definitiones ſanctarum quinque Synodorum, & editiones ſanctorum probabilium Patrum, ſatisfacerent ſemetipſis, & convenirent in uno ore, unoque corde ad glorificandum honorificum nomen Dei noſtri.

* Monothelitarum ſc.

2. Sed quoniam ſicut homines cogitamus: ſicut autem jubet Deus, omnia perficit: ipſe enim novit futura & quæque nobis expediunt: ſic ei placitum eſt, ut ad effectum producantur: cognoſcere facimus veſtram paternam beatitudinem, quod dum ordinatus eſſet, Theodorus ſanctiſſimus & beatiſſimus † Patriarcha à Deo conſervandæ hujus noſtræ Regiæ urbis, ſuggeſſit noſtræ Serenitati, ſuſpectum ſe eſſe dirigere conſueta Synodica ad veſtram paternam Beatitudinem, ne forte non reciperentur, ſicut & ſub prædeceſſoribus ejus Patriarchis factum eſt. Sed quia magis prævidit adhortatoriam Epiſtolam facere ad veſtram paternam Beatitudinem, quam & direxit, cujus per omnia ſcientiam habet veſtra paterna Beatitudo, & non prævidimus per præſentem noſtram piam Sacram de hujuſmodi Epiſtola uti multiloquio.

† Conſtantinopolitanus.

3. Sed

3. Sed postquam directa est eadem Epistola ad vestram paternam Beatitudinem, interrogavimus eumdem sanctissimum & beatissimum Patriarcham, & Macarium sanctissimum Patriarcham civitatis Theopolitanæ, quænam esset difficultas, quæ provenerat inter vestram paternam Beatitudinem, seu vestram Apostolicam Sedem & ipsos, olim omnibus expletis quæcumque sunt de immaculata nostra & incommutabili Christianorum fide, tam per doctrinam sanctorum Apostolorum, quam per definitiones sanctarum quinque Synodorum, & doctrinam sanctorum ac probabilium Patrum, & omnibus hæresibus jam manifestatis atque condemnatis, & nullo deinceps remanente modo, quo possit divisio aut schisma sanctæ & immaculatæ nostræ fidei inferri: retulerunt nobis iidem ipsi sanctissimi Patriarchæ, quod verba quædam novitatis intromissa sunt, aliquibus quidem ex imperitia hæc introducentibus, aliquibus vero incongrue scrutantibus incomprehensibilia opera Dei; & quia ex quo hæc verba moveri cœperunt, & usque hactenus utraque Sedes inter se minime convenerunt, ut inquirentes sibimet satisfacerent pro veritate.

4. Propter viles igitur inquisitiones non sit infinita contentio, ne nobis insultent Pagani & Hæretici, neque in nobis usquequaque locum accipiant semina Adversarii: cadens namque ab humano genere, quod ei serviebat, & confusus per apparitionem Domini nostri Jesu Christi veri Dei nostri, etiam in his confundetur per studium vestræ paternæ Beatitudinis. Et secundum quod scriptum est: *a deponentibus a nobis omnem Zelum, & omnem contentionem, omnemque invidiam, veritati concurramus: Veritas enim Deo cara est.* Et secundum Domini vocem; *b Quicumque voluerit omnium primus esse, sit omnium minister.* Et iterum dictum est; *c In hoc cognoscent omnes, quia mei estis discipuli, si dilectionem habueritis ad invicem.*

a 1. Petr. 2. b Matth. 2. Marc. 9. 10. c Joan. 13.

5. Postquam igitur tempus recipit perfectam Congregationem fieri, hortamur vestram paternam Beatitudinem per præsentem nostram piam Sacram dirigere viros utiles, modestos, notitiam habentes totius à Deo inspiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehensibilem habentes dogmatum, induros personam vestræ Apostolicæ Sedis, ejusque Concilii, deferentes & libros, quos oportet proferri, & omnem auctoritatem habentes: quatenus convenientes cum hic posito sanctissimo ac beatissimo Patriarcha, & Macario sanctissimo Patriarcha Theopolitanæ Civitatis, perscrutentur cum omni mansuetudine & modestia, & per gratiam sancti Spiritus veritati insistere & consentire, munitionem habentibus eis, qui huc advenerint ex parte Sedis vestræ per præsentem nostram piam Sacram. Per Deum enim Omnipotentem non est apud nos partis cujuslibet favor, sed æquitatem utrisque partibus conservabimus, nullatenus necessitatem facientes in quocumque Capitulo eis, qui à vobis diriguntur, quoquo modo, sed & omni honore cum competenti munificentia & susceptione dignos eos habebimus. Et si quidem utique convenerint, ecce & bene; sin autem minime convenerint, iterum cum omni humanitate eos ad vos dirigemus: de cætero nos excusantes in judicio Dei imminente nobis, juxta quod constituti sumus servare fidem sanctam & immaculatam, quam percepimus (unoquoque proprio sensu abundante) rationem reddituri ante sanctum & terribile tribunal Dei nostri. Invitare enim & rogare possumus ad omnem commendationem & unitatem omnium Christianorum, necessitatem vero inferre nullatenus volumus.

Disce hinc, cujus sit Concilia indicere, & quis sit judex controversiarum Ecclesiasticarum.

Ad religionem nemo cogi debet.

6. Per personas vero, quæ diriguntur à paterna vestra beatitudine, ita decernat: Ex vestra quidem sancta Ecclesia, si utique videtur ei, tres personas; quod si plures, quantæ ei placuerint, dirigat; de Concilio vero usque ad duodecim Metropolitas Episcopos; de quatuor vero Monasteriis Byzacenis, ad unoquoque monasterio Monachos quatuor. Nam si recepetit tempus, ut dictum est, perfectam congregationem studuissemus facere: sed quoniam tempus non admisit, Deus autem noster proprio consilio protulit, quod nos differebamus: in hoc tempore per omnia jubemus vestram paternam Beatitudinem minime effici impedimentum voluntati Dei, sed eos dirigere. Sic enim speramus in ejus benignitate, quoniam qui voluerit hujusmodi capitulum moveri in præsenti, per Spiritum sanctum concedere habet, ut veritas clareat, & instruantur omnes sine schismate & contentione veritatem profiteri, & uno ore, unoque corde glorificare nos omnes ejus bonitatem. Tacere quippe hoc, terribile æstimamus, ut ne plebs, quæ ut sanctificetur, accedit ad sanctas Dei Catholicas & Apostolicas Ecclesias, contrariis congregationibus occupetur, considerans Antistitum ad invicem dissonantiam.

7. Multam nobis instantiam fecerunt tam hic sanctissimus Patriarcha, quamque Macarius sanctissimus Patriarcha Theopoleos, ut ejiceretur * Vitalianus beatissimus à diptychis, asserentes Honorium memorari in diptychis propter honorem Apostolicæ Sedis antiquæ nostræ Romæ. Nam non acquievere, ut memorentur Patriarchæ, qui postmodum fuerunt in prædicta sancta Romana Ecclesia, donec conquisitio & satisfactio proveniat verborum, de quibus contenditur inter utrasque Sedes, & ita vestra Beatitudo consequenter memoretur. Sed hoc non acquievimus, id est, ut ejiceretur idem Vitalianus è diptychis: hoc quidem, utpote omnem æqualitatem servantes, & utrosque Orthodoxos habentes: hoc autem & propter collatam nobis charitatem ab eodem Vitaliano, dum superesset, in motione Tyrannorum nostrorum. Sed si solliciti sumus prædictis sanctissimis Patriarchis, quod per omnia diriget vestra paterna Beatitudo homines, qui debeant conquirere cum ipsis; & tunc secundum quod claruerit, perfecta dispositio fiet: nam hoc nullo modo nos acquiescere, ut idem beatissimus Vitalianus ejiceretur.

* Papa Romanus.

8. Hoc cognoscens vestra paterna Beatitudo, studeat sequi voluntatem Dei: sicut enim prædictum est, spem habemus in coronatore Deo nostro, quia dum prævideritt super hoc ferventem nostrum affectum, ejus benignitas etiam ingruentes nobis perturbationes gentium sedabit. Omnem

vero coucutſum venientibus juſſimus præbere Theodorum glorioſum Petricium & Exarchum Chriſto amabilis noſtræ Italiæ provinciæ, tam in nevi, quam in expenſis & omni unlitate eorum; & ſi neceſſitas exegerit, etiam caſtellatos dromooes præbere ad eorum munimen, ut ex omnibus illæſi, & ſine periculo, Deo coopetante, iidem ad nos perducantur.

Divinitas te ſervet per multos annos,
ſanctiſſime ac beatiſſime Pater.

FL. CONSTANTINI V. POGONATI IMPERATORIS

Anno Christi 680.

SACRA,

De Concilio ſuper Monothelitarum controverſia celebrando.

IN nomine Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, Imperator pius, pacificus FL. CONSTANTINUS, fidelis in Jeſu Chriſto Deo, Georgio ſanctiſſimo ac beatiſſimo Archiepiſcopo Conſtantinopoleos & univerſali Petriarchæ. Data quarto Idus Septembris Conſtantinopoli, imperante Domino piiſſimo perpetuo Auguſto CONSTANTINO Imperetore anno * vigeſimo octavo, & poſt Conſulatum ejus anno * duodecimo.

* ſcribendum utrinſque XIII.

1. Quamquem ſolicitudinibus tam militaribus quemque civilibus indeſinenter noſtra Serenitas coarctetur, attamen omnes Chriſto amabilis noſtræ Reipublicæ cauſas inſequendo ob Chriſtianam noſtram fidem ponentes, quam & in bellis propugnatricem tam noſtri quamque Chriſto dilectorum noſtrorum exercitum habemus, neceſſarium judicavimus præſenti noſtra pia Sacra ad veſtrem paternam Beatitudinem oit, per quem adhortantes eam, ſaocimus congregare veſtram paternam Beatitudinem omnes, qui ad ejus ſanctiſſimam Sedem pertinent, ſanctiſſimos Metropolitas & Epiſcopos in hanc à Deo conſervandam noſtrem Regiam urbem: quatenus cooperante omnipotente & miſericorde Deo noſtro, diligentiſſima inquiſitio dogmatis fiat, quod olim ante multum tempus exortum eſt de voluntate & operatione in diſpenſatione incarnationis unius de ſancta Trinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti veri Dei noſtri; quod & diſſidium non minimum per quasdam perſonas ſenctæ Dei Eccleſiæ intulit. Innoteſcere quoque ſuper hoc & Macario venerabili Achiepiſcopo Antiochenæ magnæ civitatis, quatenus & ipſe de propria Synodo Deo emabiles Metropolitanos & Epiſcopos præparatos faciat pro hoc ipſo huc congregeri.

2. Jam enim ſuper hoc adhortati ſumus per pios noſtros apices adhuc inter vivos exiſtentem Domum ſanctiſſimum Apoſtolicæ Sedis entiquæ Romæ Præſulem: & illo de hoc ſæculo migrante, Agatho ſanctus nuper ordinatus Papa in Apoſtolica Sede prædictæ entiquæ Romæ hujusmodi noſtros pios ſuſcipiens apices, deſtinavit in præſenti propriam ejus indutos perſonam Theodorum & Georgium Deo amabiles Presbyteros, & Joannem Deo amabilem Diaconum, ex perſona vero totius ejus Concilii Joanoem & Abundentium & Joennem venerabiles Epiſcopos cum cæteris Clericis & Monachis, qui debeant invenire in prædicto capitulo quæſtionem: qui & nunc ed noſtre convenerunt veſtigia, porrigentes nobis etiam duas ſuggeſtiones, unam quidem ejuſdem ſenctiſſimi Agathonis Papæ, aliam vero Concilii ejus. Sciens igitur veſtre paterna Beatitudo, quia primum oobis & præcipuum (ut prædiximus), boc Orthodoxiæ exiſtit capitulum, feſtinet prædictos venerabiles Metropolitanos Epiſcopos celeriter advenire in hanc à Deo conſervandam noſtram Regiam urbem, quatenus prædictum tractetur cepitulum, & majorum donorum datore atque coronatore noſtro Deo cooperaute, cauta etque orthodoxe defioitio hujuſmodi dogmati imponatur.

Divinitas te ſervet per multos annos,
ſanctiſſime ac beatiſſime Pater.

FL. CONSTANTINI V. POGONATI IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Chriſti 681.

EDICTA

De fide Catholica, & damnatione Hæreſeos Monothelitarum, & Honorii Papæ Romani.

IN nomine Domini & Dominatoris Jeſu Chriſti Salvatoris noſtri. Imperetor piiſſimus, pacificus, FLAVIUS CONSTANTINUS fidelis in Jeſu Chriſto Deo Imperator, Chriſto dilecto omni populo habitanti in Occiduis partibus.

1. Firma-

1. Firmamentum ac fundamentum superno nutus creditæ nobis Christianissimæ existit Reipublicæ fides in Deo inflexibilis & inconcussibilis, in qua Christus Deus noster tanquam propriam suam construxit Ecclesiam, & sicut Rex omnium, Imperii nostri sedem constituit, Principatusque nobis sceptra commisit. Sicut enim quandam petram excelsam & sublimem, & ut cœli terræque in consortio constituram mysticam confessionem, quæ in eum cum Patre & Spiritu est, Salvator nobis ostendit, ut per eam tanquam per mediam scalam ad cœlestem conversationem reducamur, diviniorisque regni potentia coronemur. Super hanc petram cogitationis nostræ gressus infiximus, super quam firmiter stare præcipimur, quamque cautius tenere subjectos præcipimus: ne quisquam, ut minus attentus, exagitetur à maligno & instabili spiritu: expulsusque atque præcipitatus in impietatis voraginem delabatur. Etenim desiderabile est Dæmoni, qui generi humano semper infestus est, separare hominem à Deo, qui factus est ad imaginem Dei, & multimodis deceptionibus fallere. Sed nihil ei est sic studiosum atque officiosum, quam pietatem oppugnare, & Ecclesiasticæ pacis statum perturbare. Quod & nuper elapsis temporibus demonstravit, atque adversus invicem Ecclesias prœlia sumere persuasit per instrumenta, quæ ad hoc, ut una secum confligerent, adinvenit, sub Sacerdotali scilicet habitu & indumento dolosam intentionem abscondentia, Christi vero amatoribus populis lethalem institutionem eructantia. Unius quippe voluntatis & unius operationis, in incarnatione Salvatoris, atque in duabus ejus naturis, divina dicimus & humana, novitatem sanxerunt, quatenus & unam ex hoc in Christo naturam ex improviso excogitantes introducerent, antiquæ illius & corruptibilis confusionis hæresim reconflarent, cum qua Apollinarius quidem disperiit, Themistius vero nefandus anathematizatus est, Eutyches & Dioscorus cum sua pessima secta simul dejecti sunt: & omnes hi, & quiqui vestigia eorum secuti, è regione veritatis ierunt, Synodalibus simul & Paternis condemnati sunt sententiis. Hujusmodi denique contagione Ecclesias contaminaverunt etiam hi; qui ante nostra tempora sacrilegi Sacerdotes Ecclesias perverse gubernarant. Sunt autem hi; Theodorus, qui fuit Pharanitanus Episcopus; Sergius, qui fuit nostræ à DEO conservandæ Regiæ Urbis Antistes, adhæc & Honorius, qui fuit antiquæ Romæ Papa, hujusmodi hæreseos confirmator, qui etiam sui extitit oppugnator; Cyrus quoque, qui Alexandrinorum quidem Præsulatum sortitus est, infringere autem Orthodoxa dogmata studuit. Similiter & Pyrrhus, & Paulus, hujus Regiæ nostræ civitatis Patriarchæ, Sedis alterutrum successores, qui perversionis vitium vicissim transmiserunt. Quorum omnium cultores & opitulatores malevolorum superinsurrexerunt Macarius, qui fuit Antiochenorum Antistes, & Stephanus ejus discipulus, & prævaricationis instructor Polychronius, qui multo tempore Hæreticæ vetustati consenuit: qui in tantum, quos secuti sunt, æmulati sunt, impietatisque furia suam animam cremaverunt, ut etiam discerpere atque dissecare invicem membra Christi dilectos persuaderent, ut nec barbari tantum, sed quantius Christiani Christianos, oppugnarent, sanctarum Ecclesiarum ad invicem perturbationem atque dissidium, emolumentum atque lætitiam pro lucro reputantes.

2. Verum nos eis, qui ab origine pie atque univoco nomine ante nos regnaverunt, exæquari cupientes, zeloque rectæ & intemeratæ fidei conflagrantes, atque sanctas Dei Ecclesias in pacis ordine perseverare, temporibus nostri Imperii principale opus statuentes, porro protelari hujusmodi læsionem miserrimum æstimavimus. Unde & hoc sacratissimum & universale convocantes sextum Concilium, utpote parile præcedentium sanctorum quinque universalium Conciliorum, in medium deducere falsorum dogmatum, hoc est, novitatum propositiones decrevimus. Quod sanctum Concilium singula quæque perpendens atque discernens, eos quidem, qui Orthodoxæ fidei prædicationem concusserunt, & Christi gregem scandalizaverunt, à Sacerdotali ordine eliminavit: definitionem verò à Deo institutam, & sanctas Dei Ecclesias in unitate congregantem, constituit, Evangelicas quidem & Apostolicas consequentem sanctiones, memoratis autem sanctis & universalibus quinque Conciliis consonantem.

3. Idcirco & nos, quæ ab eis definita sunt, corroborare atque firmare cupientes, præsens pium Edictum edidimus, vere circa divinitatem fidei secundum Ecclesiastica statuta adnunciantes confessionem: Credimus in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Trinitatem in unitate, & unitatem in Trinitate, unam substantiam in tribus subsistentiis: unitatem quidem, propter naturalem unionem ac dominationem: Trinitatem verò, propter subsistentiarum perfectionem, & divitias superexistentis bonitatis. Unitas quippe vere est Trinitas, quia unita est Deitati: & Trinitas vere est unitas, divisa proprietatibus, & non dispertita æternitate. Ipsa etenim sibi consempiterna est, & essentia æqualis honoris est: nec enim extitit seculum, quando cum Patre non erat & Filius. Cujus utique vocabitur pater, si non simul cum eo erat sine principio filius? Nec erat, quando non erat cum utrisque Spiritus sanctus. Unus igitur hæc tria Deus, quæ invicem cum sola singularitatis differentia, in communitate essentiæ inseparabiliter discernente unamquamque personam, intelliguntur. Solus proinde Pater, pater est: solus Filius, filius: solus Spiritus sanctus, Spiritus sanctus. His etenim differentiis non convertuntur ad invicem, sed in his quidem inseparabiliter dividuntur: communicant autem essentiæ unitate: Trinitas simplex, & impartita atque incomposita, ex tribus perfectis, ex seipsis perfecta & super perfecta, una natura atque deitate, & una voluntate unaque operatione, glorificanda. Quorum igitur una natura est, horum & voluntas & operatio una est, sicut nos docuit cultor Basilius.

4. Confitemur deinde unum sanctæ Trinitatis Dominum nostrum Jesum Christum, unigenitum filium Dei, Deum nostrum, qui est cum Patre & sancto Spiritu sine principio consubstantialis, eundem ipsum in ultimis præstitutisque temporibus, propter humani generis salutem atque reformationem, descendisse de cœlis, hoc est, per spontaneam se exinanisse humilitatem, & in vulva illibatæ Virginis Deique genetricis Mariæ habitasse, & animam & corpus per Spiritum & ex sancta & immaculata carne ejus in propria subsistentia carnem sumpsisse nobis consubstantialem, & hanc sibi mediante anima rationali & intellectuali compaginasse atque formasse: natum quoque ex eadem Virgine matre super omnem intelligentiam, & super omnem mentis considerationem. Sine semine quippe, & super naturam existente conceptu, ineffabilis atque inenarrabilis est ejus nativitas. Processit itaque secundum nos, qui super nos est & Christus & Dominus, omnia ferens in seipso naturaliter quæ nostra sunt, præter solum peccatum: totus homo factus, & totus permanens Deus: idem ipse terrenus & cœlestis, invisibilis & visibilis, mortalis & immortalis. Duæ namque naturæ concurrentes ad inseparabilem unitatem, unum quidem Emmanuel nobis perfecerunt, salvantem in se indiminute naturarum, ex quibus extitit, proprietates. Cum enim simplex sit Verbum, secundum divinam paternamque & sempiternam nativitatem, duplex processu secundum maternam temporalem & corporalem nativitatem. Unde & duas Christi Dei nostri nativitates glorificamus, unam ejus venerantes subsistentiam, in duabus perfectis naturis existentem. Unus quippe sanctæ Trinitatis permansit, etiam dum Verbum caro fieret, perfectus in Deitate, & perfectus idem ipse in humanitate, consubstantialis Deo Patri secundum Deitatem, & consubstantialis nobis idem ipse secundum humanitatem, passibilis quidem carne, impassibilis autem Deitate. Nec enim alteri miracula, & alteri passiones sequestramus: sed uni eidemque Domino nostro Jesu Christo utrorumque indicia deputamus, secundum aliud quidem miracula operari, secundum aliud vero pati. Etenim secundum divinam ejus naturam, signorum proferebat virtutem; & secundum humanam formam, quæ naturæ congruebant, irrefutabiles passiones assumebat, quatenus ipse transfiguraret ipsum passibile nostrum in impassibilitatem, secundum Apostolum dicentem: *Oportebat enim corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.*

5. Neque enim dedignatus est amator hominum, humanis & irrefutabilibus passionibus condescendere, qui cum Deus esset immortalis, mediante anima, morti corporaliter congressus est. Animam autem dicimus in omnibus perfectam & solidam, cui in nihilo deerat humana perfectio. Humanæ autem perfectionis indicium, mens est, per quam & volumus, & cogitamus, & ab irrationabilibus animantibus secernimur. Nihil quippe est sine mente voluntarium: omne autem voluntarium intellectuale est. Ubi igitur mens est, ibi modis omnibus & voluntas. Si itaque perfectus homo factus est Salvator, in perfectione permanens Deitatis, neque amens neque involuntarius extitit. Igitur hi, qui humanæ Domini animæ, quæ secundum naturam est, extinguere voluntatem pertentant, amentem quidem eam, ut vere dementes, assignant: ad impassibilem autem naturam, * easdem passiones ad mortem reducunt: nos autem adstruunt non perfecte salvari, hæc qui prædicant, quia imperfecte Verbum nostram naturam assumpsit. Si igitur totus toti humanæ naturæ non unitus est, nec totus homo salvatus est. Quod enim non assumptum est, nec salvatum est. Quod vero unitum est Deo, hoc & salvatur secundum Deiloquum agnomento Gregorium. Sed hi quidem cum propriis æstimationibus & phantasiis circumerrent: nos autem, qui vere dispensationis mysterium non illudimus, non solum intellectualem & voluntariam sacrosanctam Salvatoris animam esse credimus, sed & omnibus eam vere naturalibus virtutibus perfectam, & similibus nobis absque peccato voluntarie acquievisse passionibus, dum Verbum eam permittere quærere & velle, quæ sua sunt. Sic & naturalem cibum secundum rationem appetebat quoque, & turbabatur, ac tristabatur. Cum enim Salvator ad crucis passionem propria voluntate veniret, cœpit tristari ac anxiari. Hæc enim animæ rationalis & voluntariæ proprietates existunt, ut persuadet nobis præclarus pater noster Epiphanius, in sermone adversus Ariomanitas, ita persecutus: *A carne enim*, inquit, *divinitati unita, absque anima & mente non fiet agonia.* Unde & idem Dominus dicebat: *Tristis est anima mea usque ad mortem.* Deinde orat transire calicem. Ut enim homo, recusabat mortem; nam habebat & non velle mori, sicut asserit laudabilis Cyrillus, eo quod recusaret caro ejus naturaliter mortem: sicut autem Deus, idem ipse promote veniebat ad passionem. Et testis horum irreprehensibilis athleta atque Dei cultor, pater noster Athanasius, in sermone quippe de Trinitate & incarnatione ita ait: *Et cum dicit; Pater, si possibile est, transeat à me calix iste, verumtamen non mea fiat voluntas, sed tua: duas voluntates in his ostendit, unam quidem humanam, quæ est carnis, alteram vero divinam. Et humana quidem propter infirmitatem carnis recusat passionem, divina autem ejus prompta. Unus enim cum sit idem ipse in utraque natura, loquitur interdum quidem congruentem humanitati, interdum vero divinitati congruentem exprimit vocem. Habuit enim*, juxta quod ait opinatissimus Cyrillus, *in utrisque potestatem. Dum ergo dicit, Non mea voluntas fiat: non mea, hoc est, humana natura, dixit: & ego enim nunc, sicut homo loquor. Dum vero dicit, Tua, illam, quæ communis* (inquit) *mihi verbo & tibi Patri.* Patris igitur & Filii, secundum quod Verbum est, una est voluntas, propter unitatem essentiæ, secundum sanctum Nyssenum Gregorium in sermone adversus Apollinarium, sic inquientem: *Loquitur enim tanquam ex homine, quod infirmitati naturæ competit, ille, qui nostras passiones proprias fecit. Adjungit deinde secundam vocem excelsam, & Deo dignam voluntatem ratam magis fieri, quam hominis, pro hominum salute volens. Qui enim dixit, non mea, humanam hoc sermone significavit: adjungens autem, Tua, ostendit conjunctionem suæ ad Patrem Deitatis, cujus nulla est voluntatis differentia propter communitatem naturæ.* Si ergo sequitur, secundum quod Patres inquiunt, naturam voluntas, duæ vero sunt naturæ in Christo, duas per omnia illis & naturales voluntates dabimus. Idem ipse enim, sicut

* ejusdem passiones ac mortem redigunt.

ficut efferulmus, fecundum utramque fotmem volens, voloit quidem ut Deus, voluit vero & ut homo, fecundum naturarum diverſitatem, etiam duarum voluotatum demonſtrans differentiam. Et neque contrarias voluntates, aut ad invicem oppoſiras, introducimus. Salvatoris enim humana voluntas, ooo eret contraria divinæ ejus voluotati, fed fequebatur in omnibus aſſumentis & deificantis Verbi voluntatem, quæ deificata, eſt aſſumptæ bumanitatis humane voluntas. Ergo quod ait deiloquus Gregorius; *Illius enim velle* (qui fecundum Salvatorem proculdubio intelligitut hominis) *nec centrarium eſt Dee, deificatum totum.* Et de voluntatibus quidem in brevitalis eſt ratio.

6. Affert vero (ut etiam de operationibus rationem breviter comprehendamus, fimilibos uſi denuo probationibus) duas operationes io Chriſto Deo noſtro naturales demonſtrantes. Qui enim unam folummodo io Chriſto operatiooem adnunciant, vel dividunt naturas, aut permifcent & confundunt. Neſtorius quoque homimicole, & quiqui illius dementia deprimuotur, duas diceores naturas, fimul dividuut cum eis & perſooas, pari numero cum eis & ſubſiſtentias introducunt; unam autem earum affectivem decernunt operationem. Affectus namque duarum per omnia, aut eriam plurium rerum diſpertitarum, atque feparatim ſubſiſtentium eſt coonexio. Qui ergo (ut dictum eſt) io duos Chriſtos unum Chriſtum coocidunt, unam affectivem (ut diximos) dogmatizant operationem. Apollinarius vero, Themiſtius, & Eutyches, & Severus, & qniqui partis eorum ſtultitia inſigniti ſunt, duas natutas, quæ in Chriſto ſunt, confundentes atque conglutinantes, ooam quidem ejus confuſam & phantaſticam naturam prædicant, unamque ejus portentant operationem. Hæc quidem illi. Nos autem altrinſecus poſitam voreginem, diviſioniſque & confuſionis declinantes periculum, & tanquam iter regale pergentes, duas Chriſti oaturas, & harum pari oumero netutales operationes eonfitemur, in unam individuam eoncurrentes ſubſiſtentiam, & quæ ſuæ ſunt eltetutra, in commune proprietatis eonferentem. Nec enim perſona aliquid eſt, quam ipſæ naturæ, fed in Verbi ſubſiſtentia totius humanitatis formate natura, qoæ ſua ſunt, iodiminute operatur cum eo, cui unita eſt ſubſtantialiter, Verbo abſque ſolo peccato, ſicut & Verbum perfecte operatur quæ ejus ſunt propria, cum humana natura, quam aſſumpſit. Ita ergo pie nobis eredentibus, ſervabitur ſecundum beatum Leonem: *Operatur enim utraque natura cum alterius communione, quod proprium habuit, Verbo operante quo Verbi eſt, & carne exequente, quæ carnis ſunt.* Quæ enim habuit ſicut conſubſtantialis Patri, hæc operatur divinitus, per formam tamen humanam: quæ autem aſſumpſit ex nobis, ut conſubſtantialis nobis, hæc operabatur humane, ſed non ut purus homo, ſed ut humanatus Deus. Ait namque in Theſauris ſactatiſſimus Cyrillus: *Eſt agnoſcere in hoc ipſo utraque in eo. Deus enim verus in carne, & caro vera in Deo. Ex quibus enim oportuit cognoſcere eum Dominum, hæc divinitus operatur: & ex quibus neceſſarium erat hominem verum eum videre, hæc facit & dicit, diſpenſans myſterie veritatem. Nam ambulare corporalibus pedibus; & cum labore iter facere, & per linguam loqui, humana natura opus exiſterat: membra vero Paralytici verbo ſalvare, & muti ad articulate loquendum linguam aptare, & laborantibus atque eneratis multitudine peccatorum & ægritudinum remiſſionem cencedere, opera ſunt divina virtutis: ſed non alterum abſque altero factum eſt.* Et ad medium producendus eſt ſanctiſſimus Leo, in Epiſtola ad Leonem Imperatorem hæc aſſerens: *In tantam unitatem ab ipſo conceptu Virginis Deitate & humanitate conſerta, ut nec ſine homine divina, nec ſine Deo agerentur humana.* Eo manifeſte hic Pater aſſeruit, quia in perſonæ unitate comouniter, & non disjuncte neque confuſe, utraque natura opereta eſt, quod naturale ejus erat & proprium, ut Deus eſſe credatur, & diſpenſationem credibilem faciat. Unus ergo exiſtens Dominus noſter Jeſus Chriſtus, perfectus in Deitate, & perfectus idem ipſe in humanitate, operatur ut Deus: operatur vero ut homo dualitate naturarum etiam duas naturales operationes explens. Quæ enim alterius generis alteriuſque naturæ ſunt, ſecundum ſapientiſſimum Cyrillum, eandem operationem habere nullus ſapiens dabit: ſed ſicut diſſociatam habent naturarum ſive æqualitatum rationem, ita & differentem reddunt operationem, ſicut & Magnus Baſilius collegit in libro adverſus Eunomium, quoniam diverſarum naturarum non une eſt operatio.

7. Duas igitur naturales voluntates, & duas naturales operationes in diſpenſatione incarnationis unius S. Trinitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, veri Dei noſtri, recte ſentientes prædicamus, & ita omnibus amatoribus Chriſti ſapere per præſens noſtrum Edictum pium adnunciamus: ſuſcipimusque & amplectimur ſanctas & univerſales quinque Synodos, quæ in Nicæa CCCXVIII. Patrum, qui adverſus Arianam conſederunt inſaniam, qoi cooperante trina & conglorificanda Deitate ſacrum fidei Symbolum terminaverunt. Et quæ in hac à Deo conſervanda Regia Civitate, in qua CL. qui adverſus Macedonianam rebellem ſpiritus intelligentiem ſimul & linguam, & Magnum nomine Apollinariſtam, congregati ſunt Patres, qui inſpiratione Sancti Spiritus prædictum venerabile interpretati ſunt Symbolum de Spiritu Sancto, quod Deus eſt, confirmantes per ea, quæ manifeſtius reſeraruot. Et quæ prius io Epheſo congregata eſt, cuius authores fuerunt Cæleſtinus & Cyrillus, qui in Chriſto Domino atque inſeparabili Deo noſtro diviſorem Neſtorium cum ſue prophana & maligna ſecta condemnarunt. Cum eis qooque amplectimur harum omnium ſignaculum, firmamentumque ac confirmationem, ſanctum Chalcedonenſe Concilium ſexcentorum ſuper triginta, & numero pariter & multitudine honorabilium Patrum, quorum pietatis flagello Dioſcorus & Eutyches crucieti ſunt, & cum impietatis vertice de Sacerdotio abſciſſi ſunt. Suſcipimus quoque & quæ in temporibus JUSTINIANI divæ memoriæ, in prædicta à Deo conſervanda noſtre feliciſſima Civitate complosa eſt Synodus contra Dei impugnatores Origenem, Didymum, & Evagrium, & obſcœna Theodori

Mopſueſteni

Mopsuesteni & Judalea scripta , & refutationem opusculorum Theodoriti adversum duodecim Capitula famosissimi Cyrilli , cum abolitione Epistolæ , quæ dicitur Ibæ , ad Marim Persam scriptæ. Hæc itaque universalia , & à Deo consita Concilia , sicut quandam hæreditatem cœlestem in cordis conclavi reponentes tanquam intellectuales margaritas , ab eis thesaurizamus dogmata ; & quos anathematizarunt atque refutarunt , anathematizamus atque refutamus , quosque susceperunt , suscipimus , Patresque nostros scribimus.

8. Anathematizamus autem omnem hæresim , quæ à Simone usque nunc in Dei Ecclesiam introducta est ad discindendam pacem atque unanimitatem credentium.

* noxiorum,

9. Super hæc omnia anathematizamus atque refutamus & eos , qui supervacuorum & * novorum dogmatum Hæreticos authores atque fautores secum fuot. Dicimus autem Theodorum , qui fuit Pharanitanus Episcopus , & Sergium , qui fuit hujus à Deo conservandæ nostræ Regiæ Urbis Antistes, huic consentaneum & moribus, atque impietate parilem : adhæc & Honorium, qui fuit antiquæ Romæ Papa , horum hæreseos in omnibus fautorem , concursorem atque confirmatorem : & Cyrum, qui fuit Alexandrinorum Episcopus ; similiter Pyrrhum, Petrum, & Paulum, hujus Regiæ nostræ Civitatis Præsules, & unà cum eis Macarium, qui fuit Antiochenorum Episcopus, & Stephanum ejus discipulum, atque Polychronium dementem , & omnes qui sapuerunt & sapiunt , vel futuri sunt sapere unam voluntatem & unam operationem in dispensatione Salvatoris nostri Jesu Christi.

10. His omnibus ita à sancto hoc universali sexto Concilio constitutis , & per subscriptionem nostræ fortitudinis confirmatis , sancimus , ut nullus quoque omnino aliud quicquam de fide satagat, vel novi dogmatis adinventionem machinetur , aut penitus de una voluntate & una operatione docendi indicium , vel sermonem commoveat. Nos enim sanctos & probabiles Patres nostros sequentes naturarum voluntates adnunciamus : & sicut duas naturas in Christo credimus , ita & duas naturales voluntates, & duas operationes prædicamus. Hæc sunt veræ in Deum confessionis dogmata ; hæc sunt Evangelicarum & Apostolicarum vocum prædicationes ; hæc sunt sanctorum Conciliorum & probabilium Paternarum linguarum didagmata , hæc Petrus , qui & petra fidei & Princeps Apostolorum , intemerata servavit. In hac fide & vivimus & regnamus , & conregnaoti nobis Deo, conregnare denuo speramus. Hanc comitem hinc recedentes habere deposcimus, & cum hac ante Christi tribunal assistere. Ad hanc confessionem omnes hortamur , & deservire Deo nobiscum invitamus, ac super montem excelsum Imperii stantes , prædicamus, atque Ecclesiasticam pacem totius populi solennitatem adnunciamus. Nam illa quondam Christo dilectorum dissensio nunc in concordiam versa est ; Hæreticorum contra sunt scandala : propriamque dignitatem hæc fides adepta est , ipso Christo suis Ecclesiis medente. Ipse est igitur pax nostra, qui solvit medium maceriæ parietem : & quæ per tempora dissidebant , in unanimitatem conciliavit. Unus Dominus, una fides , unum baptisma, una in Deum nunc est Ecclesiæ unitas. Si quis igitur Christi amator est , & metuit Dominum , optatamque salutem desiderat , hanc fidem Orthodoxam teneat. Nec enim erit per aliam fidem salvari. Si quis vero hominum personis gratiam exhibet , Charitatis autem in Deum æmulatorem se non demonstrat, præseoremque nostram piam constitutionem non recipit , si quidem Episcopus est , vel Clericus, aut Monachico circumdatus est habitu , deportationis pœna exoluet : si vero in Ordine dignitatum insertus est , supplicio proscriptionis mulctator , eique cingulum adimitor ; si autem idioticæ sortis est, ex hac Regia , omnique penitus Civitate extorris abiicitur : & super hæc omnia etiam terribilis atque inexpiabilis judicii non effugiet cruciatum. Data x. Kalend Januarias , Constantinopoli , Imperiali domo , piissimo perpetuo Augusto CONSTANTINO Imperatore , anno vigesimo nono , & post Consulatum ejusdem anno XIII. Indictione X.

FL. CONSTANTINI V. POGONATI IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 684.

CONSTITUTIO

De Electione Romani Pontificis.

CONSTANTINUS Imperator Benedicto II. Romano Pontifici. Cum usu receptum esset , ut nullus Romanus Pontifex ritè electus diceretur , nisi à nobis vel Exarcho nostro ratum firmumque haberetur , nos animadvertentes , id minus piè ac commodè fieri consuevisse , nihilque exinde religioni sacrisque rebus emolumenti nasci , placuit nobis deinceps , quem Sacerdotes exercitusque Romanus in Pontificem elegerint , eundem statim verum Christi Vicarium , nulla exspectata nominis nostri auctoritate , judicari. Tu vero , Beatissime Pater , quæ ad amplitudinem Romanæ Reipublicæ pertinent , ita geras , ut perversis hominum moribus cura diligentiaque tua succurratur. Vale, Constantinopoli.

FL. IV-

FL. JUSTINIANI II. RHINOTMETI IMPERATORIS AUGUSTI

DIVALIS JUSSIO,

Anno Christi 685.

Directa ad Joannem Papam urbis Romæ, in confirmationem sextæ Synodi Constantinopolitanæ.

IN nomine Domini Dei & Salvatoris nostri Jesu Christi, Imperator Cæsar FLAVIUS JUSTINIANUS, fidelis in Jesu Christo, pacificus, pius, perpetuus Augustus, * Joanni vere sanctissimo ac beatissimo Archiepiscopo antiquæ almæ urbis Romæ atque universali Papæ. * Cononi.

Magnum studium, magnam solicitudinem nos habentes pro stabilitate immaculatæ Christianorum fidei; dehinc namque clementissimum nostrum Deum adjutorem & susceptorem nostræ Serenitatis esse confidimus, adversus omnem inimicum Christo dilectæ nostræ Reipublicæ: dum cognitum est nobis, quia Synodalia gesta, eorumque definitionem, quam & instituere noscitur sanctum sextum Concilium, quod congregatum est in tempore sanctæ memoriæ † nostri Patris, in hanc à Deo conservandam Regiam Urbem, apud quosdam nostros Judices remiserunt. Neque enim omnino prævidimus alterum aliquem apud se detinere ea, sine nostra piissima Serenitate, eo quod nos copiosa misericordia noster Deus custodes constituit ejusdem immaculatæ Christianorum fidei: sed mox adduximus nostros Patres sanctissimos ac beatissimos Patriarchas cum vestræ beatitudinis Apocrisario, & sacratissimum Senatum, verum etiam Deo amabiles Metropolitas & Episcopos, qui hic in Regia Urbe commorantur, & deinceps militantes incolas sancti Palatii, nec non & ex Collegiis popularibus, & ab Executoribus, insuper etiam quosdam de Christo dilectis exercitibus, tam ab à Deo conservando Imperiali obsequio, quamque ab Orientali Thraciano, similiter & ab Armeniano, etiam ab exercitu Italiæ, deinde ex Cabarisianis & Septensianis, seu de Sardinia atque de Africano exercitu, qui ad nostram pietatem ingressi sunt; & jussimus præfatas Synodalium gestorum Chartas in medium adduci & coram supradictis omnibus lectionem eorum fieri, omnesque diligenter audientes signare ipsas fecimus: quorum auditorum universitas in nostris manibus eas præbuit chartas, ut debeamus nos tenendo inviolatas conservare ipsas, ut non licentia fuerit in quolibet tempore his, qui timorem Dei nolunt habere, aliquid corrumpere aut submutare ab his, quæ inserta sunt in prænominatis Synodalibus gestis, quas totas chartas bene definitas in temporibus sanctæ memoriæ nostri Patris, ex probabilibus sanctis Patribus, qui propriæ linguæ & manuum fidem apud Dominum nostrum Jesum Christum, utrumque Deum existentem, confirmasse dinoscitur, & confitentes eam docuisse, nos speramus clementissimum nostrum Deum: quia usque dum noster spiritus statutus est ex Deo esse, in nobis ipsas chartas illibatas & incommutabiles semper conservabimus. Ad insinuandum itaque vestræ paternæ Beatitudini hujusmodi Capituli motiones, prævidimus & earum scientiam notam fecisse Beatitudini vestræ. Et manu divina. Divinitas te servet per multos annos, sanctissime ac beatissime Pater. Data decimotertio Kalendas Martias, Constantinopoli Imperiali domo, piissimoque perpetuo Augusto JUSTINIANO Imperatore, anno secundo: post Consulatum ejus anno secundo, indictione decima quinta.

† Constantini. V.

FL. JUSTINIANI IMPERATORIS AUGUSTI

MANDATUM

DE ELECTIONE ROMANI PONTIFICIS.

Anno Christi 686.

Severinus Binius in Tom. 2. Concil. general. & Baron. Cardinalis Annal. tom. 8.

CUm JUSTINIANUS Imperator Sedi Apostolicæ in eligendo Pontifice libertatem solitam restitutam esse doleret, mandavit, ut non crearetur Pontifex sine consensu Exarchi, qui per militares copias faceret, ut non alius, quam qui Imperatori cordi esset, Romanus Pontifex crearetur.

THEO-

THEODORICI IV. REGIS FRANCORUM ET CAROLI MARTELLI MAJORIS DOMUS

Anno Christi 730.

DECRETUM

De rebus Ecclesiasticis in necessitates publicas erogandis.

RES Ecclesiarum, ut subveniatur necessitatibus publicis, & solatiis militum pro Dei Ecclesia & bono statu Reipublicæ & uniuscujusque propria pace pugnantium, statuimus cum consensu Episcoporum, & placito Proceerum Regni, & adhortatione totius populi, ut necessitate exigente liceat aliquantos ab eis separari, atque inter dignos & bene meritos dividi: precarias tamen fieri ab Episcopis exinde volumus, & nonas ac decimas ad restaurationes tectorum, & de unaquaque casata duodecim denarios ad Ecclesiam, unde res erant beneficiatæ, dari constituimus.

LEONIS III. ISAURI IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 732.

CONSTITUTIONES.

I.

DE PATRIMONIIS TEMPLORUM URBIS Romæ, & de capitatione infantium.

Theophanes in Histor. miscella, & Leo Hostiensis in Chron. Cassin.

TErtiæ Siculi ac Calabri populi parti tributum in singula hominum capita imposuit. Ea vero, quæ dicuntur patrimonia templorum Romæ sanctis Principibus Apostolis consecratorum, quæ quotannis antiquitus Ecclesiis auri dimidium & tria conferebant argenti talenta, in ærarium publicum conferri jussit. Et mandavit inspici atque describi infantes qui nascebantur, ut censusiste de singulis capitibus (cephaletionem vocant) exigi posset.

II.

De duabus Siliquis præstandis Provinciarum Administratoribus.

LEO IMP. AUGUSTUS S. P. Q. ROMANO. Vos muris vestris reficiundis cum non sitis pares, nos Procuratoribus provinciarum negotium dedimus, ut ultra constitutum tributum in singula numismata accipiant miliarisium unum, idque in ærarium nostrum conferant: ex quo nos muros condamus. Exinde obtineat, ut binæ siliquæ seu ceratia Quæstoribus solvantur. Ceratia autem appellantur duodecim folles seu nummi.



CHIL-

CHILDERICI II. REGIS FRANCORUM ET PIPINI MAJORIS DOMUS

Anno Christi 744.

DECRETUM
In Comitiis Suessionensibus Anno Domini

DCCXLIV.

IN Dei nomine & Trinitatis: Anno septingentesimo quadragesimo quarto ab Incarnatione Christi, sub die sexto Nonas Martii, & Luna VXI. in anno secundo Childerici Regis Francorum: Ego Pipinus Dux & Princeps Francorum, dum pluribus non habetur incognitum, qualiter nos in Dei nomine, una cum consensu Episcoporum sive Sacerdotum, vel Servorum Dei consilio, seu Comitum & Optimatum Colloquio apud Suessionis civitatem Synodum vel Concilium facere decrevimus, quod ita in Dei nomine & fecimus.

1. Inprimitus constituimus fidem Catholicam, quam constituerunt CCCXVIII. Episcopi in Nicæno Concilio, ut denunciaretur per universam regionem nostram, & judicia Canonica aliorum Sanctorum, quæ constituerunt in Synodis suis, quomodo lex Dei & Ecclesiastica recuperetur, quæ in diebus priorum Principum dissipata corruit.

2. Propterea nos una cum consensu Episcoporum, sive Sacerdotum, seu Servorum Dei, & Optimatum eorum consilio decrevimus, ut annis singulis Synodum renovare debeamus, ut qualiter populus, Christianus ad salutem animarum pervenire possit, & ut hæresis amplius in populo non resurgat, sicut invenimus in Adlaberto hæresim, quem publice ter una voce condemnarunt viginti tres Episcopi, & alii multi Sacerdotes cum consensu Principis & populi condemnarunt ipsum Adlabertum, ut amplius populus per falsos Sacerdotes deceptus non pereat.

3. Idcirco constituimus per consilium Sacerdotum & Optimatum eorum, & ordinavimus per civitates legitimos Episcopos. Et idcirco constituimus super eos Archiepiscopos *a* Abel & *b* Ardobertum, ut ad judicia eorum de omni necessitate Ecclesiastica recurrerent tam Episcopi, quam alius populus. Et ordo Monachorum vel Ancillarum Dei secundum Regulam sanctam stabilis permaneat, & de rebus Ecclesiasticis subtractis Monachis vel Ancillis Dei consolentur, usque dum illorum necessitati satisfaciant, & quod superaverit census levetur. Et Abbates legitimi hostem non faciant, nisi tantum homines eorum transmittant. Et omnes Clerici fornicationem non faciant, nec habitum laicorum portent, nec apud canes venationes faciant, nec accipitres portent.

a Sessonensis. *b* al. Arbertus. al. Hartbertus.

4. Similiter decrevimus, ut laici homines legitime vivant, & diversas fornicationes non faciant, & perjuriis in Ecclesia non consentiant, & falsa testimonia non dicant, & Ecclesiam Dei in omni necessitate conservent.

5. Et unusquisque Presbyter, qui in Parochia est, Episcopo obediens & subjectus sit, & semper in cœna Domini rationem & ordinem ministerii sui Episcopo reddat, & chrisma & oleum petat. Et quando jure Canonico Episcopus circumit Parochiam ad confirmendum populum, Abbates vel Presbyteri parati sint ad suscipiendum Episcopum in adjutorium necessitatis.

6. Et statuimus, ut supervenientes Episcopi vel Presbyteri de aliis regionibus non suscipiantur in ministerium Ecclesiæ, nisi prius fuerint probati ab Episcopo, cujus Parochia est.

7. Et omnino decrevimus, ut unusquisque Episcopus in sue Parochia solicitudinem habeat, ut populus Christianus paganismum non faciat, & per omnes civitates legitimus forus & mensura fiat secundum abundantiam temporis.

8. Similiter constituimus, ut illae crucilias, quas Adlabertus per Parochiam plantaverat, omnes igne consumantur.

9. Similiter diximus, ut neque Clericus mulierem habeat in domo sue, quæ cum illo habitet, nisi matrem, aut sororem, aut neptem suam.

10. Similiter constituimus, ut nullus laicus homo Deo sacratam fœminam ad mulierem habeat, nec suam parentem: nec marito vivente suam mulierem alius accipiat, nec mulier vivento suo viro alium accipiat: quia maritus mulierem suam non debet dimittere, excepta causa fornicationis deprehensæ.

11. Si quis contra hoc decretum, quod viginti tres Episcopi cum eliis Sacerdotibus vel Servie Dei una cum consensu Principis, Pipini vel Optimatum Francorum consilio constituerunt, transgredi, vel legem irrumpere voluerit vel despexerit, indicandus sit eb ipso Principe, vel Episcopis, vel Comitibus componat, secundum quod in lege scriptum est, unusquisque juxta ordinem suum. Et si hæc omnia observeverimus, quæ superius scripta sunt, Christi misericordiam invenire poterimus in secula seculorum, Amen.

PIPINI REGIS FRANCORUM ET PATRITII ROMANORUM

Anno Christi 756.

DECRETA

In Palatio Vernis statuta cum Episcoporum suorum Synodo, Anno Domini DCCLVI.

Capitulum I.

VT Episcopi debeant per a singulas civitates esse.

a Olim in unaquaque civitate & Episcopus erat & Comes: ille Ecclesiastica, hic politica negotia administrabat.

Cap. II.

EPiscopos, quos modo in vicem Metropolitaoorum constituimus, ut cæteri Episcopi ipsis in omnibus secundum Caoonicam institutionem obediant, interim quod secundum Canonicam institutionem hoc plenius emendamus.

Cap. III.

VT unusquisque Episcoporum potestatem habeat in sua Parochia, tam de Clero quam de Regularibus vel secularibus, ad corrigendum & emendandum secundum ordinem Canonicum spiritalem, ut sic vivant, qualiter Deo placere possint.

Cap. IV.

VT bis in anno Synodus fiat. Prima Synodus mense primo, quod est Mart. Kal. ubicumque Dominus Rex jusserit, in ejus præsentia. Secunda Synodus Kalend. octobr. aut ad Suessiones, vel alibi, ut in Mart. Kalend. inter ipsos Episcopos & illi Episcopi ibidem conveniant, quos modo vice Metropolitanorum constituimus, & alii Episcopi vel Abbates seu Presbyteri, quos ipsi Metropolitani apud se venire jusserint, ibidem in ipla secunda Synodo convenire faciant.

Cap. V.

VT Monasteria tam virorum quam puellarum, secundum ordinem regulariter vivant. Et si hoc facere contempserint, Episcopus, in cujus Parochia esse videntur, hoc emendare debeat. Quod si non potuerit hoc emendare, illi, quem Metropolitaoum constituimus, hoc innotescat, & ipse hoc emendari faciat. Quod si hoc nec ipse emendare potuerit, ad Synodum publicam exinde veniant, & ibidem Canonicam sententiam accipiant. Et si publicam Synodum contempserint, aut honorem suum perdaot, aut excommunicentur ab omnibus Episcopis, & talis in ejus loco in ipsa Synodo constituatur per verbum & voluntatem Domini Regis, vel consensu servorum Dei, qui secundum ordinem sanctum ipsum gregem regat,

Cap. VI.

COnstituimus, ut nulla Abbatissa duo Monasteria præsumat habere, nec extra Monasterium licentiam habeat exire, nisi hostilitate cogente: sed Dominus Rex, quando aliquam de ipsis Abbatissis ad se venire jusserit, semel in anno per consensum Episcopi, io cujus Parochia est, ut tum ad eum aliqua veniat ex sua jussione, si necessitas fuerit: & alibi omnino non debeat nec per villas, nec per alia loca demorari, nisi tantum quam celerius potuerit ambulare & reverti. Et aote non moveat de suo Monasterio, antequam suum Missum ad Dominum Regem transmittat: & si jusserit Rex venire, veniat: sin autem, in Monasterio permaneat, interim quod hoc plenius secundum canones emendaverit. Similiter nec illæ Monachæ extra Monasterium exire debeant. Quod si aliqua in aliquem lapsum ceciderit, infra Monasterium per concilium Episcopi pœnitentiam agat. Et si necesse est de earum necessitate ad Dominum Regem vel ad Syoodum aliquid suggerere, earum Præpositi vel Missi hoc debeant facere, & qualia munera ad Palatium dare voluerint, per Missos suos hoc dirigant. Et si aliqua Monasteria sunt, quæ earum ordinem propter paupertatem adimplere non possunt, hoc ille Episcopus de veritate prævideat, & hoc Domino Regi innotescat, ut in sua eleemosyoa hoc emendari faciat. Et si tales fœminæ velatæ ad præsens ibidem congregratæ inveniuntur, quæ regulariter vivere non velint, nec ad hoc dignæ sunt ut cum illis aliis babitent, Episcopus vel Abbatissa prævideant locum aptum, ubi separatim cum custodia in pulsatorio habitare debeaot, vel operari manibus, quod ipsa Abbatissa eis jusserit, interim quod probatæ dignæ sint, ut in congregatione recipiantur.

* * *

Cap. XIV.

DE *Die Dominico.* Quia persuasum est populis, die Dominico agi cum caballis, sicut bobus & vehiculis, per itinera non debere, neque ullam rem ad victum præparari, vel ad nitorem domus vel hominis pertineotem ullatenus exerceri, quæ res ad Judaicam magis quam ad Christianam observationem pertinere probatur, id statuimus, ut die Dominico, quod ante fieri licuit, liceat: de opere tamen rurali, aratione aut vineæ sectione, excussione, vel sepe facienda censuimus abstioendum, quo facilius ad Ecclesiam venientes orationis gratia vacent. Quod si inventus fuerit quis in operibus suprascriptis, quæ interdicta sunt, exercere, qualiter emendari debeat, non in laicorum districtione, sed in Sacerdotis castigatione consistat.

Cap. XV.

Cap. XV.

VT omnes homines laicis publicas nuptias faciant, tam nobiles quam ignobiles.

* * *

Cep. XIX.

DE *Immunitatibus.* Ut omnes immunitates in univetsis Ecclesiis coofervatæ sint.

Cap. XX.

IN alia Synodo nobis *a* perdonastis, ut illa Monasterie, obi reguleriter Monechi vel Monechæ vixerunt, hoc quod eis de illis rebus dimittebatis, unde vivera potuissent, ut exinde si Regalis eret, ad Dominum Regem faciant rationes Abbas vel Abbatissa: & si Episcopalis, ad illum Episcopum. Similiter & de illis vicis. *a* verba Episcoporum ad Regem.

Cap. XXI.

VT illos Presbyteratus, qui ad illum Episcopatum legibus nhtinguot, ille Episcopus ipsos debeat habere, sicut in alia Synodo per donavit Dominus Rex.

Cap. XXII.

DE peregrinis, qoi prnpter Deum vadunt, ut de eis teloneum nnn tnllant: & de illis aliis telnniis, quod Dominus Rex aurea perdonavit, sic fiat, ut uhi legirime oon debent esse, donati non sint.

Cap. XXIII.

VT Comites vel Judices ad eorum plecita, primn viduerum: orphenorum vel Ecclesiarum causas audiant & defioiant, in elcemnsyne Domini Regis: & postea alias caosas cum justitia retionabiliter judicent.

Cap. XXIV.

VT nullus per pecunias ad honnrem vel gredum Ecclesiasticum accedere debeat, quia hæresis Simoniaca esse videtur.

Cap. XXV.

VT oullus Episcopus nec Abbas nec Laicus propter justitiam faciendam sportulas *b* contradictas eccipiat, quia ubi dona intercurrunt, justiria evacuatur. *b* i. e. vetitas.

Cap. XXVI.

DE *Justitia facienda.* Ut omoes faciaot justitiam, tam † Laici quam Ecclesiastici. † al. publici.

CONSTANTINI VII. PORPHYROGENITI ET IRENES IMPERATRICIS AUGUSTÆ

SACRA

Anno Christi 758.

De Concilio per Imperatorem celebrendn super controversia de cultu imaginom exorta.

Divalis Sacra à Constantino & Iren. AA. ad sanctissimum & beatissimum Hadrianum Papam senioris Romæ.

1. QUi è Dominn nostro Jesu Christn verò Deo nostro suscipinnt sive Imperii dignitatem, sive Principalis Sacerdotii honnrem, debent quæ illi plecita sunt & cogitare & curare, & creditns sibi ab illo populos secundum ejus voluntatem regere & gubernare. Ergo debitum nobis & vobis, ô sanctissimum caput, hnc est, ut irreprehensibiliter quæ ejus sunt sapiamus, & in suis versemur, ntpote ab ipso nns quidem Imperium, vos vern Principalis Sacerdntii dignitatem suscipientes. Incipimus ergn hinc sermonem. Scit vestre Beatitudn, quæ pridem facta sunt in hac nostra Regie civitate propter venerabiles imagines, qualiter qui ante nos regneverunt, eas destruxerunt & in dehonestitatem atque injuriam posuerunt. Utinam illis non imputetur: melius enim fuerat oon mittere manus suas in Ecclesiem: & omnem populum qui hic est, immn Orientalem, eodem modn seduxerunt, & in propriam vnluntatem retraxerunt, nsque qun Deus suscitavit nos regnare in his, quæ in veritate gloriam ejus . . . & tenere quæ tradita sunt ab Apnstnlis suis & nmnibus simul Doctoribus.

2. Unde nunc constanter cum mundo corde & vero cultu, quæ ad Deum pertinent, one cum omnibus subditis nnstris, & his Sacerdotibus dnctissimis locuti sumus, & cum consilio decrevimus, ut fieret universele Concillum. Et rogamus vestram paternam Beatitudinem, immn vero Dominus rogat, qui *vult omnes salvos fieri & ad agnitionem veritatis venire*, ut det seipsum, nec tarditatem faciat, & ascendat huc in stabilitatem & firmitatem antiquæ traditinnis super venerabilibus imaginibus. Debitum enim illi est hoc facere. Agnoscit vero quis scriptum est: *c Consolamini consolamini popule mi Sacerdotes, dicit Dominus.* Et *d*: *Labia sacerdotum custodiant scientiam. Et de ore ejus egredietur lex, quoniam Angelus Domini exercituum est.* Et iterum divinus & veritatis prædicator Apostolus, qoi eb Hierusalem in circuitu usque in Illyricum prædicavit Evengelium, sic mandavit *e*: *Pascite gregem dom nicum disciplina, quem Jesus acquisivit proprio sanguine.*

c Isai. 40. *d* Malach. 2. *e* Rom. 15.

3. Et tamquam verus primus Sacerdos, & is qui in loco & sede sancti & superlaudabilis Apostoli Petri præsidet, sicut dictum est, ascendat & simul cum omnibus Sacerdotibus qui hîc sunt, inveniatur, & voluntas Dei fiat, *a Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo* (sicut Evangelicè didicimus) *ibi sum in medio eorum*. Certificetur enim & confirmetur à magno Deo & Rege omniumque Domino nostro Jesu Christo, & à nobis servis ejus, qui ascendentem vestram paternam & sacram Beatitudinem huc cum honore & gloria habemus suscipere, & quæ opportuna sunt impertiri. Et iterum expleto Capitulo, quod beneplacito Dei Christi speramus fieri, cum honore & magnitudine gloriæ præire illam sinemus ad remeandum ad propria. Si enim potuerit ascendere huc (quod putamus non fieri: scimus enim studiosum esse circa divina) eligat viros honorabiles habentes scientiam, & dirigat una cum syllabis, ut in veniantur ex persona sacræ & paternæ vestræ Beatitudinis hîc.

a Math. 18.

4. Verum tamen convenientibus ipsis, cum omnibus Sacerdotibus qui hîc sunt, Synodice confirmetur antiqua traditio sanctorum Patrum nostrorum, & confundatur omne zizanium male plantatum, & Domini nostri Salvatoris Jesu Christi verbum impleatur: *Quoniam portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Et ex hoc non sit schisma & separatio in una sancta Catholica & Apostolica Ecclesia, cujus est caput Christus verus Deus noster. Constantinum præterea sanctissimum Leontinum Christo amabilis Siciliæ nostræ Insulæ, quem melius noscit paterna vestra Beatitudo, adduximus ad nos, & facie ad faciem loquentes direximus cum præsenti nostra venerabili jussione ad vos. Qui cum venerit ad vos, continuo absolve eum, ut remeet ad nos, scribens nobis per ipsum, adventum tuum, quibus diebus habet moveri illinc, & proficisci ad nos. Porro sanctissimum Episcopum Neapolitanum omnino tenere debet, ut cum ipso ascendat huc. Etenim iter vestrum per Neapolim & Siciliam habet fieri, & super hoc Stratego Siciliæ jussimus, ut omnis requiei & honoris vestri curam habeat, quo veniat vestra paterna Beatitudo ad nos.

Legimus.

Data quarto Kalendas Septembris, Indictione prima, à Regia Urbe.

Anno Christi 825.

LOTHARII I. IMPERATORIS AUGUSTI

CONSTITUTIONES.

DE PONTIFICIBUS ROMANIS.

Dominus Lotharius edidit ad limen beati Petri Apostoli juxta civitatem Romanam tempore B. Eugenii Papæ de Pontificibus hæc capitula.

I.

CONstitutum habemus, ut omnes, qui sub speciali defensione nostra seu Domini Apostolici fuerunt suscepti, impetrata inviolabiliter justa utantur defensione. Quod si quis in quocumque tempore hoc violare præsumserit, sciat se periculum vitæ suæ esse incursurum. Nam & hoc decernimus, ut Domino Apostolico in omnibus observent obedientiam, seu Judicibus ac Ducibus suis ad a instantiam faciendam.

a justitiam.

II.

VOlumus ut deprædationes, quæ hactenus fieri solebant, nefiant, neque vivente neque defuncto Pontifice. Si quis vero hoc ulterius fecerit, sciat se legali sententia esse damnandum. Quæ autem retroactæ factæ sunt, placet nobis, ut per districtionem nostram legaliter fiant emendatæ.

III.

VOlumus, ut in Electione Pontificis nullus præsumat venire neque liber neque servus, qui aliquod impedimentum faciat: illis exceptis solummodo Romanis, quibus antiquitus fuit consuetudo concessa per constitutionem sanctorum Patrum eligendi Pontificem. Et si quis contra hanc jussionem facere præsumpserit, in exilio tradatur.

IV.

NOvissime admoneatur homo, ut omnis sicut Dei gratiam & nostram habere desiderat, ita præster obedientiam & reverentiam huic Pontifici.

Anno Christi 863.

CAROLI II. CALVI IMPERATORIS AUGUSTI

RECESSUS SIVE CAPITULARE

Comitiorum Pistensium, Anno Christi DCCCLXIII.

IN nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. CAROLUS gratia Dei Rex, & Episcopi, Abbates quoque & Comites, ac cæteri in Christo renati Fideles, qui ex diversis Principiis super fluvium Sequanam in locum, qui Pistis dicitur, ubi exigentibus peccatis nostris aliquamdiu sedes fuit Nortmannorum, convenimus anno Incarnationis Dominicæ DCCCLXIII, Anno verò XXII. Regni Domini nostri Caroli Regis gloriosi, Indictione dacima.

Capitulum Primum.

REges & Episcopi, qui ante nos fuerunt, ducti amore & timore divino, cum cæterorum fidelium Dei consilio atque consensu plura statuerunt Capitula, providentes, qualiter sancta Ecclesia statum debitũ & honorem, & Regni habitatores in omni statu & ordine haberent legem atq; justitiam.

Nos

Nos etiam pro qualitate rerum, & opportunitate temporum, quædam huic causæ convenientia Ca-
pitula superaddidimus: sed Diabolo satagente, supervenientibus perturbationibus tam à Paganis,
quam à nominetenus Christianis miserabiliter excitatis, incepta bona defecerunt, & in tantum in hoc
Regno mala horribilia increverunt, ut in nobis videamus & sentiamus completum, quod nobis est
per Prophetam prædictum: *Terram a vestram in conspectu vestro alieni devorant, & erit in vastitate* a Esa. 1.
hostili, & pervenit gladius usque ad animam, quoniam alieni b *insurrexerunt in nos, & fortes quæsie-* b Psal. 53.
runt animas nostras, & non proposuerunt Deum ante conspectum suum, contra quos defensionem pa-
ravimus: sed defensionis auxilio, sicut necesse fuerat, hactenus adjuti non sumus. Unde compel-
lente cordis dolore, nobis est exclamandum, quod Rex bonus obsidionis angustia tribulatus exclama-
vit, dicens c: *Dies tribulationis & blasphemiæ dies iste: venerunt filii usque ad partum, & vires non* c 4 Reg. 19.
habet parturiens. Hæc omnia vidimus, sensimus, & dolemus: quia cum hostes irruerunt, defenso-
res nostri præparati sunt, sed ad præparata non convaluerunt. quia illum Sanctum Spiritum, qui d d Psal. 9.
requievit super auditorem in opportunitatibus, in tribulatione. Christum Dominum nostrum, &
quem per impositionem manus Episcopalis in consignatione accepimus, contristatum malignis ope-
ribus à nobis effugavimus, e Spiritum scilicet consilii & fortitudinis, quem quia ita, ut nobis necesse e Esa. 11.
fuerat, non habemus, ideo contra inimicos nostros stare viriliter, & vincere fortiter non valemus.
Quæ utraque sibi necessario sunt conjuncta, quia neque virtus sine consilio, nec consilium sine virtute
utile esse potest. Quid igitur prosunt, qui per consilium præparantur, dum ad prælium fortitudine
non procedunt? Filii quippe usque ad partum veniunt, quando apta consilia usque ad desiderium
efficiendi operis procedunt: sed virtutem non habet parturiens, quia dum infirmus quisque consilia
concipit, hæc ad utilitatem aliquantam, per partum operis non producit: videmus quia impletum, quod
ad nos est ante prædictum populo contra voluntatem suam facienti f: *Anathema in medio tui. non* f Jos. 7.
poteris stare coram inimicis tuis: qui contra placatis placentibus sibi dixit g: *Nullus stabit contra vos.* g Deut. 11.
Sed & ideo terram nostram in conspectu nostro alieni devorant, quoniam alienos à Deo Diabolos,
effugata gratia Sancti Spiritus, in animas nostras recepimus. Ideo terra nostra deserta est, sicut in
vastatione hostili. quia flores & fructus fidei, spei, & charitatis, & humilitatis, & castitatis, & sobrie-
tatis, ac cæterarum virtutum, ab ara cordis nostri devastavimus, & pro illis spinas vitiorum, & urti-
cas peccatorum, & cicutas vanitatis in nobis ipsis etiam laborantes, ut inique agamus, non decrescere,
sed & incrementare cum studio fecimus. Ideo habitatores terræ occisi & fugati sunt, quia nos ipsos
peccati gladio occidimus, & omnia bona, quæ nobis Dominus, sive in intellectu naturali, sive in do-
ctrina, sive in divitiis, sive in honoribus, sive in familiaritatibus, quas nobis contulit apud nobis po-
tentiores, ad carnis voluntatem convertimus, & nos, & omnia quæ nobis Dominus dedit, ab illius vo-
luntate, pro qua nobis facienda illa donavit, avertimus. Quod unusquisque potest in seipso recogno-
scere, si etiam de singulis membris suis cogitat, quid fecit, & quod facit, per id, quod Deus ad operan-
dam suam salutem donavit. Et sicut de membris corporis inveniet apud se ipsum, ita de membris ani-
mæ poterit invenire, quæ per spiritualia vitia dispergit atque disperdit, & spiritales in se virtutes, à Deo
sibi collatas, aut effugat, aut conculcat. Ideo Ecclesiæ & villæ incensæ sunt, quia ignis avaritiæ, & rapa-
citatis, atque invidiæ, & adulteriorum, ac cæterarum immunditiarum, non solum per naturalem se-
xum, sed etiam per eum sexum, qui est contra naturam, sine pœnitentia, & sine resipiscentia in nobis ex-
arsit & ardet. Et quoniam illum Spiritum, qui super humilem & quietum & sermones suos tremen-
tem requiescit, per superbiam & inobedientiam ac præsumptionem à nobis expulimus, ideo Sancto-
rum ac protectorum nostrorum corpora de sepulchris suæ requietionis effossa sunt. Et quia nos Spiri-
tui maligno, justa Dei permissione potestatem habenti, & super nos ascendenti non resistimus, ut fu-
giat à nobis, idcirco servi & ancillæ Dei de locis suis expulsi sunt, & nos de quiete cœlestis Paradisi, &
de consortio cœlestis Ecclesiæ, id est, Angelorum sanctorum ejecti sumus, nisi per dignos pœnitentiæ
fructus ad hæc, unde cecidimus, redeamus. Et quia nos tales efficimur, de quibus Dominus per Pro-
phetam dixit h: *Causa viduæ non ingreditur ad eos*, quasi apud nos facta est venalis justitia, ut ad eam ne- h Esa. 1.
mo possit pervenire, nisi eam ei aperuerint munera. ideo vota fidelium, & precia peccatorum, quæ sa-
cris locis collocata fuerunt, propter peccata nostra de hoc Regno sunt penitus exportata, & vendentes
justitiam & veritatem, & in his scilicet ipsum Christum, qui est nobis à Deo factus justitia, & qui dixit:
Ego sum via, veritas & vita, nisi digne pœnituerint, cum Juda traditore Christi, æterna expectant in-
cendia. Et quia *sanguinis i sanguinem tetigit*, id est, culpæ culpis adjunctæ sunt, & sicut scriptum est, i Ose. 4.
k *Adulterium, & homicidium, & mendacium, & furtum, & perjurium inundaverunt. & l iniqui-* k Psal. 37.
tates nostræ supergressæ sunt capita nostra, ideo Nobiles nostri & de Episcopali ordinatione, & de aliis l Esa. 1.
Ordinib. interierunt, & capti, cum maximo detrimento & Regni & Ecclesiæ, sunt aut redempti, aut
interempti. Et quia nos per peccata nostra à terra viventium peregrinati sumus, idcirco sicut scriptum m
est, *Propheta & Sacerdos iverunt in terram, quam ignorabant.* Et post hæc omnia pius Pater, cujus m Hiere. 14.
multis miserationibus non sumus consumpti, quoniam non defecerunt miserationes ejus, materna
pietate nos flagellat, & expectat, ut ipsa vexatio donet intellectum auditui nostro, qui illa credere
noluimus, quæ per Scripturas nobis se illaturum promisit, si illius voluntatem non faceremus: &
ostendit nobis in exterioribus vastationibus, quæ de interioribus depopulationibus intelligere de-
beamus, & iis intellectis ad illum redeamus, qui iterum nobis in Scriptura multipliciter promisit,
inter quæ veraciter sic Veritas dixit n: *Revertimini ad me, & ego revertar ad vos, & quare morie-* n Zach. 1.
mini in peccatis vestris? Et quia non credidimus promittenti, credamus tandem aliquando vel ju-
ranti: *Vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat*: nisi conversi Ezech. 18. & 33.

fuerimus,

fuerimus, sicuti jam videmus, gladium suum vibrabit, arcum suum, i. vindictam, tetendit, & paravit
a Psal. 7. & 10. ad exercendam duriorem vindictam, sicut item de reprobis scriptum est: *a Ignis, sulphur & spiritus procellarum pars calicis eorum.* Et hoc quod videmus & sentimus, pars est vindictæ, quia majora &
b Sap. 1. plura & graviora venient super nos, nisi fuerimus conversi, ut scriptum est: *b Pugnabit pro eo orbis ter-*
c Rom. 6. *rarum contra insensatos.* Unde sicut dicit *c* Apostolus, sicut exhibuimus membra nostra arma iniquitatis peccato, ad serviendum immunditiæ & iniquitati, ita exhibeamus membra nostra servire justitiæ in sanctificationem, quia stipendia, id est, retributio peccati, mors: gratia autem Dei pro bonis operibus, ipsa donata est vita æterna. Et sicut quando solemus de istis frequentibus itineribus reverti ad mansiones nostras detonsi & decalvati cum drappis & calceamentis depannatis, & tunc nos reficimus & reparamus, ita vel nunc reparemus nos per cor contritum & humiliatum, & per confessiones ex puro corde, & per benignitatem mentis, & per concordiam cum Dei voluntate, quia per discordiam & Regnum istud temporale imminutum & pene desertum, & æternum regnum perditum habemus.
d Psal. 65. Quia nec omnes Reges esse possumus, nec Regem super nos à Deo constitutum, *qui*, sicut *d* scriptum
e Rom. 13. est, *imposuit homines super capita nostra*, habere sustinemus, non attendentes quia, sicut dicit *e* Apostolus, *non est potestas nisi à Deo, & qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit:* quoniam Deus, quia essentialiter est Rex Regum & Dominus Dominantium, partitione nominis & numinis Dei, id est, potestatis suæ, voluit & esse & vocari Regem & Dominum pro honore & vice sua in terris. Et sicut Archangelus, qui nunc est Diabolus, cum suis sequacibus, quia per humilitatis subjectionem conditori suo subditus esse noluit, & per coæqualitatem charitatis Coangelis suis socius esse despexit, de cœlo cecidit: ita & illi, qui potestati à Deo constitutæ propter Deum & in Deo subjecti esse nolunt, & pares vel coæquales in Regno habere non sufferunt, per quam debitam subjectionem, & parilem æqualitatem, Dei amici & Angelorum consortes esse poterant, subjecti Diabolo, & Dei inimici con-
f Job. 41. stituuntur. Quapropter de Diabolo scriptum est: *f Ipse est Rex super universos filios superbiæ.* Et illius subjectis Dominus, apud quem non est vicissitudinis obumbratio, quamdiu in ipso malo perseverant
g Jac. 1. Johann. 8. semper, in Evangelio dicit *g*: *Vos ex patre Diabolo estis*, non quia à Diabolo sunt facti aut generati, sed quia Diabolum imitati.

2. Reparemus ergo nos per pœnitentiam & confessionem, & per eleemosynas, unusquisque secundum possibilitatem suam, & quantum quisque recognoscit se à Deo aruisse per culpas, tantum bibat compunctionis suæ lachrimas, & tunc proficient in aqua ista, quas facimus firmitates, si per bona opera restruxerimus, quas in nobis distraxerunt peccata, virtutum munitiones: quæ & tunc proficient, si mala, quæ fecit quis prius, prout poterit, emendaverit, aut rapta solvendo, aut per indulgentiam de precando, atque mala cætera per dignam pœnitentiam abolendo: & tunc proficient si inante
h Esa. 1. custodierit, ne de illis se sordidet, de quibus se emendavit, quia scriptum est *h*: *Lavamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis, dicit Dominus.* Quiescite agere perverse, discite benefacere. Quia qui se bonis operibus & lachrymis & orationibus à peccato mundat, & iterum gravia peccata perpetrat, talis est, ut S. Petrus dicit, sicut sus quæ se jactat in luto, & sicut canis qui remanducat vomitum suum. Et timere debet, ne ipsas lachrimas in conspectu Dei reddat immundas, per quas mundari potuit à peccatis. Quæ non dicimus, ut si iterum alius ceciderit post confessionem in peccatis ut in peccatis quasi desperatus jaceat, sed ut à peccatis, quantum potest,
i Psal. 40. se caveat, & si fragilitate ceciderit, quia scriptum est; *i Numquid qui cadet, non adjiciet ut resurgat?*
k Psal. 76. dicat, *k Nunc cœpi*, & per immutationem dexteræ Excelsi, semper per pœnitentiam resurgat, ne illum ultimus dies in peccatis inveniat, & sine perditus fine fiat.

Capitulum II.

VNde quia solent Medici, quando genera infirmitatum, vel morbus in terram venit, generalem medicinam conficere, unde omnes possint sanari: ita nunc communiter hanc medicinam, cooperante & medicante Domino, statuimus ad recuperandam & conservandam sanitatem nostram, ne & in isto seculo gravius affligamur, & in futuro seculo, quando de isto corpore exierimus, æternis tormentis cruciemur, id est, ut unusquisque Episcopus in sua Parochia, & Missi in illorum Missaticis, & Comites in illorum Comitatibus, cum maximo studio & summa diligentia curam habeant, ut quicumque raptores & prædatores ubi sunt, cujuscumque homines sint, ad rationem deducantur, & secundum legem, quæ ibi malefacta habent, emendent, aut solvant secundum legale placitum, aut per indulgentiam sibi impetrent perdonari. Et Episcopi secundum qualitatem & quantitatem peccatorum absque acceptione personarum, rapacibus & his similibus vitiis nominatis, & convictis, pœnitentiæ leges injungant, inspecta discretione & qualitate, prout cuique ad salutem viderint expedire.

2. Ad quæ specialiter exequenda, quædam de pluribus Capitulis Prædecessorum Regum & Synodalium hîc ponere dignum duximus, commoneotes Episcopos & Comites, ut illa Capitula, quæ inde ante hos annos in unum collecta fuerunt, & in Carisiaco Episcopis & Missis nostris per universum Regnum nostrum ad exequendum donavimus: sed & illa, quæ consensu fidelium nostrorum fieri jussimus, quando confratri nostro LOTHARIO glorioso Imperatori apud Valentianas locuti fuimus, & fidelibus nostris denunciari & observare præcepimus, ad præsentiam reducant, & illa relegant. Et quia hæc pauca hic brevitatis causa subscripsimus in talibus rebus, *quæ eis*

advene-

adveneri nt ad emendandum: & hic inde si non invenerint, per illa & per alia Capitula Regia & Synodalia, quæ emendanda sunt, & emendanda providerint, emendare procurent. Si vero & juxta Diabolicam calliditatem, & secundum humanam fragilitatem nova quæcumqua acciderint, quia nova morborum genera, nova quærunt medicamentorum experimenta, moram sequentas prædecessorum nostrorum, Sancti Spiritus gratia illustrati, contra venena Diaboli ministrare curabimus medicinalia antidota Christi.

Capitulum III.

COmmuni placito constituimus, ut usque ad Missam S. Remigii, id est, Kalendas Octobr. spatium habeant illi, qui in istis temporibus istas deprædationes & alia malefacta criminaliter & publice fecerunt, ut inde apud Dominum, & apud eos, quibus malefecerunt, se pacificent. Et quisquis hoc non fecerit, bannum nostrum dupliciter componat, scilicet & quia postquam rapinas & alia malefacta in Carisiaco, & postea apud Confluentes, cum dilecto fratre nostro LUDOVICO glorioso Rege, & nepote nostro LOTHARIO, forbannavimus. Et post istum bannum, per consensum omnium factum illa emendare, sicut illis spatium dedimus, noluerunt, & omnia quæ commiserunt legaliter componere compellantur, & per publicam pœnitentiam, secundum sacros canones, Deo & Ecclesiæ, in quam peccaverunt, satisfaciant, quibus si obedire noluerint, aut per fidejussores ad præsentiam nostram perducantur, aut omnia, quæ in Regno habent, in bannum mittantur, & Episcopali authoritate à communi Ecclesiastica & omnium fidelium societate excludantur.

Capitulum IV.

DE honore autem Ecclesiarum ac servorum Dei, & de rapinis atque aliis malis seu præsumptionibus, ab ista die, & in reliquum compescendis, Capitula avi & patris nostri temporibus constituta, hic subjungere, & ut omnimodis observentur, ex banno nostro præcipere, dignum & necessarium duximus. Scriptum est enim in illis * Capitulis: *Si quis intra Regnum rapinam fecerit, aut cuicumque nostro fideli ejusque homini aliquid vi abstulerit, in triplo ei, cui aliquid abstulerit legibus componat, & insuper bannum nostrum, id est, LX. solidos, nobis persolvat: postmodum vero ante nos à Comite adducatur, ut in bastonico, vel in alio carcere trusus, usquedum nobis placuerit, pœnas luat.* Nam si publicè actum fuerit, publicam inde agat pœnitentiam: quoniam *raptores*, ut ait Apostolus, nisi veram egerint pœnitentiam, *Regnum non possidebunt.*

* lib. 6. cap. 96. in Collect. Benedicti Levitæ Moguntini.

2. Qui vero de rebus Ecclesiarum aliquid abstulerint, gravius inde judicentur, quia sacrarum rerum ablatio, Sacrilegium est: & Sacrilegus vocatur, qui ex eis aliquid abstulerit, aut abripuerit. Extorres namque à liminibus matris sanctæ Ecclesiæ tales personæ usque ad satisfactionem Ecclesiæ, quam læserunt, sunt habendæ atque firmiter denotandæ. Et item Sanctus Paulus, per quem locutus est Christus, dicit: *Quia neque rapaces neque homicida, neque adulteri Regnum Dei possidebunt.* Et item: *Si quis fornicator, aut adulter, aut rapax, aut homicida est, cum hujusmodi nec sumere cibum Christi discipulo*, id est, Christiano, *licet ante satisfactionem*, id est, correctionem, ac emendationem, & dignam pœnitentiam. Et Sanctus Joannes Apostolus, talem salutare aut in domum recipere vetat. Et sacri canones à Spiritu Sancto per eos dictati, Qui in cœlo cum Deo regnant, & in terris miraculis coruscant, constituerunt dicentes: *Si quis de potentibus Clericum, aut quemlibet pauperem aut Religiosum expoliaverit, & mandaverit ad ipsum Episcopus, ut eum audiat, & eos contempserit, invicem mox scripta percurrant per omnes provinciæ Episcopos, quoscumque adire potuerint, ut excommunicatus habeatur, donec audiat & reddat aliena.* Et de rebus ac facultatibus Ecclesiasticis dicunt: *Si quis oblationes Ecclesiæ extra Ecclesiam accipere vel dare voluerit, præter conscientiam Episcopi, vel ejus, cui hujuscemodi officia commissa sunt, nec cum ejus agere voluerit consilio, anathema sit.*

3. Et item in * Capitulis avi & patris nostri scriptum est de his, qui in exercitu, quoscumque secum ducunt, quod & nos intra patriam volumus observari: *Deinceps omnibus denuntiari volumus, ut unusquisque cognoscat omnes, qui in suo obsequio sunt, sive sui sint, sive alieni: ut ille de eorum factis rationem se sciat redditurum, ut quicquid in pace violanda deliquerint, ad ipsius debeat periculum pertinere, ea scilicet conditione, ut pacis violator primum juxta facineris qualitatem, sive coram nobis sive coram Misso nostro dignas pœnas persolvat, & Senior, qui secum talem duxerit, quem aut constringere noluit, aut non potuit, ut nostram jussionē servaret, & insuper in regno nostro prædas facere non timuerit per illius negligentiam: si autem eum de his non admonuerit, & postquam negligentia contemptoris ad ejus notitiam pervenerit, & eum corrigere, sicut decet, neglexerit, honore suo privetur:* ut scilicet neuter illorum sine justa vindicta remaneat. Nos autem Episcopi Evangelica & Apostolica atque Episcopali authoritate Seniorem & Regni quemlibet Potentem, si commonitus juxta Evangelicum præceptum, se suosque homines corrigere noluerit, & licet ipse talia non faciat, tamen si sui vel in suo obsequio manentes talia fecerint, si eos non correxerit, & emendari quæ faciunt non obtinuerit, eosque ad pœnitentiam non perduxerit, ipse excommunicetur secundum sacros canones, donec suos homines ad emendationem & pœnitentiam reducat: quia melius judicavimus illum excommunicari, per cujus fortiam sui talia faciunt, quam omnes illos, qui nec Deum timent, nec Episcopos, neque Missos Reipublicæ, propter ejus fortiam reverentur, & excommunicati ipsi non corriguntur, & alios suo morbo inficiunt: quia, dicente Apostolo, non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientibus, digni sunt morte. Non est liber à consensu, qui quod emendare potest, emendare negligit: quapropter sine dubio peccati, se participem facit. Si autem ipse Potens vel Senior satisfe-

* lib. 2. cap. 15. in Collect. Ansegisi Abbatis Lobiensis.

cerit Episcopo, & Missis Regiis, quia suos homines ad emendationem & ad pœnitentiam non potest adducere, sed ipsum vult aut à talibus immunem ostendere aut digne satisfacere, & hujusmodi maleficos à suo obsequio reiicere, & ut Dei inimicos persequi; tunc aut non excommunicetur, aut ab excommunicatione solvatur.

4. Et item in Capitulis Imperatorum scriptum est: *Comites vero & Ministri Ecclesiæ in eorum ministeriis, ut hoc plenius & de nostris, & de se, & de suis hominibus obtinere possint, adjuteres in omnibus fiant. Et quicunque prima & secunda vice de his à Comite admonitus, non se correxerit, volumus ut per eundem Comitem ejus negligentia & ad nostram notitiam perferatur, ut authoritate, quod in nostro Capitulari continetur, subire cogatur.*

5. Et item de pece in exercitali itinere servande usque ad marcham: *Hoc omnibus notum fieri volumus, quod quicumque authorem damni sibi illati nominatim cognoscit, ut justitiam de illo quaeras, & accipiat.*

6. Et item: *Si quis in exercitu vel infra Regnum sine jussione Dominica per vim hostilem aliquid prædari voluerit, aut fœnum tollere, aut granum sive pecora majora vel minora, domosque infringere vel incendere, hæc ne fiant, omnimodo prohibemus. Quod si ab aliquo præsumptiose factum fuerit, LX. solidos, si liber est, sit culpabilis, & omnia similia restituat, aut cum XII. testibus se purget. Si vero servus hoc fecerit, sententia capitali subjaceat, & dominus omnia similia restituat, quia servum suum non correxit, nec custodivit, ut alia non perpetraret:* quoniam si nos ipsos comedimus, cito deficiemus. Unusquisqua tamen custodiat exercitum suum, ne aliqua deprædatio infra Regnum fiat.

7. Similitet & collectas, quas Theodisce lingua herizup appellat, & infractiones immunitarum, & incendie, & adsalituras in domos, & conjurationes, & cospirationes, & seditiones, & reptus fœminarum, sicut & divinæ & humanæ leges prohibent, & prædecessores nostri Reges prohibuerunt, firmiter ex banno etiam & nos prohibemus. Nos quoque Episcopi, authoritate & sacrorum Canonum, sicut sancti Pontifices DCXXX. in Chalcedonensi Concilio cospirationem fieri prohibuerunt: & sicut cætera Concilie Episcoporum hujusmodi perniciosa facta vetuerunt, & nos prohibemus, quia facientes illa per eorum judicium, qui cum Deo jem in cœlo regnant, & à cœlesti Ecclesia, & à Christianorum societate separeti sunt, nisi per dignos pœnitentiæ fructus ed hoc redeant, ut sanctæ Ecclesiæ possint readuneri.

11. q. 1. ca. 17. conjurationum.

8. Similiter ut hæc Capitula, quæ hic adnotata suot, ita per hæc & ille omnia, quæ in suprascriptis locis, scilicet in Carisiaco & apud Valentienas collecta & constituta sunt, observari præcipimus, & omnes communiter confirmamus. Si autem aliquis quicumque ioobediens extiterit, cum summa festinetione Episcopi, Comites & Missi nostri notum facere curent, ut quantocius ad nostram præsentiem illum venire jubeamus, & dignam ultionem secundum judicium fidelium nostrorum sustioeat, & si (quod ebsit) talis emerserit, qui Dei timorem postponat, & Ecclesiasticam authoritatem contemnat, & Regiam potestatem refugiet, sciat quicumque ille fuerit, quod & secuodum canonicam authoritatem eb omnium Christienorum cœtu, & à sanctæ Ecclesiæ consortio, & in cœlo & in terra alienus efficietur, & Regali potestate, etque omoium Regni fidelium unanimitate, sicut Dei & Ecclesiæ inimicus, & Regni Dei devastator, persequetur usque dum à Regno extermmetur. Et si aliquis Comes fuerit, qui hoc in suo Comitatu fecerit, eut ibi talia increscere permiserit, aut ipse illa non emendaverit, aut nobis nota non fecerit, ut nostre authoritas talia corrigat, sciat quia talem sententiam inde sustinebit, sicut tempore entecessorum consuetudo fuit. Episcopus aut secundum Toletani Concilii capitulum septimum, ad quem pertinere noscuntur illi, qui talia contre Deum & Ecclesiæ pacem faciunt, si & eos quoslibet munere, vel favore, aut negligentia admonere noluerit, ut aut reverentes suscipiat, aut contemnentes de Ecclesia reiiciat, excommunicatus è collegio cæterorum Episcoporum habebitur, quousque emendationis vel damnationis eorum eb eo sententie promulgetur. quoniam nisi communiter certaverimus, ut in omnibus justitie & ab omnibus conservetur, nec Rex peter patriæ, nec Episcopi propitiatores & reconciliatores populi ad salutem æternam, nec qui participetione nominis Christi Christiani vocantut, hoc quod humano ore dicimus, in divinis oculis esse velemus.

9. Uteutem hæc, quæ observanda suprascripsimus, ac prænominevimus, nunc & de cætero certius & expressius à nobis atque à successoribus inconvulsa serventur, propriis manibus his subscribere commoni coosensu decrevimus, ea conditione servata, ut omnis in cunctis Ordinibus lex juris debiti, & honor ab omnibus obedienter & fideliter cooperante Domino conservetur.

10. Post hæc omnia relecta & collaudata communi consensu decrevimus, ut si aliquis homo propter mala facta, quæ amendare & per legem & per pœnitentiem noluerit, Seniorem suum dimiserit, eut ab illo propter hæc ejectus fuerit, ab alio non recipiatur, donec illa, quæ malefecit, emendet & per legelem compositionem, & per Ecclesiasticæ satisfactionis pœnitentiam.

CARO-

CAROLI III. CRASSI IMPERATORIS AUGUSTI

CAPITULUM

Ex Decretis Comitiorum generalium alicubi in Italia habitorum.

In Leg. Longob. lib. 2. tit. Qualiter diversarum legum hom. res suas diffin. deb.

Sicut consuetudo nostre est, ut Longobardus aut Romanus, si evenerit, quod causam inter se hebeant, observamus, ut Romani successiones juxta illorum legem habeant similiter, & omnes scriptiones secundum legem suem facient, & quando jurant, juxta legem suam jurent: & alii similiter: & quando componunt, juxta legem ipsius, cui malum fecerint, componant: & Longobardos illos convenir similiter componere. De cæteris vero causis communi lege vivamus, quam Dominus CAROLUS excellentissimus Rex Francorum atque Longobardorum in Edictum adjunxit.

FRIDERICI II. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1220.

EDICTUM

De Vicariis Imperialis Potestate.

FRIDERICUS Dei gretie Romanorum Rex, & Siciliæ: Archiepiscopis, Abbatibus, cæterisque Ecclesietum Prælelis, Merchionibus, Comitibus, Cepitaneis, Veluasoribus, & Nobilibus, Potestatibus, Consulibus seu Rectoribus, & Communitatibus omnium Civitetum, & Oppidorum, simul & Rectotibus, atque Populo, & universis per Lombardiem, Romeniolam, & Tusciam, atque per totam Italiam constitutis, gratiam & bonam voluntatem suam.

1. Post multas Imperii perturbationes, post obitum HENRICI patris nostri Imperatoris, sedetis Teutonicis seditionibus, & pace ubique constitute, cum jam simus accepturi benedictionem Imperielem, ut inde propositum reformandæ pacis, & unitatis, & concordiæ nobis & Imperio edmodum necessariæ per Lombardiem, Romaniolam, Tusciam, seu totam Italiam firmiter habeatis, præmittimus ed vos Legatum nostrum à letere Episcopum Spirensem & Metensem Conradum, nostræ Imperialis Aulæ Cancellarium, ut ipse fidelitetes, & alia jura à vobis recipiat, & discordiis tollendis nobis viem planam faciat, quatenus adire ed Coronam possimus.

e. Notum facimus vobis, quod huic legelem dedimus potestatem supponendi civitates, burgos, castra, villas, Marchiones, Comites, Capitaneos, & Valuasores, seu quoslibet per universam Italiam, & partes ejus constitutos banno nostro: & extrahendi: faciendi concessiones: pœnas etiam exigendi: conficiendi tabelliones: dandi possessiones, & restituendi: habendi etiam jus animadvertendi in facinorosos: necnon vicibus nostris agendi, prout commodum & honestum erit Imperio: ratum hebituri quidquid ille statuerit, decernimus, ne ab eo fiat eppelletio. Mandemus etiam, ut ei, tanquam nobis, obtemperetur. Datum in Francfort in Curia solemni, Anno Domini MCCXX. 15. Kal. Maij.

FRIDERICI II. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Christi 1225.

EDICTUM

De Paratis & mansionaticis & conductibus Imperatori ad Comitia proficiscenti exhibendis.

Missum ad Civitates Italiæ.

QUALITER jure Imperii pro verietate temporis præcedentis conculcata jaceant; qualiter ejus tranquillitas fuerit olim, & sit usque ed hæc tempore perturbata; universi de Imperio sentiunt. Volentes itaque jura Imperii in statum optimum reformere, subditorum oppressionibus condolentes, epud Cremonam; proximo die festivitatis Resurrectionis Dominicæ nunc instentis, de consilio Principum Palatinorum, solemnem indiximus Curiam celebrandam. Quapropter vobis sub debito fidelitetis, quo nobis astricti tenemini, firmiter & districte præcipiendo mandamus, quatenus vestros milites armis & equis, qua convenit diligentia, prepare-

præparetis, &, cum ad finitimas partes Imperii noveritis nos feliciter dirigere iter nostrum, eosdem ante nostram præsentiam transmittatis, de condigna retributione securi, quia vobis & vestris benemeritis curabimus respondere.

Anno Christi 1236.

FRIDERICI II. IMPERATORIS AUGUSTI

RESCRIPTUM

Ad Papam, à quo jubebatur ab Italia abstinere, & litis cum Lombardis arbitrium in Papa manus committere, & Terra sancta expeditionem suscipere.

ITALIA hæreditas est mea, & hoc notum est toti orbi. Anhelare ad aliene, & propria relinquere, ambitiosum esset & enorme, præsertim cum Italicorum, præsertim Mediolanensium me injuriis lacessivit insolentia, in nullo mihi debitam exhibens reverentiam. Præterea Christianus sum, & qualiscumque servus indignus Christi accinctus ad Crucis inimicos debellandos. Cum igitur tot hæreses non tantum pullulent, immo sylvescant in Italia, & jam zizania segetes incipiant suffocare per civitates Italicas, præcipue Mediolanensium, transire ad Saracenos hostiliter expugnandos, & illos incorrectos pertransire, esset vulnus infixo ferro omentis superficialibus delinire, & cicatricem deformem, non medelam procurare. Item solus sum & homo sum, nec ed tantum laborem sufficio, ut Inimicos Crucis sine magno comitatu adeam, debellaturus incredulos, qui tot sunt & tam fortes expugnando. Iterum cum sine thesauris magnis ad tam arduum negotium consurgere per me non sufficiam, opes ejusdem terræ in opem & ultionem Crucifixi convertere destinavi. Abundat equidem Italia armis, equis, & opibus. Hoc terra novit universa.

Missa per Cardinalem Prænestinum, Legatum Papalem.

FRIDERICI IMPERATORIS AUGUSTI

EDICTUM

De Comitiis Imperialibus Parmam indictis.

NOs voluntati Dominicæ dispositi ea perficere in votis gerimus, per quæ Ecclesia eradicatis zizaniis salubriter gubernetur, sic ut quemadmodum ab Orientali zona Regnum Hierosolymitanum CONRADI carissimi filii nostri materne successio, ac demum Regnum Siciliæ præclara maternæ nostræ successionis hæreditas, & præpotens Garmaniæ * Principatus pacatis undique populis sub devotione nostri nominis perseverat, sic illud Italiæ medium nostris undique viribus conculcatum ed nostræ Serenitatis obsequia & Imperii tedeat unitatem: neque in hoc provideret tantummodo commodis intendimus, sed in hoc Crucis negotium rectissimè procuratur: dein rebellibus nostris circa partes Italiæ in gremium nostræ gratiæ revocatis discordias multorum Nobilium desiderato fine præcidimus, qui vota sua in adventu hujusmodi suspenderunt, ne Crucis signaculo præsignitos Christiani cruoris effusio, licet justa, ob debitom & honorem Imperii & Regni Siciliæ macularet. Ad hæc igitur procuranda, æstate præsente personaliter cum Principibus nostris intrare condiximus Lombardiam, ut eredicate in Italia Hæretica pravitate jura Imperii reformemus ibidem, & pacem discordiarum schismatibus fatigatam instauremus, & quibuslibet passis injuriam sine acceptione personarum justitiæ copiam monstremus, ut ad expiandum inimicorum fidei peculiare flegitium in partibus Transmarinis, de communi Transmontanorum & Italicorum consilio votis communibus unanimiter espiremus, sed quod non solum utilitas, sed ipsa necessitas instanter invitet, cum treuguarum finis, quas nos in ipsis partibus existentes inivimus cum Soldano, fere in gremiis habeatur. Quare de nostrorum consilio Principum apud Parmam solemnem Curiam duximus indicendem, ad quam ab Urbe citra omnes urbium Italiæ Nontios invitamus, ubi quamplures nobiscum Principes nostros hebebimus, & Legatos omnium Regum Occidentalium, ut si tanta rebellium fuerit protervitas, ut nec ad Deum, nec ed decus Imperii & Ecclesiæ veliot habere respectum, tam celebris tribunalis in eos materialis gladius exeratur. Ecce autem quod ante faciem nostram de Principibus nostris aliquem præmittemus, cui plenariam dabimos potestatem universitates quaslibet, ac etiem personas seculares extra culminis nostri gratiam in partibus Imperii extantes in plenitudinem gratiæ nostræ recipere. Tu vero velut fidelis & prudens te ipsum ad veniendum ad Curiem supradictam honorifice præpara,

* Servia.

præpara, Poteſtatibus, Conſiliis, Communibuſque Comenſibus, Mediolanenſibus, Bergomatibus, Vercellenſibus, Alexandrinis, Brixianis & Laudenſibus, ex parte noſtra præcipiens, ut Ambaſciatores ſuos Civitatum ipſarum auctoritate munitos in dicta Curia ad noſtram ſtudeant præſentiam deſtinare, Nos enim in feſto B. Joannis Baptiſtæ proxime nunc futuro Aquilarum victricia ſigne movebimus apud Auguſtam, ſubſequenter in feſto S. Jacobi dictam regere Curiam diſponentes.

FRIDERICI IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Chriſti 1245.

EDICTUM

Adverſus Papæ & Concilii Lugdunenſis Decretum de ſua depoſitione.

Pontifex in Concilio meam mihi Coronam detraxit. Videamus, an ite ſit. Nam Coronam capiti meo impoſitam nondum vel Pontificis vel Concilii decreto emiſi. An vero Principem, cui non eſt par, de culmine Imperialis dignitatis Pontifex deturbabit? Atqui meliore multo nunc, quam ante, conditione ſum. Nem ante in aliqua ſaltem re tenebar ei obtemperare, aut obſequium adhibere: nunc vero omni obedientia, venerationis, & pacis ſolutus vinculo ſum.

MAXIMILIANI I. IMPERATORIS AUGUSTI

Anno Chriſti 1505.

EDICTUM

Contra Bannum Papale, & ut diſtringantur Sacerdotes, qui homines Imperii ad judicium Pontificis Romani evocare audent.

Maximilianus Dei gratia Romanorum Imperatator, & Rex Hungariæ, &c. Illuſtriſſimo Principi, Philippo Caſtiliæ, Legionis & Granatæ Regi, Archiduci Auſtriæ, Duc. Burgundiæ, & Richardo Duci Lotharingiæ, noſtris dilectis fratri ac filio: & Reverendis, Illuſtribus, Nobilibus, Spectabilibus, noſtris conſanguineis & affinibus, Electoribus, Principibus, venerabilibus ac noſtris & Imperii dilectis fidelibus, Jacobo Trevirenſi, & Hermanno Colonienſi Archiepiſcopis, per Galliam regnumque Arelatenſe & Italiam Archicancellariis, Alexandro & Johanni Marchionibus Badæ, Comitibus in Spanheim, noſtris locum tenentibus in provinciis Lucelburgenſi & Aſchenſi, Wilhelmo Lantgravio Heſſiæ, aliiſque omnibus & ſingulis, Prælatis, Comitibus, Baronibus, Equitibus, Miniſterielibus, Capitaneis, Præfectis, Officialibus, Sculteтis, Advocatis, Curatoribus, Scabinis, Conſulibus, Judicibus, Senatoribus, & omnibus aliis noſtris ſubditis ac fidelibus in ſupra memoratis Principatibus, Archiepiſcopatibus, Comitatibus, provinciis, civitatibus & diſtrictibus, commanentibus, ad quos Regium hoc noſtrum Edictum, aut ejus debita copia pervenerit, gratiam noſtram & omne bonum.

1. Illuſtriſſimi, Reverendi, Illuſtres, dilecti, frater, fili, conſanguinei, affines, Electores, Principes, Generoſi, Nobiles, Spectabiles, noſtri dilecti, venerabiles, notum vobis facimus, quod nos Præpoſito, Decano & Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ Trevirenſis ſcripſimus, eoſque monuimus, ut ab actione, quam Romæ adverſus Nobilem noſtrum & ſacri Imperii dilectum fidelem Philippum Comitem Virnebergæ inſtituerunt; & ad quam eum per bannum Eccleſiaſticum inducere paraverunt, abſtinerent, & debito juris ordine coram nobis aut noſtra & ſacri Imperii Camera, velut ordinario & legitimo eorum judicio, & cujus nos ſumus ſupremus judex, eum convenire & ſufficienter procedere acquieſcerent, juxta mandatum noſtrum deſuper emiſſum.

2. Nobis tamen juratus noſtræ Cameræ Nuntius, qui prædictis Præpoſito, Decano & Capitulo Eccleſiæ Trevirenſis antefatum noſtrum mandatum inſinuavit, per ſe & inſtrumentum, retulit, eundem Præpoſitum, Decanum & Capitulum, mandatum noſtrum contempſiſſe, & in propoſito ſuo perſeverare, & adverſus nominatum Comitem Virnebergæ nihilominus ſupramemorata cenſura & banno Eccleſiaſtico uti, & nunc etiam conati ad ipſius cenſuræ ac banni proclamati executionem gravioribus modis procedere. Quamobrem idem Comes Virnebergæ humiliter nobis ſupplicavit, ne ſe, qui ſe debito judicio ſiſtere obtuliſſet, permitteremus injuſte ac inique per prædictum bannum & ulteriores cenſuras gravari.

3. Quoniam ergo nobis, ut Romanorum Imperatori convenit providere, ne noſtræ & ſacri Imperii juriſdictioni & ſuperioritati per ſpontaneam actionem in locis & judiciis incompetentibus inſtitutam, fraus fiat: & ipſum etiam ſæpedictum Præpoſitum, Decanum & Capitulum Eccleſiæ Trevirenſis propter eorum contemptum, inobedientiam & contumaciam punita decreverimus: ideo mandamus ex plenitudine Romanæ Cæſareæ Majeſtatis & poteſtate Imperiali, vobis omnibus ac ſingulis, ſub comminatione noſtræ & ſacri Romani Imperii indignationis & pœnæ graviſſimæ, inſuper privationis omnium regalium, feudorum, gratiarũ, privilegiorũ & libertatum, quæ à nobis & ſacro Imperio habetis, & mulcta centum marcarum auri puri, Cameræ noſtræ irremiſſibiliter perſolvendarum,

ſeveritet

favariter ac volumos, ut omnes ac singuli, simulatqua hoc nostro maodato aut ejus debita copia requisiti fuerkis, sæpedicti Præpositi, Decani & Capituli Ecclesiæ Trevirensis, proventus, reditus, census, decimas, curtas, prædia & jurisdictionalia, ubicumque in vestris aut aliis ditionibus possident, & vos ea consequi poteritis, arrastetis & sisti curetis, vel ipsi detineatis, & pro aorum æquis expensis custodiatis, aot custodiri nostro nomine jubeatis, nequa axinda siva multum sive parum illis exhiberi aut rapræsantari sinatis, usqua dum à tamarario & contumaci proposito destiterint, mandatis ac jussis nostris obedienter pareaot, & supranominatum Comitem Vitnenbergæ coram nostro & sacri Imperii Camerali judicio, ut ordinario & lagitimo ajus judicio, si causam & actionem suam cedere nolint, conveniant, & simul expensas atqua sumptus, quos dictus Comes proptar injustos eorum processus facera coactus fuit, juxta nostram & Cameræ nostræ cognitiooem, refundant. Volumus ut huic nostro mandato fidaliter obtemperetis, oullus ex vobis alium raspiciat, moras alteriua suæ prætexat excusatiooi aut alius danique alium axpectet: ne nobis oecessitas imponatur, ad contentam superius pœnam & mulctam erga vos procedendi, &c, Datum anno post natum Christum MDV.

F I N I S.



INDEX

INDEX
SIVE
REPERTORIUM
RERUM SINGULARIUM AC NOTABILIUM HOC tertio tomo Constitutionum Imperialium, observandarum, in certas materias & locos communes juxta ordinem alphabeti digestum.

Quia sæpe fit, ut una materies variis synonymis appelletur, & nobis remissiones illas frequentes iterare tædiosum fuerit, ipse Lector, quod uno in loco non reperit, ad Synonymon ejus recurrat.

A.

Abbates.

Abbates in Imperio Germanico.

Abbates in Imperio Gallico.

Abbates in Imperio Italico.

Abbatissæ.

Abbatissæ in Imperio Germanico.

Abigei.

REPERTORIUM.

causa

Cleri-

Clerici.

Cloacæ.

Codicilli.

Codicilli vacantes.

Cœna Domini.

Cognatio.

Cognitores.

Coheredes.

Colloquium.

Coloni.

qui à com-

Dispa-

Eccle-

Ecclesiastica immunitas & libertas.

Edicta.

Electio Imperatoris.

Electores Imperii.

episcopi

exercitare

furum

homici-

Impe-

Judica-

Lex

Manu-

episcopi

exercitare

furum

homici-

Impe-

Imperator.

Judica-

Manu-

Nuptia

Papa

de Sco-

ut s-

qui

stuprum

FINIS.

Ooo



